L q. 35.

L. 9. 35.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTROVERSIARUM
SCHOLASTICO-POLEMICO-HISTORICO-CRITICARUM,

AUCTORE

LIBERIO a JESU

CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO, COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO,

TOMUS OCTAVUS,

Complectens Tractatus

DE ECCLESIA MILITANTE,

ET

DE PRÆTENSO PRIMATU ANGLICANO,

SEU

DE LAICOCEPHALIA ANGLICANA,

In tertia hac editione recognitus, auctuſque,

Cum Appendice

DE NECESSITATE ARTIS METHODICÆ IN DOGMATICA THEOLOGIA &c.

FAUSTISSIMIS SUB AUSPICIIS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

ALBERICI ARCHINTI

S. R. E. CARDINALIS,

EJUSDEM PRO-CANCELLARII, ATQUE SUMMO PONTIFICI A POLITICIS SECRETIS.



MEDIOLANI MDCCLVII.

Ex Typographia Joſephi Mazzucchelli, Succeſſoris Malateſtæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google



EMINENTISSIME PRINCEPS.

DOgmaticæ Liberii lucubrationes ; quibus adverſus Hæreſes, periculoſaſque novitates bellum geſſit, quæque auſpice BENEDICTO XIV. P. O. M. primò in lucem prodiere, cum Mecœnatem exoptarent ; ut complementum conſequerentur exordio dignum, Te avitæ nobilitatis decore, longèque præclariſſimarum virtutum cumulo ſpectabilem expetierunt, obtinueruntque feliciùs. Et quid uſquam ſecundiùs contingere poterat, quam eum nactas eſſe Patronum, cujus præcellentes animi dotes, virtuteſque præclaræ ubicunque Gentium ita effulgent, atque emicant, ut Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, ſuſpiciant omnes, atque venerentur, eòque altiùs contemplentur, quô eas non jam habes a Majoribus tuis commendatas, ſed tuas eſſe probè dignoſcant: Tanta Tibi namque indidit Numen excelſa virtutum ſemina, ut ad egregium virum efformandum abundè ſuffecerint, quin ad illuſtria Avorum facinora confugeres. Abſolutiſſima virtutum omnium exempla, quæ longâ annorum ſerie in tot Archinteæ Familiæ Heroibus floruerunt, Te quidem ad illuſtria quæque excitare valuiſſent,

Digitized by Google

nomenque tuum clarum reddere, niſi ornatiſſima indoles tua, erectuſque animus ſtudio, ac labore Tibi ea omnia comparaverint, atque in Te uno collegerint, quæ tot Heroes potuerunt inſtituere. Fulgeant itaque ad nobiliſſimæ, Regiæque (a) Gentis tuæ æternum decus Majores tui, ſive (b) purpurâ inſignes, ſive Legationibus (c) illuſtres, ſive decorati (d) Infulis, ſive Religione (e) pietateque celebres, ſive ſcientia (f) atque eruditione ſpectatiſſimi, ſive bellica (g) præſtantes laude, ſive inſignibus juxta (h), ac ornamentis conſpicui, Te gloriæ tuæ parem eſſe teſtantur, qui tuam in rebus gerendis prudentiam, & dexteritatem, ſcientiarum eruditionem, excelſi animi magnitudinem, atque amœnam illam, ſuaviſſimamque agendi rationem demirantur: Teſtatur Colonia, quæ Te cum maxima Literatorum omnium acclamatione, feſtivoque plauſu Philoſophicas, Theologicaſque facultates audivit publicè propugnantem: Teſtantur Galliarum Provinciæ, Belgium, Batavia, Germania, dum iis peragratis, atque luſtratis, mores Gentium, juraque explorando adeo profeciſti, ut jam tum optime dignoſcere quiſque poterat, Te eum eſſe, qui longè plura, eaque inſigniora polliceretur. Enim verò id experta eſt non tantùm Bononia, quæ lætabunda Te Pro-Legatum excepit, nomenque tuum famæ commendavit ſempiternæ, ſed & Etruria, & Sarmatia, dum inibi Pontificius Nuncius Principum animos ita Tibi conciliaſti, atque in rerum ſtatu quam arctiſſimo arduiora negotia feliciter abſolviſti, ut Miniſtrum omni prædicatione digniſſimum optimo jure omnes ad unum celebraverint. Et quis alius a Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, tantùm prudentiâ, & dexteritate valuiſſet, ut Uratiſlavienſium Electorum ſtudia, ac ſuffragia, a Viro aliàs ſpectatiſſimo (i) prorſus aliena, ad eam partium conſenſionem pertraheret, quæ eum Archiepiſcopum elegit, quem BE-

(a) *Archintea Gens a Deſiderio Rege originem ducit.*

(b) *Joſeph Archintus Archiepiſc. Mediol. S. R. E. Cardinalis.*

(c) *Philippus Archintus Archiepiſc. Mediol. quater Legatus Patriæ ad Carolum V. Semel Caroli V. ad Paulum III. Iterum Julii III. ad Venetos. Hieronymus Archintus Archiepiſc. Tarſi Etruſca, Colonienſi, Sarmatica Legatione celebris. Carolus Archintus Comes Quæſtor, Senator, Legatus ad Cæſarem. Philippus Archintus Comes, ad Reges pluries Legatus.*

(d) *Romulus Novariæ, Philippus Novocomi, Aurelius iidem Novocomi Epiſcopi ex Archintea Gente.*

(e) *Manfredus Archintus Cœnobii Clarevallenſis Fundator.*

(f) *Alexander Archintus Quæſtor, juris utriuſque, Theologiæ, Hiſtoriæ, Critices ſcientiſſimus.*

(g) *Ludovicus Archintus Tribunus Militum.*

(h) *Carolus Archintus Aurei Velleris Torquatus.*

(i) *Comes Ciaucongius Archiepiſcopus Uratiſlavienſis.*

Digitized by Google

BENEDICTUS XIV. Magnates, bonique omnes quam maxime exoptabant? Verùm quid mirum, ſi inſpirata divinitus vis ad animos quocunque libet flectendos ALBERICO ARCHINTO ineſſe videtur?

Sed cur ea conſector, & colligo, quæ in tuis Legationibus peregiſti glorioſe? Sunt hæc, diceret Plinius (a): *Magna quidem, ſed in alio, in Te minima*, ſi ceteris conferantur, quæ æternæ commendationis digna edidiſti, dum ad Romanæ Urbis Præfecturam a Pontifice evocatus, quidquid præclare de Te concipi potuit, factis veriùs complevisti; itaut lætarentur omnes, conquereretur nemo.

Nec miranda tanta Populorum felicitas: Etenim nil Tibi antiquius erat, quam Principis jura æquâ lance ſervando, Reipublicæ bene conſulere; quod potiſſimum nunc quoque præſtas, dum Cardinalis adauctus dignitate ad penitiora Politici Regiminis Te præelegit Rom. Pontifex, Tibique momentoſa quæque Apoſtolicæ Sedis negotia, rerumque omnium publicarum ſummam commendavit. Porro quam jure, quam meritò hoc graviſſimi officii munus Tibi fuerit concreditum omni referta gaudio videt Roma, videt Italia, Univerſus videt Orthodoxus Orbis, qui, dum omnia proſpere conſpicit evenire, non minus aptè, quam verè id valet uſurpare, quod ad Tui commendationem olim dixerat BENEDICTUS XIV. Te *de Apoſtolica Sancta Sede optime meritum* (b). Faxint ſuperi, ut ad commune bonum diu, multumque vivas: Ea inter tenue hoc devoti animi teſtimonium lubens ſuſcipe: Si enim humanitas tua, & conſuetudinis ſuavitas omnium animos ultrò allicit, in ſpem erigor Te humaniter acceptaturum, quod venerabundus vovet, ſacratque

EMINENTIÆ VESTRÆ

Humillimus, Obſequentiſſimus, Additiſſimus Famulus
Joannes Franciſcus a Tritio.

a 2 FA-

(a) *Lib. 3. Epiſt. 11.*
(b) *In Epiſt. Benedicti XIV. ad Abbates, & Juriſperitos Inſignis Collegii Judicum Mediolani.*

FACULTAS, ET APPROBATIO ORDINIS.

J. ✠ M.

FR. SYMPHORIANUS A S. ANDREA
PRÆPOSITUS GENERALIS

Fratrum Carmelit. Diſcalceat. Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem S. Montis Prior.

TEnore præſentium facultatem impertimur, quantùm ad Nos attinet, P. Fr. Joanni Franciſco a S. Maria Magdalena Congregationis Noſtræ Sacerdoti Profeſſo, ut typis mandet Libros, quibus titulus *Opera P. Fr. Liberii a Jeſu Carmelitæ Diſcalceati*, a ſupradicto Patre concinnatos, & a duobus Theologis e Noſtris recognitos, & commendatos. Datum Placentiæ in Conventu Noſtro S. Thereſiæ die 13. Septembris 1741.

Fr. Symphorianus a S. Andrea Generalis.

L. ✠ S.

Fr. Clemens a Paſſione Secretarius.

APPROBATIO R. AD. P. GABRIELIS MARIÆ ORD. DISC. S. AUGUSTINI.

SIcuti, monente Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 11., adverſus Sanctam Dei Eccleſiam oportet & hæreſes eſſe, quod etiam non obſcurè innuitur per zizania, quæ inimicus homo ſuperſeminavit in medio tritici, per Virgines fatuas in occurſum Sponſi ſapientibus admixtas; per malos piſces promiſcuè cum bonis eandem ſagenam implentes; ita & oportet in Eccleſia adeſſe Doctores, qui eos, qui contradicunt, valeant arguere, ſicquè exurgentibus in eadem erroribus ſe ſe verbo veritatis opponentes, ſelecto ad horreum tritico, colligant zizania ad comburendum, admiſſis ad Sponſum ſapientibus, fatuas excludant Virgines a nuptiis, electis demum in vaſa bonis, malos piſces foras emittant.

Hoc, quod a primis uſque Eccleſiæ temporibus conſtantiſſimè obſervatum eſt in Athanaſio contra Arianam hæreſim, in Hieronymo contra Jovinianam, contra Pelagianam in Auguſtino, contra Neſtorianam in Cyrillo Alexandrino, ac in aliis Eccleſiæ Doctoribus contra cæteras omnes pro temporum ſucceſſione, atque Hæreticorum viciſſitudine invictiſſimè inſurgentibus, etiam ævo hoc noſtro eveniſſe non eſt ambigendum cuicunque Liberii Opera revolvenda occurrunt. In his ſiquidem nullum propè eſt hæreſum genus, quod invicta a Scriptura, a Traditionibus, a Conciliis, ab Apoſtolicis definitionibus, ſimilibuſque ineluctabilibus veritatis fontibus deſumptis argumentis ab Eodem uſque ad omnimodam profligationem non oppugnetur.

Hanc ob cauſam, ſicuti me etiam prompto, anxioque animo approbante exierunt præcedentes, exeat demum pro coronide & Tomus iſte, cui titulus: *De Eccleſia Militante*, nec non *De Laicocephalia Anglicana*: ac in lucem prodeat ad ultimum Hæreticorum exitium, nec non etiam ad neceſſarium hiſce præſertim temporibus Catholicorum exemplum, quos ſapientiſſimus Auctor operibus edocet ſuis, in quo Catholica ſtudia potiſſimum ſint exercenda, non autem in ſupervacuis, futilibuſque quæſtionibus, quas hac noſtra intemperanter critica ætate excitant non pauci, nec ſine magno quandoquè Chriſtianæ Charitatis diſpendio.

Hæc Ego, poſtquam obtemperans Reverendiſſimi Patris Hermenegildi Todeſchini Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtri, nec non Mediolani contra Hæreticam pravitatem Generalis Inquiſitoris mandatis Librum attentè perlegi ingenuè judico, judiciumque meum manu propria ſubſcribo &c.

Mediolani ex Conventu SS. Coſmæ, & Damiani die quarta Decembris anni 1754.

Fr. Gabriel Maria a S. Dominico Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini Sacræ Theologiæ Prælector.

Die 11. Februarii 1755.

Attenta ſupradicta Approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeſchini Ord. Præd. Inquiſitor Generalis Mediolani.

J. A. Viſmara Pœn. Major pro Emo, & Rmo D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu.

ELEN-

ELENCHUS
TOMI OCTAVI, ALIAS PRIMI
DE ECCLESIA MILITANTE.

PARS PRIMA.

DE intelligentia nominis Eccleſiæ col. 2

DISPUTATIO PRIMA.

DE QUIDDITATE, ET ORIGINE ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

CONTROVERSIA I.
An ratio communis Angelis, & hominibus ſit de conſtitutivo Eccleſiæ Militantis. 6
Solvuntur argumenta. 10
CONTROVERSIA II.
An conſtitutivum Eccleſiæ Militantis ſit ratio communis vivis, & defunctis. 14
Solvuntur argumenta. 15
CONTROVERSIA III.
An electio ſit conſtitutiva Eccleſiæ forma. 18
Solvuntur quinque argumenta Hæreticorum. 23
Solvuntur alia argumenta. 27
CONTROVERSIA IV.
An Charitas ſit forma Militantis Eccleſiæ conſtitutiva. 34
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 38
CONTROVERSIA V.
An impeccabilitas ſit de conſtitutivo Militantis Eccleſiæ. 66
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 70
CONTROVERSIA VI.
An Baptiſmus ſit de conſtitutivo Eccleſiæ Militantis. 73
Solvuntur Adverſariorum argumenta. 79
CONTROVERSIA VII.
An fides integra ſit de conſtitutivo Eccleſiæ Militantis. 85
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 91
CONTROVERSIA VIII.
An fides vera ſit de conſtitutivo Eccleſiæ Militantis. 99
Ponuntur alia argumenta ad idem. 102
Solvuntur argumenta Adverſariorum. 105
CONTROVERSIA IX.
An actualis ſubjectio Vicario Chriſti ſit de conſtitutivo Eccleſiæ. 114
Solvuntur argumenta Adverſariorum. 117
CONTROVERSIA X.
An ſocietas ſit de conſtitutivo Eccleſiæ. 124
Argumenta Adverſariorum ſolvuntur. 126
CONTROVERSIA XI.
An Adam fuerit de Eccleſia Militante. 133
Solvuntur argumenta Adverſariorum. 138
CONTROVERSIA XII.
An Eccleſia novi Teſtamenti cœperit poſt Aſcenſionem Domini. 141
Solvuntur Hæretici argumenta. 145

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUALITATE ECCLESIÆ MILITANTIS.

CONTROVERSIA I.
An Eccleſia ſit una unitate myſtici Corporis. 147
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 151
CONTROVERSIA II.
An Eccleſia ſit una unitate indiviſibilitatis. 154
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 170
Roboratur veritas catholica ex convenientia Novatorum in erroribus cum antiquis Hæreticis &c. 176
Solvitur ultimum argumentum. 185
CONTROVERSIA III.
An Eccleſia ſit una unitate ſalutis. 189
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 199
CONTROVERSIA IV.
An Eccleſia ſit una unitate Capitis viſibilis. 204
Argumentis Hæreticorum fit ſatis. 206
CONTROVERSIA V.
An Eccleſia ſit una unitate ſtatus. 210
Solvuntur argumenta contraria. 211
CONTROVERSIA VI.
An Eccleſia Chriſti ſit viſibilis. 214
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 226
CONTROVERSIA VII.
An Eccleſia deficere, & errare poſſit. 236
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 255
CONTROVERSIA VIII.
An Eccleſia ſit Sancta, & qualiter. 269
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 274
CONTROVERSIA IX.
An vera Eccleſia ſit Catholica. 277
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 284
CONTROVERSIA X.
An Eccleſia ſit Apoſtolica. 287
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 292

DISPUTATIO TERTIA.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

CONTROVERSIA I.
An neceſſarium ſit externas Eccleſiæ notas deſignare. 297
Solvuntur argumenta Hæretici. 299

CON-

CONTROVERSIA II.

An Verbum Dei prædicatum, & acceptatum ſit vera Eccleſiæ nota. 302
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 305
CONTROVERSIA III.
An legitimus Sacramentorum uſus ſit nota Eccleſiæ, ubi de ceteris notis ab Hæreticis aſſignatis. 309
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 312
CONTROVERSIA IV.
An unitas ſit veræ Eccleſiæ nota. 314
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 306
CONTROVERSIA V.
An Univerſalitas ſit Eccleſiæ nota. 317
Solvuntur argumenta Gentilium, & Hæreticorum. 322
CONTROVERSIA VI.
An Sanctitas ſit nota veræ Eccleſiæ. 325
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 330
CONTROVERSIA VII.
An Miracula ſint nota veræ Eccleſiæ. 333
Solvitur primum argumentum, & deſcenduntur miracula Chriſti. 339
Solvitur ſecundum Hæreticorum argumentum, & aſſignatur diſcrimen vera inter, & falſa miracula. 343
Solvuntur reliqua Heretic. argumenta. 349
CONTROVERSIA VIII.
An eſſe Apoſtolicum ſit nota Eccleſiæ. 353
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 357

DISPUTATIO QUARTA.

UBI SIT VERA DEI ECCLESIA, EXTRA QUAM NON DATUR SALUS.

CONTROVERSIA I.
An unitas ſoli Rom. Eccleſiæ conveniat. 365
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 368
CONTROVERSIA II.
An Sanctitatis nota conveniat Rom. Eccleſiæ, & ſoli. 382
§. I. Solvuntur argumenta Hæreticor. 389
§. II. Oſtenditur, quod ſanctitas conveniat ſoli Romanæ Eccleſiæ. 397
CONTROVERSIA III.
An nota Miraculorum conveniat Eccleſiæ Romanæ. 401

CONTROVERSIA IV.

APPENDIX. *An liceat abſque peccato miraculum petere a Domino.* 408
Solvuntur argumenta. 410
CONTROVERSIA V.
An nota Univerſalitatis conveniat Eccleſiæ Romanæ, & ſoli. 412
CONTROVERSIA VI.
An nota Apoſtolicæ conveniat Rom. Eccleſiæ, & ſoli. 418
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 425

DISPUTATIO QUINTA.

AN ECCLESIA ROM. DECLINAVERIT IN ANTICHRISTIANAM.

CONTROVERSIA I.
An Antichriſtus ſit aliqua ſingularis Perſona. 441
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 445
CONTROVERSIA II.
An Antichriſtus ſit purus homo. 449
CONTROVERSIA III.
An Elias, & Henoch ſint futuri defenſores Eccleſiæ tempore Antichriſti. 453
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 460
CONTROVERSIA IV.
An deſolatio Romani Imperii ſit præmittenda adventui Antichriſti, & dies Judicii. 464
CONTROVERSIA V.
An diuturnum ſit futurum Antichriſti regnum. 467
Solvuntur argumenta Acatholicorum. 470
CONTROVERSIA VI.
An principalis Antichriſti Sedes ſit futura Jeruſalem. 478
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 481
CONTROVERSIA VII.
An Antichriſtus negaturus ſit Chriſtum, ſeque Deum prædicaturum. 482
Solvuntur argumenta Heterodoxorum. 484
CONTROVERSIA VIII.
An Antichriſtus totam ſit everſurus Eccleſiam. 488
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 490
Solvuntur alia quædam argumenta Hæreticorum contra principalem Controverſiam. 495

PARS SECUNDA.

DE FALSO PRÆTENSO CAPITE ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

SEU

DE LAICOCEPHALIA ANGLICANA.

DISPUTATIO PRIMA.

DE POLITICO REGIMINE.

CONTROVERSIA I.
An Politica poteſtas ſit Chriſtianis licita. 503
§. I. Statuitur prima Concluſio. 503
§. II. Statuitur ſecunda Concluſio. 505
§. III. Statuitur tertia Concluſio. 508
§. IV. Solvuntur argumenta Hæreticorum contra Prælationem Ethnicorum Principum. 512
§. V.

§. V. Solvuntur argumenta contra tertiam Concluſionem. 515

CONTROVERSIA II.

An Chriſtianis Principibus leges condere liceat. 520

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 527

CONTROVERSIA III.

An leges Principum Chriſtianorum obligent in conſcientia. 534

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 540

CONTROVERSIA IV.

An, ut lex humana obliget, requiratur conſenſus Populorum. 545

Solvuntur argumenta Adverſariorum. 550

CONTROVERSIA V.

An judicia ſanguinis inter Chriſtianos ſint licita. 563

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 567

CONTROVERSIA VI.

An Principes Politici amittant dominium committendo peccatum mortale. 572

Solvuntur argumenta Adverſariorum. 575

CONTROVERSIA VII.

An Politicus Magiſtratus ſit immediate a Deo. 585

Solvuntur argumenta. 589

DISPUTATIO SECUNDA.

DE SPIRITUALI POTESTATE.

CONTROVERSIA I.

An judicativa Fidei, & Religionis poteſtas divino jure veteris Teſtamenti Regibus conveniat. 600

Solvuntur argumenta Heterodoxorum. 606

CONTROVERSIA II.

An judiciaria Poteſtas Fidei jure divino novi Teſtamenti conveniat Regibus. 621

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 623

CONTROVERSIA III.

An jure humano judiciaria Poteſtas Fidei conveniat Regibus. 627

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 644

CONTROVERSIA IV.

An Patrum auctoritate judiciaria Fidei Poteſtas conveniat Regibus. 677

CONTROVERSIA V.

An momentis probetur convenire Regibus judiciaria Fidei Poteſtas. 686

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 688

CONTROVERSIA VI.

An poteſtas judiciaria fidei Reginis conveniat. 691

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 694

DISPUTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM LICITIS, VEL ILLICITIS IN PERSECUTIONE ANGLICANA ADVERSUS CATHOLICOS.

CONTROVERSIA I.

An Angli ſine peccato jurare potuerint formulam a Jacobo Rege exhibitam. 699

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 707

CONTROVERSIA II.

An Catholici Angli ad evitandas pœnas adire poſſint templa Hæreticorum. 713

Solvuntur argumenta. 718

CONTROVERSIA III.

An Angli in perſecutione licite fugam arripuerint. 723

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 726

CONTROVERSIA IV.

An Anglis Catholicis imminente perſecutione licuerit negare exterius fidem Romanam. 731

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 734

Reſolvuntur aliqua dubia practica. 738

Recenſentur, & ſolvuntur alii caſus. 749

CONTROVERSIA V.

An Catholici Angli pro Religione mortem paſſi, ſint vere Martyres. 760

CONTROVERSIA VI.

An pœnis, bonorum ſpoliatione, & legum ſeveritate poſſint cogi Hæretici ad ſuſcipiendam Catholicam Fidem. 769

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 773

DISPUTATIO QUARTA.

DE ERRORIBUS ANGLICANIS CIRCA CULTUM SANCTORUM.

PROŒMIUM. 785

CONTROVERSIA I.

An externis actibus Deum liceat adorare. 787

Solvuntur objecta. 793

CONTROVERSIA II.

An corporalibus Imaginibus liceat Deum repræſentare. 796

Diluuntur objectiones Hæreticorum. 798

CONTROVERSIA III.

An Chriſtus ſit adorandus ſupremo cultu Latriæ. 802

Hæreticorum argumenta diluuntur. 804

CONTROVERSIA IV.

An Chriſtus, ut in Eucbariſtia, adorandus ſit Latria. 808

Solvuntur objectiones Hæreticorum. 810

CONTROVERSIA V.

An Chriſti Crux adoranda ſit. 814

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 820

CONTROVERSIA VI.

An Crucis Imago, vel ſignum ſit adorandum. 826

Solvuntur Hæreticorum argumenta. 834

CONTROVERSIA VII.

An Sacratiſſimum Jeſu Nomen ſit adorandum. 838

Objectiones. 839

CONTROVERSIA VIII.

An Sancti orent pro nobis. 841

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 848

CONTROVERSIA IX.

An Sancti ſint a nobis ſine ſuperſtitione invocabiles. 852

Solvuntur argumenta Hæreticorum. 857

Sol-

Digitized by Google

Solvitur objectio circa invocationem Sanctorum, pertinens ad doctrinam Quietiſtarum. 875

COROLLARIUM SCHOLASTICUM.

An detur præceptum invocandi, & adorandi Sanctos. 882
Solvuntur argumenta. 903

CONTROVERSIA X.
An Sancti poſt mortem digni ſint cultu. 910
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 912

CONTROVERSIA XI.
An Deipara ſit adorabilis cultu Hyperduliæ. 919
Solvuntur argumenta. 926

CONTROVERSIA XII.
An Reliquiæ Sanctorum ſint adorandæ. 929
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 937

CONTROVERSIA XIII.
An in Lege veteri omnis uſus Imaginis eſſet prohibitus. 949
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 955

CONTROVERSIA XIV.
An uſus Imaginum liceat in Lege Gratiæ. 964
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 968

CONTROVERSIA XV.
An Imagines Chriſti, & Sanctorum licite in Templis exponantur. 971
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 972

CONTROVERSIA XVI.
An Sanctorum Imagines ſint cultu digna. 980
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 985

CONTROVERSIA XVII.
An Imagines ſint adorandæ eadem adoratione, qua prototypon. 1001
Solvuntur argumenta Adverſariorum. 1005

CONTROVERSIA XVIII.
An Imago ſub qua delitescit Dæmon ſit adorabilis. 1010
Solvuntur argumenta Adverſariorum. 1016

APPENDIX.
De neceſſitate artis methodicæ in Dogmatica Theologia, deque qualitatibus ſervandis in Diſputationibus. 1021

AD LECTOREM.

HAbes, Lector Candide, in octo hiſce Voluminibus ea omnia, quæ in Encyclicis Typographi Literis fuerunt enunciata. Promittebantur quidem præter generalem Indicem Tomi undecim, quos inter de Sacramento Ordinis duo, duo itidem ex Miſcellaneis: Verùm rem totam de Ordine Tomo unico abſolvere ſatius duximus, ſicut & Miſcellanea per reliquos Tomos diſtribuere, omiſſo præterea generali Indice, cum Tomi ſinguli, ſi primum excipias, ſuum habeant Elenchum. Superſunt Moralia quædam, quæ forſitan, Deo dante, ſejunctim tradentur. Talia hìc innuere æquum eſſe cenſuimus, ut compertum fiat, ritè, ſanctèque ſervata fuiſſe, quæ promiſſa fuerunt.

Quoniam verò Moderniores nonnulli, nimium fortaſſis emunctæ naris, Liberii Methodum, ſtylumque ſcribendi confidentiùs, quam par eſſe videtur, carpere non verentur, celeberrimi Auctoris vindicias, quas olim ipſemet breviter perſtrinxit, explicatiùs tradere, atque publici juris facere e re noſtra viſum eſt, ut noſcant boni omnes, immeritò traduci Liberium, eoſque, qui, dum ſacra verſant, Apoſtolum imitantur, ſcribuntque *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ ... non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* 1. *ad Corinth.* 2. *v.* 1., & 4.

DE

DE ECCLESIA MILITANTE.

TOMI PRIMI

PARS PRIMA.

PROŒMIUM.

STudium ſuſcipimus ſum-
mæ neceſſitatis, ex quo
tota ſpei noſtræ ratio pen-
det. Talis veritatis exa-
men proferimus, qua co-
gnita omnis diſſenſionum
Catholicos inter, & Hæ-
reticos fons exſiccatur.
Inquirimus quænam, & ubi ſit dilecta Chri-
ſti ſponſa Eccleſia, Fidei firmamentum, co-
lumna veritatis, ſalutis portus -- Mater Ec-
„ cleſia, *ait Auguſtinus Epiſt.* 38. *ad Latum*
„ *de Mundi contemptu*, Mater eſt etiam Ma-
„ tris tuæ. Hæc nos de Chriſto concepit,
„ hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in
„ ſempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte
„ nutrivit, & nutrit -- *Et ſer.* 181. *de tem-
pore* -- Sola eſt, in qua Myſteria ſuperna
„ veraciter contemplamur: unde ad Moy-
ſem Dominus dicit Exod 33. *Eſt locus apud
me: & ſtabis ſupra petram . . . Tollam ma-
num meam, & videbis poſteriora mea*. Quia
„ enim ex ſola Catholica Eccleſia veritas con-
„ ſpicitur, apud ſe eſſe locum Dominus perhi-
„ bet, de quo videatur -- *Hac nos Deo ſervat*,
ſubdit Cyprianus, *hac filios Regno, quos gene-
ravit, aſſignat*. Veritatis cognitio homini con-
naturalis eſt; at ubi inhabitet ſapientia, non
omnes noverunt -- Sæpe ego, *ait Aug. de uti-
„ lit. credendi c.* 8., intuens quantum poteram
„ mentem humanam, tam vivacem, tam
„ ſagacem, tam perſpicacem, non putabam
„ latere veritatem: niſi quod in ea quæren-
„ da modus lateret: eundemque ipſum mo-
„ dum ab aliqua Divina auctoritate eſſe ſu-
„ mendum. Reſtabat quærere, quænam eſſet
„ illa auctoritas, cum in tantis diſſenſioni-
„ bus ſe quiſque illam traditurum pollicere-
„ tur -- Hæc porro auctoritas nullibi eſt,
niſi in Eccleſia: ideo paulo infra addit -- Si
„ jam ſatis tibi jactatus videris, finem hu-
„ juſmodi laboribus vis imponere, ſequere
„ viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo
„ Chriſto per Apoſtolos ad nos uſque mana-
„ vit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt --
Succeſſio vero hæc in ſola vera Eccleſia re-
peritur. Unicum medium pro dirimendis
controverſiis vox Eccleſiæ eſt; ideo veraciter
inquirendum, apud quos reperiatur: ideo
ſumma Theologia eſt naturæ, & proprieta-
tum Eccleſiæ diſcuſſio. Fidem nobis faciunt
A hoſtes noſtri. Accipite quid dicat inſignis An-
glo Calviniſta Fieldus -- Cum funeſtas Chri-
„ ſtiani orbis diſcordias, & infinitas prope
„ diſſidentium, & neſcientium quid certi
„ ſtatuant, aut cui parti adhæreant, diſſen-
„ ſiones perpendo, in illam plane ſenten-
„ tiam impellor, ut nullam Theologiæ par-
„ tem magis neceſſariam exiſtimem, quam
„ illam; quæ de vera Eccleſia dignoſcenda
„ tractat. Cum enim tot, ac inexplicabiles
B „ ſint hoc tempore de Religione controver-
„ ſiæ, ut pauci tempus, pauciores ſcientiam
„ habeant illas omnes penitus examinandi;
„ quid aliud veritatis ſtudioſis ſupereſt; quam
„ ſedulo, & ſedulo indagare, quænam tan-
„ dem ſit illa in terris ſanctorum hominum
„ ſocietas, illa Sponſa Chriſti, illa Dei vi-
„ ventis Eccleſia, quæ eſt columna, & fir-
„ mamentum veritatis? Ut illa ſemel inven-
„ ta communionem ejus amplectamur, con-
C „ ſilium ſequamur, ejus judicio acquieſca-
„ mus -- Epiſt. qua librum ſuum dicat Can-
tuarienſi Superintendenti. Nil hac confeſſio-
ne orthodoxius; manus damus pro viribus
hujuſcemodi veritatis perſcrutationi inſiſten-
tes.

DE INTELLIGENTIA NOMINIS ECCLESIÆ.

D ECcleſia nomen Græcum a verbo latine
evoco derivat; unde in ſua generalitate
ſignificat multitudinem evocatam, ſeu con-
gregatam; ſub qua univerſalitate indifferen-
ter accipitur in bono, & malo ſenſu, juxta
illud Pſal. 149. *Laus ejus in Eccleſia Sancto-
rum*: & Pſal. 25. *Odivi Eccleſiam malignan-
tium*. In primo ſenſu ſignificat multitudi-
nem convocatam ad bonum finem, in ſecun-
do ad malum. Sub eadem univerſalitate æ-
E qualiter dicitur de Eccleſia, & Synagoga,
ſeu verius quoad ſubſtantiam una res ſunt,
& ideo ubi Num. 16. legimus: *Surrexerunt
contra Moyſen ducenti quinquaginta viri proce-
res Synagoga*; Num. 20. dicitur: *Cur eduxi-
ſti Eccleſiam Domini in ſolitudinem*? Quod &
in aliis ſcripturis reperimus. A Chriſti ta-
men nativitate non amplius Eccleſia Synago-
ga appellatur, eamque rationem aſſignat Aug.

In illud Pſal. 81. — Deus ſtetit in Synagoga „ Deorum. Ipſorum proprie Synagoga dici „ ſolet, quamvis, & Eccleſia dicta ſit, ſed „ noſtram Apoſtoli Synagogam nunquam di„ xerunt, ſed ſemper Eccleſiam, ſive diſcer„ nendi cauſa, ſive quod inter congregatio„ nem, unde Synagoga, & convocationem, „ unde Eccleſia nomen accepit, aliquid di„ ſtet, quod ſcilicet congregari & pecora „ ſolent, ac ipſa proprie, quorum & greges „ proprie dicimus, convocari eſt magis uten„ tium ratione, ſicut ſunt homines — Synagoga a congregari, quod eſt commune irrationabilibus, preſſius deducitur; unde cum animalia ratione non utentia virgâ congregentur, Populus Hebræorum, qui ducebatur magis timore, ſeu ſpiritu ſervitutis, nomine Synagogæ venit. Evocari verò proprium eſt ratione utentium, & quia ſoli illi habendi ſunt fideles, qui libere verbum fidei auditu percipiunt: & mente nutriunt; ideo horum collectio Eccleſia nominatur. Eſt ergo Eccleſia convocatio multorum ad unius Dei cultum: cumque colentes Deum alii ſint comprehenſores, viatores alii, hinc Eccleſia in ſua univerſalitate accipitur, prout comprehendit utrumque ſtatum; de qua Eccleſia habemus ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*; quæ in cœlo, & quæ in terra ſecundum Gloſſam. Sed quoniam in his Controverſiis non ſumus locuturi directè de ſtatu Comprehenſorum, hanc generalitatem nunc deſerimus; & eam accipimus prout eſt collectio fidelium viatorum: quoniam tamen in ſcripturis varia eſt acceptio, ideo breviter eſt innuenda, ut ſub qua conſideratione a nobis uſurpetur, in præſenti innoteſcat.

Primo. Igitur Eccleſia ſumitur pro univerſitate fidelium ubique exiſtentium juxta illud Pſal. 21. *Apud te laus mea in Eccleſia magna*. Eccleſia enim magna totus Orbis eſt: teſte Aug. ibidem. II. Sumitur pro univerſitate potiorum, & primariorum tum ordinis Eccleſiaſtici, tum laicalis, juxta illud primi Paralip. 29. *Locutuſque eſt David Rex ad omnem Eccleſiam*. Soli enim primates aderant. III. Dicitur Eccleſia univerſitas præſidentium ſolius ordinis Eccleſiaſtici, Matth. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit*, ſcilicet Sacerdotem, cui data eſt poteſtas ſolvendi, & ligandi. IV. Idem nomen accomodatur univerſitati ſubditorum, qui ſubſunt Prælatis, Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei*: Epiſcopos alloquitur, ſicut & Univerſitatem perſonarum Eccleſiaſticarum, prout diſtinguitur a Laicis: *diſt.* 63. *c.* 1. V. Nuncupatur Eccleſia Univerſitas habentium gratiam, & charitatem juxta illud Sapientiæ 3. *Filii ſapientiæ, Eccleſia juſtorum, & natio eorum obedientia, & dilectio*: & quia non omnes perſeverant, ſumitur pro univerſitate prædeſtinatorum, 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus*. VI. Eccleſia dicitur Univerſitas credentium unius Provinciæ: 2. ad Corinth. 1. *Paulus Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi*; ſcilicet omnibus Corinth. Provinciæ. Quo ſenſu diſtinguimus Eccleſiam Bononienſem, Mediolanenſem, Alexandrinam, Florentinam &c. Eodem vocatur nomine Uni-

Multiplex nominis Eccleſiæ intelligentia.

verſitas eligentium Clericorum alicujus par-
A ticularis Eccleſiæ, ſicut in Canonibus præcipitur, ut Eccleſia digniores conſecret: vel univerſitas Canonicorum ſolius matricis, vel alterius particularis Collegiatæ: quo ſenſu Clerici deſtinati ad inſerviendum in officiis Divinis, Collegiatis, Capitulo præſtantes juramentum, dicuntur præſtare Eccleſiæ, *Diſt.* 56. *c. Apoſtolica*. VII. Sumitur abſtractive pro auctoritate, ſeu poteſtate, qua utitur Eccleſia, Matth. 16. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum in Cælis &c. Cauſa* 24. *q.* 1. *c.* 6. VIII. Sumitur materialiter pro domo, ſeu ambitu, in quo fideles celebrant e-
B xercitia Religionis, 1. ad Corinth. 11. *Aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Denominatur autem Eccleſia locus iſte, quia in eo conveniunt Catholici ad audiendam Dei doctrinam, ad ſuſcipienda Sacramenta, ad offerenda Sacrificia, ad orationes fundendas, ad expianda peccata, & alia ſimilia pietatis opera exercenda.

In præſenti tractatu accipitur Eccleſia, prout dicit univerſitatem fidelium viatorum colentium Deum, & tendentium ad aſſecutionem ultimi finis. Quæ adhuc ſub triplici ſtatu conſiderari poteſt, legis naturæ, legis ſcriptæ, legis gratiæ; & quamvis aliqua ſint
C tangenda circa duos primos ſtatus; nihilominus principalius, & per ſe agitur de ſtatu, quem habuit poſt Chriſtum. De Eccleſia ſic ſumpta loquitur Apoſtolus ad Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam*.

Ex quo loco colligimus quatuor ejuſdem Eccleſiæ cauſas; efficientem, finalem, formalem, & materialem. Efficiens duplex eſt. Principalis, quæ Chriſtus eſt, auctor, & inſtitutor, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Inſtrumentalis,
D quæ ſunt Sacramenta virtute paſſionis Chriſti diſponentia ad formationem, horum autem janua eſt Baptiſmus, quem innuit Paulus illis, mundans eam lavacro aquæ. Finalis pariter duplex eſt, proxima, quæ eſt ſanctificatio conſequenda in hac vita media rectitudine morum juxta illud: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. Ultimata, quæ eſt Beatitudo æternæ felicitatis complendæ in altero Seculo per viſionem, & fruitionem Dei: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum*. Primam innuit Paulus, *ut illam ſanctificaret*. Secundam, *Ut exhiberet ſibi glorioſam*. Formalis eſt unitas corporis myſtici media fide
E ſub Chriſto, dicente Paulo ibidem: *Et erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Materialis ſunt ipſi fideles, qui conveniunt ad conſtituendum unum corpus, ad Eph. 5. *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & Salvator corporis ejus*. Porro Chriſtus caput eſt Eccleſiæ inviſibile, illam dirigens donis interioribus gratiarum, & viſibile in ſuo Vicario illam gubernans exteriori rituum miniſterio, ſicut bene advertit Cyrillus Catecheſ. 8. dicens — Notandum „ eſt; tunc primum dictum eſt in Scripturis „ convocari Eccleſiam, cum Dominus Aaron „ in

e, in Pontificatu conſtituit — Ut ſciamus non dari veram Eccleſiam, quin habeat unum Pontificem Summum, qui Chriſti vices gerens viſibiliter præſit.

Secundum varios reſpectus, & relationes ad has cauſas, diverſæ a catholicis formatæ ſunt definitiones. Alii ad Chriſtum attendentes deſcribunt Eccleſiam eſſe populum fidelem a Chriſto Legibus, Doctrinâ, & Sacramentis gubernatum. Alii reſpicientes ad ſummum Pontificem dicunt Eccleſiam populum fidelem ubique diffuſum ſub uno viſibili capite unitum. Alii ad perſonas mentem dirigentes, appellant populum credentium per terrarum orbem diffuſum. Alii A formam conſiderantes ponunt eſſe multitudinem in cultu veri Dei adunatam per fidem: quæ deſcriptiones veræ ſunt, utpote nullam falſitatem continentes; at imperfectæ, & inadequatæ cenſentur.

Hæretici vero varias pariter cuderunt definitiones per ordinem ad varias hujus vocis Eccleſiæ acceptiones in ſcriptura repertas, quibus ſub æquivocatione paralogizantes veritatem fidei deturparunt; tot enim invexerunt errores, quot deſcriptiones, quas non vacat prævio catalogo recenſere, cum debeant in Controverſiarum examine repeti.

DISPUTATIO PRIMA.

DE QUIDDITATE, ET ORIGINE ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

AN ſit Eccleſia, inquirere vanum eſt: ſcientibus enim ſacras litteras in aperto eſt, cum paſſim in eis mentio occurrat: quinimmo, & neſcientibus, ſi unum verum Deum agnoſcant, nec Atheiſmi errore detineantur; ſiquidem naturalis ratio dictat debitum cultum Deo fore exhibendum tanquam univerſali omnium principio: quod ab omnibus Nationibus, & pro omni ævo conſuevit fieri, a natura creditur inditum; nulla vero Natio fuit, nullumque ævum, quod diverſimode cultum aliquem Deo non obtulerit, aliquamque Religionem non exercuerit. Verum eſt, quod omnibus videtur verum ex Ariſtot. 10. Ethicorum: omnibus autem videtur verum, dari in mundo Religionem: erant gentes ſine pecuniis, ſine ſtudiis, ſine urbibus; nullæ autem ſine cultu Divino: populi vero convenientes ſub certo aliquo ritu pro Deo vero colendo, Eccleſia dicitur. Verum in tam lata nunc uſurpatione non loquimur; ſed preſſius de cultu ſupernaturali Deo exhibito a populis fide ſupernaturali ductis: inquirimuſque quid ſit, & quando inceperit hæc fidelium collectio, de cujus exiſtentia nulla eſt controverſia cum hoſtibus, quos aggredimur, Hæreticos videlicet; aliter diſponendos eſſet ordo dogmatum, ſi cum Atheis, vel Gentilibus diſputaremus. Quare ſub hac methodo diſtribuam examinanda.

In prima diſputatione agemus de quidditate Eccleſiæ Militantis, inveſtigando ejus conſtitutivum, ac membra, videlicet, quinam ſint, qui ad partes Eccleſiæ ſpectent, ſeu intra Eccleſiam exiſtant. In ſecunda expendemus proprietates, & dotes, quibus Eccleſia Militans exornatur, ut inde ejus dignitas, & pretium eluceſcat. In tertia percurremus ſigna, ſeu notas, quibus dignoſci poſſit, ubi, & apud quos ſit vera Eccleſia Chriſti. In quarta demonſtrabimus ſolam Eccleſiam Romanam eſſe veram, & legitimam Chriſti ſponſam; Adulterinam autem, quam apud ſe Heterodoxi fingunt. Duas præmitto Controverſias pro integritate materiæ, quæ ad dogma directe non ſpectant, ob quam B etiam cauſam in eis elucidandis non multum immoror. Sit ergo,

CONTROVERSIA PRIMA.

AN RATIO COMMUNIS ANGELIS, ET HOMINIBUS SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ MILITANTIS.

1 AD cauſam materialem Eccleſiæ pertinent perſonæ, quæ in unum colliguntur corpus, eumque colen- C tes Deum ſint diverſæ naturæ, Angelicæ, & humanæ; videndum eſt, an ad hoc corpus Eccleſiæ Militantis pertineant etiam Angelicæ ſubſtantiæ, non quatenus comprehenſores, ſed quatenus adminiſtratorii ſpiritus in ſalutem hominum miſſi; quod ſi verum ſit, ex parte cauſæ materialis ratio conſtitutiva non erit ratio determinata perſonæ humanæ, ſed utrique naturæ communis.

Dicendum naturam Angelicam non ſpe- D ctare ad corpus Eccleſiæ Militantis.

PROB. I. De ratione Eccleſiæ Militantis eſt, ut membra creſcant in augmentum media fide, & operibus charitatis, ad Epheſ. 4. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*: Sed Angeli non poſſunt creſcere media fide, & bonis operibus, cum non mereantur; ergo non E ſunt de Eccleſia Militante. Locus Pauli tria explicat neceſſario requiſita ad Eccleſiam Militantem: I. eſt connexio membrorum cum capite, a quo omnis influxus: *Caput Chriſtus, ex quo totum corpus*: II. connexio membrorum inter ſe mutua ſubminiſtratione, quam exercet, & ponit caput per fidem, & charitatem: III. augmentum ſpirituale membrorum, quod a capite derivat per virtutem actualem, qua movet unumquodque membrum *ſecundum menſuram uniuſcujuſque*: patet autem

Eccleſia Militans incrementum habet perfectionis.

nec fidem, nec augmenti capacitatem Angelis convenire.

A
2 PROB. II. Eccleſia Militans eſt, quam Chriſtus fundavit ſanguine ſuo in ordine ad finem Beatificum, ad Epheſ. 5. *Sicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe Salvator corporis ejus &c. ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*: ſed Chriſtus nec eſt Angelorum ſalvator Redemptivus, nec eos mundavit lavacro aquæ, Baptiſmo ſcilicet; ergo Angeli non pertinent ad Eccleſiam Militantem. Loqui hic de Eccleſia Militante evidens eſt: tum quia hæc ſola ſanctificetur Sacramentis: tum quia hæc eſt, quæ tendit ut fiat glorioſa ſine

Chriſtus non ſalvavit Angelos Baptiſmo.

B
macula, & ruga: tum quia aſſumitur exemplum Chriſti, & Eccleſiæ, ut ſicut Chriſtus quaſi viſus eſt relinquere Patris ſinum, ad hoc, ut conjungeretur Eccleſiæ, & pro qua ex dilectione ſanguinem ſudit; ita vir debet uxorem ſuam diligere, & derelinquere Patrem ſuum, & Matrem ſuam, ut ei adhæreat.

3 PROB. III. Eccleſia Militans ea eſt, quæ conſurgit ex capite ſanctificante, & membris ſanctificatis adducendis in gloriam per meritum Paſſionis, ad Heb. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat*;
C
S. Th. ibid. (ideſt adducendos præordinaverat) *auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens; nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te*: Sed in hoc corpore ſoli homines comprehenduntur; ergo Angeli non pertinent ad Eccleſiam Militantem. Min. prob. qui conveniunt in unum vocati fratres, ſunt ſoli homines viatores, nam iſtis ſolis annunciavit Chriſtus doctrinam Patris, Joan. 17. *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*: quos vocat fratres,
D
pueros etiam ſuos dicit: & iterum *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*; hi autem ſunt Apoſtoli, & homines, qui credituri erant, pro quibus orans ante paſſionem dixit: *Pater ſerva eos, quos dediſti mihi*. S. Thom. ibid. pueri dicuntur propter facultatem in dies creſcendi in bonum; ii fratres in hoc corpore conveniunt, quibus Chriſtus aſſimilari debuit per omnia, ut miſericors fieret, & propitiaret delicta populi tentatus ipſe & paſſus; hæc autem manifeſte de ſolis hominibus verificantur.

Chriſtus pro omnibus oravit.

E
4 PROB. IV. Militantis Eccleſiæ Chriſtus ita eſt caput, ut ſimul ſit ſponſus ſanguinis, & fidei, Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide*. Ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*: ſed Chriſtus non eſt ſponſus Angelorum, nedum, quia ſanguine deſponſati non ſunt, ſed etiam quia inter ſponſam, & ſponſum dari debet convenientia in natura ſpecifica: Geneſ. 2. *Nunc os ex oſſibus meis*; & ideo de Militante Eccleſia ad Eph. 5. dicitur: *Sed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus*; & ad Heb. 2. *Quia pueri communicaverunt carni, & ſanguini*. De hac

Chriſtus Eccleſiæ ſponſus.

A
Eccleſia loquitur Apocal. 21. *Vidi ſanctam Civitatem Hieruſalem novam deſcendentem de Cœlo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*. D. Th. ad 3. c. ad Epheſ. l. 1. -- Ædificium ad nos dimiſſum, & in-
„ ferius videndum, Eccleſia Militans eſt, quæ
„ de Cœlo deſcendit, quia fundamentum ſpi-
„ ritualis ædificii deſurſum eſt, unde omne
„ datum optimum: ex adverſo ædificium ma-
„ teriale fundamentum habet inferius in
„ terra.

5 DICES. Ad rationem membri non eſt neceſſaria convenientia in natura ſpecifica, ſed ſat eſt convenientia proportionis, ut
B
unum ab alio accipiat, & unum alii ſubſerviat, aliàs Deus non eſſet caput hominum, cum Deus, & Homo differant pluſquam genere: ſed inter Chriſtum, Angelos, & Homines datur convenientia proportionis; ergo ex vi hujus rationis non repugnat eſſe de Eccleſia. *Salmatic. tract. 21. diſp. 16. dub. 5. n. 74.*

II. Angeli inter ſe perfectam conſtituunt Rempublicam ſub Deo: ſed Angeli inter ſe differunt ſpecie; ergo differentia ſpecifica non impedit unitatem corporis myſtici. *Godoi t. 2. de Incarnat. tract. 6. diſp. 39. ſſ. 6.*

III. Ratio corporis myſtici deſumitur
C
per analogiam ad corpus naturale, ſed in corpore naturali membra inter ſe, & a ſuo capite differunt ſpecie partiali; ergo in myſtico poterunt differre totali.

IV. Licet natura Angelica, & Humana ſpecie differant in eſſe entis, tamen intellectus Angelicus, & Humanus in eſſe potentiæ conveniunt; ſed hoc ſufficit: eo vel maxime, quod in eſſe potentiæ obedientialis utraque natura eſt ejuſdem ſpeciei atomæ in ordine ad operationes ſupernaturales, & finem: ſufficit autem convenientia in formatorali corporis; in hac conveniunt Angeli, & homines; ſcilicet in gratia, & gloria,
D
quæ eſt ejuſdem ſpeciei atomæ.

V. Licet Chriſtus non conveniat cum Angelis ſecundum partem minus principalem; ideſt, ſecundum corpus, convenit tamen ſecundum partem principalem, ſcilicet intellectivam, ſeu animam.

RESP. Duplicis generis caput reperitur, homogeneum, & heterogeneum: cum capite homogeneo requiritur in membris convenientia univoca, cum heterogeneo analoga, porro Chriſtus Eccleſiæ Militantis eſt caput homogeneum, eo enim modo eſt caput, quo vir uxoris: & ideo per omnia aſſimilari debuit cum fratribus. Caput ergo
E
quod ſimul eſt ſponſus, exigit univocationem.

Caput aliud homogeneum, heterogeneū aliud.

Hinc ad I. Deus ad Angelos caput eſt heterogeneum, ac proinde ſufficit convenientia analoga: deinde Deus eminenter continet perfectiſſime ſubſtantiam Angelicam, & perfectiſſime in eam influit; Chriſtus vero, qua homo non continet eminenter ſubſtantiam Angelicam, nec influit perfectionem eſſentialem gratiæ ſubſtantialis.

Ad II. Angeli inter ſe differunt ſpecie materiali, ſeu quæ ſe habet de materiali ad eſſe operativum; conveniunt tamen in gradu for-

Angeli inter ſe differunt.

formali fundante eſſe operativum ſub eadem ratione, unde inferiores comprehendunt ſuperiores, quia ſunt in eodem gradu formali abſtracto a materia Phyſica: deinde, ut diximus: Deus eſt illorum caput heterogeneum. A

Ad III. Membra, & caput differunt ſpecie partiali materiali, & accidentali, non autem ſubſtantiali.

Ad IV. Illa identitas in eſſe potentiæ, quæ magis eſt ſpeculativa, quam vera, non ſufficit, quia eſt identitas pura in ſtatu præciſivo, non autem exercito; quia ſub diverſo modo cadit in operationem Angelica, ac exeat humana: hæc formaliter diſcurrens, & per converſionem ad phantaſmata, ſecus illa, quæ diverſitas modi, ſpecie diverſificat actionem: B convenientia porro in eſſe potentiæ obedientialis duplex eſt ad ſubſtantiam gratiæ, & gloriæ recipiendæ, & ad modum recipiendi: ſubſtantia gratiæ, & gloriæ Angelorum eadem eſt, ita & potentia obedientialis: modus recipiendi eſt diverſus, quia homo ex meritis Chriſti, Angelus non ex meritis Chriſti ipſam gratiam ſubſtantialem, & gloriam eſſentialem recipit. Ad rationem vero capitis præcipue attenditur vis influxiva: hanc habet Chriſtus in Eccleſiam Militantem, ſecus in Angelos.

Caput debet in membra influere.

Ad V. Anima Chriſti eſt ejuſdem ſpeciei cum anima aliorum hominum, differtque C eſſentialiter a natura Angelica: quare non ſufficit ad incorporationem ſub uno capite homogeneo, ac per conſequens non poſſunt Angeli pertinere ad Eccleſiam Militantem. Obiter nota, ut bene advertit D. Th. 3. *p.* *q.* 8. *art.* 4. *ad* 2. quod Chriſtus erat ſimul viator, & comprehenſor, qua comprehenſor, caput erat Triumphantis Eccleſiæ, qua viator Militantis; & quia deſiit eſſe viator, non gubernat Eccleſiam viſibiliter in ſua perſona, ſed per ſuum Vicarium. Sub alia conſideratione Angeli ad Eccleſiam ſpectant, prout videlicet præſcindit a ſtatu viatoris, D ſeu Militantis, & comprehenſoris, ſeu Triumphantis. Doctrinam iſtam habet S. Thom. *ad Eph.* 1. *lec.* 8., ubi docet Chriſtum eſſe caput Militantis conſtantis ex hominibus, & Triumphantis conſtantis ex hominibus, & Angelis: quoad Angelos ſecundum quaſdam communes rationes; quoad homines ſecundum ſpeciales.

Chriſti anima ejuſdem ſpeciei cum noſtra.

PROB. V. Corpus myſticum Eccleſiæ Militantis deſcribitur a D. Paulo ad Analogiam corporis naturalis: *ad Rom.* 12., *&* 1. *ad Corinth.* 12., in quo ſunt plura membra non eundem actum habentia: ſed ad hoc corpus ſic deſcriptum non pertinent Angeli; E ergo. Min. explic. I. Quia ibi mentio hominum fit cujuſlibet generis, nullo modo Angelorum. II. Quia ibi ponitur mutua indigentia ſublimioris ab inferiori membro; ſed Angeli non habent indigentiam mutuam cum hominibus. III. Ponitur, quod membra invicem ſint ſollicita; ſed homines nequeunt ſolliciti eſſe de Angelis. IV. Ponuntur gradus Hierarchici Eccleſiæ, ad quorum nullum ſpectant Angeli; & tamen ſi partes forent, ipſis competerent, cum eſſent nobiliora membra, nedum in eſſe naturæ, verum etiam in ordine gratiæ, ſiquidem ſecundum menſuram perfectioris ſubſtantiæ majora ſortiti ſunt gratuita dona; & aliàs caput perfectius influit in membra nobiliora: exercerent ergo munia Hierarchica. Nihilominus ait Bern. -- Nulli
„ Angelorum dictum eſt, quorum remiſeri-
„ tis peccata, remittuntur eis -- *Ser.* 2. *de Cœna*. Hinc Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Epiſt. ad Epheſ.* habet -- Unum omnibus poſuit caput,
„ quoad carnem attinet, nempe Chriſtum,
„ & Angelis, & hominibus: hoc & Angelis
„ aliud dedit principium, & hominibus: his
„ quidem, quod ſecundum carnem; illis vero
„ verbum Dei -- Et explicans ad Coloſ. 2. illud: *Dedit caput omnis poteſtatis*; intelligit de Divinitate. Ibidem Theodoretus -- Qui eſt no-
„ ſtrum quidem caput, quod attinet ad hu-
„ manitatem: Angelis autem, & Archange-
„ lis præeſt, ac imperat, quod attinet ad di-
„ vinitatem: hic enim poſuit caput pro eo,
„ quod eſt imperium, & Magiſtratus -- Et D. Aug. *in Enchirid. cap.* 56. dicit Chriſtum eſſe *Caput Eccleſiæ, quæ eſt in hominibus*. His ſaltem innuitur Angelos, non eſſe ſub Chriſto Capite quoad humanitatem ſumpto ſicut ſub ipſo ſunt homines Militantis Eccleſiæ; in alio enim ſenſu dici poteſt eorum caput; ſiquidem per quandam extenſionem ex carne Chriſti redundavit aliquid in Angelos: cui alludere videtur S. Doctor Th. *q.* 29. *de veritate art.* 4. *ad* 5. -- Humanitas Chriſti or-
„ dinatur quantum ad influentiam, quam
„ facit in homines tamquam ad finem inten-
„ tum; influxus autem in Angelos non eſt,
„ ut finis Incarnationis, ſed Incarnationem
„ conſequens.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

7 OBJIC. I. Conſervi alicujus familiæ pertinent ad idem corpus familiæ; ſed Angeli ſunt conſervi hominum militantium; ergo pertinent ad idem corpus Eccleſiæ Militantis. Min. habetur Apocal. 19. Angelus Joan. *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu*. Sed Joan. viator erat, ejuſque fratres videlicet in Chriſtum credentes; ergo &c.

RESP. concedo maj. Ad Œconomiam Domeſticam tres gradus ſpectant: maritus, & uxor: pater, & filius: dominus, & ſervus, ut legitur 1. *Politic.* Nego autem min. Ad cujus intelligentiam notandum eſt, duplici titulo fideles de Eccleſia eſſe ſervos, titulo Creationis, & univerſalis dominii, & titulo Redemptionis juxta illud: *Empti enim eſtis pretio magno*. 1. Corinth. 6. in alio enim ſenſu liberi ſunt a jugo legis Moſaicæ, & ſervitute peccati; immo filii ad Gal. 3. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Titulo Redemptionis ſervi ſunt directe, & per ſe ipſius Chriſti hominis, ut ſponſi ſanguinis Eccleſiæ: titulo vero Creationis Deum reſpiciunt: Angeli non ſunt conſervi fidelium titulo Redemptionis, quare non poſſunt pertinere ad familiam Eccleſiæ Militantis; ſunt tamen conſervi titulo Creationis, & ratione hujus Deum caput reſpiciunt, & non Chriſtum ut hominem, ac per conſequens non conſtituuntur membra corporis militantis. De hac ſervitute loquitur Apo-

Fideles duplici titulo Servi Chriſti.

calyp.,

calyp., in cujus ſignum, Angelus cauſalem ſubdit: *Deum adora*.

8 OBJIC. II. Qui vere deſerviunt alicui familiæ, ſunt de corpore illius; ſed Angeli deſerviunt familiæ militantium, ad Hebr. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* ergo pertinent ad Eccleſiam Militantem. Simili argumento, velut a ſigno utitur S. Th. 3. *par. q.* 8. *art.* 4. ad oſtendendum Chriſtum eſſe caput Angelorum: ſcilicet, quia legitur Matth. 4. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*: nec ſolum miniſtri, ſed & cuſtodes ſunt, Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te*. Videmus autem, quod filiorum cuſtodes ad familiam eandem ſpectant.

RESP. nego min. Nec urget Pauli textus; ſiquidem intendit ibi demonſtrare Verbum Divinum, ſeu Chriſtum ſuperiorem eſſe Angelis, probatque ex quo deſerviunt filio Dei exequentes mandata ejus, deferendo illuſtrationes viatoribus; unde principaliter Deo obſequuntur, licet in bonum hominum, nec inde licet arguere eſſe de familia militantium; ſicut non valet arguere famulos unius Principis eſſe de familia alterius, quia eis utitur ad exequendam rem aliquam huic familiæ utilem: nec ob aliam rationem dicuntur hominum cuſtodes, niſi quia Deus univerſalis inſtructor mediis Angelis ad homines ſuas tranſmittit motiones. Ut res clareſcat notes velim duplicis generis eſſe cuſtodes: alii aluntur bonis familiæ, & hi ad familiam eandem videntur pertinere: aluntur alii bonis alterius, & hi non ſunt de familia, in cujus bonum quandoque operantur. Angeli non aluntur de bonis Eccleſiæ Militantis, ut patet; adeoque illius membra non ſunt. D. Th. argumentum bonum eſt ad ejus intentum, ſcilicet, ratione univerſalis dominii, & ultimi finis Chriſtum caput eſſe Angelorum.

Angeli famulantur Deo.

9 OBJIC. III. Qui pertinent ad ovile, in quo ſunt oves ſalvandæ, ſunt de Eccleſia Militante; ſed Angeli pertinent ad ovile idem, in quo ſunt oves ſalvandæ; ergo ſunt de Eccleſia Militante. Min. declaratur: Matth. 18. *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonagintanovem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit?* Idem Lucæ 15. Nonaginta novem, Angeli ſunt: centeſima, genus humanum in hac via perditum propter peccatum. Igitur ad idem ſpectant Angeli, & homines viatores.

RESP. nego min. Cujus probatio oppoſitum evincit; nam quis eſt iſte, qui habet centum oves. Deus ne, an Homo Chriſtus? Utique Deus; ipſe enim, & qui carnem aſſumpſit; & carnem aſſumens deſeruit Angelos, redemit homines, & eorum ſpecialiſſimum factum eſt caput; Militantem refecit Eccleſiam, quam ſanguinis ſui theſauro dotavit, eoque alit. Si ergo relictis in montibus Angelis, ſemen Abrahæ apprehendens, Redemptorum conſtituit Eccleſiam; ad hanc non pertinent Angeli. Deinde argumentum aliunde deficit. Centeſima ovis humanum genus eſt, ſiquidem totum redemptum eſt; nec inde valet omnes homines eſſe de Eccleſia, ſunt enim plures extra eam.

Ovis deperdita humanum genus.

DICES. Licet Angelorum ſubſtantiam non aſſumpſerit Verbum, ſed humanam, nihilominus unam Eccleſiam, quæ ſponſa eſt, ex utraque natura fecit, dicente Bern. *Serm.* 26. *in Cant.* -- Ad ſponſam veniebat, & ab„ ſque ſponſa non veniebat. An duæ erant?
„ abſit una eſt enim columba mea. Sed ſicut
„ ex diverſis ovium gregibus unum facere
„ voluit, ut ſit unum ovile, & unus paſtor;
„ ita cum haberet ſponſam inhærentem ſibi
„ a principio multitudinem Angelorum, pla„ cuit ei, & de hominibus convocare Eccle„ ſiam, atque unire illi, quæ de Cœlo, ut ſit
„ ſponſa, & ſponſus unus --

RESP. Bern. loqui de ſponſa improprie; de ratione enim ſponſæ requiritur convenientia in natura ſpecifica, docente S. Th. 4. *ſent. diſt.* 49. *qu.* 4. *art.* 4. -- Eo quod non
„ ita proprie convenit Angelis ratio ſponſæ,
„ ſicut hominibus. Exigitur enim inter ſpon„ ſum, & ſponſam naturæ conformitas, ut
„ ſint ejuſdem ſpeciei -- Deinde Chriſtus Eccleſiæ ſponſus eſt ſanguinis; ſed per paſſionem Chriſtus non aliter unitus fuit Angelis, quam prius fuerit; non eſt ergo illorum ſponſus, nec ex illis, & hominibus fecit ſibi unam ſponſam. Poſſet etiam reſponderi Bern. loqui de Deo, non autem de Chriſto homine: Deus enim caput eſt indiviſibiliter Angelorum, & hominum. Item intelligi debet de unitate Eccleſiæ præſcindente a Militante, & Triumphante, cujus caput eſt Homo Deus.

Deus caput Angelorum, & hominum.

10 OBJIC. IV. Membra, quæ participant influxum ab eodem capite, conſtituunt idem corpus; ſed homines, & Angeli influxum participant ab eodem capite Chriſto: Coloſ. 2. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*. Loqui Paulum de Chriſto homine demonſtrant illa verba: *Inhabitat omnis plenitudo divinitatis*; quæ de Deo verificari non poſſunt, cum Deus per identitatem ſit plenitudo divinitatis, non autem per inhabitationem, & convenientiam. Sed Paulus de eo, qui habet plenitudinem Divinitatis inhabitantem dicit, & eſſe caput Principatus, & & ab eo homines repleri: Igitur Angeli, & homines participant influxum ab eodem.

Huic argumento quidam dicunt argumentum concludere Deum eſſe caput Angelorum, non vero Chriſtum hominem, cum locum Pauli explicent Sancti Patres de Deo, ſicut & alia ſimilia ad Epheſ. 1. Verum, cum Sancti Patres non excludant alium ſenſum, qui videtur litteræ connaturalior, remanet vis integra objectionis: Chryſoſt., Theophil., Theodoret.

RESP. alii, Chriſtum eſſe caput Angelorum ſecundum exteriorem gubernationem --
„ Si enim inferiora ordine quodam reguntur
„ a Deo per ſuperiora: oportet dicere, quod
„ omnia reguntur per animam Chriſti, quæ
„ eſt ſuper omnem Creaturam -- D. Th. 3. *part. quæſt.* 59. *art.* 6. *ad* 3. Sed exterior gubernatio non ſufficit ad veram rationem capitis. Chriſtus potiſſime eſt caput Eccleſiæ per influxum interiorem, quo carent Angeli,

quare

quare ratione adminiſtrationis exterioris (quæ convenit Chriſto potius exaltato, quam ut capiti) non pertinent ad Eccleſiam Angeli.

RESP. ceteri, Chriſtum in Angelos influere, ſed ſola dona accidentalia, puta aliquas illuminationes: inter ipſos Angelicos Spiritus, qui beatiores ſunt, illuminant conſtitutos in gradu inferiori. Porro anima Chriſti beatior eſt omnibus Angelis: D. Th. 3. *p. q.* 8. *art.* 4. Adeoque eos illuminat: unde Dionyſ. 7. de Divinis nominibus aſſerit quæſtionem illam Iſaiæ 63. propoſitam: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* ab Angelis fuiſſe: Cui reſpondit Chriſtus: *Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum*: meruit enim Chriſtus peccatorum converſionem, de qua gaudent Angeli, Lucæ 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. At influxus iſte accidentalis non ſufficit ad conſtituendum caput; etenim videmus principem unius Regni dare aliquas notitias aliis de alio Regno, & ſubditos ejus gaudere de bonis alterius, cui non ſubditur: aliàs forma conſtitutiva Eccleſiæ eſt fides, & gratia ſubſtantialis: membra verò unius corporis participare debent de forma conſtitutiva.

Dona quædam a Chriſto in Angelos.

At contra replicatur: tum quia Angeli viatores fidem de Chriſto habuerunt, & obedientiam præſtiterunt, ad Heb. 1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*. Influxit ergo Chriſtus in fidem, & obedientiam eorum: tum quia non eſt neceſſe, quod gratia eſſentialis ſit ex meritis Chriſti, ſed ſufficit quod ſit ejuſdem rationis, & ſpeciei ſubſtantialis, hinc Angeli, & homines conſtituunt unam Eccleſiam Triumphantem; quamvis gloria eſſentialis Angelorum ex Chriſti meritis non oriatur. Adde, quod Chriſtus in genere cauſæ finalis influxit in dona ſubſtantialia Angelorum.

11 Dicendum ergo eſt formam conſtitutivam Eccleſiæ Militantis eſſe fidem, & gratiam eſſentialem ex Chriſti meritis taliter adminiſtratam, ſcilicet per ſenſibilia velamenta, & corporea Sacramentorum vaſa; quo modo non communicatur Angelis, quibus viatoribus influxit fidem, & obedientiam objectìve, non meritorie. Conſtituunt porro cum hominibus unam Eccleſiam Triumphantem, quia iſti transferuntur ad illam, abjectis ſenſibilibus inſtrumentis, contemplantes revelata facie Deitatem.

12 OBJIC. V. Eccleſia Militans deſcribitur in ſacris litteris ſub Typo unius Civitatis; ſed ad hanc Civitatem pertinent Angeli, dicente Paulo ad Hebræos 12. *Acceſſiſtis ad Montem Sion, & ad Civitatem Dei viventis Hieruſalem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis*. Ubi Apoſtolus abſque dubio militantes alloquitur; quibus conſona ſcribit Aug. *Conc.* 3. *Pſ.* 36. -- Caput noſtrum Chriſtus eſt: corpus capitis illius nos ſumus: numquid ſoli nos? ... „ Omnes, qui ab initio ſeculi fuerunt juſti ... „ adjunctis etiam legionibus, & exercitibus „ Angelorum, ut fiat illa una Civitas ſub „ uno Rege, & una quædam Provincia ſub „ uno Imperatore -- Ubi pariter militantes homines comprehendit, ut patet ex modo loquendi.

RESP. nego min. Quam non evincit auctoritas inducta: ſiquidem Paulus ibi aperte loquitur de Eccleſia Triumphante comparative; hæc enim ſola in Cœlis deſcripta eſt: vultque docere fideles eſſe præordinatos finaliter ad ſocietatem Angelorum in æterna Dei fruitione: In hunc ſenſum pariter loquitur S. Aug. nam contextus probat de ſolis juſtis agere, ſicut docet exemplum inductum, omnes, qui ab initio ſeculi fuerunt juſti: ſolos autem juſtos non reponit in Eccleſia Militante Aug. infra adducendus: & illa phraſis: *Ut illa una Civitas fiat &c.* indicat ſermonem eſſe de ſuperna, (de præſenti enim ſi loqueretur, ut hæc, vel abſolute, ut una Civitas fiat,) diceret. Concludimus ergo Angelos Chriſto ſubeſſe tanquam capiti, nedum per exteriorem adminiſtrationem, ſed & influxum aliquem accidentalem. Concedimus quidem eſſe de corpore Eccleſiæ in ſua univerſalitate, præſcindente a Militante, & Triumphante: negamus autem in proprietate ad Militantem ſpectare. In proprietate diximus; largo enim modo, & reductive concedi poſſunt, quatenus in bonum militantium Deo obediunt; ſubſerviuntque deferendo dona hominibus, & Deo offerendo hominum vota. Quo ſenſu dictum eſt *Tom. II. de Chriſto Controv. IV. n.* 291. Chriſtum eſſe Angelorum caput.

Quo ſenſu Chriſtus Angelorum caput.

CONTROVERSIA II.

AN CONSTITUTIVUM ECCLESIÆ MILITANTIS SIT RATIO COMMUNIS VIVIS, ET DEFUNCTIS.

NOmine Defunctorum non intelligimus hic fruentes viſione Dei; hi enim ſunt de Eccleſia Triumphante, prout diſtinguitur ab Eccleſia Militante: ſicut duplex domus, loco, & forma ad invicem diſſita non copulatur, licet ſub generali ratione ad eundem Principem ſpectet; ita Jeruſalem cœleſtis, & terreſtris, quæ loco diſtant, & forma; ſiquidem in illa Deus inhabitat per fruitionem, in hac per fidem, quamvis utraque Dei ſit domus. Pariter nomine defunctorum non veniunt damnati: hi enim nedum mortua, ſed reciſa ſunt membra nullius capacia influxus ex Chriſto capite, nulliuſque communionis cum ejus corpore. Quare punctum difficultatis devolvitur ad animas in Purgatorio degentes: & inquirimus, an conſtitutivum Militantis Eccleſiæ ſit dos aliqua ipſis, & hominibus in corpore peregrinantibus communis.

Dicendum: conſtitutivum Eccleſiæ non eſſe rationem Vivis, & Defunctis communem.

12 PROB. I. De intrinſeco, & eſſentiali conceptu Militantis Eccleſiæ eſt pugna cum hoſtibus noſtræ ſalutis; ſed degentes in Purgatorio non ſunt in ſtatu pugnæ; ergo non adnumerantur inter membra militantia. Maj. patet ex ipſa ethymologia nominis, juxta

Qui ſunt de Eccleſia Militante, ſunt in ſtatu pugnæ.

illud

illud Job. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. 1. Corinth. 9. *Neſcitis quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus accipit bravium &c. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Acta 4. *Facta eſt in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis, & omnes diſperſi ſunt &c.*, ad Galat. 4. *Hæc enim ſunt duo teſtamenta; Unum quidem in monte Sina, quæ eſt Agar, Sina autem mons eſt in Arabia, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis*. De hac loquitur Petrus Damianus, cum dixit *ſermon. de Eccl.* -- His geminis brachiis Eccleſia pugnat, „ ſapientia ſcilicet, & patientia: altero proſternens dæmones, altero vincens homi„nes -- Min. eſt evidens; Purgantes enim nec carnis illecebris, nec mundi deliciis impugnantur, cum ſint extra corpus, nec Satanæ inſidiis vexantur.

Defuncti extra ſtatum meriti.

13 PROB. II. Indiſpenſabilis eſt ab Eccleſia Militante conditio merendi; ſed Defuncti ſunt extra ſtatum cujuslibet meriti; ergo extra Militantem Chorum. Maj. ſæpe in Evangelio traditur; ideo ſimile eſt Regnum Cælorum homini Regi in longinquum profecturo, qui ſervis ſuis talenta diſtribuit ad negotiandum; patrifamilias, qui miſit operarios in vineam ſuam ſub condicto denarii diurni; homini ſeminanti in agro ſemen ſuum, quod aliud attulit fructum trigeſimum, aliud ſexageſimum. Min. in aperto eſt. Etenim ſcriptum legimus Eccleſiaſtici 14. *Ante obitum tuum operare juſtitiam, quia non eſt apud inferos invenire cibum*; ſcilicet meritum, & progreſſum: & Chriſtus dicebat Joan 9. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari*. Pro nocte mortem intelligunt Patres, qua adveniente ceſſat omnis locus meritorie agendi.

Viatores diriguntur conſiliis, legibus &c.

14 PROB. III. Haud fieri poteſt, ut Militans Eccleſia non dirigatur conſiliis, monitionibus, legibus, flagellis, & exemplis: hinc poſtquam Paulus plurima tradidit Timotheo monita, ad cœtum fidelium militantium alludens ait: 1. ad Tim. 3. verſ. 15. *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*: Sed defuncti dirigi non poſſunt præceptis, exhortationibus &c. non enim conveniri poſſunt; cum nec nobiſcum converſentur ſenſibiliter, nec ſubſint Prælatorum juriſdictioni; ergo non ſunt adſcribendi inter Eccleſiæ Militantis partes.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

15 OBJIC. I. Qui peregrinantur a Domino ambulantes in fide operante per dilectionem, pertinent ſine dubio ad Militantem Eccleſiam; ſicut conſtat ad Galat. 5., ſed animæ purgantium ſunt hujuſmodi: Carent enim lumine gloriæ, & habent charitatem; ergo pertinent ad Militantem Eccleſiam.

RESP. majorem veram eſſe in ſenſu Apoſtoli loco cit. ibi enim loquitur de fide operante per dilectionem; tum in ordine ad juſtificationem, tum in ordine ad glorificationem, quatenus credentes per fidem, & charitatem poſſunt pervenire ad remiſſionem peccatorum, & mereri vitam æternam. Litteraliter duo ibi Doctor gentium ſtatuit; primum in Chriſto Jeſu, ideſt in Eccleſia Chriſti non valere, nec circumciſionem, nec præputium: ſecundum commendat fidem, quæ exerceat officia pietatis erga proximos: *Per charitatem ſervite invicem*: Reprehenditque mutuas querelas: *Quod ſi invicem mordetis, & comeditis: Videte ne ab invicem conſummamini*; proſequiturque demonſtrando bellum carnis contra ſpiritum: nullum autem horum convenit purgantibus; juſti ſunt, nec proficiunt merito, nec mordent invicem, nec bellum carnis patiuntur, ergo &c.

Defuncti in charitate non proficiunt.

16 OBJIC. II. Eccleſia, de qua Matth. 18. Militans evidenter eſt, in ea enim ſcandala ſunt, fratres corrigendi fraternaliter, contumaces deferendi ad Prælatos ab eis puniendi: *Dic Eccleſiæ ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Sed ad hanc Eccleſiam pertinent animæ Purgatorii: nam ſubduntur poteſtati, & juriſdictioni Prælatorum ejus, quibus dictum eſt: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis &c.* In vi enim hujus poteſtatis ſolvuntur a pœnis media Indulgentiarum applicatione ex opere operato, & infallibiliter, abſolvuntur ab excommunicatione; ergo vere pertinent ad Militantem. Theſaurus, qui diſpenſatur per Indulgentias, proprius eſt Eccleſiæ, adeoque ſolis de Eccleſia diſtribuendus.

RESP. neg. min. Animæ purgantium in die obitus a Deo judicatæ non ſubſunt judicio Eccleſiæ. 24. *quæſt.* 2. *Can. de communione* -- Horum (*defunctorum*) cauſa Dei ju„dicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit „ &c. -- *& Can. quiſquam* -- Ceterum jam „ de eo, qui in Divino eſt judicio conſtitu„tus, nobis fas non eſt aliud decernere præ„ter id, in quo eum dies ſupremus invenit -- Idem can. legatur. Porro Indulgentiæ non proſunt Defunctis per modum abſolutionis, & juridicæ ſententiæ; ſed per modum ſimplicis ſolutionis, quatenus de bonis Eccleſiæ diſpenſator Indulgentiarum offert Deo pretium æquivalens debito perſolvendo a defunctis; ea proportionali ratione, qua Gubernator Civitatis poteſt de theſauro Civitatis offerre pretium pro liberatione alicujus captivi. Multo minus excommunicationi ſubdi poſſunt, vel ab ea ſolvi Defuncti; ſed ſolum Eccleſia declarat, vel eos in excommunicatione deceſſiſſe, vel ab excommunicatione ſolutos.

Indulgentia quomodo proſit Defunctis.

DICES. Utilitas ſuffragiorum oritur ab unione, quam habent Defuncti cum Viventibus per charitatem; ſed charitas eſt conſummata perfectio fidei, quæ eſt forma Eccleſiæ; ergo Defuncti purgantes ſunt de Eccleſia.

RESP. Defunctis ſuffragia proſunt propter unionem charitatis; ſicut ob vinculum amicitiæ Civis Mediolanenſis v. g. ſuccurrit Civi Lugdunenſi indigo, qui non eſt de Re-

Pu-

publica Mediolanenſi. Charitas, quæ eſt perfectio formæ Militantis Eccleſiæ, eſt charitas pugnans, & vincens, & proficiens. Charitas Defunctorum ſtatum habet; ſive ad ſiniſtram, ſive ad dexteram cadat lignum, ibi ſtabit.

17 OBJIC. III. Per hoc, quod filiusfamilias includatur in carcere, quia ære alieno gravatus, non extrahitur a corpore illius familiæ; ſed fidelis purgans eſt incluſus in carcere ob debita contracta in familia militante, Matth, 5. v. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris: amen dico tibi non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*. Quo loco purgatorium demonſtratur. In via eſſe purgantes nemo negabit, non enim Deum comprehendunt; ergo &c.

RESP. Purgantes ſunt quidem in carcere, non tamen proprio Militantis Eccleſiæ, nec detinentur per ſententiam Judicis ipſius, intellige reduplicative, cum ſub diverſis reſpectibus Chriſtus reſpiciat tres ſtatus animarum juſtarum; unde non urget exemplum, ſed aliud foret inſtituendum, puta: ſi unus de Civitate Romana transferre vellet Domicilium ſuum Conſtantinopolim; & medio itinere v. g. Adrianopoli traderetur in carcerem ob crimen aliquod notum Principi illius Civitatis: iſte non eſſet Civis Romanæ Reipublicæ, neque Conſtantinopolitanæ: ita anima purgans, non eſt de cœtu Militantium, a quibus exivit per mortem; neque Comprehenſorum, quia ad Beatitudinem non pervenit, ſed medium ſtatum habet ſecundum quid viæ, non autem ſimpliciter.

Purgantium ſtatus medius,

18 OBJIC. IV. Eadem eſt Eccleſia, quæ nunc, & quæ ab initio mundi; ſola differentia accidentali ſtatus præſentis, & præteriti ſtatus; ſed hæc eadem differentia eſt inter nos, & Defunctos; quatenus nos ſumus velut parvuli fluctuantes, ipſi vero perfecti, quia in charitate, & fide ſolidati. Non erat enim diverſus a ſeipſo Paulus licet diceret: 1. Corint. 13. *Cum eſſem parvulus, ſapiebam ut parvulus &c. quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli*; ergo.

RESP. concedo maj. Quia ibi nullum eſt diſcrimen in conſtitutivo formali, quod eſt fides Chriſti proficiens; ſed eſt variatio in aliqua ratione accidentali, quatenus in veteri lege Chriſtus credebatur futurus, & quæ in ea erant, figuræ, & umbræ erant futurorum. Min. falſa eſt, quia ſtat ſola identitas in materiali, variatione poſita in conſtitutivo formali; conſtitutivum enim formale Militantium eſt fides ut proficiens, & vincens; qua carent Defuncti, licet habeant fidem quoad ſubſtantiam. Eſſe meritorium, & pugnans accidentale eſt fidei ſecundum ſe, ſed eſt eſſentiale fidei conſtituenti Eccleſiæ formam.

Fides ut proficiens Militantem conſtituit Eccleſiam,

19 OBJIC. V. Proportionalis ratio currit de animabus purgatorii, ac de S. Elia, & Henoch; ſed iſti Prophetæ ad Eccleſiam Militantem ſpectant; nam viatores ſunt, & in ſtatu ſalutis. (Nemo autem eſt in ſtatu ſalutis, niſi ſit de aliqua Eccleſia) non enim ad Triumphantem, non ad purgantem pertinent, & alia non eſt præter Militantem;
A niſi velimus dicere rem inauditam, ipſos ſolos unam ſpecialem Eccleſiam conſtituere. Maj. declaratur: Defuncti non merentur, neque iſti, quia translati; illi ad terminum non pervenerunt, nec iſti; ſolum differunt in aliquo materiali, quatenus illi ſunt extra corpus, & patiuntur; iſti vero ſunt in corpore, & carent pœnis.

RESP. primo Procopius Gazeus *in Gen. Eugubinus in recognitionibus ad cap. 2. Gen.* Catherinus *Opuſc. de conſummata gloria* neg. maj. quia putant hos Prophetas frui Deo in Cœlis: ſed hoc videtur contra ſenſum com-
B munem, qui aſtruit adhuc mortem non guſtaſſe. Reſpondent Vaſquez, Suarez, Martinez, & alii, Prophetas hos extra ſtatum merendi; tum quia translatio æquivalet morti; tum quia non ſentiunt carnis rebellionem, ac proinde nec operis difficultatem, ex qua meritum; tum quia longitudine temporis ita creſcerent in merito, ut excederent ſanctitatem B. Jo. Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum, & Dei Parentis, quod eſt abſurdum: quare iſti negant min.

RESP. Patres noſtri Salm. de Merito, illos pertinere ad Eccleſiam Militantem, quia nondum mortem guſtarunt, & præliaturi ſunt
C contra Antichriſtum, propter quod ſunt in ſtatu militiæ; aſſeruntque mereri, cum habeant omnes conditiones gratia ornati ſunt, opera bona moraliter exercent: ſunt viatores, & æquum eſt, ut compenſetur, quod patiuntur ex dilatione Beatitudinis, augmento meritorum. Nec adverſa urgent momenta; non primum, quia revera ſunt in corpore, & vivunt; ergo translatio non æquivalet morti; non ſecundum, quia defectu rebellionis gaudent forte ſtatus innocentiæ, in quo fuiſſet meritum; non tertium, quia quantitas meriti non penſatur penes temporis diuturnitatem, ſed penes fervorem, & intenſionem gratiæ,
D & operationis. Major vero fuit fervor pro modico tempore in præcitatis Sanctis, quam in his Prophetis longa ævi intercapedine. Videtur tamen difficile, quod ſint de Eccleſia Militante, cum non vivant cum aliis ſecundum locum, leges, Sacramenta &c. ſpecialis eſt ergo de illis providentia, quæ non facit regulam pro aliis, & pro purgantibus, qui jam judicati ſunt.

Elias, & Henoch non ſint de Eccleſia Militante.

CONTROVERSIA III.

E
AN ELECTIO SIT CONSTITUTIVA ECCLESIÆ FORMA.

PLurimi ex Hæreticis contendunt formam conſtitutivam Eccleſiæ eſſe electionem Divinam, qua certo ad ſalutem præordinantur homines; adeoque ſolos prædeſtinatos membra Eccleſiæ aſſerunt. Sic Wicleffus *lib. 2. de dotatione Eccleſiæ* — Et iterum credere debemus, „ quod quodlibet membrum iſtius Eccleſiæ „ ſit prædeſtinatum ad gloriam — Apud Wald, *tom. 1. lib. 2. art. 3.*, ex quo arguebat

non poſſe nos credere Papam eſſe membrum Eccleſiæ, niſi credamus eſſe prædeſtinatum: A & prius probandum eſſe prædeſtinatum, quam habere clavium poteſtatem. Sic Joan. Hus *art.* 5. -- Præſcitus, & ſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam; tamen nunquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis -- Et *art.* 1. -- Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas -- Unde inferebant nec Judam unquam fuiſſe de Eccleſia, nec Paulum extra.

Sic Lutherus *lib. de ſervo arbitrio* -- Canone fidei non eſſe nobis cognitam Eccleſiam; ideoque nullum poſſe Sanctum, & B membrum Eccleſiæ recte dici, Divino judicio declaratum -- Sic Muſculus in locis communibus -- Loquimur de Eccleſia Dei, quæ non vocatur per Verbum, & gratiam, ſed etiam ab æterno electa, prædeſtinata, & ſanctificata fuit -- Sic Bucerus *lib.* 1. *de Regno Chriſti* deſcribit Eccleſiam -- Procurationem ſalutis electorum Dei -- Eadem veſtigia premunt Melancton, Heſtuſius *lib. de erroribus Pontificiorum loco* 12., & alii Lutherani. Sic Calvinus *lib.* 4. *Inſt. c.* 1. habet -- illam Eccleſiam, quam in Symbolo jubemur credere, ſoli Deo cognitam eſſe; & C fundamentum ejus eſſe arcanam Dei electionem, nec alios in illam Eccleſiam recipi, niſi qui, & adoptionis gratia filii Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione vera Chriſti membra.

Verum, ut ſcripturas eluderent Hæretici, duplicem diſtinguunt Eccleſiam, ſymbolicam, & externam; ſymbolica eſt cœtus prædeſtinatorum, vera Chriſti Eccleſia, cui factæ ſunt promiſſiones. Externa eſt cœtus omnium indifferenter, qui unam Religionem profitentur ſuſceptione Baptiſmatis.

Dicendum tamen prædeſtinationem non eſſe formam conſtitutivam Eccleſiæ. D

20 PROB. I. Multitudo, in qua ſunt aliqui ad gloriam traducendi, alii ad Gehennam, non conſtat ex ſolis prædeſtinatis; ſed Eccleſia Militans eſt multitudo hujuſmodi; ergo non conſtat ex ſolis prædeſtinatis. Min. oſtenditur Eccleſia Matth. 3. comparatur areæ: *Permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili*: ſed triticum ſervandum ſunt prædeſtinati, & ſalvandi; paleæ comburendæ ſunt reprobi damnandi; ergo &c.

In Eccleſia boni, & mali.

Matth. 13. v. 47. *Simile eſt Regnum Cælorum Sagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa; malos autem foras miſerunt*: ſed piſces boni ſunt electi; mali ſunt E reprobi; ipſo Chriſto explicante: *Sic erit in conſummatione ſeculi: exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Separabit de medio; mixti ergo ſunt.

Matth. 25. Aſſimilatur Regnum Cælorum decem Virginibus, quarum quinque prudentes introducuntur ad ſponſum, quinque fatuæ rejiciuntur; in prudentibus admiſſis intelliguntur prædeſtinati, in fatuis abjectis reprobi; ergo in Eccleſia Chriſti mixti ſunt electi cum reprobis.

21 PROB. II. Illi pertinent ad corpus Eccleſiæ, qui ſunt membra illius; ſed plures reprobi ſunt membra Eccleſiæ; ergo pertinent ad eam; ergo non ſolis conſtat prædeſtinatis. Min. explicatur, Matth. 22. habetur: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*.

Plures reprobi ſunt Eccleſiæ membra.

Ex quo ſic: in Vocatis intelliguntur illi, qui ſunt de Eccleſia; tum quia hæc dicitur cœtus evocatorum: tum quia filii Eccleſiæ in ſcriptis Apoſtolorum dicuntur Vocati. Ad Rom. 1. *In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti*. Ad Coloſs. 3. *In qua & vos vocati eſtis in uno corpore*. 1. Theſſal. 2. *Qui vocavit vos in ſuum Regnum*. Et ſæpe etiam Eccleſia dicitur ſtatus vocationis: 1. Corinth. 1. v. 7. *In qua vocatione vocatus eſt*, Eph. 1. v. 18. *Quæ ſit ſpes vocationis veſtræ*. Tum quia Vocati ſunt, qui intraverunt ad nuptias; & recubuerunt; ſed non omnes Vocati ſunt electi ex teſtimonio Chriſti; ergo non omnes de Eccleſia ſunt electi. Porro nomine electorum veniunt prædeſtinati; hi enim ſunt, qui non ejiciuntur, ſed perſeverant in convivio, de quibus Apocalyp. 21. *Qui ſunt ſcripti in libro vitæ Agni*. Nec pro nuptiis hic intelligi poſſunt dona Beatitudinis, quia a Regno ultimæ felicitatis nullus ejicitur, nec coinquinatum aliquod intrat. Nec pro convivio mundus intelligitur; ſiquidem illi, qui fuerant vocati, & non venerunt, in mundo, & de mundo erant.

Idem evincitur ex 2. ad Tim. 2. v. 20. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; quædam autem in honorem, quædam vero in contumeliam*. Magna domus eſt Eccleſia Militans: vaſa argentea, & aurea ſervata in honorem ſunt prædeſtinati: fictilia in contumeliam, ſunt reprobi: ex quo colligimus domum hanc non eſſe glorioſam Eccleſiam, in qua nil contumelioſum.

22 PROB. III. Prædeſtinati ſemper fuerunt prædeſtinati, nec poſſunt tranſire ad non eſſe prædeſtinatos; ſed multi fiunt de Eccleſia, qui non erant, & alii deſinunt eſſe de Eccleſia, qui erant; ergo Eccleſia non conſtat ſolis prædeſtinatis; ergo prædeſtinatio non eſt conſtitutivum Eccleſiæ. Minor oſtenditur, quoad primam partem. Matt. 8. v. 11. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum*. Hi prædeſtinati ſunt, utpote futuri cum Abraham; ſed hi nondum ſunt filii Eccleſiæ, ſed fient, cum venient; ergo. Hinc præclare Joan. 10. v. 16. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor*. Oves aliæ ſunt prædeſtinati, cum ſint apud Deum, & ſarentur adverſarii; ſed illæ non ſunt de ovili Eccleſiæ, cum ſint adducendæ; ergo aliqui ſunt prædeſtinati, & non ſunt intra Eccleſiam.

Act. 9. v. 15. de Paulo dicitur: *Vas electionis eſt mihi*. Quibus deſignatur prædeſtinatio Pauli; ſed pro tunc nondum erat de Ec-

Eccleſia; nam eam perſequebatur, & deva-
ſtare conabatur. Unde dixit illi Dominus in
perſona Eccleſiæ: *Quid me perſequeris?* Quæ
locutio eſt contrapoſitiva, diſtinguens perſe-
cutorem a membris Eccleſiæ.

Act. 10. ad Petrum: *Occide, & man-
duca*. Quibus declaravit Dominus, ut Cen-
turionem, & ceteros Gentiles in Eccleſiam
ſuſciperet: ſed Centurio erat prædeſtinatus;
ergo. Act. 6. v. 1. *Creſcente numero Diſcipu-
lorum*. Et 1. Petri 2. v. 10. *Qui de tenebris
vos vocavit in admirabile lumen ſuum, qui
aliquando non populus Dei, nunc populus Dei*.
His habemus plures de Eccleſia per conver-
ſionem fieri, qui non erant; ſed inter illos
aliqui erant prædeſtinati; ergo prædeſtinatio
non ponit intra Eccleſiam.

Oſtenditur min. quoad ſecundam par-
tem. Matth. 8. v. 12. *Filii autem Regni eji-
cientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus,
& ſtridor dentium*; Sed ejiciendi in æter-
nam damnationem ſunt reprobi, qui ta-
men ſunt filii Regni, licet ejiciendi; ergo
ſunt intra Eccleſiam. Joan. 6. v. 67. *Multi
Diſcipulorum ejus abierunt retro*; unde ad
ceteros converſus dixit Dominus: *Num-
quid, & vos vultis abire?* Ibidem v. 70.
*Nonne ego vos duodecim elegi; & ex vobis
unus Diabolus eſt?* Ubi Judas enumeratur in-
ter Eccleſiæ filios, & tamen erat damnan-
dus. Vere fuiſſe membrum Eccleſiæ Judam
conſtat Act. 1. v. 17. *Qui connumeratus erat
in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus*,
Probatque Petrus Pſal. teſtimonio, & Joan.
13. *Unus ex vobis tradet me*. Et Matth. 9.
cum ceteris vocatur filius ſponſi. *Numquid
poſſunt filii ſponſi lugere, quandiu cum illis
eſt ſponſus?*

*Quidam de-
ſinunt eſſe de
Eccleſia.*

Act. 8. v. 13. de Simone Mago habetur:
*Tunc Simon, & ipſe credidit, & cum bapti-
zatus eſſet, adhærebat Philippo*; erat ergo de
Eccleſia: & tamen prævaricatus eſt, & ad
Inferos deſcendit. 2. ad Timot. 2. v. 18. *Ex
quibus* (ideſt de iis, qui ſunt in Eccleſia,
profana docentes) *ſunt Hymenæus, & Phile-
tus, qui a veritate exciderunt, dicentes reſur-
rectionem jam factam*. 1. ad Timot. 1. v. 19.
*Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam
quidam repellentes, circa fidem naufragave-
runt, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander*;
ergo plures de Eccleſia deſierunt eſſe.

23 PROB. IV. Ut aliquis ſit mem-
brum Eccleſiæ, neceſſe eſt; quod actualem
recipiat influxum a Chriſto capite: corpus
enim Chriſti myſticum deſcribitur ad Rom.
12., & 1. Corinth. 12. ad ſimilitudinem
naturalis. Porro in corpore naturali non da-
tur membrum, ſi non participet influxum,
& motum a capite: ideo Coloſſ. 2. 19. di-
citur: *Non tenens caput, ex quo totum cor-
pus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtra-
tum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei*:
prædeſtinatio præciſe nullum influxum ponit
in prædeſtinatis; hinc diu plurimi ex præ-
deſtinatis vixerunt in gentibus, abſque ulla
fidei cognitione, & participio donorum gra-
tiæ.

*Caput influit
in membra.*

24 PROB. V. Ex Patribus. Auguſt.
contra Creſconium *lib. 2. c. 21.* — Si mem-
„ bra damnata confitentur; ſi convertuntur,
„ tunc intrant, tunc mundantur, tunc in
A „ membris unicæ columbæ numerantur —
Idem *lib. 6. cap. 29. de Baptiſmo contra Dona-
tiſtas*: & *tract. in Joan.* 41. ad illud: *Ser-
vus non manet in domo in æternum* — Ec-
„ cleſia eſt Domus, ſervus peccator eſt; non
„ enim dixit, ſervus non erat in domo, ſed
„ non manet in domo — Peccator autem,
qui non manet in domo Dei, reprobus eſt;
Pſal. 40. in illud: *Egrediebatur foras* — Si ad
„ membra Chriſti pertines? Veni intro eas
„ ad caput; tolera zizania, ſi triticum es;
„ tolera paleas, ſi frumentum es — Hierony-
mus *in comment. ad Epheſ.* 5. — Non audeo
„ ergo eos, etiam peccatores, & gehennæ
B „ reos, negare membra magni corporis Chri-
„ ſti, & grandis Eccleſiæ, ſpecioſæ, & fu-
„ ſcæ, quos Apoſtolus dicit in uno ſpiritu
„ baptizatos — Beda *in Cantica lib.* 4. ad il-
lud: *Tota pulchra es* — Non eximioribus tan-
„ tum membris electorum &c., verum etiam
„ in illis, qui puſilli videntur, ac fragiles —
Omitto ceteros Patres, qui communi con-
ſenſu ad hunc finem utuntur exemplis: Areæ
mixtæ paleâ, & tritico: domus continentis
vaſa aurea, & fragilia: Agri, in quo ziza-
nia, & frumentum: & communiter, ut infra
videbimus, dicunt in Eccleſiam intrari per
Baptiſmum.

C Nec valet dicere argumentum deſum-
ptum ex his parabolis eſſe ſymbolicum, adeo-
que non probare: quia argumentum, quo uti-
tur conſenſus Patrum, maximæ eſt efficaciæ.
Sed quidquid ſit de Patribus; blaſphemum
eſt, aſſerere non probare argumentum, quod
Canonici adoptant Scriptores; ſymbolico au-
tem ſæpe utuntur ſcripturæ: quinimmo non
raro ipſemet Chriſtus.

Nec urget II. reprobos eſſe de Eccleſia
preciſe ſecundum imputationem, non autem
ſecundum veritatem. Nam Scripturæ ſacræ
eodem loquuntur modo de bonis, ac malis;
æque dicitur in magna domo eſſe vaſa ficti-
D lia, ac dicatur eſſe vaſa aurea; & Sancti Pa-
tres aſſerunt aperte non tantum membris ele-
ctorum, verum etiam impiorum conſtare
Eccleſiam. De omnibus Corinthiis Paulus ait
Epiſt. 1. cap. 12. *In uno ſpiritu omnes nos in
unum corpus baptizati ſumus*. Et ad Galatas 3.
*Omnes enim filii Dei eſtis per fidem in Chriſto
Jeſu: quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis,
Chriſtum induiſtis*: tamen non omnes Corin-
thii, non omnes Galatæ erant prædeſtinati.

Nec valet iterum aſſerere: prædeſtinatos
ad inviſibilem, reprobos ad viſibilem ſpectare
Eccleſiam: quia ut ſuo loco videbitur, una
eſt Eccleſia Militans, quam aſtruunt ſcri-
E pturæ, unam docent Patres.

Ceterum vel Eccleſia inviſibilis præde-
ſtinatorum debet eſſe particeps Sacramento-
rum, prædicationis verbi Dei, vel non? Si
affirmetur; ergo ſenſibilis Sacramenti ſum-
ptione, externa verbi Dei communicatione,
externæ quis incorporatur Eccleſiæ, quæ illa
eſt, quæ ſignis viſibilibus dirigitur. Si negetur;
ergo in Eccleſia prædeſtinatorum nullus ſal-
vatur; quia dicitur Joan. 3. *Niſi quis renatus
fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt
introire in Regnum Dei*. Secundo. Calviniſtæ
ſuam Eccleſiam docent veram Chriſti ſpon-

*Viſibilibus
ſignis dirigi-
tur Eccleſia.*

 ſam,

ſam, adeoque prædeſtinatorum; ſed hanc ſuam deſignant, cognoſcunt, qui eam profitentur, conciones ad illam habent: cœnâ reficiunt: vel ergo eſt ſenſibilis prædeſtinatorum Eccleſia; vel temerario uſu uſurpant ſibi Divinam præſcientiam. Tertio. Per Calvinum Sacramenta ſunt teſtimonia externa a Deo inſtituta benevolentiæ, ſeu prædeſtinationis, vel ergo quotquot baptizantur, ſunt prædeſtinati, ac proinde non ſunt diſtinguendæ duæ Eccleſiæ, vel ſunt falſa teſtimonia.

SOLVUNTUR QUINQUE ARGUMENTA HÆRETICORUM.

PLurima argumenta, ſeu cavillos contra Catholicam veritatem congerunt adverſarii, quibus ſuadere intendunt ſolos prædeſtinatos ad Chriſti Eccleſiam pertinere, ex quo inferunt I. Non omnes juſtificatos eſſe membra Chriſti, ſed eos ſolummodo, qui finaliter perſeverabunt. II. Nullum incipere eſſe membrum Chriſti, dum juſtificatur, qui antea non eſſet Eccleſiæ membrum. III. Prædeſtinatum ſemper manere membrum Chriſti, etiam cum excidit a juſtitia, & fide. IV. Paulum, Latronem, Auguſtinum, & ſimiles fuiſſe membra Chriſti, etiam cum perſequebantur Eccleſiam. V. Judam, Simonem, & ſimiles non fuiſſe de Eccleſia, etiam cum juſti erant. Ut tamen confuſio evitetur in refellendis objectionibus, ponemus ea, quæ ex Evangeliis, deinde, quæ ex Epiſt. Apoſtolorum, poſtea quæ ex Patribus deducuntur: poſtremo, ſi quæ alia fuerint.

25 OBJIC. I. Generaliter contra noſtra principia. Si parabolæ a Chriſto Inductæ, Areæ, ſagenæ, convivii appellant ſupra mundum, nihil probant ad rem; ſed intelliguntur de mundo; patet Matth. 13. de parabola Agri zizaniorum Domino explicante. *Ager eſt mundus: bonum vero ſemen hi ſunt, filii Regni: zizania autem filii ſunt nequam: inimicus autem, qui ſeminavit ea diabolus, meſſis vero conſummatio ſeculi eſt: meſſores autem Angeli*: ubi habes bonum ſemen ſolum eſſe filios Regni, ſcilicet Eccleſiæ, ac proinde ſolos prædeſtinatos, cum ſolum bonum ſemen ibidem fructificaſſe dicatur.

RESP. Falſum eſſe omnes parabolas intelligi de mundo, quia expreſſe Chriſtus ſæpe illas adducendo dixit: *Simile eſt Regnum Cælorum*, pro quo mundus non poteſt intelligi: Ceterum ſagena non colligit omnes piſces, qui in mari ſunt, ſed multos bonos, & malos: Area non purgat, aut triturat omnem herbam, ſed ſolum illam, quæ mixtum granum habet, & ſic de ceteris.

Nec urget exemplum Agri, quia caſus particularis eſt, & nomine mundi etiam venit Eccleſia. Auguſt. *lib. ad Donat. poſt collat. cap. 6.* -- Nos autem mundum pro Eccleſiæ

Mundus quandoque Eccleſiam ſignificat.

,, ſignificatione poſitum dicebamus, ſicut
,, etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura pronunciabatur Ec-
,, cleſia; unde illi dicebant mundum ſemper
,, in malam ſignificationem poſitum, & te-
,, ſtimonia de ſcripturis dabant; quia ſcri-
,, ptum eſt: ſi quis dilexerit mundum, non
,, eſt charitas patris in illo, & cetera talia.
,, Nos vero non ſolum in malam, ſed etiam
,, in bonam ſignificationem mundum in ſcri-
,, pturis poſitum reſpondebamus, & commo-
,, nebamus: inter alia etiam illud, quod ſcri-
,, ptum eſt: Deus erat in Chriſto mundum re-
,, concilians ſibi: qui utique non reconciliat
,, ſibi, niſi Eccleſiam -- Sane in illa parabola *Semen bonum* ita mixtum eſt zizaniis, ut cum illis taliter creſcat, quod ſine periculo eradicandi granum, nequaquam zizania eradicari poſſunt. Si vero ſoli prædeſtinati, qui ſunt ſemen bonum, ſunt in Eccleſia: non eſſet nec talis mixtura, nec tale periculum, ſiquidem prædeſtinati omnes in tuto ſunt, & Eccleſia prædeſtinatorum pura eſt ſecundum adverſarios. Sed quid immoramur? Dominus ipſe in Eccleſia reprobos fore declarat, ſubdens: *Et colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis*. Sunt ergo in Regno Dei mittendi in ignem æternum, & hi ſunt reprobi.

26 OBJIC. II. Textus apud Matth. 22, *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi* probat ſolos prædeſtinatos eſſe de Eccleſia: quod ſic evincitur: Si pro vocatis intelligantur ingreſſi in Eccleſiam, & pro electis ii, qui remanſerunt ad nuptias Agni, falſa eſſet Chriſti propoſitio; quia omnes remanſerunt, qui non fuerunt ejecti; ſed unus tantum deſcribitur ejectus, ergo ceteri remanſerunt; ergo falſum eſt paucos eſſe electos: quare dicendum eſt pro vocatis intelligi invitatos ad Eccleſiam; ſolos vero electos eſſe ingreſſos, adeoque prædeſtinatos, qui pauci dicuntur comparative ad eos, qui non ſunt ingreſſi.

RESP. Expoſitionem eſſe falſam contra litteram, quæ expreſsè diſtinguit inter convocatos, ingreſſos, & invitatos. *Tunc ait ſervis ſuis: nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant non fuerunt digni*. Deinde præcepit eiſdem, ut exirent; & introducerent, quotquot invenirent, & ſubditur: *Congregaverunt omnes, quos invenerunt malos, & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ*: mali ergo, & boni congregati ſunt: nomine ergo vocatorum veniunt etiam mali inducti in Eccleſiam: non ergo ſolum electi.

Boni, & mali in Eccleſia.

Nec valet unum fuiſſe ejectum; tum quia nec iſte fuiſſet ejectus, ſi conſtaret ſolis prædeſtinatis; tum quia multos alios ſimiles eſſe intus declarat per cauſalem ſubjunctam: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Ubi perbelle advertendum eſt dictum Gregorii *in Homil. 38. de eject.* -- Mirandum eſt, quod
,, hunc, & amicum vocat, & reprobat: ac
,, ſi apertius dicat: amice, & non amice:
,, amice per fidem, ſed non amice per ope-
,, rationem --

27 OBJIC. III. Diſcipulatus Chriſti non arguit eſſe de Eccleſia; ergo ſcripturæ, quibus reprobi dicuntur Diſcipuli, non concludunt eos eſſe Eccleſiæ membra. Ant. oſtenditur Joan. 2. dicitur: Chriſtum cum Diſcipulis vocatum fuiſſe ad nuptias, & tamen v. 11. peracto miraculo, habetur eos tunc incœpiſſe credere: *Et crediderunt in eum Diſcipuli ejus*; ergo ante fidem, quæ per nos eſt neceſſaria ad ingreſſum in Eccleſiam, erant

Di-

Diſcipuli. II. Membra Diaboli non poſſunt eſſe membra Chriſti, ac proinde nec veræ Eccleſiæ; ſed inter Diſcipulos enumeratur Diabolus Joan. 6. v. 71. *Ex vobis unus Diabolus eſt*; ergo. III. Diſcipuli dicuntur, qui volunt ab alio diſcere; ſed turbæ omnes ſequentes Chriſtum volebant a Chriſto diſcere; ergo erant Diſcipuli, & tamen non omnes erant de Eccleſia; ergo.

RESP. neg. ant. Non eſt quid certius hoc in Scripturis. Apoſtoli, qui vera Chriſti membra erant, non niſi nomine Diſcipulorum ſæpiſſime in Evangelio nominantur: & reliqua membra eodem nomine recenſentur.

Diſcipuli dicuntur Eccleſiæ membra.

Act. 6. *Creſcente numero Diſcipulorum*: Ideſt creſcente Eccleſia. Ibidem: *Convocantes multitudinem Diſcipulorum*: Ideſt Eccleſiam cap. 9. *Spirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini*: Ideſt in Eccleſiam (ut ipſe Paulus fatetur) cap. 11. v. 26. *& annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia, & docuerunt turbam multam; ita, ut cognominarentur primum Antiochiæ Diſcipuli, Chriſtiani*. Idem eſt ergo eſſe Diſcipulum Domini, & eſſe de Eccleſia, ac eſſe Chriſtianum.

Ad primam probationem: Apoſtoli jam erant Chriſto incorporati per veram fidem, ſed non omnia explicite credebant; plura enim decurſu temporis didicerunt, & crediderunt. A principio non ita perſpicuum illis erat Arcanum Divinitatis in Chriſto, niſi ſenſu quodam implicito, & obſcuro; viſo vero miraculo, omninò confirmati ſunt, & ideo crediderunt. Ad II. Concedo in Eccleſia Dei eſſe Diabolos, non natura, ſed imitatione, qualis erat Judas, in quem poſt bucellam intravit Satanas, quia ſcilicet, factus eſt conformis malitiæ ejus. Sunt & Antichriſti, juxta illud 1. Joan. 2. 18. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt &c. ex nobis prodierunt*: ex nobis ergo erant antecedenter: ubi Aug. -- Multi intus ſunt, & tamen Antichriſti „ ſunt -- Ad III. Improprie dicitur Diſcipulus, quicumque ad alium accedit, ut audiat, ſed Diſcipulus ille eſt, qui ex profeſſione alium audit, ut doctrinam diſcat: non autem omnes de turba profitebantur Chriſtum audire, quamvis plures accederent, ut audirent prædicantem; ideo non omnes erant Diſcipuli.

Quidam de Eccleſia Diaboli per imitationem.

28 OBJIC. IV. Oves Chriſti conſtituunt Eccleſiam ejus. juxta illud Aug. *tract.* 44. *in Joan.* -- Hoc tenete: ovile Chriſti eſſe „ Eccleſiam Catholicam -- Sed oves Chriſti ſunt prædeſtinati: juxta illud Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*: & v. 16. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere &c.* Sunt ergo oves, ſunt ergo de ovili; ergo de Eccleſia; licet non de hac Jeroſolymitana, v. g. ergo ſolis prædeſtinatis conſtat Eccleſia.

RESP. ſimili diſcurſu. Oves conſtituunt Chriſti Eccleſiam; ſed oves ſunt boni, & mali: juxta illud Pſal. 73. *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ*: & Pſal. 78. *Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ*: & Ezechiel. 34. *Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo, quod non eſſet Paſtor: & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri &c.*; ergo in Eccleſia ſunt boni, & mali.

Boni, & mali ſunt de Eccleſia.

A RESP. directe: oves conſtituunt Eccleſiam ſecundum præſentem juſtitiam, concedo: ſecundum præſcientiam Dei, nego: & ad min. eodem modo: prædeſtinati ſunt oves Chriſti ſecundum præſcientiam, concedo: ſecundum præſentem juſtitiam, nego. pro ſemper. Loquimur nunc de membris realiter incorporatis in Eccleſia, non vero de membris, nec de Eccleſia, prout in mente Dei. Prædeſtinati dicuntur oves, quia ſunt a Divino decreto præordinati, ut ſint ſuo tempore de Eccleſia, & in ea permaneant: ceterum præciſe, ut cadunt ſub prædeſtinatione, quæ nihil ponit in eſſe, non ſiunt actualiter de Eccleſia.

B Hæc eſt mens clara Aug. *de ſeductis, & lapſis in Hæreſim ante lapſum tract.* 45. *in Jo.* dicentis -- Utique Catholici erant; ſi Catho„ lici fideles erant, oves erant -- Vide ſecundum præſentem juſtitiam reprobos eſſe de Eccleſia. Audi quid dicat; ſecundum præſcientiam -- Quam multæ oves foris, & „ multi lupi intus: & quam multæ oves in„ tus, & quam multi lupi foris -- aſſignatque rationem -- Quia multi luxuriantur, caſti „ futuri, quia multi blaſphemant Chriſtum, „ crediturі -- Item -- quia multi laudant, „ blaſphematuri. Stant caſuri, & non ſunt „ oves: de prædeſtinatis enim loquimur --

C Secundum præſentem juſtitiam ſunt intus lupi: & foris oves. Ex adverſo: ſecundum præſcientiam lupi ſunt extra, oves intus. Secundus textus pariter habet planam explicationem. Habet Chriſtus alias oves ſecundum decretum prædeſtinativum, quæ non ſunt de hoc ovili; ideſt, quæ actualiter non ſunt de Eccleſia. Ex quo noſtra veritas confirmatur: nec alius poteſt eſſe ſenſus.

Ab Adverſariis placet exquirere: quando Chriſtus dicit: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile*: vel loquitur de ovili prædeſtinatorum præciſe, & hoc eſt falſum: nam

D non poſſet dicere Chriſtus: *Oves, quæ non ſunt ex hoc ovili*; nec addere; *oportet me adducere*; ſunt enim ſemper in cœtu prædeſtinatorum. Vel loquitur de duplici ovili; alio prædeſtinatorum, & alio mixtorum: & tunc habetur veritas noſtra. Prædeſtinati, qui antea non erant de ovili mixtorum, adducuntur ad illud, cum actu fidem ſuſcipiunt: unde nunquam concluditur Eccleſiam actualem ſolis conſtare electis. Ceterum textus ille literalem alium ſenſum habet: videlicet, pro ovibus adducendis intelliguntur Gentiles, ex quibus converſis, & Judæis

E fit una Eccleſia. Vult Chriſtus docere non ſolum veniſſe pro Judæis, ſed etiam pro gentibus. Aug. *tract.* 7. *in Joan.*

29 OBJIC. V. Filii Dei veram conſtituunt Chriſti Eccleſiam: Joan. 11. v. 52. *Ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum*: Chriſtus videlicet moriturus; ſed filii ſunt prædeſtinati; & ad Rom. 8. clarius habetur: *Si filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*; ergo ſoli prædeſtinati conſtituunt Eccleſiam.

RESP. Filium Dei dici tripliciter, veritate electionis, veritate formæ, veritate

con-

conſecutionis. Veritate electionis eſt filius, qui in Divino decreto præordinatus eſt ad gratiam habendam. Veritate formæ, qui actu habet gratiam, quæ tribuit eſſe filiationis. Veritate conſecutionis, qui conjungit gratiam cum perſeverantia, & hereditatem conſequitur; ſola deſtinatio ad gratiam habendam non conſtituit actu filium, ſed ſolum in potentia; ſicut ſola deſtinatio ad gloriam non conſtituit actu beatum; nec ſola deſtinatio ad Regnum conſtituit Regem. Veritas formæ ſimpliciter denominat filium, quia forma dat actu eſſe. Veritas aſſecutionis eſt perfectio eſſentiæ: filii conſtituunt Eccleſiam, ſi veritate eſſentiæ ſint tales, quia Eccleſiæ membra actualia actu recipiunt influxum a capite. Sola electio nullum influxum ponit a capite; adeoque filii veritate electionis non ſunt actu de Eccleſia.

Hinc ad argum. nego prædeſtinationem conſtituere membrum Eccleſiæ: quod probat primus locus adductus, Mortuus eſt Dominus, ut congregaret in unum diſperſos, ideſt, ut prædeſtinatos Gentiles in Eccleſiam convocaret. Non ergo antea de Eccleſia erant, licet Divino decreto deſtinati, ut ſuo tempore eſſent. Secundus non officit, quia gratia ſecundum ſe tribuit jus ad gloriam, & qui eam conjungit cum mortis articulo, gloriam in re aſſequitur.

SOLVUNTUR ALIA ARGUMENTA.

30 OBJIC. VI. Chriſtus eſt caput ſolius Eccleſiæ ſalvandæ: ad Eph. 5. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam: non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi*; ſed Eccleſia ſalvanda ſunt ſoli prædeſtinati; ergo Eccleſia Chriſti ſolis conſtat prædeſtinatis.

RESP. diſt. maj. eſt caput ſolius Eccleſiæ ſalvandæ finaliter, ideſt, ordinative, concedo maj. aliter neg. maj. Audi D. Thomam 3. *p. q.* 8. *art.* 3. *ad* 2., & ſufficit -- Dicendum, quod eſſe Eccleſiam glorioſam non habentem maculam, neque rugam, eſt ultimus finis, ad quem perducimur per paſſionem Chriſti, unde hoc erit in ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ, in quo, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus: ut dicitur 1. *Joan.* 1. -- Ex quo habemus argumentum ferire adverſarios. In Eccleſia Militante neceſſe eſt invenire in membris aliquam rugam; non ergo conſtat ſolis prædeſtinatis, non habentibus maculam.

Eccleſia Militans habet defectus.

31 OBJIC. VII. Prædeſtinati illi ſunt, qui ſoli Deo ſunt cogniti, 2. Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus*; ſed ex iſtis ſolis conſtat Eccleſia; nam qui ſunt de Eccleſia, ſunt Dei; qui Dei ſunt, ex allata ſcriptura, ſunt electi; ergo &c. In quem locum Gloſſa -- Quos præſcivit futuros conformes fieri imagini ejus, ideſt prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, glorificavit -- ſequitur -- numerus talium eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ -- quæ epitheta ſunt Eccleſiæ: ubi advertas etiam vocatos eſſe glorificatos; ſed non niſi vocati ſunt de Eccleſia; ergo non niſi glorificati.

A RESP. neg. min. de Eccleſia enim eſt, quicumque Chriſtum induit: at quilibet baptizatus Chriſtum induit: ad Gal. 3. *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: nec tamen omnes baptizati ſunt prædeſtinati. Nec valet probatio: nam aliud eſt, quod, qui de Eccleſia ſunt, Dei ſint: aliud, quod qui Dei ſunt, omnes prædeſtinati ſint. Omnis habens charitatem, Dei eſt: ſecundum illud Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Audi D. Th. 3. *p. q.* 48. *art.* 4. *ad* 1. -- Dicendum: quod homo dicitur eſſe Dei dupliciter: uno modo in quantum ſubjicitur poteſtati ejus; & hoc modo nunquam homo deſiit Dei eſſe -- Daniel 4. *Dominatur Dominus in Regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud. Alio modo per unionem charitatis ad Deum* ſecundum, quod dicitur Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Primo ergo modo, nunquam homo deſiit eſſe Dei: ſecundo autem modo, deſiit eſſe Dei per peccatum.* Ad probationem ex Gloſſa. Vel ad hortum concluſum ſufficiunt diviſim illa, vocavit, juſtificavit, glorificavit, prædeſtinavit; & tunc habenti unum ex illis, convenit eſſe de horto concluſo, vel requiruntur copulatim, & tunc hortus concluſus non eſt Eccleſia Militans, ſed fructus. Cum quo ſtat, quod in pugnante ſint plures, qui non erunt in illa priori. Omnes, qui de Eccleſia ſunt, ſunt vocati; non tamen omnes vocati ſunt prædeſtinati: licet omnes prædeſtinati, aliquando ſint vocati.

Baptizati ſunt de Eccleſia.

OBJIC. VIII. 1. Petri 3. Arcæ Noe comparatur Eccleſia, ſed in Arca Noe ſoli ſalvandi ingreſſi ſunt: *Pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*; ergo ſoli prædeſtinati &c., in quem ſenſum explicat locum hunc Aug. *lib.* 5. *contra Donatiſtas cap. ultimo.*

RESP. Oppoſitum deduci, ſiquidem 3. cap. illius Epiſtolæ Baptiſmus aſſimilatur Arcæ Noe; nec tamen omnes baptizati ſalvi ſiunt. Secundo: In Arcam ingreſſa ſunt munda animalia, & immunda: in primis deſignantur electi; de mundis enim ſolum obtulit Sacrificium Noe: immunda a Deo projecit, ceſſante diluvio: ideſt ſeculo hoc; in ſecundis veniunt præſciti, qui finiente diluvio, ideſt ſtatu viæ, Divino cultui non reſervantur.

Accipe Aug. *collat.* 3. *cap.* 4. -- Non de immundis, ſed de mundis univerſaliter Noe obtulit ſacrificium: ita non hi, qui mali ſunt in Eccleſia, ſed qui boni ſunt, pervenerunt ad eum -- Locus vero cit. *in object.* eſt pro nobis; quatenus aſſerit, quandoque aliquos intus eſſe per Baptiſmum, foris tamen per præſcientiam. Paritas Arcæ in eo conſiſtit, quod, ſicut regnante diluvio, nullus erat ſalutis locus præter Arcam, ita in hoc ſeculo nullus eſt in ſtatu ſalutis, niſi ſit intra Eccleſiam. Sic Patres infra ſuo loco citandi.

Status ſalutis intra Eccleſiam.

32 OBJIC. IX. Qui non permanent in fide, & charitate, non ſunt de Eccleſia, 1. Joan. 2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum*; ſed ſoli prædeſtinati permanent in fide, & charitate; ergo ſoli prædeſtinati de Eccleſia ſunt.

RESP.

Fideles ſunt de Eccleſia.

RESP. Qui non permanent , non ſunt de Eccleſia , veritate aſſecutionis , conc. veritate formæ , neg. qui actu fidem habent , & charitatem , actu de Eccleſia ſunt ; licet non omnes ſint finaliter permanſuri . Nec aliud intendit inducta auctoritas . *Ex nobis prodierunt* , quando Antichriſti facti ſunt , prava dogmatizantes , ſed hoc quia antecedenter erant ex nobis , ſed non erant ex nobis finaliter , quia non erant perſeveraturi . Manus antequam abſcindatur , membrum eſt corporis , quamvis ſit futurum , quod abſcindatur : ita &c.

33 OBJIC. X. Corpori naturali Chriſti myſticum ejus corpus aſſimilatur , ut colligitur ad Rom. 12., & traditur a Patribus ; ſed totum corpus naturale Chriſti erat glorificandum ; ergo etiam totum corpus myſticum ; ergo ſolum prædeſtinati membra ſunt Eccleſiæ . Membra capiti debent conformari ; caput totum ſanum eſt ; ergo pariter membra .

Quidam de Eccleſia pereunt.

RESP. maj. eſſe veram , ſed loquitur Paulus , & Patres de corpore Chriſti militante , quod erat ſub tali ſtatu , in quo aliquæ partes per nutritionem addebantur , aliæ per conenctionem dimittebantur , aliæ manebant : Ita in Eccleſia Militante aliqua membra decidunt , alia adjunguntur , cetera permanent . Unde colligitur eſſe aliquando quoſdam fideles de Eccleſia , qui tamen non ſunt glorificandi .

In idem recidit explicatio Aug. *collat.* 3., ubi conſiderat corpus Chriſti ſub diverſis ſtatibus , tempore mortis , & tempore reſurrectionis . Tempore mortis , vel paſſionis quaſdam partes perdit ſanguinis non pertinentes ad integritatem formalem , quæ non fuerunt glorificatæ , in altero ſenſu ad rem præſentem currit aſſimilatio : ſicut in corpore naturali Chriſti non erant , niſi membra pura , ita intra Eccleſiam non ſunt , niſi membra fide ſana , & pura unita . Ceterum non in omnibus currit paritas .

34 OBJIC. XI. Eccleſia ſecundum Patres comparatur fonti ſignato : Cant. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa , hortus concluſus , fons ſignatus* ; ſed Eccleſiam eſſe occluſam nihil aliud eſt , quam clauſam eſſe alienis a Chriſto : eſſe obſignatam , quam ad æternam gloriam prælectam , juxta illud Apocal. *Nolite nocere terræ , & mari &c. quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum* ; ergo ſoli electi ſunt membra Eccleſiæ . Maj. habetur apud Cyprianum *Epiſt.* 76., & minor ſimul -- Concluſus hortus eſt ſponſa Chriſti , quæ eſt Eccleſia ; patere res clauſa alienis , & profanis non poteſt.

Auguſt. contra Donatiſtas *lib.* 5. *cap.* 27. -- Hoc intelligere non audeo , niſi in ſanctis , & juſtis -- Item -- Fons ſignatus , in illis videlicet juſtis , qui in occulto Judæi ſunt circumciſione cordis &c. , in quibus eſt numerus certus prædeſtinatorum &c. -- Et *lib.* 6. *cap.* 3. -- Illa autem columba &c. Hortus &c. non intelligitur , niſi in bonis , & ſanctis , & juſtis ; ideſt non tantum ſecundum operationes munerum Dei , malis , boniſque communes ; ſed etiam intimam , & ſupereminentem Spiritus Sancti gratiam habentibus , quibus Dominus dicit ; ſi cui dimiſeritis peccata , dimittentur ei -- Greg. Magn. *in eundem locum* -- Hortus , Sancta Eccleſia exiſtit , quia , dum populos multos in fide gignit , quaſi flores pulchros bona terra emittit ; qui hortus concluſus benedicitur , quia charitatis vado circumquaque munitus , ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur .

Eccleſia hortus concluſus.

RESP. con. maj. Sed neganda eſt applicatio in min. poſita . Hortus concluſus dicitur Eccleſia , & fons ſignatus ratione ſtatus , quia nullus extra Eccleſiæ ſemitas ſalvatur . In Eccleſia eſt fons gratiarum , videlicet Sacramentorum Chriſti ſanguine obſignatorum . Ceterum ſimilitudo ipſa veritatem catholicam evincit . In horto etiam concluſo noxiæ nutriuntur herbæ , quæ projiciuntur ab horto . Ab eadem terra producuntur flores , qui non omnes in fructus matureſcunt . Virgulta plantatur , quæ exſiccantur : alia inſeruntur in bonas olivas , quæ ſilveſcunt .

Nunc ad Patres . Cyprianus pro alienis intelligit Hæreticos , vultque oſtendere Baptiſma a Novatianis collatum eſſe reiterandum ; utpote a profanis , ideſt , Hæreticis adminiſtratum , licet in hoc deceptus . Aug. 1. loco : loquitur de membris Eccleſiæ ſecundum præſcientiam , non vero de membris ſecundum exiſtentiam . Clarus eſt locus , ſi advertantur concomitantia -- Sunt enim , quidam ex eorum numero , qui adhuc nequiter , aut etiam in hæreſibus , vel in gentium ſuperſtitionibus jacent ; & tamen illos novit Dominus ; qui ſunt ejus ; namque in illa ineffabili præſcientia multi , qui foris videntur , intus ſunt ; & multi , qui intus videntur , foris ſunt -- Ecce quam clare loquitur ſub ſtatu præſcientiæ .

Secundo loco pariter de membris ſub ſtatu præſcientiæ loquitur , ponitque malos in Eccleſia actuali , licet ad Sanctam Eccleſiam non pertineant finaliter . Dubito tamen pro bonis , & juſtis Aug. non intelligere ſanctitatem perſonalem , ſed miniſterialem munerum ſublimiorum Eccleſiæ , ut videtur ſonare illa adverſativa , *non tantum* , ſed &c.

Gregorius loquitur ſecundum præſcientiam , non autem ſecundum præſentem juſtitiam , quo ſenſu pariter loquitur 28. *Moralium cap.* 9., ubi dicit electos -- Intra menſuram ejus contineri : extra eam eſſe omnes reprobos -- Ceterum alibi nobiſcum ſenſit Sanctus Doctor , ut *homil.* 38. *in Evangelia* -- Terrere autem vos non debet , quod in Eccleſia , & multi mali , & pauci ſunt boni -- Et *hom.* 11. -- Eccleſia , nunc bonos , maloſque communiter , quaſi permixtos piſces fidei ſagena nos continet , ſed littus indicat , quid Eccleſiæ ſagena trahebat --

35 OBJIC. XII. Congregatio electorum eſt ſocietas prædeſtinatorum ; ſed Eccleſia eſt congregatio electorum ſecundum Clementem Alexandrinum *lib.* 7. *Strom. fol.* 239. -- Non enim hunc locum , ſed electorum congregationem appello Eccleſiam -- Item *f.* 265. -- Ex iis , quæ dicta ſunt manifeſtum eſſe , exiſtimo , unam eſſe veram Eccleſiam eam , quæ vere eſt antiqua , in cujus catalogum

„ refe-

„ referuntur ii, qui ſunt juſti, ſecundum „ propoſitum -- Item -- Congregat eos, qui „ jam ſunt ordinati, quos prædeſtinavit Deus, „ cum eos juſtos cognoviſſet ante mundi con„ſtitutionem --

RESP. negando min. Non enim Clemens diſcordat a ſcriptoria, & ceteris Patribus. ſed ſolum vult prædeſtinatos eſſe membra Eccleſiæ ſolidiora, & velut oſſa, quæ finaliter non conteruntur; ceteroa autem eſſe membra molliora, & velut carnes, quæ calore per partes diſſolvuntur, Accipe verba Sancti Præſulis *f.* 258.-- Corpus autem allego„rice Domini, dicitur Eccleſia, ſpiritualis, & „ Sanctus Chorus, ex quibus ii, qui vocan„tur ſolum nomine, vivunt autem non ex „ ratione, ſunt carnes .... Fornicatur enim „ in Eccleſiam ejus quoque corpus, is qui „ gentiliter vivit in Eccleſia, ſive in facto, „ ſive in verbo, ſive etiam in ipſa cogitatio„ne -- Apud Gravinam *cap.* 2. *de mem. Eccl. a.* 4. Qui ergo vivunt ſecundum carnem, caro ſunt in corpore Eccleſiæ.

Præſcita membra diverſa ratione.

Nunc ad ſingulos textus. In primo pro electis non intelligit prædeſtinatos, ſed vocatos in Eccleſiam, qua vocatione diſtinguit fideles ab infidelibus *lib.* 4 *fol.* 127.-- Si au„tem mali quidem homines nos multis eſſe „ viſi ſumus; ſi ipſi quoque noviſſent veri„tatem, omnes quidem in viam inſiliiſſent: „ non fuiſſet autem electio; ſed enim noſtra „ fides, cum ſit lux mundi, arguit infidelita„tem -- In ſecundo agit de prædeſtinatis, & ſtatuit recenſeri in Catalogo Eccleſiæ, quod non negamus, ſed inde nequit inferri, nullum alium ad Eccleſiam pertinere: in tertio textu intendit oſtendere Chriſtum in Eccleſiam adunaſſe, quos ſuo decreto præſcivit Deus futuros juſtos, ex quo habemus ſolam prædeſtinationem non conſtituere intra Eccleſiam, ſed vocationem.

36 OBJIC. XIII. Illi ſoli ſunt membra Eccleſiæ, qui manſuri ſunt in Verbo Chriſti; ſed hi ſunt ſoli prædeſtinati; ergo. Prob. maj., & min. ex Aug. *lib.* 3. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 32., qui agens contra Ticonium, qui vocavit Corpus Chriſti bipartitum, ait -- „ Non debuit ita appellari; non enim revera „ Corpus Domini eſt, quod cum illo non „ erit in æternum -- ſed nullus præſcitus erit in æternum cum Domino; ergo. *Lib. de correpţ., & gratia cap.* 9. -- Quidam Filii Dei „ propter ſuſceptam vel temporaliter gra„tiam, dicuntur a nobis, nec ſunt tamen „ a Deo -- ibidem -- Non erant filii, etiam „ quando videbantur in profeſſione, & no„mine filiorum &c. Quia ergo non habue„runt perſeverantiam, ſicut non vere diſci„puli Chriſti: ita nec vere Filii Dei fue„runt, etiam quando eſſe videbantur, & ita „ vocabantur --

Lib. 4. *contra Donatiſt. c.* 3.-- Multi etiam, „ qui aperte ſuris ſunt, & Hæretici appellan„tur, multis, & bonis Catholicis meliores „ ſunt; quid enim ſint, hodie videmus; quid „ cras futuri ſunt; ignoramus: & ideo qui„dam, apud quem ſunt præſentia, quæ ven„tura ſunt, etiam quod futuri ſunt, jam „ ſunt -- Deinde, de malis perſeveraturis in malo ait -- Videntur eſſe in Eccleſia Dei, ſed „ non ſunt; imo, & contra Eccleſiam faciunt -- *Tract.* 45. *in Joan.* -- Deus cum Chriſto om„nia nobis donavit: ſed quibus nobis? Præ„ſcitis, prædeſtinatis, juſtificatis, glorifica„tis, de quibus ſequitur apud Apoſtolum; „ quis accuſabit adverſus electos Dei? Novit „ Dominus, qui ſunt ejus; ipſæ ſunt oves -- *Lib.* 2. *cap.* 21. *contra Creſconium* loquendo de præſcitis habet -- Omnino quippe, iſta mon„ſtra, abſit, ut intra membra columbæ il„lius unicæ computentur -- *Lib.* 5. *contra Donatiſ. cap.* 18. -- Qui ſeculo ſolis verbis, „ non factis renunciant, quomodo pertinent „ ad hujus Arcæ myſterium, in quibus non „ eſt conſcientiæ bonæ interrogatio?

RESP. omnino cæcos fore declarandos, qui ſuſpicantur Auguſtinum favere adverſariis, cum hac de re ex profeſſo impugnaverit Donatiſtas. Nec ſemel, ſed ſæpe docuit catholicam veritatem. In breviculo *collat.* 3. *c.* 9., & *lib.* 2. *contra Gaudentium cap.* 4. -- „ Nonne tibi venit in mentem de palea Do„minicæ Areæ, ideſt Eccleſiæ, uſque ad tem„pus ventilationis in una permixtione tole„randa? -- *Ennarat. in Pſal.* 47. -- Quomodo „ ad aream, quandiu trituratur, non ſolum „ grana, ſed etiam palea pertinet? Numquid „ & ad Horreum pertinebit? In hoc medio, „ hoc eſt populi mali, & populus bonus, „ qui ſuſcepit miſericordiam Dei -- *Lib.* 3. *contra litteras Petiliani cap.* 2. -- Homo ſum „ enim de area Chriſti. Palea, ſi malus; „ granum, ſi bonus. Non eſt hujus areæ ven„tilabrum lingua Petiliani -- Ibidem urget ſimilitudinem ovilis, in quo hædi, & oves, ſagenæ in quo boni, & mali piſces: Agri in quo triticum, & zizania: domus in qua vaſa in honorem, & in contumeliam: quorum ſeparatio facienda eſt die noviſſimo, quando Eccleſia Militans ceſſabit. Et *cap.* 9. iterum inculcat -- Quamvis hædi ſimul cum ovibus „ paſcantur, non ſtabunt ad dexteram. „ Quamvis ſimul palea cum tritico tritures„tur, non intrabit in horreum. Quamvis „ ſimul piſces mali cum bonis intra retia Do„minica natent, non mittuntur in vaſcula--

Auguſtini ſenſa referuntur.

Tract. 6. *in Joan.* -- Nos fatemur in „ Eccleſia Catholica & bonos, & malos eſſe, „ ſed tanquam grana, & paleam -- *Lib.* 2. *contra Gaudentium cap.* 5. -- Multo veriore „ venerabilis Cyprianus voce reſpondit: ſimul „ creſcentia non perire frumenta, zizaniis „ non extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia conſti„tutis -- *Collat.* 3. *cap.* 9. -- Sic oſtendentes „ Divina teſtimonia conſonare, ut & illa, „ quibus commendaretur Eccleſia cum ma„lorum commixtione, hoc tempus ejus ſigni„ficarent &c. -- *In Pſ. contra partem Donati tom.* 7. *in principio* -- Quiſquis recolit Evan„gelium, recognoſcat cum timore. Videt „ reticulum, Eccleſiam: videt hoc ſeculum, „ mare: genus autem mixtum piſcis, juſtus „ eſt cum peccatore: ſeculi finis eſt littus: „ tunc eſt tempus ſeparare -- *De unit. Eccleſ. cap.* 14. -- Eſt alia ſimilitudo apertiſſima „ de commixtione malorum, & bonorum in„tra eandem Sacramentorum communio„nem, & commixtionem, quam Dominus „ ipſe & ponit, & exponit. Simile eſt &c. „ Nulla ergo malorum commixtio terret bo-

„ nos

„ nos -- *Epiſt.* 48. -- Ipſa eſt ergo Eccleſia, „ quæ intra ſagenam Dominicam cum malis „ piſcibus natat --

Lib. 18. *de Civit. cap.* 49. -- Multi re- „ probi miſcentur bonis, & utrique tam- „ quam in mari, & utrique incluſi retibus, „ indiſcrete natant, donec perveniatur ad „ littus, ubi mali ſegregentur a bonis -- *Collat.* 3. *cap.* 8. *contra Donatiſtas* aperte idem promovet argumentum ſagenæ, & agri, quo fatetur ſe victos tandem Donatiſtas faſſos eſſe -- In Eccleſia eſſe permiſſos ſaltem occultos „ malos -- Et inculcans ſimilitudinem ovilis, etiam viſibiliter malos eſſe miſtos, Donatiſtæ affirmarunt *Lib.* 3. *contra litteras Petiliani cap.* 28. -- Nam quæ alia cauſa fuit „ iſtis (*Donatiſtis*) emigrandi de domo Dei; „ niſi quia vaſa facta in contumeliam (ſine „ quibus, illa uſque ad diem Judicii non „ erit) finxerunt ſe ferre non poſſe -- *Epiſt.* 162. -- Nemo delet de terra Eccleſiam Dei; „ ille totum orbem promiſit, iſta totum or- „ bem replevit: & malus habet & bonos, ſed „ nec in terris amittit niſi malos; nec in Cœ- „ lum admittit niſi bonos -- *Conc.* 3. *in Pſal.* 39. -- Suſpicamini, quid vultis de nobis? Si „ boni ſumus, in Eccleſia Dei frumenta ſu- „ mus, ſi mali ſumus, in Eccleſia Dei palea „ ſumus, tamen ab area non recidimus -- Hæc delibaſſe ſufficiat --

Ex quibus aperte habemus Aug. locis in objectione citatis ſolum velle, non eſſe vere filios, diſcipulos, oves eos, qui perſeveraturi non ſunt, veritate finis, eſſe autem veritate formæ, & loco cit. *de corrept., & gratia cap.* 9. explicat, qualiter dixerit non eſſe filios -- „ Non quia juſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non permanſerunt -- & loco cit. *de Doctrina Chriſtiana* reddens etiam dicti ſui rationem habet -- Nunc in uno ſunt, non tamen „ ſemper in uno erunt: ipſe eſt quippe ille „ ſervus commemoratus in Evangelio, cujus „ Dominus, cum venerit, dividet eum, & „ partem ejus cum Hypocritis ponet -- Alia loca dedimus, quibus manifeſte Sanctus Doctor ſub hac diſtinctione præſcientiæ, & præſentis juſtitiæ eoſdem docet eſſe, & non eſſe de Eccleſia. Videatur *tract.* 45. *in Jo. lib.* 5. *contra Donatiſtas c.* 18., & alibi ſæpe.

37 OBJIC. XIV. Ideo ex Sanctis Patribus videtur colligi reprobos eſſe de Eccleſia: quia ſimilitudinibus utuntur Areæ, ſagenæ, ovilis &c., ſed hæ ſimilitudines non intelliguntur de univerſali Eccleſia, ſed particulari, & de prædicatione Evangelica: ſic Polanus *in Vindicatione Matth.* 3., *&* 13., ergo &c.

RESP. conc. maj., ſed neg. min. Clariſſime enim loquuntur Patres de Eccleſia univerſali, & Auguſt. qui citatur ab Adverſario *in Pſal. contra partem Donati*, ibi loquitur de Area a Chriſto ventilata in Cruce, a Diſcipulis ejus collecta, qui tanquam ſemen erant, quod toto diſperſum eſt Orbe, ut alia ſurgeret meſſis, quæ ventilanda eſt in fine.

Similitudines ad univerſalem Eccleſiam referuntur.

Auguſtinus agebat contra Donatiſtas contendentes in Eccleſia Catholica non eſſe tolerandos malos, & ideo ſolum apud ſe credebant eſſe Eccleſiam Catholicam. Ut eos convincat, oſtendit in Eccleſia Catholica eſſe bonos, & malos, & ideo eorum non eſſe Catholicam; & cum urgeret non eſſe deſerendam Eccleſiam propter malos, non recurrebant Donatiſtæ ad Eccleſiam particularem; ſed potius negabant hoc eſſe ſcriptum. *Collat.* 3. *cap.* 9. *contra Gaudentium c.* 4. quare voluntaria omnino eſt hæc Hæretici interpretatio. Eodem modo falſa eſt ſecunda expoſitio propter idem momentum; & quia clare Patres Eccleſiam dicunt, non Evangelizationem. Deinde non aufugitur vis argumenti, quia ſimilitudo fit in ſagena, non ſimpliciter immiſſa in mare, ſed congregante piſces bonos, & malos; ergo prædicatio Evangelica congregat bonos, & malos in unum, ideſt in Eccleſiam.

38 OBJIC. XV Potiſſima ratio incorporans Eccleſiæ eſt charitas: juxta illud Auguſt. *Pſal.* 103. -- Charitas eſt fons proprius „ & ſingularis bonorum, cui non commu- „ nicat alienus -- Sed Deus ſimpliciter diligit prædeſtinatos, ſecus reprobos: nam ſecundum omnem differentiam temporis diliguntur, etſi ad tempus contingat eſſe in peccato: E contra alii ſunt ſimpliciter inimici, & ſecundum quid amici, etſi contingat toto tempore vitæ habere gratiam; ergo &c.

RESP. neg. min. Secundum præſentem juſtitiam ſimpliciter odio habetur peccator finaliter ſalvandus, & ſimpliciter diligitur juſtus, finaliter reprobandus: Quia objectum dilectionis eſt charitas actualis, & odii peccatum exiſtens. Gratia eſt forma dans eſſe ordinis ſupernaturalis, & vere conſtituens ſtatum: ab eo autem quod actu eſt, dicuntur membra Eccleſiæ, non ab eo, quod eſt in potentia. Simpliciter autem dicitur dilectus peccator ſalvandus in alio ſenſu, quatenus bonum diuturnum dicitur bonum ſimpliciter, comparative ad bonum melius brevi permanens. Mille autem anni hujus ſeculi ſunt velut dies, quæ præteriit, comparative ad æterna ſecula, quibus electi indeficienti donati erunt felicitate.

Charitas actualis objectum dilectionis.

CONTROVERSIA IV.

AN CHARITAS SIT FORMA MILITANTIS ECCLESIÆ CONSTITUTIVA.

39 BOni, & mali alii ſunt finaliter tales, alii temporaliter; In præcedenti Controverſia demonſtravimus in Eccleſia eſſe bonos, & malos finaliter. Nunc videndum eſt, an in ea ſit etiam mixtio bonorum, & malorum temporaliter; circa quod peculiaris eſt error quorundam Hæreticorum, qui volunt peccatores non eſſe de Eccleſia, etiamſi prædeſtinati ſint, ſed ſolos bonos, etſi reprobos.

Ex antiquis docuerunt Novatiani magnos peccatores non eſſe de Eccleſia, contra quos inſurgit Cyprianus *lib.* 4. *epiſt.* 2. Donatiſtæ vero quoſlibet peccato lethali gravatos ab Eccleſia excludebant: contra quos Aug. *lib.* 3. *contra Petilianum cap.* 2. 9. 12. 28. *De unit. Eccleſ. cap.* 13. 15. 16. *Contra Donatiſtas poſt collationem cap.* 4. 6.

Hunc errorem ſecuti ſunt Lutherani, ex

A Luthero de ſervo arbitrio. Confeſſio Auguſtana *art.* 8. docet -- Non eſſe ullo modo Cor-„ pus Chriſti, qui impie vivunt -- Idem dixerat *art.* 7. Verba dedimus ſupra. Melancton *in Apologia confeſſ. Auguſtana* habet -- „ Jubemur credere, quod ſit Sancta Eccleſia „ Dei; Impii vero non ſunt Sancta Eccleſia „ Dei; immo additur communio Sanctorum, „ ut intelligatur Eccleſia ſola Congregatio „ Sanctorum -- Idem ſentiunt Centuriatores *Centur.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *de doctrina*, ubi veram Eccleſiam appellant juſtorum, falſam autem peccatorum.

B Eadem veſtigia premit Pulaeus apud Georgium Groſſium *in Theatro Biblico*, *in Vindicat. cap.* 22. *Matth.*, *&* 8. *ad Romanos*, ubi -- Qui impius eſt, non eſt actu membrum „ Eccleſiæ -- Lutheranis fovit ova Eraſmus, qui in dialogo, qui dicitur inquiſitio de fide, ait -- Ab Eccleſiæ Conſortio ſeparatur, quilquis admittit crimen lethale &c. Eccleſia „ non conſtat niſi ex bonis -- Et in cap. 3. Marci: *Eccleſia Chriſti neque ſurdos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit: hujuſmodi enim recipit Synagoga*. Cujus doctrina a facultate Pariſienſi fuit damnata.

Lutherani eſt Donatiſtis conveniunt.

C Quamvis revera Lutheranorum error idem ſit, quem invenerunt Donatiſtæ, tamen, quia aperte tanquam Hæreticos agnoſcunt a primæva ætate damnatos, quærunt ſuffragia, ut diſtinguantur. In primis proclamant eos Hæreticos, quia dicunt illos non admittere valida Sacramenta a malis Chriſtianis adminiſtrata, quod Lutherani concedunt. Verum non fuit hæc ſola hæreſis Donatiſtarum, ſed hanc etiam docebant videlicet, impios ad corpus Eccleſiæ non pertinere, quod & Lutherani, qui inculcant eadem argumenta, quæ illi, ut videre eſt in Melanctone *in Apologia confeſſionis Auguſtana* -- Conveniunt huc ſimilitudines Chriſti, qui „ clamat, bonum ſemen eſſe filios regni, & „ zizania eſſe filios Diaboli -- Cum urgerentur ab Auguſtino, *poſt Collat. cap.* 6. In

D Eccleſia eſſe zizania dicebant, ſed pro agro mundum intelligendum Idem exclamat Philippus ibidem -- Agrum mundum dicit eſſe, „ non Eccleſiam -- Inſiſtente Auguſtino paritate Sagenæ, victi Donatiſtæ falſi ſunt in Eccleſia malos, ſed occultos, ſicut occulti ſunt piſces in reti, in mari. Idem Philippus docet -- Tectam eſſe multitudinem malorum, „ ne id ſcandalum, ſi mali innoteſcerent, „ offendat -- Idem Lutherus *de Servo arbitrio*. Urgente Aug. collat. tertiæ diei parabolam Areæ, in qua paleæ non occultantur, & ovilis, in quo Hædi noti ſunt, primum

E dicebant non eſſe in Evangelio, ſecundo non reſpondebant, donec teſtibus adductis, etiam manifeſtos peccatores coacti ſunt fateri fore de Eccleſia. Non poſſunt ergo ſententiam declinare Lutherani. Quare inhærendo veſtigiis Sanctorum, videndum eſt, an lethali infecti crimine ſint de Eccleſia? Si non ſunt, charitas eſt de conſtitutivo Eccleſiæ, ſecus ſi ſunt.

Dicendum charitatem non eſſe de conſtitutivo Eccleſiæ.

40 PROB. I. Eadem eſt ſubſtantialiter Eccleſia, quæ nunc eſt, cum ea, quæ ſub lege, ſed illa erat peccatoribus mixta; ergo & noſtra. Maj. patet: ſubſtantiale enim conſtitutivum ſervatur integrum ſub utroque

A ſtatu. Minor Iſaiæ 64. v. 6. habetur: *Peccavimus &c., & facti ſumus, ut immundi omnes &c. iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos*; ſed hoc non obſtante erant de Eccleſia, ideo ſubditur: *Ecce reſpice: populus tuus omnes nos*. Et Jeremiæ 5. v. 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in noviſſimo ejus?* Ubi habes bonorum mixturam, & malorum uſque ad noviſſimum diem. Verſat ad rem argumentum hoc Auguſt. *de Unitate Eccleſiæ c.* 13., *& poſt collat. c.* 20.

Vetus Eccleſia ſubſtantialiter eadē cum nova.

B 41 PROB. II. Multitudo, in qua ſunt contumaces corrigendi, & puniendi, non ſolis conſtat juſtis, ſed Eccleſia eſt hujuſmodi: Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum &c. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos &c. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*. Ecce Eccleſiam eſſe ſtatum, in quo neceſſe eſt haberi ſcandala, ad quorum emendationem non ſufficiat privata correptio, nec coram teſtibus.

Scandala ſunt in Eccleſia.

42 PROB. III. In cœtu, in quo eſt neceſſitas, & præceptum dimittendi peccata, ſunt peccatores; ſed in Eccleſia Militante eſt

C neceſſitas, & præceptum dimittendi peccata; ergo in ea ſunt peccatores. Prob. min. Matth. 6. v. 14. docens Chriſtus Eccleſiam modum orandi, jubet poſtulare remiſſionem peccatorum: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater Cæleſtis*. Matth. 18. aſſimilatur Regnum Cœlorum homini Regi, qui poſuit rationem cum ſervis ſuis, inter quos unus eſt, qui debet decem talenta. Et ibidem petenti Petro: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Cui Dominus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Quibus explicatur frequentia peccandi, & dimittendi.

In Eccleſia præceptum adeſt dimittendi peccata.

D 43 PROB. IV. Societas, in qua ſunt inſtrumenta purgativa peccatorum, includit peccatores, ſed Eccleſia eſt hujuſmodi, nam in ea datur Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum pro remittendis peccatis a fidelibus commiſſis: Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Et Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; ergo &c.

In Eccleſia eſt reconciliatio.

44 PROB. V. Præcipua membra Eccleſiæ ſunt Præſules, Epheſ. 4. *Poſuit primum Apoſtolos &c., Paſtores, & Doctores*; ſed in Eccleſia ſunt mali Præſules, cum dicat Chri-

E ſtus Matth. 23. v. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia quæ umque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere*. Si audiendi ſunt, utique de Eccleſia ſunt. Et cap. 24. deſcribitur ſervus a patre familiæ conſtitutus multorum reus criminum: *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem, & bibat cum ebrioſis*; ergo Eccleſia peccatores in ſuo complectitur ſinu.

Paſtores quandoque mali.

45 PROB. VI. Septem Eccleſiæ, quibus ſcribit Joannes Apocal. 2., & 3. ſunt par-

tes veræ Eccleſiæ Dei, ſed in illis plura erant
digna reprehenſione, & in ipſiſmet Præſuli-
bus: ut habetur de Angelo Sardis -- Scio opera
tua, nomen habes, quod vivas, & mortuus
es. Et Paulus 1. ad Corinth. 1. conqueritur,
quod inter ipſos ſint contentiones, & cap. 5.
*Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis
fornicatio, qualis nec inter gentes &c., & vos
inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut
tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.*
Hi de Eccleſia erant, quam Dei appellat Apo-
ſtolus; de Eccleſia erat ille Inceſtuoſus, quem
jubet ſeparari per excommunicationem; de
Eccleſia ſunt, de quibus cap. 11, *Ideo inter
vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt
multi*: Quia indigne manducabant Corpus
Chriſti; de Eccleſia erant, quibus præcipie-
bat, ut ſeipſos probarent pœnitentiâ, abluen-
do peccata, ut de pane Euchariſtico come-
derent: & ſi peccatores de Eccleſia non eſ-
ſent, inane foret præceptum. Quod ſi in Ec-
cleſia particulari peccatores ſunt, illis non
caret univerſalis, ſub ſe continens ſingulares.

Apud Corinthios contentiones.

Agnovit Calvinus vim argumenti *lib. 4.
inſtitut, c. 1. §. 14.* probans non eſſe ab Ec-
cleſia recedendum propter peccatores -- Quid,
„ ſi Apoſtoli ſententia quoque occurrit, inter
„ Corinthios non parvuli erraverant; ſed to-
„ tum prope corpus labes occupaverat. Non
„ una erat peccati ſpecies, ſed plurimæ. Ne-
„ que levia erant errata, ſed horrenda quæ-
„ dam flagitia. Non ſolum erat morum cor-
„ ruptio, ſed doctrinæ. Quid hic Sanctus
„ Apoſtolus Eccleſiam Chriſti, Sanctorum-
„ que ſocietatem agnoſcit? &c.

Hæreticorum confeſſio.

Calvino conſentiunt Lutherani, quate-
nus docent juſtum in quolibet opere peccare:
Sine bonis operibus homines eſſe filios Dei;
ſed per ipſos ſolum filii Dei ſunt incorporati
in Eccleſia; ergo mali, & peccatis gravati,
bonis operibus deſtituti de Eccleſia ſunt. Hinc
confeſſio Aug. *cap.* 8. habet -- Cum in hac
„ vita admixti ſint Eccleſiæ multi mali, &
„ Hypocritæ, qui tamen habent ſocietatem
„ externorum ſignorum cum Eccleſia -- Phi-
lippus Melancton *in Apologia* -- Dicimus ſane,
„ & nos Eccleſiam eſſe vivum Corpus Chri-
„ ſti, quod Spiritu Dei vivificatur, & regi-
„ tur; ſed non oportet omnia membra vive-
„ re vita charitatis -- Similia alii.

46 PROB. VII. Patrum auctoritate.
Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 2. -- Nam & ſi vi-
„ dentur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen
„ impediri debet, aut fides, aut charitas no-
„ ſtra, ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia
„ cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus --
Qua auctoritate uſus eſt Auguſt. contra Do-
natiſtas *in Brevic. cap.* 8., & obmutuerunt.
Et Origenes *homil.* 21. *in Joſue* -- Non eſt
„ poſſibile ad liquidum purgari Eccleſiam,
„ dum in terris eſt, ita ut neque impius in
„ ea quiſpiam, nec peccator reſidere videa-
„ tur; ſed ſint in ea omnes Sancti --

Chryſoſtomus *Pſal.* 39. -- Nec ex per-
„ fectis quidem conſtat univerſa Eccleſia, ſed
„ habet eos etiam, qui otio, & ſocordiæ ſe
„ dedunt, & libenter ſerviunt voluptatibus:
„ & quoniam eſt unum corpus tanquam ex
„ una perſona, hæc & illa pronunciat -- ſci-
licet, Davidis *Multiplicata ſunt ſuper capil-
los &c.* Hieronymus *in cap. primum ad Epheſ.*
A -- Quomodo enim corpus plurima habet ſibi
„ ſubjecta, e quibus ſunt nonnulla vitioſa,
„ & debilia, ita & Dominus noſter Jeſus
„ Chriſtus, cum ſit caput Eccleſiæ, habet
„ membra, omnes (qui in Eccleſia congre-
„ gantur) tam Sanctos, quam peccatores --
Et in Dialogo contra Luciferianos, compa-
rat Arcæ Noe, in qua ſunt pardus, hædi,
lupus, & agni -- Ita, & hic juſti, & pecca-
„ tores -- Gregorius *homil.* 12. *in Evang.* --
„ Quia mali cum bonis, & reprobi cum ele-
„ ctis admixti ſunt, recte ſimilis Virginibus
„ prudentibus, & fatuis eſſe perhibetur --
Idem *lib. 6. Moralium. cap.* 2., *&* 37. *c.* 2.
B Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap.* 43. --
„ Firmiſſime tene, & nullatenus dubites,
„ aream eſſe Catholicam Eccleſiam, & intra
„ eam uſque ad finem ſeculi frumento mixtas
„ paleas contineri, ideſt bonis malos, Sacra-
„ mentorum communione miſceri --

Reliqui Patres in eandem confluunt ſen-
tentiam, quorum mentem aſſecutus eſt Aug.
pluribus in locis, & potiſſimum *Serm. de tem-
pore* 107. -- Habet Eccleſia in ſe fortes, ha-
„ bet infirmos, habet juſtos, habet injuſtos --
Lib. de catechizandis rudibus cap. 17. -- Sicut,
„ qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, ut,
„ aut promereantur homines, a quibus ter-
C „ reſtria commoda expectant, aut quia of-
„ fendere nolunt, quos timent; ſed iſti re-
„ probi ſunt, etſi ad tempus eos portet Ec-
„ cleſia, ſicut area uſque ad tempus venti-
„ lationis paleam ſuſtinet -- Et *tract.* 61. *in
Joan.* explicans illud: *prodierunt ex nobis*, ait
-- Utrumque verum eſt, & ex nobis, & non
„ ex nobis: ſecundum aliud ex nobis, ſecun-
„ dum aliud non ex nobis: ſecundum com-
„ munionem Sanctorum ex nobis: ſecundum
„ ſuorum proprietatem criminum non ex no-
„ bis -- In brevic. *collat.* 3. *cap.* 20. inculcat
exemplum Arcæ Noe -- Hoc etiam ſignificaſſe,
„ quod corvus avis immunda, exierit de Ar-
D „ ca, & non redierit, quæ tamen Arca exeun-
„ te corvo, non utique omnibus immundis
„ animalibus caruit, ſed in ea fuerunt, &
„ munda, & immunda uſque ad diluvium:
„ Sicut in Eccleſia boni, & mali uſque ad
„ ſeculi finem -- Item refert exemplum Pro-
phetarum, qui in eodem Templo ſimul, &
Eccleſia cum Impiis mixti vivebant -- Quod
„ unum Templum fuerit, quo univerſi ute-
„ bantur, nec quemquam Prophetarum, qui
„ tanta dixerunt in malos, conſtituiſſe ſibi
„ aliud Templum, Sacrificia, Sacerdotes --
Exemplum habet Zachariæ, Eliſabeth, Annæ
Viduæ, Simeonis, & Joannis, qui ſimul cum
E peſſimis Hebræorum, ad unam pertinebant
Eccleſiam: his ergo, & aliis habemus perdi-
tam cauſam Donatiſtarum ſimul, & Luthera-
norum, immo & Calviniſtarum, qui omnes
idem ſentiunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

47 OBJIC. I. Sicut neceſſe eſt adimpleri
Prophetarum oracula de Chriſto,
ita quæ de ejuſdem Eccleſia; ſed a Prophetis
prædictum eſt in Eccleſia nullum fore im-

pium,

pium; ergo Eccleſia non eſt mixta bonis, & malis. Min. habetur Iſaiæ 52. *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus, & immundus*. Et ver. 11. præcipitur ſeparatio ab Impiis: *Recedite, recedite, exite hinc, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Loqui autem de Eccleſia Chriſti demonſtrat contextus, in quo plura ſunt ad legem gratiæ pertinentia: demonſtrat Eccleſiæ ſenſus, quæ utitur hoc capite in præviis ſolemniis ad adventum Domini, quod & faciunt Patres, demonſtrat Paulus, qui ad Romanos 2., & 10., & 2. ad Corinth. 6. aſſumit capitis hujus doctrinam; utralio minus negari poteſt pro immundis accipi pravos homines. Separati ſunt ergo ab Eccleſia Impii, nec ad eam pertinent.

RESP. neg. min. Locus in ejus probationem adductus duplicem habet ſenſum: hiſtoricum, & moralem: (ut Cyrillus in hunc locum). Et ſecundum utrumque nobis non officit. In ſenſu hiſtorico agit Propheta de temporali perſecutione Hebræorum, & vaticinatur a ſolutione captivitatis Babylonicæ non paſſuros moleſtiam ab infidelibus inimicis, nec vaſtandam, contaminandamque Jeruſalem. Sancti enim nihil magis timebant, quam tranſitum hujuſmodi incircumciſorum per ſancta loca, & in eodem ſenſu hiſtorico ly *recedite* eſt adhortativum verbum, quo monet captivos, ut ſtatim a Babylone exeant, ſtatuta liberatione.

Senſus myſticus multiplex eſt: ſecundum anagogicum loquitur de Eccleſia triumphante, in qua nullus eſt immundus, cum nihil coinquinatum introire poſſit -- Non eſt ergo tem- *Incircumciſi, & immundi quinam ſint.*
„ pus (*ideſt præſentis vitæ*), quod prædictum
„ eſt, dicente Propheta, non adjiciet ultra
„ per te tranſire immundus, & incircumci-
„ ſus, nunc ergo tranſeunt vel occulti. Nam
„ & hoc ipſum, quod ait, non adjiciet ultra,
„ oſtendit eos prius ſolere tranſire, non am-
„ plius tranſituros -- Aug. *poſt collat.* 9., quibus oſtendit in hoc ſeculo Militantem Eccleſiam recipere immundos, ſecus Triumphantem. Illa vero *recedite &c.* intelliguntur de imitatione morum; unde ſubjungit ad illud *recedite collat.* 3. *cap.* 9. -- Ideſt, diſcerna-
„ mini, aliter vivendo, & immunditiæ non
„ conſenſeritis --

In ſenſu allegorico pro Incircumciſis, & immundis veniunt Infideles, & Hæretici, quibus velut inſtrumentis utuntur Dæmones ad devaſtandam perſecutionibus Eccleſiam; ſed non pertranſibunt, ideſt, non prævalebunt: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*.

Item pro incircumciſo, & immundo venit gentilitas, quæ amplius non pertranſibit, ideſt, non deſeretur; quia lex Chriſti nullum genus hominum rejicit: in Chriſto enim Jeſu nulla eſt diſtinctio Græci, & Judæi, viri, & mulieris: unde prima ad Corinth. 7. *Circumciſus vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? Non circumcidatur*. Illa verba *exite, recedite &c.* intelliguntur, & de particularibus fidelibus, & de Apoſtolis, de primis, ut recederent ad infidelibus, ſuſcepta Chriſti fide: 2 Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: De ſecundis, ut exirent ad gentes evangelizaturi; nullum diſcrimen habentes inter gentes, & Judæos, ſicut præceperat Dominus, & derelinquerent Judæos, velut pollutos, obſtinatos Verbo Dei, & ad Gentiles tranſirent &c.

48 OBJIC. II. Illi ſunt membra Eccleſiæ, qui ſunt de populo Chriſti; ſed ſoli juſti prædicantur de populo Chriſti. Ezech. 37. v. 23. *Emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus &c. dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, & tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus*. Porro vaticinium eſſe de Chriſti Eccleſia adeo clarum eſt, ut non tam videatur Prophetia, quam veritas ipſa.

RESP. neg. min. Nec id intendit Propheta; prædicit quidem ſtatum legis gratiæ, non tamen ſolos juſtos in ea reponit: vult futuram Eccleſiam eſſe ſanctificationis locum; quia in ea conſtituit Deus inſtrumenta ſanctificativa; emundavit omnes, quia omnes *Eccleſia locus ſanctificationis.* ſanguine ſuo Dominus redemit, & inſtituit Baptiſmum, lavacrum regenerationis; in quo omnes abluere poſſunt ſua crimina: Act. 22. v. 16. *Baptizare, & ablue peccata tua*: aſſeritque ibidem Propheta, quod non amplius erunt duo Regna, ſed unus Paſtor, & unus populus, quia Chriſtus fecit ex utroque lapide unum, videlicet ex gentilitate, & judaiſmo. Sanctificatos in Chriſto Jeſu vocat Corinthios Apoſtolus, quos de gravibus arguit.

49 OBJIC. III. Hi, quos Chriſtus non recipit in Eccleſiam, de Eccleſia non ſunt; ſed impios in Eccleſiam non recipit, ſecundum Prophetiam Aggæi 2. ubi de Eccleſia Chriſti prophetans propoſita quæſtione, an pollutus in anima, ſi tetigerit panem, pulmentum, vinum, oleum &c. contaminabitur? Reſpondentibus Sacerdotibus affirmative, ſubdit: *Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus; & ſic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt*. Quibus oſtenditur Deum reſpicere, & recipere ſolos ab Immundis ſeparatos.

RESP. neg. min. Quam non evincit auctoritas Aggæi, qui loquitur de receſſu per imitationem de ſeparatione per diverſitatem morum, ut ſcilicet boni malorum opera non exerceant, Quem locum verſans Auguſtinus *poſt collat. cap.* 20. retorquet in adverſarios oſtendendo ex littera Prophetæ prohiberi unitatem morum inter mundos, & immundos, non tamen fieri duos populos, nec duo Regna, quia tam boni, quam mali idem Templum habebant, eoſdem Sacerdotes, idemque Altare, quod fuſe proſequitur Sanctus Doctor, & exemplis demonſtrat: ſed ſequentia ſufficiant -- Sic, & Aggæus noverat duos
„ populos in uno populo, unum Templum
„ intrantes, ſub uno magno Sacerdote vi-
„ ventes, & alterum oſtendebat immundum,
„ alterum ad immundum accedere prohibe-
„ bat: & tamen nec illos, nec ſeipſum ab
„ eodem Templo, & ab iiſdem, altaribus
„ ſeparabat; ergo ſpiritalem prohibebat ac-
„ ceſſum, conſenſionemque factorum, quod
„ & ipſa verba clamant --

DICES. Si prohiberet Deus ſolam ſpiritua-

Digitized by Google

ritalem ſeparationem, non vetaſſet Prophetæ
comedere panem in Samaria, ubi erant peſſi-
mi Iſraelitæ juxta illud 3. Reg. 13. *Non co-
medes panem, neque bibes aquam*. Cum ergo
corporalis interdicatur converſatio, ſignum
eſt, malos non miſceri bonis in Eccleſia.

RESP. neg. ant. Tum, quia crimen ad
quod arguendum venerat, pertinebat ad Ido-
lolatriam: nam conſtituerat Rex vaccas eſſe
adorandas, & erexerat altare; cum infideli-
bus autem non datur unitas in Eccleſia: tum
quia (eſtque litteralis ſenſus) præcepit hoc
Deus in pœnam ipſorum, qui peccaverant,
ut hinc agnoſcerent culpæ gravitatem, Ita
Aug. *loco cit*. Ceterum non erat diverſi ge-
neris Eccleſia ſub illo Propheta, ac ſub Moyſe,
Samuele, & David, & tamen ſub Moyſe erant
quidam Deum offendentes, quidam Deo pla-
centes: de graviſſimo ſcelere redarguerat Sa-
muel Saulem, & nihilominus ivit cum eo ad
ſacrificium, quem æterna ſententia damnave-
rat Deus. Similiter David in idem Templum
ad ſacrificia cum malis ingrediebatur.

50 OBJIC. IV. Si Eccleſia Chriſti eſt
tota pulchra, & maculam non habens, ſi per-
fecta, & decora, amica, & columba, non
habetur mixtura bonorum, & malorum; ſed
ita eſt; Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea,
& macula non eſt in te*; & cap. 6. *Una eſt co-
lumba mea, perfecta mea*; ergo. Maj. clara
eſt: ubi enim totum eſt pulchrum, non po-
teſt ei aſſignari pars aliqua turpis: perfectum
ſiquidem eſt, cui nihil deeſt: Et ideo ex hoc
concludit Aug. *tract. 6. in Joan.* malos non
eſſe membra Eccleſiæ -- Quæro, utrum ad hu-
„ jus columbæ membra pertineant avari, ra-
„ ptores, ſubdoli, ebrioſi, flagitioſi? membra
„ ſunt columbæ hujus? Abſit, inquit: & re-
„ vera fratres, quis hoc dixerit, ut nihil aliud
„ dicam? Raptores ſolos ſi dicam membra,
„ accipitris poſſunt eſſe, non membra colum-
„ bæ, Milvi rapiunt, accipitres rapiunt, cor-
„ vi rapiunt, columbæ non rapiunt, non di-
„ laniant -- *Lib. 4. contra Donatiſtas cap.* 3.--
„ Quod, ſi in iſta Eccleſia non ſunt mali,
„ ad cujus membra non pertinent, non ſunt
„ in Eccleſia, de qua dicitur: una eſt colum-
„ ba mea; una eſt matri ſuæ; ipſa eſt enim
„ ſine macula, & ruga; aut aſſerat, qui poſ-
„ ſunt hujus columbæ membra eſſe? Qui ſe-
„ culo verbis, non factis renunciant -- Ejuſ-
dem ſenſus videtur eſſe Cyprianus *lib. 4. epiſt.*
4., cujus verbis addit Auguſt. -- Quod ſi eos
„ in ſuis membris, nec illa columba cogno-
„ ſcit -- Non ergo mali ſunt de Eccleſia.

RESP. neg. maj. Stat enim Eccleſiam ta-
liter nuncupari, & tamen in ea miſceri malos:
Etenim Cant. 1. dicitur: *Nigra ſum, ſed for-
moſa, ſicut tabernacula Cedar*, ubi Aug. *lib.
3. de Doctrina Chriſt. cap.* 32. quomodo nigra,
& formoſa? Non dicit fui, ſed ſum --
„ Utrumque ſe eſſe dicit propter temporalem
„ unitatem, intra una retia piſcium bono-
„ rum, & malorum -- Et Cant. 2. *Sicut li-
lium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*,
Ad hæc Aug. *de unitate Eccl. cap.* 13. qua
ratione hoc intelligitur? -- Unde appellat
„ ſpinas, niſi propter malignitatem morum?
„ Unde filias, niſi propter Communionem
„ Sacramentorum? -- & cum eodem bene

advertendum eſt, non dicere Scripturam in
A medio alienarum, ſed filiarum, ut intelliga-
mus male viventes etiam in Eccleſia eſſe.
Quo vero ſenſu explicentur præcitata in
objectione; alii alia dicunt.

Quidam diſtinguunt in eadem Eccleſia
una, & univerſali, tres velut partiales con-
gregationes, unam prædeſtinatorum, ad quam
non pertinent reprobi, perfectorum aliam, a
qua excluduntur imperfecti, tertiam mixto-
rum, in qua boni, & mali. Ratione primæ
velut congregationis verificatur, quod ſit glo-
rioſa, ratione ſecundæ, quod tota pulchra
ſit, ratione tertiæ, quod ſit nigra, & for-
moſa. Verum abſtinendum eſt ab hac do-
B ctrina propter Hæreticos conſimiliter diſcur-
rentes contra fidem, propter Patres, qui
nuſquam duas admiſerunt Eccleſias, licet di-
verſos ſtatus vellint. Unde Aug. redarguit
Ticonium, ex quo dixerit corpus Chriſti bi-
partitum, propter rationem: nam iſtæ diver-
ſæ congregationes ſic deſcriptæ ſe totis diffe-
runt; habet enim diverſa conſtitutiva eſſen-
tialia, ut patet, exiguntque proinde diver-
ſas proprietates, & ſigna, ac proinde non
poſſunt conſtituere unam Catholicam Eccle-
ſiam.

Quidam figuram ſynecdoche ibi intelli-
gunt, eamque dicunt pulchram, perfectam,
C ratione partis principalioris, qualis ſunt juſti:
ſicut Civitas Januenſis dicitur opulenta, licet
in ea non deſint pauperes, & mendici. Ve-
rum non videtur verificari particula negati-
va, quæ diſtribuit de ſingulis: & *macula non
eſt in te*: Ut ſtemus in exemplo; propter po-
tiorem partem non recte diceretur: Civitas
Januenſis tota dives eſt, & non eſt pauper in
ea; non inficias imus in Scripturis quando-
que ſimiles uſurpari locutiones; dicebat enim
Paulus Phil. c. 2. v. 21. *Omnes quæ ſua ſunt
quærunt*; & tamen erant nonnulli quærentes,
quæ Jeſu Chriſti: & 1. Corinth. 10. *Patres
noſtri mare tranſierunt*; cum & filii, & ma-
D tres tranſierint: hic dicendi modus non eſt
reprobandus.

Quidam credunt denominationem pul-
chri, ſecundum totum tribui Eccleſiæ ratio-
ne diverſorum ſtatuum, & temporum, quæ
habuit, ſub quibus ſemper fuerunt Sancti,
& viri perfecti, & Martyres. Quidam unam
faciunt Eccleſiam Militantem, & Triumphan-
tem, unitate ſucceſſionis: quia ſtatui viæ ſuc-
cedit ſtatus patriæ; & Triumphanti accomo-
dant privilegia recitata Cant. 4., & 6. Qui-
dam ad comparativum ſenſum accurrentes,
totam pulchram appellant relative ad ceteros
hominum cœtus, qui in mundo ſunt; his ta-
E men prætermiſſis.

51 Dicendum eſt omnimodam purita-
tem Eccleſiæ tribui, & perfectionem, pro- *Eccleſia cur ſancta, cum plures habeat peccatores?*
pter legum juſtitiam, quibus alligantur ſin-
gula membra, propter dogmatum integrita-
tem, quibus ſinguli fideles credunt, propter
Sacramentorum excellentiam, quibus univerſi
de Eccleſia indigent, propter capitis Chriſti
ſanctitatem, cui, quotquot ſunt, tenentur
ſubdi, propter ordinis Hierarchici dignita-
tem, cui ſecundum diverſos reſpectus ſinguli
orthodoxi inſeruntur; perſonales verò defe-
ctus non redundant in denominationem Ec-
cleſiæ;

cleſiæ; denominatio enim a conſtitutivis, & forma deſumitur.

Auguſtinum nobiſcum ſentire nunc vidimus. Ceterum, quæ primo loco ponuntur, non ſunt Aug. aſſerentis, ſed interrogantis, & ad hominem arguentis contra Donatiſtas, qui aſſerebant eorum Eccleſiam eſſe columbam, nullum malum admittentem. *Tract. 6. in Joan.* eos revincit, quod ad columbam non pertineant raptores milvi &c. deinde petit; an inter ipſos vel unus raptor ſit, vel fuerit; ſi concedunt, urget, cur non rebaptizent ab illo baptizatum; cum non ſit a columba; ſi negant; urget facta, & demonſtrando inter ipſos eſſe malos, inſolubiliter probat teneri ipſos aſſerere in Eccleſia Catholica miſceri malos, & B concludenter ait -- Quid ergo fratres, quid „ dicimus? mali, & boni ſunt in Eccleſia „ Catholica &c. nos autem fatemur in Ec- „ cleſia Catholica & bonos, & malos eſſe, „ ſed tanquam granum, & paleam -- Videatur ibid.

Secundo loco *in object. cit.* pariter ad hominem arguit contra Donatiſtas ex doctrina Sancti Cypriani *lib. 5. Epiſt. 4.*, quem ſequebantur circa Baptiſmum collatum ab Hæreticis, ſic acutiſſime diſcurrens: non valet per Cyprianum baptiſmus ab Hæretico, quia non eſt membrum columbæ non habentis maculam, atque rugam; ſed per Cyprianum ne- C que illi, qui verbis ſeculo renunciant, ſed non factis, membra ſunt hujus columbæ; cum maculati ſint, & tamen ipſe non rebaptizaret, ſi redirent ad legis obſervantiam, ab eis baptizatos; ergo neque baptizati ab Hæreticis rebaptizandi ſunt. Quando verò dicit malos non eſſe membra columbæ, loquitur de membro vivo finaliter. Si volumus attendere ad id, quod aſſerit *lib. 2. retract. cap. 18.* dicens, quod -- Ubicumque in libris contra Donati- „ ſtas commemoravi Eccleſiam, non haben- „ tem maculam, aut rugam, non ſic acci- „ pienda eſſe, quaſi jam Eccleſia talis ſit, ſed „ quod jam præparetur, ut ſit -- & hoc ſuffi- D cit pro argumento ad hominem. Quia Hæretico ſuſcipienti Sacramentum non prodeſt, ideo Hæreticus alteri non confert Sacramentum, ex Cypriano in hoc tamen decepto: ſed neque membro non vivo prout ſic prodeſt; ergo neque illud poteſt alteri conferre, quod negatur ab ipſis.

52 OBJIC. V. Obediens legibus, & Deum diligens, ſolum membrum eſt Eccleſiæ, Eccl. 47. *Filii ſapientiæ Eccleſia juſtorum, & natio eorum, obedientia, & dilectio*; ſed ſoli juſti obediunt legibus, & Deum diligunt; ergo ſoli ſunt membrum Eccleſiæ.

RESP. neg. maj. Quam non evincit auctoritas inducta: ibi enim ponitur abſtractum pro concreto, quod non raro fit in Scriptura; ut cum Paulus vocat Chriſtum factum pro nobis peccatum; quia aſſumpſit naturam peccatricem, & onus ſatisfaciendi pro peccatis noſtris. filii ſapientiæ, ideſt veritati credentes, ſunt de Eccleſia profitente juſtitiam, & natio eorum obedientiam, & dilectionem profitetur; non autem ſenſus eſt, quod ſinguli juſti ſint, & obedientes.

Filii Eccleſiæ dicuntur obedientes.

OBJIC. VI. Eccleſia comparatur pani, 1. ad Corinth. cap. 10. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus*; Sed panis non A conſtat paleis, & grano, ſed ſolo grano; ergo Eccleſia ſolis bonis.

RESP. retorquendo argumentum, ideo panis ſumus ex Paulo: *Quia omnes de uno pane participamus*, ſcilicet Euchariſtiæ. At idem Paulus cap. ſeq. plures reprehendit indigne de hoc pane participantes, in pane alias non raro vel vitio hominum, vel negligentiâ, multa grana lolii, vel furfur miſcentur. Paritas in eo ſtat, quod ſicut panis ex pluribus granis conficitur, ita Eccleſia ex pluribus hominibus, media aqua Baptiſmatis, juxta Cyprianum *lib. 1. epiſt. 6.* -- Quan- „ do Dominus corpus ſuum panem vocat, B „ de multorum granorum adunatione conge- „ ſtum, populum noſtrum, quem portabat, „ indicat adunatum --

Eccleſia pani comparata.

53 OBJIC. VII. Omnia membra Eccleſiæ in uno conveniunt ſpiritu, 1. ad Corinth. 12. *In uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus*; ſed peccatores eo carent ſpiritu, quo vivunt juſti; ergo peccatores non ſunt de Eccleſia.

RESP. neg. min. Spiritus enim, quo in unum conveniunt membra, eſt fidei donum, & ideo accurate ponit Paulus: *In unum corpus baptizati ſumus*. Tam peccatores, quam juſti dono fidei gaudent, adeoque omnes ſunt C de Eccleſia, licet juſti præter ſpiritum fidei habeant etiam illum charitatis: Baptiſmus enim eſt Sacramentum fidei.

Per fidem uniuntur fideles.

54 OBJIC. VIII. Soli filii Dei ſunt membra Eccleſiæ, ad Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Spiritus autem Chriſti eſt charitas: *Nam, qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei*. ibid. Sed peccatores non ſunt filii Dei, 1. Joan. 3. *Omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo*; ergo peccatores non ſunt filii Eccleſiæ.

RESP. Pluribus titulis homo dici poteſt Dei filius, creatione, Deut. 32. *Numquid non ipſe eſt pater tuus, & creavit te?* Regenera- D tione, ad Gal. 3. v. 26. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, in Chriſto Jeſu*. Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*. Adoptione, ad Rom. 8. v. 15. *Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*. Imitatione, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii patris veſtri*. Doctrinâ, quatenus Evangelium didicit, ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: Ad hoc autem, ut quis ſit membrum Eccleſiæ, non eſt neceſſe, quod ſit filius Dei omnibus hiſce modis, ſed ſufficit, quod E habeat filiationem regenerationis, & doctrinæ, videlicet, quod Chriſti doctrinam ſuſcipiat, & ſuſceptione Baptiſmatis illam profiteatur: filiatio verò adoptionis, & imitationis neceſſaria eſt, ut ſit membrum fructiferum. Stat hinc, quod quis ſit filius doctrinâ, & Baptiſmo, & a charitate deficiat; adeoque quod membrum ſit Eccleſiæ.

Qui filii Dei multipliciter.

55 OBJIC. IX. De ratione membri alicujus corporis eſt communicare cum aliis membris, ad Rom. 12. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra: habentes donationes ſecundum gratiam,*

tiam , quæ data eſt nobis . Sed mali cum bonis non communicant, 2. ad Corinth. 6. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate , aut quæ ſocietas luci ad tenebras* ; ergo mali non ſunt de Eccleſia .

Membra Eccleſiæ per fidem unita.

RESP. Communicant enim omnia Eccleſiæ membra ſecundum donationem fidei , & regenerationis , licet non omnia communicent ſecundum donationem gratiæ gratum facientis : neg. autem min. nam Paulus ibi loquitur de Infidelibus , ut patet ex textu : *Nolite jugum ducere cum infidelibus . Quæ autem conventio Chriſti ad Belial ? aut quæ pars fideli cum infideli ? quis autem conſenſus Templo Dei cum Idolis ?* Infideles vero non ſunt de Eccleſia , Ideo ab illis facienda eſt ſeparatio , quoad Doctrinam , Templum , & Altare , ſubdens : *Propter quod exite de medio eorum , & ſeparamini* : Aſſerique Scripturam a nobis adductam ex Iſaia *in 1. object.*

Quoniam tamen nonnulli pro infidelibus intelligunt fideles gentiliter viventes , ideſt , non obſervantes præcepta legis Divinæ , quam profitentur , & Paulus 1. ad Corinth. 5. vetat cum avaris , ebrioſis , & ſimilibus cibum ſumere , dicendum eſt , ſeparationem præcipi , quo ad imitationem ; & quia in familiari converſatione conviviorum , & colloquiorum adeſt periculum , ne mali bonos trahant ad vitia ſequenda ; cap. 15. *Nolite ſeduci , corrumpunt bonos mores colloquia mala* ; ideo vetat cum eis ſumere cibum : ſic reſpondit Donatiſtis Aug. *poſt collat. cap.* 5. — Non ita polluunt „ mali bonos in eodem agro , in eadem area , „ in eiſdem paſcuis , in eiſdem retibus con- „ ſtituti , quia non eis communicant boni , „ ſed Altari , & Sacramentis Dei : commu- „ nicant autem malis , qui conſentiunt ma- „ lorum factis -- Et cap. 6. Scripturam Pauli explicat reſpective ad finem ſupplicii , vel præmii -- Nullam cum bonis habent mali „ participationem ſalutis , vel perditionis : „ quæ enim participatio juſtitiæ ad iniquita- „ tem ? Nullam habent cum bonis mali ſo- „ cietatem Regni , aut ignis æterni : quæ „ enim ſocietas luci ad tenebras ? non habent „ mali cum bonis conſonantiam vitæ , aut „ voluntatis : quæ enim conſonantia Chriſti „ ad Belial ? non habent boni cum malis par- „ tem , nec in pœna criminis , nec in præmio „ pietatis : quæ enim pars fideli cum infi- „ deli ? --

56 OBJIC. X. Eccleſia eſt myſticum Chriſti corpus . 1. ad Corinth. 12. *Vos autem eſtis corpus Chriſti , & membra de membro* : & cap. 6. v. 15. *Neſcitis , quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti* ; Sed peccatores non ſunt Chriſti membra ; ergo non pertinent ad myſticum Eccleſiæ corpus . Prob. Min.

Membrum Chriſti unitur Chriſto ; ſed peccator non unitur Chriſto : *Quia manet in charitate , in Deo manet* : Joan. 1. cap. 4. peccator charitate caret , & qui adhæret meretrici , unum corpus efficitur 1. ad Corinth. 6. non ergo adhærent Chriſto ; nam , qui adhæret Deo , unus ſpiritus eſt . Aliàs membra Chriſti ſunt Templum Dei 2. ad Corinth. 6. v. 16. *Vos eſtis Templum Dei vivi* : At peccatores ſunt domus Diaboli : Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis* ; ergo peccator non eſt membrum Chriſti .

Eccleſia myſticum Chriſti corpus.

RESP. Fide certum eſt Eccleſiam eſſe corpus myſticum Chriſti , ita dictum , quia Chriſtus eſt caput influens dona gratiæ permanentia , ad proportionem corporis naturalis , in cujus membra influit caput , cum hac differentia , quod caput naturale influxum aliquem a membris recipit , ſecus caput myſticum Chriſtus ; in ceteris enim corporibus myſticis etiam caput indiget membris .

Inter membra vero corporis naturalis , & myſtici , alia differentia occurrit ; quod nullum naturale membrum unius corporis poteſt eſſe alterius membrum , ut inductione conſtat , niſi monſtrum velimus admittere ; ceterum membrum myſticum connaturaliter pertinere poteſt ad multiplex corpus , ut patet : idem homo , qua Catholicus , membrum eſt corporis Eccleſiaſtici , qua civis , membrum eſt Reipublicæ civilis : Idem homo , qua incola , eſt membrum unius civitatis , qua beneficium habens pertinere poteſt ad aliam , & datur caſus , quo iſtæ civitates ſint inter ſe adverſæ ; bona porro permanentia gratiæ ſunt in triplici differentia , fidei , charitatis , & fruitionis ; ſicut bona vitæ ſunt in triplici genere , vegetativæ , ſenſitivæ , & rationalis ; vita vegetativa eſt fundamentum , & radix omnium perfectionum vitalium , non pertingentium ad ſenſitivum ordinem : ſenſitiva ſenſibilium , & rationalis rationalium ; ita proportionabiliter in ſupernaturali ordine gratiæ ; fides eſt radix , & fundamentum omnis ſupernaturalis perfectionis , juxta illud : *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum* : Charitas eſt forma radicans omnes virtutes , & perfectiones frugiferas , & meritorias : *& ſi tradidero corpus meum , ita ut ardeam ; charitatem non habuero , nihil mihi prodeſt* : Viſio beata eſt forma radicans omne donum felicitans in æterna beatitudine ; & ſicut , quandoque vita vegetativa datur ſine ſenſitiva , quandoque cum ſenſitiva , quandoque etiam cum rationali ; ita quandoque fides eſt ſine charitate , quandoque cum illa , & hæc quandoque cum clara Dei viſione . Poſita certa hac doctrina .

Chriſto unitur , qui credit .

RESP. ad 1. prob. Membrum Chriſti unitur Chriſto in uno credito , vel viſo , concedo , in uno credito , & amato ſimul , vel viſo , nego maj. ſed peccator non unitur Chriſto , in uno amato , concedo , in uno credito , nego : una enim ex prædictis formis neceſſaria eſt , & ſufficit , ut homo dicatur Chriſti membrum ; ſicut , ut planta dicatur viventis ordinis , unus ſufficit gradus vitæ ; & ut homo dicatur membrum Civitatis alicujus , ſufficit incolatus , nec eſt neceſſe beneficii vinculum .

Ad 2. neg. conſeq. Sicut ſtat , quod adulter adhæreat meretrici , & uxori ſecundum diverſa , & quod idem civis ſit unius civitatis titulo incolatus , & alterius etiam inimicæ cauſa beneficii ; ita ſtat , quod ratione fidei Chriſtianus Chriſti ſit , & unus cum eo fiat fidei ſpiritus , & adhæreat meretrici , voluptati inordinatæ deſerviens : non enim ſunt contradictoria ſecundum idem , ſed penes diverſa .

Idem poteſt eſſe Chriſti , & Diaboli membrum.

Ad 3. Idem Chriſti membrum eſt Templum Dei , quia in eo inhabitat per fidem , eſt Domus Diaboli , quia male vivendo imitatur

tatur

tatur Diaboli opera : conſonat, quod ſecundum rationem univerſalis formæ, membra ejuſdem corporis conveniant ad invicem, & cum capite, & ſecundum rationes particulares contrarientur. Patet hoc in politicis : duo enim cives ſunt ratione incolatus de una, & eadem civitate : poſſunt tamen ad invicem diſſentire ob motiva ſingularia. Patet in naturalibus : duo membra conveniunt in identitate unius formæ communis dantis eſſe, & tamen qualitates patiuntur particulares contrarias : unum ſolidum eſt, aliud fluidum, unum calidum, aliud frigidum, ita in corpore Eccleſiæ bonus, & malus conveniunt in identitate formæ dantis eſſe Chriſtianum, & contrariantur in qualitatibus particularibus juſtitiæ, & injuſtitiæ.

57 OBJIC. XI. Qui transfertur ad Synagogam Gentilitatis, non remanet Eccleſiæ membrum ; ſed lethaliter peccans transfertur ad Synagogam Gentilitatis ; ad Rom. 2. *Si prævaricator es legis, circumciſio tua præputium facta eſt* : alloquitur Judæos pro ſtatu nondum mortuo per Paſſionem Chriſti, & dicit Judæum, legis trangreſſorem, transferri ad gentilitatem : cui conſonat Joan. Apocal. 2. de quibuſdam Judæis male viventibus : *Blaſphemaris ab his, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt ; ſed ſunt ſynagoga Satanæ* : nullus ergo in ſenſu compoſito peccati eſt de Eccleſia.

RESP. neg. min. (Niſi ſit peccatum Hæreſis) nec Paulus loquitur de translatione per mutationem Eccleſiæ, ſed per imitationem ; quatenus tranſgredienti legem ſit inutilis circumciſio, ſicut præputium ad ſalutem non prodeſt, quia non obſervat, quod circumciſione profeſſus eſt : utrque demonſtrare, ut docet D. Th. ad Rom. 2. lect. 4. circumciſione ad ſalutem non perducere adultum ſine legis obſervantia. Locus Apocalypſis loquitur de Judæis profeſſione talibus, ſed non moribus, qui vocantur Synagoga Satanæ, ideſt adverſans bono, non autem, quod extracti eſſent de Eccleſia ; immo, quia de Eccleſia, & ab ipſis patiebatur ſecundum D.Th. ibidem Angelus Smirnæ tribulationem, & paſſurus erat graviſſimam, utpote a domeſticis, hinc eſt quod Gloſ. dicit -- Nulla peſtis efficacior ad nocendum, quam domeſticus hoſtis -- Niſi velis dicere : revera illos Judæos fuiſſe contumaces contra fidem Chriſti, propter quam cauſam perſecuturi erant paſtorem Eccleſiæ Smirnenſis ; quamvis ſub motivo zelandi legem aliàs bonam, ſed jam Chriſti morte ſepultam.

58 OBJIC. XII. Membra Eccleſiæ ſunt hi, qui ſuperædificantur fundamento, quod eſt Chriſtus, 1. Petri 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo vero electum, & honorificatum* ; ſed ſoli juſti ſuperædificantur fundamento Chriſti, ibidem : *Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis* : Vivi enim lapides ſunt, qui charitatem habent, & gratiam.

RESP. maj. veram eſſe, ſi intelligatur de ſuperædificatione, quæ eſt unio cum Chriſto, 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus* Ideſt fides Jeſu Chriſti, hoc autem modo etiam peccatores ſuperædificantur, cum retineant fidem, quæ non amittitur per quodlibet peccatum : ſi verò intelligatur de ſuperædificatione poſitiva per opera, diverſimode ſuperdificant fideles, ut loco cit. docet Paulus : *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſq. opus manifeſtum erit* : Ubi pro auro &c. intelliguntur opera charitatis, pro ligno &c. peccata venialia, ut eſt communior interpretatio, qua uſi ſumus in Controverſis de Purgatorio ad probandam ejus exiſtentiam : quare habens fidem alius operatur opera bona, alius mala, ſed nullus fidem amittit : Petrus quidem de vivis lapidibus loquitur, non tamen ſupponit omnes fideles, ſeu in Chriſtum credentes eſſe vivos, ſed adhortatur, ut vivi lapides ſint, & viva opera exerceant. Niſi velimus cum Gloſ. dicere, vivos lapides vocari, quia fideles non ſunt inſenſibiles, ſed per diſcretionem eruditi, ideſt, quod non credunt Chriſto ſine ratione, & motivo, velut res inanimes, ſed vere ſcientes, & inſtructi in Verbo Dei.

Habentes fidem alii bene, alii mala agunt.

59 OBJIC. XIII. Sola ſanctitas eſt forma, qua membra Eccleſiæ Chriſto uniuntur ; ſed impii carent ſanctitate ; ergo carent unitate cum Chriſto. Maj. habetur Joan. 17. v. 18. ubi rogat Patrem ad hoc, ut ſanctificet eos, qui debent facere unum myſticum corpus cum illo : *Sanctifica eos in veritate &c. & pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint, & ipſi ſanctificati in veritate &c. rogo &c. ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia me miſiſti* : Solum autem affective poſſumus unum eſſe cum Patre, cum quo Chriſtus eſt unum per identitatem ; ergo cum hanc unionem poſtulet inter fideles, & ipſum, ut ſint unum corpus myſticum, neceſſaria eſt gratia ; & ideo Aug. *tract.* 108. -- Quoniam, de quibus hoc ait, ut dixi, „ membra ſunt ejus, & unus eſt Chriſtus ca„ put, & corpus -- Et ideo ſanctificatur caput, & corpus, ac proinde ab eo excluduntur impii.

RESP. neg. maj. Scripturæ verò adductæ multiplex eſt expoſitio, & nulla contra veritatem catholicam. Prima intelligit de ſanctificatione per Sacrificium, ut ſit ſenſus, ſanctifico meipſum per Sacrificium mortis, ut ſanctificentur diſcipuli in veritate, ideſt, non figuraliter, ſicut in veteri lege. Secunda intelligit de ſanctificatione muneris Apoſtolici, & ſenſum reddit, ſicut ego, qui ſum veritas, ſanctifico meipſum recta prædicatione, ita ſanctificari ſint ipſi, ideſt, recte illuſtrari, & ſtabiliter confirmari, ut poſſint rectam prædicationem exercere, nec a veritatis tramite declinare. Tertia intelligit de ſanctificatione per gratiam, ſed illam non extendit ad ſingula membra, ſed ad ſolos prædeſtinatos ; ſed cum Scriptura aſſerat : *Non pro eis rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt, per verbum eorum in me* : & non omnes, qui crediderunt, fuerint prædeſtinati, ſequitur hanc expoſitionem non fore omnino litteralem.

Quarta

Quarta expoſitio intelligit de ſanctificatione quoad ſingula membra, quæ eſt in cognitione veritatis fidei, & mandatorum; ideo dicit (*Sanctificati in veritate*) veritas enim Dei, utpote Divina, nullamque falſitatis mixtionem habens, ſancta eſt; ſimiliter ſequentia (*Ut unum ſint, ſicut tu in me, & ego in te*) loquuntur de cognitionis fidei unitate, ad Eph. 4. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus, qui eſt unus Dominus, & una fides*. Petit ergo ut hoc modo uniantur, quod credant in me, & in te: hinc eſt, quod ait D. Th. *lect.* 5. Sicut Pater formaliſſime eſt in filio identitate naturæ communicatæ per cognitionem, ita & nos ſumus in Chriſto unum corpus unitate fidei: quod ſi quis velit Chriſtum orare pro ſanctificatione per charitatem, dicendum eſt, attendere non ad ſubſtantialem unionem membrorum Eccleſiæ, ſed ad ejus perfectionem, & finem immediatum; additur enim: *Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum*. Et licet pro omnibus credentibus oraverit, non tamen pro omnibus fuit efficaciter exauditus, quantum ad effectum ſimplicis voluntatis, cum non omnes credentes aſſecuti ſint charitatis perfectionem; hi tamen non deſinunt eſſe de Eccleſia, cum ab unitate ſolum, & a petitione incredulos excludat: *Pro eis rogo, & non pro mundo*; ideſt contrapoſitive mundus accipitur ad eos, qui crediturí ſunt per verbum prædicationis: Quod verò additur: *Ut credat mundus, quia tu me miſiſti*, intelligitur non de fide Theologica, & Catholica, ſed de evidentia credibilitatis, ut non ſit per ignorantiam excuſabilis: & ideo infra dicit: *Ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti &c.*

Sanctificatio in veritate eſt a fide.

60 OBJIC. XIV. Domeſticus Dei, & civis ſanctorum non poteſt eſſe peccator; ſed ſingula membra Eccleſiæ ſunt Domeſtici Dei, & cives ſanctorum, ad Epheſ 2. v. 19. *Ergo jam non eſtis Hoſpites, & Advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in domino, in quo, & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. in qua Scriptura omnia fere verba exprimunt, peccatores non eſſe de Eccleſia. Primo loquitur generaliter de omnibus, & ſingulis. Secundo credentes, qui ſunt ſuperædificati, Domeſtici, & Sanctorum cives dicuntur. Tertio omnis ædificatio, ideſt omnis fidelis creſcit in Templum Sanctum, & ſinguli coædificantur in habitaculum Spiritus Sancti. Propter hæc Eccleſia dicitur Sancta in Symbolo Apoſtolico, quia non conſtat niſi ex Sanctis.

RESP. neg. maj. pro quo notandum eſt Paulum loqui de gentibus converſis ad Chriſtum. Et quia in ſcripturis Eccleſia quandoque domus Dei, quandoque Civitas dicitur, ideo ponit non eſſe hoſpites, ſed domeſticos, quod ad Domum refertur; non eſſe advenas, ſed cives, quod ad Civitatem, & ſenſus eſt converſione participes factos eſſe familiæ, & Civitatis Dei, quæ eſt ſanctitatis, ideſt, in qua fiunt Sancti. Deinde procedit explicare, quale ſit hujus fundamentum, Chriſtum videlicet ab Apoſtolis evangelizatum, & a Prophetis prædictum; proſequitur demonſtrare, quod in Chriſto omnis ædificatio conſtruitur, quæ tunc fit, quando homines ad fidem convertuntur, omnis ſive Gentilis, ſive Judæus. Tertio declarat, quomodo augeatur in Templum Dei, quando multiplicantur, qui ſalvi fiunt, Act. 6. *Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum*. Tandem, & ipſos coædificari aſſerit, id eſt participes factos ædificii habentis pro fine præparare credentes, ut fiant habitaculum Spiritus Sancti media charitate. Quare deſcribit Apoſtolus qualitatem ſtatus, & profeſſionem, quæ eſt ſanctificare, non autem probat ſingulos de Eccleſia eſſe ſanctos: & ſancta dicitur in Symbolo Eccleſia, quia eſt ſtatus profitens ſanctitatem. Sicut militaris dicitur Civitas, quæ profeſſionem facit militiæ, & quia denominatio a ſtatu, & profeſſione deſumitur, ideo etiam, ſi plures ſint iniqui, iniqua dici non poteſt.

Eccleſia dicitur domus, & Civitas.

61 OBJIC. XV. Peccator eſt mortuus Chriſto, 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Sed membrum corporis vivi non poteſt eſſe mortuum; nam mortuum membrum ſecundum Phil. 2. De Anima, non eſt niſi æquivoce membrum, ſicut homo pictus dicitur æquivoce homo; ergo peccator non eſt membrum Eccleſiæ.

RESP. in ordine ſupernaturali dari triplicem vitam, fidei, charitatis, & fruitionis. Vita fidei Joan. 5. v. 24. *Qui Verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam &c. Nunc eſt, quando mortui* (ideſt infideles) *audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent*; quia fides ex auditu. Ad Galat. 2. v. 20. *In fide vivo Filii Dei*. 3. cap. 11. *Quia juſtus ex fide vivit*, & alibi; vita charitatis 1. Joan. 3. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Ad Galat. 5. v. 25. *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus*, vita fruitionis Act. 13. *Præordinati ad vitam æternam*. Ad Rom. 5. *In vita regnabunt per unum*. & 6. *Finem vero vitam æternam &c.*

In ordine ſupernaturali triplex vita.

Vita fidei informis eſt formaliter infructifera, radicaliter tamen frugifera. Vita charitatis eſt formaliter fructifera. Vita fruitionis eſt formaliter poſſeſſiva. Peccator eſt vivus vita fidei, mortuus vita charitatis. Ad hoc vero, ut quis ſit Eccleſiæ membrum, ſufficit vita fidei, quæ eſt univerſalis forma, & fundamentalis ædificii ſpiritualis. Palmes, dum manet in vite, etſi infrugifer, pars eſt viti unita. Joan. 15. ait Dominus: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum*. Vides palmitem in Chriſto infructiferum quidem, ſed non præciſum, præcidendum tamen, ſi fructum non attulerit.

Aſſimilatur Eccleſia vineæ, in qua habebat homo arborem fici plantatam: *Et venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam*. Lucæ 13. An non vivebat tertio, & quarto anno arbor illa, antequam ſuccideretur? An non de vinea erat, in qua radices fixerat? An ad Dominum non pertinebat, ſi tradidit il-

lam cultori ſtercorandam ? Nec æquivoce membrum dici poteſt, cum verè vivat vitâ palmes non exſiccatus. Arbor arida æquivoce membrum appellatur: quare rectè Concilium Conſtantienſe damnavit 22. propoſitionem Joan. Hus, quæ dicebat -- Papa, vel Præla-
„ tus malus, & præſcitus eſt æquivoce pa-
„ ſtor, & vere fur, & latro -- *Vid. n. 65.*

62 OBJIC. XVI. Concordia eſt prima forma, qua conſtituitur Eccleſia; ſed peccatores, qui contentionibus frangunt charitatem, non ſunt concordes; ergo non ſunt de Eccleſia. Maj. habetur apud Cyprianum *lib. 1. epiſt 6.* -- Alienus fuit, & profanus Dominicæ
„ pacis, ac Dominicæ unitatis inimicus, non
„ habitans in domo Dei, in qua nonniſi con-
„ cordes atque unanimes habitant; loquente
„ in Pſal. Spiritu Sancto, & dicente: Deus,
„ qui inhabitare facit unanimes in Domo --

DICES. Cyprianum loqui de concordia ſchiſmati oppoſita, non autem charitati: unde non excluduntur mali omnes, ſed ſoli circa fidem contumaces, & alienus, de quo ibi loquitur, eſt Novatianus Hæreticus: Ceterum malos admittit in Eccleſia, ut conſtat *lib. 3. epiſt. 3. ad Maximum: & ſerm. de lapſis*, ita communiter. Verum D. Aug. intelligit non de Hæreticis dictum, aut Schiſmaticis, ſed de falſis fratribus *lib. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 40.*, & verba, quæ ex Cypriano ibi citat, id demonſtrant -- Denique una-
„ nimitate Chriſtianos firma ſibi, atque inſe-
„ parabili charitate connexos, etiam ipſa
„ Dominica ſacrificia declarant -- Quare videtur dicendum utrumque Doctorem impios fideles ab Eccleſia excludere; approbat enim ibi Aug. Cypriani doctrinam.

Fides prima forma conſtitutiva Eccleſiæ.

RESP. Concordiam in integritate fidei eſſe primam formam conſtitutivam Eccleſiæ; hæc eſt primum donum permanens ſupernaturale; hæc eſt radix omnium Divinarum perfectionum, ſine hac impoſſibile eſt placere Deo. Hæc eſt primus acceſſus ad Deum: *Credere enim oportet accedentem ad Deum*: Heb. 11. Hæc janua per quam ingredimur ad paſcua Domini: *Per me ſi quis introierit, paſcua inveniet*, Joan. 10. Hæc, qua diſſoluta, ſunt ſchiſmata: *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*, 1. Cor. 1. Cum ergo peccatores fidem retineant, formam habent, qua intra Eccleſiam conſtituuntur.

Nec oppoſitum ſentit Cyprianus, nec nobis officit interpretatio, quam tribuit, vel potius ſupponit Aug., qui ſuo more acute ad hominem ferit Donatiſtas arguentes iterandum eſſe baptiſma collatum ab Hæreticis ex auctoritate Cypriani *Epiſt. ad Jubajanum* ſic: quia Hæretici non ſunt in Eccleſia, per Cyprianum iterandum eſt Baptiſma ab illis collatum; ſed per Cyprianum, Invidi, & diſcordes in charitate (*ex Epiſt. ad Magnum*) non ſunt de Eccleſia, quæ recipit ſolos unanimes; ergo baptiſma ab illis collatum eſt iterandum; ſed non iteratur a Donatiſtis; ergo neque iterandum eſt collatum ab Hæreticis. Ubi obiter advertendum eſt, quod Aug. *in lib. contra Donatiſtas*, qui docebant Eccleſiam Catholicam non conſtare malis, rotundis verbis, & expreſſis, & iterato aſſerit malos intra, & de Eccleſia eſſe; ubi verò agit contra eoſdem in Controverſia de Baptiſmo, videtur negare malos eſſe de Eccleſia, eo quia aggreditur, quantum poteſt adverſarios ſuis principiis, & ideo illa aſſumit, quaſi approbative. Ceterum eo loco *contra Donatiſtas cap. 51.* catholicam docet veritatem. Diſtinguit triplicem ordinem hominum in domo Dei, juſtorum, malorum, & Hæreticorum, primum ordinem dicit eſſe ipſam Eccleſiam, ſeu domum Dei in abſtracto -- Puto me non temere
„ dicere, alios ita eſſe in domo Dei, ut ipſi
„ etiam ſint ipſa domus, quæ dicitur ædifi-
„ cari ſuper petram &c. -- Dicuntur in abſtracto domus Dei, quia in ipſis datur rectus Sacramentorum uſus, & clavium, & præceptorum; & ſunt velut robur Eccleſiaſtici ædificii, quia ſolide, & in ſe ipſis, & in aliis Evangelicam doctrinam, & obſervantiam promovent. Ea pari ratione, qua cohors militum robuſtiorum dicitur fortitudo exercitus, & Pater ſollicitus, & fidelis adminiſtrator vocatur ſalus, & vita familiæ. Secundum ordinem vocat non domum, ſed in domo --
„ Alios ita dici in Domo Dei, ut non pertineant
„ ad compagem domus, nec ad ſocietatem
„ fructiferæ, pacificæque juſtitiæ; ſed ſicut
„ eſſe palea dicitur in frumento; nam, &
„ iſtos eſſe in domo negare non poſſumus,
„ Paulo Apoſtolo dicente: *In magna domo*
„ *non ſolum vaſa &c.* -- Tertium ordinem nec domum vocat, nec in domo, ſed ex domo, quia exierunt -- Sed etiam diruptis reti-
„ bus, etiam hæreſes, & ſchiſmata exiſtunt
„ in eis, qui jam magis ex domo, quam in
„ domo eſſe dicendi ſunt, de quibus dicitur:
„ ex nobis exierunt --

Primi, & utiliter recipiunt, & dant Sacramenta; ſecundi utiliter tribuunt, ſed non utiliter ſuſcipiunt; tertii nec utiliter recipiunt, nec dant, ſecluſa neceſſitate; valere tamen Sacramentum egregie concludit.

63 OBJIC. XVII. Conſtitutus extra Eccleſiam in ſenſu compoſito non eſt de Eccleſia; ſed peccator in ſenſu compoſito conſtituitur extra Eccleſiam; ergo. Min. prob. ex Paciano *epiſt. 6. ad Sympronianum*, ubi *par. 3. epiſt. num.* 10. poſtquam dixit: Eccleſiam non habere maculam, neque rugam &c. ſubdit -- Ceterum peccator, & pœnitens, non
„ eſt Eccleſiæ macula; quia, quandiu pec-
„ cat, & non pœnitet, extra Eccleſiam con-
„ ſtitutus eſt: ubi deſinit peccare, jam ſanus
„ eſt -- Idem docet Hieronymus *in cap. 5. ad Epheſ.*, ubi -- Qui ergo peccator eſt, & ali-
„ qua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti
„ non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus
„ dici &c. Peccator currat ad medicum &c.
„ Et curentur vulnera ejus, & fiat de Ec-
„ cleſia -- Refert. 33. *q. 3. cap. Eccleſia Chriſti*. En ergo qualiter peccator de Eccleſia non eſt, ſed fit, cum juſtificatur.

RESP. neg. min. Nec urget auctoritas Paciani; nam clare ſignificat malos eſſe in Eccleſia; antecedenter enim loquendo de Eccleſia ſub titulo matris, ait -- Magna in
„ filios cura Matris iſtius, & mollis affectus:
„ honorantur boni, caſtigantur ſuperbi, cu-
„ rantur ægroti -- Ægrotus, & ſuperbus filius contradiſtinguuntur a bono, qui honoratur. Infra -- Ubi (*in Eccleſia*) alligantur vulne-
„ rati.

„ tati, ubi curantur ægroti -- Infra admittit Eccleſiam eſſe hortulum concluſum -- Ple- „ num oleribus magnis, & parvulis, vili- „ bus, atque pretioſis. Octo quoque ani- „ mas ex Arca, ſed inter quas, & Cham „ fuerit, & millia illa volucrum, atque fe- „ rarum bina, atque ſeptena; munda pari- „ ter, atque immunda -- Circa finem comparat Reginæ veſtitæ in veſte deaurata, circumdata varietatibus, de qua ait -- Et inter „ veſtigia ipſa ſordeſcit -- Comparat malos fimbriæ veſtimenti, quæ per lutum protrahitur; comparat viti formoſæ, habenti palmites bonos, & malos -- Aſperior hæc eſt gem- „ ma palmitibus, iſta fortior, illa ſincerior: „ hæc ſe diffundit in fructus, hæc in ſolas „ exuberat frondes. Vitis tamen ubique for- „ moſa -- Sunt ergo in Eccleſia palmites charitate conjuncti, ſunt palmites ſola fide uniti.

Auctoritati adductæ communiter reſpondent quidam ipſum loqui de peccatore Hæretico, non autem de vulgaribus; deducuntque ex contextu habente -- Eccleſia eſt non ha- „ bens maculam, neque rugam; hoc eſt, „ hæreſes non habens, non Valentinos, non „ Cataphrigas, non Novatianos --

Verum minus conſona videtur reſponſio; ſiquidem loquitur de peccatore contrapoſitive ad Hæreticum -- Ceterum peccator, „ & pœnitens, non eſt Eccleſiæ macula; quia „ quandiu peccat, & non pœnitet, extra „ Eccleſiam conſtitutus eſt: ubi deſinit pec- „ care, jam ſanus eſt: Hæreticus verò ve- „ ſtem Domini, Eccleſiam Chriſti ſcindit, „ intercipit, vitiat, irrugat &c. Hæc eſt ma- „ cula unitatis, & ruga -- Quibus obiter habes, fidem eſſe formam, in qua compaginantur membra, cum hæreſis diſſolvat ejus unitatem.

Secundo reſp. Gravina *contr. 2. de membris Eccleſiæ in argumento ſecundo Catholicorum*. N. Dominicus a Sanctiſſima Trinitate *lib. 3. ſect. 3. cap. 5. tom. 3.* Peccatorem a Paciano excludi a portione Juſtorum, quæ eſt in Eccleſia, non autem ab ipſa Eccleſia univerſali, leguntque ſic -- Quia quandiu pec- „ cat, & non pœnitet, extra Eccleſiam eſt „ conſtitutus, non extra Eccleſiam commu- „ nem, ſed ſpecialem juſtorum -- In noſtro codice non ſunt hæc ultima verba, a quo autem codice acceperint, neſcio, & qualis ex duobus ſit correctior, non invenio. Certum eſt ceſſare omnem difficultatem, ſi verificetur textus.

Contextui conformior ea eſt ſolutio, quæ ait, ibi ad hominem contra Novatianos arguere Barcinonenſem Præſulem, ipſorum adoptando doctrinam. Ad cujus notitiam ſciendum, quod hos impugnat Hæreticos, quatenus dicebant non licere pœnitere poſt Baptiſmum; Eccleſiam non donare peccatum lethale, & perire, ſi recipiat peccatores. Oſtendit Doctor falſitatem pluribus. Ante citata verba per varias antitheſes inſurgit contra adverſarios, oſtendendo malos in eorum Eccleſiis eſſe, deinde facit ſibi objectionem ex ipſis, quod Eccleſia ſit virgo, ſponſa, Templum Dei, vitis formoſa &c., ac per conſequens, cum peccatores ſint maculæ, non ſunt recipiendi, nec in Eccleſia eſſe poſſunt.

Ipſe igitur quaſi acceptans, quod peccatores A non ſint de Eccleſia, arguit: eſſe nihilominus recipiendos, ſi pœnitentiam agant, nec inde maculatur Eccleſia, nam dum peccant, per ſe conſtituuntur extra Eccleſiam: dum emendantur, ſunt ſani: non ergo maculant; ſunt ergo recipiendi. Oſtendit deinde hæreſim eſſe maculam, quia non ſolum ponit extra Eccleſiam, ſed ſolvit, lacerat unitatem Eccleſiæ.

Ad Hieronymum: Senenſis *lib. 4. Bibliotb. c. 55.* aſſerit illa commentaria non eſſe Hieronymi, ſed Pelagii Hæreſiarchæ; & res evidens eſt, quia D. Auguſt. *cap.* 12. ex Pelagio allegat quædam ex commentario ejus B *in cap. 7. ad Corinthios* 1.: ubi ſtatuit non dari peccatum originale; & hæc ſunt in commentariis Hieronymi, & fatetur D. Auguſt. *lib. 3. de peccat. merit., & remiſſ. cap.* 1. vidiſſe commentaria brevia in omnes Epiſtol. D. Pauli edita a Pelagio, & revera in his commentariis, *in Epiſt. ad Rom.* 5. 6. 7. 8. 11. *cap. in* 1. *ad Corinth.* 1. *ad Timoth. ad Philip.* ſparguntur ſententiæ omnino Pelagianæ. Hæc vera admittimus, loquendo de commentariis in omnes Epiſt. quæ inſeruntur tom. 8., ſecus loquendo de illis, quæ non ſunt in omnes Epiſt., & inſeruntur tom. 6., in quibus habetur doctrina objectionis.

C 64 *Quæſt. 3. can. Eccleſia Chriſti*: Gloſſa notat advertendum eſſe ad locutionem Hieronymi, qui dicit de Eccleſia, & non in Eccleſia. Eſſe de Eccleſia videtur unionem importare ſtrictiſſimam cum Corpore Chriſti, & eſſe robur Eccleſiæ: eſſe vero in Eccleſia importat unionem aliquam cum Eccleſia, ſed non in gradu ſtricto; ſicut aliud eſt eſſe Templum Spiritus Sancti, quod importat inhabitationem per charitatem, aliud eſſe in Templo Spiritus Sancti, quod importat inferiorem conjunctionem. Verum non cogit nos ad hæc nec textus, nec difficultas.

Hieronymus abſque dubio reponit intra D Eccleſiam malos; infra enim in eodem cap. -- Quoniam Corpus Chriſti Eccleſia eſt, & „ Eccleſia de cunctis credentibus congrega- „ tur -- Non omnes vero credentes Juſti ſunt. Et capite 1. ejuſdem Epiſtolæ -- Quomodo „ enim caput plurima ſibi habet membra „ ſubjecta, e quibus ſunt nonnulla vitioſa, „ & debilia: ita & Dominus noſter Jeſus „ Chriſtus, cum ſit caput Eccleſiæ habet mem- „ bra eos omnes, qui in Eccleſia congregan- „ tur, tam Sanctos videlicet, quam peccato- „ res -- In cap. 38. Ezechielis -- De habito- „ ribus Eccleſiæ. Alii ut piſces maris... alii „ ut beſtiæ agri, & omnia reptilia, quæ mo- E „ ventur ſuper terram; alii ut retinentes ho- „ minis dignitatem habitant ſuper faciem ter- „ ræ -- & alibi: quare loco cit. vult peccatorem non eſſe de Eccleſia glorioſa, & non habente maculam, ſcilicet triumphante, quia peccator amittens gratiam, amittit jus proximum ad gloriam, & iterum fit de Eccleſia illa in jure, acquirendo gratiam. Paritas inducta totum declarat -- Poſſibile autem eſt, ut, quo- „ modo Eccleſia, quæ prius rugam habue- „ rat, & maculam, in juventutem, & mun- „ ditiam poſtea eſt reſtituta, ita & peccator „ currat ad medicum &c. -- Eccleſia prius *Peccator non eſt de Eccleſia glorioſa.*

maculata, ideſt in terris exiſtens, immaculata in Cœlis renovatur, ita peccator, qui exiit ab Eccleſia glorioſa in jure per peccatum, ad illam redit in jure, acquirendo charitatem: & ad hoc propoſitum in cap. 31. Jeremiæ habet -- Vide, quanta habeat loca „ Eccleſia, & quomodo illud Apoſtolicum, „ ut ſit ſine macula, & ruga in futuro, & „ in cœleſtibus ſervetur. Audis Angulos, au„ dis ſcabiem, audis ruinas, & cineres... & „ de tua impeccantia gloriaris? -- In militante peccata, in cœleſti pulchritudo.

64 OBJIC. XVIII. Membrum apparens non eſt verum corporis membrum, ut patet in manu arida: ſed omnes fideles peccatores ſunt membra apparentia Eccleſiæ, juxta illud Greg. *in 36. Job. cap.* 8. -- Intuens tan„ tos hoc Eccleſiæ tempore ſpecietenus cre„ dere &c. multis Eccleſiam intrantibus, etiam „ hi ad fidem ſpecietenus veniunt, qui a nu„ mero Regni cœleſtis excluduntur -- ergo.

RESP. neg. min. Gregorius pro fide ſpecietenus non intelligit fidem apparentem, ſed fidem informem, nec operantem fructuoſe in ordine ad aſſecutionem præmii æterni: ibi enim declarat paucos ſalvari. Ceterum ibidem duplici ſcriptura demonſtrat malos eſſe de Eccleſia. Prima eſt Jeremiæ 31. *Et exibit ultra normam menſura*: Ubi Sanctus Præſul -- Sed quia in ea (*Eccleſia*) creſcente „ multitudine etiam reprobi colliguntur, apte „ ſubditur &c. -- Secunda Iſaiæ 54. ad illud ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis &c. ubi -- Ad lævam quoque dilatatur, dum ad „ ſe quoſdam etiam in iniquitate permanſu„ ros admittit -- Idem docet *in cap. 16. Job. lib.* 13. *cap.* 4. -- Rugæ itaque ſunt Sanctæ „ Eccleſiæ omnes, qui in ea dupliciter vi„ vunt, qui fidem vocibus clamant, operi„ bus denegant &c. Sed quia nunc intra „ ſinum fidei multos etiam reprobos tenet &c. „ ipſi me inſequendo increpant, qui nunc in „ meo corpore poſiti, duplicitatis ſuæ in ſe „ malitiam non emendant.

65 OBJIC. XIX. Æquivoce membrum, ſimilitudinarie, & ſitualiter non eſt verum membrum; ſed peccator eſt æquivoce membrum, ſecundum D. Thom. 3. *ſent. diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corpore* -- Homi„ nes, aut fideles peccatores pertinent qui„ dem aliquo modo ad unitatem Eccleſiæ, „ in quantum continuantur ei per fidem, „ quæ eſt unitas materialis, non tamen poſ„ ſunt dici membra proprie, niſi, ſicut mem„ brum mortuum, ſcilicet æquivoce -- Et ad ſecundum -- Dicendum, quod per corpus „ Chriſti verum ſignificantur ea, quæ ſunt „ membra corporis myſtici, non autem ea, „ quæ ſunt membra æquivoce; ideſt, ſecun„ dum ſimilitudinem tantum, & ſitum -- Conſimilia ad ſextum.

Dubitare de mente Angelici Doctoris, quaſi ſentiat malos non eſſe intra Eccleſiam, nec partes ejus alienum prorſus a veritate eſt. Potiſſimum eum pro re catholica plurima in ſuis libris habeantur monumenta. *In Comment. Cant. ad illud c. 2. Sicut lilium inter ſpinas* habet -- Quia non ſolum ab illis, qui „ extra Eccleſiam ſunt, mala pateris; verum „ etiam ab his, qui generati per Baptiſmum, „ in filiationem veniſſe videntur -- *In Comment. in 3. Matth.* pulchre diſcurrit -- Et no„ ta, quod differentia eſt inter paleas, & zi„ zania. Aliud enim eſt ſemen palearum, „ & zizaniorum; quia palearum eſt idem ſe„ men cum tritico; unde per zizania poſſu„ mus intelligere ſchiſmaticos, qui non com„ municant nobiſcum in Sacramentis; per pa„ leas, fideles, licet malos -- *In Comment. in 13. Matth.* -- Quia hic per ſagenam intel„ liguntur boni, & mali; unde ſignificat eos, „ qui non ſunt præciſi ab Eccleſia; ſed per „ per zizania ſignificantur illi, qui ſunt præ„ ciſi per diverſitatem dogmatum, & hi non „ ſunt de Eccleſia -- Et ſimilia occurrunt in tanto Doctore; ob cujus tamen auctoritatem in object. citatam plures ex Thomiſtis crediderunt velle Divum Thomam malos eſſe quidem partes Eccleſiæ, & in ea non eſſe tamen ut membra; ſicut capilli, & ungues revera ſunt humani corporis partes, non tamen ſunt membra; propter quod in corpore habet -- „ Ideo quidam dicunt, quod non pertinent „ ad unitatem corporis Eccleſiæ, quamvis „ pertineant ad unitatem Eccleſiæ --

Verum, ut bene advertunt N. PP. Salm. *tract.* 21. *diſp.* 16. *dub.* 3. §. 3. Litigium potius eſt de vocibus, quam de re. Pondus quæſtionis eſt, an mali ſint intra Eccleſiam, vere illi uniti, quod verò debeant vocari partes, vel membra nil refert, & ſi rectius loquendum eſt, dicendi ſunt membra, cum ſint partes myſtici corporis, vera, tota, com- *Peccatores Eccleſiæ membra.*
pleta, & toti corpori unita; ad quod explicandum favet egregia doctrina Sancti Doctoris 3. *ſent. diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 5., ubi explicat, cur in naturalibus caput non dicatur caput capillorum, & unguium, dicatur tamen de brachio, & pede; & cur Chriſtus convenientius dicatur caput, quam cor Eccleſiæ. Cor eſt principium omnium ſpirituum vitalium in corpore, & eſt principium ſolum, quantum ad eſſe; caput autem eſt principium ſpirituum animalium, & virium, quæ pertinent ad ſenſum, & motum. Capilli in corpore naturali habent ſolam vitam tribuentem eſſe, & non motum; ſecus partes aliæ, quæ ſentiunt; unde primi a capite nihil participant, & ideo non poteſt dici illorum caput, ſecus de aliis partibus. Cum ergo Chriſtus tribuat fidelibus malis fidem, quæ ſenſum dat, ſicut charitas motum, ex S. Doctore ibidem, ideo revera dicitur malorum fidelium caput, & ipſi dicendi ſunt membra, ſicut ſentientia dicuntur, & ſunt vera membra naturalia. Dicuntur ergo membra æquivoce, ſimilitudinarie, comparative ad membra perfecta juſtorum, non autem abſolute; ſicut æquivoce vivens dici poſſet planta comparative ad hominem.

66 DICES. Membrum abſolute dicitur æquivoce; quod materialiter unitur toti, ut patet in ramo ſicco unito arbori; ſed per D. Thomam ibi peccatores uniuntur materialiter Eccleſiæ -- Continuantur ei per fidem, quæ eſt unitas materialis; ergo revera ex mente Doctoris ſunt ſolum æquivoce membra.

RESP. neg. min. Nec D. Thomas unionem per fidem intelligit abſolute materialem, ſed reſpective ad ſequentem, quæ eſt per cha-

tita-

-ritatem: ſicut unio per charitatem; eſt etiam
quodammodo materialis relate ad aliam: ea
proportione, qua forma in compoſito eſt ma-
terialis in ſuſceptione ſubſiſtentiæ, & ſubſi-
ſtentia ad exiſtentiam, quæ eſt ultimum com-
plementum. Accipe verba S.Th.-- Sed homines
„ fideles in gratia exiſtentes uniuntur ſecun-
„ dum tertiam unionem (*charitatis*) quæ eſt
„ formalis reſpectu hujus ſecundæ: & iterum
„ ſecundum quartam, quæ eſt completiva
„ totius; & ideo horum proprie dicitur Chri-
„ ſtus caput -- Proprie, ideſt perfecte. Immo
hinc habes aliud momentum ob quod dicendi
ſunt membra, & non partes; quia capilli,
dentes &c. ita vivunt vegetabiliter, ut non
ſint capaces vitæ ſenſitivæ, ſicut brachium;
ſed peccatores habentes fidem ſunt capaces
vitæ charitatis; quinimmo fides illam exigit
radicaliter ſaltem: unde, ſicut brachium vi-
vens vita vegetativa, ſi impedirentur recipere
vitam ſenſitivam, diceretur membrum, &
non pars tantum, quia ad illam eſt in poten-
tia, ita in caſu.

67 INSTABIS. Membrum ſecundum
quid unitum, & ſolum tale in potentia, ab-
ſolute non unitur corpori formaliter; ſed ex
Angelico peccatores, ſolum in potentia, &
ſecundum quid uniuntur Chriſto, 3. *par. quæſt.*
8. *art.* 3. *ad* 2. -- Qui verò his (*culpis letha-*
„ *libus*) ſubduntur, non ſunt membra Chri-
„ ſti actualiter, ſed potentialiter; niſi forte
„ imperfecte per fidem informem, quæ unit
„ Chriſto ſecundum quid, & non ſimplici-
„ ter -- ergo.

RESP. neg. min. Nec opponitur aucto-
ritas Doctoris, quæ non eſt in ſenſu abſoluto,
ſed comparativo ad unionem charitatis, quæ
eſt excellentiſſima, tribuens eſſe formatum ad
gloriam. Accidens eſt verum ens completum,
creatura eſt verum ens, & tamen illud di-
citur ens ſecundum quid comparative ad ſub-
ſtantiam, hæc ad Deum. Actu peccatorem
uniri Chriſto docet expreſſe in corpore arti-
culi, ubi -- Primo enim, & principaliter eſt
„ caput eorum, qui ſibi actu uniuntur per
„ gloriam. Secundo: eorum qui actu uniun-
„ tur ſibi per charitatem. Tertio: eorum,
„ qui actu uniuntur ſibi per fidem -- Quare
ly potentialiter in ſolutione ſecundi eſt reſpe-
ctivum ad charitatem. Quod unio ſit ſimpli-
citer talis, docet loco cit. *ex ſent. in corpore*
articuli, ubi in corpore myſtico, ad propor-
tionem naturalis, quadruplicem diſtinguit u-
nionem -- Prima eſt in quantum omnia mem-
„ bra ejus ſunt unius naturæ, vel ſpeciei, vel
„ generis. Secunda eſt, in quantum ſunt col-
„ ligata ad invicem per fidem, quia ſic con-
„ tinuantur in uno credito. Tertia eſt, ſe-
„ cundum quod vivificantur per gratiam, &
„ charitatem. Quarta eſt, ſecundum quod
„ in eis eſt Spiritus Sanctus, qui eſt ultima
„ perfectio, & principalis totius corporis my-
„ ſtici, quaſi anima in corpore naturali. Pri-
„ ma autem dictarum unionum non eſt unio
„ ſimpliciter, quia illud, in quo eſt unio
„ hæc, non eſt unum numero, ſicut eſt in
„ tribus ſequentibus, quia per fidem, & cha-
„ ritatem in uno credito, & amato, in unum
„ numero uniuntur -- Quare ly ſecundum
quid in argumento eſt comparativum, vel
ſicut minus principale.

68 URGEBIS. Quod non inhæret
A Chriſto, & in quo Chriſtus nullo modo ha-
bitat, ſolum in potentia eſt membrum Ec-
cleſiæ; ſed per D. Thomam peccator non
inhæret Chriſto, nec Chriſtus habitat in eo;
ergo. Min. clara videtur *lect.* 2. *in cap.* 3.
prioris ad Corinth., ubi hæc -- Quarto: quia
„ fides non poteſt dici fundamentum, niſi
„ quia per eam Chriſtus habitat in nobis,
„ cum ſupra dictum ſit: quod fundamentum
„ eſt ipſe Chriſtus Jeſus. Non enim habitat
„ Chriſtus in nobis per fidem informem, a-
„ lioquin habitaret in Dæmonibus, de quibus
„ ſcriptum eſt, Jacobi 1. & Dæmones credunt,
„ & contremiſcunt: unde quod dicitur Epheſ.
B „ 3. habitare Chriſtum per fidem in cordi-
„ bus noſtris: oportet intelligi de fide per
„ charitatem formata; cum ſcriptum ſit pri-
„ ma Joan. 4. Qui manet in charitate, in
„ Deo manet, & Deus in eo. Hæc eſt fides,
„ quæ per dilectionem operatur; ut dicitur
„ infra decimo tertio: Charitas non agit per-
„ peram. Unde manifeſtum eſt, quod illi,
„ qui operantur peccata mortalia, non ha-
„ bent fidem formatam, & ita non habent
„ fundamentum. Oportet ergo intelligere,
„ quod tam ille, qui ſuperædificat &c.

RESP. neg. min. Angelicus nec ſibi, &
multo minus catholicæ veritati, & Patribus
C adverſatur, licet quandoque videatur contra-
dictorie loqui. Si ſincere perpendatur do-
ctrina, conſonantia elucet, & proportionali
privilegio, quo Sacra Scriptura in ſuis appa-
rentibus contradictoriis ſublimiora recondit
arcana, & omnino conſona. Fidem eſſe fun-
damentum ſpiritualis fabricæ non uno loco
docet Sanctus Doctor. *De verit. quæſt.* 14. *art.* *Fides ſpi-*
2. *ad primum habet* -- Fides dicitur ſubſtan- *ritualis ædi-*
„ tia &c. In quantum, ſcilicet, eſt prima *ficii funda-*
„ inchoatio, & fundamentum quoddam, *mentum.*
„ quaſi totius ſpiritualis vitæ; ſicut ſubſtan-
„ tia eſt fundamentum omnium entium --
3. *ſent. diſt.* 23. *qu.* 2. *art.* 1. *ad primum* --
D „ Fides dicitur ſubſtantia, non quia ſit in
„ genere ſubſtantiæ, ſed quia quandam pro-
„ prietatem habet ſubſtantiæ. Sicut enim ſub-
„ ſtantia eſt fundamentum, & baſis omnium
„ aliorum entium, ita fides eſt fundamen-
„ tum totius ſpiritualis ædificii -- Quibus lo-
cis definitur eſſentia fidei Theologicæ, ſeclu-
ſo quolibet reſpectu ad charitatem informan-
tem. 3. *par. quæſt.* 73. *art.* 3. *ad* 3. -- Unde,
„ ſicut Baptiſmus dicitur Sacramentum Fidei,
„ quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ; ita
„ Euchariſtia -- 4. *ſent. diſt.* 39. *art.* 6. *ad* 2.
-- Dicendum, quod prima conjunctio ani-
„ mæ ad Deum eſt per fidem: & ideo per
E „ eam anima deſponſatur Deo: ut patet Oſeæ
„ 2. *Et ſponſabo te mihi in fide*: unde in
„ Sacra Scriptura ſpecialiter per fornicatio-
„ nem Idololatria, & infidelitas deſignantur --
& alibi.

Nunc ad argumentum, cujus intelligen-
tia plana manifeſtatur ex contextu. Explicat
illa verba Pauli: *Si quis ſuperædificat lignum,*
fœnum, ſtipulam: illam ſuperædificationem in-
telligi dicit de operibus, & doctrina. *Quan-*
tum ad opera, quæ unuſquiſque ſuperædificat
fundamento fidei. Refert opinionem dicen-
tium pro ligno, fœno, & ſtipula intelligi
pec-

peccata mortalia, & improbat hoc dictum
pluribus, & hac occaſione poſita in argumen-
to profert; conſiſtit vis in hoc. Superædifi-
catio per opera ſupra fidem neceſſe eſt, quod
proveniat ex charitate, quia ſuperædificatio
ſupra fidem operibus eſt augmentum in via
ſpirituali in ordine ad ſalutem. Fides infor-
mis in peccante lethaliter caret principio aug-
menti ſpiritualis; unde peccans non habet
fundamentum radicans augmentum virtuoſæ
vitæ, & fructiferæ coram Deo; nec in eo
habitat Deus, ſcilicet forma fidei amicabili-
ter quieſcendo, & fructuoſe operando; quia
Deus non operatur fructuoſe in anima, niſi
media charitate; ſubditque proinde conclu-
dens diſcurſum. *Oportet ergo intelligere, quod
tam ille, qui ſuperædificat fundamento aurum,
argentum, lapides pretioſos: quam etiam ille,
qui ſuperædificat lignum, fœnum, & ſtipulam,
vitet peccata mortalia*. Et poſtea explicat,
quid ſit *Superædificare aurum &c*. Scilicet, exer-
cere opera, quæ pertinent ad contemplatio-
nem Cœleſtis ſapientiæ, & amorem Dei: *Et
ſuperædificare lignum &c*, eſt exercere opera
pertinentia ad curam temporalium, & diſpo-
ſitionem humanarum rerum. Homo verò per
peccatum mortale *non ſuperædificat, ſed ever-
ſa fundamenta aliud fundamentum collocat*.

69 REPLICABIS, Fundamentum,
quod non unitur ceteris partibus, non per-
tinet ad fabricam; ſed fides informis non
unit ceteris Eccleſiæ partibus; ergo non con-
ſtituit intra Eccleſiam. Min. eſt D. Th. 2. 2.
q. 4. *art*. 7. *ad* 4. -- Dicendum, quod ad ra-
„ tionem fundamenti, non ſolum requiri-
„ tur, quod ſit primum, ſed etiam; quod
„ ſit aliis partibus ædificii connexum. Non
„ enim eſſet fundamentum, niſi ei aliæ par-
„ tes ædificii cohærerent. Connexio autem
„ ſpiritualis ædificii eſt per charitatem: ſe-
„ cundum illud Coloſ. 3. *Super omnia cha-
„ ritatem habentes, quæ eſt vinculum perfe-
„ ctionis; & ideo fides ſine charitate, funda-
„ mentum eſſe non poteſt*.

RESP. neg. min. Ædificium ſpirituale
dupliciter intelligitur, pro corpore myſtico
Chriſti, Eccleſia, & pro perfectione fidelium
interiori per virtutes. Quando Sanctus Do-
ctor loco citato vocat charitatem vinculum
fundamenti cum ædificio, accipit ædificium,
quod eſt profectus interior mediis virtutibus;
& ideo comparat ibi fidem cum ceteris vir-
tutibus; immo fidem informem in illa quæſt.
negat eſſe virtutem, cum tamen ſit vera vir-
tus Theologica, non ob aliud, niſi quia re-
ſpicit ad tendentiam in ultimum finem, quæ
a charitate habetur. Non negat tamen adhuc
in hoc ſenſu fidei vim fundamenti radicalis,
ut S. Doctor docet -- Fides eſt ſubſtantia
„ omnium rerum ſperandarum, argumentum
„ non apparentium -- ſed ſolum negat pro-
ximitatem, ſeu impedimenti remotionem.
Ubi advertendum eſt cum S. Doctore in illo
art., *& quæſt*. 161. *art*. 5. *ad* 2. Fundamen-
tum in ædificio (cui comparatur ordinata
virtutum congregatio in eadem quæſt.) du-
plex eſſe: indirectum, quod appellatur remo-
vens prohibens, ut per humilitatem ſuperbia,
quæ impedit collationem donorum, remo-
vetur, & directum, quod ſcilicet per ſe ſu-

Duplex ſpirituale ædificium.

ſtentat fabricam. Primo modo obique virtu-
tes dicuntur fundamentum. Secundo modo
ſola fides -- Alio modo eſt aliquid primum
„ in virtutibus directe, per quod ſcilicet,
„ jam ad Deum acceditur: primus autem
„ acceſſus ad Deum eſt per fidem, ſecun-
„ dum illud Heb. 11. Accedentem ad Deum
„ oportet credere: & ſecundum hoc fides
„ ponitur fundamentum nobiliori modo,
„ quam humilitas -- Secundus acceſſus ad
Deum eſt amor inchoativus, & ſecundum hoc,
fundamentum primum eſt charitas. Sumpto
poſtea ædificio pro corpore Eccleſiæ, fides eſt
prima, & vera, & univerſalis forma, & unio.

SUBSUMES. Forma conſtitutiva eſſen-
tialis myſtici corporis debet eſſe per influxum
a capite; ſed Chriſtus non influit per fidem
informem, qua caput; ergo. Min. habetur
ex Div. Thom. 3. *par. quæſt*. 8. *art*. 2. *in reſp.
ad primum*, ubi adoptat, quod in objectio-
ne poſuerat: ad rationem capitis requiri in-
fluxum ſpiritualis motus gratiæ: & probat
rationem ejoſdem *art*. 5. -- Unumquodque
„ agit, in quantum eſt ens actu. Oportet,
„ quod idem ſit actus; quo aliquid eſt actu,
„ & quo aliquid agit, ſicut idem eſt calor,
„ quo ignis eſt calidus, quo calefacit --
Qua ratione oſtendit Chriſtum conſtitui ca-
put per gratiam habitualem, quæ a nobis
participatur; ſed in anima Chriſti nec eſt,
nec fuit fides; ergo ea non habetur a Chri-
ſto ut a capite, quod eadem informatur for-
ma, qua corpus.

RESP. neg. min. Fides per Sanctum
Thomam, habetur a Chriſto, qua capite.
3. *ſent. diſt*. 13. *quæſt*. 1. *art*. 1. Similiter etiam
dicitur caput ratione ſecundæ proprietatis,
quia ſenſum fidei, & motum charitatis per
ipſum accepimus: *quia gratia, & veritas per
Jeſum Chriſtum facta eſt*, Joan. 1. Fides infor-
mis eſt donum Dei. 1. 2. *quæſt*. 5. *art*. 2. *ad*
2. utique ex meritis Chriſti deſcendens ad
homines, Nec urget ratio, quia ibidem di-
cit, quod -- Oportet, quod agens in alia
„ habeat actum, ſecundum quandam emi-
„ nentiam -- cum agens ſit præſtantius paſſo.
Porro Chriſtus, licet non habeat fidem, ha-
bet nihilominus in ſcientia infuſa (qua ut
viator utebatur) eminenter perfectionem
fidei, ideſt plenitudinem veritatis. Unde
dicitur Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, glo-
riam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ,
& veritatis*, Fides enim potiſſime ut cogni-
tio eſt fundamentum Eccleſiæ, & ſecundum
hoc manet etiam in patria. *Prima* 2, *q*. 67.
art. 3. *ad* 1. -- Dicendum: quod fides eſt
„ fundamentum quantum ad id, quod habet
„ de cognitione; ideo quando perficietur co-
„ gnitio, erit perfectius fundamentum -- Hæc
fides eminentialis ſufficit, ut dicatur ean-
dem formam eſſe in capite, & membris.

70 SUBDES, Licet mali vocentur ad
Eccleſiam, ut mali tamen non ſunt de Ec-
cleſia, quia vocantur, ut non ſint mali; ſi
ſint, ejiciuntur; ſed peccatores non fiunt bo-
ni; ergo non remanent de Eccleſia. Maj. eſt
D. Thomæ, quatenus *in Catena aurea in cap*.
22. *Matth*. approbat ſententiam Origenis, qui
occaſione parabolæ nuptiarum habet -- No-
„ ptiæ (*ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ*) ſunt im-
„ pletæ,

„ pletæ, dum reſtituti Deo, qui ab Apoſto- „ lis ſunt inventi, recubuerunt ad epulan- „ dum in nuptiis; ſed quoniam bonos, & „ malos oportuit quidem vocari, non autem „ ut mali permanerent mali, ſed ut depone- „ rent veſtimenta contraria nuptiis, & in- „ duerent nuptialia veſtimenta, ſcilicet vi- „ ſcera miſericordiæ, & benignitatis; ideo „ intravit Rex, ut videret diſcumbentes, „ priuſquam apponatur eis prandium, & re- „ tineat, qui habent veſtimenta nuptialia -- & ejiciat contrarios; & ideo ejectus eſt, qui non habebat -- Singulariter dixit; quia unius „ ſunt generis omnes, qui ſervant malitiam „ poſt fidem, quam habuerant ante fidem -- Fuitque projectus in tenebras exteriores, ideſt in errores gentium.

RESP. neg. maj. Nec premit inductum argumentum, nam catena non eſt doctrina D. Th., ſed collectio ſententiarum Sanctorum Patrum, quas in varias expoſitiones applicat: unde quandoque circa idem ſunt, nedum diſparatæ, ſed contrariæ, ut accidit in caſu. Ceterum nec auctoritas Origenis premit; nam verum eſt malos vocari ad fidem, & induci in Eccleſiam, ut fiant boni, & emendentur, & ſi non emendantur, Rege Judice adveniente, puniuntur; accipere autem pro tenebris exterioribus lapſum in errores gentium eſt myſtica interpretatio Chryſoſtomi, quæ nobis non officit; nam hoc ipſo, quod illi prave viventes, Divina permiſſione, incidant in falſos Magiſtros, & credant falſis dogmatibus, exeunt ab Eccleſia, de qua antea erant, & ideo vocatur amicus, qui fuit ejectus. Ad rem noſtram, parabola in eo ſtat: Invitati ſunt quotquot, ad quos exivit ſonus eorum: Vocati, qui ſcilicet intraverunt, impleverunt nuptias, recubuerunt, ſunt omnes, qui Verbum fidei ſuſceperunt, & de Eccleſia facti ſunt. Rex ingrediens eſt juſtus Judex die Judicii diſcutiens merita cujuſque. Ejectus ſignificat eos, qui inveniuntur in judicio ſine charitate, & quibus dicetur: Ite maledicti: Qui remanent ad comedendum poſt diſcuſſionem Regis, ſunt juſti, qui ad epulas Paradiſi transmittuntur. Ante ingreſſum Regis diſponuntur loca, induuntur veſtimenta nuptialia, præparantur fercula &c. Ideſt exercentur opera charitatis, fructificantia beatitudinem.

71 CONCLUDES. Sicut Eccleſiæ corpus actu non ſubſiſtit, niſi completæ ſint omnes dependentiæ cauſarum, ita nec membra ejuſdem; quia, cum exiſtentia ſit ultimus actus ex D. Th. ſupponit exhauſtas omnes cauſarum dependentias; ſed in peccatore non complentur omnes cauſarum dependentiæ, quia finis Eccleſiæ proximus, & juſtificatio, qua caret peccator: ſicut ergo, ut homo ſit pars Eccleſiæ, neceſſe eſt, quod actu dependeat a Chriſto, ut ab efficiente, a fidei unitate tanquam a formali, ab aliis membris, ut a cauſa materiali, ita in actu dari debet cauſalitas finis; aliàs erit ſolum in potentia pars Eccleſiæ.

Finis movet ut intentione. RESP. neg. min. In hoc differt cauſa finalis, quod non influat præciſe ut actu poſita in executione, ſed movet prout in intentione; quilibet verò ſuſcipiens fidem intentionem habet, ſaltem in ipſa fide implicatam, conſequendi ea, ad quæ fides ordinatur; fides autem, cum ſit ſubſtantia ſperandarum rerum, includit virtualiter voluntatem aſſequendi res ſperatas, ac proinde juſtificationem, & affectu inefficaci quilibet credens, bona fidei conſequi deſiderat. Concludamus ergo Divi Thomæ argumentum, & teneamus, per fidem ſponſo, & capiti Eccleſiæ uniri peccatores. Vera eſt enim doctrina, quam tradit *in Comment. in cap.* 25. *Matt.* ex D. Hieronymo, & Origene explicans illud: Cur decem Virgines, omnes dicantur Virgines? -- „ Virgines dicuntur fideles, qui non admit- „ tunt corruptelam, ſecundum quod di- „ cit Apoſt. 2. Corinth. 11. Deſpondi enim „ vos uni viro Virginem caſtam exhibere „ Chriſto -- Scilicet fidei integritate; fatuæ enim non erant integræ charitate.

72 OBJIC. XX. Per unionem Chriſti ad Eccleſiam, & ad quodlibet membrum fit unus homo, una perſona; ſed ex Chriſto, & peccatore fieri non poteſt unus homo, una perſona; nam ratione hujus identitatis dicuntur ad invicem attributa Eccleſiæ per conformitatem; ſed de Chriſto dici nequeunt prædicata, & attributa peccatoris; ergo peccator non eſt membrum Chriſti, nec Eccleſiæ. Major ſuie habetur in Auguſtino *Pſal.* 72. loquendo de unitate hominum, & Dei concludit -- *Unus ergo homo Chriſtus, caput, & corpus* -- Idem habet *Pſal.* 119., *Pſal.* 75., & 18., & *Pſal.* 30. explicans dictum illud: *Erunt duo in carne una*. De Chriſto, & Eccleſia, concludit -- Fit igitur tanquam ex „ duobus una quædam perſona ex capite, „ & corpore, & ſponſo, & ſponſa.

Eadem propoſitio reperitur apud Jo. Damaſcen. *lib.* 3. *cap.* 25., apud Greg. *lib.* 19. *moral. cap.* 10., & *lib.* 35. *cap.* 9. Auguſt. *ſuper Sermonem Joan.* 27. habet -- Unitas nos „ compaginat, & tanta ei unitate conjungi- „ mur, ut ipſe, & nos ſimus unus integre „ Chriſtus -- idem habet *Pſal.* 142. *homil.* 49. tractans illud Joan. 3. *Nemo aſcendit in Cælum &c.* Quod autem dicat de ſingulis membris, etiam patet *homil.* 23. *ſuper Joan.* -- „ Gratulemur, & gratias agamus, non ſo- „ lum nos Chriſtianos factos eſſe, ſed Chri- „ ſtum, intelligitis fratres, gratiam Dei ſu- „ per vos capitis admiramini; gaudete, Chri- „ ſtus facti ſumus. Si enim caput ille, nos „ membra, totus homo ille & nos -- Item *Pſal.* 122. Idem *in Joan.* 17., & alibi. Eundem ſenſum habet Gregorius *in moralibus*. Hæc apud Turrecrematam. Si ergo, ubi eſt unitas phyſica perſonalis attributa phyſice prædicantur; ubi unitas eſt myſtica, attributa prædicari debent myſtice; attributa verò peccatoris non debet dici de Chriſto; ergo &c.

Nulli dubium eſt has propoſitiones Sanctis Patribus, immo Scripturis familiares, in ſenſu myſtico fore accipiendas; evidens enim eſt Chriſtum phyſice eſſe unum individuum diſtinctum ab hominibus in eum credentibus, ſicut & homines inter ſe ſunt diverſæ perſonæ. Quare unitate myſtica plura prædicantur de Chriſto in ſcripturis, quæ ipſi phyſice non conveniunt; ſicut poſita unione hypoſtatica inter Deum, & hominem,

aliqua

aliqua dicuntur de Deo, quæ Deitati repugnant. Matth. 25. Chriſtus dicitur pauper, mendicans: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*; quod intelligitur in ſuis membris. A
Acta 9. dicitur patiens: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* ideſt in membris meis. Pſal. 21. dicitur derelictus a Deo: *Deus, Deus meus &c. quare me dereliquiſti?* -- Niſi, quia „ nos ibi eramus; niſi, quia corpus Chriſti „ eſt Eccleſia -- Aug. ibidem. Dicitur oneratus peccatis -- Longe a ſalute mea verba „ delictorum meorum. Delicta populi, Chriſtus ſua dicit, tum propter membrorum, „ & capitis affinitatem -- Gloſſa Lyrani. Pſal. 40. veniam petit de peccatis -- Ego dixi: „ Domine miſerere mei ſana animam meam, B
„ quia peccavi tibi. Nunquid ergo ipſe, „ immo ipſe ea membris ſuis, quia vos membrorum ipſius. vos ipſius -- Aug. ibi. Stat ergo, quod peccator ſit homo, & Eccleſiæ ſit membrum, ut ſcripturæ a PP. ſic explicatæ manifeſte convincunt.

73 DICES. Hi faciunt unam perſonam cum Chriſto, qui ſunt de corpore Eccleſiæ; ſed peccatores non ſunt de corpore Eccleſiæ; ergo non ſunt una perſona cum Chriſto; ergo ſoli juſti unus ſunt homo cum Chriſto. Min. habetur ex Aug. *lib. 2. contra Petilianum cap.* 108., ubi (loquendo de malis) dicit -- Nec ideo putandi ſunt, eſſe in C
„ Chriſti corpore. quod eſt Eccleſia, quia „ Sacramentorum ejus corporaliter fiunt participes -- ſubditque, iſtos fabricare ſuper arenam, non autem ſupra petram. Similia *lib. 2. contra Creſconium cap.* 21. *lib. 4. de Baptiſ. c. 3. lib. 6. c. 3. lib. de unitate Eccleſ. c. ult.*, & alibi.

Peccatores non ſunt de Eccleſia Triumphante.

RESP. neg. min. Quæ non eſt ſecundum mentem Aug. ſentientis peccatores eſſe actu de Eccleſia Militante; ſed non ſpectare ad Triumphantem, quia non operantur opera ſolida charitatis. Ædificant enim domos terrenas, evertendas, cum venerit tempus diſcuſſionis; ſumunt namque Sacramenta indigne, adeoque ad judicium -- Ipſi autem non D
„ ſunt in illa Eccleſiæ Chriſti compage, quæ „ in membris Chriſti per connexum, & contactum creſcit in incrementum Dei -- ideſt non ſunt de illa portione, quæ fructificat media charitate -- Itaque illi, qui Sacramenta „ habent, & mores bonos non habent, & „ Dei dicuntur, & non Dei, & ejus dicuntur, & alieni, ejus, propter ipſius Sacramentum, alieni, propter proprium vitium. Ita & filiæ alienæ: filiæ, propter „ formam pietatis: alienæ, propter amiſſionem virtutis --

74 INSTABIS. Eccleſia, quæ non eſt in ſola Africa, gemens inter mala peregrinationis ſuæ, non eſt Eccleſia Triumphans; E
ſed de hac loquitur expreſſe ad Petilianum, & in ea non -- Deputandi ſunt omnes, qui „ ædificant in arena, ideſt, qui audiunt verba Chriſti, & non faciunt -- ergo mali non ſunt de Eccleſia Militante.

RESP. diſt. Non ſunt deputandi quo ad omnia tempora, concedo min. quo ad præſens neg. Concedimus iſtos actu non eſſe de Eccleſia Triumphante, ſicut & bonos. Concedimus non eſſe in Eccleſia Militante cum jure æternæ felicitatis: Sunt tamen in Eccleſia Militante temporaliter, actu Chriſto uniti, fidei, Sacramentorum, Templi, Sacrificiorum vere participes, licet non fructuoſe. De mente Catholicorum, & Auguſtini circa hos loquendi modos, nempe quod mali ad Eccleſiam non pertinent, habemus evidentem, & optimam Regulam *in breviculo coll. tertiæ diei cap.* 9. -- Sic oſtendentes Divina „ teſtimonia conſonare, ut illa, quibus commendaretur Eccleſia cum malorum communione, hoc tempus ejus ſignificarent, „ qualis eſt in præſenti ſeculo, & illa teſtimonia, quibus commendatur non habere „ commixtos malos, illud ejus tempus ſignificarent, qualis venturo ſeculo in æternum „ futura eſt; ſicut nunc mortalis eſt, ideſt, „ ex mortalibus hominibus conſtat, tunc autem immortalis erit, quando nemo morietur -- Et *cap.* 10. negans duas eſſe Eccleſias, habet -- Oſtendentes, quid dixerint „ (*Catholici*) ideſt non eam Eccleſiam, quæ „ nunc habet permixtos malos, alienam ſe „ dixiſſe a Regno Dei, ubi non erunt mali „ commixti, ſed eandem ipſam unam, & „ Sanctam Eccleſiam, nunc eſſe aliter, tunc „ autem aliter futuram, nunc habere malos „ mixtos, tunc non habituram; ſicut nunc „ mortalem, quod ex mortalibus conſtaret „ hominibus; tunc autem immortalem, quod „ in ea nullus eſſet vel corpore moriturus. „ Sicut non ideo duo Chriſti, quia prior mortuus, poſtea non moriturus: Dictum eſt „ etiam de homine exteriore, & interiore, „ quæ cum ſint diverſa, non tamen dici duos „ homines. Quanto minus dici duas Eccleſias, cum iidem, qui nunc tolerant permixtos malos, & reſurrecturi moriuntur, „ tunc nec mixtos malos habituri ſint, nec „ omnino morituri -- Inſerit quoque c. 7. duplicem piſcationem Evangelicam, unam in qua nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram dicuntur retia mitti; & ſignificatur mixtura bonorum, & malorum, & ponitur ante Chriſti reſurrectionem, alteram in qua ad dexteram mittuntur retia, & fuit poſt reſurrectionem. Eandem hanc regulam repetit Aug. *lib. 2. retract. c.* 18. -- Ubicumque autem in „ his libris commemoravi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiam „ glorioſa -- Nunc enim habet propter infirmitates membrorum ſuorum, unde dicat: *Dimitte nobis debita noſtra &c.*

Mali ſunt temporaliter in Eccleſia.

75 URGEBIS. Eodem modo loquitur ibidem ad Petilianum de malorum mixtura, ac Hæreticorum -- Omnes enim iſti, inter quos & Hæretici poſiti ſunt -- &, ſi aliter dicatur, argumentum Auguſtini non valet, ſcilicet Baptiſmum Hæreticorum valere, quia valet ille malorum; ſed Hæretici non ſunt de corpore Eccleſiæ revera; ergo nec mali fideles.

RESP. Eodem modo loqui, quod ad aſſecutionem Beatitudinis: ſubjungit enim immediate, ſicut dicit Apoſt. *Regnum Dei non poſſidebunt; ideo ad ſiniſtram partem cum Diabolo pertinebunt*. Argumentum verò Auguſt. eſt omnino firmum. Ideo enim Petilianus

cum

cum ceteris Donatiſtis horrebat Sacramentum
Hæreticorum, quia hoc ſanctum eſt; illi pol- A
Sacramenta a malis collata valida.
luti, quia alieni, quia participant eorum
peccatis communicatores. Hæc omnia oſten-
dit urgere in malis. Hi enim polluti ſunt,
alieni ſunt, charitatis unione præciſi ſunt
communicatores &c.

REPLICABIS. Eccleſie Militans eſt,
in qua ſunt claves, earumque uſus, quæ *Fun-
datur ſupra petram*, & de qua dicitur Matth.
10. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethni-
cus, & Publicanus*; ſed hæc eſt in ſolis juſtis,
ex Aug. *lib. 3. contra Donatiſtas de Baptiſmo
cap.* 18. — Petra enim tenet, petra dimittit:
„ Columba tenet, columba dimittit: Unitas
„ tenet, unitas dimittit: Pax autem hujus B
„ unitatis in ſolis bonis eſt, vel etiam ſpiri-
„ talibus, vel ad ſpiritalia concordi obe-
„ dientia proficientibus. In malis autem non
„ eſt, ſive foris tumultuentur, ſive intus cum
„ gemitu tolerentur, & baptizent, & bapti-
„ zentur -- Idem habet *lib. 6. cap.* 3., *lib.* 7.
cap. 51.; ergo &c.

RESP. neg. min. Bonos etenim, & malos
ibidem in Eccleſia ponit Aug., ſed diverſis
meritis. Ponit per ſuperbiam fornicatores in
Corpus Chriſti; ponit intus, qui cum ge-
mitu ab Eccleſia tolerantur; imo ad ejus in-
tentum hoc eſt neceſſe: vult enim oſtendere,
Eccleſia a malis non polluitur.
ſive a malis Chriſtianis, ſive ab Hæreticis C
conſeratur Sacramentum, nunquam pollui;
quia columba eſt, quæ ſanctificat, quæ ba-
ptizat, ideſt, virtute Spiritus Sancti confi-
citur: & explicat hoc ex illis verbis Joan. 20.,
quibus dedit Apoſtolis poteſtatem abſolvendi:
*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeri-
tis &c.* mali, ſive intus, ſive foris, utiliter
non recipiunt Sacramenta, quia non habent
unitatis pacem, ideſt, fructum fidei, & cha-
ritatis; ſed hæc in ſolis juſtis datur, quorum
neque orationes malis proſunt. Si verò con-
vertantur, incipiunt pertinere ad columbam,
cujus gemitu dimittuntur illis peccata, ideſt
incipiunt Sacramenta Eccleſiæ illis prodeſſe, D
& ſuffragia peccatorum. Uno verbo, hic,
& aliis locis vult utilem, & rectum uſum
clavium eſſe in ſolis juſtis. Ceterum admit-
tit, nedum in peccatore fidem habente, ſed
etiam in Hæreticis, validam collationem Sa-
cramentorum non poſtulentium juriſdictio-
nem.

76 SUBSUMES. Ita ſe habent mali
in Eccleſia, ſicut mali humores in corpore
naturali; ſed mali humores nec ſunt mem-
bra, nec partes corporis; ergo &c. Maj. eſt
Divi Aug. *tract. 3. in Epiſt. Joan.* -- Et ſunt,
„ qui intus ſic ſunt in corpore Domini No-
„ ſtri Jeſu Chriſti, quando quidem adhuc E
„ curatur corpus ipſius, & ſanitas perfecta
„ non erit, niſi in reſurrectione mortuorum.
„ Sic ſunt in Corpore Chriſti, quomodo
„ humores mali.

RESP. Si textus connexive intelligatur,
compertum erit loqui Aug. de Hæreticis oc-
cultis. Loquitur enim de illis mendacibus,
qui Chriſtum negant. Verum, quia ibidem
pro Antichriſtis accipit, qui Chriſto adverſan-
tur, ne velimus contendere, quaſi meticu-
loſi, admittemus loqui de malis catholicis,
ſed patet, quo ſenſu eos dicat malos humo-
res, ſcilicet, quatenus gravant corpus Ec-
cleſiæ -- Quando evomuntur, tunc relevatur
„ corpus. Sic & mali, quando exeunt, tunc
„ Eccleſia relevatur, & dicit, quando eos
„ evomit, & proiicit corpus, ex me exie-
„ runt humores iſti; ſed non erant ex me --
Ideſt, veritate aſſecutionis. Ceterum in alio
ſenſu non comparantur humoribus malis; quia
iſti nullam vitam, nec imperfectam recipiunt
in corpore, & tamen iſti mali homines vi-
vunt vitâ fidei. Humores corrupti in cor-
pore naturali, quia non vivunt, nunquam
Humores ex corpus ſpuuntur.
poſſunt redire in membra: Peccatores verò,
ſi charitatem recipient, membra fiunt, ex
Aug. --Qui ſe in melius commutet in corpore
„ membrum eſt, qui autem in malitia per-
„ manet, humor malus eſt — Pro humori-
bus ergo malis, non intelligit pura excre-
menta, ſed ipſos veros humores propter al-
terationem commotos, & nocentes, qui vi-
vunt vita vegetativa. Porro ipſi humores, v.g.
ſanguis, etſi ſit alteratus, eſt vera pars homi-
nis: quatuor verò humores in corpore ſe ha-
bent, velut quatuor elementa in mundo.

77 CONCLUDES. Quod non præ-
ciditur, quando evomitur a partibus, non
erat in corpore, ut humor componens, ſed
ut excrementum nocens; at per Aug. ibidem
peccatores, quando evomuntur, non præci-
duntur a corpore vivente -- Non de carne
„ mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi preme-
„ bant, cum mihi ineſſent -- Erant ergo ſe-
parati, & idem habet *lib. 7. de Bapt. c.* 71.
-- Alios autem ita dici eſſe in domo, ut
„ non pertineant ad compagem Domus --
ergo.

RESP. neg. min. ſanguis ſubſtantialis,
ſed infectos, ſimiliter flegma alteratum pre-
mit pectus, nec eſt præciſum de carne, &
tamen vere vivit, & eſt pars vera corporis,
Sunt ergo præciſi a carne Chriſti, & Eccleſia
vivente per charitatem, nec ad compagem
Humores quomodo ſequuntur corpori.
Eccleſiæ fructiferam ſpectant, ut verba ſe-
quentia indicant -- Nec ad ſocietatem fru-
„ ctiferæ, pacificæque juſtitiæ -- Soli illi ſunt
abſolute præciſi, qui ideo mali, quia veritati
reſiſtunt, ut docet *lib. de Unit. Eccleſ. cap.
ultimo*, cujus verba infra dabimus. Ceteri
vitâ fundamentali vivunt, quæ imperfecta di-
citur: juxta illud Conc. Trident. *ſeſſ. 6. cap.*
7. -- Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat,
„ & charitas, neque unit perfecte cum Chri-
„ ſto, neque corporis ejus vivum membrum
„ efficit --

CONTROVERSIA V.

AN IMPECCABILITAS SIT DE CONSTITUTIVO MILITANTIS ECCLESIÆ.

QUamvis ex præcedenti Controverſia
ſufficienter ſit everſa etiam Hæreſis
Anabaptiſtarum, nihilominus, ut
diſtincte erroris diverſitas appareat,
& propria ſuis locis aptentur argumenta, pla-
cet cum Sanctiſſimis Patribus Auguſt., & Hie-
ronymo præſentem inſtituere Controverſiam.

Pelagiani apud Aug. *de Hæreſ. c.* 88. -- „ In illud etiam progrediuntur, ut dicant, „ vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum om- „ nino habere peccatum, & ex his Eccleſiam „ Chriſti in hac mortalitate perfici -- Induxerunt ergo in Eccleſiam Dei omnimodam impeccabilitatem.

Idem docuit Jovinianus, ut patet ex D. Hieron. libro contra eundem; hos ſecuti ſunt Beguin., & Begard. a Concil. Viennenſi damnati, & a quibuſdam tribuitur Pſeudo-Apoſtolis, Phileto, & Himenæo, affirmantibus reſurrectionem eſſe factam, non quidem corporum (hoc enim nimis ſtultum erat) ſed animi, quatenus juſti pervenerint ad illam celſitudinem perfectionis, quam habituri ſunt poſt reſurrectionem; contra quos ſcribit Paulus 2. ad Tim. 2.

Adamuſſim horum veſtigia ſequuntur Anabaptiſtæ, volentes, ſolos immunes ab omni labe veniali eſſe membra Eccleſiæ; de quo fidem faciunt Lutherani in repetitione confeſſionis Auguſtanæ, Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 8. 12., unde illos paſſim fanaticos appellant. Ejuſdem furfuris ſunt Anglicani illi, qui familia amoris dicuntur, contra quos

Dico: Impeccabilitas non eſt de conſtitutivo Eccleſiæ, ſeu juſti habentes venialia ſunt vera Eccleſiæ membra.

Juſtus ſæpe labitur in venialia.

78 PROB. I. Qui labitur in venialia frequenter, non eſt omnino impeccabilis: ſed juſtus cadit frequenter in venialia; ut leg. *in Catena Græc.* juxta illud Prov. 24. *Septies enim cadet juſtus*. Qui locus de venialibus communiter intelligitur. Hieron. *Epiſt. ad Ruſtic.*, Greg. *lib.* 6. *c.* 2. *in* 1., Reg. Caſſianus *collat.* 22. *c.* 13., D. Thom. *in cap.* 1. *Epiſt.* 1. *Joan.* -- Cadit, inquam, in charitate ſci- „ licet, non a charitate; & hoc inſinuatur „ per hoc, quod dicit in die, & non a die -- Juſtus erat Job, quem non reprehendebat cor ſuum de gravibus; & tamen dicebat Domino cap. 14. *Dinumeraſti omnes neceſſitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis. Signaſti peccata mea in ſacculo; & annotaſti, ſi quid invitus commiſi*. Secundum litteram Aug. *de peccat. meritis, & remiſs. lib.* 2. *cap.* 10., & Job. 16. *Ruga mea teſtimonium dicunt contra me*, quod myſtice de venialibus intelligitur. Proverb. 20. dicitur: *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Clamabat David Pſ. 142. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. 3. Regum 8. *Non eſt homo qui non peccet*. Vel ergo nullus eſt in Eccleſia Dei, vel ſtat, quod ſint aliqui etiam juſti, & quandoque in leves culpas cadant.

Scriptura juſtos recenſet venialibus maculatos.

79 PROB. II. Mentiri non poteſt Spiritus veritatis; ſed ſcripturæ plures juſtos reponunt in Eccleſia, de quibus levia peccata recenſentur: *Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael*. Dan. 9. de ſeipſo fatetur, & diſtinguit peccata ſua a peccatis populi; ſe juſtum fuiſſe oſtendit, & ſeipſum exauditum a Domino. Juſta erat Sarai, & de vera Eccleſia, quæ tamen inordinate riſit, & mentita eſt Angelo. Juſtus erat Elias & de Eccleſia, qui tamen nimio zelo deficiens, fuit a Domino amicabiliter reprehenſus. Juſtus erat Moyſes & de Eccleſia, qui modica ita correptus, & diffidentiæ motu turbatus, terram promiſſionis non eſt ingreſſus in pœnam peccati. Plurimi alii enumerantur ab Aug. *de natura, & gratia cap.* 36., qui ſi omnes interrogarentur (Deipara excepta) utrum ſine peccato eſſent? Una voce reſponderent tam verius, quam humilius nos ipſos ſeducimus, ſi peccaſſe negamus.

Apoſtoli in venialia lapſi.

80 PROB. III. Summæ temeritatis eſt negare Apoſtolos poſt Spiritus Sancti adventum & juſtos, & de Eccleſia non fuiſſe, ſed illi venialia habuerunt: unde 1. Joan. 1. habetur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus; & veritas in nobis non eſt*: & Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Ubi loquuntur, & in perſona propria, & aliorum; ſicut & terminus diſtributivus univerſalis manifeſtum facit, & ſcripturæ contextus declarat. De Petro ad Gal. 2. legimus fuiſſe reprehenſibilem, & ideo in faciem ei Paulus reſtitit; nimius enim videbatur in legalium obſervatione: Apocal. 2. *Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam*: ait Dominus Angelo Thiatiræ Eccleſiæ, & nihilominus habet negligentias in cuſtodia gregis ſui contra Pſeudoprophetas, de quibus redarguitur. Mundi erant Apoſtoli (uno Juda excepto) Joan. 13. & tamen de terreno pulvere ſordebant pedes eorum: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*. De quo Aug. *tract.* 56. *in Joan.* -- Ho- „ mo in ſancto Baptiſmate totus abluitur; „ non præter pedes, ſed totus omnino. Ve- „ runtamen cum in rebus humanis vivitur, „ utique terra calcatur -- Et D. Thom. in hunc locum -- Qui in hac vita mortali poſt „ Baptiſmum vivunt, non poſſunt ad tantum „ culmen perfectionis aſcendere, quin etiam „ inordinati motus ſenſualitatis de affectibus „ terrenis inſurgant, & ideo oportet, quod „ pedes lavent --

Meritò in ſua petit peccatorum remiſſionem.

81 PROB. IV. Blaſphemum eſt dicere Chriſtum falſa docuiſſe Eccleſiam ſuam; ſed docuit, ut (cum filii & juſti orant Patrem) dicant: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: Quod de levibus quotidianis juſtorum lapſibus intelligunt Patres: & Aug. urget frequenter contra Pelagianos, & *Hæreſi* 88. *ad verba citat. in initio Controverſ.* addit -- Quaſi non ſit „ Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum or- „ be clamet ad Deum: dimitte nobis debita „ noſtra -- *De natura, & gratia cap.* 35. -- „ Ubi parum attendit, cum ſit acutiſſimus, „ non fruſtra etiam juſtos in oratione dicere; „ dimitte nobis debita noſtra -- D. Th. *in* 6. *Matth.* -- Error ſcilicet Pelagii, qui dice- „ bat, quod ſine peccato poterat homo vive- „ re; & hoc eſt falſum, quia eſſet aliquis, „ qui non poſſet dicere hanc orationem; ſed „ hanc Dominus dedit omnibus; omnes ergo „ peccatum habent -- Concil. Milevitanum *Can.* 7. -- Quod unicuique, etiam juſto non „ ſolum pro aliis, ſed & pro ſemetipſo dicere „ oportet: dimitte nobis debita noſtra --

Patres agnoſcunt in juſtis quædam levia.

82 PROB. V. Temerarium eſt recedere ab univerſali traditione Patrum; ſed Patres communiter docent juſtos, qui ſunt in Eccleſia, venialiter peccare; ergo. Cypria-

nus

nus *in Epiſtola de opera, & eleemoſyna c. 16.* -- Quotidie deeſſe non poteſt, quod peccetur in conſpectu Dei: Sacrificia quotidiana non deerunt, quibus poſſint peccata tergi -- Quotidiana ſunt Sacrificia purgativa, quia quotidianæ ſunt culpæ etiam in Sanctis. Chryſoſtomus *in Pſal.* 39. -- Nec ex perfectis univerſa conſtat Eccleſia, ſed habet etiam otio, & ſocordiæ deditos -- Sunt ergo de Eccleſia negligentiis, & otioſitatibus commaculati, & imperfecti.

Amb. *de fuga ſeculi cap.* 21. -- Quanta abundantia Divinæ miſericordiæ; quantæ divitiæ pietatis ejus, ut ſingulorum ſtudia, fragilitateſque humanæ conditionis conſiderans, quibus & inviti, ac reluctantes ad culpam deducimur; & non voluntaria delicta, victi illecebris frequenter committimus -- 2. *de pœnit. cap.* 10. loquens de levibus -- Quotidiani nos debet pœnitere peccati -- Hieronymus 3. *contra Pelag. de fonte renatis* explicans illud -- Quorum ſunt remiſſæ iniquitates &c. Statim in prima Chriſti communione dicunt: Et dimitte nobis debita noſtra &c. non humilitatis mendacio, ut interpretatis, ſed pavore fragilitatis humanæ, ſuam conſcientiam formidantes &c. --

Gregorius *in lib.* 1. *cap.* 6. -- Quia nemo tam ſanctus eſt, qui in ſe non habeat aliquis fœditatis, quod plangat: ſolutio hujus delicti uſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuerunt Arcam Dei, pertenditur; Abel quippe juſtus interpretatur -- S. Aug. *de fide, & operibus c.* 26. -- Niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam poneret medelam in oratione, quam docuit &c. -- contra Julianum Pelag. *lib.* 6. *cap.* 8. exponens illud Chriſti Domini -- *Ecce ejicio Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor*, habet -- Expulſio Dæmoniorum, remiſſio peccatorum &c. perfectio ſanitatum, dum de die in diem proficit Eccleſia, & corruptionis (cujus reatus ablatus eſt) paſſio quotidiana renovatione minuitur. Tertio conſummatur, dum reſurrectionem in ſeipſo initiandam monſtravit Eccleſiæ, quæ ad incorruptionis conſummationem, ſummamque perveniat ſanitatem -- Item *de peccatorum meritis, & remiſſ. cap.* 7. *lib.* 2. *cap.* 13., & alibi.

Alii Patres ejuſdem ſunt labii: Utique tanquam de ſpeciali prærogativa, dicitur de Triumphante Eccleſia, quod in eam nihil coinquinatum introibit, quod ſit ſine macula, & ruga; quia in Militante omnia venialia vitari non poſſunt; unde dicitur in Canticis 2. quod capiantur vulpes parvulæ, quæ vineam Eccleſiæ demoliuntur, leves, ſcilicet, & voluntariæ culpæ. Ideo Paulus prima ad Corinth. 3. ſcribit in Eccleſia Dei adeſſe, qui ædificant lignum, fœnum, & ſtipulam, quæ purgabit ignis, ſalvo homine, qui ſuperædificavit: porro hæc non niſi venialia ſunt. Peccant ergo venialiter juſti quandoque, & ſunt de Eccleſia, cum ſpiritu filiationis adoptivæ clament: *Abba Pater*. Non ergo impeccabilitas ſpectat ad Eccleſiæ conſtitutivum.

A

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

83 OBJIC. I. Habitatores Tabernaculi Domini ſunt filii Eccleſiæ; ſed iſti carere debent omni culpa: Pſal. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam*. Hinc facit illud: *Beati immaculati in via &c. Et ero immaculatus cum eo*; immaculati dicuntur, ideſt ſine macula; & hi ſoli ingrediuntur. Ergo impeccabilitas eſt de conſtitutivo Eccleſiæ.

B RESP. conc. maj. In Tabernaculo, quo utebantur Hebræi tempore peregrinationis, & bellorum, ſignatur Eccleſia Militans, ſicut in monte ſignatur Eccleſia Triumphans, quia ſuper Montem Sion ædificavit David Domum Dei, pace jam habita de cunctis hoſtibus. Negatur verò min. ly enim *ſine macula* intelligitur de gravibus, dicente Aug. *de perfectione juſtitiæ cap.* 9. -- Ingredi autem ſine macula, non abſurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare

C eleemoſynis; ingreſſum quippe, hoc eſt iter noſtrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat Oratio -- Et *lib.* 1. *cap.* 14. *contra duas Epiſt. Pelagian.* reflectens ad phraſim, qua uſus eſt Apoſt. 1. ad Tim. 3. docens, quales deberent eligi miniſtri in Eccleſia, ſcilicet, crimen non habentes, ait, quod nullus poſſet eligi, ſi dixiſſet, ſine peccato, quia ſub peccati nomine veniunt etiam venialia, ſecus ſub nomine criminis: *Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim*. Et D. Th. *in comment. Pſal. citati*, ait -- Qui ingreditur &c. vita iſta eſt quædam via ad

Aliud eſt crimen, aliud peccatum.

D vitam æternam, & ideo dicit, ingreditur, ideſt: in via graditur &c. ſine macula, ſcilicet, mortali; quia veniale non habet maculam proprie -- Illa alia verò loca, quæ ſubdunt ad idem, ex Coloſſ. 1. ex Epheſ. 5. Ex 1. Corinth. 5. Prima Petri primo; ubi Sancti Apoſtoli monent, ut ſimus immaculati, ſancti pro comprehendendo bravio ſalutis, illa etiam ex Canticis: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, ſuperius explicata ſunt, ſicut & illud ad Epheſ. de Eccleſia non habente rugam &c.

84 OBJIC. II. Filii Eccleſiæ non ſunt, qui non habent requiſita a Chriſto; ſed Chri-

E ſtus Dominus exigit munditiam a qualibet culpa, Matth. 5. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt*: Docebat enim tunc turbas, quas ad Eccleſiam invitabat; & quid eſſet neceſſe, ut fierent de Eccleſia? & ideo de præſenti, & aſſertive ait: *Eſtote*.

RESP. neg. min. Extorquetur enim Scriptura, quæ loquitur de dilectione inimicorum, ut ſcilicet, eam charitatis perfectionem in proximos habeamus, qua, ſicut pater facit oriri ſolem ſuper bonos, & malos, ita & nos benefacimus, nedum iis, qui di-

ligunt nos, ſed & iis, qui oderunt nos: eſt enim clauſula præcepti de dilectione inimicorum. Quod ſi extendere volunt Hæretici ad totam Evangelicam doctrinam, de qua in illo capite, coguntur fateri, nihil aliud ibi Chriſtum velle, niſi quod obſervent fideles charitatem Dei, & proximi. Ly enim *ſicut* imitationem denotat. Amat ſeipſum Pater, & amat creaturas, ita & nos primo Deum, ſecundo nos, & proximum, ſicut noſmetipſos amare debemus. Perfectio gratiæ in via, & meriti eſt Charitas, ad quam omnes tenemur. 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Videatur D. Th. in 5. Matthæi.

Perfectio gratiæ eſt charitas.

85 OBJIC. III. Omnis juſtus, Eccleſiæ filius, natus eſt ex Deo; ſed nullus natus ex Deo peccat, 1. Joan. 3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*; ergo filii Eccleſiæ carent omni culpa.

RESP. neg. min. Nec probatio urget. Juſtus in ſenſu compoſito gratiæ non peccat lethaliter; nec ut filius Dei peccat, ita quod ex filiatione oriatur peccatum, quia tamen in mundo vivit, quandoque contingit, ut juſtus cadat ab amicitia per grave peccatum, & quandoque levibus deficit præter ultimum finem. Audi Aug. *lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 3.* -- Peccant enim & filii Dei, „ quoniam, ſi dixerint &c. Sed ea conditio„ ne peccant, qua ſunt filii adhuc hujus ſe„ culi: qua verò gratia ſunt filii Dei, non „ utique peccant -- *De peccat. meritis, & remiſſ. c. 8. lib. 2.* -- Re autem ipſa, quia „ nondum ſalvi, ideo nondum plene inno„ vati, nondum etiam filii Dei, ſed filii ſe„ culi. Proficimus ergo in renovationem, „ juſtamque vitam, per quam filii Dei ſu„ mus, & per hoc peccare omnino non poſ„ ſumus, donec totum in hoc transmutetur „ etiam illud, per quod adhuc filii ſeculi ſu„ mus. Per hoc enim adhuc peccare poſſu„ mus -- Tractat idem argumentum *lib. de natura, & gratia cap. 14. De perfectione juſtitiæ circa finem Homil. 50. ex 50.* Idem Divus Thomas *in hunc locum Joan.* -- Peccatum „ non facit, ideſt, mortale, quod eſt con„ trarium generationi ſpirituali. Et intelli„ gendum eſt cum reduplicatione, in quan„ tum, ſcilicet, ex Deo eſt -- Exponit ſecundo de nativitate per prædeſtinationem, ſecundum quam finaliter non peccat juſtus; & ideo dicitur: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet*.

Quandoque deficit juſtus.

86 OBJIC. IV. Secundum ſententiam Chriſti Matth. 7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, & 12. Bonus homo de bono theſauro profert bona*; ſed juſtus, & filius Eccleſiæ eſt arbor bona, & peccatum quodcunque eſt fructus malus; ergo juſtus, & filius Eccleſiæ non peccat: unde dicitur 1.Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*; ideſt: habens charitatem non deficit.

RESP. tandiu arbor mala fructus bonos non facit, nec bona malos, quamdiu, vel in bonitate ſua, vel in malitia perſeverat: Ut Hieron. *lib. 1. adverſus Jovinianum* -- Ar„ bor bona eſt bona voluntas, quæ tunc bona „ eſt, quando, & bonum opus eligit, & ex „ bona intentione; nec tunc peccare poteſt -- In ſenſu ergo reduplicativo bona arbor non facit malos fructus: quia tamen depravatæ adjungitur carni, ideo voluntas habitualiter bona cadit actualiter, venialia committens. Videatur D. Thom. in hunc locum. Charitas porro ſecundum litteram non excidit, quia eadem perſeverat in Patria, ubi dona fidei, prophetiæ, & linguarum evacuantur. Cæterum etiam in ſenſu adverſariorum charitas non excidit propter culpas leves, quæ charitati non opponuntur.

Charitas perſeverat in Patria.

87 OBJIC. V. Filii Eccleſiæ pertinent ad generationem Chriſti; ſed generatio Chriſti non facit, niſi Sanctos, ab omni culpa immunes; ergo. Min. habetur Joan. 1. c. 5. *Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum*. Non enim eſt minoris efficacitatis generatio Chriſti, quam Adam: ſed Adam peccator non generat niſi peccatores; ergo Chriſtus Juſtus non generat niſi juſtos: & ideo dicitur Jo. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. Item 1. Jo. 3. *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt*. Sicut prædictum erat Levit. 19. *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*; ergo.

RESP. neg. conſ. Etenim relata non infringunt teſtimonia Joan., quæ idem habet Epiſt. 1. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Unde componitur, quod filius Eccleſiæ ex Dei generatione natus ſit, & quandoque leviter peccet, quare? Quia ſicut ex Deo natus eſt, & in Deo manens non peccat, ita etiam natus eſt ex illo homine, per quem peccatum intravit in mundum, ideo ſine peccato non ſumus: Aug. *lib. de perf. juſt. c. 18.* -- Quia ſine illius infirmi„ tate nondum ſumus, donec illa renova„ tione, quæ fit de die in diem, quoniam „ ex Deo ſecundum ipſam nati ſumus, infir„ mitas tota ſanetur, in qua ex primo ho„ mine nati ſumus, & in qua ſine peccato „ non ſumus, cujus reliquiis in homine ma„ nentibus interiore, quamvis de die in diem „ minuantur in proficientibus -- Generatio ergo Dei eſt innovatio quotidiana juſtorum ſecundum profectum ſpiritualem, quæ cum perfecta erit per viſionem, non habebit peccandi periculum -- Sanctificat enim ſe, non per „ ſeipſum, ſed credendo in illum, & invo„ cando illum, qui ſanctificat ſanctos ſuos; „ unius ſanctificationis perfectio, quæ nunc „ proficit, & creſcit de die in diem, omnes „ infirmitatis reliquias ablatura eſt -- Qui ergo ſpem habet in vitam æternam, ſollicitus eſt, ut quotidie proficiat in ſanctitate, Chriſtum imitando -- *Omnis, qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum*, intelligitur ſic ab Aug. ibidem -- Quia renovatio perfi„ cienda videt, & cognoſcit; infirmitas verò „ abſumenda non videt, neque cognoſcit -- D. Thom. duplicem dat ſolutionem -- Om„ nis, qui peccat, ideſt, finaliter in pecca„ to permanet, non videt eum, & non co„ gnovit eum (*Gloſſa*) guſtando ſuavitatem „ in Deitate -- Si enim guſtaſſet, non ſe ſepararet (peccando) ab ejus gloria.

Homo ex Deo juſtus, ex Adam peccator.

Abs

Abs re adducitur ab adverſariis illud Pauli ad Philipp. 3. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Perfectum autem illud eſt, cui nihil deeſt, quaſi quod omnes fideles ita ſint perfecti, ut nihil deſit, ſintque abſque ullo peccato; alia enim eſt mens Divi Pauli. Perfectos vocat omnes, qui integra fide credunt, 1. ad Corinth. 1. *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, hortaturque hos omnes credentes, ut ad ſui imitationem ſtudeant ſemper ulterius proficere obliviſcentes, quæ retro ſunt; ibidemque ſe non eſſe perfectum fatetur -- Non, „ quod jam acceperim, aut perfectus ſim; „ ſequor autem, ſi quomodo comprehendam, „ in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu -- Sic Aug. *de perfect. juſtitia cap.* 8. -- „ Ideſt, quod perfecte currimus, hoc ſapiamus, quod nondum perfecti ſumus, ut illuc perficiamus, quo perfecte adhuc currimus -- *Lib.* 3. *contra duas litteras Pelag. c.* 5. diſtinguit duplicem perfectionem, unam viæ, Patriæ alteram, de prima, explicans locum Pauli, pulchre habet -- Ut oſtenderet „ ſolum iſtius vitæ modum, eſſe quandam „ perfectionem, eique perfectioni hoc quo„ que deputari, ſi ſe quiſque noverit non„ dum eſſe perfectum --

Perfecti quandoque dicuntur, qui perfecte credunt.

Nec urget auctoritas Concilii Toletani VI. *in confeſſ. fidei c.* 1., ubi locus illius particulæ (*Sanctam*) in ſymbolo ponitur (*ſine macula, & ruga*) nam intelligitur de Eccleſia Sancta, quoad doctrinam &c., quem locum jam ſupra explicuimus.

Iiidem perperam affertur Hieronymus *in cap.* 1. *ad Galatas* ad illa verba: *Qui mecum ſunt, omnes Fratres* -- Noſcendum, dupliciter „ Eccleſiam poſſe dici, & eam, quæ non „ habet maculam, atque rugam, & vere „ Corpus Chriſti ſit; & eam, quæ in Chri„ ſti nomine abſque plenis, perfectiſque vir„ tutibus congregetur -- Non enim duplicem diſtinguit Eccleſiam, ſed duplicem in eadem Eccleſia ſtatum, perfectorum, qui in gradu excellenti, & imperfectorum, qui in gradu inferiori virtutes poſſident; explicatque ſequenti exemplo -- Quomodo ſapientes „ bifarie nuncupantur, tam hi, qui ſunt ple„ næ, perfectæq. virtutis, quam illi, qui in„ cipiunt, & in profectu poſiti ſunt. De „ perfectis dicitur: mittam ad vos ſapientes. „ De inſipientibus: argue ſapientem, & di„ liget te. Qui enim plenæ conſummatæque „ virtutis eſt, correptione non indiget -- Intra ſinum Eccleſiæ ergo ſunt mali ſimpliciter gravia patrantes, ſunt & mali venialia committentes.

In Eccleſia perfecti, & imperfecti.

CONTROVERSIA VI.

AN BAPTISMUS SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ MILITANTIS.

88 Calviniſtica Helveticorum Eccleſia in ſua confeſſione *cap.* 17. docet: Baptiſmate non renatos ad Eccleſiam pertinere, dummodo electi ſint; & ſequitur tamquam conſequentia ex illo principio, quo ſtatuunt ante vocationem temporalem ad Eccleſiam, prædeſtinatos eſſe membra Eccleſiæ; ab orco revocantes doctrinam Joan. Hus pediſſequi Wicleſi dicentis *art.* 12. ea damnatis in Concilio Conſtantienſi -- Gratia prædeſtinationis eſt vin„ culum, quo corpus Eccleſiæ, & quodli„ bet ejus membrum jungitur Chriſto capiti „ indiſſolubiliter -- Unde quilibet præordinatus ad vitam æternam, ſive actu credat non ſuſcepto Baptiſmo, ſive non credat, membrum eſt Eccleſiæ. In ſuperioribus demonſtravimus electionem non eſſe formam conſtitutivam, adeoque ad Eccleſiam pertinere omnes actu credentes ſive bonos, ſive malos, ſive finaliter perſeveraturos, ſive defecturos. Nunc reſtat explicandum, an fides non profeſſa per Baptiſmum ſufficiat, ac per conſequens Catechumeni ſint membra Eccleſiæ; in qua non eſt una omnium, etiam Catholicorum mens, licet ex principio diverſo ab Hæreticis.

Prima ſententia abſolute docet non baptizatos, habentes fidem ad Eccleſiam pertinere. Ita Suarez *de fide diſput.* 7. *n.* 18. *Cano. lib.* 4. *de locis communib. cap.* 2., & alii; Secunda tenet abſolute non pertinere ad Eccleſiam. Stapletonius in principiis fidei *Controv.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 2. §. *Catechumeni*; Azor. 2. *p. Sum. lib.* 5. *cap.* 20. *dub.* 5. Tertia ſententia diſtinguit in modo eſſendi intra Eccleſiam, aſſeritque pertinere ad Eccleſiam potentialiter, non autem actu. Ita Bellarmin. *lib.* 3. *de Eccleſ. cap.* 3. Ad hanc reducitur opinio dicentium, merito, & mentaliter pertinere ad Eccleſiam, non autem numero. Turrecremata *in Sum. de Eccleſia lib.* 1. *c.* 8. *ad* 8. Quarta ſententia diſtinguit eſſe Eccleſiæ: Si accipiatur Eccleſia, prout eſt corpus myſticum omnes comprehendens, qui ſub lege naturæ, & ſcripta crediderunt in Chriſtum, iſti veriſſime pertinent ad Eccleſiam; ſi verò accipiatur, prout eſt Eccleſia Chriſti, non pertinent.

89 Ad intelligentiam difficultatis notandum eſt I. Nomine Catechumenorum non venire eos, qui majora præcepta ſervare non poſſunt, ut temere aſſerebat Petilianus apud Aug. *lib.* 3. *c.* 11. *contra litt. Petiliani*; ſed venire eos, qui audito verbo prædicationis Evangelicæ, proponunt legem Chriſti ſuſcipere, & ad hunc finem a Miniſtris Eccleſiæ inſtruuntur circa myſteria Divina principalia, inter quos ſunt, qui perfecte inſtructi, & fide concepta petunt Baptiſmum, alii non ſunt plene inſtructi, quorum aliqui fidem conceperunt, & ad Baptiſmum ſuſcipiendum diſponuntur, alii non habent adhuc fidem conceptam, licet illuminati ſentiant inclinationem ad illam, & ideo cupiunt inſtrui; & hi non ſunt proprie Catechumeni, de quibus in præſenti.

Catechumeni qui dicantur.

90 Notandum eſt II. In ſacris litteris Eccleſiam comparari corpori naturali Chriſti, in hoc verò duo eſſentialiter deſiderantur, & anima, quæ informat, & dat vitam, & membrorum organizatio, quæ animatur, & vivificatur; non poſſunt tamen membra unam illam organizationem componere, niſi ſint colligata ſub una forma corporeitatis; ita in corpore myſtico duo ſunt eſſen-

eſſentialia, unum, ſe habens per modum animæ, & hæc eſt fides, aliud ſe habens per modum corporis, & hoc ſunt credentes. Sed inſuper neceſſe eſt, quod ſint organizari ſub una velut forma corporeitatis, ſcilicet, ſenſibilitatis, & viſibilitatis. Quare ſicut, ut manus, v. g. ſit de corpore animato, neceſſe eſt, ut continuetur cum brachio, & ſi daremus manum animari ſeparatam, non poſſemus eam dicere partem actualem corporis; ſic, ut homo ſit de corpore Eccleſiæ vivente, neceſſe eſt, quod uniatur cum ceteris quantitative. His poſitis

Dico: Baptiſmus eſt de conſtitutivo Eccleſiæ Militantis; unde Catechumeni non ſunt de Eccleſia.

91 PROB. I. Hi ſunt de Eccleſia, qui Chriſto aggregantur in unum; ſed per Baptiſmum fideles Chriſto aggregantur in unum; ergo Baptiſmus eſt de conſtitutivo Eccleſiæ. Minor habetur ad Gal. 3. v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ideſt, de ejus corpore effecti eſtis, ideo ſubditur: *Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*: ubi D. Thom. -- Quia vos omnes, ſcilicet fideles, unum eſtis in Chriſto Jeſu, qui in Baptiſmo omnes eſtis effecti membra Chriſti, & unum corpus -- Hinc Act. 2. 41. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt; & appoſita ſunt in illa die animæ circiter tria millia*, ideſt, adjunctæ ſunt Eccleſiæ; non quia tantum receperunt ſermonem, ſed quia Baptizati.

Baptiſma facit de Eccleſia.

92 PROB. II. Nullus eſt actu membrum Eccleſiæ, qui non pertinet ad unitatem illius; ſed ſine Baptiſmo non habetur unitas Eccleſiæ, ad Epheſ. 4. v. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*. Ad unitatem corporis Eccleſiæ quatuor hæc requiruntur, & ſicut non ſufficit fides in præparatione animi, ita non ſufficit Baptiſma, niſi in re ſuſcipiatur: ubi D. Th. -- In qualibet autem Civitate ad „ hoc, ut ſit una, quatuor debent eſſe com„ munia, ſcilicet, unus gubernator, una „ lex, eadem inſignia, & idem finis: hæc „ autem quatuor, dicit Apoſtolus eſſe in Ec„ cleſia: Unus Dominus: *en unus guberna„ tor*. Una fides: *en unitas legis*. Unum „ Baptiſma: *en identitas inſignium*. Una ſpes „ vocationis veſtræ: *en finis, ideſt Beatitudo* --

Unitas Eccleſiæ per Baptiſma.

93 PROB. III. Non eſt ille de Eccleſia, in quem Eccleſia directe nullam habet juriſdictionem, 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare? nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis?* Sed certo certius, Eccleſia nullam habet directam juriſdictionem in non Baptizatos, ſeu Catechumenos; nec ullam unquam exercuit: unde non poteſt illos excommunicare, aliiſque pœnis ſubjicere, ſicut Religio non habet juriſdictionem directam in Novitium; & ſi delinquat contra ſtatuta Ordinis, non poteſt cogi ad pœnas ſtatutas, ſed expulſione plectendus eſt. Poteſt tamen puniri a Judice Eccleſiaſtico, ſi delinquat circa ea, de quibus in ſeculo poterat a Laico plecti, & judicari: ſed hoc non eſt ex directa juriſdictione, ſed ex lege particulari facta ab Eccleſia, & Principibus, in favorem habitus. Dixi directe, nam indirecte poſſunt puniri eo modo, quo puniuntur Infideles, ſi impediant Eccleſiæ filios, ne illi obediant, ſed hoc non facit de Eccleſia.

Infideles non ſubduntur Eccleſiæ.

A

94 PROB. IV. Actu non eſt membrum Eccleſiæ, qui actu non eſt filius Eccleſiæ: ſed non Baptizatus habens fidem, non eſt filius Eccleſiæ viſibilis; nam nullus eſt filius, niſi ſit renatus ſpirituali generatione; ſed actualis generatio ſpiritualis ad Eccleſiam viſibilem non habetur ſine actuali ſuſceptione Baptiſmi, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*: Ubi advertendum eſt cum Angelico ibidem, neceſſariam eſſe aquam, & Spiritum Sanctum; quia totus homo regenerari debet -- Primo: propter humanæ natu„ ræ conditionem (homo enim ex anima, „ & corpore conſtat) & ſi in ejus regenera„ tione eſſet ſpiritus tantum, ſolum, quod „ ſpirituale eſt hominis, oſtenderetur rege„ nerari. Ut ergo regeneretur etiam caro, „ oportet, quod ſicut eſt ibi ſpiritus, per „ quem regeneretur anima; ita ſit ibi ali„ quod corporale, per quod regeneretur cor„ pus; & hæc eſt aqua.

Spiritualis regeneratio in Eccleſia conſtituit.

B

95 PROB. V. Non eſt actu de corpore Eccleſiæ, qui non eſt complantatus in Chriſto, ad Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudinis mortis ejus*. Ideſt, ut ait D. Th. -- Si in nobis aſſumamus ſimi„ litudinem mortis ejus, ut ei incorpore„ mur, ſicut ramus, qui inſeritur plantæ: „ ſed hæc complantatio ſit per Baptiſmum, „ ut ibidem Paulus clariſſime: an ignoratis: „ quia, quicumque baptizati ſumus in Chri„ ſto Jeſu, in morte ejus baptizati ſumus? „ conſepulti enim ſumus cum illo per Ba„ ptiſmum in mortem -- Quem dicit conſepultum in morte, dicit complantatum ſimilitudini mortis. Unde *diſt. 4. de conſecratione, Can. Ad hoc* dicitur -- Ad hoc Baptiſmus „ valet, ut ibi baptizati Chriſto incorporen„ tur, & membra ejus habeantur, & conſe„ pelliantur &c. -- Et Catechiſmus Roman. Concil. Trid. explicans *parte ſecunda n. 52.* -- Jam verò per Baptiſmum etiam Chriſto ca„ piti, tanquam membra copulamur, & con„ nectimur -- Et D. Th. 3. *p. q. 69. art. 5. in corp.* -- Et ideo neceſſe eſt, quod per Ba„ ptiſmum aliquis incorporetur Chriſto, quaſi „ membrum ipſius -- Et rationem aſſignat, quia non poteſt Chriſto uniri, niſi per regenerationem ſpiritualem; hæc non habetur; niſi per Baptiſmum -- Et 3. *in Joan.* habet -- „ Nam cauſa noſtræ regenerationis eſt Ver„ bum Incarnatum. Supra primo: Dedit eis „ poteſtatem filios Dei fieri: congruit ergo, „ quod in Sacramentis, quæ efficaciam ha„ bent ex virtute Verbi Incarnati, ſit aliquid „ correſpondens Verbo, & aliquid correſpon„ dens carni, ſeu corpori; & hoc eſt ſpecia„ liter aqua in Sacramento Baptiſmi, ut ſci„ licet, per eam configuremur morti Chri„ ſti, dum ſubmergimur in ea, quando ba„ ptizamur; ſicut Chriſtus tribus diebus fuit „ in ventre terræ -- Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum*. Non eſt ergo de Eccleſia; qui actu non eſt Chriſto complantatus,

C

D

Per Baptiſma Chriſto unimur.

E

tus ; non eſt complantaius, qui non eſt conſepultus ; qui non eſt baptizatus ; ergo &c.

96 PROB. VI. Qui actu eſt intra Ecclesiam, ligatus eſt jugo Chriſti, & Ecclaſiæ, juxta illud 11. Matth. *Tollite jugum meum ſuper vos*, quibus invitat ad ſuam Ecclesiam auditores, & ut ſibi incorporentur. Jugum ideo dicit, quia ſicut jugo ligantur boves, ita ingredientes Eccleſiam, per Chriſti incorporationem ligantur oneri legis Chriſti, & Eccleſiæ ; ſed non baptizati, etſi credant, non tenentur legibus Eccleſiæ, & Chriſti : unde non tenentur ad Sacramentorum ſuſceptionem, jejunia, ſacri auditionem, & cetera &c. Et ratio clara eſt, quam adducit Paulus ad Heb. 6. Nullus tenetur ad legem, quam non eſt profeſſus ; ſed profeſſio legis Chriſti fit per Baptiſmum, & propter hoc dicitur Sacramentum fidei, ſicut pluribus locis explicat S. Thom. *ut 3. par. quæſt. 70. art. 1.* -- Dicendum, quod Baptiſmus dici-
Lex Chriſti per Baptiſma profitetur.
„ tur Sacramentum Fidei, in quantum ſci-
„ licet, in Baptiſmo fit quædam fidei pro-
„ feſſio, & per Baptiſmum aggregatur homo
„ congregationi fidelium -- Idem dixerat *quæſt. 66. art. 1. ad 1.*, ubi affert Dionyſii auctoritatem *cap. 2. Eccleſ. Hierarch.* dicentis -- Quod eſt quoddam principium Sanctiſ-
„ ſimorum mandatorum ſacræ actionis, ad
„ eorum ſuſceptivam opportunitatem, for-
„ maos noſtros animales habitus -- Et propter hanc rationem, dum tradendus eſt Baptiſmus, præmittitur profeſſio fidei, quia ſpondet Chriſtianæ legis obſervantiam : ea propter Trid. *ſeſſ. 7. Can. 7. de Baptiſmo* definit. -- Si quis dixerit baptizatos per Bapti-
„ ſmum ipſum, ſolius tantum fidei debito-
„ res fieri, non autem univerſæ legis ſer-
„ vandæ ; anathema ſit -- Similiter *Can.* 8.

97 PROB. VII. Non eſt actu de Eccleſia, qui nondum ingreſſus eſt per januam ; ſed janua Eccleſiæ eſt Baptiſmus, ſicut tradit Concilium Florentinum *in inſtructione Armenorum* -- Primum omnium Sacramento-
Baptiſma janua Eccleſiæ.
„ rum locum tenet Baptiſmus, qui vitæ ſpi-
„ ritualis janua eſt. Per ipſum enim membra
„ Chriſti, & de corpore efficimur Eccleſiæ --
Et ideo dicitur Sacramentum intrantium D. Th. 4. *diſt. 2. quæſt. 1. art. 2. ad 2.* -- Dicen-
„ dum, quod Baptiſmus eſt Sacramentum
„ intrantium, quia facit hominem, primo
„ participem Redemptionis Chriſti conſe-
„ pelicns eum in ſimilitudinem mortis ejus --

98 PROB. VIII. Qui eſt in atrio domus, & Civitatis, non eſt actu intra domum, & Civitatem ; ſed Catechumenus eſt ſolum in atrio Eccleſiæ ; ergo non eſt intra Eccleſiam actu. Min. habetur apud Greg. Nazianzenum *Orat. in Sanctum Lavacrum* --
„ Quandiu in Catachumenorum es numero,
„ in veſtibulo pietatis es. Introeundum tibi
„ eſt ; pertranſeundum atrium ; ſancta in-
„ tuenda ; ſancta ſanctorum proſpicienda ;
„ ad Trinitatem perveniendum -- Et Greg Magn. *hom. 35. in Evang.* -- Quis ſine Ba-
„ ptiſmate, & fide has nuptias intravit ? --

99 PROB. IX. Filius, ut in utero matris, actu non pertinet ad Rempublicam, nec cum ea ponit in numero, ſed Catechumenus eſt fœtus ut in utero matris ; ergo &c. Min. habetur ex Aug. *lib. 2. de Symb. cap. 1.* -- Nondum quidem per Sacrum Baptiſmum
„ renati eſtis ; ſed per Crucis ſignum in u-
Catechumeni non ſunt de Eccleſia.
„ tero Matris Eccleſiæ concepti eſtis. Agat
„ itaque hæc mater congruis alimentis prius
„ parere, quos portat, ut poſt partum læte-
„ tur ſe tales ſuſcepiſſe, quos nutriat -- Et *lib. 4. cap. 1.* -- Non ergo ad numerum filio-
„ rum reliquorum pertinebunt, quouſque eos
„ in lucem emittat per regenerationis Sacra-
„ mentum -- *Serm. 46. de verbis Domini*, exponens ea : *Caro mea vere eſt cibus* : Catechumenos alloquens -- Quomodo manduca-
„ tur Caro Domini, & Sanguis bibitur Do-
„ mini ? putamus, quid dicit ? quid con-
„ tra te clauſit ? ut neſcias, velatum eſt : ſed
„ ſi volueris, erit revelatum. Accede ad
„ profeſſionem, & ſolviſti quæſtionem. Quid
„ enim dixerit Dominus Jeſus, fideles no-
„ verunt. Tu autem Catechumenus diceris
„ audiens, & ſurdus es -- Et 18. *Conf. c. 2.* refert Simplicianum Victorino Catechumeno dixiſſe -- Non te deputabo inter Chriſtianos,
„ niſi in Eccleſia Chriſti te videro -- *De catechizandis rudibus lib. 2. cap. 13.* explicans illa verba 2. Joan. *Multi crediderunt in eum : ipſe autem non ſe credebat eis* -- quare ? quia
„ nondum renati erant ex aqua, & Spiritu
„ Sancto. Inde hortati ſumus, ut hortentur
„ fratres noſtros Catechumenos. Si enim in-
„ terrogas eos : jam crediderunt in Jeſum.
„ Quid faciant, ut ſe illis credat Jeſus ? re-
„ naſcantur ex aqua, & Spiritu Sancto : pro-
„ ferat Eccleſia quod parturit. Concepti ſunt,
„ edantur in lucem -- Idem Aug. *tract. 11. in 3. Joan.* Quare in aperto eſt, quod Catechumeni non actu de Eccleſia ſint : quod pluribus oſtendi poſſet, ſed ſequentia ſufficiant.

I. Tunc incipiunt credentes eſſe de Eccleſia, quando incipiunt numerari dies vitæ ſpiritualis ; ſicut, tunc dicitur homo natus temporaliter, quando incipiunt numerari anni vitæ ejus : ſed a Baptiſmate incipiunt numerari dies vitæ ſpiritualis, & ideo tunc nomen imponitur ; unde advertit Hieronymus *in quæſt. Hebraicis*, annos Abrahæ non enumerari a nativitate carnali, ſed a circumciſione, & ideo ſimul circumciſionis mandatum, & nominis impoſitionem ſuſcepit a Deo. Geneſ. 17. hinc bene advertit D. Th. cum Gloſſa, verificari verba illa Salomonis Prov. 4. *Ego filius fui Patris mei tenellus, & unigenitus coram Matre mea* ; cum tamen fratrem habuerit uterinum, ſecundum Scripturam ; *Niſi quia mox natus, ſine nomine, quaſi nunquam eſſet, de vita deceſſit*. Ad circumciſionem non pervenit, & nomen non ſuſcepit, nec habuit, unde enumerarentur dies ſpiritualis nativitatis. Miles Chriſti fit, qui Eccleſiam ingreditur, Miles non eſt quis in Republica, niſi quando nomen dedit.
A Baptiſmate vita ſpiritualis.

II. Juxta Eccleſiæ diſciplinam diſtinguebantur fideles in Catechumenos, Competentes, Fideles, & Pœnitentes : Catechumeni dicebantur, qui inſtruebantur circa Myſteria Divina, & tranſibant ad gradum competentium, qui ii erant, qui ſufficienter inſtructi petebant Baptiſmum : Fideles dicebantur, qui erant Sacro abluti Fonte. Pœnitentes, qui poſt Ba-

Digitized by Google

Baptiſmum lapſi a fide, redibant ad Eccleſiam. Sic Tertull. *lib. de pœnit. cap.* 2., Cyprianus *Epiſt.* 13.

Catechumeni ad ſacra non admittuntur.

III. Catechumeni non admittebantur ad Sacrum, niſi uſque ad oblationem, quæ para dicebatur Miſſa Catechumenorum; unde clamante Levita, ut exirent de Eccleſia, recedebant ſimul cum gentilibus, ſicut habetur *diſt. 2. de conſecratione Can.* 67. -- Epiſcopus „ nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & „ audire Verbum Dei, ſive Gentilem, ſive „ Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſ„ſam Catechumenorum -- Clemens Rom. 8. *Apoſtolic. Conſtitut.*, Dionyſ. 3. *de Cæleſti Hierarch.*, Aug. *tract.* 11. *in Joan.*, Iſid. *cap.* 19. 6. Etymolog. Turrecremata *in cap. Jacobus de conſecrat.* Item difficiliora myſteria eis non proponebantur. Iſid. *ibid.* Aug. *tract. 96. in Joan.* Nec ob aliud, niſi quia non erant Eccleſiæ incorporati.

Pro defunctis Catechumenis non orat Eccleſia.

IV. Non enim ſuevit Eccleſia memoriam facere defunctorum Catechumenorum. Unde Bracharenſe *Concil. I. cap.* 17. habet -- „ Catechumenis ſine Redemptione Baptiſmi „ defunctis, ſimili modo, nec oblationis „ ſanctæ commemoratio, nec pſallendi im„pendantur officium. Nam & hoc per igno„rantiam uſurpatum eſt -- Chry. 70. *homil. ad populum Antioch.* cum ea traditione Apoſt. demonſtraſſet in Altari memoriam fieri defunctorum, ſubdit -- Catechumeni verò nec „ hac digni conſolatione cenſentur, ſed omni „ ſunt tali ſuffragio privati -- Hanc legem non ſervavit Ambroſius in caſu Valentiniani junioris, qui Viennæ in Gallia fuit ab Arbogaſte ſtrangulatus, eo quod ipſum exauctorizaverat: pio Principi eſt compaſſus, qui paucis ante diebus lavacrum petierat regenerationis, ſed hoc non tollit generalem regulam; certum eſt in Eccleſia nullam dari particularem pro ipſis orationem.

Qui mos orandi pro vivis Catechumenis in Latina, & Græca Eccleſia.

V. Secundum uſum Latinum pro Catechumenis viventibus publice non orat Eccleſia, niſi die paraſceve, & tunc offert Sacrificium ex ſolis præſanctificatis; & orat, ut incorporentur -- Auge fidem, & intellectum „ Catechumenis noſtris, ut renati fonte Ba„ptiſmatis, adoptionis tuæ filiis aggregen„tur -- Secundum uſum Græcum præter illum diem preces fiebant in Miſſa ſolemni, ſed ut incorporarentur Eccleſiæ; ſicut docet Chryſoſt. *hom.* 2. *in 2. ad Corinth.* -- Licet tunc „ adhuc ſint Catechumeni, nondum enim „ pertinent ad Corpus Chriſti: nondum my„ſteriorum participes facti ſunt, ſed adhuc „ a ſpirituali grege diviſi ſunt &c. adhuc „ ſtant extra atria Regalia &c. ideo Diaco„nus hortatur te, ut ores pro illis, ut tua „ fiant membra, & non amplius ſint hoſpi„tes, & advenæ --

SOLVUNTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

100 OBJIC. I. Ejuſdem rationis eſt Eccleſia præſens quoad ſubſtantiam, ac ſub lege Moſayca; ſed ſub illa ſola fide dabatur incorporatio in Eccleſiam abſque circumciſione; ergo etiam in lege nova ſine Baptiſmo, cujus figura præceſſit ipſamet circumciſio; ergo per accidens ſolummodo re-
A quiritur. Min. prob. Sanctus Job, Sanctus Melchiſedech, & ſimiles erant vere de Eccleſia, & tamen non habebant circumciſionem, ſed ſolam fidem; ergo ea ſufficit.

RESP. Quidquid ſit de maj. neg. min. Nulla unquam facta eſt incorporatio in unitatem Eccleſiæ, niſi mediis ſignis ſenſibilibus Sacramentalibus. Sic Aug. *contra Fauſtum lib.* 19. *cap.* 11. -- In nullum autem nomen „ Religionis, ſeu verum, ſeu falſum coa„gulari homines poſſunt, niſi aliquo ſigna„culorum, vel Sacramentorum viſibilium „ conſortio colligentur -- Hinc optime diſcurrit D. Th. 3. *p. quæſt.* 68. *art.* 1. *ad* 1. --
B „ Dicendum, quod nunquam homines po„tuerunt ſalvari etiam ante Chriſti adven„tum, niſi fierent membra Chriſti, quia, „ ut dicitur *Actor.* 4. Non eſt aliud nomen „ datum hominibus, in quo oporteat nos „ ſalvos fieri; ſed ante adventum Chriſti, „ homines Chriſto incorporabantur per fidem „ futuri adventus, cujus fidei ſignaculum „ erat circumciſio, ut Apoſt. dicit Rom. 4. An„tea verò quam circumciſio inſtitueretur; „ ſola fide, ut Greg. dicit, cum Sacrificiorum „ oblatione, quibus ſuam fidem antiqui Pa„tres profitebantur, homines Chriſto incor„porabantur -- Idem docet *q.* 70. *art.* 1. --

Nemo ſalvatur niſi ſit de Eccleſia.

C „ Unde per circumciſionem antiqui aggre„gabantur Collegio fidelium -- Ex utroque loco, & alibi docet, in nova lege per Baptiſmum aggregationem fieri Eccleſiæ: & dato, quod pro lege naturæ, & Moyſis non fuiſſet neceſſarium circumciſionis ſignum, vel aliud: eſt tamen neceſſaria Baptiſmi ſusceptio, propter ſtrictiorem obligationem: quare non eſt per accidens, ſed per ſe, ſicut non eſt per accidens, quod Religio habeat Sacramenta, & ſit ſenſibilis Eccleſia.

101 OBJIC. II. Qui ſunt in ſtatu ſalutis; actu ſunt intra Eccleſiam; ſed Catechumeni ſunt actu in ſtatu ſalutis; ergo actu
D ſunt intra Eccleſiam. Major probatur. Nam in ſola Eccleſia eſt ſalus; ideo aſſimilatur Arcæ Noe, extra quam nullos ſalvari poterat; unde in Concil. Lateranenſi *cap.* 1. dicitur -- Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, „ extra quam nullus omnino ſalvatur -- Min. declaratur. Solo Baptiſmo in voto ſalvantur credentes, ut conſtat de tot Martyribus, qui ſunt nobilis portio Eccleſiæ. Hinc Amb. de Valentiniano, qui Catechumenus mortuus eſt, habet -- Quam regeneraturus eram, a„miſi: veruntamen ille gratiam, quam pro„poſuit, non amiſit -- Idem habetur *Can. debitum de Baptiſmo*: ubi loquens de Judæo,
E qui ſeipſum baptizavit in articulo mortis -- „ Quamvis, ſi talis continuo deceſſiſſet, ad „ Cæleſtem Patriam protinus evolaſſet pro„pter Sacramenti fidem, etſi non propter „ fidei Sacramentum -- *Et Can. Apoſtolicam de Presbytero non baptizato*: Innocentius III. Epiſcopo Cremonenſi ad caſum propoſitum de Presbytero, qui mortuus eſt revera ſine Baptiſmo, licet putaret ſe baptizatum, reſpondens, habet -- Quia in Sanctæ Matris Ec„cleſiæ fide, & Chriſti nomine perſevera„vit, ab originali peccato ſolutum, & Cæ„leſtis Patriæ gaudium eſſe adeptum aſſeri-

„ mus

„ mus inconſtanter -- Idem iterum tradit *Can. Veniens*: eodem titulo reſpondens Ferrarienſi Epiſcopo circa virum non baptizatum, ſed ut talem creditum, qui fuerat ordinatus in Sacerdotem: ubi docet per fidem incorporari credentem Chriſto -- Nam, cum „ quis non ſolum per Sacramentum fidei, ſed „ per fidem etiam Sacramenti efficiatur pro- „ cul dubio membrum Chriſti -- Quibus convincitur falſam eſſe doctrinam eorum, qui dicunt Catechumenos damnari.

RESP. Argumentum probat ſuper intentum. Cum enim vis magna fiat in ſymbolo de Arca, extra quam nullus erat ſalvabilis, ſequitur ad ſalutem eſſe neceſſariam omnino actualem ſuſceptionem Baptiſmi, quia ſymbolum de Arca ponitur pro Baptiſmo in Epiſtolis D. Petri; deinde a Patribus ad Eccleſiam translatum fuit. Qui in voto fuerunt in Arca, non erant in ſtatu ſalutis; ergo qui ſolum in voto habent Baptiſma, non ſunt in ſtatu ſalutis. Ceterum per Sacramenta incorporari actu Eccleſiæ præter dicta, & quæ poſſunt dici: habet Aug. *lib. 3. de peccat. meritis, & remiſs. cap.* 10. -- Quibus docemur præ- „ ter Chriſti ſocietatem, quæ in illo, & cum „ illo fit, cum Sacramentis ejus imbuimur, „ & ejus membris incorporamur --

Arca Noe ſignat Baptiſmum.

Nec argumentum novum eſt. Proponit illud Sanctus Doctor Aquinas 4. *ſent. diſt.* 4. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 5. -- Dicendum, quod „ incorporari Chriſto, contingit dupliciter, „ ſcilicet merito, & numero. Merito qui- „ dem poteſt quis de Eccleſia effici (quod „ eſt Chriſto incorporari) etiam ante Bapti- „ ſmum actu ſuſceptum, ſed non ante Ba- „ ptiſmi propoſitum: ſed numero non poteſt „ aliquis effici de Eccleſia, niſi per Bapti- „ ſmum -- Eſſe numero de Eccleſia, eſt eſſe actu, & abſolute membrum, ut ad 2. clarius explicat -- Dicendum, quod perceptio Eu- „ chariſtiæ præſupponit incorporationem ab- „ ſolute; quia capitis virtus, non communi- „ catur membro, niſi jam unito -- Qui condignitatem proximam habet ad Cardinalatum, merito eſt de Collegio Cardinalium, ſed non numero, & re. 3. *p. quæſt.* 69. *art.* 5. *ad* 1. -- Dicendum, quod Adulti prius credentes in Chriſtum ſunt ei incorporati men- „ taliter; ſed poſtmodum, cum baptizantur, „ incorporantur ei quodammodo corporali- „ ter, ſcilicet, per viſibile Sacramentum, ſine „ cujus propoſito, nec mentaliter incorpo- „ rari potuiſſent -- Ad hoc autem, ut quis ſalvetur, ſufficit pro caſu neceſſitatis (pro quo ſolo valet votum Baptiſmi, ut *Can. cit.* habent) eſſe de Eccleſia merito, & deſiderio. Sicut alimentum, donec transmutetur in ſubſtantiam, non eſt pars corporis, ſed quia diſponitur, ut fit, participat aliquam animæ virtutem, nempe calorem, & in veſtibulo Templi exiſtens fruitur privilegio Immunitatis, licet actu non ſit in Templo; propter extenſionem privilegii Templo facti: ita in caſu noſtro, eo, quia bona voluntas in illo caſu neceſſitatis reputatur pro facto, in eſſe valoris in ordine ad præmium, & eſt caſus, in quo verificatur axioma juris: Idem eſt judicium de deſtinato ad actum, & de acto ipſo: Quæ regula non eſt univerſalis, & in pluribus deficit; & unum proferam in materia. Attritus præparatus ad claves, non fit contritus, niſi actu clavibus ſe ſubjiciat.

Alii de Eccleſia merito, alii etiam numero.

His reſpondetur allatis ex *Can.* Illud verò, quod additur ex Innoc. III. *Can. Veniens*: eodem ſolvitur modo; alias contradicit alteri Can. a nobis adducto, & multo magis textui Concil. Florent. Armenos publica doctrina Eccleſiæ inſtruentis. Ceterum ea dicuntur ab Innocentio pure allegando, non aſſerendo, ut notat Gloſſa ibidem; & ſicut errat in conſequentiis, quas deducit opinio ibi relata; vult enim ante Baptiſmum conjugium eſſe Sacramentum, ordines ſubſiſtere, ita errare potuit in fundamento concluſionum: quare non eſt tanti faciendum a quibuſdam. Loquens deinde ipſe Innocentius aſſertive, & reſolutorie præcipit reordinari, ſequendo Concilium Compendienſe.

102 OBJIC. III. Ille eſt actu de Eccleſia, qui viſibili ſigno eandem profitetur fidem; ſed Catechumeni ſic eandem profitentur fidem; ergo. Min. explicatur ex D. Aug. *lib. 2. de peccat. meritis, & remiſs. cap.* 26., ubi de Catechum. loquens -- Nam, & Ca- „ techumenos, ſecundum quemdam mo- „ dum ſuum, per ſignum Chriſti, & ora- „ tionem manus impoſitionis, puto ſanctifi- „ cari: & quod accipiunt, quamvis non ſit „ Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & „ ſanctius, quam cibi, quibus alimur, quo- „ niam Sacramentum eſt -- Ecce quomodo ſigno Crucis viſibili, & ſumptione Sacramentalis panis, videlicet benedicti ſigno viſibili profitentur fidem, & hiſce ſignaculis ab infidelibus diſtinguuntur. Certe ſi Catechumenus accepta fide diſcederet, eſſet Hæreticus: non enim eſſet Judæus, vel Gentilis, ſed Hæreticus quis efficitur, ex eo, quod ſegregetur ab Eccleſia, ergo.

RESP. neg. min. Illa enim ſunt quædam ſemina ſpiritualia, quibus in utero concipiuntur, & aluntur, ſed profeſſione ſolemni parturiuntur, cum Baptiſmum ſuſcipiunt; & per hæc ſigna diſtinguuntur nedum ab infidelibus, ſed etiam a fidelibus. Quod ſi in hæreſim labantur, non ſunt Hæretici coram Eccleſia, quæ illos non poteſt excommunicatione cohibere; & licet fregerint promiſſionem Deo factam; cum coram Eccleſia non fuerit emiſſa, non ſubjiciuntur Eccleſiæ juriſdictioni; nec magis in eos poteſt Eccleſia, quam poſſit in infideles. Catechumeni in ordine ad Eccleſiam, ſunt ſicut novitii in Ordine ad Religionem, quorum exercitia regularis diſciplinæ non ſunt niſi quædam ſemina, quibus formantur.

Catechumeni ab Eccleſia non puniuntur.

Ceterum ut illorum non ſunt intra corpus Religionis, niſi emiſſa profeſſione ſolemni, quæ eſt teſſera uniſona, & ſtabilis; & ſicut in favorabilibus fruuntur privilegiis profeſſorum, ſecus in odioſis, ita Cathecumeni fruuntur privilegio ſalutis pro tempore neceſſitatis, etſi actu non ſint intra Eccleſiam.

103 DICES. Baptizatus ſine intentione, ſi moriatur, non ſalvatur: confitens fidem, ſine Baptiſmo ſalvatur; Baptiſmus vetus ſine profeſſione fidei non prodeſt: prodeſt confeſſio fidei ſine Baptiſmo; ergo magis per

F fidem,

fidem, quam per Baptiſmum fit homo membrum Eccleſiæ.

Inſtantia nimia probat: Concludit enim Baptiſmum in voto magis obligare, quam in re, quod tamen eſt falſum: nam neceſſitate medii præcepta eſt ſuſceptio Baptiſmi in re, & Baptiſmus in voto non obligat, niſi in defectu Baptiſmi in re; quando ſcilicet, neceſſitate urgente, non habetur opportunitas. Probat argumentum: novitium eſſe magis de corpore Religionis, quam ſit profeſſus: nam profeſſus non caſtus damnatur, novitius caſtus ſine profeſſione ſalvatur. Sine intentione Baptizatus non ſalvatur; quia filii Eccleſiæ non ſalvantur præciſe, quia in Eccleſia, ſed ſi in Eccleſia perſeveranter charitatem conſequantur. Confitens fidem ſine Baptiſmo ſalvatur, ſi non habeat opportunitatem illum ſuſcipiendi, & non fuerit in culpa, vel culpam in neceſſitate conſtitutus retractaverit, conced., alias negatur. Baptiſmus ſine profeſſione fidei non prodeſt utique; quia niſi lex tota adimpleatur, ſalus non habetur; qui enim in uno deficit, factus eſt omnium reus.

Baptizatus debet legem adimplere.

104 OBJIC. IV. Qui eſt capax bonorum Eccleſiæ, & quos Eccleſia agnoſcit ut ſuos, ſunt membra Eccleſiæ; ſed Catechumeni ſunt capaces bonorum Eccleſiaſticorum, ſcilicet ſuffragiorum; unde capite Apoſtolic. ſuperius cit. dicit Innoc. -- In Eccleſia tua „ juges preces, hoſtiaſque Deo offerri ju„ beas pro Presbytero memorato -- Agnoſcit ergo ſuos; quatenus Eccleſiaſtica ſepultura honorat.

RESP. neg. min. Bona ſubſtantialia Eccleſiæ ſunt bona Sacramentorum; horum autem ſunt omnino incapaces Catechumeni ante Baptiſmum, & ex participatione bonorum eſſentialium habetur communicatio actualis cum Eccleſia: nam participatio accidentalium extenditur etiam ad exteros, ſicut patet de animabus purgatorii, & in humanis, Advenis quandoque quædam conceduntur ex adventitiis, & in naturalibus, ſanguis nutrimentalis participat aliqualem calefactionem ab anima, licet non ſit pars corpori unita in actu, ſed in diſpoſitione: etiam Catuli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum: Ceterum ex ſenſu communi, & nomine Eccleſiæ, non deferuntur ſuffragia defunctis Catechumenis, ut jam vidimus; unde Innocentius diſpenſavit cum illo Presbytero propter ſpeciem quandam Baptiſmi ſuſcepti, & publicæ opinionis, quod eſſet Baptizatus. Quantum ad ſepulturam Eccleſiaſticam, jam attulimus Bracharenſe Concilium id vetans, & *Can. nullus* 13. *quæſt.* 2. habet -- Nullus mortuus intra Eccleſiam ſe„ peliatur, niſi Epiſcopus, aut Abbates, aut „ digni Præsbyteri, vel fideles Laici -- Ubi per ly *fideles* intelligunt plures, fide Baptiſmi, ut Gloſſa advertit. Hinc Paludanus *in* 4. *diſt.* 4. D. Antoninus 3. *p. quæſt.* 14. *c.* 13. Angelus, Silveſter, verbo Baptiſmus. Durandus *in rationali Divinorum Officiorum lib.* 1. *cap.* 5., & alii negant ſepeliendos eſſe intra Eccleſiam. Locus ipſorum proprius eſt Atrium. Tenent alii poſſe ſepeliri, ſed ſine publica ſolemnitate, quia merito ſunt de Eccleſia, non tamen actu.

Catechumeni non ſepeliendi.

105 OBJIC. V. Doctrina Patribus minus conſona, non eſt admittenda; ſed Patres
A ſentiunt catechumenos eſſe actu de Eccleſia; ergo. Min. habetur ex Cypriano *epiſt.* 72., ubi objicientibus illud 3. Joan. *Niſi quis renatus*: Quod nullus ſine Baptiſmo ſalvaretur, habet -- Sciant igitur hujuſmodi homines ſuf„ fragatores, & fautores Hæreticorum, ca„ techumenos illos primo integram fidem, „ & Eccleſiæ unitatem tenere --

Aug. *lib.* 4. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap.* 22. -- Quod etiam, atque etiam conſide„ rans invenio tantum paſſionem nomine „ Chriſti, id quod Baptiſmo deerat, poſſe „ ſupplere, ſed etiam fidem, confeſſionem-
B „ que cordis -- *cap.* 24. -- Sicut in illo La„ trone, quod ex Baptiſmi Sacramento de„ fuerat, complevit Omnipotentia benigni„ tas, quia non ſuperbia, vel contemptu, „ ſed neceſſitate defuerat, ſic in infantibus, „ qui baptizati moriuntur, eadem gratia Om„ nipotentia implere credenda eſt, quod non „ ex impia voluntate, ſed ex voluntatis In„ digentia &c. -- *& tract.* 5. *in Joan.* -- Di„ lectio diſcernit inter filios Dei, & Dia„ boli -- ſed plures Catechumeni diligunt Deum; ergo.

RESP. neg. min. Jam dedimus Patrum doctrinam, quibus addimus Sancti Paciani
C auctoritatem *Epiſt.* 3. *ad Sympronianum*, ubi explicans illud Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, habet -- Eccleſiam, „ non baptizatas gentes, vocat? homo nec„ dum renatus eſt corpus Chriſti? quid ſolvo „ gentibus, quod non eſt ligatum; nam ſi „ non reputatum eſt, nec ligatum, quid al„ ligo, quod nullo jure conſtringo? -- Et Cyrillus *lib.* 52. *cap.* 50. dicit Catechumenos, id eſſe apud Chriſtianos, quod incircumciſi apud Hebræos ſunt.

Cyprianus autem, non loquitur de unitate reali, ſed merito, & hoc ſufficiebat ad intentum, ut ſcilicet oſtenderet pro caſu ne-
D ceſſitatis baptiſmum in voto ſufficere. Ceterum ipſe unus ex illis eſt, qui *Epiſt.* 13. tradit illam diſtinctionem Competentium, Catechumenorum, Fidelium, & Pœnitentium, & in ſua utique Eccleſia hic erat ſenſus; nam Cartaginenſe Concilium 3. *Can.* 5. prohibuit Catechumenis Eulogias, quas ſueverat diebus Paſchatis concedere mos univerſalis: permiſitque ſolius ſalis prægustationem; & hoc, quia non computabantur de Eccleſia.

Fruſtra omnino ab Auguſt. petitur ſuffragium, qui tot locis veritatem noſtram docet, & præallegatis addo: *Tract.* 11. *in Joan.* -- „ Chriſtianus es? non ſum Paganus, Judæus
E „ non ſum. Catechumenus, an fidelis? Si „ reſponderit tibi: Catechumenus. Inunctus „ eſt, nondum lotus -- Ubi diſtinguit fidelem a Catechumeno. *Et quæſt.* 2. *ad Simplicianum* de Cornelio in fide fervente, ſed non baptizato, habet -- Sicut in ipſo Cornelio, „ antequam Sacramentorum participatione „ incorporaretur Eccleſiæ -- Locis verò præcitatis in object. nihil aliud vult; quam quod ſufficeret pro ſalute in caſu neceſſitatis votum Baptiſmi.

Sufficit quandoque Baptiſmus in voto.

Quando verò *tract.* 96. *in Joan.* dicit -- „ Quia etſi non eis fidelium Sacramenta pro„ dun-

„ dantur, non ideo fit, quod ea ferre non „ poſſunt; ſed, ut ab eis tanto ardentius con„ cupiſcantur, quanto honorabilius eis oc„ cultantur -- Vult, quod Catechumeni propter fidem, & charitatem poſſint audire, & approbare myſteria altiora, quæ coram ipſis non peraguntur, non autem, quod ſint capaces immediate Sacramenta ſuſcipiendi, non præmiſſo Baptiſmo, ſeu quod ſint de Eccleſia: cum ibi manifeſte diſtinguat Catechomenom a fideli. Videatur Auguſtinus, & apparebit mens Sancti Doctoris.

Ex quibus præter dicta habes, inanem eſſe ſolutionem eorum, qui dicunt abſque Baptiſmo per fidem eſſe in Eccleſia quoad eſſentialia, non autem quoad accidentalia. Quid enim eſt magis eſſentiale, quod obligat in caſu neceſſitatis, ſupplendo vices alterius, & in virtute illius, ut accidit in voto Baptiſmi? deinde fundamentum dans capacitatem pro participatione bonorum eſſentialium, ſcilicet Sacramentorum, eſt omnino eſſentiale. Item habere capacitatem, ut obligari poſſit per onera, eſt plus quam eſſentiale, Omnibus his caret Catechumenus.

CONTROVERSIA VII.

AN FIDES INTEGRA SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ MILITANTIS.

PHillppus de Mornay Calviniane Sectæ profeſſor, libro, quem edidit 1579. docet omnes rectos (cujoſcunque generis ſint) eſſe vere membra Eccleſiæ, dummodo Chriſti nomen profiteantor. Mortonus Anglicanæ ſciſſionis pediſſequus *lib. de Eccleſia ad Eliſabeth Reginam Angliæ* habet -- Qui Jeſom Chriſtum mundi ſalvatorem „ profitentur, licet indirecte per morum im„ probitatem, vel doctrinæ hæreſim profeſ„ ſionem ſuam denegent; Chriſtiani tamen „ exiſtimandi ſunt & vera Eccleſiæ membra -- *ſect.* 4. *pag.* 80. Beza *Epiſt. Theologica ad Druſium Calviniſtam* -- Non magnopere curan„ dum eſſe, ſi diſſenſiones in fide vigeant; „ dummodo Chriſtus teneatur -- Hos ſecuti ſont plerique Gallicani Ugonoti, & Apoſtata celebris Marcus Antonius de Dominis *cap.* 12. *conſilii profectionis ſuæ*. Cum ergo Hæretici integram non teneant fidem, ſi hi membra ſunt Eccleſiæ, manifeſtè ſequitur fidei integritatem non pertinere ad conſtitutivum Eccleſiæ.

Hæreticus unde dictus.

106 Ad cujus intelligentiam notandum eſt. Hæreticum ex græco nomine, ab electione denominari, quatenus ſuo libiro hanc, vel illam docendi, & vivendi viam ſibi eligit. Hinc Donatiſtarum Aſſecla Ticonios habet -- Quod volumus, ſanctum eſt -- Et Aug. *lib.* 17. *contra Fauſtum cap.* 3. Manichæos urgebat -- Aperte dicite, vos non cre„ dere Chriſti Evangelio; nam, qui in Evan„ gelio, quod vultis, creditis, quod vultis, „ non creditis, vobis potius, quam Evan„ gelio creditis -- Et deſumitur ex Paulo ad Tit. 3. Ubi vocat Hæreticum proprio judicio condemnatum, quia pertinaci voluntate in ſua electione circa credenda perſiſtit. Similiter, quod græce Apoſtata, latine dicitur retro ſtans: apoſtaſia enim retroceſſio a bono, in quo perſeverare tenebatur, deſcribitur; ſi a bono Religionis fiat, dicitur Apoſtaſia a Religione; ſi verò ſit a bono fidei, dicitur Apoſtaſia a fide. Sive differat ſpecie ab hæreſi, quatenus illa includit deſertionem a tota fide, hæc verò a parte, ſive ſolam addat circumſtantiam, ſub præſenti Controverſia tam Hæreticus, quam Apoſtata comprehenditur.

Notandum II. duplicis generis Hæreticos eſſe, alii dicuntur externi, quatenus ſignis manifeſtis conſtat a ſenſu aliorum fidelium diſcedere: alii interni, quatenus in corde ſuo articulis aliquibus diſcredunt, ſed exterius coram Eccleſia, ut veri Catholici ſe gerunt. De primis nunc loquimur, deinde de ſecundis, His poſitis ſit.

Integritas fidei eſt de conſtitutivo eſſentiali Eccleſiæ Militantis.

107 PROB. I. Omne membrum Eccleſiæ debet eſſe conjunctum capiti -- *Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis; ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*, ad Epheſ. 4. Sed Hæreticus non eſt connexus Chriſto capiti: ad Coloſs. 2. v. 18., & 19. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei*. Ergo Hæreticus non eſt membrum Eccleſiæ. Hæc eſt aperta demonſtratio ex Pauli propoſitionibus. Et advertendum eſt, Paulum loqui de ſeductoribus Baptizatis; ut inde tollatur omne effugium ad Charácterem, quo non obſtante, illi non tenent caput.

Hæreticus non eſt Eccleſiæ membrū.

108 PROB. II. Qui actu in Eccleſia non reperiuntur, actu de Eccleſia non ſunt; ſed Hæretici actu in Eccleſia non reperiuntur: 1. ad Tim 1. v. 19.: *Quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander &c.* Porro, qui fracta navi, in mare demergitur, actu in navi non reperitur: Eccleſia navis eſt illa inſtitoria de longe portans panem veræ fidei, & doctrinæ -- Qui enim circa fidem errat, „ perdit omnia, quæ habet -- ut docet hic D. Th. Porro Hymenæus, & Alexander baptizati erant.

Non eſt actu in Eccleſia.

109 PROB. III. Qui ab Eccleſia recedit, non eſt de Eccleſia; ſed Hæreticus ab Eccleſia recedit; ergo. Min. habetur ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus*. Hic eſt ſermo de Hæretico manifeſto, qui noluit correptioni obedire; hunc debet Epiſcopus devitare: ſi verò de Eccleſia eſſet, non poſſet eum vitare, cum paſtori mandatum ſit de ovili ſuo. Dicitur *ſubverſus*, ideſt, everſus, ſicut aqua ex concha everſa. *Proprio judicio condemnatus*, quia nullo alio expectato judicio Eccleſiæ, ab ea ſe ſeparat, ad diſtinctionem aliorum delinquentium, qui expectant

Recedit ab Eccleſia Hæreticus.

ſen-

ſententiam, ut habetur apud Hieron. in hunc locum -- Propterea a ſemetipſo dicitur damnatus; quia fornicator, adulter, homicida, & reliqui per Sacerdotes de Eccleſia propelluntur: Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes --

110 PROB. IV. Qui omni ſpiritu Chriſti caret, non eſt de Eccleſia: ad Rom. 8. *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet; hic non eſt ejus*; ſed Hæreticus caret ſpiritu Chriſti; non enim habet fidem, & ſpiritus Chriſti doctrina ipſius eſt, quam abjiciunt Hæretici, de quibus Joan. Epiſt. 2. v. 9. *Omnis, qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Ubi expreſſe de Hæreticis loquitur, ut patet verſu ſeptimo. Certe membrum omnino putridum nullam vitam habens, de corpore eſſe nequit: hujuſmodi autem eſt Hæreticus, de quo *in Canonica Judæ Apoſt. v. 12.* -- Arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ -- (bis mortuæ) quia carent vitâ fidei, & vitâ charitatis: in quem locum D. Th. -- Hic diſſuadet imitari Hæreticos ob perverſitatem ipſorum: *dicuntur ergo* (Arbores autumnales) propter foliorum cauſam, ideſt, verborum varietatem (infructuoſæ) propter operum inutilitatem (bis mortuæ) propter Apoſtaſiæ crimen (eradicatæ) propter Schiſmatis præciſionem &c. (Sidera errantia) Sidera, ob lucem veritatis, quam prædicant ſe habere (errantia) ideſt, fundamento veritatis, vel fidei non fixa. (Nubes ſine aqua) -- Superius dixit, quia carent divinâ ſapientiâ, Solemque veracis Doctrinæ obſcurantes, quæ ventis circumferuntur, ideſt ſecundum Gloſſam -- Ad ſuggeſtionem ſpirituum immundorum in diverſos errores rapiuntur -- Hæc eſt apta Hæreticorum deſcriptio, quæ clariſſime ipſos de Eccleſia non eſſe demonſtrat.

Hæreticus nõ habet ſpiritum Chriſti.

111 PROB. V. Myſticum Chriſti corpus illud eſt, in quo omnes in unum ſunt, & ubi *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*; ſed Hæretici ad hoc corpus non pertinent; ergo de Eccleſia non ſunt. Min. explicatur: Fides eſt omnino neceſſaria, ut pluries Scriptura docet: ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, ad Coloſs. 1. *Si tamen permanetis in fide fundati. Quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide*, 1. ad Tim. 1. &c. fides utique una, ad Rom. 12. v. 16. *Idipſum invicem ſentientes*, 1. ad Corint. 1. v. 10. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata &c.* Sed Hæretici non habent unam fidem; qui enim diſcredit uni articulo, omnibus diſcredit; quia ratio formalis credendi eſt omnino indiviſibilis, divina, ſcilicet, veracitas; Deus enim nec fallit, nec fallitur, ſicut in maximis, ita & in minimis; unde Jacobus in ſua Canon. cap. 2. v. 10. *Quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnino reus; qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides.* Sicut ergo tranſgreſſio unius legis totam gratiam deſtruit, ita negatio unius articuli totam fidem evertit, & ab Eccleſia ſeparat: Apocal. 22. v. 18., & ſeqq. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum.* Hæc ſufficerent: ſed in re adeo utili placet nova addere ex Patribus varias ſcripturas explicantibus.

Qui uni diſcredit articulo, omnibus diſcredit.

PROBATUR CONCLUSIO EX PATRIBUS.

112 PROB. VI. Illi foris ſunt, qui recipi poſſunt, ſi redire velint, poſitis debitis conditionibus: ſed Hæretici recipi poſſunt in Eccleſiam; ergo foris ſunt. Min. habetur *in Concil. Nicæno Can. 8. apud Cabrè* -- De his, qui ſe catharos nominant, ideſt, mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto, & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant -- Canon iſte paululum remittit rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ circa lapſos, quatenus concedit Novatianis, ut ſi ad Eccleſiam redeant, ſuum gradum recipiant ſub hac regula: Si nullus Catholicus Epiſcopus adinveniatur promotos in ſedem ipſorum, ipſi ad illam redeant, ſi vero adinveniatur, contenti ſint honore Sacerdotali, vel munere Chorepiſcopali; quia duos non capit una Sedes.

Hæretici in Eccleſiam recipiuntur.

Ceterum prius ad communionem Eccleſiæ admittebantur, ſecus ad gradus. Ita Synodus Eliberitana *Can. Si ex omni hæreſi*, a quacumque hæreſi reverſos a Clero excludit. Pro magno beneficio creditum eſt, quod Cornelius Papa *Epiſt. ad Fabium* ad laicam communionem admiſerit unum de tribus Epiſcopis, qui conſecrationis Novati participes fuerant, & Trophimum ab Hæreſi revertentem; & hoc, ut populum lucrifaceret a Trophimo ſeductum.

Cyprianus *Epiſt. 64., & 68.* acriter contendit, ut revertentes ad gradus non ſuſcipiantur.

Aug. tamen *Epiſt.* 162. laudat Melchiadem Papam, quod obtulerit Donatiſtis Epiſcopis reſtitutionem Sedium, ſi ad Eccleſiam redire voluerint: & *Epiſt* 5. refert Africanum Concil. eiſdem Donatiſtis Epiſcopis ſimilem optionem obtuliſſe ob bonum pacis, commendatque, additque quandoque conſimile factum cum Epiſcopis Arrianis; præmonens tamen abſque magna utilitate ab antiqua diſciplina non eſſe recedendum.

Hoc idem ad praxim deduxit Magnus Athanaſius, cum Juliani Edicto rediens ab exilio, convocata Synodo, ut Arrianos alliceret, ſtatuit, abjurantes Hæreſim ſedibus reſtituendos. Si ergo, cum revertuntur Hæretici, in Eccleſiam recipiuntur, de Eccleſia non erant.

Hinc Fabianus propria Epiſt. inſtanter admonet fideles, ut pro Hæreticis orent -- Qua-

tenus

„ tenus reſipiſcant a Diaboli laqueis, quibus „ capti tenentur, & aggregentur filiis matris „ Eccleſiæ -- Videantur Socrates *lib. 3. Hiſt. cap. 78.*, & Theodoret. *cap. 4.*, *&* 5. *Hiſt.*

113 PROB. VII. Hæretici æquiparantur Atheis, & Idololatris; ſed Idololatræ non ſunt de Eccleſia; ergo neque Hæretici. Maj. oſtenditur ex Hieronymo *in cap. 11. Oſeæ*, ubi exponens illud *Baal immolabant &c.* -- Sin„ guli enim Hæretici habent Deos ſuos, & „ quodcumque ſimulaverint quaſi ſculptile „ colunt, atque conflatile -- Et in 1. Micheæ *de Samariticis Hæreticis* -- Quamvis au„ tem conciliabula ſua vocent Bethel: atta„ men poſt fabricationem Idolorum deſiit eſſe „ Bethel, & vocatur Bethaven, quod dici„ tur domus Idoli -- Idem Iſai. 2. Danielis 5. Idem habet Aug. *in Pſal.* 80., & alibi.

Hæretici æquiparantur Idololatris.

Juſtinus martyr *in Dialogo cum Triphone* de Hæreticis loquens -- Cum quibus nihil „ nobis eſt Communionis, Atheos, atque „ a Deo alienos, impios, & injuſtos, & ini„ quos eſſe ſcientibus: quippe qui pro eo, „ ut Jeſum colant, nomine duntaxat profi„ tentur, & Chriſtianos ſe eo modo dicunt, „ quo plerique in gentibus nomen Dei in„ ſcribunt operibus &c., & ſunt eorum qui„ dam qui vocantur manufacti, Marcionitæ, „ quidam Valentiniani &c. -- Chryſoſtomus *homil. de Hæreticis* ait -- Quod in prima fa„ cie Chriſtiani videntur, revera autem Gen„ tiles ſunt --. Hinc crediderunt Sancti Patres, Aug. *de Civit. lib.* 18. *c.* 51., & Cyprianus *de unit. Eccleſiæ* mira arte Dæmonis factum, ut ubi Apoſtolica prædicatione everſa ſunt Idolorum delubra, multiplicata ſint Hæreſum monſtra.

114 PROB. VIII. Non eſt membrum corporis, quod eſt exciſum; ſed Hæretici ſunt ab Eccleſia exciſi; ergo. Min. habetur apud D. Aug. *lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 6.* -- Hæreſes omnes de illa exierunt „ (Eccleſia ſcilicet) tanquam ſarmenta inu„ tilia de vite præciſa, ipſa autem manet in „ radice ſua, in vite ſua -- Et *Epiſt.* 42. -- „ Videtis multos præciſos a radice ſocietatis „ Chriſti &c., hos autem præciſos de ſola „ figura originis ſub Chriſtiano nomine, quaſi „ areſcentia ſarmenta gloriari, quos hæreſes, „ & ſchiſmata nominamus -- Et *Tract. 3. in Epiſt Jo.* -- Non communicant orbi terrarum, „ non communicant univerſitati ſanguine „ Domini Redemptæ. Securi ſumus de uni„ tate hereditatis. Quiſquis huic hereditati „ non communicat, foras exiit -- Et ideo Hieron. *in cap. 1. Abdiæ* docet non eſſe ædificatos ſupra petram -- In qua prudens ædi„ ficator domum ſuam extruxit, ſed in ſciſ„ ſuris petræ, ut hæreſeon a petra Chriſto, „ & ab Eccleſia ſignificet ſciſſiones --

Ab Eccleſia exciſi Hæretici.

115 PROB. IX. De corpore Eccleſiæ non ſunt, qui Chriſtianorum nomine non veniunt; ſed Hæretici non veniunt nomine Chriſtianorum; ergo. Min. declar. cap. *Firmiter*: de ſumma Trinitat. definitur -- Una „ verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia -- *Et de conſecrat. diſt. 1. Can. Eccleſia* -- Eccleſia, „ idest Catholicorum collectio -- ſed Hæretici non ſunt fideles; ergo. Hinc Tertull. *de præſcriptionibus cap.* 31. -- Si enim Hæretici „ ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à „ Chriſto habenda, quod de ſua electione „ ſectati Hæreticorum nomine admittunt -- Et *cap.* 7. diſcerat -- Quid academiæ & Ec„ cleſiæ? quid Hæreticis, & Chriſtianis? -- Origenes *in dialogo de recta fide* inducit Adamum Megentio interroganti -- An non Chri„ ſtianus ſum? *reſpondentem*: cujuſmodi tan„ dem Chriſtianus, qui nec ſuſtines quidem „ appellari nomine Chriſtianus, ſed Marcio„ nitanos -- Cyprianus *Epiſt. 74. ad Jubajanum* -- Novatianus ſimiarum more, quæ cum „ homines non ſint, homines tamen imitan„ tur, vult Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem „ ſibi, & veritatem vendicare; quando ipſe „ in Eccleſia non ſit -- *Et de unitate Eccleſiæ* dicit Hæreticum ita eſſe Chriſtianum, ſicut Diabolus eſt Chriſtus, quando mentitur ſe Chriſtum -- Sicut ille Chriſtus non eſt quan„ do fallit in nomine illius; ita nec Chri„ ſtianus videri poteſt, qui non permanet in „ Evangelio ejus, & fidei firmitate --

Athanaſius *ſerm. 2. contra Arrianos* -- „ Quomodo igitur Chriſtiani fuerint, qui „ non Chriſtiani, ſed Arriomanitæ appellan„ tur -- Lactantius *lib. 4. de vera Religione cap. ult.* -- Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chri„ ſti nomine amiſſo humana, & externa vo„ cabula induerunt -- Epiph. *hæreſ. contra Audianos* -- Atque hoc eſt horrendum illud, „ quod immutant nomen Chriſtianorum a „ ſancta Eccleſia, quæ non habet impoſiti„ tium nomen, ſed ſolum Chriſti: & quod „ Chriſtiani Audiani vocantur &c. -- Hieron. *contra Luciferianos* -- Sic ubi audieris eos „ qui dicuntur Chriſti, non a Domino Jeſu „ Chriſto, ſed a quopiam alio nuncupari, „ ut puta, Marcionitas, Valentinianos &c. „ Scito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichri„ ſti eſſe Synagogam -- Pacianus *Ep. 2. ad Sympron.*, Chryſoſt. *hom. 48. in Matth.*, *&* *hom.* 29., *&* 33. *in Act. Apoſt.*, Aug. *de unit. Eccl. cap. 4. in Enchirid. cap.* 5., & alii paſſim: & una voce ſenſit Eccleſia Hæreticos eſſe reſciſſos, cum in illa graviſſima Controverſia de Baptiſmo Hæreticorum tota difficultas in eo eſſet, quomodo valere poſſet Baptiſma ab ipſis collatum, cum eſſent extra Eccleſiam? Et facile potuiſſent Patres reſpondere univerſis argumentis, negandò ſuppoſitum; ſed tenendo eſſe extra ſinum Matris, ad alios fontes recurrebant; quia certò crediderunt non eſſe Chriſti membra.

Invictiſſimum argumentum illud etiam eſt de formatis, & canonicis litteris, quæ concedebantur peregrinantibus; & erant quædam teſſeræ, quibus cognoſcebantur fideles ab Hæreticis; ex quibus primi admittebantur ad ſocietatem, ſecundi reſpuebantur. Quo telo fortiſſimo uſi ſunt Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Auguſtinus ad demonſtrandum Hæreticos, Catholicos non eſſe, quia litteris formatis carebant. Videatur Optatus *lib. 2. contra Parmenianum*. Auguſtinus *Epiſt.* 163. Æmulati ſunt quidem Hæretici fraudibus hujuſmodi communicationis formulas, pro quibus dolis detegendis certam ſtatuit regulam Nicænum Concilium.

Litteræ formatæ non dabantur Hæreticis.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

116 OBJIC. I. Matth. 13. aſſimilatur Regnum Cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, cui inimicus homo superſeminavit zizania: ſed pro agro intelligitur Eccleſia, pro tritico bonus, pro palea malus, pro *zizaniis* Hæreticus; ergo Hæretici ſunt in Eccleſia. Min. habetur ex D. Hieron. in hunc locum; ubi -- Ini- „ micus homo ſuperſeminat zizania, hoc eſt, „ Hæreticorum dogmata -- docet Aug. *q.* 11. *in Matth.* -- Poſſunt enim dici filii mali etiam „ Hæretici, quia ex eodem Evangelii ſemi- „ ne, & Chriſti nomine procreati, pravis „ opinionibus ad falſa dogmata convertun- „ tur -- *lib.* 2. *retract. cap.* 18. refert ſententiam Cypriani explicantis zizania pro Hæreticis -- Multitudinem zizaniorum, per quam „ hæreſes, & Hæreticos intelligit, quæ non „ ſolum præter Eccleſiam, ſed in ipſa Ec- „ cleſia vult eſſe, cum inquit, ipſa ſit Re- „ gnum Chriſti, de quo collecturi ſunt An- „ geli ejus meſſis tempore omnia ſcandala -- Aliam ſimilem propoſitionem Cypriani affert *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 34.; ergo.

RESP. neg. min. Controv. IV. vidimus ſenſum primitivæ Eccleſiæ fuiſſe, ſecundum quod refert Auguſt. *in collat.* 3. *contra Donatiſtas*, quod pro *agro* intelligatur Eccleſia; pro *zizaniis* malos Chriſtianus, nec in parabola ponitur hujuſmodi diſtinctio, *tritici*, *paleæ*, *& zizaniorum*. Nec opponitur *loco cit. quæſt. in Matth.* tum quia potius movendo quæſtionem, quam aſſerendo id docet; tum quia pro agro intelligit non Eccleſiam, ſed mundum, tum quia ſe explicat, ut ſtatim dicemus; ſecundum quam expoſitionem vim non habet argumentum. Quoniam tamen non deſunt Patres, qui pro zizaniis intelligunt Hæreticos, & zizania juſſit Dominus non eradicari, ſed creſcere cum tritico: robur videtur recipere argumentum.

Verum, cum iidem Patres teneant etiam Hæreticos de Eccleſia non eſſe, ut Chryſoſtomus, Cyprianus &c. aperte declaratur aliam eſſe eorum intelligentiam. Hieron. *in loc. cit.* explicat in caſu dubio, an hic, aut ille ſit Hæreticus, in quem non debet Eccleſia ferre ſententiam, donec certificetur, & pulchre in hunc modum diſcurrit -- Inter „ triticum, & zizania, quod nos vocamus „ lolium, quandiu herba eſt, & nondum „ culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitu- „ do eſt, & in diſcernendo, aut nulla, aut „ perdifficilis inſtantia. Præmonet ergo Do- „ minus, ne ubi quid ambiguum eſt, cito „ ſententiam feramus, ſed Deo judici termi- „ num reſervemus -- Quæ eſt optima, & litteralis expoſitio.

Secunda littera quaſi in idem redit, quod non ſemper Eccleſia ſtatim debet infligere pœnas in Hæreticos quoſcumque, quia in hujuſmodi violentiis plus nocumenti quandoque fidei affertur, quam utilitatis propter potentiam Hæreticorum, vel periculum corruptionis parvulorum, & fidelium; & tunc tolerari debent: ad quorum numerum refert Aug. *illa cit. quæſt.* Hæreticos illos, qui alios non inficiunt, & ſuo errori quadam potius ignorantia adhærent, quam animo multitudinem trahendi, hos portat Eccleſia, in qua tamen non ſunt -- Hæreticus foris eſt animo, quamvis corporaliter intus videatur -- quia toleratus. Societatem ſolius nominis Chriſti non autem fidei habent hujuſmodi, ad diſtinctionem paleæ, quæ cum frumento fundamentum idem, radicemque communem obtinet. Videatur D. Thom. *ibidem*, 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. *ad* 1., *& quæſt.* 11. *art.* 3. *ad* 2., *& in corpore*; ubi optime explicat, quando tolerandi ſint Hæretici, & quando non tolerandi; ubi etiam advertendum, quod ibi videtur prohibere occiſionem Hæreticorum, quando imminet periculum occidendi fideles; aliud enim eſt excommunicare, aliud eradicare: 24. *quæſt.* 3. *Can. Notandum*. De toleratia pariter loquitur Aug. *Epiſt.* 162., ubi laudat Catholicos, qui ante meſſem non audent eradicare lolium, ne triticum eradicent.

Hæretici quandoque tolerandi.

117 OBJIC. II. Eccleſia eſt domus Dei magna, Baruch 3. *O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus*; ſed in hac domo ſunt Catholici, & Hæretici, 2. ad Tim. 2. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia*. Pro ligneis, & fictilibus intelligit Hæreticos: loquitur enim de illis, quorum ſermo ſerpit ut cancer, inter quos Hymenæus, & Philetus. Unde Aug. *lib.* 3. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap.* 18. -- Dicit „ & Paulus Apoſtolus de quibuſdam, qui „ circa veritatem fidei aberraverant, & fidem „ quorumdam ſubverterant, quorum ſermo „ ut cancer ſerpebat, quos, cum vitandos „ eſſe diceret, in una tamen domo magna „ eos fuiſſe ſignificat, ſed tanquam vaſa in „ contumeliam -- Et *lib.* 4. *cap.* 12. affert ſententiam Cypriani ad idem, & approbat *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 34.; ergo Hæretici ſunt in Eccleſia.

RESP. Circa hunc textum Divi Pauli variæ ſunt expoſitiones. Patres Græci, ut Chryſoſtomus, Theophilactus, & alii pro *domo* intelligunt mundum, ſecundum quorum opinionem deficit argumentum; alii volunt pro *vaſibus* intelligi diverſos Eccleſiæ gradus, *in aureis*, *& argenteis*, ſuperiores, *in ligneis*, *& fictilibus* inferiores deſignantur, juxta deſcriptionem Eccleſiæ, quam Paulus habet 1. ad Corinth. 12., quo pariter ſenſu ad rem non eſt inſtantia.

Communior littera exponit de bonis, & malis, ita quod pro *aureis* intelligantur meliores, pro *argenteis* boni, pro *ligneis* ſimpliciter mali, pro *fictilibus* pejores. Sic Aug. *cap.* 29. *lib.* 3. *contra litteras Petiliani* -- Nam, „ quæ alia cauſa fuit iſtis (Donatiſtis) emi- „ grandi de domo Dei, niſi quia vaſa facta „ in contumeliam, ſine quibus illa uſque ad „ diem judicii non erit, finxerunt ſe ferre „ non poſſe -- Et Ambroſius *in Commentariis hujus loci* redarguens Novatianum intelligentem pro *domo* totum mundum, ait -- Cum „ conſtet Apoſtolum uſum exemplo domus „ divitis, & opulentæ, quæ quamvis copio- „ ſa ſit, habet tamen vaſa lignea, fictilia.

In Eccleſia quid innuant vaſa aurea, & argentea &c.

„ Hoc

„ Hoc modo & Eccleſia, quamvis ſancta „ dicatur, habet tamen & prava ſentientes— Ideſt qui pravos concipiunt affectus. Nec illa clauſula connectitur cum illis *Quorum ſermo, ut cancer ſerpit*, ſed cum aliis ſequentibus *& ſubverterunt quorumdam fidem*. Sunt enim aliqui in Eccleſia male viventes, qui de facili corrumpuntur pravis doctrinis, & adhærent nova docentibus. Hæreticus eſt vas confractum, Eccleſ. 21. *Cor fatui quaſi vas confractum*. Fatuus eſt, qui non conditur ſale veritatis. Nec præſtat adducere Cyprianum, cum totis viribus neget Hæreticos eſſe intra Eccleſiam, & in eadem Epiſt. citata ab Aug. aſſerit — Novatianum, quia Hæreticus eſt, „ eſſe extra Eccleſiam — Aug. verò intelligit locum Cypriani de Hæreticis, quia aſſumpſit locum illum ſecundum literam pro argumento ad hominem contra Donatiſtas; & jam alibi advertimus Sanctum Doctorem in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, & aliis, aſſertive non ſtatuere, vel malos eſſe extra Eccleſiam, vel Hæreticos videri intus; dummodo illa duo concludat ex ſcriptis Cypriani vel admiſſis a Donatiſtis, primo quod mali per imitationem ſeparandi ſunt, ſecondo quod Sacramentum Baptiſmi valeat ab Hæreticis ſuſceptum; & ideo *loco citat.* ſtatim ſubdit— „ Ita ergo, nec foris, ſicut nec intus quiſ„ quam, qui ex parte Diaboli eſt, poteſt, „ vel in ſe, vel in quoquam maculare Sacra„ mentum, quod Chriſti eſt — Legatur Auguſtinus, & res clareſcet.

Ceterum demus pro *vaſis fictilibus* intelligi Hæreticos, & pro *domo* Eccleſiam, non tamen ſequitur illos de Eccleſia eſſe, ſed vel ab Eccleſia ignorari, vel tolerari. Unde cum Aug. *lib.* 3. *de Baptiſmo cap.* 19. diſtinguendi ſunt Hæretici; alii ſunt, qui vere non credunt, ſed, vel non contumaciter, vel non manifeſte, & iſti revera non ſunt de Eccleſia, ſed apparent de Eccleſia. Alii verò, & apparent — Hujus autem fraternæ charitatis „ (quæ habetur in unitate fidei) inimici ſive „ aperte foris ſint, ſive intus eſſe videantur, „ pſeudoChriſtiani ſunt, & Antichriſti. In„ ventis etiam occaſionibus foras exeunt, ſicut „ ſcriptum eſt Proverb. 18. Occaſiones quæ„ rit, qui vult diſcedere ab amicis. Sed etiam „ ſi occaſiones deſint, cum intus videantur, „ ab illa inviſibilis charitatis compage ſepa„ rati ſunt: unde Joan. dicit: Ex nobis exie„ runt &c. non ait, quod exeundo alieni fa„ cti ſunt, ſed quod alieni erant; propter „ hoc eos exiiſſe declaravit. Dicit & Apo„ ſtolus Paulus quibuſdam, qui circa verita„ tem aberraverant, & fidem quorumdam „ ſubvertebant, quorum ſermo, ut cancer „ ſerpebat, quos cum evitandos eſſe diceret; „ in una tamen domo magna, eos fuiſſe ſi„ gnificat, ſed tanquam vaſa in contume„ liam. Credo quod nunquam foras exie„ rant; quomodo eos dicit in eadem magna „ domo, cum vaſis honorabilibus? niſi forte „ propter ipſa Sacramenta, quæ ſeparatis „ etiam Hæreticorum conventiculis non mu„ tata ſunt; ad unam magnam domum dicit „ omnes, ſed diverſis meritis pertinere—Ubi habemus errantes non pertinaciter; & iſti ſunt intus. Errantes pertinaciter, ideſt omnino

Hæretici diverſi generis.

ſcienter, ſed non declarati, & iſti videntur intus, & non ſunt. Errantes ſcienter, & declarati, & iſti abſolute foris ſunt, & nonniſi more ſimiarum ſunt intus, quarum aliqua exercent, quæ ſunt Domus Dei.

118 OBJIC. III. Qui judicantur ab Eccleſia, intus ſunt, 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Sed Eccleſia de Hæreticis judicat, eoſque punit; ergo de Eccleſia ſunt.

RESP. maj. veram eſſe, ſi pro aliqua temporis differentia intus fuerint, ſecus ſi pro nulla; & de his loquitur Apoſtolus — Perti„ net ad diligentiam Paſtoralem (*ait Aug.* „ *Epiſt.* 50.) etiam illas oves, quæ non vio„ lenter ereptæ, ſed blande, leniterque ſe„ ductæ a grege aberraverint, & ab alienis „ cœperint poſſideri, inventas ad ovile Do„ mini cum flagellorum terroribus, ſi reſi„ ſtere voluerint, vel etiam doloribus, revo„ care — Transfugæ ſunt, & ad hoſtium caſtra evolantes: ideo puniri poſſunt, & potiſſime pœnis privativis per excommunicationem; rebelleſque, contumaces, Reipublicæ nocentes, brachio ſeculari de medio tolli poſſunt: deſertores inſequitur portantes ſignaculum ſempiternæ promiſſionis: Non dicitur tamen Eccleſia ferre judicium circa ſeparationem; hanc etenim ſuo judicio ponunt, ſed declarare ſeparatus.

Hæretici ab Eccleſia judicantur.

119 OBJIC. IV. Judas ab anno trigeſimo ſecundo Chriſti uſque ad 34. fuit membrum verum Eccleſiæ; ſed Judas ab illo anno fuit verus Hæreticus; ergo. Min. prob. Joan. 6. qui ſcandaliſati ſunt circa Eucharistiam, & non credentes abierunt retro, Hæretici fuerunt; ſed inter hos erat Judas: *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt; ſciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum*: Ubi inter non credentes adnumeratur Judas: & eo vel maxime ita dicendum eſt, quod ſermo directus eſt ad omnes diſcipulos, prout comprehendebat duodecim; unde Aug. *tract.* 28. *in Joan.* ait — Ibi „ enim erat & Judas; nam quidam ſcan„ daliſati ſunt; ille autem manſit ad inſi„ diandum, non ad intelligendum: & quia „ ideo manſerat, non de illo tacuit Domi„ nus; non illum expreſſit, ſed nec ſiluit, „ ut omnes timerent, quamvis unus periret— Quibus declarat Judam Hæreticum: qui tamen non receſſit a corpore Chriſti, ſicut ceteri increduli. Quare Judas ponitur in catalogo Hæreticorum, velut anteſignanus, ut Chryſoſt. *hom.* 46. *in Joan.* Theophilactus.

RESP. neg. min. Non enim faciunt illum ſenſum verba Joan.; illa enim eſt propoſitio interjecta, qua docet non innotuiſſe de novo ipſi Chriſto eos, qui non credebant, ſicut eum, qui erat proditurus, ſed ab initio de hac re veram habuiſſe notitiam. Sic copulat Chryſoſtomus. Nec oppoſitum ſentit Aug., tum quia D. Thom. de hoc non meminit, cum locum hunc exponit, ſequendo veſtigia Aug., tum quia Aug. utitur exemplo Judæ ad probandum malos bonis eſſe mixtos in Eccleſia, cum teneat Hæreticos foris eſſe. Illud certum eſt apud Aug. Judam non fuiſſe Hæreticum manifeſtum; habet namque ipſa — Non diſceſſit nec Judas: ſed quare mane„ bat,

Judas Hæreticus.

„ bar, Domino apparebat, nobis poſtea ma-
„ nifeſtatum eſt--Quid verò de Hæreticis occultis, videbimus poſtea.

Ceterum quod Hæretici manifeſti ex Aug. ſint extra Eccleſiam, facit illud etiam, quod *lib. 2. quæſt.* 40. tradit de decem leproſis (qui longe ſtabant a Chriſto clamantes.) In leproſis intelligit Hæreticos, prava docentes ſub ſpecie bonæ doctrinæ; coloris enim vitiom eſt lepra, non ſanitatis, aut integritatis ſenſuum -- Leproſi ergo non abſurde intelligi
„ poſſunt, qui ſcientiam fidei non habentes,
„ varias doctrinas profitantur erroris &c. --

120 OBJIC. V. Quia Paulus ſalutans Eccleſias vocat ſanctas, & nos de Eccleſia eſſe dicimus eos peccatores, quos reprehendit, aaſdem ſalutans: ſed reprehendit etiam Hæreticos; ergo colligendum erit eos eſſe de Eccleſia. Min. declaratur ad Coloſs. ſic ſcribit: *Eis, qui ſunt Coloſſis, ſanctis*; ſed capite 2. declarat inter ipſos eſſe Hæreticos de Religione Angelorum. Ad Epheſ. 1. ſic habet: *Omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi*; ſed ex 1. ad Tim. 1. conſtat inter eos fuiſſe Hæreticos, pro quibus denunciandis Timotheum conſtituerat &c.

RESP. In ſalutatione Eccleſiarum, in quibus hæreſum mentio fit, & Hæreticorum, cum titulo Sanctorum copulat titulum fidelium. Sic ad Coloſs. *ſanctis, & fidelibus fratribus &c.* Ad Epheſ. *Sanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu*. Hæretici verò fideles non ſunt, cum vera fide careant: deinde in iiſdem locis optime oſtendit eos de Eccleſia non eſſe; ad Coloſs. enim tradit, quod hi non tenent caput, ex quo totum corpus, ad Tim. 1. *Circa fidem naufragaverunt*; ac proinde ſuis ſcriptis iſtos a ſalutatione excludit, quia tamen propter ſpeciem veri, ex parte doctrinæ Hæreticorum, & inſantiam in fide, ex parte credentium, non adhuc erant crediti manifeſte Hæretici, ideo tales eſſe declarat.

Probatur ab Eccleſia rejici Hæreticos.

121 OBJIC. VI. Quamdiu homo vivit, pluribus licet morbis laboret, cadaver non eſt; ſed quilibet Hæreticus vivit, quamvis falſiſſima doceat; nam retinet nomen Chriſti, quod eſt anima Eccleſiæ; ergo &c.

RESP. neg. min. Nomen Chriſti eſt anima Eccleſiæ: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*; ſed Hæretici non habent hoc fundamentum, quia non habent rectam fidem Chriſti; cadavera adeoque ſunt, quamvis propter vitium coloris, homines appareant: ſicut viva videntur cadavera, quæ a Dæmonibus moventur propter ſpeciem ſenſus: Unde præclare Aug. *in Enchirid. cap.* 5. -- Neque
„ ideo negandum eſt proprium fundamen-
„ tum eſſe fidei Catholicæ, Chriſtum vide-
„ licet, quia putari poteſt aliquibus, Hæ-
„ reticis hoc nobiſcum eſſe commune: ſi enim
„ diligenter, quæ ad Chriſtum pertinent,
„ cogitentur, nominetenus invenitur Chri-
„ ſtus apud quoslibet Hæreticos, qui ſe Chri-
„ ſtianos vocari volunt; revera non eſt apud
„ eos.

Hæreticus ſpecie tenus vivunt in Eccleſia.

122 OBJIC. VII. Scribæ, & Phariſæi, qui circuibant terram, ut facerent Proſelytos, erant vere de corpore Synagogæ, licet

A illos crearent filios Gehennæ, Matth. 23. *Væ vobis &c. quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo quam vos*; ſed Hæretici generant filios Eccleſiæ, quamvis lacte draconum nutriant; ergo ſunt de Eccleſia; videtur enim imperceptibile, quod Baptiſma Hæreticorum ſit mater fidelium, & quod ipſi extra Eccleſiam ſint conſtituti; quod verò filios Eccleſiæ faciant, conſtat ſecundum Fidem Catholicam.

RESP. retorquendo argumentum. Judæi generant filios Eccleſiæ, Gentiles pariter generant: Judæi ergo, & Gentiles ſunt intra Eccleſiam? Valet Baptiſma Hæreticorum in
B virtute Chriſti, & Eccleſiæ, quæ operatur in quocumque formam, & materiam Baptiſmi miniſtrante. Audi Aug. *lib. 1. contra Donatiſtas cap.* 10. — Itaque una eſt Eccleſia,
„ quæ ſola Catholica nominatur, ut quid-
„ quid ſuum habet in communionibus diver-
„ ſorum a ſua unitate ſeparatis, per hoc quod
„ ſuum in eis habet, ipſa utique generat,
„ non ille. Neque enim ſeparatio eorum ge-
„ nerat, ſed quod ſecum de iſta tenuerunt:
„ quod ſi & hoc dimittant, omnino non ge-
„ nerant -- Sic reſpondebat Donatiſtis conſimiliter arguentibus, & petentibus, cur nos admitteremus eorum Baptiſmum? *cap.* 13.--
C „ Non Baptiſmum veſtrum accipiamus, quia
„ non eſt Baptiſmus ille Hæreticorum, vel
„ Schiſmaticorum, ſed Dei, & Eccleſiæ,
„ ubicumque fuerit inventus, & quocumque
„ translatus -- *cap.* 15. -- Eccleſia quippe
„ omnes generat per Baptiſmum, ſive apud
„ ſe, ideſt, ex utero ſuo, ſive extra ſe de
„ ſemine viri ſui, ſive de ſe, ſive de ancilla--
Scribæ verò, & Phariſæi non erant ſeparati, quia adhuc retinebant fidem, licet cum malis operibus, ratione quorum filios gehennæ generabant, quia malis exemplis ſcandalizabant.

Virtus Baptiſmi a Chriſto.

123 OBJIC. VIII. Quod alicui cauſæ
D ut proprius effectus tribuitur, intelligitur illi attributum ſecundum id, quod eſt proprium illius: Sed effici membrum Eccleſiæ attribuitur Baptiſmo ut proprius effectus; ergo convenit Baptiſmo ſecundum proprium ipſius; ergo prout diſtinguitur a ceteris: ſed non diſtinguitur a ceteris, nec per fidem, aut charitatem, quæ & ſunt ſeparabilia a Baptiſmo, & conveniunt aliis Sacramentis; ergo non incorporat media fide, vel charitate: ſed Hæretici retinent Baptiſmum ſecundum propria; ergo retinent incorporationem cum Eccleſia.

RESP. Per Baptiſmum incorporatur Eccleſiæ homo in utero conceptus; non conci-
E pitur autem in utero Eccleſiæ niſi media fide, vel præſuppoſita, vel per ipſummet Baptiſmum inducta; neceſſe eſt enim, ut, qui incorporatur, aliquem, vel ſenſum, vel motum recipiat a capite; primus verò, & omnium minimus ſenſus, & motus habetur per fidem. Quare ſi fides ſeparetur a Baptiſmo, nullo modo incorporatur baptizatus, niſi ſecundum quandam apparentiam, & debitum eſſendi de Eccleſia.

Primus motus eſt a Fide.

124 OBJIC. IX. Participans actu influxum ſupernaturalem a Chriſto per vera dona permanentia eſt actu Chriſto incorporatus;

ratus; ſed Hæretici participant verum hujuſmodi influxum, cum participent characterem, qui eſt donum ſupernaturale Chriſti, ejuſque Sacerdotii participatio, ut docet D. Th. 3. *par. quæſt.* 63. *art.* 3., ratione cujus Sacerdos & valide miniſtrat, & conficit Euchariſtiam, & Epiſcopus valide conſecrat Sacerdotes, benedicit Eccleſias &c.; ergo eo medio incorporantur Eccleſiæ, cum dicat D. Thom. *ibidem ad* 3. -- Character fidelium eſt, „ quo diſtinguuntur fideles Chriſti a ſervis „ Diaboli, vel in ordine ad cultum præſen„ tis Eccleſiæ -- Quorum primum fit per gratiam, ſecundum per characterem ſacramentalem.

RESP. maj. veram eſſe, ſi influxus vitalis ſit, falſam, ſi influxus non ſit vitalis. Porro Character, etſi donum ſit ſupernaturale, Sacerdotii Chriſti participium, nullam dat vitam etiam in infimo gradu; non enim eſt, niſi quædam velut potentia, nec bona, nec mala, diſponens animam, & habilitans, vel ad ſuſcipienda cetera Sacramenta, vel ad quædam tradenda. Quapropter per Characterem non incorporatur homo Eccleſiæ: cujus etiam ſignum illud eſt, quod ſubſtantialiter eadem eſt Eccleſia nova, ac vetus; ſed in illam ſola fides, cæterius ſigno circumciſionis profeſſa, ſine charactere ſpirituali incorporabat; ergo nunc ſola fides profeſſa per Baptiſmum. Accipe D. Th. doctrinam 3. *p. q.* 8. *art* 3. *ad* 3. -- Et ideo antiqui Pa„ tres, ſervando legalia Sacramenta ferebantur in Chriſtum per fidem, & dilectio„ nem eamdem, qua & nos in ipſum ferimur; & ita Patres antiqui pertinebant ad „ idem corpus Eccleſiæ, ad quod nos per„ tinemus -- Idem habet, & 1. 2. *quæſt.* 106. *art.* 2. *ad* 3., & 4. *ſent. diſt.* 27. *q.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3., & 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 1. *ad* 1.

Character non facit de Eccleſia.

Omitti tamen non poſſunt, quæ docet 3. *par. quæſt.* 6. *art.* 3. *ad* 3. -- Dicendum, „ quod de plenitudine Chriſti omnes homi„ nes accipiunt ſecundum fidem, quam ha„ bent in ipſum: dicitur enim ad Rom. 3., „ quod juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chri„ ſti in omnes, qui credunt in ipſum. Sicut „ autem nos in ipſum credimus, ut jam na„ tum, ita antiqui crediderunt in ipſum ut „ in naſciturum; habentes enim eundem ſpi„ ritum fidei credimus, ut dicitur 2. ad Co„ rinth. 4. Habet autem fides, quæ eſt in Chri„ ſtum, virtutem juſtificationis ex propoſito „ gratiæ Dei ſecundum illud ad Rom. 4. Ei „ vero qui non operatur, credenti autem in „ eum, qui juſtificat impium, fides reputa„ tur ad juſtitiam ſecundum propoſitum gra„ tiæ Dei. Unde quia hoc propoſitum eſt „ æternum, nihil prohibet per fidem Jeſu „ Chriſti aliquos juſtificari, etiam antequam „ ejus anima eſſet plena gratia, & veritate -- Quibus, media fide, habemus influxum Chriſti, ut capitis, ad membra derivare, & per eandem fidem ſubſtantialiter conſtitui Eccleſiam eandem in veteri (ubi nullus erat character ſpiritualis) & in nova lege.

Character ergo ſolum ſigillative incorporat Eccleſiæ, & quantum eſt de ſe deputat hominem ad vitam Chriſtianam, & diſtinguit fideles ab infidelibus, quatenus eſt quoddam ſignaculum denotans obligationem obſervandi legem Chriſti, ex quo ſe ſubjecit Sacramento ex ſuo conceptu profeſſivo Religionis. Character verò ordinis, cum ſit quædam phyſica potentia tribuens poteſtatem conſecrandi, & indelebilis ſit, facit, quod valida ſint acta exercita ab hæretico; non ſequitur tamen ex hoc, quod ſint membra Eccleſiæ; nullâ enim vitâ vivunt: ſicut quando folium arboris, ſeu ramus contraxit aliquam virtutem morbos ſanandi, exciſus, & ſiccus eundem effectum operatur.

Quæcumque ergo operantur Hæretici, quæ videntur Chriſtiani cultus, apparentia ſunt. Ad quod facit aurea Chryſoſtomi ſententia *hom.* 15. *in Matth.* ubi proponit objectionem: quomodo Hæreticus ad Eccleſiam non pertineat, ſi in Eccleſiam ingreditur, accedit ad Altare, panem offert &c. quam hoc modo reſolvit -- Quæ autem de ſimili„ tudine Eccleſiaſticorum Myſteriorum dixi„ ſti, hoc audi reſponſum. Quoniam & ſi„ mia hominis habet membra, & per omnia „ hominem imitatur, nunquid propterea di„ cenda eſt homo? ſic & hæreſis omnia Ec„ cleſiæ habet, & imitatur myſteria, ſed non „ eſt Eccleſia --

125 OBJIC. X. Qui ſunt extra Eccleſiam fidelium, non ſunt fratres, ſed Hæretici ſunt fratres, & ideo a Patribus ad eos ſcribentibus vocantur fratres, ut videre eſt in Epiſtolis Aug. ad Donatiſtas, & in Chalcedonenſi Concilio frequenter Dioſcorus nominatur frater Venerabilis; & in aliis Conciliis ſimiliter; ergo agnoſcuntur intra Eccleſiam. Hinc Patres non raro docent in Eccleſia Dei eſſe hæreſes, ſicut in philoſophia Platonis, vel Ariſtotelis ſunt plures ſectæ, quod exprobravit Celſus Origeni. Imo Paulus ait: *immo & hæreſes eſſe oportet*: Et utique in Eccleſia, ſub eodem enim tenore tradit, quo defectus charitatis arguit in Corinth. agapas agentibus.

RESP. Non ideo vocari fratres, quaſi litteræ ſint communicatoriæ, ſed affectu charitatis, ut ſuavitate ſermonis ab errore revocentur, & privata quadam urbanitate, qua etiam Pagani honorantur, ſicut docet Aug. *Epiſt.* 162. Dominus amicum in actu proditionis Judam appellavit, tum, ut dulcedine nominis cor emolliret, tum ut derelictam priſtinæ converſationis indicaret profeſſionem. Sancti Patres, cum dicunt plures in Eccleſia hæreſes fore, volunt docere ab Eccleſia perverſos exiiſſe homines, qui iniqua dogmatizarunt; & ideo Origenes Celſo reſpondit *lib.* 3. -- Qui verò Chriſtianam Doctrinam incuſat, „ quia hæreſes habeat, neceſſe eſt, ut in So„ cratis arguat diſciplinam, cujus ex ſchola, „ & aliorum pleræque prodierint non ea„ dem ſentientium ſcholæ -- Prodierunt, non lotus manſerunt. Quemadmodum ſub lege Moyſis, ut populum ſibi conſtitueret Deus, dividebat ab eis gentes, Deut. 33. ita dividit, & ſeparat Hæreticos a fidelium cœtu. Projicitur a cumulo pomum, quod putreſceſcere cœpit: Unde Chryſoſtomus *homil.* 47. *in Matth.* -- Ideo conceſſa eſt diabolo erroris „ ſeminandi licentia, & ſic diſperſæ ſunt per „ plurimas hæreſes: remanſit autem una fides

Hæretici cur fratres dicantur.

„ apud Deum . Ita & modo cum eſſet totus „ populus Chriſtianus una Eccleſia, & una „ fides, diviſi ſunt per plures hæreſes--Quandò verò Apoſtolus dicit : *Oportet & hæreſes eſſe*; non vult, quod Hæretici ſint intra Eccleſiam, ſicut illi, qui deficiebant in charitate, ſed dat rationem, cur eredat ſciſſuras eſſe inter Corinth.; quia etiam majora mala, ideſt hæreſes, neceſſe eſt evenire ; ea ſcilicet neceſſitate, qua Chriſtus neceſſaria appellavit ſcandala, quatenus hæc omnia Divina intentione ad majorem utilitatem ordinantur fidelium. Utramque cauſam ſubdit ibidem Apoſtolus, ſcilicet : *Ut manifeſti fiant, qui probati ſunt, ut appareat firmitas, & infirmitas credentium*. Aliamque refert Aug. *de Civit. lib. 18. apud Div. Thom. in hunc locum*. Quia, dum pulſatur fides callida Hæreticorum perverſitate, clarior eluceſcit fides noſtra, quatenus inſtantius, & diligentius ſcrutantur Catholici Doctores Divina Myſteria, Sacraſque Scripturas.

Concludamus argumento D. Aug. *lib.4. contra Donatiſtas cap. 21.* -- Nec ego dubito, „ Catechumenum Catholicum Divina charitate flagrantem Hæretico Baptizato anteponere &c. melior eſt Centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato-- Sed hoc non obſtante Catechumenus non eſt re de Eccleſiæ numero, licet ſit merito ; ergo multo minus Hæreticus, qui nec meritum fidei habet, adeoque nullâ vivit vitâ, nedum perfectionis, ſed neque ſubſtantialitatis.

CONTROVERSIA VIII.

AN FIDES VERA SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ MILITANTIS.

Sicut fides integra ea dicitur, quæ omnibus & ſingulis articulis aſſentitur, nulli diſcredens, ita fides vera appellatur, quæ ſincere credit veritatem, quam profitetur. Fides non vera ea eſt, quæ exterius ſimulat, & exercet myſteria Chriſtianæ Religionis, interius tamen, & ingenue, vel totum falſum judicat, quod illa prædicat, vel ex parte. Vidimus in præcedenti Controverſia integritatem fidei eſſe neceſſariam ad conſtituendum intra Eccleſiam, unde excluſimus Hæreticos manifeſtos. Nunc reſtat videndum, an neceſſaria ſit fidei ſinceritas, ac proinde, utrum de Eccleſia ſint pſeudopolitici Hæretici, ii videlicet, qui exterius ob bonum temporale ſimulant Chriſtianam Religionem, exercendo opera, quæ Catholica Eccleſia docet ; ſed interius evanidam judicant ejus doctrinam. In hoc puncto non ſolum diſſentiunt inter ſe Hæretici, quorum aliqui ſuperius citati omnes Hæreticos pertinere ad Eccleſiam volunt, alii, ut Confeſſioniſtæ, & Calviniſtæ, pſeudopoliticos excludunt, ſed ipſimet Catholici diſcordant, negantibus quibuſdam, affirmantibus aliis.

126 Ceterum ſinceritas fidei eſt de conſtitutivo Eccleſiæ. Hanc veritatem aperte demonſtrant ferè omnia, quæ diximus in præcedentibus ; nam & loca Scripturæ, & Patrum, paucis textibus exceptis, univerſalia ſunt. Verum, quia Eminentiſſimus Bellarminus *lib.3. de Eccleſia Milit. cap.10.* acrius præ ceteris adverſæ opinionis patrocinium ſuſcipit, aliqua adducemus, quibus ipſe nititur, ut ſtatuat manifeſtos Hæreticos ad Eccleſiam non pertinere, ut oſtendamus idem ſentiendum de occultis.

Cap.4. adducit locum Pauli 1. ad Tim. 1. v. 19. de illis, qui circa fidem naufragaverunt -- Quo loco (*ait*) per metaphoram „ naufragii intelligit Hæreticos, fracta una „ parte navis Eccleſiæ, ex ea in mare deci„ diſſe -- Sed expreſſe Paulus loquitur de naufragio circa fidem internam, ut patet, ſi integer textus aſſumatur, dicit enim : *Hoc præceptum commendo tibi fili Timoth. ſecundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. Porro fides debet eſſe conjuncta cum bona conſcientia ; & bona conſcientia non eſt externa præciſe, ſed potiſſime interna ; ergo demergitur in mare, etiam internam fidem repellens. Et advertendum eſt, ſatis clare loqui de quibuſdam, qui publico ſenſu credebantur viri Catholici, ex quibus duos manifeſtat Hymenæum, & Alexandrum, qui tamen cum aliis ante publicationem exierant ; ideo dicit : *Naufragaverunt* in præterito. Sed legatur initium capitis correſpondens huic textui -- Sicut ro„ gavi te, ut remaneres Epheſi, cum irem „ in Macedoniam, ut denunciares quibuſ„ dam, ne aliter docerent, neque intende„ rent fabulis, & genealogiis interminatis, „ quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædi„ ficationem Dei, quæ eſt in fide. Finis au„ tem præcepti eſt charitas de corde puro, „ & conſcientia bona, & fide non ficta, a „ quibus quidam aberrantes, converſi ſunt „ in vaniloquium, volentes eſſe legis Docto„ res, non intelligentes, neque quæ loquun„ tur, neque de quibus affirmant -- Hic plura ad rem. I. loquitur Paulus de privatis Hæreticis, ideſt, non publice cognitis ; ad hoc enim Timotheum reliquit, ut eos denunciaret, & admoneret. II. Fundamentum ædificationis eſſe fidem dicit, non qualemcumque, ſed cujus finis eſt charitas, uno verbo non fictam. III. habentes fidem fictam eſſe exciſos : iſti enim vaniloqui ſunt, de quibus aſſerit aberrantes naufragaſſe ; de quibus iterum cap. 2. Epiſt. 2. Ulterius idem demonſtratur ex metaphora ; nam non ſolum paſſo naufragio in mare demergitur, a navique exit homo, ubi pars navis frangitur manifeſta ; ſed ubi etiam frangitur occulta ; ergo ſicut hæreſis frangit partem navis aperte, ſi ſit publica, ita occultam frangit, ſi ſit abſcondita, & ficta ; ergo utraque a navi Eccleſiæ projicit.

Hæretici occulti extra Eccleſiam.

II. habet. *Quod etiam ſignificatur illa parabola Domini de rete, quod præ multitudine ſcindebatur*. Luc. 5. Sed hoc fortius probat de occultis, quam manifeſtis Hæreticis ; quia piſces, qui in profundo maris ſcindebant rete, occulti erant, nec a piſcatoribus ſaltem omnibus cogniti, nec trahentes, quibus locis frangeretur rete, niſi eo evacuato, diſtinxerunt.

III.

III. addocit illud ad Titum 3. *Hæreticum hominem &c.*, & vim facit in ratione; A qnia eſt prævio judicio condemnatus, cum expoſitione Hieronymi dicentia, non eſſe ejectum ab Eccleſia, ſed ſe ipſum ejeciſſe. Verùm totum hoc in occultis accidir, quia judicio ſe condemant ſno, cum contumaces ſint; ac proinde ab Eccleſia ſeipſos ejicinnt: ſola manifeſtatio deeſt in Eccleſia; non ſunt ergo intus.

Occultus Hæreticus jam condemnatus.

IV. Textum refert ca 1. Joannis 2. *Ex nobis prodierunt* ſub hoc commento: *Sed non erant ex nobis, ſecundum Divinam electionem*: ut Aug. exponit *lib. de bono perſeverantiæ cap.* 8. Sed quia non videt hoc potius pro occultis eſſe dictum, cum Divina electio ſit omnino B occulta. Sed de hoc infra in objectionibus.

Hæretici non ſunt ex nobis.

V. Aſſumit caput *Firmiter* de ſumma Trinitate ex Concilio Lateranenſi, ubi Eccleſia dicitur fidelium Congregatio -- Conſtat enim Hæreticos nullo modo eſſe fideles--ait, Sed occulti pertinaces non ſunt fideles; ergo non ſunt de Eccleſia. *Cap.* 10. *objectione ſecunda*. Sibi hanc auctoritatem objicit Auctor, & tripliciter reſpondet. Primo: Concilium definire, unam eſſe Eccleſiam, non plures, non autem quid ſit. Secundo: nomine fidelium eos venire, qui exterius fidem profitentur. Tertio: nomine fidelium venire eos, qui in corde habent rectam fi- C dem, quos ex intentione colligit Eccleſia. Sed neutra ſolutio valet. Non prima; quia jam ipſe non bene argueret ad probandum ex illo loco, Hæreticos manifeſtos non eſſe de Eccleſia, quia ibi ſola unitas definitur, non autem quidditas. Secundo: neque ipſa unitas definiretur, una enim non eſt Eccleſia, niſi quia fideles ſunt partes Eccleſiæ; ergo vel Eccleſia non erit una, vel conſtabit ex ſolis fidelibus. Tertio, Paulus explicans unitatem Eccleſiæ probat ex unitate fidei, & Baptiſmatis; & unitas fidei habetur, ex quo omnes idipſum ſentiunt; ſed ſoli fideles D id ipſum ſentiunt; ergo vel una non eſt, vel ex ſolis fidelibus. Non ſecunda ſolutio propter idem; nam fideles, de quibus loquitur Concil. illi ſunt, qui conſtituunt Eccleſiam ut unam, ac per conſequens ſunt illi, qui id ipſum ſentiunt: non ergo loquitur de externe tantum fidem profitentibus.

Hæreticus occultus non eſt fidelis.

Deinde. Hæc externa profeſſio, vel fieri debet per Baptiſmum, vel abſque eo, ſi primum; ergo Pagani occulti non ſunt de Eccleſia, contra illud, quod ipſe aſſerit, ſententiam Driedonis approbans. Si ſecundum; Paganus occultus externis ſignis fidem profitens non eſt fidelis: ſed Concilium loquitur E de fidelibus; ergo non de profitentibus tantum externe fidem. Præterea -- Eccleſia eſt, ubi fides vera eſt -- ait Hieronymus *in Pſal.* 133., ſed ſola externa profeſſio non eſt fides vera, nec ſubſtantialiter; ergo. Tertia ſolutio corruit propter eandem rationem. Deinde ſi Hæretici præter intentionem Eccleſiæ admiſcentur; non ergo ut ſuos illos agnoſcit, & approbat; ſi enim eos diſtingueret, manifeſte projiceret, ſed ſuos non projicit Eccleſia.

Paganus non eſt de Eccleſia.

VI. Adducit alios inter Patres Cyprianum ad Julianum dicentem Hæreticos eſſe extra Eccleſiam; ſed ſibi vendicare Eccleſiæ auctoritatem more ſimiarum. quæ, cum homines non ſint, tamen homines videri volunt; ſed hoc probat eodem modo de occultis; nam ideo occulti per Auctorem ſunt de Eccleſia, quia exterius exercent opera Chriſtianæ diſciplinæ; ſed non obſtante hoc exercitio externo ſimiæ ſunt ex D. Chryſoſtomo *homil.* 15. *in Matth.* ſic diſcurrente -- Quomodo dicere poſſum, illum non eſſe Chriſtianum, quem video Chriſtum confitentem, altare habentem, ſacrificium panis, & vini offerentem, Baptizantem, Scripturam ſanctam legentem, omnem ordinem Sacerdotis habentem? &c. -- Et reſpondet, ſicut ſuperius notavimus, ab ipſis hæc fieri, ſicut actiones hominis a ſimia, quæ tamen dicenda non eſt homo. Adducit etiam Auguſtinum, de quo infra.

Hæretici volut ſimiæ.

His addit rationem, ſcilicet, quod Eccleſia ſit multitudo unita, præcipue in profeſſione unius fidei, & legum, & rituum obſervatione: unde nulla ratio permittit, ut eos dicamus de corpore Eccleſiæ, qui cum eo nullam omnino conjunctionem habent. Sed hoc manifeſte probat neque occultos eſſe de Eccleſia; quia nulla unione conjunguntur corpori, ſeu ceteris membris; non unione interiori, quia prima unio interior eſt fides, ut optime refert ex D. Thoma in ſolutione ad ultimum, non exteriori, quia illa profeſſio exterior fidei non eſt unio, cum ſit ſolum manifeſtatio, ſeu quaſi ſignum interioris ſenſus; qua ratione negat Auctor per characterem uniri Eccleſiæ manifeſtos Hæreticos, quia character non unit, cum ſignum ſit poteſtatis, & debiti ſuſcepti.

Unio cum Eccleſia eſt per fidem.

Deinde unio hæc, quæ vocatur exterior, in eo conſiſtit, quod exterius Hæretici conſimilia opera exercent, ac Chriſtiani, ſed hæc ſimilitudo non unit; ſicut ſimilitudo, quæ eſt in membris corporis naturalis, ut optime docet D. Tho. 3. *ſent. diſt.* 13. *art.* 2. *q.* 2. non facit unionem, cujus verba alibi dedimus, ubi pariter aſſerit primam omnino unionem corporis myſtici fidem eſſe. Hæc placuit ex principiis Bellarmini, quibus dum probat Hæreticos manifeſtos de Eccleſia non eſſe, declarat idem dicendum fore de occultis. Addamus alia.

PONUNTUR ALIA ARGUMENTA
AD IDEM.

127 PROB. I. Per Eminentiſſimum Bellarminum, ut quis per excommunicationem tanquam Hæreticus projiciatur ab Eccleſia, neceſſe eſt, quod non ſolum appareat exterius, ſed etiam animo ſit talis; ergo intra Eccleſiam nemo admittendus, qui ſolum exterius apparet fidelis, niſi animo talis ſit. Antecedens doctrinam certam continet, & ab omnibus admiſſam. Illatio eſt aperta; nam conſtituitur intra Eccleſiam per formam oppoſitam ei, per quam extra projicitur: ſi ergo facies exterior ſine interiore non ſufficit pro exitu, nec ſufficiet pro unione: Bonum enim ex integra cauſa, malum autem ex quocun-

Ad unionem cum Eccleſia requiritur animus,

cun-

eumque defectu. Uniri Eccleſiæ eſt de genere boni, ſeparari de genere mali, ſed ad ſeparationem requiritur utrumque exterius, & interius; ergo ad unionem requiritur ſimiliter utrumque, aliter non eſſet bonum ex integra cauſa. A

128 PROB. II. Per Eminentiſſ. Bellarminum Eccleſia eſt cœtus palpabilis, ſicut cœtus populi Gallorum, vel Romanorum; ſed non eſt de cœtu populi Gallicani aliquis præciſe ex hoc, quod Gallicam linguam, & habitum exteriorem profiteatur, vel etiam in terris Gallorum ortus ſit ex parentibus propriè advenis; ergo neque ſufficit, ut quis ſit de populo Chriſti, quod fidem exteriorem profiteatur, quæ velut lingua Chriſtianorum dici poteſt, & cetera opera, quæ quodammodo chriſtiani habitus dicuntur, vel Baptiſmum ſuſceperit, niſi ex proprio ſemine fidei. B

Exterior forma non facit fidelem.

129 PROB. III. Per Eminentiſſ. Bellarminum, quicumque ad Eccleſiam pertinent, debent eſſe uniti, vel ex parte animæ, vel ex parte corporis Eccleſiæ: ſed neutro modo Hæretici occulti uniuntur, non ex parte animæ, ut ipſe fatetur, neque ex parte corporis, quia per ipſum ſe habent, ſicut mali humores, qui caputuntur; ſed mali humores non ſunt partes ceteris partibus unitæ ſicut patet de ſputo, ſtercore, urina, flegmate, aliiſque ſimilibus. C

Nullus Hæreticus Eccleſiæ unitur.

130 PROB. IV. Membra Eccleſiæ debent eſſe unita inter ſe vinculo proportionato naturæ ipſius: ſed unio per ſocietatem præciſe exteriorem, non eſt proportionata naturæ, & qualitati Eccleſiæ; nam ipſa eſt cœtus quidam ſupernaturalis; ergo petit uniri vinculo ſupernaturali, ſed communicatio purè exterior non eſt ſupernaturalis, niſi ad ſummum materialiter; ergo non ſufficit: eo vel maxime, quod etſi unio membrorum quandoque forte habeatur per ſolam exteriorem colligationem, vera tamen eſſe debet, & non præciſe apparens. Porro unio adhuc exterior inter Hæreticos, & Catholicos non eſt vera, ſed ficta, ſed ſimulata, adeoque nulla. D

Unio per ſocietatem non ſufficit ad Eccleſiam.

131 PROB. V. Eccleſia Chriſti viſibilis illa eſt, quam ipſe fundavit ſupra petram; & ideo viſibili Paſtori contulit claves, ſed non fundatur ſupra petram, niſi mediâ verâ fide; ergo qui hac caret, non eſt fundatus ſupra petram; ergo non eſt de Eccleſia. Min. probatur: tunc Petro dixit Chriſtus Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; quando confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, quæ confeſſio quidem ſenſibilis, & exterior eſt, ſed vera, & ex corde: fuit enim ex motione Patris revelantis, non ex ſpiritu carnis, & ſanguinis; quia ſine fidei exteriore confeſſione nullus pertinet ad populum viſibilem Dei, ſed vera eſſe debet; adeoque non ſolitaria, ideſt abſque interna. E

Media fide quis eſt de Eccleſia.

132 PROB. VI. Viſibilem deſcribit Eccleſiam Paulus ad Epheſ. 4. cum ibi ponat viſibiles gradus Hierarchici Apoſtolorum, Paſtorum, Doctorum &c., ſed ad hanc Eccleſiam non pertinet ſolam corporalem habens communicationem; ergo &c. Probatur min. Ad hanc Eccleſiam non ſpectat, niſi Chriſto unitus per interiorem influxum: ſola autem communicatio exterior negat influxum interiorem: *Qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum*. Totum dicit, & non partem; *Et connexum per omnem juncturam unius ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri*. Quibus denotatur, non quilibet influxus, ſed interior; id enim denotat illud (*per juncturam ſubminiſtrationis*) alludens ad occultum influxum capitis naturalis in corpus per nervulos, arterias, & venas. Idem habetur ad Coloſſ. 2.

Hæreticus à Chriſto non habet influxum.

133 PROB. VII. Patrum auctoritatibus res comprobatur, & quidem ſufficerent datæ in ſuperioribus, cum indifferenter loquantur, non diſtinguentes occultos inter, & manifeſtos Hæreticos. Quia tamen Eminent. Bellarminus eas ſolvit, dicendo eſſe explicandas de manifeſtis, ideo aliquas curabimus dare, hujuſmodi effugium non admittentes.

August. *Ser.* 11. *de verbis Domini cap.* 19. ait — Sed nec ille dicendus eſt eſſe in Eccle„ſia, qui ovibus Chriſti corporali tantum „commixtione, ficto corde miſcetur: San„ctus enim Spiritus diſciplinæ fugiet fictum — Sed Hæreticus occultus per Bellarminum ſola corporali mixtione miſcetur: ergo non eſt de Eccleſia. *De unitate Eccleſiæ cap.* 4. — Qui„cumque de ipſo capite a Scripturis ſanctis „diſſentiunt, etiam in omnibus locis inve„niantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, „non ſunt in Eccleſia — Interjecto uno exemplo idem repetit, cauſalem addens — Quia „ipſum caput Eccleſiæ non tenent, quod „eſt Chriſtus Jeſus — Sed per Bellarminum occultus Hæreticus invenitur in omnibus locis, in quibus Eccleſia deſignatur, ideſt, exercet exteriora diſciplinæ Evangelicæ; ergo hoc non obſtante, non eſt de Eccleſia. *Capite ultimo* — Tunc enim quiſque infructuo„ſus, & nondum a radice præciſus eſt, cum „mala cupiditate agit quidem illa opera, de „quibus dictum eſt (quoniam, qui talia „agunt, Regnum Dei non poſſidebunt) ſed, „cum ipſis operibus, etiam veritati, qua „apertiſſime redarguitur, reſiſtere cœperit, „tunc præciditur — Vide, per hæreſim præcidi membrum ab Eccleſia: Audi etiam per occultam — Et multi tales ſunt in Sacramen„torum Communione in Eccleſia, & tamen „jam non ſunt in Eccleſia, alioquin, ſi „tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter „excommunicatur, conſequens erit, ut tunc „rurſus inſeratur cum viſibiliter Commu„nioni reſtituitur. Quod ſi ergo fictus ac„cedat, atque adverſus veritatem, & Ec„cleſiam cor iniquiſſimum gerat; quamvis „peragitur in eo illa ſolemnitas, nunquid „reconciliatur, nunquid inſeritur? Abſit: „ſicut ergo jam denuo communicans non„dum inſertus eſt, ſic & antequam viſibili„ter excommunicetur, quiſquis contra ve„ritatem, qua convincitur, & arguitur, ini„micum geſtat animum, jam præciſus eſt — Quo nihil expreſſius. Quare, ſi quæ loca Aug. videntur eos intus ponere, ſunt intelligenda apparenter, ſeu putative, ſicut pluries loquitur.

Patres ab Eccleſia removent Hæreticos omnes.

Hieron. *in cap.* 8. *Oſeæ* vocat Idololatras, etiam occultos — Sicut enim nationes cor„poralia

„ poralia ſimulacra venerantur, ſic iſti Idola,
„ Deos putant, quæ de ſuo corde finxerunt,
Error ponit extra Eccleſiam. „ & ideo reputabuntur de numero natio-
„ num — In corde ſuo, dicit, non in facie
Eccleſiæ. Ratio, cur inter gentes computentur, nullo modo eſt publicitas, ſed ſola interna pravitas; quia ſuo judicio hærent, ut patet ex verbis clariſſime. Non ergo publicitas ponit extra Eccleſiam, ſed ipſa ſubſtantia erroris.

Ambr. *Ser.* 50. — Ipſe ſe damnat Hæ-
„ reticus, cum de Eccleſia ipſe ſe projicit, &
„ de cœtu Sanctorum, nullo compellente,
„ recedit. Ipſe enim oſtendit, quid merea-
„ tur a cunctis, qui ſuo judicio ſeparatur a
„ cunctis. Ipſe, inquam, ſe damnat Hære-
„ ticus, quia, cum omnes criminoſi, Epi-
„ ſcopi ſententia projiciantur de conſortio
„ Chriſtiano, Hæreticus cuncta præveniens,
„ ſententia ſuæ voluntatis abjicitur — Vide
clariſſime publicitatem non eſſe, quæ projicit ab Eccleſia, ſed ipſam hæreſim ſecundum ſe, ideſt, pertinax judicium proprium contra veritatem. Et ratio videtur evidens: nam eſſe publicum, & eſſe occultum differunt penes eſſe cognitum, & non eſſe cognitum: Eſſe cognitum, & non eſſe cognitum, non unit, nec ſeparat. Non ideo iſte, qui non cognoſcebatur Hiſpanus, fit Hiſpanus, ex quo publice dignoſcitur. Optime ait Epiph. *hæreſ.* 29. — Nam etiam nunc homines omnes hæ-
„ reſes æquivoce Chriſtianos vocant, qui
„ Chriſtiani non ſunt — Nec de ſolis publicis, ſed & de occultis loquitur, de illis ſcilicet, qui & fidem, & opera, & Chriſti nomen jactant. Videri poteſt Cyprianus *lib.* 4. *Epiſt.* 2. *de fide ad Petrum c.* 34. Tertull. *de præſcript. c.* 40., & alii, qui omnino indefinite loquuntur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

134 OBJIC. I. De Hæreticis occultis loquitur Joan. 1. Epiſt. cap. 2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis &c.* explicante D. Aug. *tract.* 3. *in Joan.* Sed iſti ea eodem loco ſunt intus, quia exierunt, non enim exiiſſent, ſi intus non fuiſſent: erant ergo externa connexione, non erant interna unione.

RESP. Auctorem uſum fuiſſe hoc texto cap. 4. ad oſtendendum, Hæreticos manifeſtos non eſſe de Eccleſia: quomodo ergo loquitur de occultis? & cap. 9. hanc auctoritatem Auguſt. adducit pro fidelibus peccatoribus: quomodo ergo pro occultis Hæreticis uſurpat? ſed demus, & Scripturam, & Aug. interpretationem: Cum aperte dicatur: *Non*
Hæretici in Eccleſia apparenter, *erant ex nobis*. Apparenter intus erant, non realiter, quia tamen non perſeveraverunt in fictione ſua perſonam dimittunt, quam gerebant Chriſtiani, & ſe produnt Antichriſtianos.

135 OBJIC. II. Sentiendum eſt cum Patribus, ubi agitur de conſtitutivis Eccleſiæ: ſed Patres intra Eccleſiam reponunt Hæreticos occultos. Sic Origenes *Homil.* 25. *in Joſue* — Etiam hic in Hieruſalem, ideſt, in
A „ Eccleſia ſunt quidam Jebuſæi, qui & fide,
„ & actibus perverſi ſunt. Neque enim di-
„ cimus de iis, qui manifeſte, & evidenter
„ criminoſi ſunt, ut non de Eccleſia expel-
„ lantur —

Aug. *lib.* 3. *de Baptiſmo cap.* 19. — Hu-
„ jus autem fraternæ charitatis inimici, ſive
„ aperte foris ſint, ſive intus eſſe videantur,
„ pſeudo-Chriſtiani ſunt, & Antichriſti; in-
„ ventis enim occaſionibus foras exeunt: ſicut
„ ſcriptum eſt: Occaſiones quærit, qui vult
„ diſcedere ab Amicis Prov. 18. Sed etiamſi
„ occaſiones deſint, cum intus videntur, ab
„ illis inviſibili charitatis compage ſeparati
B „ ſunt: Unde Joan. dicit: Ex nobis exierunt,
„ ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex
„ nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Non
„ ait, quod exeundo alieni facti ſunt, ſed
„ quod alieni erant, propter hoc eos exiiſſe
„ declaravit. Dicit Apoſt. Paulus de quibuſ-
„ dam, qui circa fidem aberraverant, in
„ una magna domo eos fuiſſe &c. credo,
„ quod nondum exierant — *Lib.* 4. *c.* 10. — Aut
„ ſi zizania ſola dicenda ſunt, quæ uſque in
„ finem maligno errore perdurant, & foris
„ multa frumenta ſunt; & intus multa zi-
„ zania — Quorum videtur ſenſus: eſſe
Hæreticos extra, qui tandem convertuntur;
C eſſe Hæreticos occultos intus, qui nunquam convertentur.

Lib. 1. *de Civit. Dei cap.* 35. — Memi-
„ nerit ſane in ipſis inimicis ſuis latere ci-
„ ves futuros, ſicut ex illorum numero, etiam
„ Dei civitas habet ſecum connexos commu-
„ nione Sanctorum — Ubi docet de præſenti plures inimicos Eccleſiæ eſſe; & inter inimicos eſſe, qui erunt cives. *Tract.* 61. *in cap.* 13. *Joan.* explicans Chriſtum turbatum ſpiritu recedente Juda, deducit figuratam Eccleſiæ turbationem, ſuſtinendam propter Hæreticos, & Schiſmaticos: deinde exponit, qualiter Judas ante illud tempus erat in Ec-
D cleſia — Unus numero, non merito; unus
„ ſpecie, non virtute: Commixtione corpo-
„ rali, non vinculo ſpirituali: carnis adjun-
„ ctione, & non cordis ſocius unitate &c.
„ Utrunque verum eſt: ex nobis, & non
„ ex nobis, ſecundum aliud ex nobis, ſe-
„ cundum aliud non ex nobis: ſecundum
„ communionem Sacramentorum ex nobis,
„ ſecundum eorum proprietatem criminum non ex nobis — En pertinentes Hæretici ad corpus, non ad animam.

Lib. de geſtis cum Emerito cap. 10. — Qui-
„ dam adhuc corde poſiti in parte Donati
„ præſentiam nobis exhibent corporalem;
E „ carne intus, ſpiritu foris — *Lib. de Catechizandis rudibus cap.* 17. diſtinguit Chriſtianos bonos, malos, & Hæreticos occultos, quos dicit ad gloriam non perventuros, niſi ſe emendaverint — Et ſi ad tempus eos portat
„ Eccleſia, ſicut area uſque ad tempus ven-
„ tilationis paleam ſuſtinet &c. Nec ſibi blan-
„ diantur, quod in area eſſe poſſunt cum
„ frumento Dei, quia in Horreo cum illo
„ non erunt — Quod de Hæreticis loquatur, conſtat, quia contraponit illis, qui meliori ſpe, ſed non majori periculo Chriſtiani ſunt — Quia jam Deum timent, & non irrident

„ Chri-

„ Chriſtianum nomen, nec ſimulato corde „ intrant Eccleſiam Dei; ſed in iſta vita ex„ pectant felicitatem -- ſimulantes ergo Hæretici intus ſunt.

Greg. Mag. *lib.* 13. *moral. cap.* 4. explicans verba illa Job. 16. *Ruga mea teſtimonium dicunt contra me*, habet -- Quid per „ rugas, niſi duplicitas deſignatur? rugæ „ itaque ſunt Eccleſiæ, omnes, qui in ea „ dupliciter vivunt, qui fidem vocibus cla„ mant; operibus denegant. Hi nimirum „ pacis tempore, quia mundi hujus poteſta„ tibus, eandem fidem honoris eſſe conſpi„ ciunt, fideles ſe eſſe mentiuntur: ſed, cum „ ſanctam Eccleſiam ſubitò adverſitatis pro„ cella turbaverit, illico oſtendunt, quid in „ perfida mente molluntur -- Ad idem refert ſequentia.

Aliud eſt in Eccleſia eſſe, aliud de Eccleſia, aliud ex Eccleſia.

RESP. neg. min. Auctoritates adductæ, etiamſi omnes intelligantur de Hæreticis occultis, nihil aliud concludent, niſi quod iſti putative ſint intra Eccleſiam, non autem quod ſint partes Eccleſiæ, jam alibi vidimus ex Auguſtino, quod aliud eſt eſſe in Eccleſia, aliud de Eccleſia, aliud ex Eccleſia. Plura ſunt ea corpore naturali, & in corpore naturali, quæ non pertinent ad corpus, ut vermiculi, ſputa, ſtercus. Occulti Hæretici ſecundum apparentiam videntur de corpore, ſicut lepra, & ſcabies videntur pellis, & caro: ſicut dentes Eburnei, vel alterius animalis edentulo inſerti, qui proprii videntur, & non ſunt, & videntur ſeparari, quando tolluntur. Et hic eſt ſenſus Aug. 1. loco citati ex 3. contra Donatiſtas, cum inquit -- Intus „ videntur, ab illa inviſibili compage cha„ ritatis ſeparati ſunt -- Separati ſunt, ſed videntur intus, & dicuntur exire, quando tollitur apparentia.

Secundus locus ad rem non eſt; loquitur enim ſecundum Divinam præſcientiam: Sic enim arguit. *Zizania* dicendi ſunt, qui in errore perſeverant. *Multa frumenta foris*, quia plures ſunt convertendi. *Intus multa zizania*, quia plures pervertendi. Ceterum, ſicut ex quo ait, *Multa frumenta foris*, non deducitur actu extare, alias quomodo frumenta ſunt, & extra aream ſunt? Ita non valet, zizania actu intus eſſe. Eundem ſenſum habet locus 3. *lib. de Civit. Dei* ſatis clare. Præterquamquod illa locutio: *Habet ſecum connexos communione Sacramentorum*, extenditur etiam in phraſi Aug. ad publicos Hæreticos, quos non raro *in lib. contra Donatiſtas* appellat de Eccleſia, communione Sacramentorum: Quartus locus nil evincit, non enim agit de Juda, tanquam de Hæretico, ſed tanquam de homine malo exituro, ut patet, licet inde doceat perturbationes ab Eccleſia ſuſtinendas propter Schiſmaticos, & Hæreticos. Ceterum etſi acciperetur in ſenſu etiam hæreſis, ſolum apparentiam ſonant, & corporalem relationem; quomodo quicumque cum Romanis deambulantes in platea, etſi diverſarum nationum, miſcentur corporaliter. Idem dicendum de quinto textu de geſtis cum Emerito; quamvis de manifeſtis etiam loqui videatur, ut ipſemet Emeritus Hæreticus cognitus, in eadem Eccleſia materiali adfuit cum Catholicis, ipſos auditurus.

Locus alter de Catechiſandis rudibus mihi videtur loqui de Chriſtianis, qui vere credunt, inter quos quidam credunt, ſed ob commodum pure temporale amicitiæ hominum ex corde non obſervant mandata. Alii credunt, & obſervant mandata, ſed expectant felicitatem temporalem: & ideo ſunt in periculo. Alii credunt, & timent Deum, ne vitam amittant æternam. Primi ſunt pejores, & dicuntur irridere nomen Chriſti, & ſimulate ingreſſi, quia facta verbis non reſpondent. Ceterum ſi de Hæreticis vis intelligere: dic putative in Eccleſia, non realiter. Divus Gregorius de pravis loquitur Chriſtianis, nam immediate ait -- Sæpe verò „ contingit, ut ſancta Eccleſia non ſolum in„ fideles, atque extra poſitos adverſarios to„ leret, ſed eorum quoque inſidias, atque „ adverſitatem via ferat; quos intus habet -- Unde Job voce ſubditur: *Ruga mea &c.* Ubi infideles his contraponit: Subdit Inſuper: *Sed quia nunc inſuper intra ſinum fidei multos etiam reprobos tenet*. Hæretici, etſi occulti, non ſunt intra fidei ſinum, ſi nullam fidem habent. Quare illa duplicitas, illud falſiloquium, illud verbis apertis fidei obſiſtere, intelliguntur ratione pravorum morum, & ideo ſtatim carnales vocat. Quod ſi de Hæreticis vis eſſe dicta; de unione, & intraneitate apparente ſunt explicanda.

136 OBJIC. III. Myſticum Chriſti corpus corpori analogatur naturali ad Rom. 12., ſed in naturali corpore varia ſunt partium genera; quædam vivunt, & ſentiunt, quædam vivunt, & non ſentiunt, quædam nec vivunt, nec ſentiunt; ergo in Eccleſia ſunt, qui fidem habent, & charitatem, qui fidem ſolam, qui nec fidem, nec charitatem: ſed *externam dumtaxat connexionem*.

Partes corporis influxū a capite recipiunt.

RESP. neg. min. Et juvat inquirere, quænam ſint illæ partes corporis naturalis, quæ nec vivunt, nec ſentiunt; nulla enim eſt, ſi non recipit Influxum: Influxum non recipit, ſi ad minus non vivit. Capilli, ungues, dentes, in quibus videtur Bellarminus exemplificare, nonne latentem recipiunt vigorem? omitto, quod cap. 9. capillis, unguibus comparaverit malos fideles: ſi ergo credentes mali locum, ſeu gradum infimum habent; Hæretici ergo nullum habebunt. Deinde, data min. adhuc non tenet conſequentia: nam membrum mortuum nondum abſciſſum habet aliquam veram unionem, materialem videlicet, ratione gradus corporei; in corpore vero myſtico unitas materialis habetur a vera fide, qua carent occulti Hæretici; nec aliunde ſecundum realitatem haberi alia poteſt, cum exterior omnino ſit ficta in iſtis, de quibus loquimur.

137 OBJIC. IV. Eccleſia eſt viſibilis; ſed ſi vera fides eſſet neceſſaria, cum Lutheranis eſſet inviſibilis; nam ideo dicimus Eccleſiam ab Hæreticis poſitam eſſe inviſibilem, quia ſolos prædeſtinatos ad eam ſpectare volunt, etſi aliqua Sacramenta admittant; quia prædeſtinatio non eſt cognita; ſed etiam vera fides eſt inviſibilis; ergo. Urgetur argumentum: Certitudine infallibili conſtare debet cœtus, qui eſt vera Eccleſia Chriſti: ſed ſi fides interna requiritur, non poteſt certò ſciri;

ſciri; nam neſcimus certò, in quibus hæc fides ſit; ergo. Eo, vel maxime, cum ubique ſint multi Hypocritæ, & falſi fratres.

Huic argumento inſtatur ſic ad hominem. Ut quis ſit de Eccleſia, neceſſarius eſt Baptiſmus; & ideo ab ea Catechumenus excluditur per arguentem; ſed certo non conſtat, qui ſint Baptizati, & multo minus bene Baptizati; ergo Eccleſia eſt inviſibilis. II. Eccleſia Chriſti debet certò conſtare Epiſcopis, Presbyteris &c., ſed non certò conſtat, qualis ſit verus Epiſcopus, & Presbyter. III. Si ſola exterior communicatio propter viſibilitatem eſt neceſſaria; poterit ergo conſtare Eccleſia Dei Turcis, Judæis, Paganis, cum iſti poſſint fidei myſteria ſimulare.

Quibus inſtantiis reſpondet ea propria ſententia Bellarminus, quam veriorem judicat reſponſione Driedonis. Ad I. eos, qui non ſunt Baptizati, & habentur pro Baptizatis, eſſe de Eccleſia ſecundùm apparentiam, & putative; nec inde ſequitur inviſibilitas Eccleſiæ, cum probari poſſit de plurimis eſſe Baptizatos; & alias Baptiſmus eſt externus. Dicat ipſe tantum hoc de fide. Qui illâ carent, ſunt putative Chriſtiani. Plurimi poſſunt probare ſe habere veram fidem. Profeſſio ejus eſt viſibilis: ſicut viſibile eſt ſymbolum Baptiſmatis; valde autem occulta intentio debita.

Ad II. RESP. Fide infallibili conſtare aliquos veros Epiſcopos eſſe in Eccleſia, quia Deus aſſiſtit Eccleſiæ. De his, vel illis ſufficit certitudo moralis. Hoc totum dicatur de membris inferioribus. Propter Divinam aſſiſtentiam ſumus certi infallibiliter, quod ſint plures vere credentes, de his, vel illis certitudinem habemus moralem.

Ad III. RESP. Eos pertinere ſolum putative. Non ergo inviſibilem adſtruunt Eccleſiam Hæretici, quia ſolam prædeſtinationem ponunt eſſe de conſtitutivo, ſed quia negant ordinem Hierarchicum, aliaque ſigna, de quibus infra. Ceterum ſi abſurdum reputatur poſitio inviſibilis Eccleſiæ, æquale abſurdum eſt fictam ponere Eccleſiam.

138 OBJIC. V. Nullus, qui eſt extra Eccleſiam, habet juriſdictionem, & poteſtatem in Eccleſiam, ſed Hæreticus occultus habet auctoritatem in Eccleſiam; ergo Hæreticus occultus non eſt extra Eccleſiam. Maj. habetur apud Cyprianum *lib. 1. Epiſt. 6. lib. 2. Epiſt. 1. apud Optatum lib. 1. contra Parmenianum*. Amb. *lib. 1. de pænitentia cap. 2.* Hieron. *contra Luciferianos in Dialogo*. Aug. *in Enchirid. cap. 65.*, & ratio videtur manifeſta. Nullus habet juriſdictionem in Eccleſiam, niſi ſit caput vel univerſale, vel particulare: ſed caput corporis eſt membrum ejus; ergo habens juriſdictionem eſt membrum. Min. pariter videtur certa; ſi enim occultus Hereticus Epiſcopus, Sacerdos, & Parochus non haberent juriſdictionem, incerti eſſent actus plurimi in Eccleſia, eſſet maxima confuſio: & idem *Can. Audivimus 24. quæſt. 1.* — Sin autem ex corde ſuo novam hæreſim „ confixerit, ex quo talia prædicare cœpit; „ neminem damnare potuit — Amittit juriſdictionem, non quando in corde concepit hæreſim, ſed quando prædicando publicam fecit.

Pro ſolutione hujus argumenti ſufficerent, quæ diximus in Controver. de Romano Pontifice: verum, quia argumentum tangit quoslibet Prælatos, etiam Papâ inferiores; breviter ſunt aliqua addenda. Secundum D. Th. 2. 2. *q. 39. art. 3.* duplex auctoritas ſpiritualis datur in Eccleſia, alia Sacramentalis, alia juriſdictionis; Sacramentalis, quæ aliâs ordinis dicitur, per ſe primo dirigitur ad conficienda, & adminiſtranda Sacramenta; per ſe ſecundo ad conficienda Sacramentalia: Juriſdictionis dirigitur per ſe ad actus judiciales, ſive interni, ſive externi fori: Utraque poteſt conſiderari quoad ſubſtantiam actus exercitii, & quoad uſum ejuſdem. Subſtantia actus attenditur penes validitatem in ſe, & coram Deo; uſus attenditur penes honeſtatem, vel inhoneſtatem, & acceptationem Eccleſiæ; ſtat namque quod ordinatio v. g. licita non ſit, & remaneat ſuſpenſa quoad ſuum effectum (licet valida ſit) quia non acceptatur ab Eccleſia quoad efficacitatem in ſuatus executivi. Ut v. g. ordinatus furtive valide recipit ordinem, ſed tamen ſuſpenſus remanet ab executione, ſeu exercitio; unde non poteſt ſine crimine celebrare. His poſitis.

In Eccleſia poteſtas juriſdictionis, & Sacramentalis.

Dico I. Poteſtas Ordinis non amittitur propter hæreſim ſive occultam, ſive manifeſtam. Prob. ratione D. Thom. loc. cit., quod traditur media conſecratione, remanet, quamdiu remanet integrum ſubjectum conſecratum (ut conſtat in omnibus rebus inanimatis conſecratis); ſed poteſtas ordinis tribuitur per conſecrationem, ut certum eſt; ergo, ſive Hæreticus ſit, ſive non, conſecratus poteſtatem ordinis habet. Prob. II. Poteſtas Ordinis ſequitur ad characterem, ſed character eſt omnino indelebilis; ergo & poteſtas. Prob. III. Si per hæreſim amitteretur poteſtas ordinis, lapſus in eam manifeſte, rediens ad Eccleſiam deberet reordinari: ſed non reordinatur, ſicut habemus in Concil. Afric. *cap.* 15. — Illud autem ſuggerimus mandatum „ nobis (quod etiam in Capuenſi plenaria „ Synodo videtur ſtatutum) ut non liceat „ fieri rebaptizationes, & reordinationes — Quod ſtatutum pariter eſt in Concil. III. Carthag. *cap.* 38. Niceno I. *Can.* 8. Ubi ſine nova ordinatione recipiuntur in ſuo gradu Epiſcopi Novatiani. Et fidem facit Hieronymus contra Luciferianos in Dialogo circa finem; ubi oſtendit ex eo, quod in Apocalypſi Hæretici Nicolaitæ ad pœnitentiam invitantur, non tamen admonentur de rebaptizatione, vel reordinatione. Oſtenditur etiam ex eo, quod Chriſtus abſolutis, & generalibus verbis eam Apoſtolis poteſtatem contulit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20. Nec licet ulterius immorari, cum ſit de fide definitum. Verum, quia poteſtas inferior ſubordinatur, & movetur a ſuperiore, impeditur ab Eccleſia ejus uſus quoad hoc, quod eſt honeſte fieri, quoties adſunt talia crimina, inter quæ hæreſis.

Poteſtas Ordinis per hæreſim non amittitur.

DICES. Quod irritum eſt, non eſt validum: ordinationes factæ ab Hæreticis ſunt irritæ, ut habetur 9. *quæſt. 1. Can. Ordinationes, quæ ab Hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt, & ab eis, qui Catholicorum adhuc*

viven-

viventium Epiſcoporum ſedes invaſerunt, irritas eſſe judicamus; niſi probare voluerint ſe, cum ordinarentur, eos neſciiſſe damnatos, Et *Can. Arianos 1. quæſt.* 1. Solum Baptiſma ab Hæreticis collatum admittitur ratum, non autem reliqua Sacramenta, additurque plenitudinem Sancti Spiritus perdidiſſe, ideſt poteſtatem, cum facti ſunt Hæretici. Idem habetur *cap. Convenientibus quæſt. 7., & cap. Agapitus. De conſecrat. diſt.* 1. Paramenta ab Hæretico conſecrata reconſecrata ſunt -- Agapi-
„ tus Papa vas Catholicum, Evangelii tuba,
„ præco juſtitiæ, Sacra Altaris, ſediſque vela-
„ mina ſacrilegis Anthimi infecta fabulis, ſuis
„ Catholicis precibus delevit -- Ibidem *Can. Eccleſias, Can. Arianorum*, reconſecrantur Eccleſiæ ab Hæreticis conſecratæ.

RESP. neg. min. Quæ non evincitur Canonibus inductis, quorum ſenſus planus eſt. Primus declarat irritas quoad tolerantiam in executione, ſicut notat Gloſ., & Can. Ipſe manifeſtat, cum eas ratas habeat, ſi probari poteſt ignorantia in ſuſcipiente; & tamen ſi hæreſis publica auferret poteſtatem Ordinis, ignorantia ſuſcipientis non obſtaret. Secundus Can. eodem modo ſolvitur, quoad primam partem, quoad ſecundam verò loquitur in ordine ad tribuendum meritum vitæ; quia ab Hæretico ordinatus ſcienter, non mundatur interius; nec in effectu licite exequi valet gradum ſuſceptum. Similiter 3. Can. Quatuor verò ultimi, qui agunt de Sacramentalibus, loquuntur de Conſecrationibus contra debitum ritum Eccleſiæ exercitis, ut Gloſſa notat.

Dico II. Poteſtas juriſdictionis non amittitur per hæreſim quamcumque ipſo facto.

139 PROB. I. Tamdiu conſervat Deus juriſdictionem Prælato, quamdiu non prohibet cum eo communionem; ſed non propter quamlibet hæreſim prohibet communionem: Ad Titum enim habetur: non niſi poſt ſecundam correptionem Hæreticum eſſe vitandum; ubi verò interceſſit ſecunda correptio ab Epiſcopo facta, hæreſis eſt publica; antea erat privata. Maj. eſt certa. Quia unum ex potiſſimis fundamentis, quibus adverſarii probant per hæreſim amitti juriſdictionem, eſt ſeparatio communionis. Et ratio plana eſt, quia quamdiu non prohibetur communicatio, tamdiu obligamur ad reverentiam, & obedientiam: & ideo ad Heb. 13. dicitur: *Obedite præpoſitis veſtris, non ſolum modeſtis, ſed etiam diſcolis*: Et loquebatur pro illo tempore, quo ex majori parte infideles regebant provincias, implicat verò in terminis deberi obedientiam non Prælato: hinc *Cap. Audivimus 24. quæſt.* 1. -- Si autem in corde ſuo
„ novam hæreſim confinxerit, ex quo talia
„ prædicare cœpit, neminem damnare po-
„ tuit -- ex quo habetur, quod Epiſcopus, antequam doceat hæreſim, poſſit excommunicare, adeoque habere juriſdictionem.

Poteſtas juriſdictionis non amittitur ipſo facto per quamcumque hæreſim.

140 PROB. II. Si propter quamcumq. hæreſim amitteretur juriſdictio, ſine nova electione non poſſet recuperari, ut patet; ſed recuperatur ſine nova electione; ergo non amittitur. Min. declaratur: ſi Epiſcopus, vel Parochus labatur in hæreſim deliberate internam, vel etiam externam occultam, & ſtatim reſipiſcat per pœnitentiam, & abſolvatur a Confeſſario legitimo, ſecundum ſenſum communem Eccleſiæ ſine nova electione, quam non dat contritio, nec dare poteſt ſimplex Confeſſarius, remanet vere Epiſcopus, & Parochus; ergo.

14? PROB. III. Non eſt deterioris conditionis Epiſcopus, quam Princeps ſecularis; ſed Princeps ſecularis propter hæreſim etiam externam, ſed toleratam non amittit juriſdictionem in ſubditos, donec ſententia depoſitiva accedat; ergo neque Epiſcopus. Sicut enim non poſſumus convenire cum Principe ſeculari in hæreſi, ita neque cum Prælato; ergo ſicut in eo cetera acta valida ſunt, ſicut prius, & ſubditi ut Chriſtiani tenentur ſtare legibus fidei non repugnantibus, ita acta Epiſcopi tenebunt, & alii ſubditi tenebuntur legibus ab ipſo latis, Chriſto non contrariis: & ratio eſt, quia juriſdictio Principis radicaliter fundatur in natura, quæ æque ſtat cum fide, ac ſine fide; ſed etiam juriſdictio ſpiritualis radicatur in charactere, qui eſt indifferens ad fidem, & hæreſim; poteſtas in corpus myſticum oritur ex poteſtate in corpus reale Chriſti; unde nonniſi illi, qui initiantur charactere ordinis formaliter, vel prima tonſura, ſunt capaces juriſdictionis ſpiritualis.

141 PROB. IV. Juriſdictio ſpiritualis tribuitur Epiſcopis a capite Eccleſiæ mediate, vel immediate propter bonum Eccleſiæ tanquam propter ultimum finem; ſed homo poteſt in ordine ad alios uti inſtrumento arido, & ſeparato; ergo etiam Chriſtus uti poteſt inſtrumento arido circa operationes exercendas in bonum Eccleſiæ, quæ eſt ratio D. Th. 3. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. -- Sicut
„ operationes, quæ ſunt ad alterum poſſunt
„ aliquando fieri per membra arida, ut per-
„ cutere, vel aliud hujuſmodi, non tamen
„ operationes animæ in membris; ita nec
„ mali recipiunt operationes ſpiritualis vitæ
„ a Spiritu Sancto; ſed tamen Spiritus San-
„ ctus per eos operatur vitam ſpiritualem in
„ aliis, ſecundum quod aliis Sacramenta mi-
„ niſtrant, vel docent -- Explicatur vis argumenti; ideo amnittitur juriſdictio, quia ratio capitis particularis fundatur in fide; ſed fides ſupra quam fundatur, non eſt fides perſonalis, ſed communis Eccleſiæ: nam cum ratio capitis in id tendat, ut bonum fidei conſervetur per ſe primo, ſit, quod fides, in qua radicatur, ſit indefectibilis: & hinc oritur, quod poſſint Epiſcopi, ut perſonæ privatæ, Hæretici eſſe, & tamen, ut legitime conciliariter congregati, gaudere privilegio infallibilitatis: fides perſonalis neceſſaria eſt, ut Epiſcopus membrum ſit Chriſti, & Eccleſiæ, quia membrum in ſe ipſo recipere debet influxum. Stat ergo, quod Hæreticus non ſit membrum Eccleſiæ, & nihilominus ſit caput particulare.

142 DICES I. Implicat jure Divino fidelibus præeſſe, a quo Jus Divinum præcepit ſeparari; ſed præcepit ſeparari ab Hæreticis. Deut. 17., & 18. num. 16. Matth. 24. Luc. 21. v. 2. Theſſalon. 3. ad Col. 1. 2. Tim. 4.

RESP. neg. min. Loquendo de Hæreticis toleratis, & extra caſum hæreſis, juxta De-

Decretum Concil. Conſtantienſis permittentis communionem cum excommunicatis, non nominatim denonciatis, nec publice percuſſoribus Clericorum, nec deinde in his, in quibus contra legem Chriſti docent, & agunt, 2. ad Corinth. 6. dicente Apoſtolo: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli. qui autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?* Quibus locutionibus ſignatur etiam Hæreticum non eſſe membrum Eccleſiæ, ſicut tenebræ non ſunt partes corporis lucidi. Hinc patet ſolutio ad Gloſſam in *Cap. Audivimus*, dicentem Hæreticum excommunicatum non poſſe alios ligare: intelligitur enim de excommunicato non tolerato, qui proinde caret poteſtate juriſdictionis ligandi; & per conſequens non ſubſiſtit illatio, quæ fit, ſcilicet, Sacerdotem excommunicatum ab Epiſcopo occulte Hæretico poſſe in abſcondito celebrare; nam acta tolerati ſunt valida, ut conſtat ex conſtitutione Martini V. *Ad evitanda*; his patet etiam ſolutio ad Patres relatos in Canonibus: 1. *quæſt.* 7. *Can. Novatianos*, ubi ex Cypriano Hæreticus caret honore, & poteſtate: *quæſt.* 1. 24. *Can. Hæreticus*, ubi Hæreticus amittit perfectionem Spiritus, ideſt poteſtatem: *Cap. Quicumque*, ubi Hæreticus non poteſt abſolvere: *Cap. Didicimus*, ubi Hæreticus nullam habet poteſtatem: *Cap. Achatius* 24. *quæſt.* 1., ubi Hæreticus alios damnare nequit: intelliguntur enim de Hæreticis publicis; ita enim ſunt explicati determinatione Concilii Conſtantienſis.

Hæreticus non toleratus juriſdictione caret.

143 DICES II. cum Ulrico, Paludano, & Auguſtino de Ancona. I. Claves datæ ſunt Eccleſiæ, *Can. Quodcumque* 24. *quæſt.* 1. Ergo qui eſt extra Eccleſiam, non eas habet. Conſequens habetur *de pænit. diſt.* 1. *§. Nemo.* II. Claves datæ ſunt veris Sacerdotibus 24. *quæſt.* 1. *Can. Audivimus*, ſed hæreſis non habet veros Sacerdotes. III. Hæreticus caret unitate cum Eccleſia; ergo omni poteſtate nam membrum ſeparatum caret omni vitali virtute & ſenſu, & motu: 7. *quæſt.* 1. *Can. Novatianus*: S. Tho. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. IV. Membrum ſeparatum non poteſt eſſe caput, juxta illud Deut. 17. *Non poteris alterius generis facere Regem*; ſed Hæreticus eſt membrum ſeparatum; ergo nequit eſſe caput; quia debet in alios influere vitam fidei; principium vitæ eſt fides ad Heb. 10.; ergo diviſus a fide nequit in alios influere.

V. Prælatus, factus Hæreticus, eſt Antichriſtus; ergo ipſo facto exit Jo. 4.; ergo ſpoliatur cura Paſtorali; nam Chriſtus familiam ſuam tradidit ſervo fideli Lucæ 12. Hinc Aug. *Serm. de Paſtore* -- Manenti Petro dicitur, paſce oves meas: exeunti Hæretico, paſce hædos tuos -- Similia *in Epiſtola ad Vincentium*: Hæreticus non poterit amplius villicare. Lucæ 16. VI. Ad Prælatos ſaltem conciliariter ſumptos cauſæ fidei poſſunt deferri: ſed Hæreticis non ſunt deferendæ, cum ſint adverſarii fidei; ergo ſtatim deſinunt eſſe Epiſcopi. VII. Implicat quod idem ſit Paſtor, & lupus: ſed Hæreticus eſt lupus, Act. 20.; ergo deſinit eſſe Paſtor.

Hæc omnia ſoluta ſunt, quare non eſt neceſſe immorari; involvitur enim duplex æquivocatio, alia de Hæretico tolerato, altera de capite, & membro. Ad I argu ant. eſt falſum; alibi oſtendimus claves Petro datas, ſed eo dato, conſequentia non valet, niſi quando Eccleſia non tolerat, ſed aperte ſeparat: adde quod probat nec ordinem manere, cum ſit inter claves ſuo modo Ad II. conced. Si pro veris intelligantur vere conſecrati, ſed minor eſt falſa univerſaliter; nam inter aliquos Hæreticos dantur veri Sacerdotes, ideſt vere ordinati: ubi vero hi non dantur, non datur neque poteſtas; ſed non eſt caſus noſter. Ad III. Hæreticus toleratus unitate perſonali caret motu, & ſenſu & virtute vitali perſonali, ſecus miniſteriali. Ad IV. Membrum ſeparatum nequit eſſe caput per internum influxum conced., per externum, negatur; ſeu caput principale, conc., motum ab alio, neg.; non enim Epiſcopus fidem influit intrinſece, ſed extrinſece, & miniſterialiter docendo, ſuadendo: poteſt etiam docere non falſa, maxime quando occultus eſt, & in omnibus non errat.

Ad V. Conceditur anteced., & neg. conſ. loquendo de ſecunda, quia adhuc poteſt tolerari ab Eccleſia: fideli quidem ſervo commiſit familiam ſuam, ſed etiam prudenti; ſed ſi prudentia deſit, non illico privatur prælatione; ergo nec illico, ſi fidem amittat. Ad VI. Infallibilitas definitionum non fundatur in fide perſonali; unde adhuc ea carentes, ex Cathedra loquentes non errabunt. Ad VII. Implicat ſecundum idem lupus erit, ſi falſa docebit, Paſtor, ſi juſte judicabit, ſi vera dabit Sacramenta &c.

CONTROVERSIA IX.

AN ACTUALIS SUBJECTIO VICARIO CHRISTI SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ.

144 SChiſma ex verbo Græco ſciſſionem, & diviſionem ab aliquo corpore ſignificat; unde illi Chriſtiani, qui ab unitate corporis myſtici dividuntur, dicuntur Schiſmatici. Porro ſchiſma duplex eſt, compoſitum, & ſimplex, Compoſitum eſt, quod præter inobedientiam, errorem circa fidei veritates includit. Simplex, quod retenta fide vera, negat actualem obedientiam: ſentit quis dari veram Eccleſiam, ſentit Romanum Pontificem eſſe verum Eccleſiæ caput, ſentit, quidquid vera Eccleſia prædicat; ſed propter aliqua motiva negat præſtare ſubjectionem capiti viſibili, & Vicario Chriſti, ille dicitur ſimplex Schiſmaticus; ſi verò negationi ſubjectionis pertinacem adjungat adhæſionem alicui errori, tunc eſt Schiſmaticus compoſitus; quare omnis Hæreticus eſt Schiſmaticus, non autem omnis Schiſmaticus eſt Hæreticus. Eſt tamen quidem verum, quod ſchiſma eſt velut ultima diſpoſitio ad hæreſim, & flebilis experientia oſtendit, quod, quoties quis obſtinate cœpit perſiſtere in inobedientia, ipſus ſit in hæreſim. Sic Donatiſtæ ab initio ſeparaverunt ſe

Schiſma duplex.

a communione Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis ſub falſo prætextu excommunicationis ex eo, quod ei imputabatur, ſacros tradidiſſe libros; deinde in apertam hæreſim declinaverunt. Sic Græci dependentiam in conſecrandis Epiſcopis denegaverunt Romano Pontifici; deinde Primatus dignitatem ſibi arrogaverunt, eo etiam excommunicato. Præſens ergo difficultas in eo conſiſtit, an Schiſmatici ſimplices ad Eccleſiam pertineant, & ſint vera membra, id eſt, an qui actualem negant obedientiam Chriſti Vicario, fide integra retenta, ſint partes corporis myſtici Domini noſtri.

Novatiani, qui a legitima Fabiani Pontificis ordinatione ſe ſeparaverant, tenebant ſe intra veram Eccleſiam eſſe, Sacramentorum, & fidei communione, ut refert Cyprianus *Epiſt. 75. ad Magnum*.

Donatiſtæ pariter juſtam fingentes cauſam, ſe ab unione cum Eccleſia toto Orbe diffuſa diviſerunt, aſſerentes Eccleſiam apud ipſos manere: Sic Aug. *Epiſt. 48. ad Vincentium*. Fieldus Anglus *lib. 3. cap. 5.* aſſerit Græcos, & Schiſmaticos eſſe verè intra Eccleſiam; quos ſecutus eſt Marcus Antonius *lib. 3. de Republica Chriſtiana*, dicens *cap. 10. num. 42.* -- Habeant igitur ſingulæ Eccleſiæ
„ proprium Epiſcopum Catholicum fide, &
„ charitate, cum univerſo Epiſcoporum cœ-
„ tu, & conſequenter, cum tota Eccleſia
„ Catholica colligatum, & ipſæ cum eadem
„ ſint obligatæ, & hoc eis ad ſalutem æter-
„ num eſt neceſſarium -- rejiciens ſubjectionem ad Romanum Pontificem. Verum, cum illi appellare videantur ad Schiſmaticos mixtos, ad præſentem Controverſiam non videntur traducendi. Non deſunt tamen Catholici Scriptores, qui conſtituunt ſimplices Schiſmaticos extra Eccleſiam; unde videndum eſt, quid rectius ſentiendum.

145 DICO. Schiſmatici ſimplices ſunt abſolutè intra Eccleſiam, ac proinde de conſtitutivo Eccleſiæ non eſt actualis ſubjectio Romano Pontifici. Prob. is, in quo eſt integra forma conſtitutiva Eccleſiæ, eſt ſimpliciter intra Eccleſiam: ſed Schiſmatici ſimplices integram ſervant formam Eccleſiæ conſtitutivam; nam ſervant integram fidem, in qua integritate fidei profitentur Chriſti Vicarium, viſibile caput; non enim neceſſarius eſt, ad veritatem membri actualis motus, ſed ſufficit in ſe habere actu principium motus; unde non eſt neceſſe, quod actu obediat Papæ, ſed ſufficit, ut teneat, obediendum eſſe Papæ.

Simplices Schiſmatici ſunt intra Eccleſiam.

Explicatur I. Ideo de Eccleſia non eſſet Schiſmaticus ille, quia careret unitate Eccleſiæ; ſed non caret, nam forma, quæ dat eſſe, dat unitatem ſuam: ſed ille habet formam fidei; ergo habet unitatem. Ideo dicit S. Hieron. *in Pſal. 133.* -- Eccleſia eſt, ubi fides
„ vera eſt -- & ideo vidimus ſuperius Eccleſiam ab Innocentio, & Nicolao definitam, quod ſit *congregatio fidelium*. Ille porro eſt fidelis, & ſolemniter profeſſus per Baptiſmum, & in facie Eccleſiæ tenet leges Pontificis eſſe legitimas ſecundum ſe, ſed eis non vult obedire. Sicut ergo illis definitionibus excluduntur Hæretici, ita includuntur Schiſmatici.

Habet fidei unitatem.

II. Membrum proprium Eccleſiæ eſt,

A quod verum influxum recipit a Chriſto capite, & cum aliis membris connectitur, 1. ad Corinth. 12. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro*: Sed Schiſmaticus ſimplex recipit verum influxum a Chriſto, videlicet fidem veram medio Baptiſmate explicatam, colligatur cum aliis membris, quia cum illis ſentit in idipſum, admittit eadem Sacramenta, eoſdem ritus, eaſdem leges: unde ſicut directe eſt intra Eccleſiam, quicumque in Chriſtum credit, & in ejus præcepta, ſed actu ea non obſervat, ita directe eſt intra Eccleſiam, qui Vicario Chriſti credit, & ejus legi, ſed illi actu non obedit.

Schiſmatici ſimplices influxū a Chriſto recipiunt.

III. Proportionabiliter loquendum eſt de
B myſtico Eccleſiæ corpore, ac de Republica civili: ſed ex quo aliquis detrectat obedire ſuo Principi non deſinit eſſe Reipublicæ membrum, ſed meretur puniri; ergo non hoc ipſo, quod aliquis detrectat obedire Romano Pontifici, exit ab Eccleſia. Clamat Apoſt. ad Corinth. 1. cap. 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus: Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus*: ſpiritu ſcilicet veritatis.

Sunt membra Eccleſiæ.

IV. Ideo de Eccleſia non eſt; quia li-
C cet participet influxum interiorem a Chriſto, non tamen recipit influxum exteriorem a ſummo Capite viſibili militantis Jeruſalem; non enim audit Paſtorem: ſed hoc eſt falſum. Nam ſi Paſtor definiat aliquam veritatem fidei, ſi proponat aliquem Sanctum eſſe colendum, aliquam doctrinam circa mores; Schiſmaticus ille hiſce credit; ergo ſuſcipit influxum exteriorem. Lucæ 10. dicit Dominus: *Qui vos audit, me audit*: Sed, ut quis ſit ſub Chriſto, ſufficit, quod illum audiat in actu primo, ſcilicet, credendo, licet non audiat actu ſecundo, obediendo; ergo, ut quis ſit ſub Romano Pontifice, ſufficit, quod illum
D audiat in actu primo, licet in actu ſecundo non obediat.

Audiunt Paſtorem.

V. Si Schiſmaticus eſt extra Eccleſiam, maxime qui negat hunc hominem in individuo eſſe caput Eccleſiæ, provocatque alios ad non recipiendum eum, ejuſque decreta; hic enim videtur proprius Schiſmaticus: ſed ille etiam non deſinit eſſe de Eccleſia; ergo. Min. explicatur. Vel enim hunc non agnoſcit in individuo caput, quia ſcienter tenet nullum dari caput viſibile in Eccleſia, vel quia putat non eſſe legitime electum: ſicut de legibus: vel ideo rebellat, quia ſentit in legitime electo non dari poteſtatem eas ferendi: vel quia credit eſſe injuſtas, & nimis
E onerosas. Si primum, jam non eſt ſimplex Schiſmaticus, ſed ſimul Hæreticus. Si ſecundum, non exit ab Eccleſia, ſed errat in facto electionis; ſtat enim ſine hæreſi, quod non credatur ille legitime electus, & quod injuſtam ferat legem; ſicut accidit quandoque in viris perfectis, occaſione ſchiſmatum. Unitas Eccleſiæ multiplex eſt, nempe unitas principii vocantis: unitas finis conſequendi: unitas mediorum, ſcilicet Sacramentorum, & mandatorum: unitas ſpiritus vivificantis interius: unitas capitis exterioris dirigentis

Stat ſchiſma ſine hæreſi.

exte-

exterius: unitas membrorum ad invicem communicantium. Qui verò non errat in fide, has omnes unitates retinet in actu primo, & in habitu. Quare Schiſmaticus ſimplex revera eſt intra Eccleſiam, diſpoſitive extra; quia ſchiſma eſt valde proxima, & ultimò impellens occaſio hæreſis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

146 OBJIC. I. Eccleſia aſſimilatur reti miſſo in mare ante Chriſti paſſionem, quod ſcindebatur: ſed fractio retis eſt ſchiſma, juxta illud Aug. *tract.* 122. *in Joan.* — Ibi recte propter ſignificanda ſchiſ„ mata rumpebatur — ergo Schiſmatici exeunt de Eccleſia.

RESP. neg. min. Si intelligitur de ſchiſmate ſimplici; non enim hoc rompit rete, cum fidem non frangat. Aug. loquitur de Schiſmaticis facientibus conventicula particularia, non autem de illis, qui, integra compage veritatis chriſtianæ, tumultuantur; hi enim aſſimilantur piſcibus, quia intra rete inſurgunt, & moventur, incitantque alios tumultuoſe: & ideo Aug. *lib. qu. Evangel. in Matth. quæſt.* 11. — Solet autem etiam quæri, „ Schiſmatici quid ab Hæreticis diſtent: & „ hoc inveniri, quod Schiſmaticos non fi„ des diverſa faciat, ſed communionis diſru„ pta ſocietas — Compagem charitatis, & obedientiæ actualis lædit ſchiſma, non ſubſtantialem Eccleſiæ unitatem.

Schiſma, quam unitatem tollit.

147 OBJIC. II. Qui ex parte Chriſti non eſt, ad Eccleſiam non pertinet, Lucæ 11. *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*: Sed Schiſmatici cum Chriſto non colligunt, & contra ipſum ſunt; ergo ex parte ejus non ſunt; ergo extra Eccleſiam.

RESP. Dupliciter poteſt quis eſſe ex parte Chriſti; vel fide, & dilectione; vel ſola fide, & ex adverſo contra Chriſtum. Qui non eſt cum Chriſto nec fide, nec charitate, omnino diſpergit, & eſt extra Eccleſiam conſtitutus, & hæreticus, quo ſenſu accipit hunc locum Cyprianus *lib.* 1. *Epiſt.* 12. — Omnes „ Hæreticos, qui ſecum non eſſent, & ſe„ cum non colligentes gregem ſuum ſparge„ rent, adverſarios ſuos oſtendit — Qui verò ſola charitate non eſt cum Chriſto, non colligit pro vita æterna, ſed diſpergit, perdens operum ſuorum fructum. Schiſmatici ſimplices hoc modo non ſunt cum Chriſto; ſed, cum ſint media fide, ideò ſunt intra Eccleſiam. Quia tamen ſunt tumultuoſi, juxta illud Iſaiæ 3. *Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem*, ideo Regnum eorum deſolabitur, id eſt, in hæreſim declinabunt, & interibunt, Oſeæ 10. *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt*. Div. Thom. *in cap.* 12. *Matth.*

Dupliciter quis cum Chriſto.

148 OBJIC. III. Gravius eſt per ſchiſma recuſare obedientiam ſummo Paſtori, quam fraternam Eccleſiæ correptionem non admittere; ſed iſti habentur tanquam Ethnici. Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit; ſit*

A *tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; ergo illi ſunt abſolute ut publicani, quod eſt argumentum Cypriani ad Magnum — Si autem, „ qui Eccleſiam contemnunt, Ethnici, & „ Publicani habentur, multo magis utique „ rebelles, & hoſtes —

RESP. Locus iſte juxta mentem Cypriani eſt de rebellibus per hæreſim admiſſam, unde ſubdit — Falſa Altaria, & illicita Sa„ cerdotia, & Sacrificia ſacrilega, & nomi„ na adulterata fingentes, inter Ethnicos, „ & Publicanos, neceſſe eſt, computentur: „ quando minora peccantes, & tantum Ec„ cleſiæ contemptores, Ethnici, & Publica„ ni ſententiâ Domini judicantur — Et ſic

B argumentum a minori ad majus non tangit difficultatem præſentem. Ceterum Evangelicus locus litteraliter eſt pro illis, qui reſiſtentes Paternæ admonitioni excommunicatione plectuntur a Prælatis Eccleſiæ: D. Thom. ibidem — Unde quaſi ſeparati excommuni„ centur per ſententiam Eccleſiæ —

Reſiſtentes Prælatis excommunicandi.

149 OBJIC. IV. 1. ad Corinth. 12. Myſticum Corpus Eccleſiæ aſſimilatur corpori naturali: ſed in corpore naturali non eſt membrum, quod non communicat cum aliis membris; ergo etiam in myſtico: ſed Schiſmatici non communicant cum aliis, ibidem. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro*

C *invicem ſollicita ſint membra*; Schiſmatici enim ſibi vivunt, cum capiti non ſubjiciantur. Non communicaret auris oculo, ſi ſibi ſoli audiret: ubi liber, qui Anſelmo tribuitur, in hunc locum — Unumquodque eorum non „ ſibi ſoli, ſed & ceteris proprium agit offi„ cium; cum enim dicit auris, oculus mihi „ videt: oculus dicit; auris mihi audit &c. „ Sic & filii Eccleſiæ, id eſt membra Eccle„ ſiæ debent agere —

RESP. neg. ſubſumptum. Nomen hoc ſchiſma apud D. Paulum in illa Epiſtola accipitur, prout opponitur unitati fidei cap. 1. *Ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis*

D *ſchiſmata*: tum & prout opponitur charitati cap. cit. 12. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra; & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*: ſicut in naturalibus, languente uno membro; totum corpus languet. Schiſma primò modo acceptum extrahit ab Eccleſia, ſecus ſecundo modo, ſed ſolum pacem turbat. Si omnino ſtare paritati volumus corporis naturalis, in ſchiſmate veniret hæreſis: dicit enim D. Thom. in hunc locum — Sed quantum ad membra „ corporis naturalis ſchiſma eſſet in corpore,

Schiſma charitati opponitur.

E „ ſi debita proportio membrorum tolleretur — Debita porro proportio in myſtico corpore conſiſtit in eo, quod admittatur ordo a Chriſto præfixus, id eſt, quod credatur caput viſibile eſſe ceteris ſupremum; quod Prælatis debetur præſidentia, ſubditis ſubjectio; Hæreſis hoc ſolum tollit; ergo per hæreſim fit ſchiſma hujuſmodi.

150 OBJIC. V. Eodem modo Apoſtolus dicit tenendam eſſe unitatem corporis Eccleſiæ, quo tenenda eſt unitas Domini Dei, & Baptiſmi: ad Epheſ. 4. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. *Unum*

corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus: Sed, qui ſcindit unitatem Domini Dei, & Baptiſmi, extra Eccleſiam conſtituitur; ergo etiam qui rumpit unitatem corporis: hanc rumpit Schiſmaticus, pacem turbans; ergo conſtituitur extra Eccleſiam.

RESP. negando conſeq. Quia ſchiſmaticus ſimplex non rumpit ſimpliciter unitatem corporis: rumpit tamen perfectionem corporis; unde lædit corpus, ac proinde a corpore non exit: ſicut membrum læſum naturale ſimpliciter eſt de corpore. Poteſt tamen dici exire ſecundum quid, quatenus exit a numero pacificorum. Doctrina eſt Aug. *lib. de fide, & ſymbolo cap.* 10. -- Hæretici, & Schiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant; „ ſed Hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam „ fidem violant; Schiſmatici autem diſſenſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt, „ quamvis ea credant, quæ credimus: quare nec Hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, nec Schiſmaticus; quia non „ diligit proximum -- Ubi clare vides Hæreticum abſolute exire, cum frangat omnem unitatem, Schiſmaticum autem ſecundum quid, cum unitatem perfectionis dirimat, eſt tamen in proximo ad totalem ruinam, docente D. Thom. *in cap.* 12. *Matth.* illud explicans -- (Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur:) unde ſicut vita in quolibet homine, ita pax in Regno: ſicut ſanitas nihil eſt, niſi temperantia humorum, ſic „ pax eſt, cum unumquodq. retinet ordinem „ ſuum: & ſicut recedente ſanitate tendit „ homo ad interitum, ſic de pace, ſi a Regno diſcedit, tendit ad interitum. Unde „ ultimum, quod attenditur, eſt pax. Unde Philoſophus, ſicut Medicus ad ſanitatem, ſic defenſor Reipublicæ ad pacem -- Quando vero Apoſtolus dicit: *ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Non eſt ſenſus, quod unitas fundamentalis conſtitutiva Eccleſiæ in ipſa pace formali conſiſtat, ſed indicat, quod modus ſervandi unitatem ſit pax ipſa, ut advertit ibidem Sanctus Thom. qui poſtea lect. ſequenti, explicat, qualis ſit unitas Eccleſiæ. Niſi cum Aug. dicamus: pacem eſſe tranquillitatem modi, ſpeciei, & ordinis -- Quando ſcilicet unuſquiſque ha„ bet, quod ſuum eſt -- hoc eſt, conceditur Papæ poteſtas, quæ ſua eſt, Prælatis, quæ ſua; & cetera creduntur ſub ſuo ordine: quo ſenſu pax idem eſt, quod fides debite credens.

Schiſmaticus extra Eccleſiam ſecundũ quid.

151 OBJIC. VI. Scriptura appellat Eccleſiam unum ovile, unam ſponſam, unam amicam: ſed Schiſmaticus ſcindit, quod erat unum, in partes, quia ſchiſma ex nomine græco ſciſſuram ſignat: ergo Schiſmatici non ſunt de Eccleſia, nec in Eccleſia.

RESP. Nomen ſchiſmatis æque applicatur ſciſſuræ frangenti unitatem primordialem, ac ſciſſuræ importanti ſimplicem diſſenſionem: dicitur Lucæ 22. v. 24. *Facta eſt autem, & contentio inter eos*, &c. ideſt Apoſtolos contendentes de primatu; (quod genus contentionis vocatur ſchiſma Joan. 9. *Schiſma erat inter eos* ſcilicet phariſæos altercantes circa reſtitutum viſum cæco nato,) qui tamen Apoſtoli non deſierunt eſſe de Corpore Chriſti, ita illi tumultuantes, qui præciſe ob motiva particularia nolunt in acto Romano Pontifici obedire, provocantque alios ad idem, ſed tamen ſincere credunt Papam legitimum eſſe Chriſti Vicarium, habere legitimam poteſtatem &c. Sciſſoræ ſunt, ſed intra Eccleſiam.

Sciſſura quædam intra Eccleſiam.

152 OBJIC. VII. *Can.* 32. *Apoſtolorum*, habetur -- Presbyter, qui Epiſcopum „ ſuum contemnens nihil habens, quo circa „ pietatem reprehendat, Epiſcopum ſeorſim „ collegerit, aliud altare erigendo, poſt tres „ Epiſcopi obſervationes, eſt deponendus -- Idem in Calcedonenſi Concil. *act.* 4. *in Epiſt. Archimandrita ad Concilium* -- Qui ſeipſum „ a communione ſuſpendit, & collectam „ facit, & altare conſtituit, & voluerit vo„ canti Epiſcopo contraire &c. hunc omni„ no damnari, nec unquam oblationem me„ reri, nec recipere eum poſſe honorem -- Sed hic enumerati ſunt Schiſmatici; ergo ſecundum doctrinam Apoſtolorum, & Concil. ſunt ab Eccleſia ſeparati.

RESP. Secundum Scripturam, & Patrum ſenſum altare conſtruere contra altare ſignificat diviſionem in doctrina ſubſtantiali, & lege: unde de Roboam dicitur, altare erexiſſe contra altare, quando in excelſis idololatrica juſſit fieri ſacrificia, & qui hoc modo altare dividunt, non ſunt ſimplices Schiſmatici. In alio vero ſenſu in Canonibus *altare diverſum habere* quandoque accipitur. Sciendum eſt ſecundum uſum antiquum, unum in Eccleſiis fuiſſe altare, in quo una ſolemnis ab Epiſcopo celebrabatur Miſſa, in qua præſentes præcipue miniſtrantes de Ordine Eccleſiaſtico communionem ſumebant, & laici diebus Dominicis, de qua re ex profeſſo Thomaſinus de beneficiis: quod & notæ Binii in cap. 5. Concil. primi Antiocheni, & notæ Synopſis Conciliorum Orientalium Œcumenicorum &c. in can. 9., & 10. Apoſtol. inſinuant. Quando Epiſcopus notorie erat ſuſpectus, non communicabant cum eo, nec ſacro aderant. Can. ergo Apoſtolicus præcipit, ut, qui ſine cauſa Presbyter noluerit ſui Epiſcopi ſacrificio adeſſe, ſed in alio altari ipſe celebraverit; prævia triplici admonitione, pœna excommunicationis puniatur, Clerici deponantur, & laici conſentientes ſegregentur. Quare iſti non erant extra Eccleſiam, niſi quomodo excommunicati, vel nonniſi poſt ſententiam Eccleſiæ ejicientis. Actio vero quarta Calcedonenſis loquitur occaſione Monachorum Ægyptiorum, qui nolebant dogmatibus Concilii conſentire, ac proinde de Schiſmaticis hæreſim profitentibus. Quia tamen deſumptus eſt Canon ex Concilio Antiocheno Can. 5. qui loquitur de inobedientibus Epiſcopo, ſubjiciendis excommunicationi, ideo explicationem ſuperius traditam habet.

In Eccleſiis olim. nonniſi unum Altare.

153 OBJIC. VIII. Judicium Sedis Apoſtolicæ prævalet contra Judicium Doctorum; ſed Sedes Apoſtolica declarat Schiſmaticos eſſe extra Eccleſiam; ut patet 24. *quæſt.* 1. *Can. Schiſma* -- In unitate ſciſſura eſſe non „ poteſt; non ergo unitati communicant, „ qui ſchiſmati communicant -- Et *Can. Auden-*

denda : ibidem -- Pudenda , ut ita dicam , „ rapina , in diviſione eſt , non conſecratus , „ ſed execratus Epiſcopus -- ergo .

RESP. neg. min. Quam non evincunt indocti Canones , qui loquuntur de ſchiſmaticis compoſitis , ut ſola expenſione liquet : agitur enim in primo de quodam , qui indifferenter utebatur ſacrificiis Catholicorum, & Schiſmaticorum Hæreticorum, conabaturque ſuadere hoc licere triplici cauſa : Quia mali tolerandi ; quia diù in delicto fuerat ; quia ignorantia juris præceſſerat ; quæ omnia reprobat Palagius. Vide Gloſſam . In ſecundo *Can. Pudenda* : agitur de violata legitima conſuetudine ordinationis mutuæ Aquilejenſis, & Mediolanenſis Præſulis ; in hæreſim enim lapſi non ſervabant jus antiquum expectandi conſanſum Clericorum illius Eccleſiæ , cujus Præſul conſecrabatur ; & de his duobus reprehendit , quod in ſchiſmate mixto conſecratio fuerit facta , & contra antiquam conſuetudinem . Vocat poſtea execrationem , quia illicite factam ordinationem .

154 OBJIC. IX. Contra ſenſum univerſalis Eccleſiæ non eſt ſentiendum : ſed communis ſenſus Eccleſiæ tenet Schiſmaticos eſſe extra Eccleſiam ; nam pro Hæreticis, & Schiſmaticis orans in die paraſceves , Deum deprecatur -- Ut ad Sanctam Ma„ trem Catholicam Eccleſiam , atque Apo„ ſtolicam revocare dignetur -- Hoc credendum eſt tenuiſſe Concil. Trident. quatenus Catechiſmus Romanus Symbolum explicans conſone ad doctrinam Concil. habet -- Hæ„ retici verò , atque Schiſmatici , quia ab „ Eccleſia deſciverunt -- ſunt ergo exciſi .

RESP. neg. min. Nec de ſimplicibus Schiſmaticis ſermo eſt ibidem , quod & ipſa conjonctio indicat ; & ſignum evidens , quod ipſa oratione propria , & directa habetur -- „ Reſpice ad animas , diabolica fraude de„ ceptas , ut omni hæretica pravitate depo„ ſita , errantium corda reſipiſcant -- Quæ dicta ſunt communiter pro Hæreticis , & Schiſmaticis in titulo poſitis ; & Catechiſmus ſubdit -- Neque enim illi magis ad Eccle„ ſiam ſpectant , quam transfugæ ad exer„ citum pertineant -- Transfuga porro ille eſt , qui cingulum Militiæ deſerit , fidem videlicet .

Eccleſia orat pro Schiſmaticis.

155 OBJIC. X. Patrum traditio docet Schiſmaticos eſſe extra Eccleſiam ; ergo. Irenæus *lib. 4. cap. 62.* cum dixiſſet virum ſpiritualem judicare Hæreticos , enumeratiſque hæreſibus , docet judicare etiam Schiſmaticos , quos vocat immanes , dilectionem Dei non curantes , magis propriam utilitatem , quam unitatem Eccleſiæ curantes , corpus magnum Chriſti dividentes . Tertullianus *de præſcriptionibus cap. 5.* -- Hæreſes ve„ rò non minus ab unitate divellunt , quam „ ſchiſmata -- Cyprianus *Epiſt. 55.* Loquens de ſubjectione ad Epiſcop. -- Cui , ſi ſecun„ dum magiſteria Divina obtemperaret Fra„ ternitas univerſa , nemo diſſidio unitatis „ Chriſti Eccleſiam ſcinderet -- *Epiſt. 65.* Hortans Diaconum ſuo Epiſcopo ſatisfacere , adducit mala , quæ ex inobedientia progerminant -- Sic de Eccleſia receditur ; ſic Al„ tare profanum foris collocatur ; ſic con„ tra pacem Chriſti , & ordinationem , & „ unitatem Dei rebellatur -- *Epiſt. 69.* declarans Eccleſiam eſſe Sacerdoti adunatam , ait -- Unde ſcire debes Epiſcopum in Ec„ cleſia eſſe , & Eccleſiam in Epiſcopo ; & „ ſi qui cum Epiſcopo non ſint , in Eccle„ ſia non eſſe --

Chryſoſt. *Homil. in Epiſt. ad Epheſ.* 11. -- „ Quemadmodum enim , ſi manus fuerit a „ corpore dimiſſa , ſpiritus a cerebro deſcen„ dens , atque in illam ſe ſe effundere quæ„ rens , ſi non invenit in corpore , extra „ illud utique nec exibit &c. -- Loquuntur porro Patres de Schiſmaticis . Hieronymus *in cap. 1. Amos* -- Schiſmatici ſeparant qui„ dem deceptam multitudinem ab Eccleſia „ Dei ; tamen hoc non faciunt credulitate , „ qua Hæretici -- *in cap. 3. ad Tim.* -- In„ ter hæreſim , & Schiſma hoc intereſſe ar„ bitramur ; quod Hæreſis perverſum dogma „ habeat , Schiſma propter Epiſcopalem diſ„ ſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet -- Aug. *de vera Relig. cap. 4.* de Schiſmaticis loquens dicit , quod poſſet eos area Dominica uſque ad tempus ventilationis portare -- „ Niſi vento ſuperbiæ , nimia levitate ceſſiſ„ ſent , & ſe a nobis ultro ſeparaſſent -- idem *Ep. 4.*

Optatus *lib. 1. contra Parmenianum* de Schiſmaticis , ait -- Deſerta Matre Catholi„ ca impii filii , dum foras excurrunt , & ſe „ ſeparant -- *Et lib. 2.* comparat ramis , rivulis , & radiis præciſis ab arbore , fonte , & Sole . Fulgentius *de Fide ad Petrum cap. 39.* -- Firmiſſime tene , non ſolum &c. & Schiſ„ maticos , qui extra Eccleſiam Catholicam „ præſentem finiunt vitam , in ignem æter„ num ituros -- Sanctus Gregorius *lib. 7. regiſtri cap. 9.* ſcribens Baſilio ſupponit Schiſmaticos eſſe extra Eccleſiam , cum jubeat , ut non repellat ad unitatem Eccleſiæ redire volentes . Et Ambroſ. *Orat. de Satyro fratre* -- „ Tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant Luciferiani , quamdum Hæretici .

RESP. neg. min. Loca autem adducta facile communiter ſolvuntur , fore intelligenda de Schiſmaticis mixtis ; unde fere ſemper conjungunt Hæreticos, & Schiſmaticos. Quia tamen ſunt aliqua , quæ videntur contrapoſitive dicta ; ideo duo ſunt advertenda , & ad rem ſcitu digna . Primum eſt : Schiſma frangens unitatem eſſentialem eſſe, quod extollitur contra caput , non ſimpliciter inobediendo , & ad inobedientiam alios provocando , ſed etiam negando capiti , quod ſuum eſt , media hæreſi ; & hæc propriu nomine Schiſma dicitur , contrapoſitive ad hæreſim ſimplicem , quæ verſatur circa alia myſteria , caput non tangentia ; & quia corpus Eccleſiæ unum eſt , unitate fidei ſubordinata primæ regulæ declaranti , ideo ſpecialiter dicitur frangere unitatem .

Secundum eſt ; Schiſma ſumi poſſe , in initio , & conſummate . Sub initio ſolet importare ſolam tumultuationem circa executionem actualem debitæ obedientiæ , quæ , cum contumax ſit , ad hæreſim trahit , & conſummatur per illam . Hinc doctrina familiaris eſt apud Patres , Schiſmata eſſe hæreſum originem . Cyprianus *priore loco cit.*

Hæ-

Hæreſum Matrem, inobedientiam erga Sacerdotem declarat, cum ait -- Nemo ſibi placens, ac tumens, ſeorſum foris novam hæreſim conderet; ſi Sacerdoti obtemperaret univerſa fraternitas -- *Et loco ſecundo* -- Hæc ſunt enim Initia Hæreticorum, & ortus, atque conatus ſchiſmaticorum male cogitantium, ut ſibi placeant, ut Præpoſitum ſuperbo tumore contemnant -- Similia alii Patres. Porro quando dicunt Schiſma ab Eccleſia excludere, loquuntur de Schiſmate conſummate accepto. Accipe egregiam doctrinam Hieronymi *ad Titum* 3. Immediate ad verba cit. habet -- Quod quidem in principio aliquis ex parte intelligi poteſt diverſum. Ceterum nullum Schiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur -- In cap. Amos, ſi vis enim intelligere de ſimplici Schiſmate, cogeris dicere (in ly ſeparant, abrumpunt, dividunt) intelligere ſciſſuram, quæ diſſenſio, & diſcordia, ac communiter appellatur; tum, quia dicit -- In eadem Regula Fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos ſuos, & gloriæ nomen in poſteros mittere -- quibus ſignificat motivum, ſcilicet, ambitionis, quo moventur, tum quia filiis Ammon Schiſmaticos comparat, qui (populus meus) interpretatur: ſi ergo Schiſmatici ſunt populus Dei, extra Eccleſiam non ſunt, tum quia, dum de Hæreticis agit, quibus Schiſmaticos contraponit, dicit -- Qui non ſolum populum Dei ab Eccleſia diripuerunt, ſed & contriverunt eum -- quia fundamentum diſſolvunt, ideſt fidem.

Clare pariter Chryſoſtomus *hom. cit.* loquitur, de quavis diſſenſione inter ſubditos, & Epiſcopos, & ceteros Chriſtianos inter ſe, quæ non extrahit ab Eccleſia abſolute, ſed ſecundum quid, ideſt a vinculo charitatis. Quid Aug. ſentiat de ſimplicibus Schiſmaticis, jam vidimus: addamus tamen ex *quaſt.* 11. *in Matth.* -- Sed utrum inter zizania numerandi ſint? dubitari poteſt. Magis autem videntur ſpicis corruptis eſſe ſimiliores; ſicut ſcriptum eſt: vento autem corrumpetur filius iniquus, vel paleis ariſtarum fractis, vel ſciſſis, & de ſegete abruptis -- Paleæ de ſegete abruptæ, vel ſciſſæ ariſtæ, ut patet, in area ſunt.

Gregorius expreſſe loquitur de ſchiſmate proprio ſeparationis a Sede Apoſtolica, debita negata fide *ex lib. 10. Regiſtri*: & patet etiam ex formula juramenti adhibenda ab illis, qui ex ſchiſmate redeunt, recitato *Can. Quoties* 1. *quaſt.* 7., ubi Gloſſa -- In hoc Can. continetur, qualiter jurare debent revertentes ab Hæreſi -- Amb. dicit illos Deo fidem tenuiſſe, ſed non agebant fidei conformia, erantque velut quidam artus lacerati, ſed non diviſi -- Cujus (Eccleſiæ) patiebantur, velut quoſdam artus dividi, & membra lacerati -- Supra dicta tamen declaramus intelligenda eſſe juxta opinionem, quam aliqui probabiliter docent, ſine præjudicio ſententiæ tutioris.

CONTROVERSIA X.

AN SOCIETAS SIT DE CONSTITUTIVO ECCLESIÆ.

Triplex Societas inter homines.

156 SOcietas inter homines triplex eſt. Prima naturalis, qua invicem communicant in rebus ad externam politiam temporalem ſpectantibus, ut in mercaturis, ſalutationibus, menſis, & ſimilibus, & hæc ſocietas non eſt propria fidelium, ſed indifferenter convenit infidelibus. Secunda ſpiritualis, quæ in gratia, & charitate conſiſtit, & eſt propria fidelium juſtorum. Tertia Eccleſiaſtica, qua fideles communicant in Sacramentis, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Cum excommunicatio ſaltem ex jure poſitivo, privet prima, & tertia ſocietate: hinc oritur difficultas, an excommunicati ſint intra Eccleſiam, ac proinde an ſocietas ſit de conſtitutivo Eccleſiæ. Ad cujus intelligentiam advertendum eſt, excommunicationem poſſe eſſe invalidam, & validam. Invalida erit, ſi a Judice incompetenti feratur, vel abſque ſufficienti delicto, aut debitis conditionibus: accidere tamen poteſt, quod in re ſit invalida, quia, qui ea innodatur, non peccavit mortaliter, in foro tamen exteriore, & contentioſo ſubſiſtat, utpote ſecundum allegata, & probata. Valida eſt, cum fertur a convenienti Judice circa debitam materiam ſub debitis conditionibus. Porro excommunicatio duplex eſt, major, & minor. Major eſt cenſura Eccleſiaſtica privans paſſiva ſuſceptione Sacramentorum, & activa adminiſtratione, nec non converſatione fidelium &c. Minor, quæ privat ſuſceptione Sacramentorum, & electione ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum &c. Crimen, propter quod incurritur, eſt hæreſis, & quodlibet aliud grave peccatum exterius conſummatum. In præſenti ſermo eſt de excommunicatione majore, valida, & propter peccatum grave extra hæreſi. His poſitis

Dico. Societas non eſt de conſtitutivo Eccleſiæ, quare excommunicati ſunt vere de Eccleſia, & membra illius.

Excommunicati ſunt de Eccleſia.

157 PROB. I. Qui revera eſt de numero fratrum, revera eſt de Eccleſia: ſed excommunicatus revera eſt de numero fratrum; ergo revera eſt de Eccleſia. Min. habetur 2. ad Theſſalonic. ultimo: *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem*. Qui locus communiter pro excommunicationis pœna ſumitur, ſub qua fidelis frater eſt, & non inimicus: unde ly *frater* non eſt terminus urbanitatis, cum ibi & contrapoſitive dicatur ad inimicum, & locutio non dirigatur ad excommunicatum, ſed ſit doctrinalis, & admonitoria, ſeu inſtructoria, ubi D. Thom. -- Corripite ut fratrem; in quo oſtenditur charitas -- Pſal. 32. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*. Quibus denotat excommunicatum eſſe de corpore Eccleſiæ.

158 PR. II.

Digitized by Google

158 PROB. II. Qui per verum influxum communicat cum capite, & ceteris Eccleſiæ membris, revera eſt intra Eccleſiam: ſed excommunicatus revera influxum permanentem recipit a capite, cum recipiat fidem, immo charitatem, frequenter enim accidit, vel quod excommunicatio ſit ſolum exterius valida, vel quod excommunicatus ante abſolutionem de crimine legitime conteratur. Communicat in eadem fide, & charitate, cum ceteris, & quidem etiam viſibiliter, cum recepti Baptiſmatis retineat characterem, & ore fidem profiteatur. Utitur Sacramentalibus, ut ſigno Crucis, tunſione pectoris, & ſimilibus, quæ ſunt propria Eccleſiaſticæ inſtitutionis inſtrumenta. Subditur etiam in actu quibuſdam propriis Eccleſiæ legibus, ut jejuniis Eccleſiaſticis, Officio Divino, quamvis licite in eo recitando nequeat dicere: *Dominus vobiſcum*: ſubditur decimarum ſolutioni, Orationis Dominicæ recitationi, ſubditurque etiam in ipſa excommunicatione, ſuis Prælatis, ſi eam patienter recipiat, & fideliter adimpleat ea, ad quæ tenetur ex vi illius. Aſſiſtere poteſt publicis Concionibus, ut habetur *cap. Reſponſo*. De ſententia excommunicationis.

Excommunicatus influxum habet a capite.

159 PROB. III. Excommunicatio contra fidelem lata eſt pœna medicinalis: ſed per pœnam medicinalem non intenditur, nec poteſt intendi exclusio ab Eccleſia; ergo. Maj. eſt communis, & habetur 24. *quæſt.* 3. *Can.* -- Corripiantur itaque a præpoſitis, ſubditi „ fratres correptionibus de charitate venien„ tibus, pro culparum diverſitate, diverſis, „ vel minoribus, vel amplioribus; quia & „ ipſa, quæ damnatur, nominatur, quam ſa„ cit Epiſcopale judicium (qua pœna in Ec„ cleſia nulla major eſt.) Poteſt, ſi Deus „ voluerit, in correptionem ſaluberrimam „ cedere -- Minor clare patet -- Flagellat „ enim omnem filium, quem recipit -- Pater Deus, ita & Mater Eccleſia. Quis credat Patrem e corpore familiæ filium ejicere; quem cubiculo includit, ne cum aliis communicet; volens capacem facere hereditatis? Quis dicet Medicum caput, aut brachium a corpore proſcindere, quod curat?

Excommunicatio est medicinalis pœna.

160 PROB. IV. Sicut inter Adultos nullus niſi volens Eccleſiam ingreditur, ita nullus invitus ad eam revertitur (interiori reverſione uniſiva corpori) ſed invitus poteſt quis a vinculo excommunicationis abſolvi, ut communiter conceditur; ergo antea non erat extra Eccleſiam; & licet ſic abſolutus nequeat licite recipere Sacramenta, non inde provenit, quia extra Eccleſiam maneat, ſed quia eſt in peccato, nolens reconciliari, quod impedimentum eſt commune peccatoribus ſingulis.

Invitus poteſt abſolvi ab Excommunicatione.

161 PROB. V. Aſſimilatur Eccleſia Civitati, & Regno: ſed non amittit rationem Civis, qui ad tempus a conſortio civium ſeparatur per pœnam carceris, vel exilii, quia retinet privilegium a Republica collatum, vel principium originis, ergo neque amittit rationem partis, & membri Eccleſiæ, qui per excommunicationem ſeparatur a conſortio Fidelium; quia retinet principium, & formam primordialem, fidem videlicet, & quandoque charitatem. Sicut ergo pura, & ſimplex communicatio converſationis ad tempus cum civibus Romanis in domibus, plateis, negotiationibus, & ſimilibus, non conſtituit civem, ut patet in Advenis, ita ſimplex, & pura communicatio Eccleſiaſtica non conſtituit Eccleſiæ civem.

Hinc optime Aug. *in collat.* 3. *diei contra Donatiſtas cap.* 20. docet -- Neque enim „ a populo Dei ſeparamus, quos vel degra„ dando, vel excommunicando ad humili„ rem pœnitendi locum redigimus -- Quibus ultimis verbis optime declarat, quid ſit excommunicare, ſcilicet, aſſignare locum humiliorem ad pœnitendum: non ſunt ergo extra Eccleſiam, ſed ſunt in loco pœnitentiæ.

Excommunicati in loco pœnitentiæ.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM SOLVUNTUR.

162 OBJIC. I. Neceſſe eſt verificari ſcripturas, & figuras, quæ præceſſerunt in veteri lege: ſed non verificantur, ſi excommunicati ſint intra Eccleſiam; ergo. Min. declaratur. Qui non obtemperabat Sacerdoti, aut extra caſtra lapidibus obruebatur, aut occidebatur: in hac autem ejectione figurabatur excommunicatio, ut docet Cyprianus *lib.* 1. *Epiſt.* 15. -- Nunc autem &c. „ ſpirituali gladio ſuperbi, & contumaces „ necantur, de Eccleſia ejiciuntur -- Sic alii Patres.

RESP. Duplex datur inobedientia erga Sacerdotes, una contumaciter denegans debitam eis poteſtatem, altera ſimpliciter non præſtans reverentiam in præceptorum adimpletione; quando excommunicatio pro prima fertur, declarat excommunicatum eſſe extra Eccleſiam; quando fertur pro ſecunda nec extrahit, nec declarat extractum, ſed ſolum impedit actualem paſſivum, & activum Sacramentorum, & commercii &c. In veteri lege aliquando criminoſi extra caſtra ponebantur abſque lapidatione, aliquando cum lapidatione. Primi ſeparabantur ad tempus, ſed non erant ſimpliciter extra Synagogam. Secundi ſimpliciter ſeparabantur. Primo generi correſpondet excommunicatio lata contra Fideles. Secundo generi lata contra Hæreticos. Hanc diſtinctionem tangit Hieronymus *Epiſt. ad Elìodorum cap.* 7. -- Nunc verò „ inobediens ſpirituali mucrone truncatur, „ aut ejectus de Eccleſia rabido Dæmonum „ ore diſcerpitur -- Affert locum Deut. 13. *Auferet malum de medio*. En quomodo diſtinguit excommunicatos abſque ejectione ab Eccleſia, & cum ejectione, & ſecundam ejectionem concedit in fide deficientibus; locus enim Deut. loquitur de iis, qui audiunt falſos Prophetas falſa docentes, & qui deſcendunt ad Deos alienos. Concedimus quidem quandoque ſimplices inobedientes fuiſſe in lege veteri occiſos: Eccleſia, in qua eſt lex dilectionis, medicinaliter curans mitius ſe habet; & quando opus eſt, ſeveriori utitur diſciplina.

Duplex genus inobedientiæ.

163 OBJIC. II. Ethnici non ſunt Eccleſiæ membra: ſed excommunicati ſunt velut

lut ethnici : juxta illud Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*; ergo ſunt extra Eccleſiam: unde Aug. *ſerm. 16. de verbis Domini* -- Sit tibi „ ſicut Ethnicus, ideſt, noli illum deputare in numero fratrum tuorum, nec ſic tamen ſalus ejus negligenda eſt; nam, & ipſos Ethnicos, ideſt gentiles, & paganos in numero quidem fratrum non putamus; ſed tamen eorum ſalutem ſemper inquirimus -- Enchetius -- Sit tibi ut excommunicatus, & ab Eccleſia ſeparatus--

RESP. Si ly *Sicut* realitatem diceret, neceſſe eſſet, quod Eccleſia fidem auferret ab excommunicato; ſi ergo illam non aufert; nec proprie ut Ethnicum habet, nec ut ejectum, aut non fratrem, ſed præciſe deſignat denegationem commercii, quæ denegatio majus malum eſt, quam, ut ex Aug. *lib. 1. cap. 17. contra adverſ. legis* -- Si gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur -- Et Hieron. in hunc locum -- Oſtenditur majoris deteſtationis, qui ſub nomine fidelis agit opera infidelium, quam qui aperte gentiles ſunt -- ob majus beneficium vocationis; ſicut gravior pœna, quia ſpiritualis; ſed gravitas peccati præciſive, vel pœnæ non ejicit ab Eccleſia, niſi fides amittatur. Quare bene D. Thomas-- „ Quaſi ſeparati excommunicentur per ſententiam Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierint -- (quaſi) ideſt, non ſimpliciter.

Excommunicatus non eſt vere Ethnicus.

Verum altior doctrina in eo textu includitur. ideo advertendum eſt cum D. Th. duo genera perſonarum ibi recenſeri, Ethnicos, & Publicanos. Ethnici ſunt gentiles, & infideles, Publicani, qui tributa recipiunt, & habebantur ut publici peccatores: & denotatur (ut omnes docent) Chriſtum Eccleſiæ dediſſe auctoritatem judicandi, & puniendi Hæreticos, & malos Chriſtianos per excommunicationem, ſecundum diſtributionem accomodam, ita quod ubi excommunicatio fertur propter Hæreſim, excommunicatus habeatur velut gentilis; ubi fertur in fidelem, habeatur ut publicus peccator: ſed publicus peccator licet vitandus, ne inficiat, non tamen ut extra Eccleſiam habetur.

164 OBJIC. III. Qui ita a fidelibus ſeparatur, ut Satanæ tradatur, procul dubio ab Eccleſia ejicitur, ſed in excommunicato id evenit: 1. ad Corinth. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini Noſtri Jeſu tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis*: ubi Amb. *lib. 1. de pœnitentia cap. 14.* -- Venit Apoſtolus in virga, „ qua a communione ſacra conjunctum amovit, & benè dicitur, tradi Satanæ, „ qui ſeparatur a corpore Chriſti -- ergo.

RESP. maj. eſſe veram, ſi ideo ſeparatur, quia unitatem fidei fregit, aliter falſa eſt; non enim, qui idipſum ſemel cum ceteris, foris eſſe poteſt. Concedo ibi de excommunicatione agi, qua punitur nefarius inceſtuoſus: ſed ly *tradis Satanæ* non ſignificat ejicere a Domo Chriſti, ſed dare Dæmoni poteſtatem vexandi corporaliter hominem illum. Antiquitus frequens mos erat, quod excommunicati arriperentur a Dæmone, crudeliter torquerentur, ut docet Theodoretus hic, & 1. ad Tim. c. 1., & Ambr. confirmat ex communi traditione, ſolentque afferri plura exempla; & Angelicus ibidem explicans illud Matth. 10. ubi dicitur Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem ſpiritus ejiciendi immundos, habet -- Et per eandem „ poteſtatem poterant imperare ſpiritibus „ immundis, ut vexarent corporaliter, quos „ hac pœna judicabant dignos -- & hac docet Paulum uſum fuiſſe in caſu inceſtuoſi. Spiritualiter tradi Satanæ dicitur ex eodem -- „ Per excommunicationis ſententiam, per „ quam aliquis ſeparatur a communione fidelium, & a participatione Sacramentorum, „ & privatur Eccleſiæ ſuffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem Satanæ -- Quæ deſcriptio ſeparationis ſatis indicat, excommunicatum non eſſe extra Eccleſiam, ſed privatum uſu conſortii; ſicut captivus privatur communione Civium; & in hoc ſenſu loquitur Ambroſius, & ceteri, & littera Pauli ſuadet. Reprehendit ibi Corinthios, quod toleraverint virum illum, & converſati fuerint cum eo, & quia male ipſum intellexerunt, quaſi, quod de illo ſolo eſſet locutus, ſubdit, ſe loqui de ceteris peccatoribus, avaris, ebrioſis, rapacibus, cum quibus prohibet commiſceri, contrapoſitive ad fornicarios hujus ſeculi, qui ſunt Infideles, & foris exiſtentes. Videatur D. Thomas. Vult etiam ſeparandum fermentum a maſſa tritici, ne illam corrumpat; & in fermento intelligitur peccator, qui tamen non eſt extra Eccleſiam, etſi fugiendus pro evitando periculo lapſus.

Excommunicati vexati a Dæmone.

165 OBJIC. IV. Nemo melius vim excommunicationis intelligit, quam Apoſtolica Sedes, juris conditrix, & interpres: ſed hæc explicat pro expulſione ab Eccleſia; ergo. Min. declaratur. *Can. Canonica 11. quæſt. 3. ex Concil. Arauſicano* dicitur -- Canonica inſtituta, & Sanctorum Patrum „ exempla ſequentes, Eccleſiarum Dei violatores, auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, & conſortio totius Chriſtianitatis eliminamus, quouſque reſipiſcant, & Eccleſiæ ſatisfaciant -- *Et Can. omnis*, ex Auguſtino *ſerm. 68. de verbis Apoſtoli* -- „ Omnis Chriſtianus, dilectiſſimi, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. „ Quomodo ſcilicet, quia extra Eccleſiam „ Diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus; „ ac per hoc, quaſi Diabolo traditur, qui „ ab Eccleſiaſtica communione removetur -- Idem 25. *q.* 8. *Si quis*: & *Can.* 5. *Concil. Nicæni Chalced. act. 3. In Epiſt. ad Valentin., & Marcianum Imperat.* Brachar. 1. *can.* 83. *Remenſe cap.* 12. Caliſtus primus *Epiſt. ad Epiſc. Galliarum* 2. Fabianus *Epiſt.* 1. Innocentius I. *Epiſt. 1. ad Arcadium*. Leo *Epiſt. 89. cap.* 8., & alibi plurica.

RESP. neg. min. Nam expellere ab Eccleſia non eſt in ejuſdem poteſtate, cum non poſſit auferre fidem, nec charitatem: ſeparatum vere ab Eccleſia, & ejectum deſcribit Can. *Nihil ſic* 11. *q.* 3. -- Nihil ſic „ debet

Eccleſia non ejicit a ſe excommunicatos.

„ debet formidare Chriſtianus, quam ſepa-
„ rari a corpore Chriſti; Si enim ſeparatur
„ a Corpore Chriſti, non eſt membrum ejus:
„ Si non eſt membrum ejus, non vegetatur
„ ſpiritu ejus. Quiſquis autem, inquit Apo-
„ ſtolus, Spiritum Chriſti non habet, hic
„ non eſt ejus -- ex Auguſtino *tract.* 23. *in
6. cap. Joan.* at fidelis Chriſtianus vero ve-
getatur Chriſti ſpiritu, fide ſcilicet, etſi non
vera charitate; ergo eſt membrum ejus, &
Eccleſiæ. Quare ly *ſeparari* in his Cxo., &
Concilio a gremio Eccleſiæ, & communio-
ne, ſolum denotat carentiam uſus actualis
communicationis in myſteriis Divinis, &
converſatione. Unde Innocentius I. loco ci-
tato dicit -- Segrego te, & Eudoxiam a
„ perceptione immaculatorum myſteriorum
„ Chriſti Dei -- Et Fabianus Papa vocat ſa-
queſtratos, cum quibus non eſt ſumendus
cibus, & animo, & merito ſunt magis ho-
ſtes, quam qui foris ſunt, & aperte inimici.
Quibus omnibus locutionibus indicat eſſe in-
tra Eccleſiam ſimpliciter. Sequeſtratus eſt
civis in domo incluſus, ne exeat; & tamen
non amittit eſſe de corpore Reipublicæ:
ly *Nec cum eo ſumere cibum* deſumptum eſt ab
Apoſtolo, ubi agit de malis Chriſtianis, qui
ſunt intra Eccleſiam ly *Quam illi qui foris ſunt*
eſt contrapoſitive declarans alios eſſe intra.
Caliſtus verò manifeſte pro nobis eſt; poſt-
quam enim explicuit, quomodo non ſit cum
excommunicatis communicandum, ſubdit --
„ Infidelibus quoque nolite conjungi -- Ex
adverſo excommunicatos in numero fidelium
agnoſcit, ac proinde intra Eccleſiam, quæ
eſt congregatio fidelium. Alexander I. *in E-
piſt.* 1. excommunicationem vocat exilium fini-
timum: Porro exul non deſinit eſſe de cor-
pore Reipublicæ, licet actu non gaudeat con-
ſortio civium. Civis Romanus ſum, clama-
bat Paulus, abſens omnino a Collegio Ro-
manorum. Illa verò ratiocinatio (*traditur
Diabolo*) quia ſcilicet Diabolus extra Eccle-
ſiam eſt, valet etiam in malis Chriſtianis,
qui ſunt filii Diaboli.

166 OBJIC. V. Id facit excommuni-
catio, quod hæreſis; hæc vere ejicit de Ec-
cleſia; ergo. Maj., & min. habetur ex D.Hie-
ron. *cap.* 3. *ad Titum* -- Propterea vero a ſe-
„ metipſo dicitur eſſe damnatus, quia for-
„ nicator, adulter, homicida, & cetera
„ vitia per Sacerdotes de Eccleſia propellun-
„ tur. Hæretici autem in ſemetipſos ſenten-
„ tiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſia re-
„ cedentes -- Idem ex Aug. *de unit. c. ult.*

Diſcrimen hæreſim inter, & excõmunicationem.

RESP. nego maj. Hæreſis cum fide non
componitur, excommunicatio verò, & cum
fide, & cum charitate, quæ ſunt veræ uni-
tates primordiales Eccleſiæ. Hieronymus lo-
quitur proportionaliter; Hæreticus enim nul-
la prævia alterius ſententia, fidem projicien-
do, ab Eccleſia omnino exit. Alii criminoſi
non ſubeunt pœnam privationis conſortii cum
fidelibus, niſi præcedat ſententia Judicis, in
quo judicatur gravitas Hæreſis, ex ſua natura
tollens fundamentum. Aug. eo loco non vi-
deo, quomodo pro adverſariis ſit, cum di-
cat per excommunicationem viſibiliter non
ſeparari homines ab Eccleſia -- Alioquin, ſi
„ tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter
„ excommunicatur; conſequens erit, ut tunc
„ rurſus inſeratur, cum communioni viſibi-
„ liter reſtituitur -- Quod oſtendit eſſe fal-
ſum, exemplo ficte accedentis, ſubditque
ſentientem contra veritatem fidei eſſe extra
Eccleſiam -- Antequam viſibiliter excommu-
„ nicetur --

167 OBJIC. VI. Eccleſiæ membrum
non eſt, qui communionem non habet cum
Eccleſia: ſed excommunicatio opponitur com-
munioni; ergo excommunicatus non eſt intra
Eccleſiam. Maj. declaratur ex Hilario *in Pſal.*
121., ubi -- Unum Eccleſiæ corpus eſt, non
„ quadam corporum confuſione permiſtum,
„ nec ſingulis in indiſcretum acervum, & in-
„ formem cumulum unitur, ſed per fidei u-
„ nitatem, per capitis ſocietatem, per ope-
„ rum, voluntatiſque concordiam, per Sa-
„ cramenti unum in omnibus donum, unum
„ omnes ſumus -- Min. eſt clara ex conceptu
excommunicationis, de qua Tertullianus *A-
pologet. cap.* 39. -- Ut delinquens a commu-
„ nicatione orationis, & conventus, & om-
„ nis Sancti commercii relegetur -- Et de
Marcione (loquens de præſcriptionibus *cap.*
51.) propter ſtuprum excommunicato -- Ab
„ Eccleſiæ communicatione abjectus -- De
„ quo Epiph. *Hæreſi* 42. -- A Patre ab Ec-
„ cleſia ejicitur -- Membrum corporis non
eſt, quod alteri non communicat, ita quod
operatio cujuſcunque membri in alterius uti-
litatem cedat, & commodum: ſed excommu-
nicatus non ſolum exterioris converſationis,
ſed etiam interioris ſocietatis emolumento
privatur, cum incapax fiat ſuffragiorum ſpi-
ritualium: Valet ergo Aug. argum. *contra
literas Petiliani lib.* 2. *cap.* 108. *de Hæreticis*
-- Nec ideo putandi ſunt eſſe in Chriſti cor-
„ pore, quod eſt Eccleſia, quia Sacramento-
„ rum ejus corporaliter participes fiunt; illa
„ enim, & in talibus ſancta ſunt, & in eis in-
„ digne tractantibus, & ſumentibus indigna
„ ad majus judicium valebunt -- Idem de ex-
communicatis dicendum eſt.

RESP. Jam oſtendimus, quam bene re-
periatur ſubſtantialis communicatio, quam-
vis deficiat actualis aliqua accidentalis: &
argumentum retorqueo. Vel quando ex Hi-
lario dicitur -- *Per capitis ſocietatem, operum,
„ voluntatiſque concordiam* -- (Aliæ enim
conditiones in textu poſitæ, fidei unitas, &
Sacramenti, ſcilicet Baptiſmi donum unum
in excommunicato reperiuntur) intelligit ar-
guens de ſocietate capitis viſibilis quoad a-
ctualem legum adimpletionem in omnibus,
& pariter de concordia operum, & volun-
tatis in actu, vel ſolum in potentia proxima:
Si primum, ergo quicunque non ſolvit deci-
mas, & ſi potens, qui diebus feſtivis vacat
ſervilibus, & quicunque non obſervat volun-
tarie præceptum aliquod ab Eccleſia, vel la-
tum, vel explicatum, non habet unitatem
neceſſariam, ut ſit membrum Eccleſiæ. Si ſe-
cundum, etiam excommunicatus hanc proxi-
mam potentiam habet, nedum pro adimplen-
dis legibus quibuſdam, ſed etiam omnibus,
cum habeat potentiam proximam ad peten-
dam abſolutionem a vinculo excommunica-
tionis, ea proportione qua peccatur habet
potentiam proximam ad ſuſcipienda, & ad-

I mini-

miniſtranda Sacramenta, ſi petat abſolutionem a peccatis. Hilarius ergo deſcribit Corpus Chriſti ſecundum unitatem ſubſtantialem, & perfectionis.

Ad illud, quod dicitur de communicatione unius membri cum altero, præter unitatem fidei, & charitatis datur etiam ſocietas aliqua interior, & exterior in ſuffragiis. Ubi advertendum, quod fidelis non poteſt Orationes, Sacrificia, & Sacramenta offerre pro excommunicato, nomine publico, ſeu Eccleſiæ, poteſt tamen, & Orationes privatas, & in ipſis publicis ſacrificiis, nomine particulari orare, & illi proſunt, tum vi impetrationis, tum vi ſatisfactionis, ſi contritus ſit, ex opere operantis: unde ſocietas unius membri cedit in utilitatem alterius.

Quomodo orandum pro excommunicato.

Tertullianus, Epiph., & ſi qui alii, intelligunt de ejectione ſecundum quid, id eſt ab Eccleſia, ut exercente Divina, & ea administrante nomine communi. Argumentum Aug. pro nobis eſt. Utique ſola corporalis perceptio Sacramentorum non conſtituit in Eccleſia, ſi fundamentum fidei deficiat, nec ſumptio præciſe indigoa extrahit; aliàs mali foris eſſent. Audi quid ſubdat -- illi autem non ſunt in illa Eccleſiæ Chriſti compage, quæ in membris Chriſti per connexum, & contactum creſcit in incrementum Dei -- in hac compage utique eſt, qui fidem, & charitatem habet, ſicut non rarò utrumque habet excommunicatus.

168 OBJIC. VII. Projici ab Eccleſia gravius eſt qualibet pœnâ infligendâ manentibus intra Eccleſiam: ſed excommunicatio eſt gravior pœna, qua nulla major ab Eccleſia, & in Eccleſia, *Can. Corripiantur quæſt.* 3. 24. *ex Aug. de correpţ., & gratia cap.* 15.; ergo eſt ejectio ab Eccleſia. Sicut gravior pœna in Republica eſt interfectio, juxta illud Auguſtini *quæſt.* 89. *in Deuteronom.* -- Hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio -- Sed homo interfectus non eſt Reipublicæ membrum; ergo neque Eccleſiæ excommunicatus.

RESP. Projici ab Eccleſia abſolute non eſt pœna, ſed effectus indiſpenſabiliter ſequens hæreſim conſummatam; & ſi admittatur, quod verè pœna ſit, non tamen talis eſt, ut infligatur ab Eccleſia (niſi declaratorie) quæ nec fidem, nec charitatem auferre valet. Excommunicatio quidem eſt major quæcunque inter Eccleſiaſticas, quas valet Eccleſia inferre pœnas, ſed non inde ſequitur eſſe ab Eccleſia ejectionem, niſi cum addito, ideſt, ab exercitiis ſolemnibus, & publicis &c. Hinc Ambroſ. *de Jejunio cap.* 22. -- Omnem immundum a Chriſti ſecernamus altaribus, ut emendet, & corrigat lapſus, quod ad Sacramenta Chriſti redire mereatur -- Et Greg. Magn. *lib.* 3. *epiſt* 24. -- Eis, qui ab Eccleſiaſtica communione ſuſpenſi ſunt, nullus Religioſus, ſecundum Canonum præcepta, jungatur -- Ecce quid ſit ejici ab Eccleſia per excommunicationem, ſuſpendi ab uſu Sacramentorum, privari uſu myſteriorum. Quod adducitur ex paritate Reipublicæ, in eo conſiſtit, quod, ſicut major pœna eſt ibi interfectio, ſic hic excommunicatio. Ceterum nimis probaret; nam interfectio

Quam gravis pœna excommunicatio.

tollit, & communionem cum civibus, & vitat interiorem omnem, & potentiam convivendi. Excommunicatio nec omnem communionem tollit, ut vidimus, nec vitam interiorem fidei, aut charitatis, & multo minus potentiam.

169 OBJIC. VIII. Niſi excommunicatio eſſet ejectio, non infligeretur in ſolos incorrigibiles, & contumaces: ſed fertur ſolum in illos, ut docet Aug. *lib. de vera Relig. cap.* 6. -- Hi ſunt exitus Chriſtianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi, aut ſuſtineri -- Clemens *lib.* 2. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 41. -- At verò, quem a pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu mœrore, ut inſanabilem ejice ab Eccleſia -- Proſper *de vita contemplativa lib.* 2. *cap.* 7. -- Incorrigibiles, tanquam putres corporis partes, debent ferro excommunicationis abſcindi -- Maj. videtur clara. Si enim eſſet minor pœna ab ejectione, ferretur etiam in homicidas, alioſque facinoroſos.

RESP. Plures ſunt non incorrigibiles, qui incidunt in excommunicationem, ut publici percuſſores Clericorum, ex impetu ſimplicis vindictæ duellum committentes. Deinde negatur cauſalis; dato, quod in ſolos incorrigibiles feratur, non ideo hoc contingit, quia ab Eccleſia ejiciantur, ſed quia, cum ſit graviſſima pœna, non debet infligi, niſi quando morbus extremus apparet. Nec probatio maj. ſubſiſtit; patet enim in plures alios crimínoſos (ut fures, percuſſores, violatores clauſuræ Monialium, & ſimiles) latas in jure, & Bullis Pontificum excommunicationes ipſo facto incurrendas. Patres verò illis verbis ejici, pelli, ſeparari, jam clare patet, quid intendant, & Aug. *loco cit.* dicit expreſſe -- Turbulentiis malorum expelli de congregatione Chriſtiana, etiam bonos viros -- quos utique frumentum eſſe non dubitat, & membra meliora Eccleſiæ novit. Cum dicunt eſſe partes putridas, eo ſenſu loquuntur, quo de aliis peccatoribus; non enim ita ſunt putridæ partes, ſicut caro putrefacta, quæ non informatur anima. Etenim hi ad minus fidem habent.

Non ſoli incorrigibiles feriuntur anathemate.

170 OBJIC. IX. Id facit excommunicatio, quod vox Dei expellens Adamum a terreſtri Paradiſo: ſed Adam verè fuit excluſus; ergo etiam excommunicatus. Audi Aug. *lib.* 2. *de Geneſi ad litteram cap.* 40 -- Alienandus inde fuerat Adam de Paradiſo, vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, ſicut etiam in hoc Paradiſo, ideſt Eccleſia, ſolent a Sacramentis Altaris viſibilibus, homines diſciplina Eccleſiaſtica removeri --

RESP. neg. maj., & mens Aug. patet ex verbis, quibus vim excommunicationis explicat in eo, quod ſit remotio ab uſu Sacramentorum eo modo, quo ſequeſtratus in cubiculo removetur a commercio civium, & familiæ. Ceterum vidimus ex capite ultimo de unitate Eccleſiæ, quod ſicut quis non inſeritur, ex quo viſibiliter communicat, ita non dividitur, ex quo viſibiliter excommunicatur. *De correpţ., & gratia cap.* 15. pariſicat excommunicatum ovi tábidæ, quæ ſeparatur, ne ceteras inficiat; & poterat æquiparari

Excommunicatus ab uſu Sacramentorum excluſus.

parari

parati viro peſte infecto, qui recluditur, & tamen non deſinit eſſe de Republica, nec de ovili, cum ſub eodem Paſtore maneat, etſi cum aliis de quibuſdam bonis communibus non nutriatur.

171 OBJIC. X. Id amittit excommunicatione fidelis, quod acquirit abſolutione ab ea; ſed abſolutione acquirit unitatem, ut patet ex formula: *Reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & unitati fidelium*; ergo.

RESP. conc. maj. minor verò includit reſtitutionem actualis conſortii, & uſus Sacramentorum; eo modo, quo qui a carcere ſolvitur, reſtituitur familiæ &c.

CONTROVERSIA XI.

AN ADAM FUERIT DE ECCLESIA MILITANTE.

172 Vidimus varia genera perſonarum ad Eccleſiam pertinere, juſtos, & peccatores, prædeſtinatos, & reprobos: ſed cum videamus ſemper locuti de membris Eccleſiæ, ut per Chriſtum natum conſummatæ, cujus in ſynagoga præceſſerunt figuræ ad integritatem diſputationis operæ pretium eſt, elucidare ortum, & ſtatum, quos habuit ſub Pædagogo, ſeu ſub fide Chriſti venturi; & quia hominum primus, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ Adam enumeratur, ideo inquirimus, an ipſe de Eccleſia fuerit, ac proinde in ipſo inceperit, ad cujus intelligentiam

Notandum eſt i. quod non loquimur de Eccleſia quacunque prout eſt collectio colentium Deum per fidem, abſtrahendo ab hominibus, & ab Angelis, a viſibili, & inviſibili, a mixta bonis, & malis, & non mixta, hoc enim ſenſu certum eſt, prioritate naturæ Eccleſiam fuiſſe in Angelis; fuerunt enim creati in gratia, habueruntque fidem, & eorum caput Chriſtus eſt, ſecundum illud Pauli Coloſſ. 2. *Qui eſt caput omnis Principatus, & Poteſtatis*: erantque in ſtatu accedendi ad Deum per meritum, ſed loquimur determinate de Eccleſia hominum viatorum. *Vide ſup. Cont. I.*

Notandum ii. Eccleſiam cœpiſſe ſub initio mundi, Pſal. 73. *Memor eſto Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio*. Quod de Eccleſia dictum aſſerit Aug. ibidem, & in Pſal. 118. *Eccleſia loquitur, quæ in terris non defuit ab initio generis humani* exponens illud *Initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti eam*: Et Pſal. 36. ad illa verba: *Junior fui; etenim ſenui*, ait -- Dominus ipſe „ in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, junior „ fuit primis temporibus: & ecce jam ſenuit. „ Noſtis, & agnoſcitis, & intelligitis, & „ ita creditis, quia caput noſtrum Chriſtus, „ & corpus capitis illius nos ſumus. Nun„ quid ſoli nos, & non etiam illi, qui fue„ runt ante nos? omnes qui ab initio ſeculi „ fuerunt, Caput Chriſtum habent -- Et Matth. 20. dicitur; *Simile eſt Regnum Cælorum homini Patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam*. Paterfamilias Dominus eſt, vinea eſt Eccleſia, operarii ſunt miniſtri: primo mane eſt initium ſeculi: ubi Gregorius Magnus -- Quia a mundi hu„ jus initio uſque ad finem ad erudiendam „ plebem fidelium Prædicatores mittere non „ deſiſtit -- Et ratio eſt, quia Eccleſia eſt collectio fidelium; hæc autem ab initio data eſt; legimus enim ab initio de fructibus terræ, & de ovibus gregis oblata Deo ſacrificia, nomenque Domini invocatum; nec poteſt non eſſe Eccleſia, ubi fides eſt, nec poteſt non eſſe fides, ubi homines prærordinati ſunt ad æternam felicitatem. Ab initio autem mundi Beatitudini ſupernaturali homo fuerat prærordinatus, adeoque fidem habuit, & conſequenter extitit Eccleſia, cui alludens Paulus 2. ad Corinth. 4. ait: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum* Eundem fidem habent filii novi teſtamenti, quam habuerunt Patres noſtri: Hinc Origenes *homil. 2. in Cant.* advertit Eccleſiam dici ſponſam non Incarnatione Domini, ſed ab initio ſeculi -- Non tu „ mihi ex adventu Salvatoris in carne ſpon„ ſam dici, aut Eccleſiam putes, ſed ab ini„ tio humani generis, & ab ipſa conſtitu„ tione mundi -- idem Chryſoſt. *homil. 10. in Epiſt. ad Ephes.*, Epiphanius *hæreſi 1.*, & alii. Ex quibus manet exclufus quorumdam error, qui tenuerunt ante Chriſtum nullam datam fuiſſe Eccleſiam, quorum momenta non ſunt niſi æquivocationes circa nomen Eccleſiæ ſumptæ cum ea perfectione, quam habet a Chriſto nato, unde non vacat eas referre. Ne tamen ſimus omnino jejuni, aliqua ſcripturæ loca recenſebo.

Ante Chriſtum Eccleſia.

Dicunt ergo I. ex Pſal. 40. illis: *Nunquid, qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* ubi Gloſſa -- Sicut ex dormientis Adæ latere, „ qui erat forma futuri Chriſti, aſſumpta eſt „ coſta, de qua formata eſt Eva: ita dormi„ vit Chriſtus ſomno mortis, ut de latere „ dormientis, de quo &c. formetur ſponſa „ Eccleſia -- Sed locus ille aperte agit de formatione quo ad ſui perfectionem, quatenus inſtituta ſunt Sacramenta determinata, quæ non eſſent vacua elementa, ſed ex meritis Chriſti efficacitatem haberent productivam gratiæ ſanctificantis.

II. Ex Pſal. 9. illis: *Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*. ubi Gloſſa -- Filia Sion eſt Eccleſia; Sion enim omnes „ Eccleſias mundi generavit, quia ibi natus „ eſt, unde fides incœpit, ideſt Chriſtus -- Verum locus clare agit de fide mediatoris, & revelata ore Dominico, quæ latuerat in oraculis Prophetarum. Sion porro omnium Eccleſiarum parens dicitur, quia ibi Apoſtoli Spiritu Sancto accepto Evangelium prædicare cœperunt.

III. Matth. 16. dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* A confeſſione ergo Petri incœpit Eccleſia, non ergo antea fuit. Verum clare patet non loqui Chriſtum de Eccleſia abſolute (de hac enim ſæpe mentio fit in ſcripturis pro tempore veteris teſtamenti): ſed loquitur de perfectionis conſummatione, per ſpecialem inſtitutionem Chriſti peracta, quam ædificavit ſupra Petrum, quia ipſum elegit caput viſi-

bile, cujus membra ſunt fideles credentes in Chriſtum. Quotquot autem credituri ſunt in Chriſtum, prædeſtinati ſunt a conſtitutione mundi: ac proinde dixit Dominus Patrem orans: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*. Jo. 17.

IV. Ad Galat. 3. habetur: *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo*. Ergo antea non erat fides: ſed ſine fide non datur Eccleſia; ergo prius non erat Eccleſia. Verum ſi antea non erat fides, quomodo dictum eſt Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*? ly ergo, *ubi venit fides*, intelligitur de fide revelata, quæ prius erat in oraculis involuta, quando venit tempus veritatis, quo adimpletæ ſunt figuræ, & promiſſiones? Ceterum, hoc ipſo, quod lex fuit pædagogus in Chriſto, data eſt ei fides futuri mediatoris, cum omnia contingerent in figuris.

V. Ad Heb. 11. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus*. Si ergo juxta fidem mortui ſunt expectantes repromiſſiones: non ergo in fide. Verum cur ibidem Apoſt. ſubdit Catalogum Sanctorum Patrum? *Qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones &c.* Defuncti dicuntur juxta fidem, non acceptis repromiſſionibus, quia mortui ſunt cum fide expectati Meſſiæ, ipſorum generationi promiſſi, quem a longe viderunt. Unde Joan. 8. dicitur: *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*, viſione, ſcilicet, fidei.

Notandum III. Quod incipere dicitur dupliciter, primo quoad numerum, ſecundo quoad eſſentialem formam. Quoad numerum incipit aliqua communitas, quando datur unus, a quo incipiat enumeratio; numerus enim ab unitate incipit, licet in uno non conſiſtat. Quoad formam eſſentialem incipit aliquid, quando datur primordiale conſtitutivum illius, quod antea non erat. Primo modo incœpit noſtra Religio, cum Pater Noſter S. Joannes a Cruce depoſitis calceamentis Durvellum ingreſſus eſt: Secundo modo, cum ipſe, & V. P. F. Antonius profeſſione emiſſa mitigationi renunciarunt. Primo modo incipit fabrica, cum primus lapis jacitur: Secundo, cum lapidum ſtructurâ formam incipit conſequi. De incœptione Eccleſiæ primo modo non eſt difficultas, quin fuerit ab Adam, qui omnium primus fuit creatus, de incœptione ſecundo modo eſt quæſtio. His poſitis

Dico, Eccleſiam quoad formam incœpiſſe poſt lapſum ab Abel, ſed fundamenta jacta ſunt in Adam, & Eva.

Eccleſia fundamenta in Adam.

173 PROB. I. Forma eſſentialis Eccleſiæ conſummandæ per Chriſtum eſt collectio colentium Deum, in fide Chriſti futuri, profeſſa viſibili Sacramento; ſed hæc forma non adfuit, niſi poſt lapſum ab Abel; ergo Eccleſia, tunc quoad formam incœpit. Maj. videtur clara: plures perſonas patet requiri, quia ſocietas, & corpus ex uno membro non conſurgit, requiri fidem item clarum eſt; hæc enim eſt forma radicalis intrinſeca, & fidem Chriſti futuri; hic enim eſt proprium caput: Fidem Profeſſam (propter viſibilitatem) aliquo Sacramento, quia ſigno publico, & communi facienda eſt profeſſio: & ſigno ſtabili, proportionate ad ſtatum Eccleſiæ. Min. explicatur. Ante lapſum erat quidem fides in duobus, ſed non Chriſti venturi Redemptoris, quia non fuerat illis revelatum crimen inobedientiæ, pro quo reparando Chriſtus ut caput Eccleſiæ venit, & multo minus illa fides fuit ex Chriſti meritis, ac per conſequens non per influxum capitis. Ante lapſum nullum fuit Sacramentum, nec erat ſtatui congruum: nam Sacramentum eſt ſignum ſtabile Religionis; ſtatus autem Innocentiæ non erat duraturus; & effectus primarius Sacramenti eſt perficere interius hominem per gratiam: hanc autem perfectionem per Sacramenta non habuerunt primi parentes, ſed immediate a Deo; implicante autem primario effectu implicat cauſa. Poſt lapſum autem Adæ facta erat revelatio futuri Redemptoris, unde tunc neceſſarium erat Sacramentum expiativum originalis noxæ, per quod, ut vidimus ex D. Thom. ſuperius, fiebat profeſſio fidei; & legimus primum ſacrificium ab Abel Deo oblatum, & acceptatum Gen. 4. poſt lapſum ergo ſub filiis Eccleſia formam eſſentialem conſecuta eſt.

174 PROB. II. Tunc forma Eccleſiæ incœpit, quando primo facta eſt Civitas Dei contra Civitatem Diaboli: ſed hæc primo cœpit poſt lapſum ſub filiis; tunc enim primo data eſt bonorum mixtio, & malorum, cum Cain impius inſurrexit contra Abelem. Porro Eccleſia eſt eſſentialiter congregatio bonorum, & malorum: hinc Aug. *lib. 15. de Civitate Dei* -- A principio mundi proceſſerunt „ duæ Civitatis, una Dei, alia Diaboli, una „ Cœleſtis, alia Terreſtris: unde filii Adam, „ unus ædificat terrenam, & diabolicam; „ alius Cœleſtem. Primus fuit Cain, ſecun„ dus Abel --

Civitas Dei cœpit in Abel.

175 PROB. III. Licet ut Eccleſiæ corpus denominetur Sanctum, ſufficiat ſanctitas extrinſeca legum, Sacramentorum, doctrinæ, & ſimilium, omnino tamen indignum eſt, quod nullus de Eccleſia pro aliquo tempore ſubjective ſanctitatem habeat, ſicut communiter dicitur, quod, licet omnes de Concilio legitime congregati pro dirimenda Controverſia fidei eſſent Hæretici, Deo aſſiſtente non docerent falſa: tamen incongruum, & impoſſibile judicatur, quod Deus permittat nullum ſubjective habere fidem; ergo Eccleſia quoad formam in eo ſtatu neceſſe eſt incœpiſſe, a quo ſine interruptione, ſaltem in aliquo, conſervata eſt ſanctitas ſubjectiva: ſed hoc non verificatur, niſi dicamus incœpiſſe ſub filiis: nam etſi Adam, & Eva procreati fuerint in ſanctitate, tamen intercœpta eſt gravi peccato. Solum ſub ſtatu filiorum ſanctitas incœpta indeficienter conſervata eſt. Hinc ad Corinth. 2. cap. 11. dicitur: *Deſpondi enim vos uni Viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*. Virgo hæc eſt Eccleſia, incorrupta ex toto extrinſece, & ſubjective, ſaltem in aliquo, nedum in fide, ſed in ſanctitate, ut infra videbimus.

Quæris tempore in Eccleſia ſanctitas.

176 PROB. IV. Ad eſſentialem Eccleſiæ

A B C D E

cleſiæ formam vel eſt neceſſaria in re pluralitas pluſquam duorum , vel ſaltem exemplaria , & gradualis : ſed hoc non habetur , niſi dicatur Eccleſiam incœpiſſe in filiis Adæ ; ergo. Prima pars maj. a pluribus defenſatur , & merito ; nam ratio eſſentialis corporis non ſalvatur in duobus ; debet enim dari membrorum pluralitas ſub capite : ubi verò duo tantum ſunt , unum debet eſſe caput , & aliud membrum : at nonne ridiculum corpus ex uno capite , & uno membro ? Declaratur . Abſque dubio plures in numero requiruntur perſonæ ad conſtituendum unum myſticum corpus , quam in eſſe repræſentativo : ſed in eſſe repræſentativo duo videntur ad minus neceſſarii , Matth. 18. *Ubi ſunt duo , vel tres congregati in nomine meo* . Ergo in re debent eſſe plures duobus , ut detur diſtinctio , & diverſitas inter repræſentativum , & repræſentatum. Sed , quidquid ſit de hoc , ad minus neceſſaria eſt aliqua exemplatio , & figuratio diverſorum graduum , qui in Eccleſia exiguntur ; graduatio enim eſt de neceſſitate . Min. explicatur . In Abele figuratur gradus Doctoris , ac proinde Paſtoris , Virginis , & Martyris , cum teſte D. Auguſtino de mirabilibus mundi , Abel fuerit Doctor fidei , Martyr , & Virgo ; qui gradus non habentur expreſſi antecedenter ad ipſum .

Myſtică corpus ex pluribus coaleſcit.

177 PROB. V. Tunc quo ad formam dicendum eſt cœpiſſe Eccleſiam , quando prima ætas cœpit enumerari : ſed prima ætas Eccleſiæ enumeratur ab Abel ; ergo tunc incœpit ſubſtantialiter Eccleſia . Min. declaratur. Primus juſtus ex veteri lege , quem Chriſtus commendat , eſt Abel , Matth. 23. *A ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ* . Primus , quem Paulus commendat ex fide , Abel eſt . Heb. 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel , quam Cain obtulit Deo , per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtum* . Et advertendum eſt , quod hinc ſpecialiter exemplificat in primis Patribus cujuslibet ſtatus , quem habuit ſub veteri lege , ſtatus ante diluvium , ſtatus ante legem , ſtatus legis : ſicut ergo ſtatus ante legem in primo enumerato , ſcilicet Abraham , & ſtatus legis in primo pariter recenſito cœpit , ſcilicet Moyſe , ita ſtatus ante diluvium incœpiſſe dicendus eſt in primo , qui ponitur , videlicet Abel . Auguſt. *Pſal.* 142. habet -- „ Hæc Civitas (ſcilicet de qua Propheta : „ Glorioſa dicta ſunt de te) initium habet „ ab ipſo Abel , ſicut mala Civitas a Cain --

Abel primo commendatus.

Gregorius Magnus exponens vineæ parabolam , in quam diverſis horis mittuntur operarii Matth. 20. pro vinea intelligit Eccleſiam -- Quæ ab Abel juſto uſque ad ultimum „ electum , qui in fine mundi naſciturus eſt , „ quot protulit , quaſi tot palmites miſit &c. -- Igitur ſi agatur de Eccleſia quoad numerum cœpit ab Adam ſi de Eccleſia ſubſtantialiter formata ab Abel : ex quo declaratam habemus ſecundam partem , jacta videlicet fundamenta in Adam , & Eva , quibus poſt lapſum ex Chriſti meritis conceſſus eſt pœnitendi locus , & modus . Quare ſicut brevi illo tempore , quo Joan. Baptiſta prædicabat , quoddam Eccleſiæ Chriſti præambulum præceſſit , ita in illo pœnitentiæ ſpatio primorum parentum in quodam quaſi præambulo cœpit Eccleſia .

Occaſione hujus parabolæ , quidam ex Patribus totum tempus ab initio mundi uſque ad finem , velut unum diem computant , diſtributum per diverſas horas ; & revera coram Deo mille anni ſunt velut dies heſterna , quæ præteriit . Mane fuit ab Adam uſque ad Noe . Tertia a Noe uſque ad Abraham . Sexta ab Abraham uſque ad Moyſen . Nona a Moyſe uſque ad Chriſtum . Undecima a Chriſto uſque ad finem ſeculi .

Alii cum Aug. tempus dividunt in ſex ætates , ſicut ſex diebus creatus eſt orbis. Prima ætas ab Adam uſque ad Noe . Secunda a diluvio uſque ad Abraham . Tertia ab Abraham uſque ad David. Quarta a David uſque ad captivitatem populi. Quinta a tranſmigratione populi uſque ad adventum Domini . Sexta a Chriſto uſque ad judicii diem.

Alii durationem mundi ætati hominis comparant . Infantia itaut ab Adam ſit uſque ad Noe . Pueritia a Noe uſque ad Abraham . Adoleſcentia ab Abraham uſque ad Moyſen. Juventus a Moyſe uſque ad Chriſtum . Senectus prædicatio , & dilatatio Chriſti fidei . Unde Gloſſa in Pſal. 36. alludens ad illud Pſal. 91. *Senectus mea in miſericordia uberi* , habet -- Senuit Eccleſia in ſenecta uberi -- Cum in honorabili ætate ſuſcepit Chriſtum , per omnes gentes dilatata . Decrepitas tempus Antichriſti , ſeu finis mundi , ſecundum Gloſſam in illud Pſal. 70. -- Uſque in ſene„ ctam , & ſenium , Deus ne derelinquas „ me -- In ſupputatione harum ætatum graves , & perjucundæ occurrunt difficultates , tum circa numerum generationum , tum circa annorum calculum ; tum propter diverſam Chronologiam 70. Interpretum , ſeu Græcorum codicum , & Hebræorum , quorum elucidatio diuturniorem petit laborem ; unde licet invitus , aliis hanc percurrendam provinciam relinquo .

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM .

ARgumenta contra noſtram concluſionem duplicis generis ſunt , alia probant Eccleſiam cœpiſſe ante Abelem , alia poſt ipſum . Ponamus primo prioris generis , deinde poſterioris .

178 OBJIC. I. Ubi eſt fides formata futuri Mediatoris , profeſſa viſibili Sacramento , ibi eſt vera Eccleſia : ſed hæc omnia fuerunt in primis Parentibus pro ſtatu innocentiæ ; ergo pro illo ſtatu cœpit Eccleſia . Min. declaratur . Adamum , & Evam habuiſſe fidem , & charitatem indubium eſt , quod illa fuerit futuri mediatoris , deducitur clare ex Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis* . Quod de Incarnatione dictum teſtatur Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt , ego autem dico in Chriſto , & in Eccleſia* . Propter quod a D. Epiph. *hæreſi* 3. Adam dicitur Propheta . Quod fuerint ſigna ſenſibilia , patet , tum ex matrimonio Adami cum Eva , tum ex D. Auguſt. *lib.* 8. *in Geneſim cap.* 4 qui lignum vitæ appellat Sacramentum -- Erat ei in lignis cæteris alimentum , „ in

„ in hoc Sacramentum -- Tom quia Deum aliquo Sacrificio coluit, ut docet Irenæus; & certe abſurdum videtur, quod pro tanto beneficio gratias Deo non egiſſet ſigno aliquo viſibili. Hinc Magiſter io Hiſtoriis dicit, quod Adam docuit filios ſuos offerre primitias, & decimas: multo ergo magis ipſum obtuliſſe dicendum eſt, quare Epiph. *hæreſi prima*, in Adam Eccleſiam inœpiſſe fatetur.

RESP. neg. min. Nullum enim momentum ex Scriptura evincit data fuiſſe Sacramenta pro ſtam innocentiæ; immo nec congruebant; ut docet D. Th. 3. *par. quæſt.* 2. *art.* 61. probatque ex natura illius ſtatus. Et revera cum Sacramentum definiatur ſignum ſtabile, dedecet illi ſtatui, qui breviſſime erat duraturus. Matrimonium illud non fuit inſtitutum in Sacramentum, ſed io officium naturæ; de conſequenti tamen vel in figura ſignificabat aliquid circa Chriſtum, & Eccleſiam. Lignum verò vitæ dicitur ab Aug. Sacramentum, prout idem eſt, ac myſterium, quia in conceſſione illius arboris includebatur arcanum a Divina providentia ſtatutum. Sacrificaſſe Adamum non legimr, ſed etſi aliqua obtulit Sacrificia laudis, in recognitionem fecit primi principii, & ultimi finis, quod eſt ipſi oatoræ inſitum, formam tamen Sacramenti non potuerunt habere, & in hoc ſenſu loquitur Iræneus. Quare autem non legatur Adam Sacrificium obtuliſſe, licet ſit de jure naturali, traditur a D. Th. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 1. *ad* 2. his -- Ne quia in ipſo oo„ tatur origo peccati, ſimul etiam in eo ſan„ ctificationis origo ſignaretur -- Ubi innuitur ratio, cur ab Adam non debuit incipere Eccleſia, ne ſignaretur origo propagationis ſpiritualis ab eo, qui erat carnalis. Pariter falſum eſt Adam fidem habuiſſe Chriſti Mediatoris, ſeu Redemptoris, quia non fuit illi prævifum peccatum; necdum ſervitus erat inducta: Fidem tamen habuit Incarnationis, prout ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ad liberationem a peccato. D. Th. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. Quare Adam dici nequit initium Eccleſiæ quoad formam, ſed ſolum materialiter, quatenus erat perſona deſtinata, ut fieret Eccleſiæ membrum.

In ſtatu innocentiæ nullū Sacramentū.

DICES. Eadem fides fuit in Adam ante lapſum, quæ poſt, ſed poſt habuit fidem Chriſti, qua conſtitutus eſt intra Eccleſiam; ergo etiam ante.

RESP. Eandem fuiſſe fidem objective primarii objecti, Dei videlicet, non autem ſecundarii, Chriſti, ſcilicet, Redemptoris. Porro fides conſtitutiva Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, eſt fides Chriſti ut Salvatoris formaliter, immo ex meritis ejuſdem, cum influxus in membra a capite promanet; & licet non fuerit quoad primarium reſpectum interrupta, poſt lapſum tamen ex Chriſti meritis fuit conſervata.

179 OBJIC. II. Ante Caini, & Abelis ortum Adam conſecutus eſt gratiam per pœnitentiam: ſed hanc habuit per fidem, & charitatem ex meritis Chriſti ſub viſibili Sacramento; ergo ante ortum filiorum cœpit Eccleſia. Maj. in aperto eſt, cum dicatur Sapientiæ 10. *Et eduxit illam a delicto ſuo*. Min. per ſuas partes declaratur. De fide, & charitate non eſt difficultas. Quod fuerit ex meritis Chriſti, videtur certum, cum omnes mortui per Chriſtum fuerint vivificati. Sub Sacramento oſtenditur, ut dicit Hugo a Sancto Victore, conveniens fuit, ut medicina curreret cum morbo: ſed morbus incœpit in Adamo; ergo & medicina, quæ erant ſacrificia figurativa Chriſti Sacrificii, quod expiavit peccatum: fuerunt ergo omnia requiſita, ut eſſet Eccleſia. Et certe durum videtur, quod Adam pœnitens non fuerit Chriſti membrum: ſed nullum aliud corpus, quam Eccleſia, continet membra Chriſti; ergo &c.

RESP. neg. minorem. Pœnitentia Adami non proceſſit ex ſigno ſenſibili, ſed ex interiore affectu contritionis; in quo ſenſu medicina comitata eſt morbum; & quo ſenſu morbus incœpit, incœpit medicina, ſacrificium videlicet interius. Auguſtinus in Gen. ad litteram. Adam enim, cum eſſet præ ceteris mente præditus ad interiorem hoſtiam ſe contulit; adeoque in eſſe ſigni viſibilis ab eo non cœpit; non enim a quo ſumptum eſt exemplum inhonorationis Dei, ſumi debuit exemplum, ſeu ritus honorandi Deum. Ad id, quod additur, dicendum eſt, Adam fuiſſe membrum Chriſti inadæquatum, quatenus ex meritis ejus fuit reparatus: ſed deficiebat pro adæquatione neceſſaria, ut eſſet membrum corporis, profeſſio legitima.

Unde pœnitentia Adami.

180 OBJIC. III. Ubi eſt Eccleſia, ibi eſt invocatio nominis Domini: ſed hæc fuit poſt Abel, nam Geneſ. 4. de Enos dicitur: *Iſte cœpit invocare nomen Domini. Cœpit*; ergo antea non erat.

RESP. nego minorem; ſi enim Abel fide plurimam hoſtiam obtulit, utique nomen Domini invocavit. Cœpit ergo Enos invocare nomen Domini publice, cum creſcente multitudine, creſceret contemptus Dei; hunc ad reparandam Religionem, & ad augendos publicos cœtus ſacra tentoria induxit, per quæ functiones, ritusque publicos, & cultum Dei exercuit.

Ante Enos Sacrificia Deo oblata.

181 OBJIC. IV. In eo incœpit Eccleſia, qui primo Sacramentum accepit, & Pater omnium credentium dictus eſt: ſed hoc evenit poſt Abel; Abraham enim accepit ſignaculum circumciſionis: *Ut ſit Pater omnium credentium*: ad Rom. 4., ſed Abraham fuit poſt Abel; ergo.

RESP. Evidens eſt in Scriptura ante Abraham fuiſſe fideles, quorum Catalogum facit Apoſt. ad Hebræos 11. accepit ſignum circumciſionis Abraham, non quia juſtificatus fuerit ex circumciſione, cum antea juſtus eſſet ex fide, ſed quia ipſi primo fuit revelata. Dicitur verò Pater omnium credentium, non quia primus tempore crediderit, ſed quia ipſi facta eſt repromiſſio, quod ex ſemine ſuo naſceretur Meſſias.

Cur Abraham dicitur Credentium Pater.

182 OBJIC. V. Judæi nati ſunt poſt Abel: ſed Eccleſia ortum habuit a Judæis; unde Gloſſa in illud Pſal. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*, habet, ideſt Eccleſiam, quæ incœpit a Judæis, & perficitur in gentibus.

RESP. Loquitur Gloſſa de Eccleſia poſt Chriſtum natum, quæ primo fuit annunciata Judæis, & primi, qui eam profeſſi ſunt, ex Judæa fuerunt; & deinde in Gentiles eſt pro-

Lex gratiæ primò Judæis annunciata.

propagata : cum qoo ſtat , quod Eccleſia conſummanda per Chriſtum , & ante Chriſtum , & ante Judæos fuerit ; quamvis in Judæis incœperit ſecundum ſtatum aliqnem , videlicet legis , cum per Moyſen populo Hebræorum præcepta legalia dederit. Pariter ad rem non eſt auctoritas ea Apoſt 2. Theſſal. 2., ubi dicitur : *Nos autem debemus gratias agere Deo &c. quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem* . Loqnitur enim expreſſe de Eccleſia revelata in veritate , non amplius ſub figuris , ſcilicet poſt Chriſti adventum , cujus primitiæ gentium dicontur Apoſtoli . Hi primi fuerunt , qui crediderunt in Chriſtum , per quos Gentiles & Judæi fidem ſuſceperunt . An verò Eccleſia , quæ ab Abel incœpit , nunquam in fide defecerit : videbimus ſuo loco . Nunc breviter expliçemus , quando Chriſti Eccleſia incœperit ,

CONTROVERSIA XII.

AN ECCLESIA NOVI TESTAMENTI CŒPERIT POST ASCENSIONEM DOMINI .

183 VErſipellis Marcus Antonius de Duminis *lib.* 1. *de Republica Chriſtiana cap.* 1. *n.* 22. ut aſtrueret Eccleſiam abſque ullo capite viſibili , Romanæque Eccleſiæ privilegia everteret , ſuamque ab ea rebellionem veritatis colore obtegeret , novum commentom invexit , docuitque Eccleſiam novi Teſtamenti proprie poſt aſcenſum Chriſti ortom habuiſſe , & nunquam veram Eccleſiam ſua corporali præſentia viſibilibus functionibus Chriſtum gubernaſſe -- Sed per ſolum ſpiritum , & in„ ternam ſuæ gratiæ operationem -- Quà doctrinâ univerſam Eccleſiaſticam diſciplinam dejicit . Verum mentita eſt ſibi iniquitas , nec prævalebunt portæ Inferi adverſus Eccleſiam , ſupra firmam petram a prima veritate ædificatam , ad cujus intelligentiam

Notandum eſt , quod Eccleſia ſumi poteſt , quoad ſuam eſſentialem perfectionem , & quoad ultimam intrinſecam conſummationem , & quoad accidentale complementum . Eſſentialis perfectio conſiſtit in collectione Fidelium ſub uno capite inviſibili Deo , & viſibili Chriſto , aut Vicario ejus , in unitate fidei , ſigno ſacramentali profeſſa . Conſummatio intrinſeca , & ultima importat efficacitatem Sacramentorum , & plenam ſubſtantialiom legum traditionem . Complementum accidentale addit propagationem , & liberum exercitium miniſteriorum . De complemento accidentali dubium non eſt , quod poſt Domini aſcenſionem cœperit . De primis duobus modis , & de primo potiſſime difficultas occurrit , de coque Spalatenſis blaſphemat . His ſuppoſitis

Eccleſia tripliciter valet conſiderari .

Dico Eccleſiam Novi Teſtamenti incœpiſſe ante Chriſti aſcenſum , quod ſubſtantiam ab incœpta prædicatione , quoad intrinſecam conſummationem a paſſione . Hæc catholica veritas eſt .

184 PROB. I. Tunc proprie incœpit Eccleſia Novi Teſtamenti , quando incœpit collectio colentium Deum in fide Chriſti nati , viſibili Sacramento profeſſa : ſed totum hoc datum eſt ante Chriſti aſcenſionem ; ergo , Prob. min. (Maj. enim eſt deſcriptio Eccleſiæ ſubſtantialiter acceptæ) Collectio expreſſe habetur pluribus Evangelii locis, ubi mentio fit de Apoſtolis . & ſeptuaginta Diſcipulis Chriſtum ſequentibus . Lucæ 9. dicitur : *Convocatis autem duodecim Apoſtolis , dedit illis virtutem &c.*, & c. 10. *Poſt hac autem , deſignavit Dominus , & alios 72. , & miſit illos binos ante faciem ſuam* . Fides Chriſti habetur manifeſte Lucæ 2. in adoratione Paſtorum , qui fuerunt primitiæ Judæorum , in Simeone Pontifice , & Anna Propheriſſa , qui natum Jeſum ſuſceperunt in templo , in adoratione Magorum Matth. 2 , qui fuerunt primitiæ gentium . Matth. 16. interrogante Apoſtolos Chriſto : *Vos autem quem me eſſe dicitis* ? Reſpondens Petrus , dixit : *Tu es Chriſtus filius Dei vivi* , Quam reſponſionem ceteri omnes approbaverunt . Et cap. 14. *Qui autem in navicula erant , venerunt , & adoraverunt eum dicentes : verè filius Dei es* . Porro hi erant Diſcipuli . Unitas ſigni Sacramentalis datur in Baptiſmo , quem Diſcipuli exercebant in nomine Chriſti . Joan. 3. *Poſt hac venit Jeſus , & Diſcipuli ejus , in terram Judæam , & illic demorabatur cum eis , & baptizabat* ; & cap. 4. *Quod Jeſus plures Diſcipulos facit , & baptizat* : Non ipſe immediate , ſed Diſcipuli ejus , ut Evangelium explicat , & quidem Baptiſmus iſte diverſus erat , a Joannis Baptiſmate . ut patet ex contexto ; nam conquerebantur Phariſæi , quod Chriſtus baptizaret , & propter hoc plures haberet Diſcipulos , quam Joannes ; & ideo quæſtionem detulerunt Joanni , ex quo hoc in ejus cedere videretur injuriam . Si verò Joannis baptizaſſet Baptiſmo , in magnam gloriam ceſſiſſet Joannis , nec Joannes reſpondiſſet non eſſe mirandum , quia major ipſo Chriſtus erat : & de Chriſto loquens turbis prædicabat . Matth. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua &c. ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto , & igni* ; & Joan. 1. *Super quem videris ſpiritum deſcendentem , & manentem ſuper eum ; hic eſt , qui baptizat* . Audiatur D. Th. *in cap.* 4. *Joan.* , ſic -- Sed ſecundum Aug. dicendum eſt ve„ rius , quod diſcipuli baptizabant Baptiſmo „ Chriſti , aqua ſcilicet , & ſpiritu , qui in „ ipſo Baptiſmo dabatur , & etiam ipſe Chri„ ſtus baptizabat , & non baptizabat . Bapti„ zabat quidem , quia ipſe mundabat inte„ rius , ſed non baptizabat , quia ipſe non „ tingebat aqua exterius &c. -- Et ſolvens objectionem ex alio textu Scripturæ : *Nondum ſpiritus datus erat* , ait -- Dicendum , quod „ non erat datus viſibilibus ſignis , ſicut poſt „ Reſurrectionem Chriſti datus eſt diſcipu„ lis ; ſed tamen datus eſt , & dabatur per „ internam ſanctificationem credentibus -- Alio argumento Aug. docet , illud Baptiſma fuiſſe diverſum a Baptiſmo Joannis , & D.Th. 3. *part. quaſt.* 66. *art.* 2. aſſerit , Chriſtum Baptiſmum ſuum inſtituiſſe in Jordane , cum fuit baptizatus a Joanne .

Collectio Fidelium ſub Chriſto .

185 PROB. II. Eccleſia eſt Chriſti ſponſa : ſed Chriſtus vivens habuit ſponſam ; ergo habuit Eccleſiam. Explicatur min. Joan. 3. cum

Eccleſia Chriſti Sponſa .

eum Phariſæi conquererentur apud Joan. Baptiſtam, quod Jeſus plures haberet ſequentes eum, & in eum credentes; ipſe querelam amovit hoc diſcurſu: *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*. Quo clariſſime demonſtrat Chriſtum habuiſſe Eccleſiam, ex quo tot (Baptizantibus Apoſtolis) accedebant ad Jeſum. En Gloſſa D. Th. -- Iſte autem ſponſus eſt Chri-
„ ſtus: Pſal. 18. Tanquam ſponſus procedens
„ de thalamo ſuo. Sponſa ſua eſt Eccleſia,
„ quæ ei conjungitur per fidem -- Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide*. Idem declaratur ex alia quæſtione, quam invidia Scribarum propoſuit Chriſto Matth. 9. *Quare nos, & Phariſæi, jejunamus frequenter: diſcipuli autem tui non jejunant? & ait illis Jeſus. Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies*. Ecce diſcipuli filii ſunt ſponſi Chriſti, quia in corpore ſuo procreati. Ubi iterum D. Th. Eccleſiam dicit eſſe ſponſam, Chriſtum eſſe ſponſum, aſſignatque rationem, cur filios etiam appellet membra Eccleſiæ, & ſeipſum ſponſum --
„ Quia iſta ſunt nomina amoris -- & legem dilectionis contra legem veterem, quæ erat timoris, condidit in novo Teſtamento. Aug *l. 22. contra Fauſtum c. 21.* alludens huic loco Joan. dicit -- Secundum hoc enim ſpon-
„ ſus, & ſponſa; vir, & uxor; Chriſtus,
„ Eccleſia dicuntur -- Chryſoſt. *Hom.* 28.

185 PROB. III. Ovile Chriſti eſt Eccleſia: ſed Chriſtus ante Aſcenſionem habuit ovile; ergo habuit Eccleſiam. Min. habetur Joan. 10. *Ego ſum oſtium ovium &c. ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ &c. & alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere &c. & fiet unum ovile, & unus Paſtor.* Oves iſtæ adducendæ erant præordinati ad credendum de futuro; & Joan. 17. orans ad Patrem pro illis, qui in ipſum crediderant, ait: *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos: cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo &c., non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Quibus declaratur oves habuiſſe; & Joan. 21. Petro gubernandas oves ſuas conſignat: *Paſce oves meas*: ubi S. Th. -- ideſt

Oves ſub Chriſto.

„ fideles meos &c. ut ſic non poſſit dici Chri-
„ ſtianus, qui dicit ſe non eſſe ſub cura iſtius
„ Paſtoris, ſcilicet Petri -- Ezechiel. 39. *Paſtor unus erit omnium eorum*. Oſeæ 1. *Ponent ſibimet caput unum*.

187 PROB. IV. Pontifex actu Eccleſiam habet: ſed Chriſtus vivens fuit actu Pontifex, ad Heb. 5. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum; filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et munera quidem Pontificis exercuit, ut ſubditur: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*. Et cap. 9. deſcribit Sacrifi-

Chriſtus dum in humanis agebat, erat Pontifex.

cium quod pro populo obtulit, & habuiſſe
A Eccleſiam declarat illud ad Epheſ. 5. *viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea &c. mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Sibi in carne viventi eam comparaverat, pro qua ſanguinem fudit; quam conjunctionem cœpiſſe ab Incarnatione, & in utero Matris, tradit ibi Chryſoſt., & Aug. *Pſal.* 44.

188 PROB. V. Niſi Chriſtus habuiſſet Eccleſiam, actu non exercuiſſet munera capitis viſibilis: ſed actu exercuit; ergo actu habuit Eccleſiam. Min. evidenter conſtat ex toto Evangelio, ex quo breviſſime ſequentia. Leges particulares tulit: Joan. 15. *Hoc eſt præ-* *Exercuit Chriſtus munia capitis.*
B *ceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Audiſtis, quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Matth. 5. plura alia dedit præcepta ſub illa forma *Ego autem* contrapoſitive ad præcepta legis veteris, & alibi. Sacramenta inſtituit. In cœna illud Euchariſtiæ: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*. Matth. 26. Pœnitentiam Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Baptiſmum Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; & ſic de ceteris.

C Doctrinam præclariſſimam prædicando tradidit, tum diſcipulis ſuis, tum turbis Matt. 4. *Docens in ſynagogis eorum*, & cap. 5. *Aperiens os ſuum, docebat eos*. Apoſtolos novi Teſtamenti miniſtros elegit. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Joan. 15. Iis tradidit Ordinis poteſtatem: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Judiciariam juriſdictionem, Matt. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo*. Ibidem coercitivam: *Dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Miſit eos evangelizare. Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes,*
D *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*: Judicia Eccleſiaſtica exercuit, cum litem diſſolvit, Lucæ 22. *Facta eſt autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major*. Controverſias de fide definivit, ut, cum Sadducæis (qui negabant reſurrectionem) interrogantibus, cujus eſſet futura uxor, quæ ſeptem fratres ſucceſſive habuerat viros? Reſpondit Matth. 22. *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*. Et Phariſæis quærentibus: *ſi licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa?* Matth. 18. dixit:
E *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Plures quæſtiones circa leges ſolvit, tum a Diſcipulis propoſitas, tum ab adverſariis. Matth. 22. *Licet cenſum dare Cæſari, an non? &c. reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Sed quid immoror in re clara? Habuit ergo Eccleſiam Chriſtus in carne ambulans, quam viſibiliter direxit, & caput ſe eſſe declaravit: Joan. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine; & bene dicitis: ſum etenim*.

Falſum ergo eſt commentum Spalatenſis, quod Chriſtus per ſolam internam operatio-

Digitized by Google

gationem direxerit Eccleſiam, & quidem ſecundum ejuſdem principia; numero enim tertio vult, electos fuiſſe Apoſtolos ad externum miniſterium; ergo viſibiles elegit miniſtros; ergo viſibilem habuit Rectorem. *Num.* 20., *&* 21. aſſerit, Apoſtolos fuiſſe aſſumptos — Ut eſſent miniſtri operarii ipſius viventis „ adhuc, & regnantis, & in fundanda Ec„ cleſia coadjutores, & pro eo ſupplerent ipſi „ in corporalibus functionibus — Ergo, & viſibilem vineam habuit Dominus, & viſibiliter excolebat, ſi in viſibili opere culturæ cooperatores diſcipulos habuit. Sed quid plura? Sibi contradicens *num.* 23., *&* 24. concedit viſibilis capitis munia exercuiſſe Chriſtum, Sacramenta viſibilia inſtituendo, miniſtros vocando, & mittendo, evangeliſando, errantes corripiendo, legem explicando, a corruptelis vindicando &c. Deinde *num.* 23. habet — Qui„ cumque igitur vices Chriſti in terris gere„ ret, non gereret, niſi vices Chriſti morta„ lis, in iis tantum ad ſummum, quæ Chri„ ſtus mortalis, & paſſibilis, viſibili, & ſen„ ſibili opere in terris exiſtens peragebat —

SOLVUNTUR HÆRETICI ARGUMENTA.

189 OBJIC. I. Eccleſia conceſſa eſt Chriſto in premium laboris, & paſſionis: ſed labor non ceſſavit niſi ab Aſcenſione; ergo nonniſi poſt eam habuit Eccleſiam. Maj. explicatur Iſaiæ 53. *Pro eo quod laboravit anima ejus &c. videbit ſemen longævum*: Sed prius vidimus eum virum dolorum, Pſal. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*: nonniſi poſt aquam paſſionis exaltatum: *Poſtula a me, & tibi dabo gentes hereditatem tuam*, Pſal. 2. At gentes non fuerunt Chriſti hereditas, niſi poſt Aſcenſionem; ergo.

Eccleſia dilatatio præmium paſſionis.

RESP. Dilatatio Eccleſiæ præmium fuit paſſionis, ſicut ejuſdem fuit nominis exaltatio. Ceterum ſubſtantialitas Eccleſiæ conceſſa eſt ei ante paſſionem, ſicut gratia, & gloria eſſentialis. Hinc Hieron. *in cit. locum Iſaia* — Quia igitur laboravit, videbit Eccleſias toto orbe conſurgere, & earum fide ſaturabitur — Et Aug. *Epiſt.* 161. ait — Sermo„ nem eſſe de evidentiſſima completione ſan„ ctæ prophetiæ, quam Dominus in Evan„ gelio confirmavit, & Apoſtoli, per quos „ eadem Eccleſia dilatata eſt, ſicut de illa „ prædictum erat: nam & in capite ſacro„ ſancti pſalterii ſcriptum eſt de filio Dei: „ Poſtula a me — Et D. Thom. *in Pſal.* 2. — Quia per totum mundum ædificata eſt Ec„ cleſia — Eundem ſenſum habet verſiculus alter.

190 OBJIC. II. Actu non eſt, quod futurum eſt, ſed Chriſto vivente ædificanda erat Eccleſia, Matth. 16. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ubi Hieron. ſentit — Ædificationem Eccleſiæ in futuro „ promiſſam, non in præſenti datam — Non ergo Chriſtus Eccleſiam habuit actu.

RESP. Chriſtum loqui de ædificatione integra, quam deſcribit Paulus ad Epheſ. 4. *In ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei; & agnitionis filii Dei, in virum perfectum &c. augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*: quam deſcribit ad Eph. 2. *in quo, & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu*. Hieron. verò ſolum ſentit tunc Petro promiſſum Vicariatum, ſed non collatum, quem tradidit, antequam aſcenderet ad Patrem.

Petrus Chriſti Vicarius.

191 OBJIC. III. Quamdiu corpus non eſt formatum, tamdiu non habet ſuum eſſe ſubſtantiale: ſed Chriſto vivente non erat formata Eccleſia, juxta illud Gloſſæ in Pſal. 40. — Ita dormivit Chriſtus ſomno mortis, ut de „ latere dormientis, de quo profluxerunt „ ſanguis, & aqua, quæ ſunt noſtræ Redem„ ptionis Sacramenta, formetur ſponſa Ec„ cleſia — Idem Gloſſa ad Epheſ. 4. Aug. 12. *contra Fauſtum* 8.

Quomodo Eccleſia ex latere Chriſti.

RESP. Ex latere Chriſti formatam Eccleſiam quoad ſuam intrinſecam perfectionem, quatenus antecedenter valor Sacramentorum, operum, & legis erat ex pretio ſolvendo; poſt mortem verò erat ex pretio ſoluto; quo ſenſu dixit Apoſtolus Chriſtum unâ hoſtiâ conſummaſſe omnia; & Chriſtus ipſe in Cruce clamavit conſummatum eſt. Ceterum etiam poſt dormitionem a morte ſolutus per quadraginta dies fuit cum Diſcipulis loquens de Regno Dei, ideſt inſtruens Apoſtolos circa miniſteria Eccleſiaſtica pro Eccleſia perficienda.

192 OBJIC. IV. Ex Aug. *ſuper canonicam Joan. tract.* 2. — Ibi inchoata eſt Ec„ cleſia, ubi venit de Cœlo Spiritus Sanctus — ſed Spiritus Sanctus venit de Cœlo poſt aſcenſionem; ergo.

Eccleſia poſt Pentecoſten propagata.

Verum mens Aug. plana eſt. Loquitur enim de inceptione quoad propagationem; quia illa die Pentecoſtes Petrus evangeliſavit Jeſum diverſis nationibus, & acceſſerunt tria millia; quo ſenſu pariter loquitur *Pſal.* 147. — Cœpit Eccleſia in Hieruſalem; cre„ vit per omnes nationes — Ceterum *Pſal.* 44., & alibi, tenet Chriſtum unitum Eccleſiæ ab Incarnatione.

193 OBJIC. V. Chriſtus non habuit ſimul duas ſponſas: ſed, dum viveret, ſponſam habebat ſynagogam: non ergo habebat Eccleſiam.

RESP. Non eſt duplex ſponſa, ſed una, & eadem, quam perficiebat, ut docet *cap.* 3. *Oratione contra Judæos* Aug. Quoad ſtatum imperfectum legalium erat repudianda, quoad perfectionem aſſumebatur, ut novi teſtamenti, & non ſub Pedagogo.

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUALITATE ECCLESIÆ MILITANTIS.

CONTROVERSIA I.

AN ECCLESIA SIT UNA UNITATE MISTICI CORPORIS:

1 CUm prima inter Eccleſiæ proprietates unitas habeatur, ut in Symbolo legere eſt: *Credo unam &c.* hac ſuper re primo inſtituimus Controverſias, poſtmodum de aliis acturi. Multiplex itaque in Eccleſia conſiderari poteſt unitas. Ex 5. Metaphyſicorum notat Angelicus 3. *par. quæſt.* 73. *art.* 2.-- Unum non „ ſolum dicitur, quod eſt indiviſibile, vel „ quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt „ perfectum -- Unum indiviſibilitatis illud eſt, quod in plura partiri nequit, & ſi partiatur, illico perit; ſicut Virginitas una eſt, quæ uno actu perditur. Unum continuationis eſt, quod ſub quantitate continua plura adunat, ſicut patet in corpore humano, ubi plura homogenea, & heterogenea membra quantitatis vinculo ita copulantur, ut & ab uno capite influxum recipiant, & mutuis officiis ſe adjuvent. Ad unitatem continuationis reducitur unitas ſecundum formam, ut ſunt ea, quæ ſubjectum non habent identitatis, habent tamen identitatem ſpeciei, quæ non dividitur; qua ratione dicitur a Philoſophis, participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo.

Unitas triplex.

Unum autem perfectionis eſt -- Ad cu„ jus integritatem concurrunt omnia, quæ „ requiruntur ad finem ejuſdem; ſicut ho„ mo integratur ex omnibus membris neceſ„ ſariis ad operationem animæ, & domus „ integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt „ neceſſariæ ad inhabitandum --

Ex his unitatibus reliquæ derivantur, & potiſſimum ab unitate perfectionis, quæ omnes ſuperiores modos includit, & ſolet vocari unitas corporis; & ideo eam propoſuimus in titulo Controverſiæ, circa quam plures extiterunt Hæreſes. Fraticelli duas poſuerunt Eccleſias, unam divitiis affluentem, adeoque carnalem, & ſceleribus maculatam, cui Romanum præfecerunt Pontificem, alioſque inferiores Præſules, aliam ſpiritualem, paupertate ſuccinctam, adeoque virtutibus plenam, in qua ipſi, & eorum ſocii erant. Damnati ſunt in Concil. Viennenſi ſub Clemente V. Wiclephus negabat Eccleſiam poſſe ſub ſe continere Eccleſias particulares, ſeu gradus aliquos Eccleſiaſticos; unde excludebat Regularium Ordines, dicebatque, quando ſimplex fuit, crevit, ſed quando ſpecificæ partes ſubinductæ ſunt ſine licentia Chriſti, decrevit, amiſitque ſuæ individuationis perfectionem. Apud Waldenſem *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16.

Magdeburgenſes ſuperius citati duas ſub Chriſto Eccleſias cum aliis Novatoribus tenent. Henricus VIII., quem ſecutus eſt Jacobus in ſua Apologia, & præfatione ad Principes, tot Eccleſias ex æquo intulit, quot Regna diſtincta. Marcus Antonius de Dominis *lib.* 1. *de Republ. Chriſtiana cap.* 1. blaſphema ſubtilitate unitatem Eccleſiæ ſuſtulit ſub formali corporis analogia, dicens, quod Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ, ſed membrum, ſubinferens, nullum membrum poſſe eſſe caput, quo medio viam ſibi paravit ad denigranda privilegia Primatus Petri. Sed

Dico. Eccleſia eſt una unitate perfectionis.

2 PROB. I. Quoties Eccleſia Militans univerſalis, & ſecundum ſe tota in ſcripturis deſcribitur, & præcipue in ordine ad Chriſtum, ſingulari nomine exponitur: ſed locutio in ſingulari unitatem importat; ergo Eccleſia eſt una. Declaratur min. ad Epheſ. 3. *Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu in omnes generationes.* Ad Epheſ. 5. *Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*: Quo loco ex optima analogia unitatis uxoris, unitas Eccleſiæ deſignatur, cui alludunt duo alia loca. *Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*, Sponſam ſcilicet, non diviſam. *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Item ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ubi Cyprianus *de unitate Eccleſ. relatus* 24. *q.* 1. *Can. Loquitur*-- Sed „ exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccle„ ſia una monſtretur &c. primatus Petro datur, „ ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una „ monſtretur -- infra habet codex Cypriani: ex quo hic faciunt illæ ſingulares locutiones -- Una eſt columba mea, Perfecta mea: una „ eſt Matri ſuæ, electa Genitricis ſuæ -- Advertens pariter columbam, animal eſſe unguium laceratione minime violentum; quia in varias non ſcinditur Eccleſia Chriſti. Similia ſæpe in ſcripturis habentur, ut Jo. 10. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere &c., & fiet unum ovile, & unus Paſtor.* Neceſſe eſt, ut ſint in Eccleſia, quod veniant ad unum ovile, nec plura paritur ovilia Chriſtus Salvator noſter. 1. ad Corinth. 12. *In uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno ſpiritu potati ſumus*: Quo nihil melius pro unitate, ſicut ad Epheſ. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ*: Ubi & ex unitate finis, & ex unitate formæ, & ex unitate materiæ, Eccleſiæ unitatem declarat. Ubique ergo Eccleſia antonomaſtice accepta in ſingulari exponitur, & ſingularis deſcribitur.

Locutio ſingularis unitatem importat.

3 PROB. II. ſimilitudinibus ex Scriptura excerptis, & per Patres expoſitis. Exodi 12. Hebræis jubetur, ut in domo agnum comedant, & prohibetur, ne carnem foras projiciant. Figuratur ibi unitas Eccleſiæ, ut bene advertit Cyprianus *de unitate Eccleſiæ*-- „ Caro Chriſti, & Sanctum Domini ejici „ foras

Similitudinibus invenitur Eccleſiæ unitas.

„ foras non poteſt, nec alia ulla credentibus, „ præter unam Eccleſiam, domus eſt — Ad cujus conſonantiam Paulus ad Tim. ſcribens 1. cap. 3. ait : *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis* — Idem Cyprianus exponit illud Joſue 2., ubi ad Raab dicitur, quod Patrem, & Matrem, & Fratres, & totam domum ad ſeipſam in domum ſuam colligat : *Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput ejus*. Pro unitate Eccleſiæ intelligitur, in qua una colligitur, qui Chriſti eſt, & qui per alia domicilia foras vagatur, Chriſti non eſt.

S. Ambroſius *lib.* 7. in illud Lucæ 11. *Nam ſicut fuit Jonas ſignum Ninivitis; ita erit & filius hominis generationi iſti. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris &c.* Dicit hic Eccleſiæ myſterium evidenter exprimi, quæ in Ninivitis per pœnitentiam, & in Regina Auſtri per ſtudium percipiendæ ſapientiæ de totius orbis finibus congregatur, ut pacifici Salomonis percipiat ſermones, *Regina plane, cujus Regnum eſt diviſum, de diverſis, & diſtantibus populis in unum corpus aſſurgens*. Item in Epiſt. ad Epheſ. 4. Tertullianus pariter *de præſcript. cap.* 20. oſtendit particularium Eccleſiarum pluralitatem, Eccleſiæ unitatem facere. S. Hieronymus exponens illa verba Pſal. 60. *A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum* — ideſt a quatuor „ partibus mundi, quaſi unus homo clamat, „ vel unus homo eſt una Eccleſia. Propter „ unitatem dicitur una &c. — Aug. ibidem *A finibus terræ* — Hæc Chriſti poſſeſſio, hæc „ Chriſti hereditas, hoc Chriſti corpus, hæc „ una Chriſti Eccleſia, hæc unitas, quæ nos „ ſumus, clamat —

Aug. in illud Joan. 19. de veſte Chriſti : *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum*, de qua dictum eſt, *ut non ſcinderetur*. Tract. 118. intelligit Eccleſiam ex quatuor mundi partibus concorditer in unam diſtributam. Optatus Milevitanus comparat manui, quæ una eſt, licet diverſos habeat digitos *lib.* 2. Unde plures Eccleſiæ numerantur in nomine — Sed uno intellectu ſuo „ junguntur, ut corpore, manu digiti, quos „ intervallis ſingulis videmus eſſe diſtinctos — His ergo & ſcripturis, & ſimilitudinibus declarant SS. Patres Eccleſiæ unitatem.

4 PROB. III. variis ſcripturalibus momentis. Eccleſia Chriſti perfecta eſt, Cantic. 6. *Columba mea, perfecta mea* : ſed perfectio habetur ab unitate, & quo res magis de unitate habet, eo perfectior eſt, ut patet in Deo; hinc S. Thom. *in locum cit. Cant.* — „ Una Catholica eſt per univerſum orbem „ diffuſa Eccleſia, quæ ex Reginis, & ado- „ leſcentibus conſtans jam contubernia ha- „ bet, hoc eſt etiam, qui nomine, vel re Do- „ ctores dicuntur. Una eſt Eccleſia, quia „ ſciſſuram, & ſchiſmata non recepit : ſed „ ſicut unus eſt Deus, una fides, unum Ba- „ ptiſma; ita una eſt generalis Eccleſia —

Fortitudo ex unitate.

II. Eccleſia eſt fortiſſima adverſus hoſtes ſuos, Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* : ſed fortitudo potiſſime conſurgit ex unitate; quo enim major eſt unitas, eo major eſt reſiſtentia adverſantibus; in omni enim genere valet illud : *Virtus unita fortior* : unde Cantic. 6. dicitur Eccleſia: *Terribilis ut caſtrorum acies*; quia una, & potentiſſima adverſus inimicos : ubi S. Thomas — „ Hæc ergo ordinatiſſima diſpoſitio Eccleſiæ „ terribilis eſt immundis ſpiritibus, velut „ acies caſtrorum ordinata ad bellum, quia „ Imperium ſuum, & poteſtatem conferre „ non ceſſat uſque ad terminos totius orbis — Et cap. 7. de eadem Eccleſia dicitur — Quid „ videbis in Sulamite, niſi choros caſtro- „ rum? — quibus unitatis Eccleſiæ perfectio declaratur : ubi idem Aquinas — Niſi choros „ caſtrorum, ideſt, nonniſi charitatis con- „ cordiam, & ſtabile robur fidei, quo pro „ defenſione meæ fidei pugnabit : nam chori „ canentium ſunt, caſtra vero militum pu- „ gnantium — En ab unitate Eccleſiæ fortitudo pendet.

III. Eccleſia Chriſti uſque ad finem ſeculi eſt duratura, Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* : Sed hæc duratio pendet ab unitate; dicitur enim Oſeæ 10. *Diviſum eſt cor eorum; nunc interibunt*· & Lucæ 11. v. 17. *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur*; ergo Eccleſia una eſt.

Unitas facit ordinem.

IV. Eccleſia Chriſti pulchra eſt, ut habetur Cant. 6., ſed pulchritudo ab unitate provenit; ordo enim dat rebus omnibus pulchritudinem, & quia in Inferno nullus eſt ordo; ideo confuſio, & ſempiternus horror inhabitat: ordinem verò unitas facit, ut tradit D. Th. *in Pſal.* 44. — Pulchritudo con- „ ſiſtit in proportione membrorum, & colo- „ rum — quæ proportio ordo eſt: pulchra eſt ergo Eccleſia, & una. Unde Aug. *in Pſal.* 44. *ad verſic.* 10. *Adſtitit Regina in veſtitu deaurato* — Veſtitus Reginæ hujus quis eſt? & „ pretioſus eſt, & varius eſt. Sacramenta do- „ ctrinæ in linguis omnibus variis. Alia lin- „ gua Afra, alia Syria, alia Græca, alia He- „ bræa, alia illa, & illa. Faciunt iſtæ lin- „ guæ varietatem veſtis Reginæ hujus. Quo- „ modo autem omnis varietas veſtis in uni- „ tate concordat, ſic & omnes linguæ ad „ unam fidem. In veſte varietas ſit, ſciſſura „ non ſit — En pulchritudo, & unitas.

Diviſio a Chriſto elongat.

V. Non poteſt eſſe multiplex, & diviſa Chriſti Eccleſia, niſi Chriſtus ipſe ſit diviſus: ſed Chriſtus dividi non poteſt; ergo nec Eccleſia. Totum hoc oſtenditur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 1. *Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephæ; ego autem Chriſti : diviſus eſt Chriſtus?* Ecce ex diviſione Eccleſiarum : Ego ſum Donati; ego Novati, Chriſtus dividitur: quod tamen fieri nequit. 1. Joan. 4. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus* : & ratio a priori traditur a Paulo ibidem : *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis* : ideſt ſolus Chriſtus crucifixus eſt, & ex virtute illius crucifixionis vim habet, quidquid in ejus Eccleſia valet. Cum ergo unus paſſus ſit, & una Chriſti virtus ſit, etiam Eccleſiam unam eſſe neceſſe eſt. Quare recte a Concilio Conſtantinopolitano I., & ſequentibus generalibus receptus eſt articulus ille : *Credo unam ſanctam &c.* Ex his pariter conſtat contra Spalatenſem, Eccleſiam jure optimo unitatem cor-

 poris

poris ſibi vendicare ; nam de ratione corporis aſt, quod diverſa membra contineat ſubordinata , quandam in natura conſonantiam participantia cum capite, a quo influxum recipiunt: ſed Eccleſia habet varia membra ad invicem ſubordinata ; ideo dicitur 1. Corinth. 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa ; omnia autem membra corporis cum ſint multa , unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus* . Eadem habet ad Rom. 12., & ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos ; quoſdam autem Prophetas ; alios vero Evangeliſtas ; alios autem Paſtores , & Doctores* . Ubi etiam habemus influxum ab uno ut a capite : *Qui eſt caput Chriſtus ex quo totum corpus compactum* . Nec niſi temere ſpernitur analogia illa naturalis corporis , quæ toties innuitur . Ad Epheſ. 1. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam , quæ eſt corpus ipſius* : ubi Hieron. -- Super omnem Eccle-
„ ſiam , quia Eccleſia plenitudo eſt omnium
„ membrorum -- & ad Coloſſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ* : ubi Gloſſa -- Bene di-
„ citur caput corporis, ideſt , Eccleſiæ; quia
„ ita ſe habet ad Eccleſiam , ſicut caput ad
„ corpus -- & Aug. fidem hujus veritatis pluries facit : *De unitate Eccleſiæ* -- Eccleſia cor-
„ pus Chriſti eſt , ſicut dicit Apoſt. ad Co-
„ loſſ. 2. -- Pſal. 90. Conc. 2. -- Corpus au-
„ tem hujus capitis Eccleſia eſt -- *Epiſt.* 50. *ad Bonifacium* -- Eccleſia Catholica ſola cor-
„ pus eſt Chriſti, cujus ille caput eſt Salva-
„ tor corporis ſui -- Et Doctor Angelicus 3. *parte quæſt.* 8. *art.* 1. docte oſtendit , Chriſto omnes conditiones capitis convenire in ordine ad Eccleſiam , ordinem videlicet , perfectionem . & virtutem . Ordo in capite datur ; quia eſt primum membrum, & Chriſto hoc competit : qui in ordine gratiæ prior eſt, & altior ceteris . Deoque propinquior . Perfectio ; quia in capite vigent omnes ſenſus , tum interiores, tum exteriores , & de Chriſto dicitur Joan. 1. v. 14. *Vidimus &c. plenum gratiæ , & veritatis* . Virtus; quia virtus , & motus ceterorum membrorum, & gubernatio eorum in actibus eſt a capite propter vim ſenſitivam , & motivam ibi dominantem ; & de Chriſto legimus *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* : Ibid. v. 16. Chriſtus ergo caput , Eccleſia corpus, in quo cum ſit perfecta unitatis ſtructura , ſequitur in Eccleſia dari unitatem perfectionis , ſeu corporis, quod in idem redit .

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM .

PLurima coacervant Hæretici argumenta, ut Eccleſiæ unitatem deſtruant , quorum aliqua ſoluta ſunt in præcedentibus , alia ſedem propriam habent in ſequentibus: ne ergo , quantum fieri poteſt , eadem repetamus, ea aſſumimus , quæ hujus fori eſſe videntur.

5 OBJIC. I. Ante adventum Chriſti dabatur duplex vera Eccleſia , una Judæorum, Gentilium altera , & utraque ſalvabat ; ſicut habemus in exemplo Job , & Ninivitarum , patet enim quod Eccleſia Gentilium non utebantur ritibus Judæorum , nec tenebantur Gen- A tiles converti ad Judaiſmum ; ergo etiam poſt adventum Chriſti dabitur duplex vera Eccleſia, viſibilis , & inviſibilis &c.

RESP. I. Dato anteced. neganda eſt conſequentia ; quia Chriſtus licet non venerit ſolvere legem, venit tamen ad perficiendam , ac proinde defectum minoris unitatis ſuſtulit : unam ſibi fecit ſponſam ex Gentilitate , & Judaiſmo, ad Epheſ. 2. *Qui fecit utraque unum*. At negandum eſt etiam antecedens; nam ſubſtantialiter non erat duplex Eccleſia , ſed eadem ; quoad eſſentialia enim conveniebant : tenebantur ſive Judæi , ſive Gentiles credere , ſperare , diligere Deum & ſenſibilibus ſignis B fidem ſuam declarare , & profiteri : ſicut Eccleſia ſub ſtatu naturæ erat ejuſdem rationis ſubſtantialiter cum Eccleſia ſub ſtatu legis ſcriptæ , & tamen multum differebat in ceremoniis , præceptis , & Sacrificiis lex Moyſaica a prima : ita majora , & explicatiora ſigna habebat , & ad ea tenebatur Judaiſmus , quibus non adſtringebatur Gentilis , qui ſalvabatur : liberum erat tamen Gentili tranſire ad Judaiſmum . Nunc verò una eſt Eccleſia omnino quoad omnia , etiam ſigna ſenſibilia Sacramentorum, & capitis identitatem; tunc enim Gentilis non niſi implicite ſubjiciebatur uni viſibili , quatenus per incluſionem legis C naturæ in lege Aaronica ad idem Sacerdotium implicite pertinebat : Viſibilitas autem , & inviſibilitas in Eccleſia ſe habent ut forma , & materia , anima , & corpus , ex quibus fit unum formatum , & animatum .

Gentiles aliqualiter ſubordinati legi Judæorum .

6 OBJIC. II. Sæpe in Scripturis Eccleſia ſub analogia Regni proponitur , ut Iſaiæ 9. *Super ſolium David , & ſuper Regnum ejus ſedebit* , ideſt , ſuper Eccleſiam , ex Gloſſa . Lucæ 1. *Et Regni ejus non erit finis* , ideſt Eccleſiæ : Sed ſub uno Rege plura continentur Regna , quorum unum non eſt alterius portio ; ergo ſub uno Chriſto plures dantur diſtinctæ Eccleſiæ .

D RESP. Non Regnis , ſed Regno aſſimilatur Eccleſia , ac proinde una , non multiplex deſignatur , licet plures portiones , ſeu partes materialiter diſtinctas contineat : ſicut ſub uno Principatu ſunt plures Civitates particulares , habentes Præpoſitos , leges municipales diverſas, & in una Civitate ſunt diverſi gradus ædituorum , opificum , Sacrorum . Quod accidat diverſa Regna reperiri ſub uno, ideo eſt, quia diverſam formam, & regulam conſtitutivam obtinent . Ceterum , quotquot Chriſti ſunt, ubicumque ſint , una regulâ, uno ſpiritu fidei diriguntur ; adeoque unum ſunt . Id enim Catholicum eſt, id Chri- E ſtianum -- Tenere , quod ubique , quod ſem-
„ per, quod ab omnibus creditum eſt -- Vincentius Lirin. *cap.* 3. *contra hæreſes*. Ideo Aug. *cap.* 12. *lib. de unitate Eccleſiæ* , dicebat --
„ Neque enim , quia & in orbe terrarum
„ plerumque Regna dividuntur ; ideo & Chri-
„ ſtiana unitas dividitur , cum in utraque
„ parte Catholica reperiatur Eccleſia -- „

Chriſti Eccleſia ubique eadem .

7 OBJIC. III. Eccleſia non raro in Scripturis deſignatur ſub typo Domus 1. ad Tim. 3. *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia* : ſed ſub Chriſto duplex reperitur domus , una ædificata

ſuper

ſuper petram, altera ſuper arenam, Matth. 7. utraque ſubaudiens verba Chriſti; ergo duplex eſt Eccleſia.

RESP. neg. min. Unam habet Chriſtus domum; Idem Proverb. 9. dicitur: *Sapientia ædificavit ſibi Domum*, & 14. *Mulier ſapiens ædificat domum ſuam*: duplex illa Eccleſia Matth. 7. deſcripta non eſt Chriſti, ſed una tantum: altera enim Diaboli eſt, videlicet, Infidelium, ſicut optime ex littera Evangelii exponit Angelicus. Vir ſapiens Chriſtus, qui ſupra petram, ideſt, ſuper ſeipſum ædificavit Eccleſiam, qui fundamentum cum ſit æternæ veritatis, immobiliter fundat domum, quæ non cadit, etſi pluvia falſæ doctrinæ, venti diabolicæ invidiæ irruant in eam. Stultus eſt Diabolus; domus, quam ædificat, eſt congregatio Infidelium; arena ſunt Infideles infructuoſi, qui dicuntur audire verba Chriſti, quia in omnem terram exivit ſonus eorum; ſed non faciunt, quia non ſuſcipiunt fidem. Ceterum ſi quis velit utramque illam domum ad Chriſtum pertinere, neceſſe eſt, quod idem fundamentum utrique concedat, ſcriptum enim eſt 1. ad Corinth. 3. -- *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Ubi domus aliud fundamentum habet, Chriſti non eſt, & pro viro ſapiente intelligat oportet fidelem, prudentem, qui ædificat opera veræ charitatis; pro ſtulto mundanum, qui temporalibus inhiat, & duplex dicetur eo modo, quo cœtus juſtorum, & malorum duplex dicitur, licet ad eundem Chriſti gregem ſpectet; ſicut cœtus filiorum, & ſervorum duplex appellatur etiamſi ad eandem ſpectet familiam. Eundem ſenſum patitur altera ſcriptura Matth. 7. ab adverſariis inducta, intrantium, videlicet per anguſtam portam, legum obſervatione, & ſpatioſam viam inambulantium, voluptatibus indulgendo.

Ubi idem fundamentū, ibi una Eccleſia.

8. OBJIC. IV. Non debemus ſcripturas extorquere: ſed in ſcripturis multiplicem habemus Eccleſiam, Pſ. 67. *In Eccleſiis benedicite Deo Domino*. Apocal. 1. *Septem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia*; & alibi: unde dicitur Eccleſia Græca, Latina, Armena &c.; ergo non eſt una.

RESP. Multiplex eſt Chriſti Eccleſia, & una, quia plures particlares unam conſtituunt univerſalem, ſicut docet Damianus *Opuſculo* 15. *cap.* 5. -- Licet multiplex videatur Eccleſia propter numeroſitatem gentium; una tamen, & ſimplex eſt unius fidei, & Divinæ regenerationis confœderata myſterio; & quanquam ſeptem mulieres acceperint virum unum; virgo tamen, & una cœleſti illi viro dicitur deſponſata, de qua nimirum Apoſtolus: deſpondi, inquit, vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto -- Multitudo, quæ unâ eſſentiali dirigitur regulâ, una eſt, licet pars aliqua accidentalibus ſuperligetur ritibus. Clamat Paulus ad Philip. 3. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula*; & tamen diverſa ſtatuit in ſuis Epiſtolis diverſis Eccleſiis, & ſtatibus fidelium; quia nec ſtatus diverſitas, nec Eccleſiarum particularium diſtinctio unitatem ab una eſſentiali forma emanantem imminuit.

Plures Eccleſiæ unam conſtituunt.

Hinc Epiph. exponens illud Cantic. 6. *Sexaginta ſunt Reginæ*, *hær.* 35. habet -- Ceterum, etſi octuaginta ſint pellices, quæ ſane ſunt ipſæ hæreſes, deinde verò puellæ quarum non eſt numerus, una eſt Columba mea -- Eccleſia ſcilicet.

9. OBJIC. V. Non datur unitas perfectionis, ubi non datur unio ad unum caput: ſed Eccleſia non unitur capiti Chriſto; ergo non habet unitatem perfectionis. Min. explic. Unitas attenditur ſecundum eſſentiam: ſed alia eſt eſſentia Chriſti, alia fidelium; ergo. Ulterius: Nobilius eſſet corpus Eccleſiæ capiti unitum, quam ſolus Chriſtus, quod eſt falſum. Denique fideles ſunt membrum de membro, ergo Chriſtus non eſt caput.

Verum hæc futilia ſunt: fideles unum faciunt cum Chriſto capite, participatione donorum ſupernaturalium, non autem identitate perſonæ phyſice acceptæ, licet inter fideles, & Chriſtum detur etiam identitas in natura ſpecifica hominis. Chriſtus præhabet in ſe perfectionem totam ſui corporis, unde non ſequitur hoc eſſe melius Chriſto. Chriſtus ſecundum humanitatem dici poteſt membrum, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ ſecundum Divinitatem: ut D. Th. in illum locum 3. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 4. *diſt.* 49. *art.* 3. *ad* 4.

Fideles unum ſunt cū Chriſto.

CONTROVERSIA II.

AN ECCLESIA SIT UNA UNITATE INDIVISIBILITATIS.

10 UT ſe in Eccleſia conſtituant Hæretici, arbitrariam adinvenerunt diſtinctionem articulorum fidei in fundamentales, & non fundamentales. Fundamentales ad unitatem Eccleſiæ ſufficere contendunt, ſtatuuntque veram Eccleſiam de facto ſubſiſtere cum multis erroribus. Hac arte inſuper credunt pacificare poſſe Lutheranos cum Calviniſtis, ceteriſque ſectariis, & hos omnes cum Catholicis, ita quod omnes diſſenſiones, quæ inter nos vergunt, & ipſos, de adiaphoris dogmatibus dici debeant. Sic Lutherus *tom.* 7. *de notis Eccleſiæ* -- Eccleſiæ eſt verbum Dei, licet id aliàs magis, aliàs minus pure doceatur -- Melancton in locis communibus, *loco* 12. *de Eccleſia* -- Eccleſia ad Evangelium Dei alligata eſt, ut ſonet in miniſterio recte docentium -- etiamſi hos inter alii plus, alii minus lucis habeant. Calvinus *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 1. §. 12. -- Quin etiam poterit, vel in doctrinæ, vel in Sacramentorum adminiſtrationem vitii quidpiam obrepere, quod alienare nos ab ejus communione non debeat; non enim unius ſunt formæ omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ita neceſſaria cognitu, ut fixa eſſe, & indubitata omnibus oporteat, ſeu propria Religionis capita, qualia ſunt, unum eſſe Deum &c., & ſimilia. Sunt alia, quæ inter Eccleſias controverſa, fidei tamen unitatem non dirimant &c. -- Beza *lib. contra Brentium* de myſterio Cœnæ loquens --

„ Rem

„ Rem tanti momenti non eſſe, ait, quin
„ diſſentientes a Lutheranis, pro fratribus
„ tamen eorum haberi debeant --

Fajus *in Enchiridio edito* 1605. *diſp.* 54. *concl.* 22. dicit -- Nec tamen deſinere eſſe
„ Eccleſiam; dummodo fundamentum te-
„ neatur, quod eſt Chriſtus, ſeu ſalus per
„ Chriſtum -- Petrus Martyr *Apolog. Eccleſiæ Anglicanæ, & Epiſt. ad Argentoratenſes*. Philippus Mornay *lib. de Eccleſia cap.* 2. Confeſſio Helvetica *cap.* 7. Smidellinus *contra Staphilum*. Georgius Caſſander *lib. Pii Viri*. Hinc liber Gallico idiomate editus, cui titulus: *Examen pacificum Doctrinæ Hugonotorum*, hos, & Catholicos vocat domeſticos unius, & ejuſdem fidei, & Joan. Frith. *in actis, & monum. pag.* 503. dicit controverſiam de ſubſtantia Euchariſtiæ neminem obligare ſub pœna æternæ damnationis, ut eam credat, vel non credat. Marcus Antonius Spalatenſis omnibus Hæreticis omnia factus, & a ſingulis ejectus *lib.* 7. *cap.* 11., & *cap.* 12. audacter contedit pro hac phantaſia, taliter ut aſſerat -- Integram fidem ſervari inter Occidentales, & Orientales, etiam ſi in duabus
„ eſſentialibus controverſiis de proceſſione
„ Spiritus Sancti, & de Papatu, differant --
& ſimilia paſſim alii Proteſtantes. Quare magni momenti præſens Controverſia eſt. ideo

Dico: Eccleſia una eſt unitate indiviſibilitatis.

11 PROB. I. ſcripturis. Circa doctrinam fidei diviſiones, & diſſenſiones non admittit Deus, nec Eccleſia: ſed ſi ſubſiſteret Eccleſia in ſolis fundamentalibus articulis, diſſenſiones admitteret; ergo. Maj. habetur ad Rom. 16. v. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*. Si obſervandi, ſi declinandi; non ergo diſſenſio in doctrina ſtat cum ſoliditate Eccleſiæ: & ulterius verſiculo ſequenti proſequitur: *Hujuſmodi enim Chriſto Domino Noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda Innocentium*. Seductores ſunt, qui ſecuritatem præſtant, docentes fidem non perdi, Eccleſiam non amitti offendiculis doctrinæ. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*, clamat Paulus 1. ad Corinth. 14. v. 33. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe; nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*, cap. 11. ejuſdem Epiſt. v. 16. damnat Scriptura, damnat Eccleſia bella, & contentiones in doctrina fidei.

Eccleſia diſſenſiones averſatur.

Explicatur I. Neceſſarius eſt ſummus in articulis fidei conſenſus, ne ſcindatur Eccleſia: ſed non eſſet neceſſarius, ſi errores eſſent ſolum quidam nævi, & ſtipulæ; ergo. Maj. habetur 1. ad Corinth 1. v. 10. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*. Conſenſus perfectus in eodem ſenſu, & conſenſus ſummus, dicere omnes idem in eadem ſententia, non eſt diverſimode ſentire, non eſt ſymbolum recipere, & alia dogmata reſpuere: ſi diſſimiliter ſentire dividit fideles in Schiſmata, neceſſe eſt dicere Integritatem omnimodam in fide requiri. Audiatur D. Thom. in hunc locum -- Ut in idipſum dicatis omnes,
„ ideſt, omnes eandem fidem confiteamini, &
„ eandem ſententiam proferatis de his, quæ
„ ſunt communiter agenda -- Rom. 15. *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum &c. & non ſint in vobis Schiſmata*, quia unitas Eccleſiaſtica dividi non debet, in cujus ſignum milites de tunica inconſutili Joan. 19. dixerunt: *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit*. Sunt autem proprie ſchiſmata, quando, vel propter diverſam fidei confeſſionem, vel propter diverſas ſententias de agendis, homines unius Collegii in diverſas ſeparantur partes.

Diviſio ſchiſmata facit.

A

B Explicatur II. Ut ſtet Eccleſia, id requiritur, quod Scriptura tradit ad Coloſſ. 2. *Firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ. Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis*: ſed non habetur hoc firmamentum fidei, ubi una veritas admittitur, altera negatur, ut habetur ad Phil. 2. *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipſum ſentientes*. Ut idem ſapiatis circa ea, quæ ſunt fidei, commentatur Angelicus, ubi addens illud Rom. 15. *Deus autem patientiæ, & ſolatii det vobis*
C *idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum*. Idem ait -- Non diverſa; unanimes,
„ non difformes; uno ore, non multiplici --
quod optime declarat a pari de charitate, quæ, ſi integra non ſit, tota deperditur. Sicut, ſi non occidat quis proximum, ſed furetur; ſi verbo diligat, non corde, nulla habetur vera charitas; ita multo magis in fide, quæ omnium eſt radix.

Idem ſentiendum circa fidem.

Explicatur III. Conſtitutivum formale Eccleſiæ eſt forma omnino indiviſibilis: ſed hanc indiviſibilitatem non ſervat, qui partitur dogmata; ergo non retinet conſtitutivum
D Eccleſiæ. Maj. habetur ad Philipp. 3. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula*. De ratione autem regulæ eſt, quod nec ſibi addi, nec nulli patiatur, ut docet Chryſoſtomus 2. *ad Corinthios* 10. -- Proprium regulæ eſt, quod
„ nec addi ſibi quidquam, nec demi ſuſti-
„ net -- Quam indiviſibilitatem indicat pariter Apoſt. cum dicit: *In eadem regula*: Ly *eadem* identitatem ſignificat: unde qui unum admittit, aliud rejicit, Eccleſiæ conſtitutivum non retinet; eſtque advertendum, Paulum loqui ad eos, qui revelationes habebant a
E Deo, & vult, quod hi non addant, nec tollant de his, quæ didicerunt, de his, quæ fidem tangunt: præmittit: *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus; & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit*: ubi S. Th.
-- Et quamvis altius eſt vobis revelatum ali-
„ quid, quod non mihi, non contradico,
„ ſed cedo veſtræ revelationi: veruntamen
„ nolo; quod propter hanc revelationem ab
„ unitate Eccleſiæ diſcedatis; ſed teneamus
„ ex unitate illud, ad quod pervenimus, ut
„ idem ſapiamus &c. -- quæ unitas Eccleſiæ conſiſtit in unitate veritatis fidei, & rectitudinis bonæ operationis.

Unitas Eccleſiæ in veritate fidei.

Ex-

Eccleſia ſtabilis.

Explicatur IV. Forma, qua conſiſtit Eccleſia, eſt omnino ſtabilis; & ideo in æternum ſtat: ſed non eſſet, ſi quoſdam admitteret, quoſdam rejiceret articulos; ergo. Hoc habetur ad Epheſ. 4., ubi traditur Chriſtum dediſſe Eccleſiæ Paſtores, & Doctores: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*. Ecce cur dati ſunt Doctores, cur Apoſtoli; ut omnes eandem doctrinam teneant, ut non ſit fluctuatio, dum unus negat, alius affirmat -- „ Dicuntur autem fluctantes a fluctu; quia „ tales ad modum fluctus non ſunt ſimul in „ fide -- ut explicat D. Th.: identitas ergo fidei in omnibus exigitur. 2. Corinth. 4. v. 13. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei*, ad Epheſ. 4. v. 3. *Solliciti ſervate unitatem ſpiritus*, ad Phil. 4. v. 2. *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor idipſum ſapere in Domino*. Repetit Apoſt. ibidem ad Eph. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum &c.* Veritatem facientes, quæ in indiviſibili conſiſtit; non enim unum verum recipit, & aliud rejicit; ſed omne verum.

Explicatur V. Si addere aliquid, vel tollere de Articulis fidei ſeparat ab Eccleſia, difformitatem doctrinæ non admittit Eccleſia, nec errores ſunt nævi, aut ſtipulæ: ſed addere, vel tollere ſeparat: unde cum Galatæ ſeducti puritatem doctrinæ ipſis prædicatæ obſcuraſſent admixtione quorumdam errorum, & dogmatum falſorum, Paulus cap. 1. v. 6. ipſis reſcribens, ait: *Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium &c., ſed licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis; præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Præterquamquod*, ſcilicet, ſive ſupra, ſive præter, anathema ſit, ideſt, ſeparatur. Si error ſeparationem facit ab Eccleſia: non ergo Eccleſia ſubſiſtit cum mixtura falſitatis.

12 PROB. II. Si ſoli primarii, & fundamentales articuli ad conſtitutionem Eccleſiæ pertinerent, Patres antiqui non damnarent eos, qui etiam in minimis Eccleſiæ contradicunt: ſed damnant. Hieron. *in Apolog. 3. contra Ruffinum* -- Etiam propter unum, „ aut duo, quæ contraria ſunt fidei, hæreſes „ fuiſſe ejectas ab Eccleſia -- Et Nazianz. *lib. de fide*, ait -- Nihil periculoſius his Hæ„ reticis eſſe, qui, cum integre per omnia „ decurrant, uno tamen verbo, quaſi vene„ ni gutta, unam, ac ſimplicem fidem infi„ ciunt -- Apud Theodoretum *lib. 4. Hiſto. Eccleſ. cap.* 17. legimus, quod roganti Præfecto Valentis Imperatoris Baſilium, ut paululum temporis indulgeret, & tot Eccleſias non perderet unius vocis ſubtilitate, ipſe reſpondit -- Qui Divinis enutriti ſunt eloquiis, „ corrumpere de Divinis dogmatibus ne „ unam quidem ſyllabam patiuntur, ſed pro „ his, ſi contingat, etiam mortis ſpecies „ amplectuntur -- Similis reſponſio data eſt Imperatori exilium minanti, a Silvano, &

Damnatus, qui in minimis adverſatur Eccleſiæ.

Euſtachio Epiſcopis *lib. 5. cap. 24. Hiſt. tripart.* Eadem conſtantia ſcripſerunt Imperatori Catholici, ne unam ſyllabam velle immutare; etſi ſub hac conditione pacem promitterent Arriani: apud Theodor. *lib. 2. Hiſt. cap. 18., & 19.*

Zeno Imperator Eccleſiam propter ſtatuta contra Eutychianos in Chalcedonenſi Concilio diviſam cernens, edictum protulit unitivum, ſeu Enoticum dictum, quo ſtatuit, ut quæ in Concilio Epheſino fuerant definita, ſuſciperentur ab omnibus; quæ verò in aliis, & maxime Chalcedonenſi, nequaquam. At quæ pax orta? Plurimæ prodierunt ſectæ in Oriente, & Occidente, & Lybia, nec ad invicem, nec cum cæteris communicantes. Quid verò Catholici veri agebant? -- Decretis Chalcedonenſis Synodi ad„ modum fortiter adhærebant, & ne ſylla„ bam quidem ex illis, quæ determinata in „ ea fuerant, adverſariis concedebant -- & non communicabant cum oppoſitum ſentientibus, ſic Evagrius *lib. 3. cap. 14., & cap. 30.* & bene; qua enim ratione vera ſunt dogmata unius legitimi Concilii Generalis, eadem vera ſunt, quæ ab omnibus ſtatuuntur, & ſingulis, cum unus, & idem Spiritus Sanctus adſit magiſter. Hinc in Concil. Florentino in unione Græcorum præceptum eſt, quod non ſolum primas reciperent Synodos, ſed -- „ Omnes alias univerſales, auctoritate Ro„ mani Pontificis legitime celebratas, ſicut, „ & cæteri fideles reverenter ſuſcipiunt --

Euphemianus Conſtantinopolitanus pacis cauſa rogavit Gelaſium Papam, ut paululum condeſcenderet Hæreticis, & aliquid remitteret circa Religionem; contentus eſſet, Eutychetis damnari errores, & prædicari, quæ antiquitas prædicabat: permitteret verò, & toleraret ſectarios, & maxime Acatium, quem hæreticum, & excommunicatum aſſerebat Papa, ſed negabat Euphemianus: cui Gelaſius gravi eloquentia reſpondit, Dominum ad nos deſcendiſſe, non ut miſceretur erroribus, ſed ut errores tolleret: Paulum nec ad horam ceſſiſſe, ut integrum permaneret Evangelium: deſcenſum hunc ad Inferos trahere: veram reparandæ pacis diſpoſitionem fore, integram fidem ſuſcipere &c. *Epiſt. ad Euphem.*

Nec dicat Marcus Antonius Dogmata, ſi clara ſint, etſi leviſſima, non eſſe immutanda, ſecus in adiaphoris, ſuperbamque fuiſſe Gelaſi argutiam de condeſcenſu recuſato.

Non ſunt adiaphora, quæ ad fidem ſpectant.

Adiaphora non ſunt, quæ ſtatuunt Concilia: adiaphora non ſunt, quæ ad fidem pertinere decernit Eccleſia: adiaphora non ſunt, quibus neglectis ſectarii fiunt hæretici, & a fidelibus ſeparantur. Nec ſuperbiam redolet reſponſio legitimi Judicis ſuum munus exequentis in diſcernendis falſis a veris dogmatibus.

13 PROB. III. Doctrina quæ cujuslibet articuli fidei tollit veritatem, & cujuslibet veritatis auctoritatem, Chriſti non eſt, nec Eccleſiæ fundamentum: ſed doctrina diſtinguens articulos fundamentales a non fundamentalibus tollit cujuslibet articuli veritatem; ergo non eſt Chriſti. Min. explicatur ratione, qua utitur D. Aug. *lib. 32. contra Fauſtum cap. 19.* ad revincendos Manichæos

quaſ-

quaſdam admittentes Scripturas, alias reſugientes -- Videtis ergo id vos agere, ut omnis de medio ſcripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in unaquaque ſcriptura probet, quid improbet, ideſt, ut non auctoritati ſcripturarum ſubjiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubjiciat: non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate ſcriptum legitur; ſed ideo recte ſcriptum videtur, quia hoc illi placuit -- Nihil pulchrius ad rem. Tunc cujuslibet articuli corruit veritas, quoties auctoritati Divinæ amplius non innititur; ſed, quod hic ſit fundamentalis, ille non, ſecundum principia Proteſtantium non innititur auctoritati Divinæ, cum regula ſtatuendi articulos ſit proprium uniuſcujuſque conſcientiæ judicium, quod & fallax eſt, & omnino diverſum in uno, ac in alio; ergo omnium, & ſingulorum deperditur auctoritas; non enim hoc recipiunt ut fundamentale, quia a Domino revelatum, ſed ideo revelatum dicitur, quia ipſis placet: ſubtili interim diſtinctione fundamentalium, & non fundamentalium venena iniquitatis mentibus Catholicorum inſtillant, de quibus Nazianzen. de fide, integritatem omnino ſuadens, ait -- Nihil tam cogit in mortem, quam ſub obtentu fidei, integritatem ejuſdem fidei violare, ut enim gypſum aquâ permiatum lactis colorem mentitur: ita hic per veriſimilem confeſſionem traditio inimica ſuggeritur --

Fides divina innititur auctoritati.

14 PROB. IV. Illa doctrina eſſentiale Eccleſiæ conſtitutivum evertit, qua innixi ab ipſa Eccleſia reputantur hæretici, & ab ea excluduntur: ſed admittentes diſtinctionem fundamentalium, & non fundamentalium, ab Eccleſia reputantur Hæretici, & rejiciuntur; ergo. Min. demonſtratur inviEtiſſima doctrina D. Aug., & exemplo *lib. 2. contra Pelagium, & Cœleſtium cap. 23.* -- Nunc illud oportet excutere, quod volentes hæreſeos aſtute invidiam declinare, aſſerunt iſtam, præter fidei periculum eſſe quæſtionem, ut videlicet, ſi in ea fuerint exorbitaſſe convicti, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur. Sic enim Cœleſtius apud Carthaginem geſtis Eccleſiaſticis eſt locutus, jam, inquit, de peccati traduce dixi, quia intra Catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, nec non alios, & alios aſtruere: licet quæſtionis res ſit iſta, non tamen hæreſis -- Similia docet in libello, quem Romæ dedit, quo non obſtante, ut hæreticus habitus eſt. Hanc eandem omnino fraudem noſtri Proteſtantes proſequuntur, plurima negant contra veritatem dogmata, & ſi convincantur, hæretici dici nolunt, adiaphoram quæſtionem proclamant, ad fundamentalia non ſpectare ſubſumunt. Aliud exemplum habemus apud Euſebium *lib. 5. Hiſt. cap. 19.* de Appellitis, ita dictis, quia aliqua dogmata confitentes, cetera tanquam non neceſſaria, adeoque non fundamentalia, non curabant, indeque inferebant, unumquemque in ſua fide, quam profeſſus eſt, debere permanere. Aliud habemus in Timotheo Conſtantin. Hæretico, qui, ut notam hæretici declinaret, ſymbolum Nicænum recitabat, & recitari curabat, tanquam

Hæreticorum fraus.

A ſufficientem, & fundamentalem teſſeram veri Chriſtiani, ſed quia ceteros non admittebat articulos, hæreticus revera extitit, & damnatus fuit. Hæc apud Theodorum lectorem *Collect. lib. 2.*

Preſſius argumentum hoc ſub dilemmate urgeamus. Vel admittitis, Proteſtantes, Arrianos, Eunomianos, Appollinariſtas, Neſtorianos, & ſimiles fuiſſe hæreticos, & extra Eccleſiam, vel non? ſi admittitis: cum ipſi tenerent articulos, quos negabant, ad ſalutem non pertinere, nec veros eſſe (quod ſcripturis conabantur oſtendere) ſequitur, ſufficientes exiſtimaſſe ceteros, quos credebant, adeoque illos fuiſſe ſubſtantiales, &

B fundamentales: & tamen hoc non obſtante habendi ſunt pro Hæreticis: ſi non admittitis tanquam Hæreticos; ergo debetis concedere Verbi ſubſtantialitatem, Chriſtum habuiſſe veram carnem, duplicem naturam diſtinctam in una perſona, Spiritus Sancti Divinitatem, & ſimilia dogmata non eſſe fundamentalia, quod negatis.

15 INSTEMUS. Si propter negatos articulos, quos adiaphoros vocant moderni reformatores, hæreſis incurritur, & damnatio a cœtu fidelium, vel illi non ſunt adiaphori, vel diſtinctio in fundamentales, &

C non fundamentales nulla eſt, ſed ita eſt; ergo. Min. clara inductione demonſtratur, reformati Doctores rejiciunt Petri Cathedram, tanquam Antichriſtianam, Verbum Dei traditum, diſcrimen Præsbyterii, & Epiſcopatus, Jejunium quadrageſimale, Preces pro defunctis, Miſſæ ſacrificium, Neceſſitatem bonorum operum, ſola fide contenti, Liberum hominis arbitrium, Vitam monaſticam, Sacrarum Imaginum uſum, Reliquiarum, Sanctorumque cultum, & invocationem, & ſimilia: ſed hæc omnia negaverunt antiqui hæretici, & quia negaverunt, de hæreſi notati ſunt; ergo.

Primum negabant Dogma Donatiſtæ a-

D pud D. Aug. *lib. 2. contra litteras Petiliani.* 2. Dogma Arriani, & Pelagiani apud Eundem *lib. 1. contra Maximum cap. 1. de natura, & gratia c. 79.* 3. Dogma Aerius apud Eundem *hæreſi* 53., & etiam ibidem quartum Dogma: quintum Dogma Manichæi apud Eundem *lib. 20. contra Fauſtum c. 18.* 6. Dogma Eunomius apud Eundem *hæreſi* 54. 7. Dogma Manichæi apud Eundem *lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 5.* 8. Dogma Jovinianus apud Eundem *lib. 1. de moribus Catholicæ Eccleſiæ cap. 39.* 9. Dogma Vigilantius apud Hieronymum *Epiſt. ad Riparium adverſus Vigilantium, apud Aug. de Eccleſiæ dog-*

E *matibus cap. 83.*, & in ſexcentis aliis poſſumus eodem modo diſcurrere, ut patet ex Catalogis Hæreticorum, & præcipue ex illo Gravinæ, qui habetur primo tomo circa finem, ubi comparat ſingulos cujuslibet Hæretici errores ex præteritis ſeculis cum erroribus Novatorum. Cum ergo Calviniſtæ in confeſs. fidei anathema dicant omnibus hæreſibus damnatis a SS. Patribus Ambroſio, Cyrillo, Aug., Athanaſio, neceſſe eſt fateantur, vel iſtos Articulos eſſe fundamentales, vel non ſufficere pro teſſera Chriſtianitatis ſolos fundamentales, vel injuſte Eccleſiam eos damnaſſe.

Novatores antiquos extumularunt errores.

aſſe. Similiter antiquos Hæreticos damnant Lutherani infra citandi.

Ut vim argumenti effugiat Vedroſius in examine Rati. 8. Georgii, contendit diſparem eſſe cauſam. Ad primum ait: Donatiſtas ſine cauſa receſſiſſe a Cathedra Petri; ipſi verò cum cauſa, admoniti illa Apocalypſis 18. v. 4. *Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis deliciorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*.

Sed mentita eſt ſibi iniquitas. Hanc eandem cauſam addocebant Donatiſtæ, ut patet clariſſime ex loco citato Aug. *cap.* 51., ubi & Cathedram Petri Chriſti eſſe oſtendit Scriptura, & refutat contumeliam aliis Scripturis per malos mores non inficiari veritatem, & doctrinæ bonitatem. Clarus eſt Aug.

Ad ſecundum negat fuiſſe hæreſim Arrianorum, & aliquod eſſe de fide, Scripturis non expreſſum.

Verum locis cit. clare patet, Arrianos, & Pelagianos ſuos tutatos eſſe errores, negando traditiones, quas admittit Aug. *lib.* 2. *de Baptiſm. contra Donat.*, *lib.* 1. *contra Creſconium cap.* 33. *Epiſt.* 115.; *& alibi*.

Ad 3. concedit, Aerium illud dixiſſe, ſed non propter hoc fuiſſe Hæreticum, ſed quia ſenſit cum Arrianis contra Verbi conſubſtantialitatem.

At non eſt neceſſaria Gloſſa, cum ibidem Aug. inter hæreſes hoc etiam adnumeret; ſicut & Epiphanius. An verò Scripturis conſtet diſtinctio Præsbyterii ab Epiſcopatu, ſuo apte loco dictum eſt.

Ad 4. dicit, non edoceri ab Aerio jejunia non eſſe ſervanda, preces non fundendas pro mortuis &c., ſed a Spiritu Sancto.

Sed non quærimus nunc a quo edoceatur, ſed, quod notam hæreſis incurrerit Aerius propter negatam jejunii obligationem, utpote ceremonialia legis. An verò ex Spiritu Sancto ſit jejunium, ſuo loco oſtenditur.

Ad 5. pariter dicit, non a Manichæis, quibus erat ignotum Miſſæ Sacrificium, ſed a Chriſto didiciſſe.

Sed ad alia divertitur, ut declinet ictum argumenti. Quærimus an Manichæi hæreſim tenuerint, negando in Miſſa rationem Sacrificii, quod affirmat Auguſt. *loc. cit.*

Ad 6. dicit, Eunomianos ita inimicos fuiſſe bonorum operum, ut aſſererent perſeveranti in fide nihil detrimenti afferre perſeverantiam in peccatis, quod reformati negant.

Sed ludimus in verbis; quid eſt aſſerere ad ſalutem ſolam fidem ſufficere abſque bonis operibus, niſi perſeverantiam in peccatis non obeſſe ſaluti habentium fidem?

Ad 7. dicit, Manichæos tenuiſſe naturam a principio malo creatam fuiſſe libero privatam arbitrio, creatam verò a bono Principio nequaquam fuiſſe privatam, licet malo uſu illud perdiderit: ita Aug. *in Enchir. c.* 30.

Verum redarguit Aug. Manichæos, quod dixerint a ſtatu perditæ innocentiæ hominem non habere liberum arbitrium, & contendit hoc eſſe falſum, aſſeritque amiſiſſe quidem vires ad ſalubriter operandum, adeoque gratiæ egere auxilio. Ceterum Reformati neceſſitate ducti aſtruunt arbitrium.

A Ad 8. Non eſſe (ait) de hæreſi redarguendos Manichæos propter ſpretum Monachiſmum: Clauſtra, ait, ignorantiæ eſſe domicilia, ſcelerum ſeminas, ex Brigitta, & Catharina Senenſi Religioſos ſub ovino cucullo lupum agere: Monaſteria eſſe fora publica omnibus patentia: Aug. laudaſſe Monachos illos antiquos orationi deditos, invidia non pulſatos, non pervicaces, non turbulentos &c.

At abuſos non defendimus. Manichæi vitam Monaſticam ſecundum ſe reprobabant. Idem ſentiebant Donatiſtæ *lib.* 5. *contra litteras Petiliani cap.* 40. Idem Arriani, ut

B fatetur Athanaſius *in Apologia ſua fuga*. Porro Reformati clariſſime ipſiſſimam Monachatus ſubſtantiam improbant, nec egemus circa hos teſtibus, cum tritum ſit eos ſolvere vota Religioſa, ut ſuo loco vidimus.

Ad 9. ait non erraſſe Vigilantium in hoc.

Hæc confeſſio nobis ſufficit. Conſentit Vedroſius Vigilantio a Patribus improbato? non ergo doctrinam antiquam docet.

16 PROB. V. Solidiſſime. Si diſtinctio in fundamentales, & non fundamentales articulos ſalvat integritatem Eccleſiæ, ſequitur diſcordiam inter ipſos Proteſtantes non eſſe cauſam interitus Eccleſiæ, quæ in æter-

C num ſtat, cum diſſenſio ſit circa adiaphora; ſtante enim forma, & fundamento, ſtat ædificium, ſed diſcordia inter Proteſtantes eſt origo interitus ſuarum Eccleſiarum; ergo. Min. fuſe poſſet demonſtrari. Audiamus Lutherum loquentem in genere de cauſa interitus Eccleſiarum, quæ Chriſti non ſunt in *Pſal.* 5. -- Neque ulli unquam Hæretici victi „ ſunt vi, aut aſtu, ſed mutua diſſenſione: „ nec aliter cum eis pugnat Chriſtus, quam „ miſſo inter eos Spiritu vertiginis, & diſſen„ſionis; ſicut inter Sichimitas, & Babylo„nicæ Turris operarios; in nova Lege, inter „ Arrianos, Donatiſtas, & Pelagianos --

D Audiamus iterum, quid ſibi timeat, & ſuæ Religioni ex diſſenſionibus. In locis communibus *claſſe* 5. *pag.* 30. -- Timeo, quod „ iſta doctrina, nobis extinctis, iterum ob„ſcurabitur &c. ſic noſtra Eccleſia pulcher„rime inſtituta &c. ſic ſubverteretur, ut me „ amplius doctorem ſuum agnoſcere non ve„let, id quod aliquando fiet, ſi non viven„tibus nobis, tamen ſublatis &c. -- Sed unde tibi tam infelix præſagium Luthere? Ex diſſenſionibus Calviniſtarum, qui in dies ab Urbibus Germaniæ me pellunt: a diſcordiis domeſticis, quibus in dies a me diſcedunt Diſcipuli novarum ſectarum effecti magiſtri.

E Concinit Luthero Melancton *in Conſiliis Theologicis parte prima pag.* 249. -- Nulla „ res æque deterret ab Evangelio, quam no„ſtra diſcordia -- Sic & Bullingerus *in ſuo lib.*, cui titulus *Firmamentum firmum*, *prima part. cap.* 1. -- Ipſi inter ſe acriter pugnant, „ & pugnant, & hinc audiuntur inter nos „ infelicia partium nomina, Lutheranorum „ &c. commovet vehemens, & implacabilis „ diſſenſio non paucos; adeo ut animum „ veluti diſponentes dicant, ſe poſthac ni„hil amplius, niſi, quod ipſis libeat, cre„dituros: quinimò fidem abjicientes cla-

„ mant , quid , oro , fidei in tot factiones
„ diſtractæ tribuas? -- Vera dicis Bullingere.
Idem ſentiunt Theologi Hæidelbergæ ex Aca-
demia Lutheri *in protocollo in præf. ad Ana-
baptiſtas* -- Si vobis Eccleſiæ titulum conce-
„ dere vellemus ; quænam inter vos ſecta
„ pro Eccleſia Dei habenda eſt , cum in
„ multas ſectas diviſi eſtis ?

Nec diſcrepat Calvinus *in Epiſt. ad Mi-
niſtros ſuos in Friſia Orientali* , & *in præfat.
Catechiſmi* -- De poſteritate ſic anxius ſum ,
„ ut vix cogitare audeam . Niſi enim mira-
„ biliter Deus e Cælo ſuccurrerit , videre
„ mihi videor extremam barbariem impen-
„ dere orbi ; atque utinam non paulo poſt
„ ſentiant filii noſtri , fuiſſe hoc verum po-
„ tius vaticinium , quam conjecturam -- Et
hoc nonniſi propter diſſidia . Sic fatetur Pa-
ræus inſignis Calviniſta *lib. de deſperata cauſa
Calvini cap.* 23. Sed ne fuſiores ſimus, audia-
mus Nicolaum Gallum Proteſtantem *in Apo-
logia de Majeſtate hominis* -- Perit juſto Dei
„ judicio , non armis hoſtium , non invictis
„ Hæreticorum armis vera a nobis Religio ,
„ & Eccleſia , ſed noſtrorum inter nos per-
„ fidia , infidelitate , & injuria &c. -- Quid
a vobis, & de vobis audio , Proteſtantes ? pe-
rituram timetis veſtram Eccleſiam ? defectu-
ram vaticinamini , diſſenſionum cauſâ ? non-
ne contra Chriſti Eccleſiam non prævalituras
portas inferi certo tradidit Chriſtus ? nonne
ſemper ſtantem deſcribit , & promittit prima
veritas , etſi venti , flumina , & pluviæ pra-
varum doctrinarum in eam irruant , quia ſu-
pra petram fundata eſt ? *Et Regni ejus non
erit finis* : clamat Evangelium . *Ecce ego vo-
biſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſum-
mationem ſeculi* repetit aliud . Si timetis &
merito Eccleſia veſtra non eſt Chriſti . Re-
dite ergo ad nos , quid vobis prodeſt jactare
fundamentales articulos , ſi cum invicem
pugnatis , deſtruimini ? Chriſti non eſtis ,
qui Matth. 15. v. 13. ait : *Omnis plantatio ,
quam non plantavit Pater meus Cæleſtis , era-
dicabitur* .

27 PROB. VI. Si unitas in articulis
fundamentalibus unitatem fidei , & Eccleſiæ
ſervaret , adeoque unicum eſſet medium con-
ciliandi Proteſtantes ad invicem , & cum Ca-
tholicis, habendi non eſſent Hæretici Calvi-
niſtæ negantes articulos, quos non admittunt
Lutherani , & e contra ; cum tam Calviniſtæ,
quam Lutherani putent ſe ſervare Eccleſiæ
veritatem in illis, quos propugnant : ſed hoc
eſt falſum , quod perjucunda eruditione poſſet
fuſe declarari : ſed pauca ſufficiant .

Lutherus damnat Sacramentarios Calvi-
niſtas, & Zuinglianos *Theſi 27. contra Lova-
nienſes* -- Hæreticos cenſemus , & alienos ab
Novatores ad invicem pugnantes. „ Eccleſia Dei , Zuinglianos , & Sacramen-
„ tarios omnes , qui negant Chriſti Corpus ,
„ & Sanguinem ore carnali ſumi in venera-
„ bili Euchariſtia -- *In Epiſtola ad Jacobum
Bremenſis Eccleſiæ Doctorem* -- Mihi ſatis eſt
„ omnium infeliciſſimo una iſta beatitudo :
„ Beatus vir , qui non abiit in Concilio Sa-
„ cramentariorum ; nec ſtetit in via Zuin-
„ glianorum ; nec ſedit in Cathedra Tigu-
„ rinorum -- *Tomo ſecundo fol.* 174. *de Cœ-
na Domini* -- Ego , tanquam alterum jam pa-
„ dem habens in ſepulchro hoc teſtimonium,
A „ & hanc gloriam ad Tribunal Domini affe-
„ ram , quod hoſtes Sacramenti Caroloſta-
„ dium , Zuinglium , Œcolampadium , eo-
„ rumque Diſcipulos , toto pectore damna-
„ verim -- Vocatque hos , & alios , meros
incorporatos Dæmones, & in æternum dam-
natos .

Philippus Melancton *Epiſt. ad Fridericum
Miconium de Caroloſtadio* , ait -- Homo ferus ,
„ ſine ingenio , ſine ſenſu &c. tantum abeſt,
„ ut in eo manifeſtatio aliqua Spiritus Sancti
„ animadverſa ſit -- Matthias Illyricus pro
confeſſione Martiniſtarum -- Calviniſtarum
„ Liturgia non uno ſacrilegio vitiata eſt, con-
B „ taminataque , eaque proh dolor ! innume-
„ ras animas æterno exitio involavit -- Idem
Centuriatores in defenſione hujus confeſſio-
nis .. Franciſcus Stancharus ad Regem Polo-
niæ -- Verum , cum Tigurini , & Genevon-
„ ſes ſint publici , & manifeſti Hæretici , &
„ non ſemel ſcriptis , & epiſtolis ſuis ſeduxe-
„ rint Polonos tuos --. Philippus Nicolai *in
compendioſa inſtructione* vocat Calvinianam Re-
ligionem , abominationem deſolationis , cre-
dentem non in Deum , ſed in Diabolum --
„ Hic enim ipſe eſt Deus Calviniſtarum --

Joannes Schunt *lib. quinquaginta cauſa-
rum* , dicit -- Calviniſmum , Arrianiſmum ,
C „ & Mahometiſmum eſſe fratres. & ſorores
„ tres caligas ejuſdem panni ; Camarinam ,
„ in quam multæ hæreſes confluxerunt : de-
„ nique , ultimam Satanæ ruinam -- Joannes
Modeſtus *in demonſtrationibus* probat -- Cal-
„ viniſtas non eſſe Chriſtianos , ſed Judæos
„ baptizatos -- Heſtuſius *contra Calvinum in
defenſione* -- Deo , & Eccleſiæ teſtatum facio ,
„ me non colloſiſſe eum blaſphema , & ſa-
„ crilega Calviniſtarum ſecta ; ſed in acie
„ ſtetiſſe contra eam -- Omitto alios , ſicut
virulenta epitheta ſexcenta , quibus Lutherani
paſſim onerant Calviniſtas . Videatur Bove-
rius *tom. 2. ſymboli lib.* 2. Jodocus Coccius *in
D theſauro controverſiarum* . Calviniſtas interim
audiamus .

Calvinus *lib. 4. inſtitut. cap.* 1. §. 35. vo-
cat Lutherum , & ſuos Idololatras; quia adu-
rant Corpus Chriſti in Altari : *Admonitione* 3.
ad Joachimum Vueſphalum -- Lutherani ho-
„ mines ſunt vertiginoſi , Cyclopes , ſuperba
„ factio gigantium , phrænetici , beſtiæ , pro-
„ digioſe cæci , deſperate impudentes : nihil
„ aliud , quam falſarii , & improbi calum-
„ niatores , protervi , plus ſatis bardi fa-
„ ſtuoſi &c. -- Zuinglius *in reſponſione ad li-
brum Lutheri* -- Luthere &c. Dei Verbum
„ corrumpis , & Adulteros , Marcionitas ,
E „ & Arrianos imitatus -- *Et in Epiſt. ad
Lutherum* -- Seductorem , impoſtorum , &
„ Chriſti negatorem , ipſo Marcione dete-
„ riorem & te judicamus -- *In reſponſione
ad confeſſionem Lutheri* -- Nec multum curare
„ ſolet , quodcumque tandem de re quavis
„ pronunciet ; etiamſi , vel ſibi ipſi , vel
„ Divini Verbi oraculis contradicere videa-
„ tur &c. -- Et alia alibi .

Œcolampadius *in reſponſ. ad confeſſionem
Lutheri* , de duobus ejus libris ait -- Priorem
„ illum librum a Dæmone auſpicatur nuper ;
„ hunc verò ejuſdem auſpiciis abſolvit -- In-
fra ,

Digitized by Google

ſra, *contra duodecim ejus articulos* -- Aliqui „ verò, cum Dei verbo, & Chriſtianæ fidei „ articulis palam pugnant -- Commendat tamen, ut virilem, & fortem contra Papam. Tigurini Theologi *in confeſſ. German. Tigurina edita* 1544. *de lib. Lutheri* -- Liber ple„ nus eſt dæmoniis, plenus impudicitiis, di„ cteriis, ſcatet furore -- Infra alia inter -- „ Videat, ne hujuſmodi impiis dicteriis ſe„ ipſum Hæreſiarcham declaret, dum &c. „ Sed quam mirabilis eſt hic Lutherus, una „ cum ſuis diabolis? quam impuris utitur „ verbis? quot dæmonibus crepat? -- Bucerus *Dialog. contra Melanctonem de Luthero* -- „ In vertendis certe, & explanandis ſcriptu„ ris manifeſti ſunt, neque pauci ejus la„ pſus --

Theologi Heidelbergenſes *in Ordinatione Eccleſiaſtica* -- Lutheri, & Brentii Catechiſ„ mi extra Eccleſiam ejiciantur, & eorum „ ſcripta nullam habeant auctoritatem -- Omitto ſexcenta alia, tum inter Lutheranos, & Calviniſtas, tum inter hos, & Anabaptiſtas, & Trinitarios, & e contra; quia ea horret calamus referre. Illud tamen verum eſt, injurioſam adeo mutuam eloquentiam, ſignum eſſe manifeſtum, eorum doctrinam ex Chriſto non eſſe, nec Spiritus Sancti Majeſtatem ſapere, & hæc ſolum ſerio legere ſufficit ad movendum vomitum contra ſectas iſtas. Concludimus itaque: Eccleſia Calviniana Hæreticam vocat Lutheranam, & e contra: ſed Lutherana ſuos articulos vocat fundamentales, ſicut Calviniana ſuos; ergo diſtinctio articulorum in fundamentales, & adiaphoros non juvat ad pacificandas Eccleſias; ergo diſcordia verſatur in fundamentalibus, quod utique verum eſt, ut nunc breviter declaro.

18 PROB. VII. Ubi eſt diſſenſio inter articulos fundamentales, non poteſt dari pax, & concordia: ſed Catholici a proteſtantibus, & ipſi ad invicem diſſident in fundamentalibus; ergo. Minor declaratur: Nicolaus Gallus in theſibus &c. *fol. ultimo* -- Sunt inter „ nos non de levibus rebus diſſenſiones, ſci„ licet de lege, & Evangelio, juſtificatione, „ quæ quidem coire, ſimulque ſtare haud „ poſſunt -- Jacobus Andreas *in præfat. de Majeſtate hominis* -- Non amplius, aut certe „ parum de verbis cœnæ litigatur; ſed de his „ ipſis fidei articulis, qui ſunt de Incarna„ tione Verbi, & ſeſſione Chriſti hominis ad „ dexteram Dei --

Theologi Tigurini *in præfatione Apologetica edita* 1578. *ad Eccleſias reformatas* -- „ Nec de ſola Cœna Domini; ſed etiam de „ Chriſti perſona, de Divinæ, & humanæ „ naturæ unione, & diſtinctione, de Aſceo„ ſione ejus ad Cœlos, & ſeſſione ad dexte„ ram Patris, tanto diſputationis furore con„ tenditur, ut non paucæ veterum hæreſes, „ quæ olim damnatæ, & extinctæ fuerant, „ quaſi ab inferis revocatæ caput rurſus at„ tollant --

Joannes Sturmius Proteſtans *lib. de ratione ineunda concordia fol.* 2. poſtquam enarravit varias diſſenſiones inter Eccleſias Evangelicas circa Cœnam, providentiam Dei, perſonam Chriſti, Aſcenſionem &c., habet -- „ Quibus præcipui fidei noſtræ articuli labe„ factantur &c. dubium non eſt, quin Ec„ cleſia Chriſti multis hæreſibus inficiatur &c. „ his paradoxis opinionibus fundamenta Re„ ligionis noſtræ convelluntur; præcipui ar„ ticuli in dubium vocantur, multæ hæreſes „ in Eccleſia Chriſti invehuntur, & plana „ ad Maometiſmum, & Atheiſmum paratur „ via --

Fundamentales articuli non poſſunt pertinere niſi ad Deum, Chriſtum, Eccleſiam, Beatitudinem, & Symbolum, nec non ad Sacramenta: hæc ſunt præcipua capita, & fontes Chriſtianæ Religionis: ſed in omnibus diſſident Proteſtantes ad invicem; ergo &c.

Antilogia Novatorum.

Denegat Deo Omnipotentiam abſolutam Calvinus *lib.* 1. *inſtit. cap.* 7. §. 5., *lib.* 3. *cap.* 23. §. 2., ſecus Lutherani *in confeſſ. Vuirtemberg.*

Deum facit auctorem omnium ſcelerum efficientem Calvinus *lib.* 3. *inſtit. cap.* 23. §. 4. 7., & 8. negant Lutherani in colloquio Montiſpelgardenſi.

Affirmat duas in Chriſto perſonas Calvinus *lib.* 1. *cap.* 13. §. 9. 23., & 24. Lutherani in eodem Colloquio adverſantur.

Affirmat Lutherus Divinam Chriſti naturam paſſam *lib. de Concil. p.* 2. Calviniſtæ apud Bezam *Epiſt.* 61. negant.

Affirmat deſcenſum Chriſti ad inferos Lutherus *ad Pſal.* 16. Calvinus *lib.* 2. *cap.* 16. §. 9., & alibi oppoſitum propugnat.

Affirmant Calviniſtæ Chriſtum pro ſolis electis paſſum: ſic Beza *in Colloquio Montiſpelg.* Lutherani *in eodem Colloquio* hoc renuunt.

Affirmat Chriſtum ut hominem ubique Lutherus *in confeſſione majori*, & *Serm. de Sacramento &c.* negat Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 17. §. 30.

Negat valere Baptiſmum a mulieribus adminiſtratum Calvinus *Epiſt.* 51., & alibi, affirmat Lutherus *tom.* 4. *in Geneſim.*

Affirmat infantes abſque Baptiſmo ſanctificari in utero fidelium Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 16. §. 26. Lutherani *in confutatione rationis Latomianæ* hoc non admittunt.

Affirmat Corpus Chriſti ſolum figurative in Altari Calvinus *lib* 4. *cap.* 17. §. 12., & alibi. Ipſi opponitur Lutherus *Epiſtola ad Argentoratenſes.*

Affirmat adorandum eſſe Chriſtum in Euchariſtia Lutherus *ad cap.* 47. *Geneſis*, ſecus Calvinus *lib. de vitandis ſuperſtitionibus.*

Negat Sanctorum animas nunc frui cœleſti gloria Lutherus *ad cap.* 9. *Eccleſ. in Jonam: ad* 5. *Geneſ.* affirmat Zuinglius *art.* 57., & *in expoſitione fidei Chriſtianæ*, Calvinus *in Pſichopannichia &c.*

Negat Epiſtolam Jacobi eſſe Canonicam Lutherus *præfat. in novum Teſtamentum edit. prima*, affirmat Calvinus *in argumento Epiſtolæ Jacobi.* Affirmat quemlibet ſuum habere Angelum Lutherus *ad cap.* 1. *Zachariæ*, Calvinus *ad Pſal.* 90., & alibi diſcrepat.

Affirmat Lutherus Baptiſma Joannis diſtinctum eſſe a Baptiſmo Chriſti *diſput. de Baptiſ. legis*, negat Calvinus *lib* 4. *inſtit. cap.* 15. §. 17.

Hæc prælibaſſe ſatis; qui enim deſiderat contradictiones adhuc plures Lutheranos in-

 ter,

ter, & Calviniſtas, & inter hos, & Anabapiſtas, & Trinitarios &c. inter Lutheranos ad invicem, & Calviniſtas ad invicem: videas Jodocum Coceium *tom. 1. lib. 8. de ſignis Eccleſiæ*; videat Caron *in ſuis controverſiis*.

A

PROB. VIII. Licet pluries ſtuduerint Proteſtantes pacem ioire, nuſquam tamen reconciliari potuerunt: ſignum ergo evidens eſt, non verſari diſcrimen in adiaphoris, ſed in fundamentalibus. Lutherus *tom. 2. Wirtembergenſi* cum accepiſſet Calviniſtas aſſerere ſe cum Lutheranis convenire; his falſitatem eſt teſtatus -- Maledicta pax, & concordia cum „ Sacramentariis per omnia ſecula ſeculo- „ rum -- *In Colloquiis menſalibus* de eadem re -- Non alia ſperari poteſt concordia in- „ ter nos, & Calviniſtas, quam quæ in- „ ter Judam, & Chriſtum interceſſit -- *In Epiſtola ad Argentoratenſes* aſſerens ex Calviniana, & Lutherana unam non poſſe fieri Eccleſiam, concludit -- Summa eſt, alterutros „ oportet eſſe Satanæ Miniſtros, vel ipſos, „ vel nos -- Similia alii Lutherani.

Novatorum concordia impoſſibilis.

B

Anno 1631. habuerunt Charenton in Gallia Synodum nationalem Calviniſtæ, in qua declaraverunt -- Quod fideles Lutheranæ „ confeſſionis poſſint, nulla præmiſſa abjura- „ tione opinionum, quas tenent, contrariam „ fidei Eccleſiarum ſuarum admitti ad Cœ- „ nam -- Verum Lutherani hujuſmodi unionem noluerunt recipere; unde congregatis Synodis nationalibus Sueciæ, & Daniæ aperte reprobaverunt ſtatutum unionis decretum. Eccleſia Anglicana in Synodo Londinenſi 1603. anathematizat Puritanos, Puritani Hæreticos, & Idololatras denunciant Anglos: In fundamentalibus ergo diſcrepant.

C

Nec eſſe poſſibilem hujuſmodi pacem agnovit Calvinus *in defenſione ſecunda pag. 761. contra Weſphalos*, cum de Lutheranis loquens ait -- Tam virulento odio in nos crepant, ut „ citius illis pax cum Turcis futura ſit, & cum „ Papiſtis fraternitas; quam nobiſcum indu- „ ciæ -- Hinc cum Zuinglius *in Colloquio Marpurgenſi* peteret, ut ſuos vocaret fratres -- Lu- „ therus eis fratris nomen negavit; nomen „ Hæreticorum impegit -- teſte Hoſpioiano *part. 2. pag. 82., & 83. Hiſt.* 1529. Et idem Lutherus *in defenſione Verbi Cœnæ tom. 7.* habet -- Obteſtor Deum, & totum mundum, „ & confitebor, quod cum Sacramentariis „ non ſentiam; nec unquam ſenſerim, neque „ in æternum (Deo volente) unquam ſenſurus ſim. Quæ concordia Chriſti cum „ Belial? --

D

His palam fit diſſidium Calvinianos inter, & Lutheranos in fundamentalibus; ut inde pro certo concludamus abſque integra unitate fidei nullam dari veram Chriſti Eccleſiam, nec illud effugium de fundamentalibus ſubſiſtere; in cujus confirmationem illud addo: cum Armeniani, ſeu Remonſtrantes aſſererent, ſe invocato Spiritu Sancto, juxta putam ſcripturam veros credere articulos ſuos, non tamen haberi pro fundamentalibus, nec propoſitos a Proteſtantibus eſſe contrarios fundamentalibus; hoc non obſtante contra ipſos, ut errantes fuerunt lata decreta in Synodo Dordraceoa.

E

19. PROB. IX. Ad hoc, ut integritas fidei ſalvetur diſtinctione articulorum in neceſſarios, & non neceſſarios, eaque Eccleſiæ pax reconcilietur, neceſſe eſt certo ſcire, quinam ſint fundamentales articuli, quinam non: ſicut quoad hoc bene ſcripſit Paræus *in ſuo Irenico cap. 4.* dicens -- In Colloquio E- „ vangelicorum, quod ſtatuendum ſuaderet, „ primam omnium hanc quæſtionem diſcu- „ tiendam, ac decidendam eſſe: Quinam „ articuli ſint fundamentales, ſeu in quibus „ fidei capitibus vere conſiſtat fundamentum „ ſalutis -- ſed uſque adhuc determinatio hæc facta non eſt, nec fieri poteſt ſecundum Proteſtantium principia, niſi Regulam noſtram Catholicam ſuſcipiant; ergo. Declaratur min. quoad omnes partes. Prima evidenter conſtat ex mutuis contradictionibus, & diſſidiis, quibus ad invicem mordentur, ita quod videatur in ipſis adimpletum illud Pſal. 54. *Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate*. Deinde, alii volunt, quod omnes fundamentales articuli contineantur in Symbolo Apoſtolorum, ut Caſſander *in lib. de officio pii viri*: Perkius *in ſuo Catalogo reform. pag. 407.* Alii volunt in Decalogo contineri: ut Pleſſis *de Eccleſ. cap. 5.* Alii credunt omnes contineri in Symbolo, & Decalogo ſimul, ut Melanctoo. *tom. 1. in cap. 4. Matth.* Alii aſſerunt contineri in Symbolo, & Decalogo, & oratione Dominica ſimul; ut Luth. *tom. 7. in Enchiridio*: Beza *lib. de notis Eccleſiæ*. Alii ponunt comprehendi in Symbolo, oratione Dominica, & Sacramentis, ut Vuitakerus *contr. 1. quæſt. 4.* Alii volunt comprehendi in principio eſſendi, quod eſt Deus; cognoſcendi, quod eſt Scriptura; & ſalutem conſequendi, quod eſt Doctrina de juſtificatione. Hæc Hottingerus *in diſput. Synod. 1667. 25. Maji*. Alii dicunt unum eſſe Deum; Chriſtum eſſe Deum, & Dei filium, in Dei miſericordia ſalutem conſiſtere, ut Calvinus *lib. 4. inſt. cap. 1. num. 12.* Nec ſola hæc diverſitas admittitur inter ipſos, ſed major adhuc in explicatione, & ſenſu intelligendi particularia myſteria Symboli, Decalogi, & orationis Dominicæ.

Articuli fundamentales Hæreticis ignoti.

Secunda pars min. oſtenditur: Juxta eorum principia nihil eſt aſſerendum, quod in ſacris litteris non continetur: ſed nullibi in Sacris Scripturis oſtendere poſſunt hanc fundamentalium, & non fundamentalium deſignationem, & multo minus quoad ſingulos inter ipſos controverſos: vel ſaltem aſſignent Regulam, qua ducti poſſint fideles diſtinguere in Scripturis neceſſarios, a non neceſſariis: ſi dicas cum Spalatenſi *n. 130. loc. cit.*, & aliis, ea dogmata eſſe fundamentalia, quæ ſunt clara in Scripturis: jam omnes hæreſes antiquæ, & modernæ, etſi contradictoriæ, ad fundamentum fidei, & Eccleſiæ pertinere neceſſe eſt; nam quotquot fuerunt Hæretici, Scripturis, & quæ ſibi videbantur claris eas probavere.

Arrius aſſerebat, Verbum ſolum moraliter eſſe Deum, ductus illo Joan. 17. *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos*. Annon clara hæc Scriptura? Macedonius tenebat Spiritum Sanctum creaturam eſſe, ductus illo Amos 4., ut legunt ſeptuaginta: *Ego formans toni-*

tonitruum, *& creant ſpiritum*: & ſimilibus. Annon & hæc clara? Neſtorius admittebat in Chriſto duas perſonas unitate inhabitationis, ductus illo Joan. 2. *Solvite templum hoc* (ideſt Hominem Chriſtum) *& in tribus diebus excitabo illud*: & ſimilibus: annon clara locutio, ſignificans Verbum in homine, tanquam in Templo?

Euthyches affirmat Divinam naturam in Chriſto in carnem tranſiiſſe, ductus illo Joan. 1. *Verbum caro factum eſt*. Annon plana locutio? Negat Theodoretus Spiritum Sanctum a filio procedere, ductus illo Joan. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Forſan obſcura ſunt verba? Sabellius negabat perſonarum diſtinctionem, & pluralitatem ſolâ nominum, & munerum diverſitate contentus, ductus illo Joan. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*: Annon ſimplex propoſitio? Pariformiter dic de aliis hæreſibus.

Ex hac ergo regula Marci Antonii univerſitas hæreſum eſt veritas fidei. Et ſane vel litteram, vel ſenſum vult Judicem ex Scriptura? Non litteram, quia hæc *occidit* 2. Corinth. 3. non ſenſum, quia de hoc litigatur; Scriptura ergo materia litis eſt, non Judex. Audi Petrum Ep. 2. c. 1., & diſce: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*: Alius eſt ergo Judex.

Spiritus privatus non eſt Judex Controverſiarum.

Reclamat: Spiritus cujuſque privatus veram ſuggerit intelligentiam. Verum omnes hæreſes fundamenta Eccleſiæ conſtituit. Clamabat ſpiritus Eutychetis in Chalcedonenſi Concil. *Act.* 1. -- Ego a Sanctis Scri-
„ pturis non didici de naturis -- Clamabat ſpiritus Pelagianorum apud Aug. *lib. de natura, & gratia cap.* 39. -- Credamus, quod
„ legimus, & quod non legimus, neſas credamus adſtruere -- Nec legebant id, quod proponebatur credendum. Clamabat Neſtorius apud Baſilium Ancitanum *in confeſs. act. prima ſeptima Synodi*, ſe nolle unitatem Hypoſtaſis -- Cum in Scripturis non legeretur -- Spiritus Lutheri clamabat illud -- Hoc eſt
„ corpus meum -- realiter eſſe intelligendum. Clamabat ſpiritus Calvini tropice eſſe intelligendum, & ſic de ceteris, in quibus quotidie litigant. Dictatne Spiritus Sanctus contradictoria in revelatis? & tamen ſpiritus Lutheri ſequentem ſtatuit regulam *tom.* 3. *lib.* 4. *Vuirtember. fol.* 875. -- Ubicunque jubet Scri-
„ ptura bona opera facere: tu id ſic intelli-
„ ges, quod Scriptura prohibeat bona opera
„ facere -- Et ſpiritum Calvini rectam regulam judicabimus, qui definivit, Scripturam eſſe ceream, quam unuſquiſque inflectit in partem, quam vult? Certe Reſpublica humana abſurde foret inſtituta, ſi litigantium hominum judicia Judicem ſibi conſtitueret: an non majus abſurdum erit in ordinatiſſima Eccleſia Dei, ubi homines corporei de viſibilibus diſſident, inviſibilem ſpiritum cujuslibet eligere Judicem? Ulterius peto: vel Lutherani eundem ſpiritum habent, ac Calviniſtæ, vel non? Si eundem? Cur diverſa ſentiunt contraria, ſi ſpiritus Dei non eſt mendax? Si non? Quomodo una erit fides, ſi regula ſit multiplex? Audivimus Toloſæ Calviniſtam jactantem ſe ſpiritum Joan. Baptiſtæ receptiſſe, alium Pariſiis ſe ſpiritum Sancti Petri, Baſilæe alium ſe ſpiritum Moyſis, alium Patavii ſe ſpiritum compoſitionis, quo concordiam ſtatueret Lutheranos inter, & Catholicos, Coquum Lutheri ſe ſpiritum Jonæ, alios ſimiles ſpiritus vulgo vendiderunt, quæ potius ad poetarum ſomnia ſpectant.

Tertia pars declaratur, de qua ex profeſſo alibi diximus. Nequit haberi unitas fundamentalium articulorum, niſi una certa, communis, & infallibilis regula ſtatuatur, & Judex, qui proponat credenda a non credendis, & ubi dubia exurgunt, & lites circa ſenſum Scripturæ, & veritatum catholicarum, indefectibili ſententia dirimat; & tunc unitas habetur omnimoda, & firma; nec liberum erit cuique credere hoc, vel illud, ſed ſingula definita, quia eadem infallibilitate proponit unum revelatum, ac aliud. Porro hic Judex alius non eſt ab Eccleſia, quæ columna dicitur, & firmamentum veritatis, adverſus quam promiſit Dominus non prævalituras portas inferi, in qua poſuit Chriſtus quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Doctores, & Paſtores, ne circumferamur omni vento doctrinæ, de qua quondam Lutherus *de poteſtate Papæ* ait -- De nullo pri-
„ vato homine certi ſumus, habeat, nec ne,
„ revelationem Patris: Eccleſia autem ipſa
„ eſt, de qua dubitare non licet -- Hæc Sanctorum Patrum mens; hæc ſeculorum omnium praxis; judicio enim Eccleſiæ, quotquot extiterunt hæreſes, eliminatæ ſunt. Hanc agnoſcant Judicem Proteſtantes, hanc ſequantur regulam, & id ipſum ſentient ad invicem, & nobiſcum.

Judex infallibilis Eccleſia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

20 OBJIC. I. Si ſtat Eccleſiæ firmitas cum erroribus, non eſt neceſſaria fidei integritas in omni veritate, ſed ſtat; ergo. Min. explic. 1. ad Corinth. 3. dicitur: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit &c.*, ubi Paulus loquitur de Magiſtris, qui populum inſtruunt, qui veras doctrinas docent, aurum, & argentum ſuperædificant; qui verò commentitias, fœnum, & ſtipulam: ſed quia non deflectunt a præcipuis fidei articulis, purgabuntur quidem, abolitis eorum commentis, ipſi autem ſalvi fient. Calvinus *lib.* 3. *inſtit. c.* 5. §. 9.

RESP. neg. min. ſicut enim lux tenebris non aſſociatur, ita nec veritas falſitati. Locum porro Pauli aſſumpſerunt Patres Florentini ad probandum purgatorium ignem pro purificandis juſtis a reliquiis peccatorum in altero ſeculo: & Patres antiqui eo uſi ſunt ad demonſtrandam diverſitatem peccatorum venialium, tum a mortalibus, tum a bonis operibus. Sed accipiamus loqui Paulum de doctrina: nil inde infertur. Aurum, ſive ſtipula, hoc ipſo, quod ſuperædificantur fun-

da-

Quædam ad Eccleſiæ ornatum, quædam ad ſubſtantiam.

damento Eccleſiæ, ad fidem non pertinent. Qui fidei ab Apoſtolis fundatæ ſuperædificant ſolidam doctrinam ad myſteriorum illuſtrationem, ad morum compoſitionem, hi aurum ſuperædificant ad ornamentum Eccleſiæ; unde Prov. 10. *Argentum electum lingua juſti.* Hi verò, qui fidei ab Apoſtolis fundatæ ſuperædificant inutilia, puerilia, non fundata ratione, vana, ſuperaddunt fœnum, lignum, & ſtipulam; unde dicitur Hierem. 23. *Qui habet ſomnium, narret ſomnium, & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè: quid paleis ad triticum?* Qui verò falſitatem doceret, non ſuperædificaret, ſed magis ſubverteret fundamentum. Hic eſt verus ſenſus ex D. Th. 1. Corint. 3.

21 OBJIC. II. Primi fideles Antiocheni, Petrus, Barnabas, & Paulus erant de vera Eccleſia: ſed inter iſtos erat doctrinæ diverſitas circa dogmata; ergo fidei admiſcentur errores, qui cum non recedant a fundamentalibus, unitatem non tollunt. Min. explicatur Petrus judaizabat reprehenſibiliter; ideo ei reſtitit in faciem Paulus ad Gal. 2. Paulus non ſentiebat cum Barnaba in opus Evangelii Act. 15. Antiocheni fideles graviter contendebant pro legalibus, ibidem. Et ex Epiſcopa, quo uſum eſt concilium Apoſtolorum in ſolutione illius difficultatis pro conciliandis Gentilibus, & Judæis, partim negando Gentilibus, partim concedendo datum eſt Catholicis exemplum, ad conciliandas Eccleſias aliqua permittenda fore, alia neganda, ea videlicet, quæ ſubſtantialia ſunt: & eo vel maxime, quod ſicut errores paulatim creſcunt, ita paulatim evelluntur; quod in caſo evenit. Suſtulit Dominus victimas Gentilibus, & ſubſtituit ſacrificia Aaronica; deinde cum ſacrificiis data eſt circumciſio; ubi verò acceſſit abrogatio, aliquid permiſſum eſt de legalibus: inde voluntarii ceſſerunt omnibus legalibus, & factus eſt lapis utrâque unus. Sic Proteſtantes tolerandi ſunt; & fortè voluntariè cedent erroribus. Hæc Vedroſius *in examine Ratisb. 23. in Manuali Antiquit. Spalatenſis lib. 7. cap. 12. num. 121.*

RESP. neg. min. Ex cujus probationibus veritas Catholica confirmatur. Ne in vacuum curreret Paulus, ex Divina revelatione Jeroſolymam aſcendit, collaturus cum primariis de Eccleſia, qui ibi erant, Evangelium, quod a Domino acceperat. Hinc ad Galat. 2. *Aſcendi autem ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe: Ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Secura non erat doctrina Pauli niſi accedente approbatione Eccleſiæ: Eccleſia ergo Judex Controverſiarum. Contendunt Antiocheni circa legalia; ut lis dirimatur, legatos Jeruſolymam mittunt; congregatur Concilium; reſolvitur quæſtio; ceſſat omnis diſſenſio, prædicantur ſtatuta dogmata per Provincias Act. 15. Eccleſia ergo Judex agnoſcitur, quæ, cum æquali infallibilitate proponat dogmata, nullam mixtionem erroris admittere poteſt: Sicut quia eadem veracitate Deus ea revelat, nulla mixtio falſitatis in revelatis datur. Pauli porro admonitio facta Petro, an realis fuerit, vel conventionalis, ſub lite eſt inter Hieronymum cum Græcis, & Auguſtinum cum Latinis, ſed etſi realis admittatur, nullus erat doctrinæ error in Petro, nullaque culpa in facto, niſi apparens. Nullus doctrinæ error, quia non docebat circumciſionem, & legalia eſſe neceſſaria, ſed ſolum in modo converſationis videbatur ad præſentiam Judæorum paulò magis ſegregari a Gentilibus: nulla culpa erat in facto, quia faciebat hoc charitatis affectu -- Timens eos, qui „ ex circumciſione erant -- non timore humano, ſed timore fraternitatis, ne ſcandalizarentur Judæi, ſicut dicitur in Gloſſa; & ideo factus eſt Judæis tanquam Judæus, ſimulans cum infirmis idem ſentire. Apparenter tamen deliquit, quia parum inordinate proceſſit, occaſio enim erat quod ceteri Judæi in eandem ducerentur ſimulationem. Videatur D. Th. ad Galat. 2. Diſſenſio verò inter Barnabam, & Paulum fuit præciſe circa ſocium. Volebat ſecum Barnabas Joannem ducere, quod non ita conveniens judicabat Paulus; id Divino præordinante conſilio, ut pluribus Provinciis Evangelii veritas deferretur: Lis Antiochenorum erat quidem circa doctrinam, ſed ex nondum ſufficienter intellectis Scripturis oriebatur, quæ illico inter Catholicos ceſſavit, cum acceſſit Eccleſiæ definitio. Œconomia Concilii optima fuit circa legalia: declaravit non eſſe neceſſaria ad ſalutem, nec eſſe prius circumcidendos Gentiles, qui ad fidem convertebantur: unde reddita ſunt indifferentia, & abſque culpa poterant adhiberi ab iis, qui nullam in eis ſpem ponerent, rationabili ducti motivo. Prudentialiter tamen credidit conveniens eſſe abſtinere a ſuffocato, & ſanguine, quia ex parte Gentilium nullum erat periculum, quod ea exercerent tanquam Moſaicæ legis ceremonialia, a quibus alieni erant: aliàs Judæorum animi ſuavius inflectebantur, & cum honore ad tumulum ducebatur ſynagoga. Ceterum, quæ legitimum Controverſiarum tribunal, ut fide credenda proponit, indifferentia non ſunt, quæ admittere liberum ſit, & quibus credere voluntarii poſſimus. Non negamus errores paulatim creſcere, & paulatim evelli, ſi loquamur de illis, qui totaliter Eccleſiam non evertunt: Hæreſes verò non ſunt hujus generis; & ſi quandoque debeat adhiberi patientia in tolerandis quibuſdam Hæreſi infectis, ut majora mala impediantur, & efficacius, & ſuavius ad lumen veritatis reducantur, nunquam tamen concedendum eſt, ut in erroribus perſiſtant, vel tanquam in vero, & ſaltem ut in indifferenti.

Hæreſes nuſquam ſunt tolerandæ.

22 OBJIC. III. Veteres, & Sanctiſſimi Patres, intra Eccleſiam remanentes, acriter circa fidem diſputantes plura inconſiderate docuerunt, ut (pluribus omiſſis) conſtat in Cypriano, & Firmiliano: Sed hoc aliunde non oritur, niſi quia unitas fidei, & Eccleſiæ retinetur, fundamento retento, quamvis variis erroribus decolorata; ergo: & confeſſio Helvetica *cap.* 27. refert Socratem ſcripſiſſe, diverſas per Orbem Eccleſias diverſos ſervaſſe ritus, unitate fidei, & Religionis non amiſſâ. Sic Melancton, & Vedroſius.

RESP. Non inficias imus Patres non raro diverſa ſenſiſſe, verum non circa ea,

quæ

quæ fidei erant, ſed circa conſequentias inde deductas, vel circa particulares quæſtiones facti, vel juris, vel circa explicationem alicujus Scripturæ quoad myſticos ſenſus, & ſimilia. Quandoque etiam circa veritates nondum ab Eccleſia definitas: eo tamen ſemper animo, ut, ubi ſcirent judicium ejuſdem Eccleſiæ, libenter ſuſciperent, ac proinde, quos docuerunt errores, ſine contumacia factum eſt, & quando aliter egerunt, ab Eccleſia ejecerunt, & pro Hæreticis ſunt habiti: ſicut conſtat in Tertulliano, Origene, & ſimilibus. Audiatur ad rem Aug. *Serm.* 14. -- Ferendus „ eſt diſputator errans in aliis quæſtionibus „ non diligenter digeſtis, nondum plena Ec„ cleſiæ auctoritate firmatis; ibi ferendus eſt „ error: non tamen tantum progredi debet, „ ut etiam fundamentum ipſum quatere vi„ deatur -- ſcilicet, ut tolerentur errores contra Eccleſiæ ſententiam jam prolatam. Hac Auguſtini doctrinâ iterum confirmatum habemus, legitimum Judicem dogmatum eſſe Eccleſiam. Et hic pariter habemus aliud eſſe poſitive contrariari alicui articulo, aliud illum neſcire. Neſciunt quandoque Fideles quoſdam articulos; & eos etiam, quos noverunt, non tenentur omnes memoriâ retinere; ſed quoſdam certos, & illis poſitivo aſſenſu adhærere; at nullum ex eis licet excludere, nullique pertinaciter adverſari, & qui poſitive contrariari voluerunt, Hæretici inde evaſerunt; non aliter dici poteſt, niſi velimus cogi concedere antiquos ab Eccleſia reciſos, tales non fuiſſe. Ritus, de quibus Socrates ſcripſit, fidem non tangunt, ſed accidentalia ſunt, in Sacramentis, Divinis Officiis, & ſimilibus peragendis: quod ſi Proteſtantes in his præciſe diſſiderent, manus ſocietatis daret Catholica Eccleſia, ſicut Concilium Florentinum dedit Græcis, quos ſæpe ad unitatem Romani Pontifices invitarunt, promiſſione eorum ceremonias permittendi, dummodo dogmata fidei amplecterentur -- Quam niſi quis inte„ gram, inviolatamque ſervaverit, abſque „ dubio in æternum peribit --

Salva fide quandoque alii alia ſenſerunt.

23 OBJIC. IV. Niſi componerentur errores cum unitate Eccleſiæ, neceſſariæ non eſſent diſſenſiones circa fidem: ſed ſunt neceſſariæ ſecundum Paulum 1. ad Corint. 11. ver. 19. ut membra perfectiora illuſtrentur; ergo componuntur cum unitate Eccleſiæ; nec ob aliud, niſi quia non verſantur circa primaria dogmata.

RESP. ſupra argumento. Non enim hæreſes, & diſſenſiones neceſſariæ ſunt: quia a Deo volitæ, aut directe utiles, ſed ſtante hominum inconſtantia, & terrenorum cupiditate, ea quadam morali neceſſitate eveniunt, ut inde boni perficiantur, & diſputationibus veritas magis eluceſcat. Quare nunc ſolum placet advertere, argumentum adverſarios ferire; nam Paulus loquitur de hæreſibus: *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Sunt ergo Hæretici, qui errores circa fidem docent, vel ſuſtinent; non ergo ipſi intra Eccleſiam ſervant unitatem. Omitto argumentum confeſſionis Helveticæ *cap.* 7. ex diſcordia ſcholaſticorum deſumptum, quia infra ſuum habet locum.

Diſſidiis veritas eluceſcit.

24 OBJIC. V. Niſi ſubſiſteret Eccleſiæ unitas cum erroribus circa fidem, velut nævis, & ſtipulis, Primitiva Eccleſia non ſuſcepiſſet illud conſilium, ut errantes præter fundamentales articulos intra Eccleſiam agnoſceret: ſed illo conſilio uſa eſt, ut patet exemplo relato a Socrate *lib.* 5. *cap.* 10., & 11., ubi Catholici Novatianis hanc viam præſtant: exemplo D. Aug. *Pſal.* 32., ubi primos Donatiſtas appellat fratres, quia fundamentalibus credunt -- Dicunt Donatiſtæ, quid nos „ quæritis? Reſpondemus Fratres noſtri eſtis. „ Dicunt, ite e nobis, non vobiſcum habe„ mus rationem. Nos prorſus vobiſcum ra„ tionem habemus, unum Chriſtum confi„ temur, in uno corpore, ſub uno capite „ eſſe debemus -- Et ſuperius dixerat -- Do„ leamus illos fratres, tanquam fratres no„ ſtros: velint, nolint, fratres noſtri ſunt -- En, quia fundamentalia fidei retinebant Donatiſtæ, fraternitatis unionem retinebant, licet errarent circa Baptiſmi iterationem; ſi enim ab unitate forent ſejuncti, non vocarentur fratres, ſicut non vocantur Pagani -- „ Nunquid de Paganis? Non; neque enim „ dicimus eos fratres noſtros ſecundum ſcri„ pturas, & Eccleſiaſticum loquendi modum -- Sic Vedrenſius *in Manuali antiquitatis cap.* 7. *in exam. ratisb.* 23.

RESP. Neg. min. Utique nulla melior regula reperitur circa fidei, & morum doctrinam, quam primitivæ Eccleſiæ exemplar, at hæc nunquam eo eſt conſilio uſa, ut intra unitatem Eccleſiaſticam agnoſceret, ab uno etiam minimo definito declinantes, etſi ſtudium omne adhibuerit, ut errantes ad ovile reduceret, quod & in adductis exemplis declaratur. Nuſquam enim tanquam membra Eccleſiæ agniti ſunt Novatiani, immo ſemper eos ſunt averſati Catholici. Caſus porro a Socrate recitatus eſt hujuſmodi. Imperator in promovendo ſtudio eliminandi ſectas Hæreticorum adhibuit Nectarium, cum enim, cum reliquis Novatianis confeſſus eſſet conſubſtantialitatem Verbi, ceteris ex adverſo pugnantibus Hæreticis, obtinuit ab imperatore, ut Novatiani Epiſcopi ſuas poſſiderent Eccleſias: quid inde? Fuerunt ne ob hoc Novatiani Catholici habiti? Nequaquam: creditum ne eſt ſubſiſtere fidei unitatem cum erroribus Novatianorum? Minime: Alioquin cur Patres calamum in eos acuerunt? Cur Concilia congregata? Nec video, quomodo ab adverſariis afferatur Auguſtinus, qua ratione vocet Donatiſtas fratres, ibidem explicat, eo ſcilicet motivo, quod Catholici ſuum agnoſcunt Baptiſmum a Donatiſtis collatum. Fratres ſunt, quia Chriſtianitatis Sacramentum idem habent; fratres tamen, qui perierunt; ideo illos deflet; ideo rogat, ut ad unitatem redeant; ideo populos hortatur, ut pro eis Deum deprecentur, ut det in idipſum ſapere, fieri de eodem corpore, in quo deberent eſſe, corpore Chriſtum confitentes. Interim de corpore non ſunt, ſed exterun, ſicut toties *in lib. contra Donatiſtas* clamat. Ceterum, cum in hoc loco ſolius Baptiſmi, & Chriſti mentionem faciat, ſequeretur ex Hæreticorum ſententia ad fundamentalia ſolum pertinere Baptiſmum, & Chriſti confeſſionem, quo nil abſurdius; tunc enim centenæ hæreſes dam-

Hæretici cur quandoque fratres dicantur.

damnatæ in primitiva Eccleſia, tales non eſſent.

25 OBJIC. VI. Quidquid additum, vel ſubtractum non minuit, aut tollit unitatem, non debet impedire concordiam eſſentialem in Chriſti corpore: ſed ſi teneantur articuli ſymbolici, quidquid addatur, vel ſubtrahatur, unitas integra manet; ergo. Min. explic. Integritas unitatis ſubſiſtit, ubi fundamentalis Regula retinetur: fundamentalis porro Regula ſymbolum eſt, ideo ab Apoſtolis traditum, ut teſſera foret Chriſtianorum. Hinc Irenæus *lib. 1. cap. 2.* -- Hanc fidem Eccleſia per uni„ verſum mundum diſſeminata cuſtodit &c. „ Et neque, qui prævalet in ſermone ex „ iis, qui præſunt Eccleſiis, alia, quam „ hæc ſunt, dicet; neque enim ſuper ma„ giſtrum eſt, neque infirmus in dicendo „ diminorabit traditionem; cum enim una, „ & eadem fides ſit, neque is, qui multum „ de ea poteſt dicere, ampliat; neque qui „ minus, diminorat -- Hinc Tertullianus vocat Symbolum *Formam Informabilem*. Hinc Origenes *lib. Periarch. Athanaſius in epiſt. ad omnes per Ægyptum commorantes*. Aug. *lib. de de vera Religione cap.* 8, & alii Patres, Summique Pontifices Symbolum Regulam fidei ſtatuerunt, & ad hanc omnia revocarunt. Quidquid ergo præter Symbolum a Doctoribus proponitur, & Catechiſmis inſeritur, ad probabiles opiniones ſpectat, vel ſi errores ſunt, nævi, & ſtipulæ cenſendæ. Sic arguit Spalatenſis *lib. 7. cap. 11. num. 13.*

RESP. Quo ex uno capite verius aſſumitur principium, eo lethalior latitat anguis. Symbolum quidem ſumma quædam Articulorum fidei eſt, & fundamentalis, ſed vero ſenſu intellectum: fundamentalis Regula eſt eo modo, quo prima principia in ſcientiis, quæ ſi a connexis concluſionibus ſeparentur, nec prima principia formalia ſunt, nec ſcientiam pariunt: ita pariter, ſi a connexis præſcindatur ſymbolum, nec regula eſt, nec fides ulla habetur: propter quod plures antiqui hæretici ſcripturam, & ſymbolum admittentes a Catholicis ſeparati ſunt, quia particularia quædam non ſuſceperunt. Deinde non aliter ut Regula fidei acceptatum eſt primis ſæculis ſymbolum, niſi quatenus explicatum ab Eccleſia, quæ Apoſtolico Symbolo aliqua addidit in Nicæno Concilio ad explicationem aliquorum implicite contentorum: Symbolo Nicæno in Conſtantinopolitano &c. ex quo ſemper illud habemus Eccleſiam Judicem eſſe controverſiarum Fidei, nec aliter eſſe poteſt, ſi Symbolum ſuſcipimus; In eo enim proponitur credenda una, Sancta Eccleſia, quæ ex D. Paulo eſt columna veritatis, ideſt cuſtos, judex &c., adeoque adiaphora nequeunt eſſe, quæ definitive declarat.

Fidei Symbolum fundamentalis regula.

Verum demus Marco Antonio Symbolum ſecundum ſe eſſe Regulam fidei: habebiturne finis prætenſæ concordiæ? nullo modo: quia non omnes Novatores illud, ut adæquatam Regulam ſuſcipiunt. Lutherus admittit Regulam fidei eſſe textum ſcripturæ, Symbolum, Pſalterium Germanicum, & ſuum Catechiſmum, quibus addidit locos communes Melanctonis *tom. primo colloq. ex aurifabro collect. titul. de ſcriptur.*

Colloquium Aſtemburgenſe addidit in tertio auctoritatis ordine confeſſionem Auguſtanam cum Apologia Melanctonis, quæ vocatur quartum Symbolum. Quarto ordine auctoritatis articulos Smalcaldicos alii adjunxerunt, & Synodicus cœtus Wirtembergenſes doctrinam Melanctonis. Ratisbonenſes verò præter dicta repoſuerunt inter Regulam fidei confutationes Ducum Saxoniæ, confeſſionem Miniſtrorum Ratisbonenſium.

Concordia Bergenſis pro Regula fidei conſtituit confeſſionem Auguſtanam, & libros Lutheri. Oſiander verò hæc omnia reprobat: & ſic de ceteris; unde patet apud eos unum Symbolum non eſſe fidei Regulam. Hinc etſi pluries diſputatum ſit inter Proteſtantes, affectaverintque concordiam Sacramentarii, ut teſtatur Lutherus *Epiſt. ad Bremenſem Præpoſitum*, & in hunc finem convenerint pluries, ut Sandomiriæ anno 1570. Uratislaviæ an. 1595. Caſſelis an. 1691., & alibi: nunquam in idem ſenſere, ſed invicem ſeſe proclamaverunt Hæreticos.

Muſculum audiamus apud Sculterum ad an. 1533. *pag.* 411. -- Bone Deus! quam per„ niciose Lutherus de Chriſto ſenſit, ſi quod „ ibi ſcripſit, revera ſentit? An hoc non eſt „ duas naturas in Chriſto ita confundere, ut „ fidei noſtræ fundamenta de Incarnatione, „ de morte, deque vera, juſta hominem in „ Cœlos exaltatione prorſus aut ſubruat; „ aut reddat incerta? -- Ottingerus *in ſua cygnea cantione*, ait -- Lutherani talem in „ Cœna Domini præſentiam corporis urgent, „ quæ & toti ſacræ Scripturæ, & fidei ana„ logiæ, & puriori antiquitati, & ſobriæ (cu„ jus non minime pudet) rationi repugnat -- Germanica confeſſio Tiguri impreſſa 1544. dicit -- Lutherum fuiſſe conatum inducere „ monſtruoſum dogma -- Monſtruoſa dogmata, quæ toti Scripturæ, & fidei analogiæ repugnant, non ſunt ſtipulæ, nec adiaphoræ opiniones. Tum quia in ipſis articulis Symboli errant ſententiis diſcordibus Proteſtantes; in eo ſolum conſoni, quod illas eaſdem hæreſes propugnant, quas primitiva Eccleſia damnavit. Ex quo luce clarius habemus, Novatores extra veram Eccleſiam eſſe; & ut veritas elucescat, brevem ſubſcribo Catalogum, comparando errores aliquos veterum Hæreticorum cum aſſertis Modernorum, collectum ſparſim a Catalogiſtis hæreſum: ex Controv. Bellarm. præcipue de Chriſto. Ex theſauro Controv. Jodoci Coccii *tom.* 1. Ex Mag. Gravina *tom.* 1. *de præſcriptionibus adverſus hæreſes lib. 4. de Symbolo*, & ibidem *de falſis traditionibus Hæreticorum &c.*

ROBORATUR VERITAS CATHOLICA EX CONVENIENTIA NOVATORUM IN ERRORIBUS CUM ANTIQUIS HÆRETICIS CIRCA ARTICULOS SYMBOLI, ET EX DISCORDIA INTER IPSOS.

26 CONtra primum Articulum erraverunt Pagani, pluralitatem Deorum aſſerentes. Ex D.Th. *Opuſc. 5. de artic. fidei*, ſed pluralitatem hanc ſuſcitavit Valentinus Gentilis in ſuis protheſibus, quatenus ſtatuit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe tres Deos

æter-

Digitized by Google

æternos: & eum ſecuti ſunt Tritæi in Polonia, ut teſtatur Caniſius *de corruptelis Verbi Dei*.

Aſſerunt Manichæi Deum unum, boni auctorem, alterum mali. Aſſerunt hoc idem Illyricus, & alii ſubſtantiarii apud Reſchium *in Symbolum*: Lutherus *aſſert.* 36. Calvinus *lib.* 1. *inſtitut. cap.* 18. §. 3., *& lib.* 3. *cap.* 23. §. 4. Melancton. *in cap.* 9. *ad Rom.*, & Bucerus *in cap.* 1. Zuinglius *Serm. de provid.* Beza *in Caroloſtadium*. Hi omnes Deum auctorem peccati faciunt; & Heſhuſius Deum a Diabolo non differre ſtatuit, apud Seluſſelburgium *lib.* 1. *cap.* 6.

Novatores antiquas hæreſes adoptarunt.

Aſſerunt Antropomorphitæ Deum eſſe corporeum. Corporeum aſſerere tenetur Lutherus, qui paſſim ſuſtinet Divinam naturam *lib.* 2. *de Concil. part.* 2.

Aſſerunt Deum improvidum Epicuræi. Dei providentiam negavit Ochinus, a quo nullum ſubſidium expectandum ait, in Dialogis. Divinæ Omnipotentiæ injurii ſunt Calvinus *ad cap.* 23. *Iſaiæ*, Beza *in Dialogo contra Bucerum*, Caroloſtadius *dialogo de Cœna*, Petrus Martyr *de Sacram. Euchariſt.* Zuinglius, & alii.

Negant Deum immediatum Creatorem Mundi Simon, & Menander. Idem Illyricus cum aliis ſubſtantiariis, docentibus hominem a Diabolo creatum, *apud Reſchium*.

Negant Perſonarum Trinitatem Sabelliani, unitatem eſſentiæ Arriani, idem ſuſtinent Trinitarii, Calvinus *lib.* 1. *inſtit. cap.* 13. §. 5. quatenus aſſerit Perſonas in eſſentia eſſe velut quaſdam proprietates, ſicut in ſaccaro candor, & ſapor eſt: velut quaſdam virtutes, ut in anima facultas vegetativa, ſenſitiva, & intellectiva *lib. contra Valentinum cap.* 1., Beza *de unit. eſſentiæ*.

27 Contra II. Articulum: *Et in Jeſum Chriſtum &c.* Ex veteribus Photinus dixit Chriſtum fuiſſe virum bonum, ſed Dei Filium ſolum adoptive, Lutherus *in Pſal.* 22. *in cap.* 2. *ad Galat. tom.* 4. *latino*, dixit -- Prophetæ omnes in ſpiritu præviderunt, quod Chriſtus futurus eſſet omnium peſſimus, latro, homicida, fur, adulter, ſacrilegus, blaſphemus -- Calvinus, quod Chriſtus inordinatos motus ſit paſſus *in cap.* 26. *Matth.* quod ignorantia laboraverit *in cap.* 9. *Matth. ver.* 2., nec ſolide ratiocinatus ſit *ver.* 5. Quod homines deceperit, Brentius docuit *Dom.* 3. *poſt Pentecoſten*.

Arius Chriſtum creaturam fecit non unius naturæ cum Patre. Chriſtum non ab æterno genitum, ſed in tempore factum Deum ſuſtinet Budnæus *in reſponſ. Polonica*: Servetus *apud Calvin. lib.* 4. *inſt cap.* 4. Jacobus Paleologus: Smidellinus, & alii. Calvinus vult Filium a Patre non accepiſſe ſubſtantiam ſuam, ſed a ſeipſo *lib.* 1. *cap.* 13. §. 23. Duas perſonas in Chriſto aſtruunt Neſtoriani ex geſtis Epheſini. Duos Chriſtos, unum Deum Omnipotentem, alium hominem non Omnipotentem Lutherus aſtruit. Brentius in recognitione ponit unum Chriſtum, Filium Dei, alium filium hominis, communione Idiomatum a Filio Dei ornatum. Idem Smidellinus. Beza duas Hypoſtaſes aſſerit, unam inter animam, & corpus, alteram inter hominem, & Deum, *in reſponſ. ad Argum. Brentii de omni præſentia*: *& lib. de duarum naturarum Hypoſtaſi*.

Errores Novatorum circa Chriſtum.

Mahometes docuit Chriſtum Deum non eſſe, ſed magnum Dei Servum, & Prophetam inſignem. Idem ſenſerunt quidam Miniſtri in colloquio quodam Auſtriæ apud Cardinalem Hoſium *Epiſt. ad Ducem Pruſſiæ*. Quatenus dicebant, non eſſe concludendas orationes: *Per Dominum &c.* Sed per Chriſtum Servum ſuum fidelem. Omitto negantes adorandam eſſe Chriſti Humanitatem.

28 Contra III. *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto &c.* Apud Manichæos Chriſtus non habuit verum corpus, ſed phantaſticum. Idem omnino Anabaptiſtæ apud Coclæum *lib. de erroribus Anabaptiſt. Monaſterienſium*. Apud Valentinum nihil ex Virgine Chriſtus accepit, ſed per eam tranſivit, ſicut per fiſtulam, teſte Eraſmo *Concione de Natali Domini*. Quidam ex Sacramentariis tenent Chriſtum detuliſſe in uterum Virginis Corpus in Cœlo ex elementis formatum, & per eam decurriſſe, ſicut fluit aqua per canalem: Apud Brentium *in recognitione ſuæ doctrinæ* ex Virgine niſi formam accidentalem ſumpſit. Apud Bucerum nondum Chriſtus venit, nec conceptus, nec natus ex Virgine, teſte Hoſio *in Avirthrenſio*.

Novatores erraverunt circa Chriſti nativitatem.

Anabaptiſtis prope Heidelbergam datur facultas diſputandi, an Chriſtus carnem ex Virgine vere aſſumpſerit an. 1571. Apud Caniſium *lib. de corruptelis Verbi Dei*; & cum Calvinus videatur ſtatuere, tropice eſſe explicanda illa verba: *Et Verbum caro factum eſt*: cogitur aſtruere, veram carnem non ſumpſiſſe ex Virgine. Carpocrates putavit Chriſtum ex Virgine, & Joſeph vere natum. Poſt Chriſtum alios procreaſſe filios, denigrans intemeratæ Virginitatis privilegium dixit Helvidius. Budnæus in Lituania Joſeph verum Patrem Chriſti facit, ſubſanans Hymnum Eccleſiæ. Brentius *lib. de Omnipotentia carnis* aſſerit Uterum Virgineum corruptum fuiſſe in Filii egreſſione. Carolus Molinæus Virgineo flore ſpoliavit Dei Matrem. Omitto Calvini maledicta in Virginem, quam indiſcretam vocat *in cap.* 2. *Joan.* Malignam *in cap. primum Lucæ*, reſtringentem Dei potentiam &c.

29 Contra IV. Articulum *Paſſus ſub Pontio Pilato &c.* phantaſtice mortuum conſequenter Manichæi affirmant Chriſtum, ex quo carne phantaſtica compoſitum dicunt. Idem omnino dixerunt Anabaptiſtæ, per quandam phantaſiam paſſum fuiſſe. Pelagiani apud Caſſianum *lib.* 1. *de Incar. cap.* 3. Baſſus ex Philaſtrio *apud Caſtro hæreſi* 8. Abailardus *apud D. Bern. epiſt.* 190. negant Chriſtum nos redemiſſe ex ſervitute Diaboli. Ex noſtris Calvinus *lib.* 2. *inſt. cap.* 11. §. 1., *&* 19. Confeſſio Genevenſis *cap.* 4. §. 19 nihil virtutis ex paſſione Chriſti tribuit noſtris operibus advenire; & apud Bezam nonnulli Calviniſtæ *in abſterſione Calumniarum Heſhuſii in cap.* 2. *ad Phil.* volunt nos ſalvari per Chriſtum, ſed non propter Chriſtum. Beza ſuſtinet Chriſtum peccati corpus non deſtruxiſſe. Calvinus *contra Heſhuſium*, Bucerus *in Joan. pag.* 522. tenent, pro impiis fuſum non fuiſſe Chriſti ſanguinem.

M 30 Con-

30 Contra ſecundam partem tertii articuli: *Deſcendit ad Inferos*, apud D. Thom. loco citato, quidam Hæretici tenuerunt Chriſtum per ſe non deſcendiſſe ad Inferos. Marcion *apud S. Irenæum lib. 1. cap. 29.* tenet Patriarchas non fuiſſe a Chriſto liberatos, quia non crediderunt, Cain verò cum ceteris impiis fuiſſe ſalvatum, & ex Philaſt. *cap. 27.* Quidam innominati dixerunt Chriſtum omnibus annunciaſſe, quod confitentes eum ibi, adhuc ſalvarentur, etſi mortui.

Circa hanc veritatem ex Novatoribus Eraſmus *in explic. Symb. Catecheſi* 4. ſentit hanc particulam eſſe ſuppoſitam, & dubitat a D. Th. Calvinus *lib. 2. cap. 16. §. 1.* dicit fuiſſe additam, & Conventus Londinenſis ex Joan. Duræo cenſuit eſſe auferendam. Bucerus *in cap. 27. Matth.*, Beza *in cap. 2. Act.*, Vviteкerus *contra Duræum*, apud Reſchium pro Inferou intelligunt ſepulchrum, & deſcendiſſe ad Inferos idem eſſe, ac ſepultum. Calvinus §. 7. 10., & 11. *loci cit.*, *& in Cathec. edito* 1562. deridens hanc ſententiam, pro deſcenſu ad Inferos intelligit paſſum fuiſſe omnes languores impiis debitus, idem ſenſit Sarcerius *in Catechiſmo*. Zuinglius pro deſcenſu accipit virtutem, qua redemit captivus *Epiſt. 3.* Idem ſentit Bullingerus Decade prima *in exposit. Symboli*. Lutherus autem tenet *tom. 2 editione Jenenſi in Pſal.* 15. Chriſtum deſcendiſſe ad Inferos damnatorum ſecundum utramque naturam, & paſſum flammas in anima, corpore, & Divinitate, cui conſenſit Smidelinus &c.

Deſcenſum Chriſti ad Inferos negant Hæretici.

31 Contra tertiam partem: *Reſurrexit a mortuis*. Erraverunt ex antiquis Cherintus, qui non reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum credidit. Idem ſenſiſſe ex Novatoribus quoſdam refert Joan. Faber *apud Reſchium, & apud Calvinum lib. adverſus Libertinos*. Chriſtolitæ ſecundum D. Damaſcenum *lib. de hæreſibus* docuerunt, carne relicta ab inferis excitatum, ſecundum Divinitatem Chriſtum aſcendiſſe ad Cœlum. Calvinus inſanum putat dicere ſanguini conjunctam modo eſſe carnem, *in cap. 26. Matth.* idem ſentit *lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 29.* Beza *lib. de Omnipotentia carnis*: Petrus Martyr *contra Grandinerum object.* 11. Gualterus *hom.* 133. volunt reſurrectionem non fuiſſe factam Chriſti virtute; ſed indiguiſſe Angelorum opera ad amovendum lapidem, unde clauſo oſtio egreſſum negat Beza ibidem.

32 Contra V. Articulum: *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Patris*. Veteres Hæretici plura protulerunt. Carpocrates docuit ſolam Animam Chriſti ad Cœlos aſcendiſſe, non verò corpus. Pariter Apelles Chriſtum ſine carne reſurrexiſſe, & aſcendiſſe tradidit. Quidam innominati apud Pamphil. *in Apologia Origenis* docuerunt Chriſtum aſcendiſſe uſque ad Zonam Solis, & ibi ſtetiſſe. Manichæi exponentes illud: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, tradiderunt Chriſtum in Sole repoſuiſſe Corpus, & cum ſola Divinitate aſcendiſſe ad Cœlos. Sic Ang. *lib. 6. contra Fauſtum cap.* 20. Nazianzenus *Orat.* 5. Athan. *lib. 3. de Aſſumptione hominis*. Seleuciani, & Hermiani dixerunt Chriſtum non ſedere ad dexteram Patris ſecundum carnem, Ang. *hæreſi* 59.

In eoſdem errores lapſi ſunt moderni Hæretici. Vveſphalus *lib. contra Joan. a Laſco* vult Chriſtum aſcendiſſe ad Cœlos nihil aliud eſſe, quam evanuiſſe, irridendo verbo *ſurſum*. Gaſpar Svenkfeldius *lib. de duplici ſtatu Chriſti, art. 7.* vult, poſt Aſcenſionem converſam naturam humanam in Divinam. Illyricus *in lib. de Aſcenſ. Domini in explicatione illius Act. 3. Quem oportet Cœlum ſuſcipere*: tenet corporali forma uſque ad nubes perveniſſe, & ulterius non fuiſſe progreſſum, neque ſub illa eſſe in Cœlo, ſed in inviſibili Majeſtate eſſe ubique: Quid ſimile aſtruit Brentius *in recognitione ſua doctrinæ pag.* 167. Smidelinus *in diſput. Vvirtembergenſi* ſeſſionem pariter explicat per reſpectum ad Majeſtatis gloriam, qua eſt potitus, unde ſit ubique.

Erraverunt Novatores circa Chriſti aſcenſum in Cœlū.

Confeſſio Miniſtrorum Antuverpienſium *art. 3.* Aſcenſionem vult eſſe exaltationem, qua Pater Chriſtum excitavit a mortuis. Nicolaus Selnecerus contendit Aſcenſionem non deſignare Aſcenſum in aliquem locum, ſed acceptionem magni honoris, apud Reſchium *in Atheiſmis*, & apud Boverium *in explicatione 6. art.* Calvinus *in cap. 22., & 26. Matth.* tenet ſeſſionem ad dexteram Patris, nihil aliud eſſe, quam habere proximum gradum, ut Vicarium Dei, & quandam mundi gubernationem uſque ad finem ſeculi, quæ tunc ceſſabit, ſicut habet *lib. 2. inſtit. cap. 9. §. 3.*

Lib. concordiæ Smidelliana apud Reſchium (*ſedere ad dexteram*) vult eſſe ubique, & gubernare ut hominem a Mari uſque ad Mare, & fines terræ. Clypeus Genevenſis vult, inter Sanctos, & Cœlos Chriſtum ita coarctatum eſſe, ut ſit velut in ergaſtulo, & non poſſit inde ſe movere uſque ad diem judicii. Natanael Elianus (*ſedere ad dexteram*) dicit eſſe confidentiam, quam habet Chriſtus in auxilio Patris, & quod certus ſit, quod tandem ſit in tertia Regnaturus *lib. Mattan. Ja.*

33 Contra VI. Articulum: *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos*: Ex antiquis erraverunt Prodianitæ, Manichæi, Borboriani *ad Philaſtrium de hæreſibus*. Albanenſes *apud Guidonem de hæreſibus* nec credunt, nec ſperant futurum judicium, ſed Albanenſes, quia credunt jam factum, ſecuti PſeudoApoſtolicos reprehenſos ab Apoſtolo. Moderni errant alii circa ſubſtantiam, alii circa modum, alii circa perſonam. Circa perſonam erravit David Georgius, dicens Chriſtum venturum non ad judicandum mundum, ſed ſeipſum; ſic Coclæus *de actis, & ſcriptis Lutheri*; ſic Baſileenſes referunt *in vita Georgii*. Richerus Calviniſta negat Filium venturum, ſed Patrem in perſona Filii apud Villagagnum. Circa ſubſtantiam Natanael Elianus *loco ſuperius citat.* Verbum *judicare* accipit metaphorice pro regnare, & ideo in ſcripturis dicit, Judices ſignificaſſe Reges, Brentius cum Ubiquiſtis ponens Chriſtum ſecundum carnem ubique, hic ſemper eſt, ait, ideo non eſt venturus, Anabaptiſtæ Moravici *apud Reſchium in Atheiſmis* prædicabant poſt biennium futurum judicium, quod, cum ſit finitum, per ipſos judicium factum eſt, & utique, quia per Pſalmiſtam Pſal. 1. *Non reſurgent impii in judicio*: *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*, ſcribit Joannes cap. 3.

De univerſali judicio errores.

Circa

Circa modum. Lutherus *ſerm. de piſcat. Petri in poſtill. german. p. 2. In captivit. Babylonica tom. 2. Vuirtemberg. pag. 7.* docuit in judicio ſolam fidem eſſe examinandam; unde eum ſolo Iſaac eſt ad judicium eundum, relictis Servis, & Aſinis, ideſt, operibus. Brentius *in explicatione Catechiſmi Vuirtemberg. pag. 214., & 15. an. 1552.* neminem aſſerit ſecundum Decalogum eſſe judicandum &c. *p. 2. lib. Concil.* Lutherus dicit conjudices eum Chriſto futuros Neſtorium, & Eutichetem, qui Cyrillum, & Leonem damnabunt. *Lib. de ſervo arbitrio* aſſerit Chriſti judicium fore injuſtum, quia coronaturus eſt indignos, & punitnrus juſtos. Sed quid ſentiat *in cap. 5. ad Gal.* audiamus — Cum recordatus fueris, „ quod Chriſtus ſit Judex vivorum, & mortuorum, vel legis doctor, qui tibi iraſcitur, qui a te rationem poſcet, quomodo „ vitam egiſti: tu pro veritate credas, quod „ talis non ſit Chriſtus, ſed maledictus Diabolus ex Inferno --

Meliorane ſenſit Calvinus? abſit. *Lib. 2. inſt. cap. 17. §. 6.* aſſerit, temerarium dicere, Dominum conſtitutum fore judicem vivorum, & mortuorum, & in cap. 2. ad Philip. inter aniles fabulas revocat, quod plagis ornatus ſit venturus. In c. 2. Math. v. 26. docet, non eſſe timendum judicium ab illis, quos tam pretioſa mercede abſolvit, ideſt, ſanguine redemit. *Et lib. 2. cap. 16.* docet, non eſſe timendum, quia non veniet in condemnationem, ſed in ſalutem: unde in Catechiſmo Calvin. an. 1567. in Dominica 13. interroganti, an ſit timendum judicium? reſponderue negative — Quia certi ſumus, „ quod nonniſi in ſalutem apparebit --

34 Contra VII. Articulum: *Credo in Spiritum Sanctum*, aberrarunt ex antiquis Montanus qui ſeipſum dixit eſſe ſpiritum Divinum, ex Niceph. *lib. 4. cap. 22.* Origenes ponit Spiritum Sanctum creaturam, loco tertio a Patre inferiorem, utriuſque miniſtrum, *tract. 13. in Joan.* Idem docuit Macedonius ex Epiph. *hær. 74.* Aug. *hær. 52.* Quidam ex Arrianis non Deum, ſe Dei donum poſuerunt. Marcellus, & Photinus extenſionem extenſionis, & alii ſimilia.

Totidem ſenſerunt Moderni. Ochinus prædicavit Polonis Spiritum Sanctum nullam eſſe perſonam, aut Hypoſtaſim. Fratres familiæ amoris docuerunt Londini Spiritum Sanctum eſſe Phantaſma ex Stoo in Eliſab. Melancton in locis communibus ann. 1539. aliquid ſolum eſſentiæ, & Deitatis confinxit in Spiritu Sancto. Ferrelus ex Petro Carolo in Epiſt. ad Lotarin. docuit, ſolum eſſe quendam motum in rebus creatis. Idem Tranſylvani miniſtri *lib. 2. cap. 5.* contra Incarnat. Chriſti; & cum Calvinus in cap. primum ad Romanos neget Spiritum Sanctum eſſe objectum fidei; & clypeus fidei Genevenſis neget eſſe adorandum, abſque dubio Deitate ſpoliant. Omitto alios: ſolum noto, Marſhlam Steinbag dixiſſe, ſe eſſe Spiritum Sanctum.

Errores in Spiritum Sanctum.

35 Contra VIII. Articulum: *Sanctam Eccleſiam*, triplex inter ceteros fuit error in Veteribus Hæreticis. Circa Sanctitatem Pelagiani erraverunt volentes, quod ſingula membra ſubjective ſancta eſſent abſque peccato, ex Aug. *lib. de Hæreſ. 88.*, & alii idem, ut ſuo loco vidimus. Circa Univerſalitatem locorum tenuerunt Donatiſtæ Eccleſiam ſolum eſſe in Africa ex parte Donati, non autem in Hiſpania, Gallia, Italia, Germania &c. Ex Aug. *hæreſ 69.* idem Lucifer Calaritanus ex Hiero. *cap. 1. contra Luciferianos*, aſſerens apud ſuos tantum eſſe Eccleſiam. Circa univerſalitatem temporum Pauperes de Lugduno docent, Eccleſiam defeciſſe ſub Sylveſtro: ex D. Antonino 4. *p. ſumma tit. 11. cap. 7. §. 2.*

His conjunctiſſimi ſunt Novatores. Sanctitatem ſubjectivam in ſingulis membris requirunt Melancton *in Apolog. confeſſ.*; Muſeolus *in locis communibus*, Confeſſio Aug. *art. 7.* Lutherus *lib. de ſervo arbitrio*, qui ſolos prædeſtinatos reponit intra Eccleſiam; idem Calvinus *lib. 4. cap. 1.*, & alii ſuo loco recenſiti.

Novatores errant cum antiquis Hæreticis circa Eccleſiam.

Univerſalitatem negavit Lutherus, qui ſuſtulit vocem (*Catholicam*) & repoſuit (*Chriſtianam*) in ſuo Catechiſmo Germanico ex Reſchio *in Atheiſmis*, ex Lindano *in dubit.*, & *lib. contra Catherin.* negat Eccleſiam eſſe continuam, tum loco, tum tempore, tum ſucceſſione. Defeciſſe, ſeu verius nunquam fuiſſe Eccleſiam docuerunt Lutherus *in colloquiis latinis tom. 2. de Patribus*. Melancton *in cap. primum prioris ad Corinth.* Calvinus *lib. 4. inſtit. c. 2. §. 1.*, & alii &c.

36 Contra IX. Articulum: *Communionem Sanctorum*, erraverunt Veteres pluribus. Communio hæc conſiſtit in communicatione bonorum ſpiritualium ex capite in membra, & membrorum ad invicem. Prima fundatur in theſauro meritorum Chriſti, qui diſpenſatur per fidem, & charitatem, & Sacramenta. Secunda in participatione bonorum operum, & ſatisfactionum. Communionem primam per Sacramenta negaverunt Seleuciani Baptiſmum auferentes ex Aug. *hær. 59.* Novatiani Confirmationem abjicientes *lib. 3. fabul. hæretic. Theodoreti*. Petrobruſiani Euchariſtiam reſpuentes ex Petro Cluniac. *lib. de erroribus contra iſtos*: Novatiani iterum Pœnitentiam abhorrentes ex Epiph. *Hær. 59.* Taudemiani, qui Ordinem apud Sygibertum in ſupplemento Chronici an. 1124. Albigenſes, qui Extremam Unctionem ex D. Antonino 4. *p. tit. 11. c. 7. §. 5.* Armeni, qui Matrimonium, ex Caſtro de hæreſibus abjecerunt.

Sanctorum communio ab antiquis, modernisq. Hæreticis negatur.

Hoc conſimiliter faciunt Novatores. Lutherus *de captivit. Babylon.*, qui unum, deinde duo admiſit Sacramenta, Apologia confeſſionis Auguſtanæ tria tantum, Calvinus *lib. 4. inſtitut. cap. 18. fol. 19.* duo ſolum, & alibi tria; &c., & ſic de aliis: ſicut diximus de Sacramentis. Secundam vero Communionem ita abhorrent Novatores, ut velint illum Articulum deleri, ut Calvinus *lib. 4. inſtit. c. 7. §. 2. p. 264.* Bucerus in Joannem, Eraſmus in Catechiſmo in Symb. Hinc ſuffragia Indulgentiarum, Defunctorum, mutuarum orationum ejurant. Sufficiat audire Lutherum apud Reſchium *in Atheiſmis in Symb.* — „ Ego nolo tecum mea bona opera dividere, „ & fraternitates abripiunt nos a fraternita-

„ re Chriſti — utique, ſed illæ, quæ fundantur in operibus Lutheri. Volunt enim damnari: ideo omne adjuturium rejiciunt. A

37 Contra X. Articulum: *Remiſſionem Peccatorum*: aberraverunt Veteres Hæretici duplici ex capite. Menaliani ex Theodoret. *lib.* 4. *Hæretic. fabul.* Proculus Origeniſta ex Epiph., & alii ex Greg. *lib.* 9. *Epiſt* 39. Negabant in Baptiſmo tolli peccata, ſed ſolum tegi dicebant; Montaniſtæ ex D. Hieron. ad Marcellam, Novatiani apud Theodoret. *loco cit.* remiſſionem peccatorum auferebant, quatenus negabant lapſis indulgentiam reconciliationis.

Hæretici errantes circa peccatorum remiſſionem.

Novatores ex utroque capite a veritate declinant, & tertium addunt. Lutherus *art.* 2. ex damnatis a Leone ita certum aſſerit, remanere peccatum poſt Baptiſmum, ut aliter ſentire ſit Paulum, & Chriſtum conculcare. B Calvinus *in antid. Concil. Trident. ſeſſ.* 5. aſſerit, manere peccatum, ſed non imputari, *& lib.* 4. *cap.* 18. negat filios Fidelium Baptizari in remiſſionem peccatorum. Verbis concedunt lapſis veniam, ſed re negant, cum projiciant Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium: Luther. *de captiv. Babyl. ſub initio*, Calvinus *lib.* 4. *cap.* 19. §. 17.

Addunt tertium. Lutherus ſolum peccatum infidelitatis ponit, alia vero abſorberi C docet ictu oculi per fidem. *de captivit. Babyl. c. de Sacramento Baptiſ.* Addit ſenſum hujus articuli eſſe, quod homo teneatur credere indubitanter remiſſionem evenire ſibi ex ſola fide. Ampliat ſerm. de piſcatura Petri, quod non ſit neceſſaria peccatorum remiſſio, ſed peccata vitare Chriſtiano ſit pernicioſum, & quo quis ſceleratior eſt, eo citius Deus gratiam infundit. Ulterius, extendit *art.* 30. ex damnatis, quod non peccatorum quærenda ſit remiſſio, ſed bonorum operum, cum peccata non imputentur, bona vero opera reos efficiant, cum Hæretici ſint, qui ſuſtinent neceſſitatem operum. Idem in re docuit Cal- D vin. *lib.* 3. *inſtitut. cap.* 12. quatenus ſtatuit omne bonum opus peccatum eſſe. Remiſſionem peccatorum eludit Calvin. *lib.* 3. *inſtit. cap.* 2. §. 11. nullum electum aſſerens e gratia excidere, nullum reprobum a peccato reſurgere. Idem Beza *in confeſſ. fidei cap.* 4. *art.* 20. Idem Calvin. *lib.* 1. *cap.* 18. §. 2., *&* 4. *lib. de æterna prædeſtin.*, quatenus docet peccatum homini non imputari, cum fiat Deo impellente. Cum eo ſentit Beza *de Arcana Dei prædeſt.*, Petrus Martyr *in cap. Samuelis*, *& in Epiſt. ad Rom. c.* 2. *lib.* 1.

38 Contra XI. Articulum *Carnis Reſurrectionem*. Plures ex Hæreticis veteribus er- E raverunt. Simon Magus *ex Epiph. hær.* 21. Apelles ex Tertull. *de præſcript. adverſus hæreſes*· Balbus *ex Zonara in vit. Michaelis*, Albigenſes *ex D. Antonino* 4. *p. tit.* 11. *cap.* 7. §. 5. negaverunt carnis Reſurrectionem: Valentinus vero *ex Epiph. hær.* 31. Marcion *ex eodem hær.* 42. Hieras *ex eodem hær.* 67. ſolius animæ reſurrectionem admiſerunt.

Adverſus carnis reſurrectionem errores.

Sed nec huic errori pepercerunt Moderni Heterodoxi. David Georgius *ex Cochlæo de actis Lutheri an.* 1545. negat penitus carnis Reſurrectionem; ſimiliter Anabaptiſtæ *ex Sandero lib.* 7. *de viſibili Monarchia*, *& ex Reſchio in Atheiſmis*. Libertini *ex Calvino in in-* A *ſtitutione adverſum Libertinos* docuerunt reſurrectionem jam factam, & nullo modo eſſe futuram, niſi quatenus homo ſcit ſe ſpiritum habere immortalem, mortemque fuiſſe a Chriſto abolitam.

At quid ſentit Calvinus ipſe? Videamus. *Lib.* 5. *inſtit. cap.* 25. §. 12. aſſerit animas manu Dei lacerari, & conteri, *&* §. 20. eſſe umbras, ſpectra, phantaſmata, mortuas, Idola: & ſui diſcipuli, prout ipſe fatetur *in lib. contra Gentilem in colloquio quodam Genevenſi* nullum medium oportuniue eſſe fatentur ad tollendum purgatorium, & preces pro B defunctis, & ſimilia, quam affirmare animarum interitum. In Theſibus an. 1668. propoſitis a Calviniſta Anonymo dicitur inane eſſe, quidquid de animarum immortalitate ab Antichriſto ad ſuam Culinam excogitatum, ideſt, a Papa.

Forte Lutherus ſanius ſentiet? Scrutemur. *In articulo* 27. *ex damnatis a Leone*, animam eſſe immortalem portentum vocat. Sleidanus *lib.* 9. *Hiſt.* docet a Luthero hujuſmodi dogma inventum, ut fidem purgatorii aboleret, & Sanctorum invocationem. Illud Luth. docet etiam *in cap.* 9. *Eccleſ. in cap.* 25. 26. 49. *Geneſis*.

C 39 Contra XII. *Vitam æternam*: veteres Hæretici aberraverunt. Cherintus docuit Chriſtum poſt Reſurrectionem Regnaturum cum electis per mille annos terrenorum bonorum fruitione: ex Euſebio *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 33. Cum iſto ſentiunt nunc Miniſtri Tranſylvaniæ (ex Reſchio) dicentes, quod conjectis Satana in carcerem, & Antichriſto, incipiet Regnum Millenarium.

Quid ſenſerint Hæretici circa XII. articulum.

Armeni docuerunt animas non videre Deum ante diem Reſurrectionis. Idem Petrobruſiani ex Prateolo de hæreſibus. Idem Græci, ut ſuo loco dedimus. Conſenſit Lutherus *tom. Jenenſi p.* 4. ubi Sanctos extra D Cœlum conſtituit uſque ad diem ultimum. Calvinus pariter *lib.* 3. *inſt. cap.* 20. §. 24., *& cap.* 25. §. 6.

Balbus ex Zonara in Michaelis vita prædicabat vanam eſſe de bonis æternis doctrinam. Huic aſſentitur Georgius David, irridens vitam æternam: ex Cochlæo *de actis Luth. ad an.* 1545.

Origenes docuit pœnas damnatorum poſt circulationem plurium annorum finem habituras; ex Epiph., & Aug. *de hæreſibus*: & Guido *de hæreſib.* tribuit Armenis, quod negarint infernum; & Eunomius, Zonara teſte, in Odis de Beata Virgine, ſupplicia æterna E cenſuit temporaria, poſt judicium univerſis reprobis veniam daturum Deum aſſerunt Anabaptiſtæ ex Bulling. *lib.* 2. *contra eoſdem cap.* 15. *ex Confeſſ. Aug. cap.* 17. Idem tenuerunt Libertini apud Lindanum in ſuo Dubitantio. Smidellinum interpretatum fuiſſe Infernum, & Cœlum allegorice reprehendunt Wittembergenſes apud Caniſium de corruptelis Verbi Dei.

40 Ex hoc brevi Cathalogo habemus Spalatenſem, & Oſiandrum cum ſociis impoſſibile commentum tentare, cum fingant Symbolicos articulos eſſe fundamentales, &

Sym-

Digitized by Google

Symbolo admiſſo haberi unitatem eſſentialem Eccleſiæ, & ſectas concordari. Quomodo enim haberi poteſt unitas in Symbolicis articulis, ſi tot diverſi, & contradictorii errores a Proteſtantibus aſſeruntur? Quomodo ſubſiſtet ſuper Symbolum ſic explicatum, ſeu verius, deturpatum Eccleſiæ ædificium, ſi primitiva Eccleſia pro Hæreticis habuit, qui ſimilia docuerunt? Aut ergo Moderni cum Symbolo ſunt extra Eccleſiam, aut veteres Hæretici intra erant conſtituti, nec aberrabant, quod & ipſi falſum in ſuis ſcriptis tradiderunt. Senſus Symbolum facit, non ſonus verborum; poſcenti enim de fide, parati eſſe debent rationem reddere ii, qui magiſtri conſtituti ſunt in Iſrael, Paſtores, & Doctores plebis Chriſti. Optimus eſt Chryſoſtomi diſcurſus *Homil. in Job.* 16., quo declarat non ſufficere credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, niſi ſciatur, quid credamus, aut quomodo -- Si quis gentilium „ percunctaretur, quis hic Pater eſt? quis „ Filius? quis Spiritus Sanctus? tres Deos „ aſſeritis, & nos plurium Deorum aſſertores „ reprehenditis? Quid ad hæc diceris? -- Neceſſe eſt ergo ſcire ſubſtantiam ſenſus articuli, ſubjungitque illud monitum, ſi adverſarii noſtri Gentiles tantopere invigilant, ut contra Religionem obloquantur, & abſurda inveniant, quali ſtudio debemus nos incumbere, ut diſcamus inſultibus reſpondere? Addamus illud argumentum Caſſiani *lib. 6. de Incarn. cap.* 10. -- Te inquam, ergo te ipſe conſulo. Dic „ mihi quæſo, ſi Judæorum quiſpiam, aut „ Paganorum Catholicæ fidei Symbolum neget, num audiendum eum exiſtimes eſſe? „ non utique. Quid ſi idipſum Hæreticus, „ vel Apoſtata? multo certo minus, quia „ intolerabilius eſt, veritatem cognitam derelinquere, quam incognitam negare -- Negat autem Symbolum, qui in vero ſenſu non explicat, dicente Chryſologo *Ser.* 60. -- „ Sicut dicit Apoſtolus: Capiatur fides ex „ auditu; auditus autem capiatur ex Verbo, „ & vitæ placitum, pactum fidei, lex ſalutis, non hæreat moritura, ſed vivis ſenſibus aſſignetur --

SOLVITUR ULTIMUM ARGUMENTUM.

41 OBJIC. VII. Spalatenſis *cap.* 11., *&* 12. *lib. 7. de Rep. Eccleſia* manſuetudo eſt membra diſperſa congregare, non autem collecta diſpergere: ſed hoc fieri nequit, niſi aliquid remittatur, juxta illud Aug. *Epiſt.* 10. -- Communa eſt periculum populorum, & ſtrages non hujus, vel alterius „ hominis; ergo detrahendum eſt aliquid „ ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis cha„ ritas ſincera ſervetur -- Detrahitur autem ſeveritati, ſi altera ſuſcipiatur Regula Aug. tradita *in Pſal.* 54. ad illud: *In multis erant mecum* -- Nobiſcum autem eſtis in Baptiſmo, „ in Symbolo, in ceteris Dominicis Sacramentis -- Si fundamentalia admittantur, ſeveritas lenitur, & in ceteris tertiam Regulam Aug. ſequamur *in Epiſt. contra fundamentum* -- Nemo noſtrum dicat ſe inveniſſe veritatem, ſic eam quæramus, quaſi ab utriſque neſciatur -- Et ſi quis errata protulerit, nævi erunt, & ſtipulæ unitatem non diſſolventes. *Num.* 107. dicit Spalatenſis -- Fundamentalium una ſit, & brevis confeſſio, „ & beneficio tolerantiæ, partes ſe mutuo „ amplectantur -- Hinc concedi poterit Græcis, ut teneant Spiritus Sancti proceſſionem a ſolo Patre, ob altitudinem myſterii, cum quæſtio nondum ſit in ſcripturis definita. Papatus principatum nondum ſolide probatum, ſi non admittunt, contenti ſint dirigi a Patriarchis Orientalibus ſecundum eorum privilegia. Scriptura ſola, adæquata credendorum regula habeatur, & traditio, quæ in ea legitur. Lis de Sacramentis componatur, duo vera Sacramenta admittendo, aliis quinque large attribuendo. Rixoſa quæſtio de Euchariſtia leniatur, itaut omnes teneant realiter exhiberi Corpus Chriſti, modum verò ineffabilem non ſcrutemur, ſed admiremur. Controverſia de Purgatorio, de Indulgentiis, non eſt apta parere diviſionem: Pontificii ſi in his errant, per exceſſum id evenit, adeoque abſque præjudicio fidei; ſi verò Proteſtantes non credunt, non ſunt redarguendi: de his enim ſcripturis non convincuntur. Controverſia de gratia, prædeſtinatione, merito, & libero arbitrio ita temperanda eſt, & in hoc ſolum conſilit, ut Pelagianiſmus, & Semipelagianiſmus vitetur, nimium non tribuendo arbitrii viribus, & ſiti neceſſitas aſſignetur, non nimium deprimendo arbitrium. Circa cultum; interceſſionem, venerationem Sanctorum, & Reliquiarum, & Imaginum, ita diſtribuatur: Cultus civilis tribuatur; invocationes abſolutæ non ſint damnabiles, tanquam perieuloſæ tamen vitentur: Reliquiæ pio quodam humano honore, ſed caute excipiantur, Imaginibus nullus, etſi leviſſimus cultus deferatur; nullam enim adorationem deberi docuerunt Patres, aliqua ſalutatio permittatur; in uſu depingendi abuſus rejiciantur: & qui non admittunt, non damnentur. Ritus verò in pſallendo, precando, adminiſtrando Sacramenta, obſervando feſta, & jejunia, nec mali, nec boni ſunt. *Num.* 108. ſequitur idem Spalatenſis -- Pauci autem ritus, „ vel emendandi, vel tolerandi, ut via pa„ retur ineundæ concordiæ -- Hæc Apoſtata, additque a nobis plura adiaphora pro fidei articulis prædicari.

Egregie dicebat S. Gregorius Nazianzenus *Apologetico* 1. -- Melius, & optabilius „ eſt egregium bellum pace impia, & a Deo „ diſtrahente -- Infelix homo, qui Judicis arbitrium ſuſcipiens, dum concordiam promittit Eccleſiæ, totam diſrumpit, & ſceleſtiſſimum bellum indicit. Catholicæ jura, & Proteſtantium partes oſtentat defendere, & interim fraudulenter univerſas a Calvino, & Luthero extumulatas firmat hæreſes. Optime docet Cyprianus *Epiſt.* 55. -- Nulla ſocietas „ fidei, & perfidiæ eſſe poteſt; qui cum Chri„ ſto non eſt, qui adverſarius Chriſti eſt, qui „ unitati, & paci ejus, inimicus eſt nobi„ ſcum -- Ideo Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 3. innumera mala enumerat, & erudite evenire demonſtrat ex eo, quod fidelis conjugale jugum ducat cum infideli: his diſcur-

Fraudolenta M. Antonii concordia.

Digitized by Google

ſcurſum incipiens -- Quis dubitat obliterari „ quotidiè fidem commercio infideli -- Nam ut Leo ad Leonem Imperatorem ait, & Nazianzenus *Orat.* 5. Conſuetum, & familiare eſt hæreticis, pernicioſo fœdere conglutinari adverſus Eccleſiam, & ubi in cetera acriter diſſident, in hoc ſuaviſſime conveniunt. Concedimus Charitatis munus eſſe diſperſa colligere: fatemur Paſtorum officium eſſe, ut apud Ezechielem habetur, *Infirmum conſolidare*. Quod tunc fit, ut ibidem innuitur, cum ovis aberrans ad ovile reducitur, & optimis paſcuis paſcitur. Prudentia Samaritani eſt vulneribus oleum, & vinum infundere, non autem oſſa, & carnem evellere. Vinum ſapientiæ adhibendum eſt, oleum veritatis aſſumendum; at veritas hæreſibus non copulatur, ſicut nec lux tenebris. Regula Aug. optima eſt, ſed ad Aug. mentem accepta, non extorta. Simile proponebant Hæretici illi, quibus reſpondet Nazianzenus *Orat.* 1. qui Orthodoxos ad pacem invitabant -- Pax „ amanda -- ajebat Sanctus Doctor, ſed -- Quæ „ bona eſt, Deique cauſa initur, Deoque con„ jungit -- Extrema vitanda, vel nimiæ lenitatis, & inertiæ, vel nimiæ ſeveritatis, ſed -- Cum manifeſtò ſe prodit impietas, tunc „ nobis potius faciendum eſt, ut ferro, flam„ mis, turbulentiſſimis temporibus, ac prin„ cipibus, omnibus denique rebus obviam „ eamus, quam ut mali fermenti participes „ efficiamur, peruirioſaque doctrina imbu„ ria aſſentiamur; nec quidquam perinde me„ tuendum eſt, quam ne quid magis, quam „ Deum timeamus; ob eamque cauſam fidei, „ veritatiſque, cujus ſervi ſumus, doctrinam „ perfide deſeramus -- Et pro Chriſto dimicare docet, qui pacem in præjudicium fidei non admittit *Orat. ad* 150. *Epiſcop.* -- Neque „ enim cum veræ, atque orthodoxæ fidei per„ nicie paci ſtudemus -- Non eſt ſilendum, ubi de fidei argumento agitur, ſicut Hilarius *lib.* 5. *de Trinit.* apte docet dicens -- Se non „ ignorare, quantum in eo ſit, vel reſpon„ ſionis periculum, vel ſilentii, & ex utro„ que opportunitatem impietatis expectans hæ„ retica fraus, vel conniventis taciturnitas „ confirmaret, & veritatem Evangelicæ fidei, „ non conſervaret Deum unum non confeſſa „ reſponſio -- Tertiâ Regulâ Aug. expreſſe abutitur Spalatenſis, cum Ang. redarguat pacem non haberi poſſe ſolâ concordantiâ in aliquibus fidei articulis, niſi integri ſuſcipiantur: & ideo immediate ſubdit -- In ſpi„ ritu autem, & vinculo pacis, in ipſa de„ nique Eccleſia Catholica non eſtis -- Inde optabat, ut cetera ſuſciperent, in quibus deficiebant, ut inaniter nomine Catholicorum non gloriarentur. *Pſal. enim* 54. *cit.* dicebat -- „ Non in nobis mutamus, in quibus no„ biſcum eſtis, in multis enim nobiſcum „ eſtis, nam & de talibus dictum eſt (quo„ niam in multis erant mecum) ſed corri„ gimus, in quibus nobiſcum non eſtis, & „ ea vos hic accipere, quæ non habetis il„ lic, ubi eſtis -- Pacem hanc eandem in fide integram, & cultu Dei exoptat Aug. *Epiſt.* 147., *& lib.* 5. *de fide, & ſymbolo cap.* 1. & venenatam fraudem manifeſtat occluſam in illo principio articulorum fundamentalium -- Sub „ paucis (*ait*) in ſymbolo conſtitutis pleri„ que hæretici venena ſua occultant, quibus „ reſtitit, & reſiſtit Divina miſericordia per „ ſpirituales viros, qui Catholicam Fidem non „ tantum in illis verbis accipere, & credere, „ ſed etiam Domino revelante intelligere, & „ cognoſcere meruerunt -- Et eandem fraudem, qua ſub ſpecie articulorum fundamentalium dogmata ſana intendunt eradicare, refutat. 18. *de Civit. cap.* 51. -- Ut ſub vo„ cabulo Chriſtiano Doctrinæ reſiſterent Chri„ ſtianæ, quaſi poſſent ſine ulla corruptione „ haberi in Civitate Dei, ſicut Civitas con„ fuſionis indifferenter habuit Philoſophos in„ ter ſe adverſa, & diverſa ſentientes -- Ob hoc Cyrillus *Epiſt.* 26. *ad Neſtorium* dicebat, minime ſufficere, quod Symbolum Nicænum ſuſciperet, niſi cetera anathematizaret, in quibus prave ſentiebat, & ni ſentiret inidipſum cum Epiſcopis Orientis, & Occidentis. Et inde collige, artem hanc conciliandi Eccleſiam non eſſe Novatorum Hæreticorum inventum, ſed veterum a Patribus damnatum.

42 Hinc neceſſe non eſt ſingulis reſpondere, quæ ibi enumerat capita Spalatenſis, cum nonniſi ipſa proferat dogmata, quæ primitiva damnavit Eccleſia, & a Proteſtantibus ab orco reducta. Monitum ſuſcipiat ab Epiph. *hær.* 40. Pauli inhærente veſtigiis -- „ Ut cognoſcas, quomodo oportet in Domo „ Domini ambulare, quæ eſt Eccleſia Dei „ viventis, columna, & fundamentum ve„ ritatis, quâ pleriquè dimiſſâ ad fabulas ac „ ſtultos ſermones converſi ſunt, non intel„ ligentes, neque quæ dicunt, neque de „ quibus affirmant -- Audiat Cyprianum *lib. de unit. Eccleſ.* -- Primatus Petro datur, ut „ una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una mon„ ſtretur -- Semper verum erit illud Aug. -- „ Non poteſt habere Deum Patrem, qui non „ habet Eccleſiam Matrem -- Illudque *in Epiſt.* 166. -- Ubi agnovimus Chriſtum in eo, „ quod ſcriptum eſt: Foderunt manus meas „ &c. ibi agnovimus & Eccleſiam in eo, quod „ paulo poſt in Pſalmo ipſo dicitur commemorabuntur. & convertentur &c. Ubi agno„ vimus Chriſtum in eo, quod ſcriptum eſt: „ Exaltare ſuper Cœlos Deus: ibi agnovi„ mus, & Eccleſiam in eo, quod ſequitur: „ & ſuper omnem terram gloria tua. Ubi „ agnovimus Chriſtum in eo, quod ſcriptum „ eſt: Deus judicium tuum Regi da &c. ibi „ agnovimus & Eccleſiam in eo, quod de „ ipſa in Pſal. dicitur: & dominabitur a mari „ uſque ad mare &c. -- Non agnoſcit porro Chriſtum Patrem, qui verba ejus non audit, ita Eccleſiam Matrem non novit, qui verba ejus non audit: unde dicebat Chriſtus: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*: Quam regulam, quia ſequuntur Catholici, ideo nullum errorem admittunt, ideo nullum adiaphorum pro fidei articulo docent. Nullus enim Doctor Catholicus tenet pro fide quoad ſe, & quoad nos, quæ non ſunt ab Eccleſia definita, licet diviſi ſint in eliciendis Theologicis quibuſdam concluſionibus. Pax ergo, quæ proponitur, fraudulenta eſt, & ſub ſpecie boni peſſima inducit, ideo oculatius eſt cavendum, juxta illud Nazianzeni *in lib. de calamit. animæ ſuæ* -- Tum maxime circumſpectio adhi„ benda

„ benda eſt, ne alioqoin, dum ad lucem ac„ cedere ſtudemus, ad mortem impingamus. „ Perſpicuum vitium fugere poteſt etiam ho„ mo inferioris notæ. Vitium enim apertum „ plerique odio eſſe ſolet : & magna cum „ laude dignum cenſeo, qui perſpicaciſſimis „ ſpiritus oculis, velut in ſylva latitantem, „ & inſidiatorem hoſtem proſpicit, ac de„ prehendit.

CONTROVERSIA III.

AN ECCLESIA SIT UNA UNITATE SALUTIS.

43 PRo unitate ſalutis intelligimus negationem indifferentiæ Religionis conducentis ad finis ultimi conſecutionem. Ea Aug. *lib. 2. de Civit. cap.* 20. Politici (genus illud hominum, quibus Religio in tantum placet; quatenus ſubſervit ad conſequendam Reipublicæ pinguedinem) docent unumquemque ſalvari poſſe in ſecta, quam ſequitur. Error iſte, ſimul cum pluribus aliis in libello Pariſienſi de juſta Regis abdicatione recenſetur. An. 1525. Libertini (Soboles Quintini Sartoris Picardi, qui in Brabantia dogmatizavit) dicunt Deo placere quamcumque ſectarum Religionem, ſicut diverſis cibis delectantur homines, ac proinde liberum eſſe unicuique eligere fidem quæ magis arridet. Davidici (qui tales a David Georgio Fabro Vitrario Gandavenſi nominantur) ſuſtinent pariter in qualibet ſecta dari ſalutem infidelium, & fidelium. Horum ſecta viget in Hollandia, & Friſia ex Florem. *lib. 2. cap.* 16. Eadem premunt veſtigia Neotrales, ſic dicti, quia utrique parti placere ſtudent, Catholicis, & Novatoribus, ſic Florem. *lib. 2. cap.* 15., & Lind. Thomas Hobbes Britannus totus in hoc eſt *de elementis philoſophia cap.* 18. Reſchio, & Lindano teſtibus. Joannes Serranus Miniſter Arauſicanus hujus falſitatis promotioni omnibus viribus inſudat, ſic Gualterus *Sec.* 5. *cap.* 25., *& Sec.* 11. *cap.* 3. Confeſſio Anglicana *articulo* 18. In Anglia ſectam hujuſmodi extare indicat: unde plures Acatholici moderni, cum vident aliquos inclinari in Catholicam Religionem, conantur avertere, ſuadentes, ut, quam ſuſceperunt, retineant; quælibet enim ſufficit ad ſalutem. Verum nec hic error novus eſt: Ejus enim mentionem facit Aug. *Epiſt.* 48. *ad Vincentium*, ubi — Quam multi nihil inte„ reſſe credentes, in qua quisque parte Chri„ ſtianus ſit, ideo in parte Donati permane„ bant &c. converſi a Donatiſtis ad fidem, „ dicebant: putabamus quidem nihil inte„ reſſe, ubi fidem Chriſti teneremus — Diviſi tamen ſunt in explicanda Religionis indifferentia. Alii extendunt ad quamcumque ſectam, ſive Chriſtum confitentem, ſive non: unde iſti Judaiſmum, Mahometiſmum, Paganiſmum etiam comprehendunt; alii limitant ad confeſſionem Chriſti, & excluſis non confitentibus eum, quaſcumque ſectas ſalvas faciunt, licet ſubdividantur in Symbolicos, & Decalogiſtas, quatenus præter Chriſti nomen, profeſſionem Symboli addunt, & exigunt, vel Decalogi. In præſenti non agimus de Libertinis primi generis; res enim eſt alterius loci, & laboris, licet forte aliquid tangetur: Loquimur ergo de ſecundis, qui Chriſti nomen recipiunt, oſtendimuſque non dari ſalutem extra veram Eccleſiam, ac proinde gaudere unitate ſalutis.

Referuntur Heretici, qui volunt quemlibet in propria Secta poſſe ſalvari.

Dico. Eccleſia eſt una unitate ſalutis, ideſt, extra veram Chriſti Eccleſiam non datur ſtatus ſalutis.

44 PROB. I. Vaticinia Prophetarum neceſſe eſt impleri: ſed Vaticinia referunt in ſola vera Chriſti Eccleſia dari ſalutem. Iſaiæ 60. v. 11. de lege Chriſti dicitur: *Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur: ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim, & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit*: Joelis 2. v. 32. *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; quia in monte Sion, & in Jeruſalem erit ſalvatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis, quod Dominus vocaverit.* In Eccleſia ergo legis novæ ſolum datur ſalus: ſed Eccleſia legis novæ, quæ eſt Chriſti, non eſt niſi vera; ergo.

Niſi in vera Eccleſia datur ſalus.

45 PROB. II. Fides Chriſti eſt primum fundamentum ſupernæ Beatitudinis, atteſtante Apoſtolo 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Et ad Heb. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*: & ibidem: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Quique Deo non placet, ſalvari nequit: ſed fides vera non eſt niſi in vera Eccleſia; hæc enim ſola veritatem cuſtodit, ut columna, & firmamentum.

Sola vera Eccleſia cuſtodit veritatem.

46 PROB. III. Jo. 10. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde,* ideſt vagatur per diverſas ſectas, *ille fur eſt, & latro*; ſed Chriſtus eſt oſtium Joan. 10. *Ego ſum oſtium: per me, ſi quis introierit ſalvabitur*: & Act. 4. *Non eſt in alio aliquo ſalus; neque enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: & Jo. 8. *Si enim non credideritis, quia ego ſum: moriemini in peccato veſtro*, ſed Chriſtus non eſt oſtium, niſi veræ Eccleſiæ, & unum oſtium; ergo in una ſola vera Eccleſia datur ſalus.

Chriſtus oſtium Eccleſiæ.

47 PROB. IV. Membrum myſticum a Chriſto ſeparatum non poteſt habere ſalutem Joan. 15. v. 4. *Manete in me, & ego in vobis: ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Et verſ. 5. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent*: Sed corpus Chriſti myſticum eſt Eccleſia: membrum ab Eccleſia ſeparatum non ſalvatur: at omnis hæreticalis ſecta eſt ſeparata ex Jo. Epiſt. 1. cap. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Requiritur ergo perſeverantia in unitate Eccleſiæ pro conſequenda ſalute. Et ratio eſt, quia membrum non eſt vitæ capax, niſi a ſpiritu vivificetur; non vivificat autem ſpiritus membra avulſa.

Non ſalvatur, qui non eſt de corpore Myſtico Eccleſiæ.

48 PROB.

48 PROB. V. Non ſalvatur, niſi prædeſtinatus ad Rom. 8. v. 30. **A** *Quos autem prædeſtinavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*: Sed nullus eſt prædeſtinatus, niſi audiat vocem Chriſti, & reducatur ad unum ovile unius Paſtoris, ut habetur Joan. 10. *Et fiet unum ovile, & unus Paſtor*. In una ergo Eccleſia eſt ſalus. Hinc licet Cornelius plura bona haberet, ſalutis locum non fuit conſecutus, niſi cum factus eſt de Eccleſia: Ideo Act. 11. v. 13. admonetur ab Angelo dicente ei: *Mitte in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua*. Verba porro hæc ſalutis, verba de Baptiſmo, & Eccleſia fuerunt: **B** ubi Aug. *lib. 1. contra Donat. cap. 6.* — Quidquid „ boni habebat Cornelius Act. 10. Prodeſſe „ illi non poterat, niſi per vinculum Chri„ ſtianæ ſocietatis incorporaretur Eccleſiæ —

Qui eſt de Chriſti ovili, ſalvatur.

49 PROB VI. Non ſalvatur, niſi qui legem Dei obſervat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, Matth. 19. Sed lex Dei non obſervatur, niſi in Eccleſia: nam una ex potiſſimis Chriſti legibus eſt, ut Eccleſia audiatur, & ſi eam quis non audierit, ſit Ethnicus, & Publicanus. Porro lex una eſt, quia lex eſt Divina voluntas nobis manifeſtata a Deo loquente, quod ſit media fide, quæ eſt **C** una: lex verò unam conſtituit Religionem, comprehendentem cultum Dei, quæ per legem dirigitur, & moderatur. Quare ſalus in una Religione ſolum eſſe debet: & ſicut ubi unum deficit mandatum, ibi non eſt plena lex, ita ubi in uno articulo eſt error, una non eſt fides, una non eſt Religio, nulla ſalus: ſed apud Hæreticos errores ſunt in articulis; ergo non eſt ibi ſalus. Ideo dicitur Apocalyp. 22. *Foris canes &c., & omnis, qui amat, & facit mendacium*: Hi ab æterna beatitudine excluduntur; & hi Hæretici ſunt: ad Phil. 3. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem*: Quia lacerant corpus Ec- **D** cleſiæ.

Lex Dei niſi in Catholica Eccleſia.

50 PROB. VII. Non datur ſalus, ubi Spiritus Sanctus non eſt; dona enim Sancti Spiritus neceſſaria ſunt ad ſalutem: capiunt hereditatem, qui ſpiritum habent adoptionis, qui datur per gratiam diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum: ſed Spiritus Sanctus non eſt, niſi in vera Eccleſia, & vero Chriſti corpore, & ideo in unum, Spiritu Sancto baptizari ſumus omnes. Spiritus veritatis non eſt, ubi error: Spiritus Sanctus eſt Spiritus veritatis; ergo non eſt, ubi error: hic eſt in ſecta Hæreticorum; ergo ibi nec eſt Spiritus Sanctus, nec ſalus. Veritas **E** una eſt, mendacium multiplex: in una ergo ſalus eſt, non in multiplici.

Catholica Eccleſia habet Spiritum Sanctum.

51 PROB. VIII. Si in qualibet ſecta in Chriſtum credente daretur ſalus, non eſſent reprehendendi tanquam damnabiles illi, qui circa aliquod errarent: ſi liberum eſt unicuique præter articulum Chriſti, & paucorum aliorum credere quidquid arridet ſine ſalutis diſcrimine, quo titulo ſunt redarguendi velut perditi? ſed ut perditi reprehenduntur, ut habemus ad Gal. 3. *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus*. Et cap. 5. **A** *Dico vobis; quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit &c. evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini: a gratia excidiſtis &c. Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Unde quæſo tam grave malum? ſi in Chriſtum credunt; ſi cetera myſteria fidei a Paulo promulgata ſuſcipiunt: in uno deficiunt: neceſſitatem operum legis Chriſto conjungunt: at quid in hoc mali? Vos alloquor Proteſtantes, ſi retenta Chriſti fide, licet impune etiam falſa dogmata, etiam contradictorios errores ſuperaddere, contrarias ſectas componere, vel ergo Paulus, vel vos erratis: non ille, qui Evangelium a **B** Domino ſuſcepit, ab Eccleſia approbatum prædicavit. Credite ergo ſalutem non adeſſe, ubi vel error unus reperitur. Hæretici ſunt, qui circumciſionem cum Chriſto componunt: Act. 15. *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt dicentes, quia oportet circumcidi eos*. Si Hæretici; ergo vitandi *ad Titum* 3.; ergo & ceteri, qui ſimilia docent.

Dicent forte: Ideo Chriſtum evacuabant Galatæ, quia in articulo Redemptionis errabant, addentes circumciſionem, & opera legis. Vera non eſt cauſalis, ſed alia traditur a Paulo, nempe quia veritati non obe- **C** diebant: veritati porro opponitur error omnis, quamvis minimus, & per conſequens quilibet errans Chriſtum evacuat. Juxta generalem Pauli regulam. *Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Error quilibet totam fidem deſtruit, & ſalutem. Qui addit ergo, vel detrahit, Hæreticus efficitur.

Non licet articulo Redemptionis addere, & qui addit, Chriſtum evacuat.

Sed Redemptionis articulo addit, qui Euchariſtiam admittit legens in Evangelio: *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam* **D** *in vobis*: Joan. 6. qui pœnitentiam adjungit, iterum audiens: *Niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis*: Luc. 13. Qui bona opera exquirit dicens a Paulo: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*, & ad Coloſs. 1. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex*. 2. Tim. 4. Adduntur hæc articulo Redemptionis, cum compertum ſit Redemptionem non ſufficere, niſi applicetur per bona opera, per Euchariſtiam, per Pœnitentiam: Qui errat ergo ex vobis, in neceſſariis errat, conſtituiturque in ſtatu perditionis. Nos hæc dicimus, vos negatis: vos ergo, **E** vel nos erramus: vos ergo, vel nos ſumus Hæretici: vos ergo, vel nos ſumus extra ſtatum ſalutis. Non ergo quilibet in ſua Religione ſalvari poteſt. Secundum veſtram Regulam nos clare hæc in Scripturis legimus, non ergo erramus. Ad nos ergo redite, ſi ſalvari vultis.

52 Sed paululum immoremur in hoc argumento. Totum illud ad fidem neceſſariam attinet, quod nobis, ut neceſſarium ad ſalutem proponitur; nec aliunde Chriſtus pertinet ad fidem neceſſariam, niſi quia a Deo dicitur, & eſt neceſſarius ad ſalutem: ſed

præ-

præter Chriſtum, & Symbolum nobis ad ſa-
lutem neceſſaria proponuntur alia; ergo per- A
tinent ad fidem. Min. declaratur. Scandali
evitationem ad ſalutem docet neceſſariam
Evangelium, Matth. 18., & mandatorum
obſervantiam cap. 19., & Joan. 14. v. 15.,
& Paulus 1. Corinth. 6. rotundis verbis cla-
mat: *Nolite errare, neque fornicarii, neque
Idolis ſervientes, neque adulteri, neque mol-
les &c. Regnum Dei poſſidebunt*. Et alia plura:
ſunt ergo neceſſario credenda. Qui ergo
fidem Chriſti, vel Symboli tantum ſufficien-
tem dicunt, errant in neceſſariis; ergo non
ſalvantur: non ergo omnis ſecta ſtatum ſalutis
habet. At pari paſſu currunt quæcunque re-
velata; cur enim revelantur, niſi ut credan- B
tur? Qualis eſt finis Divinæ locutionis, niſi
fides? Cum ergo Sectæ in tot revelatis con-
tradicantur, hæreticæ ſunt; ſicut & omnes,
quæ non conſentiunt cum Catholica.

53 PROB. IX. Patrum argumentis ſi-
mul, & auctoritatibus: I. Si quælibet ſecta
ſtatum ſalutis includeret, dummodo in Chri-
ſtum, vel Symbolum, vel decalogum crede-
ret; peſſime feciſſent Sanctiſſimi Patres, ſta-
tim ac pullulabat error aliquis circa alia dog-
mata a prædictis, omni niſu ad extirpationem
incumbere, concilia inire, anathemata dice-
re, libros edere, brachii ſecularis implorare
auxilium: ſed hæc facta ſunt laudabiliter. C
Negant Cataphryges ſecundas nuptias; Ana-
baptiſmum defendunt Donatiſtæ; Æqualita-
tem ponit inter Presbyterum, & Epiſcopum
Aetius; Ponit peccata paria, æqualia merita,
Virginitatem non præſtare conjugio Jovinia-
nus, Gratiæ neceſſitatem tollit Pelagius; Va-
leſii pro Cœlorum Regno ſeipſos caſtrant;
Apoſtolici Apoſtolorum continentiam expu-
ſcunt; Diſcalceati calceamenta damnant; Ho-
norem Sanctorum reliquiis aufert Vigilantius,
& centena ſimilia. Nihil horum in Symbolo,
nihil in Oratione Dominica, & tamen dam-
nantur, ab Eccleſia ejiciuntur, diris tradun-
tur. Cæcutiit ergo primitiva Eccleſia? Erra- D
verunt ergo Sanctiſſimi Patres? Salva con-
ſcientia dicere non poteſtis Acatholici. Fate-
mini ergo, non omnem Sectam habere ſalu-
tem. Fatemini noſtram Eccleſiam, eam ſa-
lutem habere, cum ea, quæ Patres damnant,
& ipſa proſcribat, quæ admittunt, & ipſa
ſuſcipiat.

Aug. *tract. 6. in 1. Joan.* In illis *cap.* 4. --
„ Omnis Spiritus, qui confitetur Jeſum Chri-
„ ſtum in Carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis
„ ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt --
Quæ eſt regula probandi ſpiritus a Joan. tra-
dita proponit, ipſam Proteſtantium concluſio-
nem -- Ergo ſpiritus, qui eſt apud Hæreticos E
„ ex Deo eſt, quia confitetur Jeſum Chriſtum
„ in carne veniſſe -- doctiſſime diſcurrens re-
ſolvit ex Deo non eſſe, quia charitas adduxit
induere carnem; ideo qui charitatem non ha-
bet, negat Chriſtum in carne veniſſe -- Hinc
„ nunc jam interroga omnes Hæreticos: Chri-
„ ſtus venit in carne? Reſpondebunt: venit;
„ hoc credo; hoc profiteor. Immo hoc negas:
„ unde nego? Audis, quia hoc dico. Immo
„ ego convinco, quia negas. Dicis voce, ne-
„ gas corde: dicis verbis, negas factis. Quo-
„ modo, inquis, nego factis? Quia ideo ve-
„ nit in Carne Chriſtus, ut moreretur pro
„ nobis. Ideo mortuus eſt pro nobis, quia
„ charitatem multam docuit. Tu non habes
„ charitatem; quia pro honore tuo dividis
„ unitatem. Ergo hinc intelligite ſpiritum
„ ex Deo. Pulſate, tangite vaſa fictilia, ne
„ forte crepuerint, & male reſonent. Vide-
„ te, ſi integre ſonant. Videte, ſi ibi ſit Cha-
„ ritas. Tollis te ab unitate orbis terrarum,
„ dividis Eccleſiam per ſchiſmata, dilanias
„ corpus Chriſti. Ille venit in carne, ut col- *Heretici non fatentur Chriſtum in carne veniſſe.*
„ ligat: Tu ideo clamas, ut ſpargas &c.
„ disjungere vis membra Chriſti: quomodo
„ non negas Chriſtum in carne veniſſe? Qui
„ diſrumpis Eccleſiam, quam ille congrega-
„ vit -- In una ergo Eccleſia eſt Chriſtus:
in una ergo eſt ſalus; non utique in errante:
non ergo in omni Secta ſalus invenitur, cum
contradictoriis diſrumpantur Sectarii.

Audiamus iterum Auguſtinum *in ſerm. de geſtis Emeriti* -- Extra Eccleſiam Catholi-
„ cam totum habere poteſt Hæreticus præter
„ ſalutem. Poteſt habere honorem ſecundum
„ Eccleſiaſticum Ordinem, poteſt habere Sa-
„ cramentum, poteſt cantare Alleluja, poteſt
„ reſpondere Amen, poteſt Evangelium tene-
„ re, poteſt in nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus Sancti fidem, & habere, & præ-
„ dicare: ſed nuſquam, niſi in Eccleſia Ca-
„ tholica ſalutem poterit invenire --

Et in *Pſal.* 54. ad illa: *In multis erant mecum* -- Baptiſmum habebamus, utique in
„ eo erant mecum: Evangelium utique lege-
„ bamus, in eo erant mecum: feſta Marty-
„ rum celebrabamus, erant ibi mecum. Pa-
„ ſchæ ſolemnitatem frequentabamus, erant
„ ibi mecum; ſed non omnino mecum. In
„ ſchiſmate non mecum: In hæreſi non me-
„ cum: In multis mecum; in paucis non
„ mecum: ſed in his paucis, in quibus non
„ mecum, non eis proſunt multa, in qui-
„ bus mecum &c. in omnibus Sacramentis
„ mecum; in una charitate non mecum --
Item *Serm. de verbis Domini* 11., & alibi ſi-
milia; quibus oſtendit, ſalutem eſſe intra
Eccleſiam Catholicam; hanc conſiſtere in
unitate; & unitatem violari, ſive in paucis,
ſive in multis errando.

Subdamus alium ejuſdem diſcurſum.
Probat ſæpe, & pluribus Eccleſiam unam
Matrem eſſe, quæ filios concipit, alit, & ad
vitam perducit æternam. *Lib. de moribus Ec-
cleſ. cap.* 30., *& Pſal.* 57. ubi -- In ventre
„ Eccleſiæ veritas manet. Quiſquis ab hoc
„ ventre ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, ut falſa
„ loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem
„ conceptum Mater excuſſit -- Ad quam ve-
ritatem conteſtandam mos erat antiquitus in
Baptiſmo Symbolum concludere: *Per ſanctam
Eccleſiam*. Cujus moris rationem dans Aug.
de Symb. ad Catechumenos lib. 3. *cap.* 10. --
„ Propterea Symboli concluſio (Per ſanctam
„ Eccleſiam) terminatur; quoniam, ſi quis
„ abſque ea inventus fuerit, alienus erit a
„ numero filiorum: nec enim Deum habe-
„ bit Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere
„ matrem -- Hoc idem Cyprian. *lib.* 1. *Ep.* 12.
Quod ſi non filius, neque heres. Idem Aug.
lib. 4. *de Bapt. cap.* 17. -- Salus extra Eccle-
„ ſiam non eſt, quis negat? Et ideo quæ-

N „ cunque

„ cunque ipſius Eccleſiæ habentur, extra Ec-
„ cleſiam non valent ad ſalutem -- *lib. 2. de*
A *Bapt. cap. 9.* docet, quod ſi quis multa, &
magna habeat, & unum deficiat; Sacramenta
habeat, fidem, ſubſtantiam ſuam det paupe-
ribus, corpus ſuum tradat flammis pro fide,
ſi ſeparatus ſit ab Eccleſia, ei non prodeſſe --
„ Etiam cum omnibus illis, quæ nihil eis
„ proſunt, ad æternam ſalutem pervenire non
„ poſſunt --

Epiſt. 204. ad Donatum -- Foris ab Ec-
„ cleſia conſtitutus, & ſeparatus a compage
„ unitatis, & vinculo charitatis æterno ſup-
„ plicio punieris, etiamſi pro Chriſti nomi-
„ ne vivus incendereris -- *Lib. 4. de Bapt.*
B *cap. 16.* -- Conſtituamus aliquem caſtum,
„ continentem, non avarum, non Idolis ſer-
„ vientem, hoſpitalem, patientem, ſobrium,
„ ſed Hæreticum: nulli utique dubium pro-
„ pter hoc ſolum, quod Hæreticus, Regnum
„ Dei non ſit poſſeſſurus -- *De unitate Eccleſ.*
cap. 1. -- Eccleſia Chriſti corpus eſt, ſicut
„ Apoſtolus dicit: Pro corpore ejus, quod
„ eſt Eccleſia. Unde utique, manifeſtum eſt
„ eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chri-
„ ſtianam ſalutem habere non poſſe -- *Tract.*
3. in 4. Joan. poſt plura concludenter ait --
„ Nemo ergo vobis fabulas vendat &c. Te-
„ neamus ergo unitatem: præter unitatem,
C „ & qui miracula facit, nihil eſt -- *Epiſt. 50.*
ad Bonifac. -- Eccleſia Catholica ſola Corpus
„ Chriſti eſt, cujus ille Salvator eſt: extra
„ hoc corpus neminem vivificat Spiritus San-
„ ctus -- *Epiſt.* 151. -- Quiſquis ab Eccleſia
„ Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet
„ laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo
„ ſcelere, quod a Chriſti unitate diſiunctus
„ eſt, non habebit vitam: Sed ira Dei ma-
„ net ſuper eum -- videatur *Tract. 16. 17.*
45. in Joan. lib. 1. contra Creſcon. cap. 14.,
& alibi. Conſimiliter loquuntur Patres. Unde
Ignatius Martyr *Epiſt. ad Epheſ.* aſſerit non
eſſe conſcriptum in Cœlis ab Eccleſia ſepara-
D tum. Irenæus *lib. 2. cap. 4.* fures vocat, qui
foris ſunt. *Lib. 5. cap. 45.* Hæreticos com-
burendos ab igne Cœleſti. *Cap. 61.* Judica-
turum Chriſtum omnes, qui ſunt extra Ec-
cleſiam. Cyprianus *lib. de unit. Eccleſ. cap. 5.*
-- Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ
„ jungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur: nec
„ perveniet ad Chriſti præmia, qui relinquit
„ Eccleſiam Chriſti &c. -- & ſæpe *in illo lib.*,
& lib. 1. epiſt. 11. -- Neque enim vivere foris
„ poſſunt, cum Domus Dei una ſit, & nemo
„ ſalvus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit -- *Epiſt.*
73. dicit non prodeſſe Hæreticis Baptiſma --
„ *Quia ſalus extra Eccleſiam non eſt* -- & alibi
E ſæpe.

S. Hilarius ad illud Matth. 13. *Sedens in*
navicula -- Chriſtum Dominum facti iſtius
„ genere ſignificaſſe eos, qui extra Eccleſiam
„ poſiti ſunt, nullam Divini ſermonis capere
„ poſſe intelligentiam. Navis enim Eccleſiæ
„ typum præfert, intra quam verbum vitæ
„ poſitum, & prædicatum, hi, qui extra
„ ſunt, & arenæ modo ſteriles, atque inu-
„ tiles adjacent, intelligere non poſſunt --
Lactantius *Divinarum inſtitut. cap. 4.* ſolam
Eccleſiam dicit fontem veritatis, fidei domi-
cilium &c., a qua, ſi quis exierit, vel non intra-
verit -- a ſpe vitæ, & ſalutis alienus eſt. Ful-
A gentius *de fide ad Petrum cap. 37.* -- Firmiſ-
„ ſime tene, & nullatenus dubites, omnem
„ extra Eccleſiam Catholicam baptizatum,
„ participem fieri non poſſe vitæ æternæ,
„ ſi ante finem vitæ hujus, Catholicæ non
„ fuerit redditus, atque incorporatus Ec-
„ cleſiæ.

Hinc apud Sanctos Patres ſimilitudo Ar-
cæ Noe, deſumpta ex prima D. Petri cap. 3.,
in qua ſola ſalvati ſunt homines, extra quam
nullus: unde Cyprianus *lib. de Spiritu Sancto*
-- Arcam illam, quæ typum gerebat Eccle-
„ ſiæ, Spiritus Sanctus & tunc regebat, &
„ adhuc regit, extra quam quiſquis perfidus
B „ evagatur, fluctibus mergitur in profun-
„ dum -- Idem habet *lib. de lapſis ad Nova-*
tianum. Hieron. *Epiſt. 57.* -- Si quis in Arca
„ Noe non fuerit, peribit Regnante diluvio --
Aug. *lib. 1. contra Donat. cap. 18.* de Eccleſia
intelligens -- Et in Arca poſitos ſalvos fecit,
„ & extra Arcam poſitos interemit -- Ful-
gent. *loco immed. cit.* ad idem -- Nam & in
„ diebus diluvii neminem legimus extra Ar-
„ cam potuiſſe ſalvari -- Firmianus Epiſcu-
pus *Epiſt. 75.* Gaudentius *tract. 1. ad Neophytos.*
Alcimus *lib. 4. de diluvio cap 19.*, & alii paſſim.
In quibus auctoritatibus illud advertendum
eſt, quod non ſolum aſſerunt unam ſingula-
C rem, & ſolam Catholicam Eccleſiam eſſe, in
qua eſt ſalus, extra quam nulla, ſed etiam
aſſerunt, dari Eccleſias alteras adulteras,
Chriſtum confitentes, plurima bona haben-
tes, & nihilominus in eis non dari ſalutem.
Cognoverunt itaque optime ſectarum multi-
plicitatem, & in eis profeſſores non ſalvari,
quod minime dixiſſent, ſi unuſquiſque in ſua
Religione ſalvari poſſet; nec adſtringerent
ad Catholicam redire eos, qui exierunt, ut
caperent hereditatem.

54 Hinc vanum eſt effugium dicen-
tium, hæc a Patribus, & Scripturis dici pro
neceſſitate præcepti, & non medii: ad melius
D eſſe, non ad ſimpliciter eſſe: nam particulæ
exclusivæ frequenter uſurpatæ evidenter de-
monſtrant oppoſitum. Illæ phraſes (in ſola
Eccleſia: extra Eccleſiam: niſi manſerint in
vite: membrum ſeparatum non vivificari:
perire ſejunctos, & centenæ ſimiles) ſummam
neceſſitatem important, ut in aperto eſt.

Vanum eſt pariter effugium ad funda-
mentales articulos, ut urgendo argumenta
expendimus. Univerſaliter, & indiſtincte ab
unitate Eccleſiæ, & via ſalutis ſeparant San-
cti Patres quoslibet hæreticos, ut patet. No-
mine Eccleſiæ ſemper intelligunt ſocietatem
credentium diſtinctam a falſis ſectis, aſſerunt-
E que ex falſis, & orthodoxa unam non poſſe
Eccleſiam fieri. Oretenus Chriſtianos, & ſi-
mias Chriſtianorum vocant quoslibet Hære-
ticos. Quibuslibet Hæreticis negant ſocieta-
tem, & communionem, tum in Divinis,
tum in politicis. Hæreticos tenent nedum
errantes circa Myſterium Incarnationis, vel
Symbolum, vel decalogum, ſed in aliis, quæ
minoris momenti dicuntur a Novatoribus, ut
puta ſecundas nuptias, calceamenta &c.

Et meritò ſane, nam defectus in uno,
totam deſtruit fidem; quia ratio formalis *ſub*
qua eſt omnino indiviſibilis, ſcilicet Divina
vera-

veracitas, quæ æqualiter mentiri nequit in minimo, ac in magno, ac proinde, qui uni diſcredit, omnibus diſcredit. Sicut enim præceptum affirmativum Religionis circa cultum Dei ita obligat ad adorandum Deum, ut præcepto negativo adſtringat falſos non colere Deos, ita præceptum poſitivum aſſentiendi media fide Divinis Myſteriis obligat, ut omnibus, & ſingulis credamus, & præcepto negativo nulli diſcredamus, & diſſentiamus, & qui aliter credit, Hæreticus efficitur. Sic Tertullianus *lib. de præſcriptionibus cap.* 47. -- Nec Chriſtianus videri poteſt, qui
„ non permanet in Evangelio ejus, & fidei
„ veritate -- Cyprianus *Epiſt.* 53. ait -- No-
„ bis, & Hæreticis, nec fidem, nec Eccle-
ſiam eſſe communem -- *Et in Epiſt.* 76. *ad Magnum* -- Beatus Joannes Apoſtolus nec ipſe
„ ullam hæreſim, aut ſchiſma diſcrevit, ſed
„ univerſos, qui de Eccleſia exiiſſent, An-
„ tichriſtos appellavit &c. -- Probat exemplo etiam Chriſti Hilarius ad Conſtantium Imperat. hortantem Catholicos ad unionem cum Arrianis -- Nec fieri poteſt, nec ratio pati-
„ tur, ut repugnantia congruant, diſſimilia
„ coagglutinentur, vera, & falſa miſceantur,
„ lux, & tenebræ confundantur, dies quo-
„ que, & nox habeant aliquam conjunctio-
„ nem --

D. Amb. *in* 9. *Luca lib.* 6. -- Unum ho-
„ rum ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam;
„ nam etiam Hæretici habere ſibi Chriſtum
„ videntur. Nemo enim Chriſti nomen ne-
„ gat, ſed negat Chriſtum, qui non omnia,
„ quæ Chriſti ſunt, confitetur -- Hieron. *contra Ruffinum lib.* 3. *Apolog.* -- Propter unum
„ ſolum verbum, aut duo, quæ contraria
„ eſſent fidei, multas hæreſes ejectas eſſe ab
„ Eccleſia -- Et aliis omiſſis audiamus Aug. *in Enchiridio cap.* 5. -- Nominetenus inveni-
„ tur Chriſtus apud quoslibet Hæreticos, qui
„ ſe Chriſtianos vocari volunt, revera ipſe
„ non eſt apud eos, quod oſtendere nimis
„ longum eſt, quoniam commemorandæ ſunt
„ omnes hæreſes, ſive quæ fuerunt, ſive quæ
„ ſunt, ſive quæ poterunt eſſe ſub vocabulo
„ Chriſtiano, & quam ſit hoc verum, per
„ ſingulas quaſque monſtrandum eſt --

55 Salutem non dari extra unam, & veram Eccleſiam docuerunt ipſimet Novatores. Calvinus *lib.* 4. *cap.* 1. §. 4. poſt plura de Eccleſia viſibili ait -- Adde, quod extra ejus
„ gremium nulla eſt ſperanda peccatorum re-
„ miſſio, nec ulla ſalus, teſte Iſaia, & Joele,
„ quibus ſubſcribit Ezechiel, cum denuntiat
„ in Catalogo populi Dei non *fore*, *quos a*
„ *cæleſti vita abdicat &c.* Nullam Cœleſtis hæ-
„ reditatis ſpem cernere poſſumus, quando
„ extra Eccleſiæ unitatem, nullam eſſe ſalu-
„ tem ſcriptura pronunciat -- *lib.* 4. *cap.* 10. ſatis clare. Catechiſmus Calviniſt. *Domin.* 49. -- Extra Eccleſiam nihil eſt præter damnatio-
„ nem, & mortem. Quicumque ſeparant ſe
„ a communione fidelium, ut partes agant
„ ſectarias, nullam ſperent ſalutem, quo-
„ din in illa diviſione permanſerint --

Extra Eccleſiam non eſſe ſalutem fatentur Hæretici.

Confeſſio Helvetica *art.* 17. -- Commu-
„ nionem cum Eccleſia Chriſti vera tanti fa-
„ cimus, ut negemus eos coram Deo vivere
„ poſſe, qui cum vera Dei Eccleſia non com-
„ municant, ſed ab ea ſe ſeparant -- quod oſtendit exemplo Arcæ Noe. Confeſſio Scotica *art.* 16. -- Prorſus deteſtamur eorum Blaſphe-
„ miam, qui dicunt, homines viventes ſe-
„ cundum æquitatem, & juſtitiam, quam-
„ cunque Religionem profeſſi fuerint, ſer-
„ vatos iri -- Confeſſio Belgica *art* 27. --
„ Credimus, & confitemur unicam Eccle-
„ ſiam Catholicam univerſalem &c. credimus
„ quod, cum &c. ſalus non ſit extra eam --
aliis ad idem ſubjungit. Synopſis puræ Theol. *diſp.* 40. *theſi* 24. reprobato aperte Libertinorum errore docet unitatem veræ Eccleſiæ eſſe neceſſariam: & ſubdit -- Sed ad veram Ec-
„ cleſiam conſtituendam aſſerimus neceſſa-
„ rium eſſe, ut fideles inter ſe communio-
„ nem colant, & vinculo verbi, & Sacra-
„ mentorum ſecundum Chriſti inſtitutionem
„ conſerventur --

Philip. Melancton. *in locis communibus cap. de Eccleſia* -- Quotieſcumque de Eccleſia
„ cogitamus intueamur cœtum vocatorum,
„ qui eſt Eccleſia viſibilis, nec alibi electos
„ eſſe ſomniemus, niſi in hoc cœtu viſibili --
Urſinus *in catech. de Eccleſ. quæſt.* 7. -- Nemo
„ extra Eccleſiam poteſt ſalvus fieri &c. --
Paræus *in Collegio Theolog. diſput.* 11. -- Quod
„ vulgo dicitur, extra Eccleſiam non eſt ſa-
„ lus, eſt non ſolum de hac interna, ſed
„ etiam de externa Eccleſia verum -- Danæus *lib. de viſib. Eccleſ.* -- Tertium eſt, debere
„ quemlibet pium, & fidelem ſeſe illi Ec-
„ cleſiæ adjungere, quæ & vera eſt, & viſi-
„ bilis &c. Ut veriſſime fuerit a Patribus Or-
„ thodoxis dictum; ille non habet Deum Pa-
„ trem, qui non habet Eccleſiam viſibilem
„ matrem --

Quod de ſectis Hæreticorum diximus, idem dicatur de Sectis Paganorum, cum hoc diſcrimine, quod ad primos convincendos immediate deſervit uſus Sacræ Scripturæ, & Patrum traditio: ad convincendos verò ſecundos incipiendum eſt a ratione naturali. Oſtendendum eſt dari Deum, & hunc unum eſſe, & non plures; deinde deberi ei cultum, huncque debere eſſe unum unitate ſpeciei, & non multiplicem, ex quo ſequitur neceſſitas Religionis, & unius. Procedendum eſt ulterius demonſtrando animæ immortalitatem, ac per conſequens dari bonum aliquod habens rationem beatificantis, hoc bonum non poſſe eſſe creatum, ac proinde de neceſſitate admittendum conſiſtere in bono Divino, quod unum eſt; ex quo deducitur primum principium omnium eſſe pariter ultimum finem, & viam conſequendi illum eſſe intra illam unam Religionem, qua Deus colitur. His ſtabilitis; ductu naturalis rationis aſſurgitur ad declarandum, ſupra lumen naturale dari debere doctrinam ſuperioris ordinis, oſtendentem bonum illud ſatiativum, hocque alicubi eſſe, cum Deus non deficiat in neceſſariis. Tandem motivis evidentis credibilitatis demonſtratur hanc eſſe in Chriſtiana Religione, & iiſdem motivis eſſe in ſola Eccleſia Romana. Ad horum tamen oſtenſionem requiritur alius labor, qui aſſumitur in Controverſiis contra Gentiles, & in Summa contra eoſdem iſtum laborem eſt proſecutus D. Thomas, & ideo nunc ſuperſedere cogimur, & proſequi, quæ

contra Hæreticos directe examinamus, & pro
A nunc loquimur de iis, quæ per ſe accidunt,
non quæ per accidens, forte tamen infra ali-
quid dicetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
HÆRETICORUM.

56 QUemlibet ſalvari poſſe in qualibet
ſecta, etiam Chriſtum non con-
fitente, præter relatos in principio repetitur
Zuinglius *in expoſit. Fidei Chriſtianæ tom. 2.
art. 12.* quatenus docuit, Gentiles, velut Her-
culem, Theſeum, Numam Pompilium, ſalu-
B tem fuiſſe conſecutos, regnareque cum Chri-
ſto: cujus teſtimonio ductus, & Eraſmi idem
tradidit Arduiphus venator Alemacianus in
Batavia in ſua declaratione. Item Franciſcus
Pucius Filidinus *in lib. de Chriſti ſalvatoris efſi-
cacitate*. Verum ceteri Hæretici contradicunt,
limitando ad confitentes nomen Chriſti.

OBJIC. I. Qui retinet ſubſtantiam,
ſcopum, finem univerſi Evangelii, neceſſe
eſt, ut ſit in ſtatu ſalutis: ſed quælibet Re-
ligio Chriſtiana retinet hæc omnia; ergo.
Min. explic. Tota ſubſtantia Evangelii in eo
eſt, ut in Chriſtum credatur. Joan. 20. *Hæc
C ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chri-
ſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis
in nomine ejus*. 1. Joan. cap. 4. *In hoc cogno-
ſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus, qui confite-
tur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo
eſt*. Joan. 11. *Omnis qui vivit, & credidit in
me, non morietur in æternum*: ſed omnis por-
tio chriſtiana hæc ſuſcipit; ergo.

Proteſtantes hoc argumento veſtigia Ma-
nichæorum calcant, de quibus Aug. *lib. 2.
contra Fauſtum*. Hi enim vetus teſtamentum
non admittebant, dicentes Judæis datum,
non autem ex gentilitate converſis ad fidem.
Deinde ſuſcipientes Evangelium ab eo reji-
D ciebant, quidquid pertinet ad Genealogiam
Chriſti, aſſerentes hanc non eſſe Evangelium,
ſed librum generationis Chriſti, reſtringe-
bantque Evangelium ad ſolam prædicationem:
ita Novatores aliquas ſcripturas adducunt, alias
abſcondunt; & inde etiam, quod credunt,
evacuant. Clamat Cyprianus *de unit. Eccle-
ſiæ* -- Hanc unitatem, qui non tenet, Dei
„ legem non tenet, non tenet Patris, & Fi-
„ lii fidem, vitam non tenet, & ſalutem.
„ Hoc unitatis Sacramentum, hoc vinculum
„ concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſten-
„ ditur, quando in Evangelio tunica Domini
„ non dividitur omnino, nec ſcinditur; &
E „ ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam
„ potius indueret; integra veſtis accipitur,
„ & incorrupta, atque individua tunica poſſi-
„ detur. Loquitur, ac dicit Scriptura Divi-
„ na: non ſcindamus illam &c. poſſidere non
„ poteſt indumentum Chriſti -- Si credunt
[illegible] Chriſtum Evangelizanti, credere
[illegible] eidem [illegible] proponenti; quia ex Spi-
ritu Sancto in omnibus loquitur, æqualiter
veraci: qui enim tenet hoc totum eſſe majus
ſua parte, quia totum, tenere cogitur, &
hoc aliud eſſe majus propter identitatem ra-
tionis: In Chriſtum credere non poteſt, niſi

Novatores a- [illegible] ticus.

in Deum credat, & in Patrem, ut objecta-
tores aſſerunt: ſed Pater præcipit filium au-
diri; ergo quæ Chriſtus docuit, pariter ſuſci-
pienda ſunt.

57 OBJIC. II. Ad ſalutem non requi-
ritur major unitas fidei, quam Baptiſmi; nam
quorum unus eſt Baptiſmus, una pariter eſt
fides, ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una fides,
unum Baptiſma*: Atqui omnium Chriſtiano-
rum unum eſt Baptiſma, ſi excipiamus Pau-
liniſtas: hinc Eccleſia non rebaptizat ab Hæ-
reticis ablutos; ergo etiam una omnium eſt
fides: ſed quorumlibet valet, & ſufficit Ba-
ptiſma; ergo quorumlibet valet, & ſufficit
fides; ergo ad Catholicam cogendi non ſunt
Calviniſtæ, ſicut non coguntur ad Baptiſmum.

RESP. Diſcurſum eſſe ſupra inſertum.
Quia Catholica Eccleſia quorumlibet Baptiſma
recipit Hæreticorum, Inferunt fidem quorum-
libet eſſe veram: cum ergo recipiant Baptiſ-
ma a Paganis, & Judæis collatum, Pagano-
rum, & Judæorum fidem pariter valere di-
cant oportet. Sed non advertunt argumen-
tum oppoſitum evincere. Ideo enim Baptiſma
eſt unum, quia una eſt forma indiviſibilis, &
ſi dividatur, jam neque eſt unum, neque ad
ſalutem valet. Hine Pauliniſtarum Baptiſma
non ſufficiebat, & damnari debuit, quia for-
mam dividebant. Ita pariter una fides eſt,
& ſufficiens, ſi non dividatur; & tunc divi-
ditur, cum aliqua admittuntur, alia rejiciun-
tur; cum tamen ſingula ſub eadem indiviſi-
bili ratione Divinæ veracitatis cadant.

Fides integra ſalvat.

58 OBJIC. III. Licitum eſt Religio-
nem a majoribus acceptam tenere, quam Pa-
triæ leges præcipiunt; magnum enim pondus
habet Religio, quam cum lacte bibimus: ſed
inter Catholicos diverſa a majoribus accipitur
Religio, leges diverſam in diverſis Regnis ju-
bent; ergo quorumlibet eſt licita. Durum
enim nimis eſt evellere avitas traditiones; in-
ſitum enim eſt cuilibet nationi majoribus ſuis
inſiſtere.

Hoc Clypeo pro defenſione ſuæ Idolo-
latriæ utebatur Symmachus, ut refert Am-
broſius *in relatione ad Valentinianum*: hoc ce-
teri gentilitatis aſſertores, ut fidem facit Al-
cimus Avitus *Epiſt. 41. ad Clodovæum*; & ta-
men non dicent Proteſtantes Idololatriam eſſe
licitam, quamvis tot ſeculorum curriculo ſta-
bilitam. Deſervit quidem antiquitas ad tra-
hendum aſſenſum, ſed ubi convenitur ab ini-
tio traditam doctrinam fuiſſe veram, legiti-
mam, & a Deo habitam. A majoribus in-
ſtructionem ſuſcepiſſe non adimit obligatio-
nem amplectendi veram ſalutis viam, quan-
do illam quis deprehendit, nec in eo ratio-
nabilis intervenit erubeſcentia, ſed honor,
ſicut optime docet D. Amb. Symmacho re-
ſpondens -- Non erubeſco cum toto orbe lon-
„ gævo converti, verum certè eſt: quod nul-
„ la ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erube-
„ ſcat ſenectus, quæ emendare non poteſt.
„ Non annorum canities eſt laudanda, ſed
„ morum. Nullus pudor eſt ad meliora tran-
„ ſire -- Multo minus vim faciunt patriæ le-
ges veritati contrariæ. A Deo Religio eſt,
divinitiſque luminibus quærenda. Humana
gubernatio terrenos non tranſcendit limites,
nec bona lex eſt, quæ contra Deum pugnat.
Cete-

Leges juſtæ adoptandæ.

Cæterum ſi Proteſtantes antiquitate moventur, ad ſinum Catholicæ redeant Eccleſiæ, a qua exciderunt. Ex nobis exierunt falſa dogmatizando. Antiquiores ſumus, & antiquiori jure poſſidemus Chriſti doctrinam.

59 OBJIC. IV. Divina providentia in præparandis mediis ad ſalutem non tollit ingeniorum diverſitatem: ſed hac ſtante neceſſe eſt varias adeſſe Religiones; ergo Divina providentia in ſingulis diſponit viam ſalutis. Ingenia etiam in rebus ſacris variant ſecundum diverſa climata; variæque inde oriuntur affectiones; unde Meridionales rebus ſacris afficiuntur, ſi in eis ſplendor eluceat, & apparatus pompæ. Septentrionales verò majorem in Divinis amant ſimplicitatem; hinc diverſos Ritus, diverſaſque Religiones oriri oportet, quælibet ad ſalutem tendit, ſi in paucis conſentiat.

Hoc pariter argumento peſſime quæque Barbarorum ſecta commendatur. Diverſitas enim ex ingeniorum naſcitur varietate; quæ tamen cognita de mediis ad ſalutem diſponit Divinæ providentiæ ſublimiori regula. Altior eſt humano ingenio ratio conſtitutive Religionis. Humanæ imbecillitati non ſubjicitur ſupernaturalis ad ſalutem æternam diſpoſitio. Hinc ut verum demonſtraret ſuum Evangelium, non ab homine, ſed a Deo acceptum probavit Paulus ad Galatas 1. Commune eſt, & unum lumen, quo ſacris myſteriis aſſentimur, communis debet eſſe, & una Religio. Non raro ſectarum diviſio, non ab ingenii varietate, ſed a vitioſa affectus pronitate derivatur, quæ ſuæ pravitati conformia, tanquam meliora probat. Si nobis Meridionalibus placet in ſacris ſplendor, ideo eſt, quia Divinus honor cordi eſt. Scimus Deo placere, qui in veteri teſtamento Templi Majeſtatem, Sacrificiorum pompam, ſacrarum veſtium præcepit pretioſitatem. Cur vero Septentrionales ſimpliciorem cultum eligant, ſi de Proteſtantibus loquimur, in promptu eſt ratio: Eccleſiaſtica etiam bona in popinas convertunt: ſi de Catholicis, falſa eſt oblocutio. Quælibet natio ſplendorem promovere juxta morem patriæ. Sed quid in his immoramur, cum ritus omnino accidentales ſpectent? Ad nos redeamus. Veritatem Eccleſiæ Catholicæ confirmat inducta probatio. Si ex quo diverſa ingeniorum qualitas de Divinis myſteriis diſcurrens nata eſt diviſiones, & ſectas parere; neceſſario admittendum eſt unum tribunal, cujus judicio dubia diſſolvantur, nec aliud eſſe poteſt, quam Eccleſia, quam præcipit audiendam Evangelium. Hac porro regula admiſſa ceſſat omnis Religionum diverſitas.

Judicio Eccleſiæ ſtandū ubi diverſitas opinionum.

60 OBJIC. V. Chriſtus reſtituit Eccleſiam libertati, quam habuit ſub ſtatu legis naturæ: ſed ſub ſtatu legis naturæ debetur Religionis libertas; ergo etiam ſub ſtatu legis Chriſti. Explicant argumentum. In ſtatu naturæ dabatur Dei cognitio, ejuſdem cultus paucis ritibus propoſitus; aliqua accepta a Patribus univerſaliora tenebant; in ceteris unuſquiſque credebat, quod placebat: ſi verò in aliquo errabant, indulgebat Dominus; nec erat neceſſe, quod unus populus ad alium tranſiret, ſed quiſque poterat, ubi erat, ſalvus fieri. Creſcente malitia ſub Patriarchis Abrahamo, Jacob, Iſaac ad frænandam licentiam dedit Deus determinata præcepta, & ſub Moyſe plurima adhuc legalia, & ceremonialia addidit. Venit deinde Chriſtus, ſolvit legalia relictis moralibus, nonnulleque addens reſtituit priſtinæ libertati; ergo dummodo pauca teneantur, etſi in aliis ſit oppoſitio, dabitur ſalus apud quamcunque Eccleſiam, nec eſt neceſſè, quod una ad aliam tranſeat. Verificari enim debet illud Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Diſcurſus iſte valde deceptorius eſt, arguens ex æquivocis. Libertas, quam attulit Chriſtus, ex ſcripturis eſt libertas a ſervitute Diaboli, & peccati, a jugo legalium Moſaicorum, ſtatus naturæ carebat prima libertate, non autem ſecunda; & quoad hoc, verum eſt, Eccleſiam reſtitutam eſſe priſtinæ libertati, ideſt exemptam a jugo Moſaico. Falſum deinde ſubditur datam fuiſſe Religionis indifferentiam. Non niſi in vera Eccleſia dabatur ſalus, & ad eam tranſire erat neceſſe: unde Gentiles non ſalvabantur, quamvis inter Gentiles commorantes fideliter viventes ſalvarentur. Religio una erat; fideles omnes conveniebant unitate præceptorum fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, & aliorum, quæ per traditionem deſcendebant a Patribus in filios, unitate capitis; ab Adam enim uſque ad Abraham, & ab Abraham uſque ad Moyſem, & a Moyſe uſque ad Chriſtum ſemper fuit unus primus Divinis Præſes; & habemus clarum exemplum in Abraham, qui licet Sacerdos, & Princeps, benedictus fuit a Melchiſedech, cui tanquam ſuperiori decimas obtulit. Quando autem ab obedientia, & legibus ſe ſubtraxerunt, & gentibus miſcuerunt, ad Idololatriam declinaverunt, & puniti fuerunt. Cumque Chriſtus venerit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, reſtauravit collapſam Eccleſiam, perfecitque evacuando egena elementa; plenos Sacramentorum fontes eduxit; nova præcepta conſtituit, quæ æqualiter omnia ſunt admittenda, quia æqualiter eidem auctoritati innixa. Jugum Chriſti ſuave eſt, quia dilectionis, quia athletæ innunguntur oleo Divinæ gratiæ, quo feliciter curſum ſuum conſummant.

Nuſquā data Religionis indifferentia.

61 OBJIC. VI. Aliquorum principalium Myſteriorum fides ad ſalutem ſufficit: ſed quælibet ſecta principalia quædam retinet; ergo quælibet ſufficit ad ſalutem. Maj. explic. Catholici explicitam quorumdam articulorum expoſtulant fidem, ceterorum ſolum implicitam. Fides verò hæc implicita nulli bono deſervit, ſicut incognita. De ea nulla mentio in ſcripturis. Inventum eſt Scholaſticorum. Neque ergo nocebit aliqua prætermittere, & omittere, ſi non nocet plura ignorare involuta in fide implicita.

Sed multum quidem differt fides implicita a fide negata. Qui fidem habet implicitam, agnoſcit Deum eſſe in omnibus veracem: paratus eſt aſſentiri expreſſe cuilibet myſterio, quando opus erit, & proponetur: Regulam definitivam ſuſcipit Eccleſiam, ſub qua ſuſcipit quæcumque credenda. Qui verò omittit, negat Dei locutionem in omnibus mereri aſſenſum: renititur aſſentiri propoſitæ veri-

Qui fidem habet implicitam, ſubditur Eccleſiæ.

veritati in errore verſans: rejicit Judicem Eccleſiam ſuo ductus arbitrio, es quo evadit Hæreticus. Liberum eſt homini fidem Chriſti ſuſcipere, vel non ſuſcipere, ſed non eſt liberum uni credere, & non credere alteri per fidem divinam: nam idem Deus, qui unum dicit, & aliud teſtatur. Doctrinam fidei implicitæ tradit ſcriptura, quatenus præcipit, quod Eccleſiam audiamus in his, quæ ignoramus: tradunt Apoſtoli, qui ad ſummam ſymboli reduxerunt primaria myſteria. Non ergo ut figmentum Scholaſticorum eſt carpendum.

62 OBJIC. VII. Niſi quælibet ſecta ad ſalutem ſufficeret, non poſſet Deus tot hæreſes permittere, ſed permittit; ergo. Explic. maj. Non ſtat cum ſincera voluntate ſalvandi omnes, ſalutem reſtringere uni Religioni, & tot ſectas non præcavere, in quibus eſt certa damnatio. Si Deus ita dilexit mundum, ut Unigenitum ſuum daret, cur tot omiſit oves a lupis laceratas, ſi unam errantem venit quærere? Tanta dilectio cum tot animarum damnatione non componitur. Neceſſe eſt ergo aſſerere, unamquamque Religionem ſtatum ſalutis habere.

Miror, quod non concludat Hæreticus, quodlibet genus peccatorum, & ſcelerum viam fore ſalutis, cum ſtante ſincera voluntate ſalvandi omnes, tot genera criminum abundent. Fruſtra in his laborat homo: humanæ capacitatis ſpheram excedunt. Captivandus eſt intellectus in obſequium fidei Aug. *Pſal.* 148. -- Cum enim cœperimus diſputare

Fidei myſteria non inveſtiganda.

„ de operibus Dei, quare hoc? quare illud?
„ & non debuit ſic facere: male fecit hoc.
„ Ubi eſt laus Dei? &c. quaſi ſi intrares
„ in officinam forte fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos; & da imperitum hominem neſcientem quod quare ſit, & omnia reprehendit.
„ Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis; quid ſibi dicit? Non ſine cauſa hoc loco poſiti ſunt folles, artifex novit quare; etſi ego non novi; in officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum --

Nazianzenus *Orat. 16. de pauperis amore* -- Nec res hujus vitæ propterea temere, atque incondite gubernantur, quia exploratas earum rationes non habeamus: quin potius, ut animi noſtri affectum imagine quadam exprimam, non multum iis, qui nauſea, & vertigine laborant, diſſimiles ſumus, qui omnia ſurſum, deorſumque verti putant, cum ipſi vertantur -- Nobis ſatis ſit, lumine etiam naturali conſtare Deum veracem eſſe, omnipotentem, ſapientem, providum, bonum, juſtum &c., ut certi ſimus omnia bene diſpoſuiſſe, qui in numero, pondere, & menſura fecit omnia. Quotquot pereunt, quia volunt, pereunt. *Perditio tua Iſrael* Oſeæ 13. Vocat ipſe ad convivium univerſos, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. In omnem enim terram exivit ſonus eorum; ſed excuſant ſe quidam dicentes: emi juga boum, eo ea probare: uxorem duxi: villam emi, & ideo pauci ſunt electi, licet multi ſint vocati. Anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam, vitioſis fatigati concupiſcentiis &c.

CONTROVERSIA IV.

AN ECCLESIA SIT UNA UNITATE CAPITIS VISIBILIS.

IN hac Controverſia paucis nos expediemus. Eam enim ex profeſſo examinavimus in Controverſiis de Ordine, ubi de Romano Pontifice, ibique dedimus Hæreticos, qui eam oppugnant, quibus adjungimus Marcum Antonium de Dominis toto præcipue primo lib. de Republica Chriſtiana, in quo unum Paſtorem viſibilem ſupremum auſert ab Eccleſia. Quantum poterimus, non repetemus ea, quæ ibi ſunt dicta; aliqua tamen reticeri non poſſunt: unde

Dico. Eccleſia eſt una unitate capitis.

63 PROB. I. Non mentitur Deus in Oraculis Prophetarum: ſed in illis prædicitur caput unum ſingulare viſibile Eccleſiæ; ergo dari debet, & datur. Min. habetur Oſeæ 1. *Congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum*, Ezechielis 34. *Suſcitabo ſuper eos Paſtorem unum*. & 37. *Et Paſtor unus erit omnium eorum*: Quæ loca expreſſe loquuntur de Eccleſia viſibili Chriſti in æternum duratura; ergo in ea dari oportet ſingulare caput unum, & viſibile, Eccleſiæ conditioni proportionatum.

In Eccleſia unum viſibile caput.

64 PROB. II. Eccleſia Chriſti Militans aſſimilatur Regno; ſed in Regno datur unus primus ſupremus Princeps gubernans; & per hoc diſtinguitur Regnum a ceteris generibus Regiminum; ergo. Maj. habetur Iſaiæ 9. *Super ſolium David, & ſuper Regnum ejus ſedebit*: ideſt, ſuper Eccleſiam, ex Gloſſa Lucæ 1. *Et Regni ejus non erit finis*, idem Eccleſiæ, & Gloſſa Matth. 25. *Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus*. 1. ad Corinth. 15. *Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri*: ubi Fideles Regnum Chriſti dicuntur ex Gloſſa. Quamdiu Eccleſia durabit, erit Chriſti Regnum viſibile ab eo gubernatum: ſed illud nunc non gubernat viſibiliter per ſe; ergo per alium, quem ſui Vicarium conſtituit. Unde ad illud Lucæ, Epiphan. *lib.* 1. *hær.* 29. inquit -- Manet enim thronus ejus,
„ & Regni ejus non erit finis, & ſedes ſuper thronum David, ita ut regnum David
„ una cum Pontificatu tranſtulerit, ac largitus ſit ſervis ſuis, hoc eſt Pontificibus
„ Eccleſiæ Catholicæ --

Eccleſia aſſimilatur Regno.

65 PROB. III. Eccleſia Militans a Triumphante derivatur, & exemplatur: ſed in Triumphante eſt unus ſupremus, qui præſidet omnibus, & ſingulis; ergo etiam in Eccleſia Militante. Maj. habetur Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt*. Job. 38. *Nunquid noſti Ordinem Cæli, & pones rationem ejus in terra?* Greg. ibid. -- Ordo quidem Cœli in
„ Terra ponitur, hoc eſt in Militante Eccleſia, cum a Triumphantis Eccleſiæ exemplari
„ Militans diſponitur -- Apocal. 21. *Vidi Sanctam*

Eccleſia Militans a Triumphante exemplata.

tam Civitatem Hieruſalem novam deſcendentem de Cœlo a Deo, paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo. Et Dionyſius *cap. 6. Hierar. Eccleſiaſt.* -- Noſtra enim Hierarchia a „ Deo traditis ordinibus ſancte diſpoſita, ſan„ ctis, & cœleſtibus Hierarchiis conformia „ eſt -- Cui alludens doctrinæ Bern. *lib. 3. de conſider. ad Eugenium*, concludit ad rem noſtram -- Non vilem reputes formam hanc, „ quæ in terris, formam habet in Cœlo. Vi„ dit hoc, qui dicebat: vidi Civitatem &c. „ Sicut enim Seraphim, & Cherubim, & ce„ teri ordines ſunt ſub uno capite Deo: ita „ & hic Patriarchæ, Archiepiſcopi, & re„ liqui ſub uno Pontifice ſummo, quod non „ eſt parvi pendendum, quod Deum habet „ auctorem, & quod de Cœlo ducit origi„ nem --

66 PROB. IV. In Eccleſia Militanti datur ordo poteſtatis: ſed ordo poteſtatis attenditur penes prælationem, & ſubjectionem: Prælatio verò menſuratur per aſcenſum, & deſcenſum, non per æqualitatem. Porro in aſcenſu ſtatus faciendus eſt de neceſſitate penes unum, ne cogamur abire in infinitum: deſcenſus verò multitudinem infert. Major clara eſt: nam Eccleſia non eſt multitudo confuſa, ſed ordinata, ut dicitur Cant. 4.; quæ enim a Deo ſunt, ordinata ſunt. Blaſphemum eſt aſſerere, non magis eſſe a Deo regulatam Eccleſiam ad eſſe gratiæ, quam naturæ proceſſum ad eſſe naturæ; ſed proceſſus naturæ eſt ordinatiſſimus, ut inferiora gubernentur per media a ſuperioribus, & inter hæc datur unum ſupremum, ut videre eſt inter corpora cœleſtia moventia ſublunaria: in corpore animalis, ubi diverſa membra diverſis muneribus deputata ad unum reducuntur, a quo motus dirigantur, a capite videlicet. Pulchritudinem hanc Eccleſiæ expreſſam docuit Origenes *lib. 2. ſupra Cantica in illo 3. Reg. 10.*, ubi de Regina Saba dicitur, quod videns omnem ſapientiam Salomonis, habitacula ſervorum, & ordinem miniſtrantium, non habebat ultra ſpiritum: & ideo Chriſtus Joan. 10. de Eccleſia habet: *Et fiet unum ovile, & unus paſtor*. Et in futuro loquitur, cum gentium converſio fuerit; ut intelligamus, eum loqui non de tempore ſuæ vitæ, ſed poſt ſuam Aſcenſionem, & de alio diverſo paſtore, licet ſibi ſubordinato.

Subordinatio reſpicit ſuperiorem.

67 PROB. V. ex Patribus. Cyprianus *Epiſt. 2. ad Antonianum lib. 4.* -- Cum ſit a „ Chriſto una Eccleſia per totum mundum „ in multa membra diviſa; item Epiſcopatus „ unus Epiſcoporum multorum concordi nu„ meroſitate diffuſus -- *lib. 1. Epiſt. 6.* -- Id„ circo Dominus intimans nobis unitatem de „ Divina auctoritate venientem ponit, & di„ cit: Ego, & Pater unum ſumus: ad quam „ unitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò „ dicit: & erit unus grex, & unus paſtor -- Omitto celebrem illam auctoritatem *de unit. Eccleſ. relata Can. Loquitur 24. q. 1.* ſicut & illam *lib. Epiſt. 3. ad Cornelium* -- Neque enim „ aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt „ ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei „ non obtemperatur; nec unus in Eccleſia „ ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur -- Hieron. *lib. 1. contra Jovinianum* -- Su„ per Petrum fundatur Eccleſia, & licet id „ ipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat, & „ cuncti claves Regni Cœlorum accipiant, „ & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſo„ lidetur: tamen propterea inter duodecim „ unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſ„ matis tollatur occaſio -- Optatus Milevitanus *ſub initio lib. 2.* -- In qua una cathedra „ unitas ab omnibus ſervaretur, ne ſinguli „ Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet, „ ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui „ contra ſingularem Cathedram, alteram „ collocaret -- Ergo Cathedra una. Hilarius *in illud Pſal. 121. Hieruſalem, quæ ædificatur ut civitas* ſic ait -- Unum corpus Eccleſia eſt, „ non quadam corporum confuſione permiſ„ tura, nec ſingulis in indiſcretum acervum, „ & informem cumulum unitis, ſed per fidei „ unitatem, & capitis ſocietatem -- Chryſoſt. *Hom. 34. in cap. 13. ad Heb.* -- Si ex cho„ ro ipſum choriphæum auferas, nequaquam „ modulatus Chorus, vel ordinatus exiſtit: „ & phalanges militum, ſi ducem non ha„ beant, nullo modo acies illa, numero, „ vel ordine procedit: Et navis, ſi guber„ natore privetur, peſſum eat neceſſe eſt: & „ grex, ſi paſtorem abſtuleris, eonctus diſper„ getur, & peribit --

Defectu ſubordinationis Hæreſes ortæ.

ARGUMENTIS HÆRETICORUM FIT SATIS.

68 OBJIC. I. Ad rectum ordinem gubernationis Eccleſiæ ſufficiunt partiales Monarchiæ, quæ in ſingulis Eccleſiis habentur; ergo non debet admitti in tota Eccleſia unus ſupremus Hierarcha, ſed totum corpus erit Ariſtocratia; nec aliud probant adducta. Sic Spalat. *lib. 1. cap. 12. n. 13.*

Sed qua fronte audet aſſerere adducta ſolum partiales Monarchias probare? Si tot ſunt partiales Monarchiæ, quot Eccleſiæ, tot ſunt ſupremi, quot Epiſcopi; ergo tollitur ſubordinatio Epiſcopi ad Archiepiſcopum, Archiepiſcopi ad Patriarcham, contra Can. 6. Nicæni Concilii; ubi prædicta ſubordinatio ſtatuitur: & contra 39. ex translatione Arabica, ubi -- Archiepiſcopus inter Epiſcopos, „ tanquam frater major, qui curam habet „ fratrum ſuorum, & ei debent obedientiam, „ quia præeſt -- Deinde ſi partiales Monarchiæ ſunt; ergo ad unam totalem conſtituendam ordinantur; partialia enim entia, ſeu tota, ideo dicuntur, quia ad unum totale conſtandum deputantur: & ita revera neceſſe eſt dicere. Hæ partiales Monarchiæ unam univerſalem Chriſti Eccleſiam efficiunt; vivunt enim eâdem fidei formâ, & ſpiritu Dei; eundem Dominum agnoſcunt; eundem finem intendunt; ergo unum Ducem ſupremum exigunt. Da plures partiales greges, & ex illis fiat unum ovile; Paſtor unus erit admittendus: da partiales exercitus, & ex illis fiat unus: unus dux ſupremus aſtruendus; in quovis enim magno exercitu, unitis ſignum expectatur ex Hieronymo ad Ruſticum Monachum. Optime Ambr. *in cap. 13. ad Romanos* -- Princeps hos Reges dicit, ſci„ licet,

„ licet, Apoſtolos, qui propter corrigendam „ vitam, & prohibenda adverſa creantur; Dei „ habentes Imaginem, ut ſub uno ſint ce- „ teri -- Optime Auctor quæſt. veteris, & novi Teſtamenti *quæſt.* 75. -- Quia ſicut in „ Salvatore erant omnes cauſæ magiſterii, ita „ & poſt Salvatorem in Petro omnes conti- „ nentur; ipſum enim conſtituit caput eo- „ rum -- Ulterius, ſi partiales Monarchiæ ſunt; ſi Epiſcopi ſinguli non ſubordinati ſunt; quomodo ſervabitur unitas doctrinæ, etiam ſubſtantialis? Quilibet pro libito docebit. Neſtorius certam impune ſtatuet duplicitatem hypoſtaſis: Dioſcorus confuſionem naturarum in Chriſto: qui non agnoſcunt ſuperiorem, aliorum judicio non ſubduntur: hinc ſchiſmata, hinc hæreſes, dicente Chryſoſt. *Hom. ultima ad Heb.* -- Malum eſt, ubi non exiſtit prima- „ tus, & multarum cladium occaſio, & con- „ fuſionis, turbarumque principium --

69 OBJIC. II. Unitas Eccleſiæ univerſalis ex ordine ad caput Chriſtum deſumenda eſt, cui populus Chriſtianus fide, ſpe, charitate unitur; ergo nullus alius eſt præficiendus, alioquin Chriſtus Rex univerſalis Eccleſiæ non foret dicendus: ſub ſolo ergo Chriſto eſt regalis Eccleſia.

Duplex Eccleſiæ caput, unum viſibile, inviſibile aliud.

Verum allata alium præter Chriſtum evincunt Paſtorem ſupremum. In Eccleſia enim duplex datur unitas, inviſibilis, & viſibilis: illa in donis interioribus gratiæ, hæc in exteriori directione paſturæ Evangelicæ; prima deſumitur a Chriſto capite, ſecunda nequaquam; non enim converſatur nunc viſibiliter nobiſcum, neceſſe eſt proinde altera perſona viſibiliter nobiſcum commorans, viſibiliter errantes, ſententiis, & monitis dirigens, ſaluberrimis doctrinis indigos imbuens, dubia diſſolvens, ſacra promovens, leges ſtatuens, ſecundum opportunitatem temporum, locorum, & perſonarum in bonum commune Eccleſiæ; caput enim adæquatum corporis viſibilis inviſibili ſpiritu animati utriuſque gubernationis exercet munus: adeoque ex Chriſto inviſibiliter, & ejus Vicario viſibiliter dirigente unum efficitur tribunal; qua de re aptam adducit rationem Angelicus Doctor *in* 4. *contra Gentiles cap.* 76. Non enim minus Chriſtus capitis munus exercet, quam Sacerdotis; ipſe namque eſt, qui baptizat, qui peccata dimittit, qui Hoſtiam offert, qui docet; ſed quia corporaliter erat abfuturus, Sacerdotes viſibiles conſtituit, ita & præficere debuit unum caput. Nec inde ſequitur Chriſtum non eſſe dicendum Regem; Vicarius enim, & Prorex non evacuat dignitatem, & titulum Regis: nec miniſteriale officium principalitatem cauſæ expellit, ſed conſtituit, & inſert; & ſi Regalis erat Eccleſia, Chriſto vivente, Regalis permanſit ipſo abſente; non enim immutari debuit eſſentialis conſtitutivi forma.

70 OBJIC. III. Qui laborat pro aliquo conſequendo, illud adhuc non poſſidet: ſed Eccleſia laborat pro conſequenda Regia dignitate; ergo illam non poſſidet; ergo non habet unum caput. Min. habetur Matth. 5. *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*: Et in Oratione Dominica quotidie petimus: *Adveniat Regnum tuum*.

Verum hæc inania ſunt. Regnum illud, quod petit Eccleſia, Cæleſtis eſt Jeruſalem, clara Dei poſſeſſio; ad quod adhuc inambulat; ſed aliud nunc habet Chriſtus Regnum, in quo ſunt Virgines fatuæ, & prudentes, ſcandala, & virtutes, negotiatores, & otioſi. Non enim in æterna illa beatitudine erunt ſcandala, quæ corrigantur, fatuæ mulieres, quarum lampades extinguantur, otioſi qui talentis ſpolientur. Pulchre Aug. *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 9. -- Niſi alio aliquo modo, lon- „ ge quidem impari jam nunc regnarent San- „ cti ejus, quibus ait: Ecce ego vobiſcum „ ſum uſque ad conſummationem ſeculi; pro- „ fecto non etiam nunc diceretur Eccleſia „ Regnum ejus, Regnumque Cælorum. Nam „ utique iſto tempore in Regno Dei erudi- „ tur ſcriba ille, qui profert de Theſauro ſuo „ nova, & vetera --

71 OBJIC. IV. Si unus Paſtor daretur ſupremus, in deſcriptione Hierarchiæ ſignaretur: ſed non ſignatur; ad Eph. enim 4. ſolum dicitur: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*: ubi ſubdit Apoſtata *num.* 12. -- Ne veſtigium „ quidem apparet Monarchiæ, quæ ſola eſt „ ſub Chriſto Rege --

RESP. Si ad connexionem Scripturarum attenderet Verſipellis, unius capitis gradum reperiſſet in Hierarchiæ Eccleſiaſticæ progreſſu. Si voluiſſet inſpicere caput 16. Matth., & Joan. 21. Ad Rom. 12. Primæ ad Corinth. 12. & alibi, veritatem detexiſſet: ſed nec omittit ibi Paulus, qui ſolum gradus ſpecificos reponens, in eis individuales dignitates ſuo ordine incluſas ſubintellexit. Si Apoſtolos nominavit, & primum gradum enumeravit: ſi Paſtores, & Supremum non omiſit. Dicat Spalatenſis: non expreſſit ibi Paulus Sacerdotium diſtinctum ab Epiſcopatu: numquid ergo vel Sacerdos ſimplex non datur, vel æqualis Epiſcopo traditur? Venit Cæleſtis Adam reficere, quod peccato deturpaverat terrenus. Porro ut advertit Chryſoſtomus *homil.* 34. *in* 1. *Corinth.* ſolum creavit Deus Adam, & ex illo alios, ut Monarchiam commendaret. Verum ut ait Cyprianus *lib.* 3. *Epiſt.* 3. Hæretici ſemper impetunt Regale Eccleſiæ decus -- Ut gubernatore ſublato, „ atrocius, atque violentius circa naufragia „ Eccleſiæ hoſtis graſſaretur --

72 OBJIC. V. Non potuit Chriſtus Eccleſiam Regio decorare regimine, quam in charitate, & humilitate fundaverat, ſi jus Regium tyrannicum appellatur: ſed ita eſt, Reg. 8. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis; filios veſtros tollet &c.* Adde, quod in Regio regimine perfectio ſolum dicitur in Præſidente; ſed Eccleſia eſt perfecta, etiam ex membris; ergo. Adde II. In principatu laicali non expedit unus ſupremus univerſis; ergo neque in Eccleſiaſtico. III. Facile eſt unum ſolum gubernatorem fore imprudentem, & pravum; ergo & errare ex ignorantia, & decipere. IV. Supremus nulli ſubditur; ergo impune delinquet; & inde plurima pericula ſubditis. V. Amant homines libertatem, & imperare; ergo uni ſubdi ſemper moleſtum, & violentum, utpote incli-

na-

nationi naturali contrarium, inde invidia ſtimulante ſchiſmata, ut experientia docuit tot hæreſum, quæ contra Papatuu inſurrexerunt.

RESP. Quinimmo, quia ſumma dilectione proſecutus eſt Criſtus Eccleſiam, modo optimo, & perfectiore regendam debuit fundare: ex Philoſophia porro optimus, & perfectior Regiminis modus eſt Monarchicus, quod præter alia motiva declarat S. Th. 1. *parte quæſt.* 103. *art.* 3. dicens -- Cujus ſi„ gnum eſt, quod etiam, cum poteſtas re„ gendi in multis exiſtit, oportet eos, ut be„ ne regant, unum aliqua ratione fieri -- Nec jus Regium poteſt eſſe tyrannicum. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*, ad Rom. 13. Locus citatus Regum non loquitur de jure a Deo collato, ſed uſurpato, quod prædicebat per os Samuelis Dominus, ut populum averteret a ſtulta petitione, qui cum noluerit audire, prænunciata mala evenerunt. Sic S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 105. *art.* 1. *ad* 5. Ad primum additamentum reſpondetur, quod etiam in gubernatis datur ſua perfectio, quæ in modo, ſpecie, & ordine conſiſtit: ſuntque pleræque aliæ dotes in ſingulis particulares. Ad II. Temporale dominium ſub uno ſolo non datur, nec dari expedit: quia non eſt omnium nationum una lex, una forma conſtitutiva corporis, ſecus accidit in Eccleſia, quæ una eſt, & formam unam habet. Temporalis Principatus naturale bonum eſt, quod Deus medio jure gentium diſtribuit, quod illud ad placitum diviſit, & ſubdiviſit: Eccleſiaſticus Principatus vero a jure ſupernaturali, quod unum eſt, immediate emanat. Principatus temporalis negotiorum multiplicem, & majorem varietatem petit, quæ diverſis climatibus haud facile adaptatur: ſpiritualis vero uniformiorem habet Regulam, in uno Spiritu Fidei convenientibus facile adaptabilem. Sed quid plura? hoc ipſum veritatem noſtram evincit: quia plures in Orbe ſupremi ſunt. Ideo bella, ideo diverſæ leges, ideo oppoſitæ formæ: fideles vero idipſum ſapere debent, ne ſint ſchiſmata. Ad III. Si facile eſt unum Hominem pravum, & imprudentem eſſe: æque facile eſt inter multos electum, unum bonum reperiri: valde autem difficile eſt in multitudine plures inveniri ſapientes, aut bonos, & multo magis omnes; & ubi tot ſunt Principes, major eſt ſubditorum ſervitus, cum pluribus debeant ſubeſſe. Bene ajebat Athanaſius *Orat.* 3. *contra Idola* -- Sicut multitu„ do Deorum nulla Deitas; ita neceſſe eſt „ multitudinem Principum id efficere, ut „ nullus Princeps eſſe videatur -- Ad IV. Supremus in Eccleſia ſi forte contingat perſonaliter delinquere ſuus eſt corrigendi modus; non quidem judicialiter, ſed fraternaliter. Ad V. Per unum gubernari connaturale eſt, ut vidimus, & homo ipſe, qui Mundus parvus eſt, una ratione dirigitur, unde vitioſa eſt libertas, quæ contra inſurgit; ſed etſi individi Homines ex vitio imperare affectent, lex Chriſtiana, quæ ſuperiori lumine, & virtute operatur, hujuſmodi affectiones moderatur. Plures extiterunt hæreſes contra Papatum, ſed & totidem fuerunt extinctæ: nec minores extitiſſent, ſi aliud genus Regiminis datum fuiſſet -- Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcan„ dala -- Nulli dubium, quod etiam in humanis melior comparative ſit ceteris guberniis Monarchia, etſi ſua habeat incommoda: quæ adhuc melior, ubi Ariſtocratiam miſcet. Hanc ergo eligere debuit Chriſtus in ſua Eccleſia, quæ una eſt, & perfecta, quam convenienter unus regere poteſt peculiaris ejuſdem aſſiſtentiæ auxilio, quod promiſit.

Gubernium Monarchicū optimum.

CONTROVERSIA V.

AN ECCLESIA SIT UNA UNITATE STATUS.

IN hac Controverſia nihil eſt momenti contra Hæreticos, nec ſpecialis aliqua utilitas, niſi quoad majorem explicationem hujus primæ proprietatis. & ſenſus eſt, an Eccleſia nova ſit una numero cum Eccleſia veteris teſtamenti; ideo paucis eam expediemus.

73 Dico. Eccleſia eſt una unitate ſtatus, ideſt nova, & vetus eſt una numero ſubſtantialiter. Prob. Ubi eadem eſt forma conſtitutiva, ibi eſt idem conſtitutum: ſed forma conſtitutiva Eccleſiæ veteris, & novæ eſt eadem; ergo Eccleſia vetus, & nova eſt una numero. Minor explicatur. Forma eſſentialis conſtitutiva Eccleſiæ eſt fides: ſed eadem eſt numero fidea veteris, & novi Teſtamenti; dicit enim Apoſtol. 2. ad Cotinth. 4. 13. *Habentes eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur. &c.*, & 1. ad Corint. cap. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt &c.* Quibus declaratur identitas fidei.

Vetus, & nova Eccleſia una ſubſtantialiter.

Explicatur I. Non differt diſcipulus, ut ſub Pædagogo a ſeipſo ut ſub magiſtro; ſeu non differt diſciplina doctrinæ traditæ a Pædagogo, & a Magiſtro: ſed lex, ſeu Eccleſia in veteri Teſtamento eſt ſub Pædagogo, & in novo ſub Magiſtro: ſicut dicitur ad Galatas 3. *Itaque lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur*: Ubi Chryſoſtomus infert -- Ergo non eſt adverſa; Pædagogus „ enim non adverſatur præceptori, ſed adju„ vat, arcens ab omni vitio, reddens illum „ idoneum omni ſtudio percipiendis, quæ „ tradit præceptor: verum ubi jam habitum „ collegerit Pædagogus -- Subſtantialiter eadem eſt oratio a diſcipulo compoſita ſub Pædagogo, ac a defectibus per magiſtrum purgata.

II. Idam eſt numero homo ſub pueritia, ac ſub adoleſcentia: ſed Eccleſia nova differt a veteri, ut adoleſcentia ab infantia, 1. ad Corinth. 13. *Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus ſum vir; evacuavi, quæ erant parvuli.* Et ad Galat. 4. *Ita & nos, cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.* Unde Lirinenſis *de verb. novit. cap.* 29. -- Imitatur „ Religio rationem corporum, quæ licet an„ norum proceſſu numeros ſuos evolvant, & „ explicent; eadem tamen, quæ erant, per„ manent. Multum intereſt inter pueritiæ flo-

Homo ſub pueritia, & adoleſcentia idem.

,, rem, & ſenectutis maturitatem: ſed iidem ,, tamen fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes, ut quamvis uoius, ejuſdemque hominis ſtatus, habituſque mutetur; una tamen ,, nihilominus, eademque natura, una eademque perſona fit -- Sola datur ergo ſtatus diverſitas.

III. Res prænunciata, & repromiſſa non differt a ſeipſa, ut data: ſed Eccleſia ſub teſtamento veteri, & novo differt, ut res promiſſa, & data; ergo eſſentialiter eſt eadem. Sic Irenæus *lib.* 3. loquens de Gentibus -- ,, Quod præfigurata fuit in Abel, & deſcripta a Prophetis; perfecta vero in noviſſimis temporibus in filio Dei -- Lex enim nil aliud eſt, quam Evangelium prænunciatum; & Evangelium, niſi lex completa: unde Clemens Alexand. 4. *Stromatum* -- Quæ ,, enim eſt in Chriſtum fides, & Evangelii ,, cognitio eſt, & legis adimpletio; & ideo ,, dictum eſt Hebræis: niſi credideritis, non ,, intelligetis --

Nova Eccleſia in veteri præfigurata.

IV. Eadem eſt familia, quamdiu filii ſunt ejuſdem Patris: ſed fideles veteris, & novi Teſtamenti ſunt filii ejuſdem Patris; ergo, Sic Juſtinus Martyr de veritate Chriſtianæ Religionis de Eccleſia agens -- Hæc eſt ,, illa gens, quam antiquitus Deus promiſit ,, Abrahæ &c. quippe qui liberi Abrahæ propter parem fidem ſumus -- Explicatque, quia ſicut ille credidit, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, ita nos credimus Apoſtolis prædicantibus prænunciata a Prophetis. Eundem diſcurſum facit Irenæus *lib.* 4. *cap.* 32. aſſignans rationem, cur Abraham dictus ſit Pater gentium -- Eo quod una, & eadem illius, ,, & noſtra ſit fides; illo quidem credente ,, futuris, quaſi jam factis propter repromiſ- ,, ſionem Dei; nobis quoque ſimiliter per fidem ſpeculantibus eam, quæ eſt in Regno, ,, hereditatem propter repromiſſionem --

Fideles omnes filii ſunt ejuſdem Patris.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

74. OBJIC. I. Ita differt fides veteris Teſtamenti, & novi, ſicut præſens, & futurum: ſed præſens, & futurum eſſentialiter differunt; ergo etiam fides novæ, & veteris legis; ergo etiam Eccleſia.

Proponit, & ſolvit argumentum Aug. *tom.* 9. *tract.* 49. *in Joannem* dicens -- Ante ,, adventum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quo ,, humilis venit in carne, præceſſerunt juſti, ,, ſic in eum credentes venturum, quomodo ,, nos credimus in eum, qui venit, quæ tempora variata ſunt, non fides; quia & ipſa ,, verba pro tempore variantur, cum varie ,, declinantur: alium ſonum habet, venturus ,, eſt, alium ſonum habet, venit: mutatus eſt ,, ſonus, venturus eſt, & venit: tamen fides ,, utroſque conjungit, & eos qui venturum ,, eſſe, & eos qui veniſſe crediderunt -- *Et in Epiſt.* 89. *quæſt.* 3. dat Theologicam rationem -- Ut ſciamus, etiam antiquos juſtos ,, (quicumque eſſe potuerunt) etiam per eandem fidem liberatos, per quam liberamur, ,, & nos, fidem ſcilicet Incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut & no- ,, bis facta annunciatur -- Incarnatio igitur

A Chriſti eſt objectum utriuſque fidei eſſentialiter acceptæ; differentia vero venturi, & præſentis ſpectat ad differentiam ſtatus; ſicut differentia infantis, & viri ſe habet ad eſſe hominis: & ideo D. Th. *qu.* 4. 2. 2. *art.* 6. *ad* 2. habet -- Dicendum, quod illa differen- ,, tia præteriti, & futuri non contingit ex ,, aliqua diverſitate rei creditæ, ſed ex diverſa habitudine credentium ad unam rem ,, creditam --

Ubi eadē res credita, ibi eadem fides.

75 OBJIC. II. Ubi deeſt unitatis forma, non poteſt conſiſtere idem unum: ſed deeſt in caſu eadem unitatis forma, nam unitas

B Eccleſiæ novæ deſumitur ex unitate Baptiſmi, qui non erat in lege veteri; ergo.

RESP. Baptiſmum ſumi poſſe, & ut figuratum, & ut in ſpecie: ſicut ipſemet Chriſtus, ut in ſpecie dat unitatem Eccleſiæ novæ, qua tali, ſecundum ſuam vero ſubſtantiam dat unitatem Eccleſiæ ſub utroque ſtatu. Fides ergo Chriſti profeſſa per ſignum introductivum in Eccleſiam, vel in ſpecie per Baptiſmum, vel in prænunciante Circumciſione dat unitatem eſſentialem. Audiatur Aug. *Pſal.* 37. explicans illud Pauli 1. ad Cor. 10. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus* -- Idem in my-

Fides Chriſti in lege veteri.

C ,, ſterio cibus, & potus illorum, & noſtrorum, ſed ſignificatione. Idem non ſpecie; ,, quia idem ipſe Chriſtus, illis in petra figuratur, nobis in carne manifeſtatur -- *Et lib. de natura, & gratia cap.* 44. -- Ea quidem fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat & nos, ideſt mediatoris Dei, & hominum, hominis Jeſu Chriſti: fides ſanguinis ejus, fides mortis, & reſurrectionis ,, Chriſti --

76 OBJIC. III. Fides interna non habuit unitatem Eccleſiæ, niſi ut radicans, & manifeſtata per ſigna ſenſibilia Sacramentorum, ſicut docet Aug. ſæpe citatus contra

D Fauſtum, quod nullum genus hominum coadunatur in nomen aliquod Religionis, niſi viſibili Sacramentorum Signaculo colligetur: ſed Sacramenta novæ, & veteris legis ſunt eſſentialiter diverſa; ergo pariter fides conſtitutiva.

RESP. cum Aug. *Pſal.* 36., ubi comparat Eccleſiam homini, qui junior fuit, & ſenuit -- Dominus ipſe in corpore ſuo, quod ,, eſt Eccleſia, junior fuit primis temporibus, ,, & Eccleſia jam ſenuit &c. Omnes, qui ,, initio ſeculi fuerunt juſti, caput Chriſtum ,, habent; illum enim venturum eſſe crediderunt, quem jam nos veniſſe credimus,

E ,, & in ejus fide, & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos, ut eſſet & ipſa Caput Civitatis ,, totius Jeruſalem omnibus commemoratis ,, fidelibus ab initio uſque ad finem &c. Corpus autem Chriſti, quod eſt Eccleſia, tanquam unus quidem homo primo junior ,, fuit, & ecce jam in fine ſeculi eſt in ſenectute pingui &c. -- *Et lib.* 7. *qu. ſuper Judic.* comparat Eccleſiam ſex ætatibus, quarum primam ponit ab Adam &c. Sicut ergo forma hominis eſt conſtitutiva, prout radicat, & manifeſtatur per diverſas operationes in pueritia, & in virilitate; & tamen eſt eadem eſſentialiter, ita fides. Diverſa Sacramen-

Fides ſemper eadem.

Digitized by Google

menta pertinent ad ſtatuum diverſitatem, ſicut diverſa munia, & diverſæ operationes ad diverſas ætates. Eſſentialis unitas conſiſtit in eo, quod fides radicet Sacramenta proportionata ad ſtatus Eccleſiæ.

77 OBJIC. IV. Fides non tribuit unitatem, niſi ſub unitate capitis: ſed non habetur identitas capitis in novo, & veteri Teſtamento; non enim conſtat datum fuiſſe caput unum in lege Naturæ, & Moyſis.

RESP. I. Semper fuit identitas capitis Chriſti, a quo primaria unitas deſumitur. II. Abſque dubio in Scripturis habetur a Moyſe ad Chriſtum unum caput viſibile, & in lege Naturæ etiam datum fuiſſe, ſuperius oſtendimus: & D. Aug. *lib.* 15., *&* 16. *de Civit.* demonſtrat, pie viventes fideles fuiſſe ſub aliquo capite. Idem facit Sanderus *lib. de Viſibili Monarchia Eccleſiæ*, *& de clavi David*, & alii.

Chriſtus ſemper idem.

78 OBJIC. V. Eccleſia aſſimilatur in Scripturis ædificio: ſed ædificium, quod de novo a fundamentis erigitur, non facit unum cum veteri: cum ergo Eccleſia Chriſti ideo nova dicatur, quia a fundamento conſurgit, dicente Chriſto Matth. 16. *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non poteſt eſſe una cum veteri.

RESP. neg. quoad formam eſſentialem, Eccleſiam novam eſſe. Nova eſt ratione ſtatus, pro quo ſunt nova quædam præcepta, & Sacramenta, ea proportione, qua vir videtur diverſus homo ab infante. Nova dicitur eo modo, quo Petri 2. cap. 3. dicitur: *Novos vero Cælos*, *& novam terram*, *ſecundum promiſſa ipſius*, *expectamus*. Non enim erunt Cœli novi novitate ſubſtantiali, ſed renovationis. Quando verò dicitur Scripturas aſſerere excluſam fuiſſe Synagogam Judæorum, & ſubiiſſe plenitudinem gentium, intelligitur quoad ſtatum; ea proportione, qua dicimus pueritiæ ſubingredi virilitatem, ad Galat. 3. habemus: *Quod cuſtodiebamur concluſi in eam fidem*, *quæ revelanda erat*. Evacuata eſt imperfectio infantiæ, ſubrogata perfectione novi Teſtamenti. S. Thom. *in cap.* 2. *ad Epheſ. lect.* 5. -- Evacuans ideo, ſicut imper-„ fectum evacuatur per perfectum, & um-„ bra per veritatem -- 1. Corinth. 13. *Cum autem venerit quod perfectum eſt*, *evacuabitur*, *quod ex parte eſt*, *ſcilicet imperfectio*, *& umbra veteris legis*; de qua ad Heb. 10. *Umbram enim habet lex futurorum bonorum &c.*, *& hoc decretis*, *ideſt præceptis novi Teſtamenti*, *per quæ excluditur lex*. Levit. 26. *Comedetis vetuſtiſſima veterum*, *ideſt præcepta legis naturæ ſimul cum nova lege*, *& præceptis ejus ſuſceptis*, *vetera projicietis*, *ideſt ceremonialia præcepta veteris legis*, *quantum ad eorum ſubſtantiam*, *ut dictum eſt*. Similiter quoad ſtatum dicitur, quod Eccleſia exiit a latere Chriſti.

Veritas figuram excludit.

A

CONTROVERSIA VI.

AN ECCLESIA CHRISTI SIT VISIBILIS.

79 SEcunda entis proprietas a Metaphyſicis aſſignatur veritas, quæ idem eſt ac cognoſcibilitas. Porro cognoſcibilitas alia eſt per puram intellectualitatem, alia per ſenſibilitatem. Prima cadit ſub ſolo intellectu, ſecunda ſub ſenſu; & quia inter ſenſus viſus eſt perſpicacior, & certior; ideo communius dicitur a viſu, & viſibilitas dicitur. Cum ergo B primam examinaverimus proprietatem, quæ eſt unitas: rectus ordo poſtulat, ut ſecundo loco de viſibilitate diſputemus. Senſus ergo Controverſiæ eſt, an Eccleſia ſit latens, & abſcondita, vel apparens, & perſpicua; & hoc per ſe, & ſecundum totum. Certum enim eſt, quod per ſe viſibile aliquando remanet inviſibile per accidens, ut blaſphemum verbum prolatum in ſolitudine, ubi nullus ſit, qui audiat; ſicut inviſibile per ſe fieri poteſt patens per accidens, ut aſſenſus liber revelatus. Certum pariter eſt in corpore magno non omnia membra in particolari eſſe manifeſta; hoc tamen non impedit, quo minus C totum non ſit viſibile.

Hæretici graviſſime contendunt contra Eccleſiæ viſibilitatem; ea enim ſublata facile ſuos errores evulgant, quaſi non habentes, a quo deregantur. Omiſſis veteribus Hæreticis.

Inter Novatores Lutherus *de ſervo arbitrio* dicit, Eccleſiam eſſe margaritam abſconditam, *& lib. contra Catherinum* ſcribit eſſe Eccleſiam ſpiritualem, & ſola fide perceptibilem. idem dicit de abroganda Miſſa privata. Melancton *in examine Ordinand. cap. de Eccleſ.* dicit eſſe viſibilem: in locis communibus vero loco 12. admittit inviſibilem. Idem docent Centuriatores *lib.* 1. *cent.* 1. *c.* 4. Bren- D tius *in confeſſione Vuirtembergenſi*, *& in prolegomenis* ſolum reprehendit admittentes Eccleſiam viſibilem, & digito demonſtrabilem: & hæc eſt communis vox Lutheranorum, Eccleſiam veram ſemper in mundo ambulare, & nuſquam certam, & durabilem ſedem habere.

Calvinus alicubi viſibilem ponit, ut *lib.* 4. *inſtit. cap*: 1. *§.* 2., *ſed §. ſexto*, facit nobis inviſibilem, ſolique Deo perſpicuam, *& in præf. inſtit.* -- Fremunt, inquit, niſi Eccleſia „ digito ſemper oſtendatur -- & ea definitione ipſius in principio tractatus recenſita clare patet inviſibilem affirmare. Guilielmus E Fulco Calviniſta Anglicanus ſtatuit Eccleſiam latitantem, mundo incognitam, ſoli Deo manifeſtam. Philippus Mornay ſcribens ad Regem Galliæ, deſcribit Eccleſiam -- Eſſe „ corpus opacum, neque luminoſum, niſi a „ Deo, quatenus a verbo capit lucem -- *& in præfat. myſterii iniquitatis* dicit eſſe illam mulierem Apocalypſis, quæ a facie draconis fugit in deſertum, & abſcondit ſe. idem Breittingherus exponens cap. 11., & 12. Apocalypſis. Helvetica confeſſio *cap.* 17. -- Ec-„ cleſia inviſibilis appellari poteſt, non quod „ homines ſint inviſibiles, ex quibus Eccleſia

 „ col-

„ colligitur, ſed quod oculis noſtris abſcondi- „ ta, Deo autem ſoli nota, judicium humanum „ ſubterfugiat -- & alii plures. contra quos

Dico. Vera Eccleſia Chriſti eſt viſibilis. Sine numero ſunt Scripturæ loca, quibus veritas hæc eſt ſtabilita, ita ut evidentiam ſortiatur. Aliqua ſub diverſis ſyllogiſmis afferemus.

80 PROB. I. Eccleſia, quæ educitur ab uno loco in alium, quæ ſtat, quæ benedicitur viſibiliter, viſibilis eſt, ſed Eccleſia educitur ab uno loco in alium, Numer. 20. v. 4. *Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adverſum Moyſen, & Aaron, & verſi in ſeditionem dixerunt, cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* 3. Reg. 8. v. 14. *Convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael; omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat*; ergo Eccleſia Dei eſt viſibilis cœtus Deo ſerviens.

81 PROB. II. Eccleſia ea eſt viſibilis, quam ſignis viſibilibus patentem vaticinantur Prophetæ, ſed vera Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; ergo. Min. habetur Pſal. 18. v. 6. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*: explicat Aug. -- In manifeſtatione poſuit Eccleſiam „ ſuam -- *& Epiſt. 166. ad Donatiſt.* -- ipſa „ eſt Eccleſia in ſole poſita, id eſt in mani- „ feſtatione omnibus nota, uſque ad termi- „ nos terræ -- & ad verſiculum prævium *In omnem terram exivit ſonus eorum* -- in om- „ nibus gentibus, & linguis futurum Evange- „ lium, & corpus Chriſti per totum orbem „ terrarum linguis omnibus perſonaturum „ ſignificabat, ſecutus ait; in omnem ter- „ ram &c. Hinc fit, ut Eccleſia vera nemi- „ nem lateat -- Iſaiæ 2. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles; & fluent ad eum omnes gentes*; qui locus aperte eſt de Eccleſia Chriſti, quæ ideo deſcribitur ſupra montem poſita, quia omnibus manifeſtam ſe præbet. Chriſoſt. *Homil. in Iſaiam, & cap. 61. v. 9.* -- Et ſcient in gentibus ſemen eorum, „ & germen eorum in medio populorum, „ omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, „ quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Domi- „ nus. En Eccleſia Chriſti ſenſibiliter appa- „ rebit -- Ita Cyrillus.

Jeremiæ 30 *Ædificabitur civitas in excelſo ſuo, & Templum juxta ordinem ſuum fundabitur*. Quod propter publicitatem completum eſt in Eccleſia Chriſti, ut docet Hieronymus: cum ergo ſimilitudinibus ſenſibilibus, prædicatione, converſione gentium declaretur Eccleſia, ſenſibilis, & viſibilis eſſe debet. Sub eadem ſimilitudine expreſſit Chriſtus Eccleſiæ viſibilitatem Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi: non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Civitas eſt Eccleſia a Chriſto ædificata, quæ quia notis adeo claris manifeſtatur, ideo dicitur ſupra montem elevata, ut omnibus aperta ſit. Aug. *Pſal.* 47. -- Hæc eſt ci- „ vitas in monte poſita, quæ abſcondi non „ poteſt. Hæc eſt lucerna, quæ ſub modio „ non occultatur, omnibus nota, omnibus „ diffamata -- *Serm.* 108. *cap.* 5. -- Quare „ times o dilecta? Quid times? Ne forte „ fiam, inquis; ſicut operta, id eſt ſicut ob- „ ſcura, ſicut non Eccleſia, quia Eccleſia „ non eſt operta; non enim poteſt civitas ab- „ ſcondi &c. -- *Lib. de unitate Eccleſiæ c. 16.*, & alibi.

Quæ vero a ſectariis Falconio, & Gommaro dicuntur, videlicet, hæc de particularibus Eccleſiis intelligi, vel quod Eccleſia ſit manifeſta prope ſtantibus, id eſt doctoribus, non autem procul ſtantibus, videlicet ſimplicibus, infirma omnino ſunt. Quoties enim partes particulares totum componentes viſibiles ſunt, etiam totum ipſum eſt viſibile: ſicut quando omnia membra particularia ſunt carnea, totum corpus eſt carneum. Deinde falſum eſt prædictos textus eſſe reſtrictos ad Eccleſias particulares; ſunt enim univerſales de Eccleſia veteri, vel de Eccleſia nova Chriſti, ut patet. Porro non ſolum prope ſtantibus eſſe manifeſtam, ſed etiam longe ſtantibus contextus manifeſtat; ut videre eſt in ultimo textu ex Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*: univerſaliter dicit Chriſtus: ſuper candelabrum poſitam lucernam docet: *Ut luceat omnibus, qui in Domo ſunt* (Omnibus) & Paulus ad Philip. 2. *Inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo*. Alloquitur Doctores, qui alios inſtruunt, & per quos Eccleſiæ notitia ad ſimplices pervenit. Aug. *tract. 2. in primam Joan.* -- Quid tam manifeſtum, quam „ mons? Sed ſunt, & minus ignoti, quia „ in una parte terrarum poſiti ſunt. Quis „ veſtrum novit Olympum? Quomodo ibi „ qui habitant, Chiddabum noſtrum non „ noverunt? In partibus ſunt iſti montes; „ ille autem mons non ſic, quia implevit „ univerſam terram --

82 PROB. III. Eccleſia, cui ſunt deferendi contumaces, & quæ eſt audienda; non poteſt eſſe inviſibilis: ſed Chriſti Eccleſia eſt hujuſmodi, Matth. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Si non eſt viſibilis, quomodo auditur? Si qui ſpernunt Eccleſiam ſunt fugiendi; ergo cognoſci debet pertinacia in non audientibus. II. Eccleſia, in quam dari poteſt viſibilis perſecutio, eſt ſenſibilis, ſed Chriſti Eccleſia eſt hujuſmodi 1. Corinth. 15. v. 9. *Quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia* Act. 8. III. Eccleſia, quæ viſibiliter eligit viros, & mittit, ut ſua deferant præcepta fidelibus, eſt viſibilis: at Chriſti Eccleſia eſt hujuſmodi, Act. 15. *Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam*.

IV. Eccleſia, quæ dignoſci debet, ut in ea converſemur, & demus bonum exemplum exteris, neceſſario eſt ſenſibilis; ſciri enim neceſſe eſt, qualis ſit: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; 1. ad Timot. 3. *Ut ſcias, quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*; & c. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Hæc meditare: in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus*.

V. Eccleſia, quæ dirigitur a Paſtoribus viſibilibus, eſt viſibilis; monſtruoſum ſane eſt ponere Paſtorem viſibilem, & oves inviſibiles: Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos*

Spi-

Eccleſia habet viſibilia ſigna.

Non auditur niſi quod ſenſibile eſt.

Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Pro ovibus ex Chriſto Domino tenetur Paſtor dare vitam corporalem; at pro quibus dabit, ſi neſcit quales, & ubi ſint? Quomodo Ezechielis 34. conqueritur Dominus de paſtoribus, quod non cognoſcant gregem, ad paſcua non deducant, errantem non reducant, confractum non conſolident, infirmum non curent; ſi ovile eſt abſconditum?

VI. Eccleſia, in qua ſunt diverſi gradus diſtinguendi, ad miniſtrandam viſibili miniſterio doctrinam fidei viſibilibus perſonis, eſt viſibilis: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei &c. ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*.

VII. Eccleſia, in qua ſunt Præſules viſibiliter vigilantes, quibus eſt præſtanda obedientia, eſt viſibilis: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; ad Heb. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris; & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.

VIII. Eccleſia, quæ viſibilia congregat Concilia, ferique decreta circa res ſenſibiles, viſibilis eſt: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum &c.*

IX. Eccleſia, quæ convenit in loco publico ad commeſtionem viſibilem panis Euchariſtici, & ad orationem, viſibilis omnino eſt: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi: Act. 2. v. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus &c. 46. quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum*.

X. Eccleſia, quæ orat pro ſuo viſibili Capite in carcere ſenſibili detento, non poteſt non eſſe viſibilis: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi; Act. 12. *Petrus quidem ſervabatur in carcere; oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo*. Ergo eſt viſibilis. Si membra, quibus conſtat; ſi actiones, quæ exercentur; ſi munera, quæ diſtinguuntur, omnia ſunt ſenſibilia; qua ratione dicenda eſt Eccleſia Inviſibilis? Si accuſandus eſt frater peccans; ſi audiendi ſunt Prælati; ſi agnoſcendæ ſunt oves; *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera*. Proverb. 27. v. 23. quomodo Eccleſia eſt ſoli Deo cognita?

Poſſet ſimiliter ex ſcripturalibus ſimilitudinibus, quibus expreſſit Eccleſiam ſuam Chriſtus, viſibilitas demonſtrari ſub hac forma. Eccleſia per adverſarios, in qua eſt mixtura bonorum, & malorum, eſt Eccleſia externa, & viſibilis: at Eccleſia Chriſti, quæ una eſt, mixturam hanc habet, ſicut patet ex ſymbolo convivii; in quo ſunt boni, & mali, Sagenæ, Areæ, Agri, decem virginum, & ſimilium, quæ ſunt in Evangelio; ergo eſt viſibilis. Nec aliud dici poteſt: omnia externa peccata pravorum ſunt ſenſibilia, & omnia opera bona externa juſtorum, dicente Paulo prima ad Tim. 5. v. 24. *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium: quoſdam autem & ſubſequuntur. Similiter, & facta bona manifeſta ſunt*.

83 PROB. IV. Neceſſe eſt multitudinem catholicam liquido, & clare diſtingui ab Hæreticorum partibus: ſed hoc non eſt ullo modo poſſibile, niſi Eccleſia ponatur viſibilis; ergo. Prob. maj. Cantic. 1. Petit ſponſa ſcire, ubi Sponſus Chriſtus moretur, id eſt, quænam vera ſit ejus Eccleſia, ne ad Hæreticorum partes tranſeat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie; ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*: ubi Aug. *lib. de Paſtoribus cap.* 15. -- Tu ergo dic ubi cubas, ne forte incur„ ram in greges Hæreticorum -- Reſpondet ſponſus -- Si ignoras te o pulcherrima inter „ mulieres; egredere. & abi poſt veſtigia „ gregum, & paſce hœdos tuos, juxta taber„ nacula paſtorum -- Cujus redargutionis ſenſus eſt, quem ibidem tradit Aug. -- Allo„ quitur unumquodque membrorum Eccleſiæ „ ſuæ Chriſtus tanquam ſuam Eccleſiam, & „ dicit: Niſi cognoveris temetipſam Pulchra „ Inter mulieres, exi (*Exire vero proprium* „ *eſt Hæreticorum*) abi poſt veſtigia gregum „ tuorum, *ſequendo malos greges*: Et paſce „ hœdos tuos, jam non oves -- Idem clarius explicat *Epiſt.* 4. *&c. ad Vincentium* -- Cogno„ ſcit enim ſeipſam Eccleſia, ne hoc ei con„ tingat, ut abeat in devia Hæreticorum, quia „ eis contingit hoc, qui ſe in Eccleſia non „ cognoverunt -- id eſt quibus ignota eſt Eccleſia, quæ hoc ipſo, quod deſinit eſſe viſibilis, tranſit ad partes Hæreticorum: & ideo dicit -- Exi, non in veſtigiis meis, ſed in ve„ ſtigiis gregum; nec unius gregis, ſed di„ verſorum gregum, & errantium, & paſce „ hœdos tuos, non oves meas; & in taber„ naculis paſtorum, non in tabernaculo pa„ ſtoris, ubi eſt unus grex, & unus paſtor -- Quo nil pulchrius. Matth. 7. *Attendite a falſis Prophetis*. Tenemur ergo cavere ab Hæreticis. Act. 20. præcipit Paulus, ut Paſtores attendant ſibi, & gregi & inſtanter vigilent. *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*. Sunt ergo cavendi. Pariter D. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. admonet, quod *Erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis*. Et ideo cavendum. At quomodo cavebimus, ſi inviſibilis eſt vera Eccleſia? quomodo cognoſcemus lupos, ſi viſibilibus caremus notis? Diſcamus a Chriſto cavere falſos Prophetas. Matth. 7. v. 20. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Ex operibus, ex doctrinis exterioribus; ergo. Audiamus iterum: *Si quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, aut illic; nolite credere &c. Si ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt; nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere* Matth. 24. Et Joan. 10. docet fures eſſe, qui veniunt ad mactandum, & perdendum, & cognoſcuntur, quia non intrant per oſtium, id eſt, declinant viſibilitatem Eccleſiæ.

Catholici ab Hæreticis diſcriminandi.

cleſiæ, ut Aug. *contra Parm. lib.* 3. *cap.* 5. -- „ Nulla ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis „ Dei Eccleſia declarata, quæ ſuper montem „ conſtituta, abſcondi non poteſt; & ideo „ neceſſe eſt, ut omnibus terrarum partibus „ nota ſit -- Ad conſervandam unitatem contra Hæreſes Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. hanc regulam tradit pro dignoſcendis hæreticis -- „ Traditionem Apoſtolorum in toto Mundo „ manifeſtatam in Eccleſia adeſt perſpicere „ omnibus, qui vera velint videre -- Hinc clamat Michæas 4. *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos de viis ſuis.* Ab Eccleſia expetenda eſt veritas. Lumine Eccleſiæ dignoſcendi ſunt lupi; ideo manifeſta, & viſibilis.

84 PROB. V. Res, corpus, cos, quæ ſecundum omne genus cauſæ viſibiles exigunt notas, neceſſario viſibilia eſſe debent; ſed Eccleſia eſt hujuſmodi; ergo. Min. clare oſtenditur diſcurrendo per ſingulas cauſas. Cauſa materialis eſt multitudo fidelium, quæ unitur in cultum Dei: ſed nullum genus hominum colligatur in nomen verum, vel falſum Religionis, niſi colligetur ſub aliquo ſignaculo viſibili Sacramentorum, ut toties dictum eſt ex Auguſtino contra Fauſtum; ergo notam habet viſibilem. Viſibiles homines ſunt, qui colligantur: viſibilia ſunt Sacramenta, ſub quibus colligantur: viſibilis eſt panis Eucharisticus, quem comedunt: viſibile eſt Templum, in quo conveniunt: viſibile eſt verbum concionis, quod audiunt: viſibile eſt Sacrificium, quod celebrant: viſibile eſt jejunium, quo affliguntur; viſibilis eſt oratio, quam fundunt: & in quolibet ſtatu hæc viſibilia fuere, ut oblationes unionum, & fructuum Caini, Abelis, Noe, Abraham in lege naturæ: Victimæ, ablutiones, circumciſio ſub Moyſe: viſibilis ergo Eccleſia debet eſſe. Cauſa formalis eſt fides vera Chriſti, quæ dat eſſe Eccleſiæ; ſed hæc exigit neceſſario profeſſionem externam verbis, & factis; ergo exigit notam viſibilem. Min. prob. Tenentur enim fideles quicunque, etiam prædeſtinati fidem confiteri, ut idololatriam fugiant, dicente Domino Matth. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Neceſſe eſt, & ore, & corde profiteri fidem -- Officium a vobis exigit, & „ cordis, & linguæ -- ait Aug. *lib. de fide, & ſymbolo cap.* 1. Nec ſalvi fieri poſſumus, niſi ore confiteamur fidem, quam in corde geſtamus. Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: quia & cordis affectibus, & ſenſibilibus ſignis manifeſtat ſe fides. Clamabat Iſaias cap. 51. *Invenientur in ea gratiarum actio, & vox laudis.* Non enim ſolis interioribus piis motibus, ſed exterioribus oris in Dei gloriam exilit fides. Vidit hanc veritatem Calvinus *in refut. Holland.* dicens -- Mandatum nobis eſſe, ut fi„ dem noſtram teſtatam faciamus, non ſo„ lum coram bonis, & piis, verum etiam „ coram ipſis veræ, & puræ Religionis ho„ ſtibus -- Qua fronte ergo negari poterit viſibilitas? Cauſa finalis eſt juſtificatio, & ſalus: ſed hæc neceſſario petit media omnino viſibilia; ergo exigit notam viſibilitatis. Mandatum eſt unicuique ſe Eccleſiæ adjungere, ut æternam conſequatur ſalutem, quia extra veram Chriſti Eccleſiam non datur ſalus; qui enim extra Arcam fuerit, peribit regnante diluvio -- Si quis abſque Eccleſia inventus „ fuerit, alienus erit a numero filiorum -- Sic Aug. *lib.* 4. *de ſymb. ad Catechum. c.* 13. Conſentit Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 1. §. 4. -- Extra ejus gremium nulla eſt ſperanda „ peccatorum remiſſio, nulla ſalus &c. -- Si tenemur ſub præcepto æternæ damnationis Eccleſiam ingredi, & in ea perſeverare, inveniri debet, ſcire neceſſe eſt, ubi eſt, certificari oportet, quo ſit eundum: at ſi inviſibilis, ſi incognita, ſi ſoli Deo cognita; quid faciemus? Si prophetat Iſaias 60. v. 11. *Aperientur portæ tuæ jugiter; die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.* Si vaticinatur Daniel 7. *Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum, & omnes Populi, Tribus, & linguæ ipſi ſervient.* Si clamat Malachias cap. 1. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*: Si uno ore Prophetæ prædicunt futuram gentium converſionem, Eccleſia nequit eſſe in angulis abſcondita, oculis ſolius Divinitatis patens. Dicant quæſo: optat Paganus ſuam ſalutem: quærit ſuam juſtificationem Judæus: cupit errorem ſuum deponere Hæreticus: ad Eccleſiam vult venire; quid faciet? ubi quæret? quomodo remedium poſtulabit? quomodo ingredietur, ſi agnoſcere non valet? *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur &c.*; ergo *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, ad Rom. 10. Miſſio, prædicatio, auditus, omnia hæc ſenſibilia ſunt: viſibilis ergo Eccleſia. Argumentum eſt Auguſtini *lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 13., ubi -- Quo ergo ſigno „ manifeſto ego adhuc parvulus, & nondum „ valens diſcernere a tot erroribus veritatem, „ quo judicio manifeſto tenebo Eccleſiam „ Chriſti? -- Oſtenditque ideo Jeremiam prædixiſſe eminentem, & apparentem Eccleſiam, ut Catechumeni inſtruerentur ad eam quærendam, & inveniendam.

Cauſa efficiens principalis eſt Chriſtus: ſed hæc exigit proprietates omnino viſibiles; ergo. Corpus proportionari debet capiti: ſed Chriſtus cum eſſet inviſibilis in forma Dei, factus eſt viſibilis in forma hominis, cum Eccleſiam novam voluit condere: *Et manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, Apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria*, 1. ad Timoth. 3. v. 16. His paucis verbis declarat evidenter Paulus, Chriſtum manifeſtam inſtituiſſe Eccleſiam. Viſibili Baptiſmo ipſe baptizatus eſt, & ſuos baptizavit: viſibiliter Apoſtolos, & Diſcipulos elegit, & viſi-

Nota Eccleſiæ viſibilis.

viſibiliter Inſtruxit: viſibiliter erat docens turbas in Templo: viſibilibus miraculorum ſignis confirmavit doctrinam ſuam: ſui nominis invocatione viſibiliter ejiciebant Dæmonia Diſcipuli: viſibiliter interrogabant eum de veritate legis, & Diſcipuli, & ceteri, qui ſalvi fieri volebant: viſibiliter in monte, in navi, in plateis Evangelica dedit præcepta: coram viſibilibus viſibili ritu cœnam inſtituit: viſibiliter aſcendens in Cœlum dona dedit hominibus, promittens, qui ſuggereret omnem veritatem, Spiritum Sanctum, quem miſit viſibilibus ſymbolis. Si ergo adeo viſibilem condidit Eccleſiam, eique viſibiles conſtituit clavium miniſtros, qua fronte audent inviſibilem facere heterodoxi? Aug. argumentum eſt *Epiſt.* 48. -- Quomodo confidimus ex Divinis Li-„ teris (nos) accepiſſe Chriſtum manifeſtum? „ ſi non inde accepimus, & Eccleſiam ma-„ nifeſtam? -- Idem *Epiſt.* 166.

Cauſa efficiens inſtrumentalis, qua propagata eſt Eccleſia, eſt miniſterium Apoſtolatus: ſed hoc nonniſi viſibilem exigit operationem; ergo. Præcipit Chriſtus Apoſtolis. Act. 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Act. 9. Coram innumera hominum multitudine, voce ſenſibili evangelizavit Petrus Chriſtum: Act. 2. *Et appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia*, viſibili ſuſcepto Baptiſmo. Sanato claudo ad portam ſpecioſam ſenſibili invocatione nominis Jeſu, Concione habita coram populo per Petrum, & Joannem, credentium in illos *Factus eſt numerum virorum quinque millia*, Act. 4. Multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos fiebant in Jeruſalem, & mendax Ananias cum uxore, uno gladio a Petro occiditur Act. 5. *Et factus eſt timor magnus in univerſa Eccleſia*, Act. 6. Creſcente numero Diſcipulorum eliguntur viſibiles ſeptem Diaconi, qui præſideant viduis. Samariæ ad fidem converſi a Philippo baptizantur; deſcendunt Petrus, & Joannes, & Baptizatis manus imponunt, & Spiritum Sanctum recipiunt, Act. 8. Baptizato Eunucho: *Philippus autem inventus eſt in Azoto, & pertranſiens evangelizabat Civitatibus cunctis*, ibidem. Act. 9. Deſcendit in Ioppen Petrus Evangelizans: *Et crediderunt multi in Domino*. Act. 10. accedit Cornelius, & baptizatur, plurimo ſtipatus famulatu. Sed quid ultra immoramur? Univerſa Acta Apoſtolorum, in quibus proceſſus propagationis Eccleſiæ deſcribitur, non niſi viſibilibus functionibus plena ſunt. Idem oſtendi poſſet ex ortu, & proceſſu legis naturæ, & Moſaicæ; ſed non vacat in re clariſſima. Videatur caput 7. Actorum, quo nil melius. Argumentum eſt Hieronymi *in* 2. *Iſaiæ* -- Primum Eccleſia fundata eſt, to-„ tius Orbis Eccleſias germinans, ſecundum „ quod ſcriptum eſt, quia de Sion exibit lex, „ & Verbum Domini de Jeruſalem --

85 Ad hæc declinanda Heterodoxi diverſa adinvenerunt, ſed fruſtra. Diſtinguunt Lutherus, & Calvinus, primus *de ſervo arbitrio*, ſecundus *in præfatione inſtitutionum*, duplicem Eccleſiam, quarum una eſt tantum apud Deum, & coram eo, & hæc eſt inviſibilis; altera apud homines, & coram illis, & hæc eſt viſibilis.

Verum ſeipſam prodit diſtinctio. Hi qui pertinent ad Eccleſiam coram Deo, vel fidem habent, vel non: ſi non habent, jam non pertinent ad Eccleſiam Chriſti Militantem; ſi habent; ergo ab aliquo acceperunt; ergo per auditum; ergo illa Eccleſia eſt viſibilis. Quod de fide dicitur, dicatur de Sacramentis, de legibus, & aliis, quorum mentio eſt in Scriptura. Deinde Eccleſia, quæ fuit Chriſto vivente, & tempore Apoſtolorum, vera fuit Eccleſia, & certe coram Deo: ſed illa fuit viſibilis; ergo Eccleſia vera coram Deo non eſt inviſibilis. Ulterius, ideo Eccleſia coram Deo eſt inviſibilis, quia eſt cœtus prædeſtinatorum: ſed iſte eſt maxime viſibilis; ergo Eccleſia viſibilis eſt Eccleſia coram Deo. Min. probant, quæ diximus. Prædeſtinati in Scripturis hi ſunt, qui ſalvantur: ſed per Scripturam, ut quis ſalvetur, debet audire verbum Dei, baptizari, comedere cœnam, ore confiteri fidem, ſervare mandata, obedire præpoſitis &c.; ergo viſibilis eſt cœtus. Item, illa Eccleſia, extra quam non datur ſalus, vel eſt illa inviſibilis, vel viſibilis? Si dicatur viſibilis; ergo ſtatus ſalutis eſt ſtatus, qui talis non eſt coram Deo, ſi eſt illa inviſibilis, quomodo adimplebimus præceptum ingrediendi in illam, ſi ignoramus unde, & qualis ſit?

Similiter, vel Eccleſia viſibilis eſt a Domino inſtituta, vel non: Si non, quomodo ea, quæ de ipſa traduntur, ſunt in Scripturis recenſita, & præcepta? Si affirmetur, quomodo Eccleſia a Domino inſtituta non eſt Eccleſia coram Deo. Eccleſia, quam regere Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, Dei eſt, ſicut fert Scriptura: porro illa eſt viſibilis, ſi Paſtores ſunt viſibiles, & paſtura; ergo Eccleſia viſibilis eſt Eccleſia coram Deo. Uno verbo, hæc diſtinctio ponit duplicem Eccleſiam contra ſymbolum, quod unam proponit credendam: contra Chriſtum, qui unum ovile, & unum paſtorem inſtituit: contra veterem Eccleſiam, quæ objicientibus Donatiſtis duas, ſeu plures Eccleſias, reſpondit Auguſtinus *in breviculo collationum diei tertiæ cap.* 10. unam tantum dari: contra Calvinum *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 1. *num.* 2. affirmantem, ideo catholica dicitur, ſeu univerſalis, quaſi non duas, aut tres invenire liceat, quia diſcerpitur Chriſtus, quod fieri non poteſt -- „ Dividitur Chriſtus, ſi dividitur fides, ſi „ dividitur Baptiſma: ita ſi dividitur Ec-„ cleſia --

Quidam ex Calviniſtis, ut ab errore magiſtrum ſuum vindicent, contendunt ipſum non admiſiſſe duas Eccleſias, ſed in una diſtinxiſſe duplicem reſpectum, viſibilitatis -- „ quoad modum exiſtendi externum -- inviſibilitatis -- quoad eſſentiam internam -- Sic Ameſius *in Bellarmino enervato lib.* 2. *de Eccleſia cap.* 1., & alii.

Simiæ partes aſſumunt iſti, ſuffurantes modos loquendi Catholicos, ſententiam non Catholicam defendentes. Si volunt ſolum, quod fides ſecundum ſe, charitas, & dona gratiæ ſanctificantis ſint inviſibilia, locutio quoad ſob-

ſubſtantiam non erit falſa, ſed ſi voluit, ut revera ſentiunt, Eccleſiam non eſſe ſubſtantialiter, & eſſentialiter viſibilem, peſſime loquuntur. Nam fides eſt forma Eccleſiæ in ſubjectis per Baptiſmum intrantibus in eam, obligatis ad Sacramenta, ad fidem ore confitendam &c., ergo Eccleſia quoad modum eſſendi eſt eſſentialiter viſibilis, ſicut homo eſt eſſentialiter viſibilis, quia anima ſpiritualis eſt ejus forma, ut in corpore recepta. Explicetur dictum; vel ly Eccleſia quoad eſſentiam internam eſt totum diſtinctum a modo eſſendi, quod eſt eſſe viſibile, vel eſt pars viſibilis, ſi primum, jam relabitur in calumniam, quam a Calvino repellere intendit, duas ex æquo ponens Eccleſias, ſi ſecundum; ergo eſſentialiter Eccleſia eſt viſibilis; totum enim ex parte viſibili, & inviſibili eſt eſſentialiter viſibile, ut conſtat in Chriſto.

Inania Hæreticorum effugia.

Alii ſecuti Calvinum *lib.* 4. *cap.* 1. §. 2., *&* 3. ne contradicant Scripturis, aſſerunt Eccleſiam inviſibilem intra viſibilem. Verum novam fallaciam inducunt, ut inducebat Neſtorius, auferens a Chriſto unitatem Hypoſtaſis. Vel inviſibilis eſt in viſibili, ut totum diſtinctum, ſicut ſedes in cubiculo, vel ut pars componens in ſubjecto, vel ut inhærens, ſicut in fundamento, vel ut miſcibile in mixto? Si primo modo: jam admittitur revera duplex Eccleſia diſtincta, ſicut duos revera filios in Chriſto, & duas Perſonas illis terminis involvebat Neſtorius: ſi ſecundo: Eccleſia eſt una, ſed eſſentialiter viſibilis, ſicut homo eſſentialiter corporeus dicitur, quia componitur ex parte corporea, & incorporea: ſi tertio; ergo deficiente viſibili deficit Eccleſia inviſibilis, ſicut deficit accidens deficiente ſubjecto, & deficit domus deficiente fundamento: ſi quarto modo, quem re intendunt, ideſt, quia boni vivunt admixti malis, & Eccleſia inviſibilis eſt bonorum ſolum: jam in duas Eccleſias relabuntur; ſicut eſſentialiter eſt duplex Religio Judaiſmus, & Catholiciſmus, etiamſi mixti vivant Judæi cum Chriſtianis: ſolus convictus præciſe externus non facit unitatem.

86 Centuriatores ſecuti Lutherum *de ſervo arbitrio Centuria* 1. *cap.* 4. ut Romanam accuſent Eccleſiam, dicunt Eccleſiam viſibilem dari, ſed hanc eſſe falſam; inviſibilem vero eſſe veram. Sed hanc ductionem cordis frangunt, quæcumque attulimus; loquuntur enim Scripturæ de vera Eccleſia Chriſti, qui non eſt artifex ſtultus, & illuſor, viſibilem inſtituens Eccleſiam, & falſam faciens: tempore vero Chriſti, & Apoſtolorum, viſibilis fuit vera Eccleſia; & quomodo hæc viſibilitas eſt nota falſæ Eccleſiæ? Quomodo Scripturæ Apoſtolorum permanenter in ſua integritate, aſſignantes legitimæ Sponſæ Chriſti notas viſibiles, legendæ ſunt in ſenſu adverſo? Certum ſignum habet vera Eccleſia, dicebat D. Aug. *contra Donatiſtas*, quod abſcondi non poteſt: nota eſt ergo omnibus gentibus; pars autem Donati ignota eſt omnibus gentibus: non eſt ergo ipſa vera Chriſti Eccleſia.

Sed ex principiis Heterodoxorum apparet falſitas harum reſponſionum, & veritas catholica confirmatur I. Vera Chriſti Eccleſia illa eſt, ſine qua alius non eſt in vitam

A ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi nos ſuis alat uberibus, denique ſub cuſtodia, & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus Angelis: ſed hæc eſt Eccleſia viſibilis teſte Calvino *lib.* 4. *inſtit. cap.* 1. §. 4. -- „ Nunc de Eccleſia viſibili diſſerere propoſitum eſt. Diſcamus vel matris elogio, „ quam utilis ſit nobis ejus cognitio, immo „ neceſſaria, quomodo non alius eſt in vitam ingreſſus &c. -- ergo Eccleſia viſibilis illa eſt vera, & unica.

II. Eccleſia, quæ externâ ædificatur prædicatione, eſt viſibilis: ſed Eccleſia vera Chri-

B ſti, quæ eſt collectio Sanctorum, ædificatur externa prædicatione, teſte Calvino *loco cit.* §. 5. -- Nobis vero, quod ex Paulo citavimus „ tenendum eſt, Eccleſiam non aliter ædificari, quam externa prædicatione, nec aliter vinculo inter ſe retineri Sanctos, niſi „ dum uno conſenſu, docendo, & proficiendo, ordinem Eccleſiæ a Deo præſcriptum „ colunt -- Ibique oſtendit ſalutis doctrinam eſſe amplectendam, ore propoſitam ex mandato Dei -- Quia externis alligata mediis non „ eſt Dei virtus; nos tamen ordinario docendi modo alligavit -- Eccleſia ergo vera coram Deo viſibilis eſt.

C III. Eccleſia vera pro notis habet Verbi Divini prædicationem, & uſum Sacramentorum, teſte Calvin. *loco cit. num.* 10. -- Symbola Eccleſiæ dignoſcendæ, Verbi prædicationem, Sacramentorumque obſervationem „ poſuimus -- *Cap.* 2. §. 1. -- Quanti apud „ vos valere Verbi, & Sacramentorum miniſterium, & quouſque procedere ejus reverentia debeat, ut ſit nobis perpetua teſſera dignoſcendæ Eccleſiæ, explicatum eſt -- *In præfat.* §. *Dilemmata* -- Eccleſiam meliore „ nota contineri, nempe pura Dei prædicatione, & legitima Sacramentorum ſignificatione -- Idem docet confeſſio Auguſtana

D *art.* 7., & eſt doctrina communis Proteſtantium: ſed Eccleſia has notas habens eſt viſibilis, ut patet, teſtaturque Calvinus §. 9. *lib.* 4. *cit.* -- Hinc naſcitur nobis, & emergit „ conſpicua oculis noſtris Eccleſiæ facies; ubicumque enim Dei Verbum ſincere prædicari, atque audiri, ubi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam, nullo modo ambigendum eſt --.

IV. Eccleſia vera non poteſt carere Paſtoribus ex Calvino *lib.* 4. *cap.* 3. §. 1. -- Sequuntur Paſtores, & Doctores, quibus hic „ carere nunquam poteſt Eccleſia -- Idem Lu-

E therani, ut patet ex Melanctone *in reſponſ. Bavaricæ inquiſitionis*, *&* *ex centuria* 1. *lib.* 1. *cap.* 4., ubi obedientia ponitur nota Eccleſiæ; ſed habens hæc eſt Eccleſia omnino viſibilis, ut conſtat, & probat Calvinus *nu.* 1. *loco citato* -- Ideo hoc externo miniſterio uſum fuiſſe Chriſtum, quia viſibili præſentia inter nos non habitat, ut voluntatem „ nobis ſuam ore declaret, hominum miniſterio -- Debet ergo in Eccleſia dari tribunal explicativum ſenſibiliter Divinæ voluntatis, & emendativum vitiorum, quod repetit *ibidem num.* 8. -- Habuit igitur unaquæ-

„ que

„ que Eccleſia ſuum ſenatum conſcriptum ex
„ viris piis, gravibus, & ſenibus, penes quem
„ erat illa, de qua poſtea loquemur, juriſdi-
„ ctio in corrigendis vitiis -- *Idem cap.* 11. *num.* 6.

V. Eccleſia vera non ſtat ſine vocatione miniſtrorum : ſed Eccleſia, quæ habet vocationem miuiſtrorum, eſt viſibilis; ergo Eccleſia vera eſt viſibilis. Totus ſyllogiſmus habetur ex Calvino *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 3. *n.* 14.
-- At vero, ut ab hominibus deſignentur E-
„ piſcopi, ea ordine Divinæ vocationis eſſe
„ nemo ſobrius inficiabitur &c. Nullo igitur
„ illuſtriori documento ejuſmodi ordinem ap-
„ probare Deos potuit, quam dum Paulum
„ gentibus ſe deſtinaſſe præfatus, cum tamen
„ ab Eccleſia vult deſignari -- *num.* 15. --
„ Habemus ergo eſſe hanc ex Verbo Dei le-
„ gitimam miniſtri vocationem, ubi ea po-
„ puli conſenſu, & approbatione creantur,
„ qui viſi fuerint Idonei -- Nemo certe ſobrius capiet Eccleſiam fore inviſibilem, in qua Dei mandato miniſtri vocari debent ex populi conſenſu.

In hæc argumenta, & doctrinam de viſibilitate concurrunt reliqui Novatores. Sereniſs. Rex Angliæ Jacobus *lib.*, *cui titulus* : *Rationes ex Verbo Dei petita pag.* 21. viſibilem Eccleſiam, quæ publica auctoritate docetur in Anglia, definit -- Viſibilis Eccleſia eſt
„ cœtus fidelium, inter quos Verbum Dei
„ prædicatur, & Sacramenta adminiſtrantur --
Villectus *in Synopſi Papiſmi pag.* 54 -- Quo-
„ modo autem Verbum Dei prædicari, &
„ Sacramenta adminiſtrari, niſi in cœtu vi-
„ ſibili poſſunt? -- Hyperrius *in methodo Theologi a pag.* 552. probat hoc diſcurſu -- Profe-
„ cto, niſi hæc ſigna caſtarent, ac vera Ec-
„ cleſia ſenſibus deprehenderetur, qui ſcire
„ poſſet homo, cuinam cœtui, ſalutis conſe-
„ quendæ gratia, adhærendum ſibi foret --
Idem argumentum optime proſequitur Bartholomæus Kikermandus *Syſtem. Theolog.* ſcripturis oſtendens Eccleſiam conſpicuam eſſe debere, ut gentes, quæ adhuc extra Eccleſiam ſunt, ſcire poſſint, cuinam Eccleſiæ ſe aggregare debent.

Juellus *in replicis pag.* 5. -- Eccleſia ſupra Montem poſita eſt : perſecutio ejus abſcondi non poteſt -- Enoc Claphamus Anglus *in Antidoto ſchiſmatis pag.* 17. ſuos vocat imperitos, qui Eccleſiam faciunt inviſibilem. Humfredus *par.* 2. *Jeſuitiſmi ratione* 3. *pag.* 240. pluries repetit Eccleſiam eſſe viſibilem, & ſcripturis oſtendit, conqueriturque, quod Bellarminus operoſe inſudet ad oſtendendam viſibilitatem Eccleſiæ, cum ab ipſis non negetur. Omitto plures ex omni ſecta; meliorem enim habemus ſermonem Sanctorum Patrum.

Irenæus *lib.* 5. *cap.* 20. -- Et Eccleſiæ
„ quidem prædicatio vera, & firma, apud
„ quam una, & eadem ſalutis via, in uni-
„ verſo mundo oſtenditur; huic enim credi-
„ tum eſt lumen : & propter hoc ſapientia
„ Dei, per quam ſalvat omnes, in exitu ca-
„ nitur, in plateis autem fiducialiter agit --
Origenes *in Matth. Hom.* 30. -- In ſummis mu-
„ ris prædicatur; in portis autem Civitatis
„ conſtanter loquitur; aliqua enim Eccleſia
„ prædicat veritatem; & hæc eſt lucerna
„ Chriſti bajulans lumen -- Cyprianus *lib. de unit. Eccleſ.* -- Sic & Eccleſia Domini luce
„ perfuſa per orbem totum radios ſuos por-
„ rigit; unum tamen lumen eſt, quod ubi-
„ que diffunditur -- Optatus *lib.* 2. -- Certa
„ membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos,
„ Presbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam fidelium --

Chryſoſt. *de verbis Iſaiæ tom.* 1. *cap.* 2. probat veritatem iſtam ſcripturis -- Eccleſiæ
„ vero poteſtas ipſos pertingit Cœlos; & tan-
„ quam domus ſupra verticem montium po-
„ ſita omnibus ſe exhibet conſpicuam, uſque
„ adeo ipſa multo etiam amplius omnibus
„ inclaruit -- *Hom. de ſua expulſione tom.* 5.
-- Fulget enim Eccleſia ſuper ſplendorem
„ Solis, & perſecutores ejus perpetuis tene-
„ bris conteguntur -- Plura dedimus ex Aug., & dari poſſent, ſed dicta ſufficiant.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

87 OBJIC. I. Domus ſpiritualis non eſt viſibilis : ſed Eccleſia eſt domus ſpiritualis, 1. Petri 2. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum* -- ergo.

RESP. neg. min. Locus Petri apertus eſt. Exhortatur fideles, ut juſti ſint, obſervantes, quæ Lex Evangelica præcipit, deponentes omnem malitiam, & Chriſtum imitantes, tanquam lapides vivi, ideſt, fide ſolidi, & charitate vivificati ſuperædificent domos ſpirituales, ideſt, ſe Deo gratos efficiant; Templum enim Spiritus Sancti juſti ſunt. Domos ſuperædificant contra impetus carnalis concupiſcentiæ, contra ventum ſuperbiæ, contra flumina cupiditatis, & avaritiæ. (Sacerdotium ſanctum) ideſt, ut Sacerdotes Sancti ſint in templis conſcientiarum mundarum, Offerentes hoſtias ſpirituales in ara cordis, bonorum operum, orationum, & eleemoſynarum, Pſal. 49. *Immola Deo Sacrificium laudis*. (Acceptabiles Deo) quia Deo placent obſequia ex corde puro. Videatur D. Th. hic. Ceterum inde Eccleſia inviſibilis dici nequit, quia in eodem capite plurima ponit D. Petrus exercitia ſpiritualia externa, ut obedientiam a ſubditis Regi præſtandam, ſubjectionem ſervorum dominis, fraternam charitatem, patientiam in ſuſtinendis adverſariorum ictibus : uno verbo tale genus vivendi commendat, quod gentilibus ſit in exemplum.

Exercitium virtutum non tollit Eccleſiam eſſe viſibilem.

88 DICES. Eccleſia ita ſpiritualis, ut omnino in corde recludatur, non eſt viſibilis : ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi, Jer. 31. v. 33. *Dabo legem in viſceribus eorum, & in corde eorum, ſcribam eam*. Loqui enim de Eccleſia nova explicat Paulus ad Heb. 10. v. 16. *Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos, poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas &c.* Synagogæ ergo, quia viſibili, datæ ſunt leges in tabulis, Ec-

cleſiæ vero, quia inviſibili, in cordibus.

RESP. argumentum urgere adverſarios, nam in ſuis diſputationibus ubique nos provocant ad ſcripturam, & per ſcripturas volunt probatas Controverſias, de quibus eſt examen; ergo exterius exarata eſt Lex Evangelica; ergo Eccleſia viſibilis eſt, cum regulâ externâ dirigatur. Dicitur igitur ſcripta in cordibus, quia eſt lex gratiæ, & amoris, cujus cor ſedes eſt, ad diſtinctionem legis veteris, quæ erat timoris. Ceterum non excluduntur ſigna ſenſibilia inſtrumentalia Sacramentorum, quibus gratia producitur, nec caterna miniſteria, quibus charitas fovetur. Nec deſunt in Propheriis Jeremiæ argumenta viſibilitatis, ut Sacerdotale magiſterium, Paſtoris unitas, gentium ſenſibilis converſio, & alia.

Lex gratiæ ſcripta in cordibus.

89 INSTABIS. Ubi miniſterium non eſt in exteriori, ſed in interiori, ibi Eccleſia eſt inviſibilis: ſed in Lege Evangelica tale habetur 2. ad Corinth. 3. v. 6. *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu*; ergo Eccleſia Chriſti non eſt viſibilis.

RESP. neg. min. Cujus probatio cait a ſcopo veritatis. ibi Paulus oſtendit dignitatem magiſterii novi Teſtamenti ſupra magiſterium veteris Teſtamenti, quæ in duobus potiſſime conſiſtit, in gratiæ infuſione, per quam conſecratur miniſter, & in interiori juſtitia, quam in aliis cauſat. Lex vetus non faciebat perfectum; ideo non erat in ſpiritu, ſed in littera, hoc eſt in ſigno exteriori vacuo; nec miniſter gratiâ Sancti Spiritus diffuſa in cordibus conſecrabatur. Non hinc tamen Eccleſia efficitur inviſibilis, aut miniſterium pure internum; ſiquidem gratia conſecrationis conceditur ſenſibili ſigno, 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii*: Cujus munia ſunt, evangeliſare Verbum Dei, arguere, admonere, præcipere, judicare, ſicut in decurſu duplicis Epiſtolæ exponit Paulus. Gratia ſimiliter juſtificationis medio externo Sacramento confertur. Videatur S. Thom. *in 2. ad Corinth. cap. 3.*

Miniſterium Eccleſiæ externum.

90 URGEBIS. Quod non conſtituitur per ſigna externa, non eſt viſibile: ſed Eccleſia Chriſti ſigno caret externo, Lucæ 17. v. 21. *Non venit Regnum Dei cum obſervatione: neque dicent, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* Hic pro Regno Dei venit Eccleſia, obſervatio eſt ſignum externum; & facit ſenſum ex Euthimio, non venit cum proſpectu humano: ſed eſt intra cor, ſcilicet ſpirituale: unde Gloſſa habet -- „ Regnum meum non eſt corporale, quia „ jam fide incœpit --

RESP. neg. min. Cujus probatio abs re adducitur. Evangelii contextus ſenſum planum explicat: ibi enim pro Regno Dei intelligitur dies ultimus ſeculi: Judæis interrogantibus de adventu Domini, nondum credentibus præſentiam Meſſiæ, reſpondit abſque certa humana prævifione futurum, unde deſignari poſſit: *Ecce hic, aut ecce illic*; veniet enim ſicut fulgur; remque explicat exemplo Diluvii, quod venit edentibus, & bibentibus hominibus, ideſt, incogitantibus; & exemplo Gomorrhæ combuſtæ civibus pariter alio diſtractis. illud vero *Regnum Dei intra vos eſt*, etiam Calvino interprete, non applicatur Eccleſiæ, ſed conſcientiæ cujuslibet *lib. 2. inſtit. cap.* 15. §. 4. -- Eos in ſuas conſcien„ tias ingredi jubet, quia Regnum Dei eſt juſtitia, pax, & gaudium -- Non venit ergo Regnum Dei cum obſervatione, ideſt, dies judicii non manifeſtatur novis aſtrorum obſervatoribus, novis ritibus, & inſtitutionibus, ſed intra vos eſt, quia in vobis datur bonum, & malum, unde judicabimini. Sed verius ly *intra vos* ſignat præſentiam Meſſiæ, contrapoſitive ad ſecundum adventum ejuſdem die judicii; & ſenſus eſt: Regnum, Phariſæi, quod expectatis, ſeu filius hominis, veniet ſicut fulgur in fine ſeculi abſque obſervatione, modo explicato: haberis tamen eum nunc inter vos præſentem. Hæc eſt littera. Si quis tamen de Eccleſia hoc velit dictum, tantus probat Eccleſiæ viſibilitatem; nam ly *non venit cum obſervatione*, idem eſt ac non venire in occulto, ſed palam; qui venit latenter, venit cum obſervatione. Non eſt dicendum de illa *Ecce hic, ecce illic*, quaſi de ignoto aliquo; quia patens ubique eſt manifeſtis ſignis. *Intra vos eſt*; videtis enim prodigia, quæ filius hominis facit, Eccleſiæ caput, videtis Diſcipulos, qui eum ſequuntur, & opera eorum, & virtutes.

91 REPLICABIS. Ubi nullus ritus externus, ibi nulla Eccleſia viſibilis: ſed in Eccleſia Chriſti nullus ritus externus, Joan. 4. v. 23. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*: ubi habetur differentia Eccleſiæ a Synagoga, quæ in ceremoniis externis ambulabar; Eccleſia vero ſolo ſpiritu.

RESP. neg. min. Nec locus addoctus id evincit ex ipſomet Calvino, qui hunc interpretatur de paucitate ceremoniarum exteriorum. *Lib. 4. cap.* 10. §. 14. -- Hanc quo„ que diſſimilitudinem veteris, & novi po„ puli notavit Chriſtus ſuis verbis, cum di„ ceret mulieri Samaritanæ veniſſe tempus, „ quo veri coltores adorent Deum in ſpiritu, „ & veritate. Hoc profecto ſemper factum „ fuerat, ſed in hoc differunt novi cultores „ a veteribus, quod ſub Moyſe ſpiritualis Dei „ adoratio, multis ceremoniis adumbrata, „ & quodammodo implicita erat, quibus a„ bolitis, nunc ſimplicius adoratur. Proin„ de, qui hanc ſimilitudinem confundunt, „ ordinem evertunt a Chriſto inſtitutum, & „ ſancitum. Ergone, inquies, nil ceremo„ niarum rudibus dabitur ad juvandam eo„ rum imperitiam? Id ego non dico; omni„ no enim illis utile ſentio hoc genus admi„ niculi -- *Et lib. 3. cap.* 20. §. 21., *&* 23. docet, externas ceremonias canendi in Eccleſiis vetuſtiſſimas eſſe, & ab Apoſtolis exercitas. Ceterum falſa eſt aſſignata differentia; non enim viri ſancti ſolo externo Dei cultu ſub Moyſe adorabant, ſed interno Fidei, Spei, & Charitatis. Vera differentia litteralis eſt, quod ceremoniæ veteris legis non afferebant juſtitiam interiorem, ſed legalem, ad Heb. 9. *In juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis*. Noſtræ vero ſunt in ſpiritu, quia ſanctitatem producunt. Ceremoniæ veteris

Diſcrimen inter legem veterem, & novam.

legis

legis figuræ erant Heb. 10. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*: noſtræ vero ſunt figuratum conſummatio, ideo in veritate. Videatur D. Thom. *in 4. Joan.*

92 SUBSUMES. Quod nullo modo mundi ſenſibilia admittit, inviſibile eſt: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi, Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*.

Regnum Chriſti eſt in mundo, ſed non de mundo.

RESP. neg. min. Regnum Chriſti quidem non eſt de hoc mundo, eſt tamen in hoc mundo. Non eſt de hoc mundo, quia non eſt fundatum in temporalibus, ſed in ſpiritualibus: eſt tamen in hoc mundo, quia *attingit a fine uſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuaviter*: Omnes enim tribus, & linguæ ſerviunt ei, ut dicitur Danielis 7. Eſt in hoc mundo, quia ejus doctrina, Sacramenta, ritus, leges, judicia ab hominibus exercentur. Videatur D. Thom. in hunc locum.

93 CONCLUDES. Quod eſt viſibile, eſt tractabile: ſed Eccleſia Chriſti non eſt tractabilis, ad Heb. 12. v. 18. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem &c., ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis Jeruſalem Cæleſtem*: ubi expreſſa differentia ponitur a lege nova ad veterem, quod illa erat ſenſibiliter tractabilis; hæc vero cœleſtis, hoc eſt inviſibilis, & ſpiritualis.

RESP. neg. min. Nec Scripturæ illius legitimus eſt ſenſus. Differentia ibi poſita eſt, quam tradit Aug. nempe timor, & amor. Lex vetus timoris fuit; & ideo data fuit in monte fumigante, comitantibus turbine, caligine, procella, ſono tubæ, voce verborum, ſicut ibidem refert Paulus; & per hæc omnia deſignatur gravitas comminationis. In igne zelos obſervantiæ a Deo intentatus; in turbine pœnæ ſeveritas; in caligine velatio myſteriorum; in procella auſteritas legis, & ſuppliciorum. Sonus tubæ duritiem præceptorum ſignat, vox verborum multiplicitatem ceremoniarum. Eccleſia vero fundatur in amore; ideo Cœleſtis dicitur, & quia ad Beatitudinem conducit, bonaque ſupernaturalia promittit. Ceterum inde non excluduntur viſibilia media, & ritus.

Eccleſia in charitate fundata.

94 OBJIC. II. De fide eſt Eccleſiam eſſe: ſed fides eſt inviſibilis; ergo Eccleſia eſt inviſibilis -- Delendus igitur erit arti-
„ culus Symboli Apoſtolorum (credo Eccleſiam
„ Sanctam Catholicam), & reponendus, (vi-
„ deo, & ſentio Eccleſiam Sanctam Catholi-
„ cam) -- inquit Brentius contra Sotum.

Nova ſane dialectica. De fide eſt, Saulem aſinas habuiſſe, Abſalonem comâ ſuſpenſum, Chriſtum corpus humanum habuiſſe, flagris laceratum: ſed fides eſt inviſibilis; ergo aſinæ Saulis, comâ Abſalonis, Chriſti Corpus, flagella, vulnera inviſibilia fuere. Fides non mutat rerum naturam, ſicut ſcientia non mutat conditionem objectorum, quæ ſciuntur; cum ergo inter objecta credita ſint quædam inviſibilia, ut Deus, Angeli, Beatitudo, divina gratia, virtutes, & ſimilia, quædam corporea, & ſenſibilia, ut Chriſti humanitas, Prophetæ, Apoſtoli, vinum ex aqua factum, Lazarus conviva, & centena alia, ſequitur plura remanere viſibilia, dum fide creduntur. Diverſa res eſt, quæ creditur, videtur, aut cognoſcitur, & quæ creditur, & videtur. Oculis video, & tamen etiam non oculum video, quia video lapidem, canem, quæ oculus non ſunt.

Quædam viſibilia fide creduntur.

95 INSTABIS. Eccleſia non ſolum denominative, ſed intrinſece formatur per fidem: ſed fides eſt inviſibilis; ergo Eccleſia eſt inviſibilis.

Fallit hæc Dialectica. Homo formatur intrinſece per animam rationalem; ſed anima rationalis eſt inviſibilis, & incorporea; ergo homo eſt inviſibilis, & incorporeus. Non valet ergo ex parte ad totum arguere. Maj. non eſt vera abſolute, quia fides pura non eſt forma Eccleſiæ, ſed ut exterius profeſſa medio ſenſibili ſigno; & dato, quod ſola fides ſit forma, non ſequitur illatio, ut conſtat allato exemplo. Tota Eccleſia non eſt fides, ſed fides eſt Eccleſiæ forma, quæ componitur ex hominibus, Epiſcopis, Sacerdotibus, laicis, qui videntur, prædicant, corrigunt, conficiunt Sacramenta, & ſuſcipiunt, & alia viſibilia peragunt.

Fides eſt Eccleſiæ forma.

96 URGEBIS. Non ſolum fides eſt forma Eccleſiæ, ſed totum ipſum Eccleſiæ creditur: ſed quod fide creditur, non eſt viſibile; ergo totum Eccleſiæ non eſt viſibile.

Non urget inſtantia. Totus Chriſtus creditur, totum Euchariſtiæ ſimiliter; ſed quod fide creditur non eſt viſibile; ergo Chriſtus non erat viſibilis; ergo Euchariſtia non eſt viſibilis; & tamen Chriſti humanitas tangebatur, ſpecies panis conſecrati palpantur, franguntur. In re credita intervenit formale, & materiale, id eſt, res, quæ exiſtit, & veritas, quæ de illa affirmatur. Materiale in Baptiſmo eſt aqua, & forma, quæ auditur; formale, eſt virtus, qua elevatur, & gratiam producit: aqua non cadit ſub fide, ſed illa, ut elevata per virtutem mundativam: ita pariter in Eccleſia Corpus illud hominum Laicorum, & ſacrorum adminiſtrantium Sacramenta, & ſuſcipientium videtur, virtus, gratia, fides, quibus unitur, & perficitur, non videntur.

In re credita datur materiale, & formale.

97 REPLICABIS. Ipſa Eccleſiæ viſibilitas creditur; Eccleſiam enim eſſe viſibilem ſtatuimus fidei articulum; jubemur enim credere hanc viſibilem Eccleſiam eſſe Chriſto unitam, & veram.

RESP. Jubemur credere hoc individuum hominis eſſe Chriſtum, & tamen hoc individuum hominis eſt viſibile. Viſibilitas in complexo cadit ſub fide, id eſt, cœtus iſte hominum congregatorum ſub viſibilibus ſignaculis eſt Chriſto unitus, & ad invicem per fidem: quod cerno oculis, eſt ſubjectum unionis, & hoc ſubjectum, ut trahens unionem, eſt Eccleſia: quod cadit ſub oculis in Chriſto, eſt corpus hoc individuum; at hoc non eſt niſi ſubjectum, cui Divinitas unitur, nec eſt Chriſtus, nec fidei objectum, niſiquatenus importat illam unionem, quæ unio licet inviſibilis ſit, totum tamen, & abſolute viſibile dicitur.

Viſibilitas quomodo componitur cum fide.

98 SUBSUMES. Propter ſigna externa dicitur viſibilis Eccleſia; ergo propter dona interiora, quæ plura ſunt, & perfectiora dicenda eſt inviſibilis.

Negatur conſeq. Ea pari ratione ac ſi diceretur: Propter corpus homo dicitur materialis; ergo propter animam, quæ eſt perfectior, & nobilior pars, dicendus eſt ſpiritualis: Inviſibilitas importat negationem viſibilitatis; negatio porro, cum ſit malignantia naturæ, deſtruit univerſam viſibilitatis rationem, redditque propoſitionem falſam: viſibilitas autem eſt terminus poſitivus, non excluſivus, adeoque componitur cum perfectionibus inviſibilibus.

99 SUBDES. Eccleſia, quæ creditur, & reponitur in ſymbolo, eſt Eccleſia univerſalis: ſed univerſale eſt inviſibile; ergo Eccleſia eſt inviſibilis.

Argutia hæc Antonii Sadaelis nimis facile evaneſcit, ſummuliſtarum diſtinctiunculâ univerſalis abſtracti, & concreti, ſeu logici, & phyſici. Univerſale logicum, quod fit per operationem intellectus ſeparantis, ſeu abſtrahentis naturam a conditionibus individuantibus illud eſt inviſibile intra animum conſtitutum, univerſale phyſicum, quod eſt ipſum totum integrale ex individuis, eſt natura contracta in ſuis individuis, hoc viſibile eſt. Eccleſia igitur non eſt univerſale abſtractum, ſed concretum; eſt enim corpus reale, conſtans ſuis membris, & ordinibus. Altera inſtantia, quam facit, quod plures Eccleſiæ particulares longe diſtent ab oculis noſtris, ac per conſequens ſint inviſibiles; & ideo quoque univerſalis ſit inviſibilis: puerilis eſt. Aliud enim eſt Eccleſiam iſtam diſtare ab oculis noſtris; aliud eſſe inviſibilem: diſtat mons Æthnæ ab oculis Germanorum; ergo eſt inviſibilis? Inanis illatio. Viſibiles ſunt illæ Eccleſiæ, cum ſint cœtus hominum congregatorum ſub ſignaculis viſibilibus, & videntur actu ab iis, qui ad eas accurrunt.

Eccleſia eſt univerſalis, ſed contracta.

100 CONCLUDES. Ubi caput eſt Inviſibile, ibi corpus eſt inviſibile, ne admittamus monſtrum: ſed caput Eccleſiæ Chriſtus eſt inviſibilis; ergo. Item ubi hoſtes, contra quos militat Eccleſia, & arma, quibus militat, ſunt inviſibilia, ibi Eccleſia eſt inviſibilis: ita eſt in caſu; ergo.

RESP. neg. min. Chriſtus in ſe eſt abſolute viſibilis, per accidens a nobis actu non videtur, quia abſens eſt: viſibiliter tamen Eccleſiam dirigit præſens in ſuo Vicario, Petri ſucceſſore, ceteriſque Epiſcopis. Eadem numero eſt Eccleſia nunc, quæ fuit Chriſto vivente, tunc erat viſibilis, Chriſto viſibiliter dirigente per ſe, nunc dirigente per alium. Hoſtes Eccleſiæ non eſt ſolus Dæmon, ſed caro, & mundus. Deinde hoſtis inviſibilis impugnat regulariter mediis viſibilibus, quæ movent ſenſibilia. Arma plurima ſunt etiam viſibilia, quibus vincuntur, ut Sacramenta, macerationes: jejunia, pſalmodia, & ſimilia exercitia pietatis; non ergo ex militia colligitur inviſibilitas.

Chriſtus Eccleſiam regit.

101 OBJIC. III. Eliæ ævo Eccleſia ſoli Deo innoteſcebat; ergo pariter tempore Chriſti, cum dicatur parvulus grex. Argumentum eſt Calvini, quod gregales omnes proſequuntur. *Lib. 4. inſtit. cap. 1. §. 2.* Sciamus &c. -- Deumque mirabiliter Eccleſiam ſuam, quaſi „ in latebris ſervare; ſicut Eliæ dictum eſt: „ ſervavi mihi ſeptem millia virorum, qui „ non flexerunt genua coram Baal --

A Sane nimia lux veritatis excæcat Heterodoxos; nil enim opportunius, ut viſibilitas Eccleſiæ illuſtrius demonſtraretur. Ad cujus plenam intelligentiam ſciendum eſt, a ſciſſo Regno David, duo extitiſſe Regna populi Hebraici, Regnum Judæ, & Regnum Iſraelis. Regnum Judæ dirigebat Joſaphat vir pius; Iſraelis Achab impius. In Juda florebat integritas Religionis ſecundum præſcripta legis, in Iſraele vigebat idololatria; & in hoc Regno convivebant Elias, & Michæas, ſtudentes avertere populum a cultu vitulorum, & reſtituere legis obſervantiam. In Juda florentiſſimus erat Eccleſiæ ſtatus; Joſaphat enim

B ſincero affectu cultum veri Dei promovebat, ob quod commendatur 2. Paralip. 17., & 19., excelſa, ubi Idololatrica fiebant ſacrificia, evertebantur. Jeroſolymis præſidebat Amarias ſummus Sacerdos, ſtipatus plurimo Sacerdotum, & Levitarum choro, qui ex univerſo populo ad terram Judæ acceſſerant, derelictis propriis ſuburbanis. 2. Paral. 11. mittebantur viri præcipui, & Sacerdotes, & Levitæ per diverſas Civitates erectas adverſus incurſus Idololatrarum ab Aſa Rege, ut recta docerent populum. Bellatorum copioſiſſimum habebat Joſaphat exercitum in Jeruſalem, undecies centum, & ſexaginta millium: ſub

C duce Edna trecenta millia: ſub Johana ducenta octoginta millia: ſub Amaſia ducenta millia: ſub Eliada ducenta millia: ſub Jozabad centum octoginta millia. *Hi omnes erant ad manum Regis, exceptis aliis, quos poſuerat in urbibus muratis in univerſo Juda*: Ait Scriptura 2. Paralip. 17. v. 19. Si tanta erat armatorum multitudo, quanta erat non armatorum? non ergo in latebris ſervabatur Eccleſia; neque hoc ignorabat Elias; nec de Regno Judæ loquebatur, cum ait: *derelictus ſum ego ſolus*, ſed de Regno Iſraelis, in quo falſitas Religionis dominabatur. Neque in hoc ignorabat plures adeſſe, Deo vero ſer-

D vientes: noverat Michæam, noverat centum Prophetas, quos Abdias ei indicaverat. 3. Reg. 18. v. 13. noverat filios Prophetarum. Uſus ergo eſt Elias modo loquendi ad ſignificandum defectum ſecundum majorem partem. Dicebat Iſaias 64. *Non eſt qui invocet nomen tuum*; & tamen aderant Ezechias Rex, Oſeas, Michæas, aliique plures, qui Dominum invocabant. Dicebat David Pſal. 13. v. 3. *Non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*; & tamen ibidem agnoſcit generationem juſtam, cujus Dominus ſpes ejus eſt. Dicebat Paulus ad Philip. 2. v. 21. *Omnes enim, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt*

E *Jeſu Chriſti*. Et tamen Timotheus, Epaphroditus, Clemens, & alii, quorum nomina in libro vitæ ſcripta aſſerit, quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærebant. Ut autem propter univerſalem apoſtaſiam a cultu veri Dei conſolaretur Elias, revelavit Deus alia ſeptem millia adeſſe, quæ non curvaverant genu Baal.

Audiamus quid hac ſuper re ſentiat Cartwrightus Proteſtans poſtrema parte ſecundæ replicæ -- Hoc falſum eſt. Centum enim Pro- „ phetæ ab uno quodam conſervabantur -- 3. Reg. 18. 13. Immo ſatis apparet 3. Reg. 18. v. 5. Eliæ dixiſſe, *abſcondi de Prophetis Domini quinqua-*

quaginta viros in ſpelunca &c.-- quod ſi tot Pro-
„ phetæ in una Provincia relicti ſunt, quantum
„ reliquæ turbæ multitudinem ſuperfuiſſe exi-
„ ſtimabimus? -- Enoch Claphamus Proteſtans
Anglus *in Antidoto Schiſmatis pag.* 17. de ſuis ait
-- Reformatores noſtri imperiti dicunt Eccle-
„ ſiam tempore Eliæ invisibilem fuiſſe: qui-
„ bus ſic reſpondeo: Spiritus Sanctus teſta-
„ tur, hoc eum de Iſraele, non de Juda di-
„ xiſſe; ſciebat enim bonum illum Joſaphat
„ in Juda regnare; ibique Eccleſiam, non
„ modo viſibilem, ſed & ſumma pietate flo-
„ rentem extare -- Verum etſi daremus in
latebris ſervatam Eccleſiam Eliæ tempore,
quomodo ſequitur illatio tempore Chriſti?
An quia dicitur puſillus grex? Admittamus
puſillum, ideo ne inviſibilis? Nequaquam.

102 OBJIC. IV. Mulier parturiens Apocal. 12. ſignat Eccleſiam: ſed hæc a partu fugit in deſertum, ubi habet locum paratum, ideſt a principio declinans a perſecutione, latitat abſcondita in deſerto. Sic Fulco AngloCalviniſta; adeoque eſt inviſibilis.

Si vellemus ſtare interpretationi Bullingeri, Fulconis magiſtri *Ser.* 52. *pag.* 16. dicentis
„ Mulier illa fugiens in deſertum ſignificat
„ deceſſum Apoſtolorum a Judæa ad deſer-
„ tum Gentilium, inter quos Eccleſia ma-
„ gnopere dilatata eſt -- argumentum ruit.
Concedamus loqui de Eccleſia, tempore per-
Spiritualis Eccleſiæ receſſus. ſecutionis, negatur tamen fugam fuiſſe cor-
poralis abſentiæ, ſed fuit ſpiritualis receſſus,
quatenus intra ſeipſam clauſa, ſecreta doctri-
narum ſcrutatione convaleſcebat, & confor-
tabatur; & ideo addit Scriptura: *Ut ibi paſcat*,
doctrinis videlicet. Quomodo autem latebat,
ſi tot illuſtres Martyres ſanguinis effuſione te-
ſtes erant veritatis? ſi tot in dies ad Chri-
ſtum veniebant, ut quandoque abſtinuerint
tyranni ab occiſionibus, ne tot converteren-
tur ex Idololatris! videatur D. Thom. hic.

103 OBJIC. V. Quidquid eſt viſibile, vel eſt viſibile in ſe, vel in alio: ſed neutro modo Eccleſia eſt viſibilis, non in ſe, quia fides, charitas, quæ eſt forma, non eſt viſibilis, non in alio, quia nullum opus externum determinatum indicat fidem internam, cum a ficto peragi poſſit: neque Sacramenta; non enim novimus intentionem: non miracula; quia non agnoſcimus virtutem, quibus patrantur: non unio fidelium externa; quia hæc non ſufficit.

RESP. neg. min. cujus probatio fallit
arguendo a partibus. Eccleſia non eſt ſola
fides, nec ſola Sacramenta, ſed complectitur
ex utroque. Eccleſia eſt cœtus congregato-
Eccleſia ex fide, & Sacramentis. rum in Cultum Dei ſub quibuſdam certis ri-
tibus, & Sacramentis, connotata fide inte-
riori. Fides interna viſibilis eſt in effectibus,
in profeſſione, in propoſitione. Intentio ad
Sacramenta requiſita innoteſcit morali certi-
tudine, virtus miraculorum patrativa argui-
tive.

OBJIC. VI. Theſaurus in agro abſconditus non eſt viſibilis: ſed Eccleſia eſt hujuſmodi: *Simile eſt Regnum Cælorum Theſauro abſcondito in agro*, Matth. 13. Idem conſtat ex parabola margaritæ in montibus abſconditæ: eſt ergo Eccleſia inviſibilis.

Demus theſaurum, & margaritam ſigni-
ficare Eccleſiam; ad alia enim applicantur a
A Patribus: non inde ſequitur inviſibilitas, ſed
oppoſitum. Si theſaurus inventus eſt, & mar-
garita pariter, non ergo inviſibilia. Compa-
ratur theſauro, & margaritæ propter pretio-
ſitatem; in theſauro ſignificatur pluralitas di-
vitiarum, quæ in Eccleſia in ordine ad ſalu-
tem datur, Iſaiæ 33. *Divitiæ ſalutis ſapien-
tia, & ſcientia, timor Domini, ipſe eſt theſau-
rus ejus*: ideo tradenda ſunt omnia, ut ema-
tur: quia deſerenda ſunt temporalia, ut in-
grediamur Eccleſiam. Dicitur abſcondita,
quia emitur fide, quæ eſt obſcura, & in cor-
de, licet aperta ſit in effectu. Videatur hic
D. Thom.
B 104 DICES. Per Aug. *Ser.* 218. Ec-
cleſia ſignificatur in illa muliere, quam de-
ſcribit Salomon Proverb. 31., ſed illa eſt la-
titans: *Mulierem fortem quis inveniet*; ergo.

At quomodo inviſibilis, ſi filii ejus Beatiſſimam prædicaverunt? Si laudant eam in portis opera ejus? ſi aperuit os ſuum ſapientiæ, Evangelizando verbum Dei? Si dedit cibaria Ancillis ſuis, ideſt, paſcit cibo Sacramentorum populos? Locutio ergo illa uſurpatur, quia apta eſt ad exprimendam ſum-
mam excellentiam, & Eccleſiæ dignitatem, *Summa Eccleſiæ excellentia.*
ejuſque bona ſpiritualia, & præcipue, ut re-
duplicat ſupra primariam portionem, Eccle-
C ſiam videlicet Romanam, quæ ſupergreſſa eſt
univerſas Eccleſias particulares. Aug. tamen
falſatur a Marco Antonio, cujus eſt inſtantia;
agnoſcit enim ibi Aug. Eccleſiam eſſe civita-
tem ſupra montem poſitam. Locum vero Pro-
verbiorum, ſicut & alium de ove errante,
applicat Eccleſiæ antiquæ, ex qua multi aber-
raverant, & gentilitati, quam Chriſtus in-
venit inter vepres peccatorum, eamque pur-
gatam, & conſpicuam fecit -- Quis non videt
„ eam jam a Chriſto inventam, jam eminen-
„ tem, jam conſpicuam? -- Non immoror in re-
fellendo commento ejuſdem Spalatenſis, quod
neſcitur, ubi Eccleſia ſit, cum Romani, ſeu
D Occidentales dicant eſſe apud ipſos, Orien-
tales e contra aſſerant; nam verſipellis homo
ſuo diſcurſu ab univerſo Orbe Sponſam Chri-
ſti ejicit, nullius factus Religionis. Ex Scri-
pturis, & Patribus, veris notis Eccleſiæ in-
veſtigatis, patet, ubi ſit vera Eccleſia.

105 INSTABIS. Patres veteres Ec-
cleſiam ponunt latentem, unde Hieron. *in
Epiſt. ad Damaſum* refert totum orbem mira-
tum ſe Arrianum eſſe, & Hilarius *lib. contra
Auxentium* ait -- Male vos parietum amor cœ-
„ pit, male Eccleſiam Dei in tectis, & ædi-
„ ficiis veneramini: Montes mihi, & ſilvæ,
„ & lacus, & carceres, ac voragines ſunt tu-
E „ tiores -- Chryſoſt. *homil.* 10. *ad Epheſ.* --
„ Multa facta eſt; ac magnâ hujus mali ve-
„ hementiâ, omnia ſubverſa ſunt, & vaſtata:
„ honoris ſervi facti ſumus relicto Deo --
Aug. *lib.* 6. *contra Donatiſtas cap.* 3. -- Idem
„ Spiritus Sanctus ea (*peccata*) dimittit,
„ qui datus eſt omnibus Sanctis, ſibi chari-
„ tate cohærentibus, ſive ſe noverint corpo-
„ raliter, ſive non noverint -- En Eccleſia
occulta. Additur Procopius in ſecundum Iſaiæ,
ubi aſſerit Eccleſiam veteris legis non fuiſſe
montem manifeſtum.

RESP. argutias iſtas oſtendere Eccleſiæ
viſi-

viſibilitatem, tum quia, ut inviſibilem probent Heterodoxi, illam periiſſe dicunt: quando ergo extitit, & extat, viſibilis eſt: tum quia inducunt teſtimonium Patrum, & aperte pugnantium pro Eccleſiæ conſervatione, & aſſerentium publicas contra eam adverſariorum perſecutiones. Locutio Hieron. non eo tendit, ut aſſerat totam periiſſe Eccleſiam, ſed graviter in corpore paſſam, cum ſubdolæ formulæ Arrianorum, & vi, & fraude plores Epiſcopi ſubſcripſerunt. Ceterum aliqui ſtrenue pugnarunt uſque ad ſanguinem, refertque Athanaſius *ad Afros*, Hilarius *libello de Synodis*, Theodoretus *lib. 2. cap.* 23. Occidentales Synodo non ſubſcripſiſſe, de qua re ſuo loco diximus.

Hilarii dicto abuſus eſt Vincentius contra Aug. volens oſtendere Eccleſiam periiſſe, quod Aug. male uſurpatum aſſerit; mens enim Hilarii eſt, exponere procellam, quam patiebatur Eccleſia ex Arrianorum potentia, ob quam plures defecerunt. Ceterum ipſe Hilarius, & plures alii Paſtores egregie Sponſam Chriſti defendebant, ſcriptis, Conciliis, diſputationibus, concionibus &c., quare optime Aug. ibidem aſtruit, fideles comparatos in ſcriptura, ſtellis, & arenæ maris, quia deſignantur generoſi milites, & lumina ſemper lucentia, & infirmi, qui fluctibus quandoque obruuntur.

Chryſoſtomus deflet ibi Eccleſiæ calamitatem propter plurimorum depravatos mores, cum videretur quaſi incendio conſumpta. Ceterum quantum floreret Eccleſia in Occidente, & Oriente illis temporibus, nota res eſt. Poſtilla de Eccleſia occulta, addita margini Auguſtini, a Baſilienſibus Hæreticis exivit; locus enim ille ad rem non eſt. Certum eſt, quod aliqui ex ſola facie non cognoſcuntur Catholici, ut conſtat in Hollandia, Germania; & tamen Spiritus Sanctus in eis operatur. Procopius ſolum ponit differentiam, quod in veteri lege unicam Provinciam occupabat Synagoga, Eccleſia univerſum Orbem.

106 OBJIC. VII. Eccleſia, cujus exterior facies non apparet, eſt inviſibilis: ſed hujuſmodi eſt Sponſa Chriſti, Cant. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa*: Nigra, ſcilicet exterius, quia non viſibilis, cui conſonat illud Pſal. 44. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*.

RESP. eo loci probari Eccleſiæ viſibilitatem. Nigra enim dicitur Eccleſia propter perſecutiones, quas patitur, ideo ſubditur: *Sicut tabernacula Cedar*, quod interpretatur, filii tenebrarum, a quibus oriuntur perſecutiones; unde dicebat David Pſal. 119. *Habitavi cum habitantibus Cedar*: ideſt, converſatus ſum inter perſecutores, infidelitate nigros. Videatur D. Thom. hic. Gloria autem Eccleſiæ ab intus eſt, ſcilicet propter dona interiora fidei, gratiæ, & charitatis, ſicut omnis decor hominis a forma interiori promanat, nec inde tamen tollitur ſenſibilitas.

CONTROVERSIA VII.

AN ECCLESIA DEFICERE, ET ERRARE POSSIT.

106 VEri proprietas eſt infallibilitas, qua nec fallit, nec fallitur, quapropter, cum in præcedenti Controverſia oſtenderimus veritatem viſibilis cognoſcibilitatis Eccleſiæ, rectus ordo poſtulat, ut ejuſdem indefectibilitatem demonſtremus. Hæc duplex dicitur, paſſiva, & activa. Indefectibilitas activa, ea intelligitur, quæ reperitur in magiſterio doctrinæ, quo proponuntur fidelibus dogmata credenda, & controverſi articuli definitive explicantur: Paſſiva ea appellatur, quæ ſubjective reſidet in membris credentibus, quatenus omnia ſimul membra in credendo deficere nequeunt. Senſus ergo Controverſiæ eſt, an Eccleſia in omnibus ſuis membris deficere valeat a fide, & hæreſes admittere, hæreſi aſſentiendo, & an in ſuis definitionibus proponere poſſit aliquem errorem: ad cujus rectam intelligentiam, & Hæreticorum ineptiis legitimam explanationem

Notandum eſt I. Quod error eſſe poteſt circa res indifferentes, puta politicas, vel artificiales, & de hujuſmodi non procedit ſtatus difficultatis, & poteſt eſſe circa neceſſaria ad ſalutem, ſive in materia fidei, ſive morum, & hoc dupliciter, aut in quæſtionibus juris, ut an Epiſcopatus ſit ſuperior Sacerdotiu, aut in quæſtionibus facti pure humani, ut an hic Epiſcopus ſit rite electus. De Controverſiis ſecundi generis non procedit diſputatio, ſed de primis.

Notandum eſt II. Quod Eccleſia ſumitur dupliciter, entitative, & repræſentative: entitative ſunt ipſa membra per orbem terrarum diffuſa, repræſentative ſunt ipſimet Paſtores in Conciliis: Sicut unuſquiſque Paſtor ſuam Eccleſiam particularem repræſentat, ita omnes ſimul, vel rationabilis portio ad Œcumenicum Concilium evocata univerſalem repræſentat. De Eccleſia repræſentative egimus de Ordine, ubi de Conciliis, ubi oſtendimus gaudere privilegio infallibilitatis in dicendo; ipſi enim, vel Romano Pontifici convenit judicativa infallibilitas fidei. Hic ergo agimus de Eccleſia entitative accepta, licet ſimul, & ſemel tradantur argumenta, quibus infallibilitas ejuſdem in eſſe repræſentativo firmetur; nec aliter fieri poteſt, cum tota congregari nequeat pro decidendis Controverſiis.

Notandum eſt III. Eccleſias particulares poſſe ex toto deficere, & plures de facto defecerunt, ut Eccleſia Alexandrina, Byzantina, Genevenſis, & ſimiles; non negamus tamen, quin poſſit Deus ſpeciali privilegio indefectibilitatem illis concedere; immo alicui particulari fideli, & de facto Apoſtolis, ut perſonis particularibus dediſſe credendum eſt, ceteriſque, quos in gratia ab initio vitæ confirmavit. Quare de Eccleſia univerſali eſt ſermo.

107 Circa hoc mire fluctuant Novatores.

Digitized by Google

tores. Hi Eccleſiam indefectibilem, convicti ſcripturis, ore pieno admitrunt: ſed eam invifibilem volunt: viſibilem vero nedum defectibilem ponnnt, ſed es ioin defeciſſe, nec aiiunde moventur, niſi quia conceſſa infallibilitate Eecleſiæ, coguntur admittere Eccleſiam Romanam eſſe legitimam Chriſti Sponſam, ipſoſqoe in errore verſari. In aſſignando vero tempore defectionis multo magis diſſoni ſunt, atque in diverſa abeunt ſenſa; mutant enim opinionem, quoties ex comparatione Eccleſiæ veteris, & noſtræ palam demonitratur otriuſque conſonantia: communiter tamen conveniunt defeciſſe a V., vel VI. ſeculo. At nova non protuleruot, ne ea hoc etiam appareat antiquitus fuiſſe damnatos.

Apud D. Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 34. habetur Gentiles quoſdam evulgaſſe Eccleſiam Catholicam ultra trecentum ſeaginta quinque annos non duraturam, ac proinde defectibilem reponebant: hos ibidem ſuo more convincit Aug. ea iiſdem argumentis adverſariorum. Donatiſtæ apud eundem Aug. *Epiſt. ad Vincentium, & Boniſacium* dicebant Eccleſiam toro Orbe diffuſam periiſſe, & ſolum in patte Donati remanſiſſe. Hos ad unguem imitantur Proteſtantea, quatenus aſſerunt Eccleſiam ubique aberraſſe, quaſdam tantum ſuperfuiſſe reliquias, ea quibus ipſi progeniti ſont, & iiſdem argumentis Divi Aug. aperte convincuntur ſalſitatis. Euſebius *lib.* 5. *cap.* 27. refert Theodori Aſſeclas adſtruere ſinceram verbi prædicationem integram ſervatam uſque ad Victoris tempora, & ſub Zephirino Pontifice defeciſſe.

Paoperea vero de Lugduno, teſte Prateolo, aſſerebant defeciſſe ſoh Sylveſtro Papa. Petrus Joannis aſſerit Eccleſiam Catholicam ſecundum ſenſum carnalem prædicationis Evangelicæ perduraſſe uſque ad ſeculum Sancti Franciſci, ab eo tempore Eccleſiam in ſenſu proprio ſpirituali inchoatam; renovata eſt enim illo tempore Chriſti lex; ideo totus Crucifixus apparuit. Lutherus *in Comitiis Vvormatienſibus an.* 1622. dicebat — Eccle„ ſiam defeciſſe a temporibus Concilii Con„ ſtantienſis -- neſciens argumento ab eo deſumpto in diſputatione cum Catholicis habita reſpondere: *In lib. contra Papatum* docuit -- „ Poſt mille primum annos ab ortu Chriſti „ Eccleſiam defeciſſe — *In lib. de captivit. Babilonica, & lib. de ſupputatione mundi* affirmat — Mille annis erraſſe Eccleſiam, & ad ſum„ mum ſeacentos annos in veritate ſteriſſe -- *In colloquiis vero latinis tom.* 2. *cap. de Patribus*, ait — Tertuiliani, & Cypriani ætate de„ generavit Eccleſia; immo in ipſis Apoſto„ lis adhuc viventibus --

Melancton *in locis communibus loco* 12. *de Eccleſia*, primis ſeacentis annis floruiſſe Eccleſiam ſtatuit: ſed animadvertens aperte redargui uſu, & doctrina illorum ſeculorum *in Commentariis* 1. *ad Corinth.* 3. *cap.* ait — Sta„ tim initio Eccleſiæ Scriptores veteres ob„ ſcuraverunt doctrinam de juſtitia fidei, & „ auxerunt ceremonias -- Muſculus majori auſu protulit Apoſtolorum tempeſtate aberraſſe, diu in obſervatione legalium permanendo. Hoc idem de Apoſtolis dicunt Centuriatores *Centuria* 1., & 2. de II. ſeculo ajunt — Tamen, etſi hæc ætas Apoſtolis vicina fuit, „ tamen doctrina Chriſti, & Apoſtolorum „ non parum offuſcari cœpit, multæ enim „ doctrinæ monſtruoſæ ſunt — eæ videlicet, quæ eorum errorea damnant. Monaſterienſes Anabaptiſtæ apud Bullingerum docent -- Chri„ ſti, & Apoſtolorum temporibus Verbum „ Dei pore non fuiſſe traditum -- Alii ex Lutheranis ſimilia.

Audiamus Calvinum. Defectionem totalem nonniſi a quingentis annis admittit *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 13. -- Si quod nos movet ve„ teris Eccleſiæ authoritas, meminerimus „ quingentis circiter annis, quibus adhuc „ florebat Religio, & ſincerior doctrina vi„ gebat Chriſtiana -- Idem docuit *in cap.* 23. *Matth. verſu* 29.

Quo tempore Eccleſia deſeceris, per Hæreticos incertum.

Lib. 4. *cap.* 2. §. 2., & 3. tenet — Pu„ ram Religionem, ſinceramqoe doctrinam „ in omnibus Eccleſiis floruiſſe, & uſque ad „ tempora Divi Aug. nihil in eadem Apo„ ſtolica doctrina immutatum eſſe, ſed ab „ ipſis uſque Apoſtolis conſtanter, & una„ nimi conſenſu retentam -- & *cap.* 9. §. 8. — Sic priſcas illas Synodos, Nicænam, Con„ ſtantinopolitanam, Epheſinam, Chalcedo„ nenſem, & ſimiles, quæ confutandis erro„ ribus habitæ ſunt, libenter amplectimur, „ reveremurque ut ſacroſanctas, quantum „ attinet ad fidei dogmata; nihil enim con„ tinet, quam puram, & nativam Scripturæ „ interpretationem, quam Sancti Patres ſpi„ rituali prudentia ad frangendos Religionis „ hoſtes, qui tunc emerſerant, accommo„ darunt -- *Num.* 13. vocat SS. Patres Athanaſium, Baſilium, Cyrillum, alioſqoe illorum ſeculorum Patres, veræ doctrinæ vindices, quos tunc Dominus excitavit. *Cap.* 17. *n.* 49. ſtatuit Gregorium ultimum Romæ Epiſcopum, & ſub Boniſacio III. Eccleſiam defeciſſe. Idem Philip. Melancton *in Apolog. Confeſſ. Auguſtana, & lib. de Eccleſia*. Kemnitius *in examine Trid. cap. de Sanctorum cultu*. Pantaleon Lutheranus *in Conographia*. Falco *apud Stapletonium*.

Samuel Mareſius *ad cap.* 1. *Apocalypſis* tradit uſque ad Boniſacium III., quem primum Antichriſtum docet, perduraſſe puram Eccleſiam. Juellus Anglus Proteſtans *in Concione ad Pauli Crucem*, ad Patres ſex priorum ſeculorum provocat -- O Gregori, o Au„ guſtine, o Hieronyme, o Leo, o Dionyſi, „ o Anaclete, o Caliste, o Paule, o Chriſte „ ſi nos fallimur, vos nos decepiſtis: hoc nos „ vos docuiſtis -- Dicta refert Humfredus Proteſtans *in vita Juelli*, *edita* 1573., cujus dictum approbat Vitakerus *in reſponſ. ad rationes Martyris Campiani*, *ratione* 5. *fol.* 900. Sub jurejurando uſque ad ſextum ſeculum aſfirmat Willettus Juelli Diſcipulus *in Antilogia Eccleſia fol.* 263. integritatem perduraſſe.

Ceterum, cum premitur Calvinus veteris Eccleſiæ auctoritate, erroris inſimulat Patres, ut ſua tueatur deliramenta. Sic *in materia de lib. arb. tract. de ſcandalis* — Frigi„ dam, & deformatam Theologiam eos no„ bis tradidiſſe, -- ait *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 38. -- „ Parum me movent, quæ in veterum ſcri„ ptis de ſatisfactione paſſim occurrunt; vi„ deo enim eorum nonnullos (dicam ſimpli-

„ citer

„ citer omnes fere) quorum libri extant, aut „ in hac parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere, „ & dure locutos -- *Et cap.* 5. *n.* 10. *de Oratione pro Defunctis* agens, vetuſtiſſimam hanc, quam vocat, obſervationem, ante mille, & trecentos annos vult inductam abſque Dei Verbo, & exemplo, *cap.* 17. *n.* 39. docet ab initio Eccleſiæ erratum circa cœnæ adminiſtrationem: *n.* 43. circa Baptiſmi ceremonias: *in reſponſ. ad Sadoletum*: tunc proſtratum fuit Chriſti Regnum -- Cum erectus eſt „ Pontificis Romani Principatus -- Similia doeuit *in Comment. Actorum* 14., *& in tractatu Theologico*, ubi Albertum Pigium Eccleſiæ infallibilitatis defenſorem reprehendit.

Maldonatus *in Commen. novi Teſtam. in præf.* primos Patres erraſſe docet, & fœtidas quaſdam, ac inanes traditiones tradidiſſe. Beza *Epiſt. Theol.* 8. accuſat veteres, quod in ceremoniis inducendis Moſaica, Paganica immiſcuerint. Bernardinus Ochinus *in præfat. ſuorum Dialogorum* conqueritur a Papis everſam Eccleſiam, quam tanta ſapientia inſtituit Chriſtus.

David Georgius Hollandus, ut habetur *in ejus Hiſtoria edita an.* 1568. Apoſtolis, & Chriſto tribuit errores, & ſeipſum Meſſiam facit.

Folco *in reſponſ. ad Pſeudocatholicum pag.* 86. habet -- Tota Eccleſia Militans ex bonis „ conſtans, qui omnes mendaces ſunt, ſimul „ errare poteſt, ſicut & quælibet ejuſdem „ pars -- Omittamus alios. Qui plures cupit, & eorum verba, videat Stapletonium *lib.* 3. *Controver. fidei cap.* 4. Gravinam *tom.* 5. *part.* 2. *Controver.* 5. Ignatium Fiutul *in Schola veritatis parte* 1. *de perpetuitate Eccleſiæ fundamento* 4. Iſidorum Dalua *Opuſculo de Eccleſia cap. de perpetuitate, & defectione*, & alios. Cur autem univerſos Patres veteres, ubi ipſi Hæreticis non videntur concordare, errare dixerint, traditum eſt a Dudirio apud Bezam *Epiſt.* 1. *Theolog. fol.* 5. -- Si veritas eſt, quam „ veteres Patres mutuo conſenſu ſunt pro„ feſſi, ea pro Pontificiis tota ſtabit -- Cadunt a propria cauſa Hæretici, ubi Patrum doctrina admittitur, ubi infallibilitas aſſeritur. Hæc vox univerſorum fuit, cum damnarentur. Sic Paulus Samoſatenus, ſic Arriani *apud Nazianzenum*, ſic Neſtorius *Epiſt.* 161. *apud Lirinenſem lib.* 10. *contra prophanas voces*, ſic Lucifer *apud Hieronymum in lib. adverſus eundem, & ſequaces cap.* 1.

Quare univerſæ obtruncantur hæreſes, ſi hæc veritas ſubſiſtat. Ut oſtendamus aperte ſubſiſtere, regulam adoptemus, quam ipſi dant nobis, ſcilicet Scripturæ lumen. Calvinus *lib.* 4. *inſt. cap.* 8. *n.* 13. -- Quod illi negant er„ rare poſſe Eccleſiam, huc ſpectat, atque „ ita interpretantur; quando ſpiritu Dei gu„ bernatur, tuto incedere ſine verbo poſſe, „ quocumque pergat: non poſſe ſentire, aut „ loqui, niſi verum; proinde ſi quid extra, „ aut præter Dei verbum ſtatuerit, id haben„ dum eſſe non alio loco, quam certum Dei „ oraculum. Nos ſi demus illud primum, „ errare non poſſe Eccleſiam in rebus ad ſa„ lutem neceſſariis, hic ſenſus noſter eſt; „ ideo hoc eſſe quod abdicata omni ſua ſa„ pientia, a Spiritu Sancto doceri ſe per Ver„ bum Dei patitur -- Sic ceteri gregales: his poſitis

Dico. Eccleſia viſibilis non poteſt errare, nec paſſive, nec active.

107 PROB. I. Scripturis ex Davidico pſalterio collectis. Eccleſia, quæ uſque ad finem ſeculi eſt duratura, nec defecit, nec deficere poteſt: ſed Oraculis Davidicis Eccleſia promittitur in æternum duratura; ergo indefectibilis eſt. Min. oſtenditur. *Deus fundavit eam in æternum*. De ea loquitur, quæ eſt civitas magni Dei, fundata exultatione univerſæ terræ, in qua ſuſcipimus miſericordiam Dei: ſed hæc eſt viſibilis; Deus enim in domibus ejus cognoſcitur, Reges congregari in unum admirantur, videntes mirabilia ejus: in ea ſic vidimus, ſicut audivimus: in ea laus Altiſſimi uſque in fines terræ: exultant ejus filiæ propter judicia Domini: magnalia ejus in turribus narrantur, & a progenie in progeniem jubemur eam circumdare, & complecti; quæ omnia ſenſibilia ſunt argumenta, & de ea concluditur -- Quo„ niam hic eſt Deus, Deus noſter in æter„ num, & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos „ in ſecula -- Si ergo ſtat ſemper, nunquam deficit: ſi eam ſemper Deus regit; non ergo errat, dum docet: ubi Aug. -- Sed forte iſta „ civitas, quæ mundum tenuit, aliquando „ evertetur? Abſit: Deus fundavit eam in „ æternum: ſi ergo Deus fundavit eam in æ„ ternum, quid times, ne cadat firmamen„ tum? --

Eccleſia prædicitur in æternum duratura.

Pſal. 44. agitur expreſſe de nuptiis Chriſti cum Eccleſia. *Eructavit cor meum verbum bonum*: ubi Incarnatio Verbi deſcribitur: *Speciosus forma præ filiis hominum*. Deſcribitur Sponſæ Chriſti pulchritudo: *Aſtitit Regina a dextris tuis*: Sponſæ conditio exponitur; & quia viſibilis eſt; ideo eſt veſtita, nedum auro charitatis, *ſed circumdata varietate*, linguarum videlicet, & nationum. *Filiæ Tyri veniunt in muneribus*, deprecantes adorant *Divites plebis*. Chori Virginum adducuntur ad eam, eius filii nomen, & magnalia in generationem, Patribus ſuccedunt filii Principes *ſuper omnem terram*. *Quid eſt pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii tibi nati ſunt, conſtituti ſunt Epiſcopi; hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum*, ait ibi Aug., qui totum Pſal. explicat pro indefectibilitate Eccleſiæ, & de hac viſibili dicitur -- Propterea populi confitebuntur tibi in „ æternum, & in ſeculum ſeculi -- ideſt donec in Cœlis regnet cum Deo.

Pro Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi.

Sic Pſal. 88. exponit Calvinus ipſe *lib.* 4. *inſt. cap.* 1. *n.* 17., *&* 27., & litera eſt clara; agit enim ibi Pſalmus de promiſſionibus novi Teſtamenti factis David, ceteriſque Prophetis, agitque de Eccleſia ut viſibili; exultabunt enim Thabor, & Hermon in nomine Domini in ea, in lumine vultus ejus exultabunt tota die, & ambulabunt. Viſibilis eſt, ubi perſecutio viſibilis, ubi ſunt peccatores ſecundum principia Adverſariorum; talis autem eſt ibi deſcripta Eccleſia: ſed de ea dicitur verſ. 4., & ſeq. *Diſpoſui teſtamentum electis*

Digitized by Google

Ellis meis: juravi David ſervo meo: uſque in æternum præparabo ſemen tuum &c., & ponam ſeculum ſeculi ſemen ejus, & Thronum ejus ſicut dies Cœli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam &c. miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo &c. ſemen ejus in æternum manebit, & Thronus ejus, ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in Cœlo fidelis, quomodo ergo eſt defectibilis? quomodo ergo defecit?

Idem Argumentum producitur ex Pſal. 131., qui pariter loquitur de Eccleſia viſibili; congregatio enim Synagogæ viſibilis erat, ſicut & generatio Abrahæ, & David, quibus fiunt repromiſſiones. De hac ver. 13. habetur: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Item ex illis Pſal. 70. *Deus docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua, & uſque in ſenectam, & ſenium*. Vox Eccleſiæ hæc eſt, ait Aug., quæ a juventute uſque in ſenectam, & ſenium pronunciat &c., quia uſque in finem ſeculi erit hic Eccleſia confitens Chriſtum. Et alibi plura.

Eccleſia ſemper cum Domino.

108 PROB. II. Quod nuſquam eſt a Deo abjiciendum, nunquam deficiet: ſed Eccleſia nuſquam eſt abjicienda a Domino; ergo. Min. habetur Levit. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea &c.*, qui locus de Eccleſia Chriſti accipitur. Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*. Eccleſia utique viſibilis, tum in typo Synagogæ deſcripta, pro qua in Levitico viſibilia ſtatuuntur ſacrificia, tum in ſymbolo Apocalypſis deſcripto, ubi civitas de Cœlo deſcendens, Sponſo Chriſto conjuncta refertur, inter homines ex hominibus viſibilibus eſt conſtituta..

Regum 2. cap. 7. v. 13. *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam Thronum Regni ejus in ſempiternum*. Quod de Regno Chriſti ad litteram intelligitur Lucæ 1. *Et Regni ejus non erit finis*. Regnum utique viſibile, cum in eo peccatorum cadat capacitas, cum ſubdatur: *Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*; (quæ plagæ ſenſibiles ſunt) *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo*. Eccleſia vero, ubi peccatores adſunt, externa eſt, ſecundum Proteſtantium Canones.

Id promiſſum legitur Heli Sacerdoti ex familia Aaron: *Domus tua, & domus Patris tui tranſibunt coram me in æternum*: ut citat Auguſt. *de Civit. lib. 17. cap. 6.*, & ſecundum vulgatam. *Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab Altari meo* 1. Reg. 2. v. 33. Cujus Sacerdotii perpetuitas verificatur in Eccleſia Chriſti, cujus erat umbra; Aaronicum enim ſublatum eſt. Sic Aug. *de Civit. lib. 17. cap. 6.* -- Ac per hoc, quando „ ei æternitas promiſſa eſt, non ipſi umbræ, „ ac figuræ, ſed ei, quod per ipſum adum„ brabatur, figurabaturque, promiſſum eſt --

Chriſti Sacerdotiũ perpetuum.

Viſibile Sacerdotium fuit in umbra, viſibile in figurato, cum a Paulo in Epiſt. ad Heb. exhibeatur exercitum in carne paſſibili Chriſti patientis in Cruce, in Pane, & Vino cœnam celebrantis, Sacerdotaleque miniſterium toties proclametur, viſibilia munera exequens, & viſibili ritu collatum.

109 PROB. III. Præmittendo Calvini diſcurſum contra Michaelem Servetum aſſerentem Spiritu Sancto deſtitutam Eccleſiam -- Quod ſi Eccleſia a Spiritu Sancto deſtituta „ fuiſſet, mentitus foret, qui ſemper aliquem „ ſibi Populum in terra fore promiſit, quan„ do Sol, & Luna fulgebunt. Scimus, quid „ paſſim de æterno Chriſti Regno teſtentur „ Prophetæ -- Et oſtendens locutos de Eccleſia, quam in mundo peregrinantem ſovet, ſubdit -- Itaque vere, & prudenter Aug. Niſi „ Eccleſiæ ſuæ conjunctus ſit Chriſtus, non „ ſecum afferet, quod illi a Prophetis tribui„ tur -- ſed a Prophetis perpetuitas tribuitur Eccleſiæ viſibili; ergo hæc eſt indefectibilis. Min. oſtenditur Iſaiæ 33. v. 20. *Reſpice Sion Civitatem ſolemnitatis noſtræ: Oculi tui videbunt Jeruſalem habitationem opulentam; tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in ſempiternum*. Utique viſibilis Eccleſia, ſi ſub oculis cadere debet ipſa, & ejus opulentia. Porro clavi, qui non auferentur, eſt Sacerdotale magiſterium, Eccleſiaſtis cap. 12. v. 11. *Verba ſapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno*.

Sic Iſa. cap. 51. v. 6. *Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non deficiet*; quod repetitur v. 8. at per Calvinum præcedente Controverſia citatum, Eccleſia viſibilis eſt ſalutis atrium, & cuſtos; ergo Eccleſia viſibilis in ſempiternum ſtabit. Locus autem eſt expreſſus de lege nova. Iſaiæ item cap. 59. v. 20. *Et venerit Sion Redemptor &c. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus; ſpiritus meus, qui eſt in te & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodo uſque in ſempiternum*. De Eccleſia Chriſti loqui apertum eſt, de fœdere novo expreſſe traditur, & de hoc accipitur ad Rom. 11. v. 26. *Sicut ſcriptum eſt. Veniet ex Sion, qui eripiat & avertat impietatem a Jacob*. Sic a Calvino ipſo explicatur in hunc locum, his -- Promittit, inquam, propterea „ inæſtimabili bono Eccleſiam nunquam pri„ vatum iri, quin Spiritu Sancto regatur, „ & fulciatur Cœleſti Doctrina. Parum enim „ eſſet, nobis ſemel offerri Evangelium, nol„ que Spiritu donari, niſi apud nos perpe„ tuo reſideret &c. Promiſſio hujuſmodi eſt, „ Dominum ſic adſuturum Eccleſiæ, ſicque „ ejus curam habiturum, ut eam vera Do„ ctrina privari nunquam ſinat -- Et de viſibili neceſſe eſt loqui Calvinum; Evangelium enim, etiam apud ipſum, externa prædicatione traditur. Et de viſibili loquitur Propheta, cum & in corde, & in ore verba Cœleſtis ſapientiæ promittat daturum, & conſervaturum. Modus, quo proponitur perpetuitas, omnimodam permanentiam ſtatuit; dicit enim ibi Propheta: *De ore tuo, & de ore ſeminis tui &c. Non recedent amodo & uſque in ſempiternum*.

Eccleſia viſibilis eſt ſalutis cuſtos.

Ibid. cap. 61. v. 8. Iterum novi fœderis mentio fit. *Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.* Qui locus de Eccleſia explicatur a Chriſto Lucæ 4. v. 17. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me &c. Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura &c.* Sed locus eſt de Eccleſia viſibili, ſubditur enim: *Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Cap. 54. alloquitur Eccleſiam Chriſti. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces.* Eſſet vero confundenda, ſi defectura foret in fide. Verſ. 10. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur.* Ecce, etſi alia ſint paſſura commotionem aliquam; non tamen Eccleſiam ſuam Deus deſeret. Propter perſecutiones quandoque Paſtores timebunt, ſed fœdus immotum permanebit. Verſ. 11. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos.* Hic deſcribitur Eccleſia per Apoſtolos propagata; hi enim ſunt lapides diſperſi, quorum ſonus exivit in orbem terrarum. Jaſpis Chriſtus eſt, lapis angularis. Aſſumitur locus iſte in Apocalypſi, ubi deſcribitur Jeruſalem fundata in duodecim lapidibus pretioſis, qui ſunt Apoſtoli, & ponitur fundata in lapidibus propter ſtabilitatem. Verſ. 17. *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur, & omnem linguam reſiſtentem tibi in judicio judicabis,* ideſt, impetus Hæreticorum nil facient contra Eccleſiam; ſed ipſa ut tribunal in cauſa Religionis Hæreticos ut aberrantes damnabit; ex quo habemus indefectibilitatem tum paſſivam, tum activam. Loqui vero de viſibili patet, quia Iſaias ſemper his locis de eadem agit, quia in ea prædicatio Evangelica externe exercetur; demum quia judicium viſibile eſt.

Apoſtoli lapides per Orbem diſperſi.

Conſone ad Iſaiam loquuntur ceteri Prophetæ. Jerem. 1. *Ego quippe dedi te hodie in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram &c. Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt; quia ego tecum ſum, ait Dominus, ut liberem te.* Abſque dubio de Eccleſia novi Teſtamenti, cujus prædicatio diffuſa eſt ſuper omnem terram intelligitur. Declarat inſuper firmitatem utriuſque generis in credendo, illis formulis Ærei muri, columnæ ferreæ, Civitatis munitæ, & in docendo: Hæretici enim bellabunt adverſos Eccleſiam, ſed non prævalebunt: aſſignatur cauſa ſpecialis, videlicet, aſſiſtentia Dei. Aſſumitur locus iſte a novo Teſtamento, 1. ad Tim. 3. v. 15., ubi Eccleſia dicitur *columna*. Matth. 16., ubi: *Portæ inferi non prævalebunt*. Matth. ultimo, ubi Chriſtus promittit, ſe ſemper futurum cum Eccleſia, utique viſibili. De hac enim ibi mentio eſt.

In Eccleſia firmitas in credendo, & docendo.

Ezechielis 37. v. 26. *Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum: & erit tabernaculum meum in eis; & ero eis Deus; & ipſi erunt mihi populus; & ſcient gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſrael, cum fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Locus iſte ſecundum contextum agit de lege nova, & illi correſpondet explicatio Joan. 17., ubi pro Eccleſia Chriſtus orans dicit: *Sanctifica eos in veritate; ſermo tuus veritas eſt &c. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate &c. Et cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos &c.* Sed agit de Eccleſia viſibili; ſiquidem ex textu Prophetæ habetur, quod gentes cognoſcent eam ſanctificari a Domino; multiplicatio ipſa ſenſibilitatem declarat, & ex texto Evangelico eadem ratione habetur viſibilitas, & ex eo, quod rogat Chriſtus pro omnibus illis, qui credent Verbo prædicationis Apoſtolorum; ergo viſibili Eccleſiæ conceditur infallibilitas in eſſendo, & dicendo; ideo ſanctificata in veritate, ne falſa definiat.

Multiplicatio Eccleſiæ ſenſibilis.

Danielis 44. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſummet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Patet locum eſſe de Eccleſia, quod eſt Regnum Cœli, quod Regnum Idololatriæ conſumpſit, cum lapis abſciſſus eſt, ideſt, Verbum eſt Incarnatum, ut ab Interpretibus accipitur; & quidem Regnum hoc ſenſibile, cum gentilitas ſenſibiliter ſit converſa.

Eccleſia Regnum Cœli.

Michææ 4. v. 6. *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam, quam ejeceram, colligam* (ideſt gentilitatem) *& regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & uſque in æternum:* qui locus expreſſus eſt de Chriſti Eccleſia; & cap. ſeq. explicat nativitatem Chriſti in Bethlehem. Oſeæ 2. v. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide: & ſcies, quia ego Dominus.* Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia eſt indiſſolubilis, ſicut indiſſolubile eſt vinculum conjugale: ad Eph. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Unio Chriſti cum Eccleſia traditur, ut exemplar ſubjectionis ſponſæ ad ſponſum: *ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus:* Eſſet autem inutile exemplar, ſi Eccleſia eſſet defectibilis. Textum Oſeæ de Eccleſia viſibili loqui planum eſt; deſponſatio hæc in fide conſiſtit: *Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10.

Chriſtus Eccleſiæ ſponſus.

110 PROB. IV. Scripturis novi Teſtamenti, quibus præmitto dictum Calvini *lib. 4. inſtit. c. 8. n. 10.* -- Deinde univerſalis „ eſt ratio, quam hic reſpicere convenit, „ Deum idcirco adimere hominibus proferendi novi dogmatis facultatem, ut ſolus „ ipſe nobis ſit in ſpirituali doctrina magiſter, ut ſolus eſt verax, qui nec mentiri, „ nec fallere poteſt. Hæc ratio, non minus „ ad totam Eccleſiam, quam ad unumquemque fidelium pertinet -- Sentit ergo vera-

ecm

cem eſſe magiſtrum Chriſtum Dominum. Nunc ſic. Eccleſia mixta bonis, & malis, per heterodoxos eſt Eccleſia viſibilis: ſed hanc ſtatuit indefectibilem Dominus; ergo. Explicatur min. parabolis. Primo, ex Matth. 3. comparatur Eccleſia areæ, in qua eſt granum, & palea. Secundo, ex Matth. 13. Agro, in quo ſunt bonum ſemen, & zizania. Tertio, ex eodem cap Sagenæ, in qua ſunt boni, & mali piſces. Quarto, ex cap. 22. Convivio, in quo ſunt veſtiti nuptialibus veſtibus, & eis carentes. Quinto, ex cap. 25. Familiæ Regis, in qua ſunt Servi bene negotiantes, & male: Palea autem, zizania, mali piſces, carentes veſte nuptiali, ſervi torpentes, Virgines fatuæ, ſunt mali Chriſtiani; econtra, in ceteris exprimuntur boni: ſed hæc mixtio duratura perhibetur uſque ad diem judicii. Nam ex prima Parabola *Et permundabit aream ſuam; & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili*. Quod de judicio intelligitur. In ſecunda Parabola dicitur. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem &c. Meſſis vero conſummatio ſeculi eſt*. In tertia Parabola. *Sic erit in conſummatione ſeculi; exhibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis*. in quarta Parabola. *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. In quinta Parabola tandem. *Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium. Cum autem venerit filius hominis in Majeſtate &c.* Eccleſia ergo viſibilis indefectibilis prædicatur. His parabolam vineæ, in qua Operarii uſque in finem viſibiliter operantur, & remunerationem recipiunt ex Matth. 20. adde.

Chriſtus Eccleſiæ Magiſter.

II. Eccleſia, adverſus quam non prævalebunt portæ inferi, non eſt defectura: ſed Eccleſia Chriſti viſibilis eſt hujuſmodi, Matth 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Si vero poſſet deficere in ſentiendo, vel docendo, portæ inferi prævalerent, ideſt, perſecutores, & hæretici, qui ſunt miniſtri Diaboli. In hoc differt ſapiens Architectus, ex doctrina Chriſti Domini a ſtulto Matth. 7., quod ille *Ædificavit domum ſuam ſupra petram: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſupra petram*: econtra ſtultus ædificavit ſupra arenam, & cecidit domus veniente pluvia, flantibus ventis. Porro ſermonem eſſe de Eccleſia viſibili textus demonſtrat; de ea enim loquitur, in qua præter petram principalem datur petra Inſtrumentaria primaria, quod colligitur ex illo: *Tu es Petrus*, & ſecundariæ miniſteriales: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo Angulari lapide, Chriſto Jeſu*, Epheſ. 2. In eadem Eccleſia ſunt claves. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis &c.* Et Eccleſiam, in qua ſunt claves, alloqui poſſumus Matth. 18. *Dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit &c.* Non ergo errat Eccleſia in docendo, nec in credendo.

Adverſus Eccleſiam portæ inferi non prævalebunt.

Quod ſi dicat Calvinus præcipere Dominum, ut eam audiamus, quia noverat nullam extra Dei Verbum tradituram fore doctrinam.

Conſtituta ergo taliter eſt Eccleſia, ut nequeat docere extra Verbum Dei; ergo ut non poſſit errare explicando illud. Igitur falſum non docebit, ſi Verbo Dei contrarium tradere nequit, & cum traditiones Verbo Dei non opponantur, neque in illis errabit.

Eccleſia falſum docere nequit.

III. Eccleſia, cui Dominus ſpeciali providentia indeſinenter aſſiſtit, deficere nequit: at Eccleſia viſibilis eſt hujuſmodi, Matth. 28. v. 20. *Euntes ergo docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*. Dicit ergo: *Ecce ego vobiſcum ſum* prædicantibus; quæ particula explicat particularem protectionem in dilatatione Eccleſiæ: *omnibus diebus*; quia indeſinenter: *uſque ad conſummationem ſeculi*, ideſt, uſque ad diem judicii. Non ergo errare valet, nec credendo, nec falſa docendo: alias torpori, & oſcitantiæ Chriſti (quod nefas eſt) tribueretur contra promiſſa.

Chriſtus indeſinenter aſſiſtit Eccleſiæ.

Agnovit Calvinus vim argomenti *in præf. ad lib. inſtit. §. Dilemmata*, his -- Vivit ſane
„ Eccleſia Chriſti, & vivet, quamdio Chri-
„ ſtus regnabit ad dexteram Patris, præſta-
„ bit enim indubie, quod ſemel (Eccleſia)
„ recepit, ſe affuturum ſuis, uſque ad con-
„ ſummationem ſeculi --

Nec valet effugium inviſibilitatis; nam promiſſio facta eſt Eccleſiæ exterius docenti. Nec valet, quod in hunc locum habet Calvinus. Chriſtum auctoritatem ſibi in ſolidum retinentem -- Se doctrinæ vindicem ſuæ fore
„ teſtatus eſt, ut ſe ejus miniſtri victores
„ totius mundi fore confidant -- Nec aliud nos volumus, niſi quod Eccleſia ut miniſtra Chriſti non deficiat, nec ei primariam tribuimus poteſtatem: & ſi Chriſtus ſemper ut vindex adeſt doctrinæ ſuæ; ergo aſſiſtentia vindicativa in hunc finem collimat, ut illam cuſtodiat, ne deperdatur. Verum non illud ſonant illa verba, ſed veram protectionem, & directionem; & ideo *vobiſcum ſum*, ideſt, vobiſcum doceo &c.

Chriſtus vindex doctrinæ ſuæ.

IV. Eccleſia, in qua ſpiritus veritatis ſemper docet, non poteſt errare: at Eccleſia Chriſti viſibilis eſt hujuſmodi, Joan. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*. Ad quid Spiritus Sanctus manebit in Eccleſia in æternum? Audiamus cap. 16. v. 13. ejuſdem Joannis. *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Si Eccleſiam ſemper docebit veritatem, ſpiritus veritatis, quomodo errabit? in æternum, dixit, ideſt, pro toto hujus ſeculi ſpatio; & viſibili Eccleſiæ promiſſio fit Diſcipulis ſcilicet, & eorum ſucceſſoribus prædicantibus, ſervantibus mandata interiora, & exteriora, patientibus perſecutiones &c. Inanis hinc apparet duplex Calvini limitatio: prima, quod munus Spiritus Sancti ſolum ſit ſuggeritoris eorum, quæ Chriſtus tradidit; nam non ſolum dicitur *ſuggeret*, ſed etiam *docebit*: utrumque munus ponitur. Sed eſto, quod ſpiritus veritatis indeſinenter ſuggerat, quæ Chriſtus docuit; non enim novas accepimus

In Eccleſia quovis tempore ſpiritus veritatis.

revelationes, ſed antiquas eſplicat Eccleſia, Scriptotâ, vel traditione incluſas. Si ſuggeret, quæ Chtiſtus dixit, ne in his erret, contra doctrinam Chriſti non permittet docere. Secunda limitatio Calvini, qood ſolos fundameotales articuios docebit. At Chtiſtus habet *docebit vos omnem veritatem*: omnem utique ad fidem ſpectantem, & morum integritatem, & Matth. 23. *Quacunque dixerint vobis ſervate, & facite.*

V. Eccleſia in veritate confirmata oon poteſt a veritate deficere: at Chriſti Eccleſia viſibilis, eſt hujuſmodi, Joan. 17. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* Chriſtus ergo orat: *Sanctifica eos in veritate*, ideſt, firma eos in veritate, donando Sancti Spiritus dona, rectæ videlicet doctrinæ. *Sermo tuus veritas*; quia in eo nullum eſt mendacium. Dat autem rationem hujus privilegii, quia ſunt ipſius legati, ſicut ipſe eſt miſſus Patris, injurioſum Patri eſſet, ſi Chriſtus erraret; injorioſum pariter foret Chriſto, ſi erraret Eccleſia. Quod iterum confirmat: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*, ideſt, probo meipſum, teſtimunium perhibens veritati, & meipſum hoſtiam offero, ut ſanctitatem doctrinæ tribuas. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis; qui credituri ſunt per verbum eorum in me*: ubi exprimitur veritatis privilegium, conceſſum univerſali Eccleſiæ. Item Luc. 22. *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat fides tua*. Nec locum habet effugium, quod oratio ſit pro Eccleſia inviſibili: de ea enim loquitur, qoæ propagatur aeterna evangelizatione, in qua eſt filius perditionis, quæ mala patitur a mondo.

Eccleſia in veritate con firmata.

111 PROB. V. Non poteſt Chriſtus errare: ſed ſi erraret Eccleſia, erraret Chriſtus; nam Chriſto ut capiti gubernanda tradita eſt, ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus*; Epheſ. 5. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*; & tale caput, *ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Ad Eph. 4. v. 16. Quibus declaratur ſumma dependentia totius corporis Eccleſiæ a Chriſto capite in ſuo eſſe, & operari; & per conſequens defectuoſa argueretur gubernatio Chriſti, ſi Eccleſia ea toto erraret.

Caput Eccleſiæ Chriſtus.

Declaratur exemplo, qood aſſumit de muliere ſubdita viro, quem vult, ut ſemper diligat uxorem, ſicut ſeipſum, ſicut carnem, quam nemo odio habet; & ideo cetera deſerenda ſunt, ne uxori adhæreat, & concludit, quod eo modo diligat, *ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*. Sicut ergo injuria eſt viro mulier fornicaria, & econtra, ita injuria fieret Chriſto, ſi Eccleſia erraret, & Eccleſiæ, ſi eam Chriſtus desereret; nec vim haberet exemplum dilectionis Chriſti erga Eccleſiam pro firmanda continua, & perpetua dilectione viri erga uxorem, niſi ſupponeretur indefectibilis. Quare tenetor Chriſtus removere ab Eccleſia omnem errorem pertinentem ad fidem, & mores; maximum enim malum eſt,

falſa fide, etſi in minimo Deum coli; in fide enim, ſpe, & charitate conſiſtit Divina Religio. De viſibili his locis agi patet ex præceptis exterioribus, quæ obſervanda proponit Apoſtolus, & ex miniſterio externo, & ex Sacramento aquæ, quo abluitur Eccleſia, in qua in unum corpus baptizantur fideles.

II. Eccleſia, cui Deus providit ne trahatur in errorem, non eſt defectibilis: ſed Eccleſia Chriſti eſt hujuſmodi, ad Epheſ. 4. v. 11. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Ecce qoomodo ſtabilivit Chriſtus ordinem Hierarchicum, ut ſoliditas fidei conſiſtat, ut errores non irrepant, ut malitia impiorum non prævaleat, & non pro aliquo tempore, ſed uſque ad perfectam, & completam Evangelii prædicationem, uſque ad finem ſeculi; & utique viſibilis Eccleſia deſcribitur, ubi viſibiles gradus Hierarchiæ reponuntur: non ergo viſibilis Eccleſia deficere, vel errare valet.

Eccleſia in errorē trahi non poteſt.

III. Eccleſia, in qua indefectibiliter manet Sacerdotium, indefectibilis eſt; valet enim hæc illatio, ſicut valet illa Pauli ad Heb. 7. v. 12. *Tranſlato enim Sacerdotio neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*: Sed in Eccleſia Sacerdotium eſt indefectibile, ad Heb. 7. v. 17. *Conteſtatur enim, quoniam tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech &c.* verſ. 24. *Hic autem, eo quod manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*, ideſt, uſque ad finem ſeculi. Hoc argumento oſtendit Apoſtolus, legem novam indefectibilem eſſe, contrapoſitive ad veterem, quia conſummatio non erat facienda in Sacerdotio Aaronico; ideo fuit neceſſe ſurgere alium Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech æternum: quia lex erat infirma, nec poterat ſanare; ideo ſucceſſit Sacerdotium Chriſti perpetuum: Unde verſ. 25. *Et ſalvare in perpetuum poteſt, accedentes per ſemetipſum ad Deum &c. Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis*, verſ. 16. Perfectum eſt undequaque Sacerdotium Chriſti, legem perfectam aſſerendo, vim ſanctificativam includendo, & indefectibilitatem: eſt autem manifeſtum Sacerdotium Chriſti, quatenus ſemper ſunt in Eccleſia Sacerdotes, qui nomine ipſius, & virtute Eccleſiaſtica exercent munia. Quod vero Sacerdotium Chriſti viſibile ſit, ex ſe patet, ac per conſequens in Eccleſia viſibili perſeverat.

In Eccleſia indefectibile Sacerdotium.

IV. Eccleſia, in qua Chriſtus regnare debet uſque ad diem judicii, ab initio inſtitutionis proficiendo, eſt indefectibilis: ſed hujuſmodi eſt Eccleſia viſibilis, 1. ad Corinth. 15. v. 23., ubi explicatur myſterium Reſurrectionis. *Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt, deinde finis*

Chriſtus uſque ad judicii diem regnabit.

cum

cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors. Cujus litteralis, & planus ſenſus eſt: ordo reſurrectionis a mortuis talis eſt. Primus omnium reſurrexit Chriſtus, deinde, qui in eum crediderunt ab initio, & ultra; inde finis, ſeu ultima dies, & tunc erit, cum tradiderit Patri Regnum, ideſt, fideles omnes coram Patre adduxerit, viceritque omnem poteſtatem. Interim ſemper regnat, donec vincat omnes inimicos. Poſtmodum mors deſtruitur, quia a die judicii non erit ultra: ſed inimici ſunt perſecutores Hæretici, & ultimus erit Antichriſtus; ergo tamdiu regnat Chriſtus, quamdiu iſti pugnant: cum ergo perſeveranter ſint inimici, perſeveranter regnat Chriſtus; ſed ſi Eccleſia tota deficeret, non regnaret Chriſtus, nec vinceret omnes inimicos, ſed vinceretur; ergo.

V. Eccleſia, quæ a Domino eſt conſtituta, ut fundamentum ſit veritatis, non poteſt errare, falſa dogmata tradendo, ac proinde neque in ſentiendo: at Eccleſia Chriſti viſibilis eſt hujuſmodi; 1. Timoth. 3. v. 15. *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis*: Vel, ut alia littera legit, *fundamentum*. Proprium munus columnæ eſt ſuſtentare: veritas ergo Eccleſiæ innititur, & ſuſtentatur, & firmatur: quomodo ergo errare poteſt? Quomodo deficere? In quolibet genere doctrinæ prima principia, quibus innititur, immobilia ſunt, & ſtabilia: cum ergo Eccleſia ſit primum fundamentum poſt Chriſtum, cui innititur veritas, immobilis eſſe debet. Per eam loquitur Deus, ſicut olim Hebræis loquebatur in columna nubis. Eccleſiam viſibilem eſſe illam veritatis columnam, de qua Paulus diſſerit, evidens eſt: de ea loquitur, in cujus parte aliqua Timotheus eſt Paſtor viſibilis, cujus vita viſibilis præcipitur, ut ſit manifeſte in exemplum omnium, cujus munus eſt, arguere, hortari, judicare &c. alia plura ſigna ſenſibilia in illis Epiſtolis leguntur.

Eccleſia eſt fundamentũ veritatis.

Calvinus *in comment. ad hunc locum* ait columnam dici Eccleſiam -- Quia ſuo mini-
„ ſterio eam tuetur, & propagat -- Non autem, quod judicium habeat infallibile. Verum locus Pauli revera altior eſt, amplior eſt, nec ſimplicem ſonat probationem, nec ſimplicem cuſtodiam Verbi ſcripti. Sed hoc demus Calvino, & ſic arguamus. Vel Eccleſia ſuo magiſterio propagat infallibiliter ex Divina Inſtitutione Verbum Dei, vel fallibiliter, ſi fallibiliter; ergo non eſt columna, & firmamentum veritatis; ergo non eſt verum, quod ipſe ſubdit -- Quia doctrinæ ad-
„ miniſtrandæ munus, quod Deus penes eam
„ depoſuit, unicum eſt inſtrumentum veri-
„ tatis, ne ea hominum memoria pereat --
Si infallibiliter; cum in miniſterio propagationis occurrant dubia, & controverſiæ, quas perverſi inducunt, oportet, quod in illis enodandis medium habeat certum, ne a vero deflectat. Si cuſtos eſt veritatis, & ob hoc dicitur columna: quando ergo exurgent Hæretici pravas movendo quæſtiones contra Verbum Dei ſcriptum, neceſſe eſt, quod habeat Spiritum rectæ intelligentiæ; adeoque in judicando indefectibilis erit. Verbum ipſum ſcriptum Eccleſiæ innititur; non enim aliunde novit Calvinus *in cap. 19. Joan.* Evangelium eſſe Verbum Dei ſcriptum, niſi quia Eccleſia dicit: Si ergo a Spiritu Sancto regitur per ipſum, eſt audienda, ubi ſecundum Verbum ſcriptum docet; ſed in omni veritate Dei, quam dicit, verax eſt; ergo audienda in omnibus. Hinc *ego confirmavi Columnas ejus* dicit Dominus Pſal. 74. v. 4.

Gummarus Miniſter Leydenſis dicit, eo modo Eccleſiam eſſe columnam, quo ſit ſuperædificatio: hæc gradus habet; quidam ſincere ſuperædificant, retento fundamento; quidam ſtipulas admiſcent: ita dicitur columna, quoad aliquos ſimpliciter, quoad alios ſecundum quid: quo involucro verborum vult ſtatuere Eccleſiam eſſe columnam quoad articulos fundamentales. Deinde reſpondet Paulum loqui de Eccleſia Epheſina.

Sed deficit ſcrutatio, vel enim loquitur de toto corpore Eccleſiæ: & nullum hoc modo poteſt in fide errorem admittere; æque enim verax eſt in uno, ac in alio. Veritatis columna dicitur; ex vero autem falſum non oritur, nec falſum in vero fundatur, nec in falſo veritas: falſitas ergo in auctoritate Eccleſiæ non fundatur. Dicat ergo, vel iſtæ ſtipulæ, videlicet errores, ſuſtentantur ab Eccleſia, tanquam veritates pronunciatæ, vel tanquam falſitates declaratæ; ſi primum, ergo Eccleſia non eſt fundamentum veritatis; duo enim privative oppoſita non fundantur in eodem; ſi ſecundum; ergo errorem non admittit. Vel loquitur de membro aliquo Eccleſiæ; & tunc, vel illæ ſtipulæ ſunt in materia fidei, vel non; ſi primum, amittit totum fundamentum; nam fides non eſt in aliquo articulo verax, in altero errans; ſi ſecundum, non curamus; ad controverſiam enim non ſpectat.

Secunda reſponſio non urget. Locutio abſoluta ſtat pro Eccleſia ſimpliciter, & univerſali, in cujus una portione Timoth. erat Epiſcopus, & doctrina, quam Paulus tradit de Epiſcopatu, eſt ad gradum ſecundum ſe, & pro quelibet Eccleſia. Deinde ſi Epheſina Eccleſia eſt columna veritatis, quæ eſt Sponſa inadæquata Chriſti, quanto magis Eccleſia univerſalis, quæ eſt Sponſa adæquata?

112 PROB. VI. Regula, qua vita inſtituitur in bonis moribus, perpetua eſſe debet ex Calvino *lib. 1. cap. 7. num. 12.* aſſerente, ideo ſcripturam eſſe perpetuam, quia eſt norma vitæ traducendæ, & Baruch. 4. dicitur: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum*: Sed ſcriptura eſt viſibilis, & viſibiliter propoſita iis, qui vitam ſuam juxta eandem inſtituunt; ergo Eccleſia viſibilis eſt etiam perpetua: ſeu potius ſic dicamus, ſed quæ ſit Canonica ſcriptura, ab auctoritate Eccleſiæ pendet; ergo ſi ſcriptura eſt perpetua, pariter Eccleſia eſſe debet perpetua; ergo ſi auctoritati ſcripturæ credo, etiam auctoritati Eccleſiæ credere debeo. Sic infert Aug. *ad Januarium Epiſcopum 118. cap. 5.*

II. Pro quolibet ſtatu, & tempore poſſibilis

bilis eſt ſalus: ſed ſalus non datur niſi in Eccleſia; ergo pro quocunque tempore dari debet Eccleſia; ergo nunquam defecit, alias pro illo tunc defeciſſet ſtatus ſalutis, & poſſibilitas: ſed Eccleſia viſibilis eſt ſtatus ſalutis; ut enim in eam ingrediamur, noſci debet, & aliàs in Eccleſia inviſibili, etiam prædeſtinati, neceſſe eſt ut pareant, nam ſalus non obtinetur, niſi obſerventur, quæ ſcriptura præcipit, ut fidei confeſſionem externam faciant, ut Baptiſmum ſuſcipiant, & alia; ſi autem hæc exerceantur, jam eſt viſibilis. Sic Aug. *Pſal.* 57.

III. Si Eccleſia periit, & ex toto defecit, non eſt aſſignabile, unde, & quomodo orti ſint Novatores noſtri; ex defuncta Matre nemo oritur; ſi enim filii Eccleſiæ ſunt, ex viſceribus, & in viſceribus ejus nati ſunt: ſi in viſceribus Matris non ſunt concepti; ergo erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa: vel naſcendo Matrem interfecerunt, jam ergo non antea defecerat; ergo ipſi lucem veritatis extinxerunt. Videatur excellens diſcurſus Aug. *Pſal* 57. *ex eodem* 2. *contra Donatiſtas cap.* 6. — Urgeamus, *inquit*, Si ex „ communione malorum pereunt juſti: jam „ Eccleſia temporibus Cypriani perierat: unde „ igitur exiſtit origo Donati? Ubi catechi„ zatus eſt? Ubi baptizatus? Ubi ordinatus? „ quando jam Eccleſiam contagio commu„ nionis extinxerat -- Idem dicatur de ſectariis noſtris: vel enim baptizati ſunt, & jam ab Eccleſia perducti ſunt ad fontem, & Matrem eam agnoſcere debent, & ad eam redire, ut educentur; vel non ſunt baptizati, & quomodo membra ſunt Chriſti?

Non eſt aſſignabile, ut de Novatores ſint exorti.

113 Dicunt cum Calvino *lib.* 4. *cap.* 2. §. 12. ex reliquiis diſperſis ſub Papatu natos eſſe -- In ſumma Eccleſias eſſe, quatenus po„ puli ſui reliquias, utcunque miſere diſper„ ſas, ac disjectas, illic mirabiliter Domi„ nus conſervat, quatenus remanent aliquot „ Eccleſiæ ſymbola, atque ea præſertim, quo„ rum efficaciam, nec Diaboli aſtutia, nec „ humana pravitas deſtruere poteſt --

Miſerorum effugium ſunt iſtæ reliquiæ. Petimus, quid ſint hujuſmodi reliquiæ, & cujus ſint? Vel enim ſunt portio aliqua populi Dei, vel non: ſi non ſunt populi Dei, pertinebunt ad cœtum Satanæ; ergo ex patre Diabolo nati ſunt Novatores: ſi ſunt populi Dei; ergo fidem habent; ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo; ergo habent Sacramenta, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem: unde acceperunt fidem, quæ eſt ex auditu? Unde Sacramenta? Utique ab Eccleſia, & quidem viſibili; inviſibilis enim non evangelizat Verbum Dei, nec Sacramenta; ergo cum iſtis reliquiis erat Eccleſia viſibilis.

Rurſus, iſtæ reliquiæ, vel erant intra Eccleſiam viſibilem, vel non: ſi erant; ergo dabatur Eccleſia viſibilis: ſi non erant; ergo erant extra ſtatum ſalutis, quia ex Calvino *lib.* 4. *cap.* 1. §. 4. extra Eccleſiam viſibilem non datur ſalus; ergo reliquiæ illæ ſunt cœtus reproborum, & Ethnicorum: Item priuſquam Calvinus, & Lutherus recederent a Papatu, iſtæ reliquiæ, vel profitebantur fidem Papatus, vel fidem proteſtantium, vel baptizatæ erant, vel non: ſi profitebantur fidem Proteſtantium: monſtrum a ſæculis inauditum inducitur, ut filius prius naſcatur, quam pater; prius diſcipulus audiat, & diſcat, quam magiſter doceat: ſi fidem Papatus; ergo Papam agnoſcebant, & ei obediebant, & cum ceteris ei ſubjectis communicabant; ac proinde non erant inviſibiles. Si baptizatæ; non ab alio, niſi ab Eccleſia Papatus; ergo erat vera teſte Calvino *lib.* 4. *inſtit. cap.* 14. §. 4. -- Baptiſma non poteſt adminiſtrari, niſi a „ vera Eccleſia, & a veris miniſtris, adjun„ cta prædicatione Evangelii -- quod fuit Eccleſia Romana in priori ad Apoſtaſiam Calvini, & Lutheri, extat & nunc, & ſemper extitit, & exiſtet.

114 PROB. VII. auctoritatibus Sanctorum Patrum, qui locupletes ſunt in hac veritate elucidanda; ex quibus ſequentia. S. Ignatius Martyr *ad Philadelphios* — Per Do„ minum Jeſum Chriſtum, qui ſecundum „ voluntatem ſuam ſolidavit firmiter Eccle„ ſiam ejus ſuper petram ædificio ſpirituali, „ non manufacto, quam flumina inundantia, „ & flantes venti non valuerunt ſubvertere, „ nec valebunt aliquando Spiritus nequitiæ -- Non utique inviſibilis, ſi eam perſecutores Tyranni invadunt. Sanctus Martialis *ad Burdigalenſes cap.* 11. — Sed firma Eccleſia Dei, „ & Chriſti, nec cadere, nec diſrumpi po„ terit unquam — Viſibilis utique, ex qua aliqui cadere poſſunt. Sanctus Irenæus *lib.* 4. *cap.* 45. probat magiſterium Eccleſiæ indefectibile ex loco Pauli ad Epheſ. (*Poſuit Deus quoſdam Apoſtolos*) *&* *lib.* 5. *cap* 20. -- Ubi„ que enim Eccleſia prædicat veritatem, & „ hæc eſt lucerna Chriſti bajulans lumen --

Patres indefectibilem ſunt Eccleſiam.

Origenes *lib* 1. *in Job* poſtquam dixit, plurimas hæreſes, & perſecutiones adverſus Eccleſiam inſurrexiſſe, nec prævaluiſſe, rationem innuit: *Firmum enim firmamentum Dei ſtabit, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Sanctus Alexander Alexandrinæ Eccleſiæ Paſtor ad Alexandrum CP. — Eccle„ ſiam unam ſolam Catholicam cognoſci„ mus, quæ, ſicut nunquam expugnari po„ tuit, ſic omnium Hæreticorum incurſionem „ evincit -- Cyprianus *lib.* 1. *de unitate Eccleſiæ* -- Eccleſia Domini luce perfuſa per „ orbem ſuos radios porrigit &c. adulte„ rari non poteſt ſponſa Chriſti; incorrupta „ eſt, & pudica -- *Epiſt. ad Cornel.* — Eccle„ ſia, quæ Chriſtum credit, & quæ ſemel „ id, quod cognovit, tenet, nunquam ab ea „ omnino diſcedit -- Idem docet in ſymbolo.

Cyrillus Alexand. *lib.* 5. *in cap.* 54. *Iſaiæ* -- Ædificat Eccleſiam, & eam ſartam, te„ ctamque conſervat, ne nutet Chriſto pro„ tegente, & concedente, ut inconcuſſa, & „ immota ſit. Adverſus hanc enim, inquit, „ portæ inferi non prævalebunt -- S Athanaſius *Orat. de unit. Chriſti* -- Fidelis ſermo, „ & non vacillans promiſſio, & Eccleſia in„ victa eſt, etiamſi inferi ipſi commoveantur -- Euſebius Cæſarienſis *de præparat. Evangelica lib.* 1. *cap.* 3. -- Et Eccleſiam, quæ „ poſtea virtute ſua conſtituta eſt, invictam, „ & inexpugnabilem fore &c. — & probat ex Verbo Chriſti: ſuper hanc petram &c.

Cyrillus Jeroſol. *Catech.* 18. -- Catholi„ ca vocatur Eccleſia, quia per univerſum „ orbem terrarum diffuſa, & quia docet ca„ tho-

„ tholice, ideſt, univerſaliter, & ſine defe-
„ ctu, vel differentia omnia dogmata -- Chriſoſt. *Homil. 4. de verbis Iſaiæ* -- Facilius eſt
„ Solem extingui, quam Eccleſiam obſcurari:
„ quis iſta prædicat? Is qui eam fundavit:
„ Cœlum, & Terra tranſibunt: verba autem
„ mea non præteribunt -- *Homil. de Turture* -- Eccleſia nihil fortius: ſi quis eam impu-
„ gnare proponit, vires alterer, neceſſe eſt;
„ tale eſt enim, velut ſi cœlo bellet --

Hieronymus *in cap. 60. Iſaiæ* -- Ubi de Eccleſia dicitur: *Surge illuminare*, habet --
„ Ut quæ cecidit in ſynagogis, ſurgat in
„ Eccleſia, & poſtquam ſurrexerit, illumi-
„ netur, ut nequaquam habeat erroris tene-
„ bras -- Idem *contra Luciferianos cap. 9. Epiſt. ad Pamachium, & Oceanum. In cap. 3. ad Epheſ. in cap. 9. Amos*. Ex quo intelligimus, Eccleſiam uſque ad finem mundi concuti quidem perſecutionibus, ſed nequaquam poſſe ſubverti, tentari, non ſuperari. *In 4. Iſaiæ* -- Supra petram fundata eſt Eccleſia, nulla
„ tempeſtate concutitur, nullo turbine, ven-
„ tiſque ſubvertitur --

Philo Carpathius explicans illa verba Cantic. *Pulchra ut Luna*, ea intelligit de Eccleſia, quam obſcurare conantur hæretici, & male viventes -- Sed Sol ipſe ineffabilitatis,
„ bonitatis ſuæ radiis nunquam hanc humi-
„ lem Lunam illuminare ceſſat, ſuoque ar-
„ dore fovere -- Epiphanius *lib. 1. hæreſ. 36.* exponens, quid ſit aqua Siloe, declarat in Eccleſia veritatem reperiri, *& hæreſi 56. lib. 2.* oſtendit Eccleſiam omnes hæreticos, & errores vincere; adducitque illud Iſaiæ: *Ponam carbunculum, lapidem tuum*: & cap. 59. docet modum declinandi ab hæreſibus eſſe, incedere per ſemitas Eccleſiæ, quæ eſt via veritatis regia.

Sed ceteros omittamus, Auguſtino contenti. Ipſum non refugit Calvinus, juxta illud *lib. 3. inſtit. cap. 3. §. 10.* -- Ex illo igi-
„ tur (*ideſt Auguſtino*) ſumant lectores -- ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volunt. Pſal. 47. dicit citatus Aug. -- Sed forte

Ex Auguſtino revincuntur Hæretici.

„ iſta civitas, quæ mundum tenuit, aliquan-
„ do evertetur? Abſit. Deus fundavit eam
„ in æternum: quid times, ne cadat firma-
„ mentum? -- Pſal 44. quem perbelle explicat de Eccleſia viſibili, ad illum verſic. 18. *Populi confitebuntur tibi in æternum*, habet --
„ Quamdiu tranſeat hoc ſeculum, quod mul-
„ tis generationibus agitur, gerentes pro illa
„ charitatis curam, ut de iſto ſeculo libera-
„ ta, in æternum Deo conregnet -- *Pſal. 45. ennar.* -- Ad omnes Chriſtianos illa verba
„ ſpectabant, qui erant futuri, & uſque ad
„ finem perventuri -- Quod repetit Pſal. cit. 47. explicans illa: *Ero vobiſcum uſque ad conſummationem*. Pſal. 101. fuſe, ubi iterum applicat *Ero vobiſcum &c.* Sed accipio explicationem illius -- Fundavit terram ſu-
„ per ſtabilitatem ſuam. Ipſa eſt prædeſtinata
„ columna, & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. -- Nutabit Eccleſia, ſi nutaverit funda-
„ mentum: non nutante Chriſto, non incli-
„ nabitur -- *Ad Januarium cap. 5.* -- Quid
„ horum ſit faciendum; ſi Divinæ Scripturæ
„ præſcribit auctoritas, non eſt dubitandum:
„ ſimiliter etiamſi quid harum tota per or-
„ bem frequentat Eccleſia; nam & hinc, quin
A „ ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ
„ inſaniæ eſt --

Lib. 3. contra Creſconium cap. 9. -- Qua-
„ leſcunque ſimus, ſecuri eſtis, qui Deum
„ Patrem, & Eccleſiam habetis matrem -- *cap. 11.* -- Mihi ſat eſt ad rem, quam nunc
„ ago, qualiſcunque in ea ſim; tamen Ec-
„ cleſia, pro qua loquor, invicta eſt -- *In concione ad Catechumenos*, poſtquam dixit Eccleſiam eſſe matrem veram, piam &c. ſubdit -- Apud catholicam, dilectiſſimi: noveritis
„ tantum eſſe veram fidem, germanam pa-
„ cem, perpetuam ſalutem -- *Lib. 4. de ſymb. ad Catechum. cap. 13.* ex illo Pauli ad Epheſ.
B 5. (*Mundans eam*) dicit Eccleſiam eſſe Regnum a Domino præparatum per totum orbem diffundendum ſine macula. *Lib. 1. contra Creſconium cap. 33.* docet æque non poſſe fallere Eccleſiam, ac Sacram Scripturam, etiam in eo, quod non eſt ſcriptum, ut in caſu rebaptizationis. *Lib. de unitate Eccleſ. cap. 19.* oſtendit Chriſtum perhibere teſtimonium veritatis de Eccleſia, & inde infert eſſe infallibilem in fide. Sed ne in immenſum res abeat, concludamus *ex lib. contra Epiſt. Manich. cap. 5.* -- Ego vero Evangelio non cre-
„ derem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ com-
„ moveret auctoritas -- Ejuſdem labii ſunt
C reliqui Patres.

Hinc Concilium Senonenſe *Decreto 3.* pluribus eandem veritatem oſtendit, & maxime ex præcellentia Eccleſiæ ſuper Synagogam concludit -- Ergo proviſum de Regula
„ infallibili, Eccleſiæ ſcilicet auctoritate -- Nicœnum II. idem approbat *tom. 5. act. 6.* (ubi errorem contra Imaginum cultum reprehendit) ex ore Epiphanii, ubi ponuntur Divinæ promiſſiones; tum veteris, tum novi Teſtamenti, quibus integritas doctrinæ, & infallibilitas Eccleſiæ concreditur. Concilium Nicœnum I. *lib. 3. cap. 3.* habet -- Una
„ eſt Eccleſia in cœlo, & in terra; & in hac
D „ requieſcit Spiritus Sanctus: Hæreſes autem,
„ quæ extra hanc ſunt, quas habent homi-
„ nes, non ſunt doctrinæ Salvatoris noſtri,
„ nec Apoſtolorum, ſed Satanæ, & Patris
„ ejus Diaboli --

Dicamus itaque cum Aug. *in fine lib. de unitate Eccleſiæ*: incredibile eſſe -- Ut Eccle-
„ ſia tam cito, ex tot gentibus peritura, tot
„ teſtimoniis, tam ſublimiter, & tam indu-
„ bitanter prædicaretur -- Dicamus cum Richardo a S. Victore *lib. 1. de Trinit. cap. 2.* -- Domine, ſi error eſt, a te ipſo decepti
„ ſumus, nam iſta in nobis tantis ſignis, &
„ prodigiis confirmata ſunt, quæ nonniſi per
E „ te fieri poſſunt: certe a ſummæ ſanctitatis
„ viris ſunt nobis tradita, cum ſumma, &
„ authentica atteſtatione approbata, & ſer-
„ monem confirmantis ſequentibus ſignis -- Dicamus Novatoribus noſtris, quod Florino Hæretico dictum ab Irenæo refert Euſebius *lib. 5. cap. 19.* -- Iſta dogmata, Florine, ut
„ tecum agam humanius, ſanæ doctrinæ, &
„ ſententiæ non ſunt: iſta dogmata ſunt Ec-
„ cleſiæ repugnantia --

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

115 OBJIC. I. Synagoga ſæpe defecit ex toto; ergo etiam Eccleſia, verbi ſui contemptum ulciſcente Deo, pœnam eandem ſubiit, inquit Calvinus. Ant. prob. inductione. Primi parentes peccato infidelitatis deliquerunt, Diabolo credentes contra Verbum Dei expreſſum. Secundo. Sub Seth non erant, niſi novem fideles; tot ſolum enumerat Paulus ad Hebræos 11.; ergo toto illo ſpatio longiſſimo intermedio Eccleſia perierat. Tertio. Sub Noe non remanſit veſtigium: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*. Gen. 6., & ſolus ipſe Noe Deo placebat fide ad Heb. 11. Quarto. Sub Moyſe, cum populus totus, & Aaron vitulum adoravit, dicens Exodi 32. *Hi ſunt Dii tui*. Quinto. Sub Judicibus cap. 2. v. 11. *Filii Iſrael &c. ſervierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum*. Sexto. Sub David Pſal. 13. v. 3. *Omnes declinaverunt &c. non eſt, qui faciat bonum, non eſt, uſque ad unum*.

Septimo. Sub Elia 3. Reg. 19. v. 10. *Dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael*. Octavo. Sub Iſaia cap. 1. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*. Nono. Sub Jeremia cap. 2. *Confuſi ſunt Domus Iſrael, ipſi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu*. Decimo. Sub Azaria 2. Paralip. 15. *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, Doctore, & abſque lege*. Undecimo. Sub Chriſto dicente Matth. 16. v. 6. Cavendum eſſe a fermento Phariſæorum, ideſt, perverſa doctrina. *Tunc intellexerunt, quia non dixerit, cavendum a fermento panum, ſed a doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum*. Duodecimo. Univerſali teſtimonio Pauli Act. 14. v. 15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*; ergo inductione evincitur periiſſe Eccleſiam veteris teſtamenti: cur ergo non defecerit, vel non poterit deficere nova, cum gaudeat identitate ſubſtantiali ſponſæ cum illa?

RESP. Omiſſo ant. neg. conſeq. Non enim valet, Abraham dimiſit Agar; ergo & Saram, cum ambo eſſent de familia. In Agar autem figuratur ſynagoga, in Sara Eccleſia: ad Gal. 4. v. 24. Item non valet, computruit pars; ergo totum. Synagoga erat Eccleſia particularis, ad quam expreſſe non erat neceſſe accedere pro ſalute acquirenda; plurimi enim abſque explicita profeſſione Hebraiſmi ſalvati ſunt, & adducunt illud Apocal. 7., ubi deſcribuntur ſalvati ex Iſrael per enumerationem Tribuum, deinde ſubditur turba magna ex gentilibus: licet non crediderim, textum loqui ſolum de veteris Teſtamenti tempore: Eccleſia vero eſt univerſalis quoad omnes gentes, cujus expreſſa profeſſio neceſſaria eſt ad ſalutem. Pariter non valet, imperfectum deficit; ergo & perfectum: Synagoga non faciebat perfectum, dicit namque Apoſt. ad Heb. 7. v. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: ſecus Eccleſia illa in juſtitia carnis, hæc in juſtitia ſpiritus conſiſtit. Ulterius non tenet argumentum: Mercenarius viſo lupo dimittit ovem; ergo ſimiliter Paſtor bonus. Synagoga timore ducebatur, & promiſſionibus temporalibus; Eccleſia amore, & promiſſione ſupernaturalium. Tandem Eccleſiæ ſunt factæ ſpeciales promiſſiones, ſecus Synagogæ, & quæ illi factæ ſunt, ut umbræ factæ ſunt, ideſt, Eccleſiæ figuratæ.

Sed & omnino falſum eſt ant., quod nullimode evincunt inducta. Non primum quia deſtruit ipſam Hæreticorum ſententiam ſtatuentium Eccleſiam Inviſibilem nunquam defeciſſe, cum ergo tunc non eſſent niſi duo, ſi in fide defecerunt, penes quos remanſit Eccleſia? Ubi erat Inviſibilis Eccleſia? Addas velim Eccleſia non incœpit ab Adamo, ut ſuo loco oſtendimus: aliàs primi parentes fidem non amiſerunt, ut infra demonſtrabimus; & 1. ad Tim. 2. dicitur: *Adam non eſt ſeductus; mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*, in facto non agens ſecundum lumen fidei; & quicunque peccat ſeductus, prævaricatur: & propter eandem rationem dicuntur infideles, non quia fidem ſpeculativam negaverint, ſed quia peccaverunt contra legem ſibi datam. Inobedientia, infidelitas, & ſimilia prædicata ſunt tranſcendentia in omni peccatorum genere, 1. ad Tim. 5. *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*.

Non ſecundum. Certum eſt enim, plures Dei cultores extitiſſe in lege præter eos, quos enumerat Paulus. Sufficeret Scripturam legere v. g. Seth, Japhet, Enos, Lot, Rebecca, Fratres Joſeph, Joſue, & ſimiles non nominantur a Paulo, qui recenſentur in libris Moyſis. Illis novem utitur in exemplum pro oſtendenda fidei virtute: Ceterum de familia Seth, eorumque qui ibi recenſentur, plures perpetua ſucceſſione perſeveraverunt in vero Dei cultu.

Non tertium. Solus Noe non erat fidelis, ſed ejus tota familia tempore diluvii, ex qua multiplicatæ ſunt familiæ Deum colentes. Ante diluvium plures etiam extabant, & fide, & moribus recte viventes; quia tamen majori ex parte contra fidei lumen male vivebant, ideo dicitur, quod omnis caro corruperat viam ſuam. Interim adnotetur, hoc, & ſimilibus argumentis uſos Donatiſtas ad probandam exiguitatem ſuæ Eccleſiæ, contra quos ſcribit D. Aug. pluribus locis, & præcipue de unitate Eccleſiæ variis capitibus; & in ſeptimo ponit prophetiam illam ad Galat. 4. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ magis, quam ejus, quæ habet virum*; ubi prædicitur pluralitas in Eccleſia.

Non quartum. In caſu vituli non erravit, nec caput Eccleſiæ, nec corpus. Non caput, quod erat Moyſes: Aaron nondum erat Sacerdos; ut in aperto eſt ex cap. 40. Non corpus, quia tota Tribus Levi integra ſtetit, & inſurrexit ad vindictam, ut habetur Exodi 32. v. 26. *Videns ergo Moyſes populum &c. ait. Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii*

Levi

Levi: Porro filii Levi erant viginti duo millia, ut habetur Num. 3. v. 39.

Eodem modo ſolvitur, quod in numero ſeptimo ponitur de tempore Eliæ. Nam ſub Elia populus Hebræorum in duo dividebatur Regna, unum Judæ ex duabus Tribubus, aliud Iſraelis ex decem. In primo ſtetit integritas veri cultus, In ſecundo defecit fere a principio, publice admiſſa Idololatria: in eo tamen non deerat ſemper numerus aliquis colentium Deum, & Eliæ temporibus erant centum Prophetæ, & ſeptem millia, qui non flexerant genu Baal. Unde illa particula: *derelictus ſum ego ſolus* intelligitur, quoad apertum, & conſtantem zelum impugnandi rebelles. D. Thom. *lect.* 1. *ad Rom.* 11. hoc arg. ſolvit, & Aug. *lib. contra Donatiſt. poſt collat. cap.* 20. ut ſequentibus tangemus.

Non quintum. Mortuo Joſue commixti ſunt plures de populo cum alienigenis, & depravati ſunt, & receſſerunt a Domino, non tamen omnes; ſuſcitabat enim Judices Dominus, qui retrahebant, & continebant turbam; & in ſequentibus capitibus varii leguntur Dei cultores.

Non ſextum. Quantum enim floreret ſub David Religio, notum eſt ex libris Regum. Loquitur igitur Propheta Regius eo loci ſic emphatice ob multos, qui male vivebant, non autem quod defeciſſent a fide. Hoc argumentum, ſicut ſeptimum, octavum, & nonum ſolvit D. Aug. *lib. contra Donat. poſt collationem cap.* 3. dicens — More ſuo Scriptura „ loquitur, quæ ſic arguit malos, tanquam „ omnes in eo populo mali ſint, & ſic con„ ſolatur bonos, tanquam omnes ibi mali „ ſint -- oſtenditque Scripturis. Ezechiel vocat omnem domum Iſrael attrita fronte; & tamen cap.9. ponit plures gementes ſuper abominationem populi. Paulus vocat Galatas omnes inſenſatos; & tamen cap. 6. appellat ſpirituales: & in caſu argumenti prophetabat Iſaias diebus Oſiæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ, ſub quibus Religio vigebat, laudanturque 2. Paral. 17. 20. 29., & Calvinus ipſe coactus eſt dicere *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 3. — Erat „ Iſaiæ tempore Eccleſia Jeroſolymis, quam „ Deus nondum deſeruerat -- quam uſque ad tempus Jeremiæ duraſſe addit. Vixit hic Propheta tempore Joſiæ, ſub quo florebat Dei cultus. 4. Reg. 22., & 23. cap., vixit etiam ſub Joachim, & Sedecia, ſub quibus pene everſus eſt Dei cultus, ſed non omnino; & ideo dicitur 2. Machab. cap. 1. *Nam cum in Perſidem ducerentur Patres noſtri: Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant &c.*

Scripturæ phraſis non ſemper litteralis.

Non decimum. Nam Azarias loquitur de tempore captivitatis, in quo, cum non poſſent exercere publica ſacrificia, videbantur carere vero Deo, & Sacerdote. Ceterum quod eſſent Deo fideles, conſtat ex cap.1. Aggæi Prophetæ, quem audivit Zorobabel, Jeſus filius Joſedech Sacerdos Magnus, & omnes reliquiæ populi. Et erant, quos Cyrus remiſit in Jeruſalem: *Quadraginta duo millia trecenti ſexaginta: exceptis ſervis eorum, & ancillis, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem*. 1. Eſdræ cap. 2.

Non undecimum. Quia redarguit Chriſtus Phariſæos aberrantes in pluribus. Ceterum ſynagoga adhuc ſtabat in veritate legis, quæ mori incipiebat, ſeu in novam legem, quæ a Chriſto inſtituebatur, transmutari. Non duodecimum; Paulus namque, & Barnabas loquuntur de Gentilibus, quos Dominus (retento ſolo populo Hebræorum ſub ſpecialibus ritibus) permiſit abire in vias ſuas; nunc autem ad Eccleſiam gentes vocatæ ſunt, & ex utroque unus factus eſt populus.

116 OBJIC. II. Sub Chriſto nec vetus, nec nova Eccleſia integra perſtitit. Tempore Nativitatis ſublatum fuerat ab Herode Sacerdotium, & omne magiſterium, & Eccleſia Chriſti non inceperat. Tempore paſſionis aberravit tota Eccleſia collecta in Concilio, Chriſtum rejiciens, & populus defecerat clamans, *Crucifige eum*: ſed tunc etiam Chriſti Eccleſia defecit; nam omnes Apoſtoli paſſi ſunt ſcandalum, utique in fide, nam Petro clamanti Matth. 26. *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*: dixit Dominus, in ea nocte ter ipſum eſſe negaturum; in cujus conteſtationem, extinctis omnibus candelis tribus diebus paſſionis, unica permanet accenſa, quia in ſola Virgine fides vigebat. Ipſe Chriſtus a mortuis reſurgens fidem in Diſcipulis non invenit: unde exprobravit incredulitatem eorum Marci 16 ver. 14 *Quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*. Et Joannes de ſe ipſo ait, quod vidit, & credidit, quando cum Petro cucurrit ad monumentum.

RESP. neg. maj. Sub Chriſti Nativitate ſuffecerat quidem Herodes quoſdam Sacerdotes de hæreſi Herodianorum, non tamen ſublati erant univerſi legitimi de ſynagoga, quos vocavit ut intelligeret locum Nativitatis Domini. Simeon Sacerdos expectabat Redemptionem Iſrael: Anna Propheteſſa, & alii plures conveniebant in Templum ad ſacrificia, & ad ſolemnitates: Eccleſia vero Chriſti primordia habebat in Sanctiſſima Matre Maria, Sancto Joſeph, quibuſdam Paſtoribus, tribus Magis, Anna Propheteſſa, & Simeone, qui Chriſtum natum adoraverunt.

Tempore prædicationis duraſſe ſynagogam, fatetur etiam Calvinus *lib.*4. *Inſtit. cap.* 9. *n.* 7. — Niſi enim tunc fuiſſet in Jeroſolymis Eccleſia, nunquam ſacrificiis, aliiſque „ ceremoniis communicaſſet Chriſtus -- Sub paſſione non defecerat ſynagoga, nec quoad corpus Sacerdotale; tum quia ibi congregati non erant omnes Sacerdotes diſperſi per alias civitates; tum quia licet Concilium ex odio, & invidia procederet, adeoque in nomine Domini minime collectum, tamen veram protulit ſententiam. Chriſtus quidem verus erat Meſſias in lege promiſſus, ſed talis non erat, niſi quatenus moreretur in cruce pro ſalute gentium; & circa hanc veritatem recta ſancivit Synodus ex ore Præſidentis, ſummi illius anni Sacerdotis, ut bene notavit Scriptura Joannis 11. *Caiphas nomine &c., cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit; quod Jeſus moriturus erat pro gente*. Tum quia, etſi erraſſet, nihil intereſt; nam jam lex vetus moriebatur, inſtante Chriſti morte, per quam fiebat translatio Sacerdotii Aaronici: unde privilegium infallibilitatis defecerat, licet Deus in honorem ſepeliendi Sa-

Synagoga Chriſto prædicante durabat.

cerdotii non permiſerit errare. Nec quoad corpus populare defecit; non enim totus clamavit, *Crucifige*, nec totus accurrerat, ut certum eſt, erantque plurimæ familiæ, quibus Chriſtus benefecerat, & occulte ſequebantur eum, ut Nicodemi, Joſephi ab Arimathæa, & ſimilium. Deinde, quot centena in tota Judæa, & orbe extabant, qui neſciebant, quid ageretur circa Chriſtum? Quomodo iſti clamabant *Crucifige*? Quomodo fidem amiſerunt?

Non ſine evidenti blaſphemia dicunt Hæretici Eccleſiam novam defeciſſe tunc temporis. In Apoſtolis fides non defecit; ſcandalum enim, quod paſſi ſunt, defectus fuit fortitudinis in ſequendo Magiſtro tribulationis tempore; nec valet illatio a Petro ad ceteros; nam Petrus, cum ſibi nimia fideret, auſus eſt majorem conſtantiam promittere præ aliis, & Deus, ut eum erudiret, permiſit eum labi in exteriorem fidei negationem; interius enim illam non amiſit, ut docet Aug. Pſal. 11. in illa verba: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque*, dicens -- Non omnino ea ore Petri, in quo „ erat typus Eccleſiæ, verbum veritatis abla- „ tum eſt, qui etſi ad horam negavit timore „ turbatus; tamen flendo eſt reparatus -- Verificari namque neceſſe eſt Chriſti promiſſionem: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Non enim erat minus efficax hoc verbum, ac illud *Ter me negabit*. Deinde, etſi in Apoſtolis fides defeciſſet, defecitne inde corpus Eccleſiæ? Nonne credebant 72. Diſcipuli? nonne credebant Maria Virgo, Maria Magdalenæ, Maria Salome, Marcella, aliæque mulieres plures, quæ flebant ſuper Jeſum? Quot in aliis oppidis Judææ, quibus Chriſtus prædicaverat, & miracula in eorum bonum patraverat, credebant? Nec ceremonia illa de unica candela quidquam probat; non enim a primis ſeculis fuit in uſu; nam Rupertus *lib. de Officiis cap. 26., & 28.* fatetur, ſuo tempore omnes extingui eſſe conſuetum, aſſignatque rationem myſterii. Ceteræ candelæ ſucceſſive extinguuntur, ad ſignificandos Prophetas, qui ſucceſſive fuerunt prædicentes Chriſtum, & occiſi fuerunt: ultima in vertice ſignificat Chriſtum, in quem prophetiæ collimabant, quem pariter Hebræi occiderunt, & factæ ſunt tenebræ ſuper univerſum Iſrael: quia tamen Chriſtus reſurrexit, ejuſque doctrina illuxit toti orbi, tribus illis diebus novus ignis accendebatur, quod fit nunc etiam die Sabbati Sancti. Ceterum, ſi quis velit præſentem propugnare morem, & Virgini applicare, ſecundum Bernardum; tunc intelligitur de permanentia fidei in ſummo fervore, & vigore, qua ſtabat Mater Sancta juxta Crucem, & qua vivaciſſime conferebat in corde ſuo prophetiarum oracula, & filii ſui doctrinam, & acta.

Paſſionis tempore in Apoſtolis non defecit fides.

Exprobratio incredulitatis non appellat ſupra defectum fidei deperditæ, ſed ſuper tarditatem aliquam in præſtando aſſenſu iis, quæ audiebant narrari ab aliis circa reſurrectionem; ſicut dicitur etiam Lucæ 24. duobus Diſcipulis euntibus in Emaus: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*. Nec eſt mirum, quia nondum explicite intellexerant articulum reſurrectionis, maxime quoad circumſtantias tertiæ diei, ut patet aperte Lucæ 18., ubi Chriſtus Apoſtolis ſuam mortem, & reſurrectionem prædicit, & ſubditur, quod Diſcipuli non intelligebant verbum illud. Lucæ ultimo dicitur, quod aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Idem D. Aug. *tract. in Joan.* 120. S. Th. *in Joan. cap. 20. ver. ultimo* -- Nam nondum ſciebant ſcripturas, quia „ oportet eum a mortuis reſurgere -- ideſt, nondum ſciebant explicite. Tandem, dato, & non conceſſo, quod fides in Apoſtolis defeciſſet, & aliis; nihil inde evincitur; quia promiſſiones factæ ſunt Eccleſiæ in ſuo eſſe eſſentiali completæ, quod evenit peracto Paſſionis myſterio, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Miſſionis Sancti Spiritus: tunc facta promulgatione obligare cœpit lex nova.

117 OBJIC. III. Eccleſiam tunc perire neceſſe eſt, cum hæreſibus opprimitur; ſed ſub temporibus Apoſtolorum Eccleſia oppreſſa fuit hæreſibus; ergo periit. Min. prob. Apoſtoli nimis hæſerunt obſervationi legalium. II. Apoſtolus 2. ad Tim. 3. prædixit futuros ſeductores, *qui proficient in pejus errantes, & in errorem mittentes*. Et Act. 20., *& ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa*. Et Galatas, & Corinthios reprehendit, ut a fide aberrantes. III. Romana, & Africana erravit dando parvulis Euchariſtiam. IV. Centuria 2., & ſequent. titulo *de inclin. doctrinæ* aſſerunt Magdeburgenſes Eccleſiam fuiſſe primis ſeculis pluribus inquinatam erroribus. V. Calvinus *in præf. ad lib. inſtit. §. Dilemmata* docet -- Quamdiu ab adventu Chri- „ ſti deformis latuit; quoties ab eo tempore, „ bellis, ſeditionibus, hæreſibus oppreſſa eſt, „ ut nulla parte fulgeret; an ſi eo tempo- „ re vixiſſent, crediſſent eſſe ullam Eccle- „ ſiam? --

RESP. neg. min. Et probationes inductæ omnino ſunt inanes. Prima eſt directe contra ſcripturam; nam licet quidam ex Judaizantibus inhærerent legalibus; corpus tamen Eccleſiæ oppoſitum ſenſit; Act. enim 15. declaratum fuit legalia eſſe evacuata, & non amplius obligare; tranſierunt enim ad ſtatum rerum indifferentium, fueruntque permiſſa pro aliquo tempore legis novæ promulgandæ, tum ut Synagoga ſepeliretur cum honore ex Aug. *Epiſt. 19. ad Hieron.*: tum ut facilius communio ſtabiliretur inter Judæos, & Gentiles; ſi enim Legalia velut Idololatrica rejeciſſent Gentiles, commori fuiſſent Hebræi. Secunda confirmat noſtram veritatem: nam hi ſeductores, & lupi rapaces ab Apoſtolo prædicti, ex nobis prodituri dicuntur: non ergo Eccleſia ipſa hæreſes admittit, nec in Eccleſia approbantur, ſed ſunt homines quidam pravi, qui falſa dogmata diſſeminant, & hoc ipſo ab Eccleſia exeunt. Paulus non Galatas, & Corinthios omnes redarguit, ſed aliquos, quos a fide naufragaſſe dicit, & hoc ipſo excidiſſe a corpore Chriſti: quamvis ſollicitus ſit eos ad unitatem revocare, ut Chriſtiana exigit charitas.

Legalia non ſtatim mortifera.

In tertia deberent probare Euchariſtiam dari parvulis, errorem eſſe. Dabant ſapientiſſimi Patres, ut, ex Dionyſio *cap. 6. Eccleſiaſt. Hierarch.* -- Nutriretur (puer) in ipſis

Olim parvulis dabatur Euchariſtia.

„ my-

„ myſteriis, neque aliam vitam haberet, niſi „ hanc -- Capaces ſunt fructus bonorum; ſpiritus augmentum aliunde conſequi non poſſunt; ideo hoc cibo nutriebantur: ad evitandum tamen periculum indecentiæ erga Sacramentum, melius creditum eſt, præferre utilitati reverentiam, & ſublatus eſt uſus. In quarta bis peccant Hæretici. I. Quia tribuunt toti Eccleſiæ, quos in particularium Patrum ſcriptis reperiunt nævos. II. Quia pro errore ſignant, quidquid non conſonat eorum novitatibus, & ne redarguantur, antiquitatem ſugillant.

Eccleſia vel ſub primordiis florebat.

Quintam excepit Calvinus a Donatiſtis relatis *lib.* 4. *cap.* 20. *de unit. Eccleſ. cap.* 25., ubi Aug. reſpondet. Latebant quidem quandoque Apoſtoli in ſpeluncis, & Epiſcopi, aliique proceres ſanctiſſimi -- Non devitan„ dorum Sacramentorum cauſa, ſed quia per„ ſecutionem ab impiis Regibus patiebantur-- Ceterum, lucidior Sole rutilabat Eccleſia, tot Martyrum ſanguine confirmata: evulgabatur Verbum Dei per univerſum Orbem mirifice, ut fidem faciunt tot illuſtres Eccleſiæ, Romana, Antiochena, Alexandrina, Jeroſolymitana, Epheſina, & aliæ ſimiles, quibus viſibiles Paſtores ſuffecerunt Apoſtoli, viſibileſque ritus tradiderunt.

118 OBJIC. IV. Tunc perit Eccleſia, cum formam amittit: ſed Arrianorum ævo formam amiſit; ergo tunc periit. Prob. min. a Luthero contra Eraſmum *de libero arbitrio*-- „ Vide Arrianum ſeculum, ubi vix quin„ que in toto orbe Epiſcopi Catholici ſervati „ ſunt; itaque a ſedibus pulſi, regnantibus „ ubique Arrianis publico nomine in officio „ Eccleſiæ: nihilominus ſub iſtis Hæreticis „ ſervavit Deus ſuam Eccleſiam; ſed ſic, ut „ minime Eccleſia putaretur, aut haberetur-- Prob. a Calvino §. *Dilemmata* dicto Hilarii contra Auxentium -- Unum moneo: cavete An„ tichriſtum; male enim vos parietum amor „ cœpit, male Eccleſiam Dei in tectis, ædi„ ficiiſque veneramini -- Ex quo concludit, viſibilem periiſſe Eccleſiam. Probatur ex Hieron. *contra Luciferianos* -- Ingemuit totus or„ bis, & ſe Arrianum eſſe admiratus eſt -- Probat Brentius *in prologo ex Baſilio Epiſt.* 71. conclamante -- Acceſſit autem ad haſce di„ ſceptationes, & iſta cogitatio. An Eccle„ ſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An no„ viſſima hora eſt? Et hoc pacto initium ſu„ mit defectio, ut jam deinceps reveletur „ ille filius perditionis, qui adverſatur, & „ extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, „ aut numen eſt? --

Probant ex Greg Nazianzeno *in Apologetico*, ubi deflet Eccleſiam adeo confuſam, ut indigeat potentis informatrice. Probat in articulis Bavaricis Philippus Melancton inductione. Recte ſtatuit contra Arrium Nicæna Synodus, ſed erravit lapſis imponens pœnam. Recte Chalcedonenſis contra Eutycherem, ſed male Veſtalibus Virginibus nuptias prohibuit: ſic Toletana cum Sacerdotibus cœlibatum præcepit: ſic Tertullianus cum ſecundas nuptias vetuit viduis: ſic Carthaginenſis Synodus Miſſas pro defunctis, & orationes ſtatuens: ſic Cyprianus docens peccata redimenda ſatisfactionibus: ſic Dionyſius æquans Baptiſmo Chriſma &c.

A RESP. Et hoc argumento Hæretici convincuntur; nam novum non eſt, ſed a Donatiſtis ſuffuratum, cui reſpondet Aug. *Epiſt.* 48. -- Hilarius ergo, decem Aſianarum pro„ vinciarum, aut zizania, non triticum ar„ guebat, aut ipſum etiam triticum, quod „ defectu quodam periclitatur, quanto ve„ hementius, tanto utilius arguendum pu„ tabat; habent enim ſcripturæ Canonicæ „ hunc arguendi morem, ut tanquam om„ nibus dicatur, & ad omnes verbum per„ veniat -- Non diſſident ergo Novatores a Donatiſtis, quos vera Eccleſia damnavit. Ceterum pro rei veritate ſumme excæcati ſunt Hæretici a ſeculo illo deſumentes argumen-
B tum, quo graviſſimas inter procellas Eccleſia mirifice claruit Conciliorum pluralitate, ut Nicæno I. Romano ſub Sylveſtro. Gangrenſi. Carthaginenſi I. Romano ſub Julio I. Colonienſi. Antiocheno. Sardicenſi, Ariminenſi.

Novatores Donatiſtarum argumentum adoptantes revincuntur.

Claruit Sanctorum Patrum numero, ut Athanaſio, Cyrillo, Hilario, Gregorio Nazianzeno, Nyſſeno, Baſilio, Theophilo Alexandrino, Euſebio Vercellenſi, Tito Boſtrenſi, Ephrem Syro, Triphulio Ledrenſi, Theodoro Heracleæ, Philone Carphatin, Epiphanio, Paciano, Subaudio, aliiſque pluribus. Claruit Martyrum corona, quos ſub Conſtantio occiſos recitant Martyrologia: Roma-
C norum Pontificum ſanctimonia, ut Sylveſtri, Marci, Julii, Damaſi, Liberii, Felicis, Sanctorum Monachorum numero, qui Eremum, & clauſtra illuſtrabant. Quo ergo auſu Lutherus quinque ſolum perſtitiſſe catholicos Epiſcopos evomit? Ad fontem, ad quem bibit, accuramus.

Loquitur igitur Hæreticus de Concilio Mediolanenſi II. collecto ſub Conſtantio an. 355., in quo quinque Epiſcopi ſecundum Nicephori Hiſtoriam *lib.* 9. *cap.* 33. damnationi Athanaſii ſubſcribere noluerunt, aliis ſubſcribentibus (licet ab aliis negetur hæc ſubſcriptio) non propter hoc tamen hi fue-
D runt Hæretici, nec ad partes Arrii tranſiarunt; nam fraude, & artificiis inducti fuerunt, quibus cognitis, receſſerunt a Concilio. Quinque illi dolum agnoſcentes clamaverunt -- Orientales, evertendi Nicæni dog„ matis gratiâ, condemnationem Athanaſii „ urgere, aſſurgentes vociferati ſunt, fraude „ Chriſtianiſmum circumveniri; neque ver„ bis hujuſmodi de Athanaſio agi, ſed inſi„ dias decretis, rite, atque ordine de Deo „ olim factis, Imperatorem, & Arrianos ten„ dere. Hæc ubi dicta, conventus rebus in„ fectis ſolutus eſt -- Hinc exilio mulctati fuerunt illi Epiſcopi: ſed non inde periit Ec-
E cleſia; non deſiſtebant enim ſuis ovibus providere Epiſtolis, nec adverſus hæreſes præliari, ut de Hilario conſtat, quem debuerunt Hæretici victorem ab exilio dimittere. Quomodo dicat Lutherus, ſub iſtis Hæreticis Deum ſervaſſe Eccleſiam, ut minime Eccleſia haberetur, non videmus.

Nos legimus *in lib. Hilarii contra Auxentium* -- Dilectiſſimis fratribus in fide paterna „ manentibus, & Arrianam hæreſim deteſtantibus Epiſcopis, & omnibus plebibus, „ Hilarius conſervus veſter ſalutem -- *In altero lib. de Synodis* -- Dominis, & Beatiſſi-

„ miſſis fratribus, & Coepiſcopis Provinciæ „ Germaniæ primæ, & ſecundæ, & primæ „ Belgicæ, & ſecundæ, & Provinciæ Aquitanicæ, & novem Populanæ, & ex Narbonenſi Provincia plebibus, & Clericis Toloſanis, & provinciarum Brittanicarum Epiſcopis, Hilarius -- Nos legimus *in Epiſt. Concil. Sardicenſis ad univerſos Epiſcopos in ſalutatione* -- Univerſis Epiſcopis, & Comminiſtris Sanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ -- *In Epiſt. Concil. Ariminenſis ad Imperatorem* -- „ Ex omnibus vocibus Occidentis conveniſſe, „ ut fides Eccleſiæ Catholicæ cognoſceretur -- Extabat Eccleſia ergo, & agnoſcebatur etiam ab ipſo hoſte Conſtantio, qui, ut fertur a Nicephoro *lib. 9. cap. 25. Hiſt. in Epiſt. ad Epiſcopos Alexand. Provinciæ*, habet -- Victor „ Conſtantius Maximus Auguſtus Epiſcopis, „ Presbyteris Eccleſiæ Catholicæ Alexandrinæ -- Et in altera ad populum Alexandrinum -- Populo Catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ --

Ex iiſdem patet reſponſio ad Calvinum, peſſime inferentem Eccleſiæ defectionem tempore Hilarii. Quando Hilarius tutiores dicit montes, id dictum eſt propter perſecutionem illatam ab Arrianis, & maxime Catholicis Mediolanenſibus ab Auxentio, quem Antichriſtum vocat, larvamque appellat; non quia Epiſcopalem contemnat dignitatem, ſed pompam exteriorem, quam oſtentabat impius Auxentius, & quidam alii Arriani. Hieronymus pariter loquitur de perſecutione Arrianorum, & maxime de Concilio Ariminenſi, in quo fraudolentæ formulæ (ſub verbis ſanam doctrinam ſonantibus) ſubſcripſerunt Catholici Epiſcopi; ſed veneno detecto receſſerunt, manum retrahentes: unde vim, verbera, carceres, exilia, mortem paſſi ſunt, dataque licentia Arrianis eorum ſedes invadendi. Sic Niceph. *lib. 9. cap.* 41.

In idem tendunt queſtus Baſilii, & Nazianzeni deplorantium Orientales ab Arrianiſmo infectos, & implorantium Dei auxilium, ut tantis malis occurreret. Ceterum, ut Hieronymus *loco cit.* dicebat Navicula Petri periclitabatur propter exortam tempeſtatem, minime tamen demergebatur: immo triumphabat. Hinc Ægyptus Athanaſium triumphatorem ſuum excepit -- Et Hilarium „ de prælio revertentem Galliarum Eccleſia „ amplexata eſt -- Tunc ad reditum Euſebii lugubres veſtes Italia mutavit; veriſſimum enim eſt, quod Epiph. *hær.* 35. habet -- Nos „ Deo gratias agamus, quod per pauca, & „ implicita verba, veritas filios ſuos ad rectam viam deducere ſolet; & impia, ac „ faſtuoſa per multam artem fucata diſpergit, avertitque, ac delet -- Inductioni Melanctonis non eſt opus reſpondere; enumerat enim ea omnia, quæ contra ſcripturas, Apoſtolicam traditionem, & immenſæ æquitatis, & Eccleſiæ obſervantiam ipſe execratur.

118 OBJIC. V. Tunc Eccleſia deficit, quoties a fide cadit: ſed Eccleſia poſt Greg. Magnum a fide cecidit; nam paſtorem ſecuta eſt a Phoca Imperatore electum, Bonifacium videlicet III.; ergo ex tunc amplius non ſubſiſtit.

Libenter audiremus vim hujus argumenti. Etſi daremus a Phoca electum Bonifacium: non inde ſequitur defectus in fide ſecundum Proteſtantium principia, qui laicis tribuunt jus eligendi Paſtores. Sed mentitur iniquitas: a Clero Romano omnino libere creatus eſt Bonifacius, cui Imperator ſcripſit, agnovitque Epiſcopum Œcumenicum; propter hoc proclamatur ab Hæreticis illegitimus, quia Auguſtus fregit Cyriaci CP. Patriarchæ ſuperbiam, ſibi univerſalis Epiſcopi titulum uſurpantis, publico edicto declarans, jura univerſalis Paſtoris nonniſi ad Romanum Præſulem pertinere, eique ceteros Epiſcopos ſubordinari.

Eccleſia poſt Gregorium perſeverans.

119 OBJIC. VI. Toties neceſſe eſt Eccleſiam deficere, quoties amittitur legitimus ordo Pontificum, Sacerdotum, Epiſcoporum, Cardinalium, Abbatum: ſed hoc contigit a tempore Eugenii IV., quem Concilium Baſileenſe depoſuit, ſubrogato Amadeo Sabaudiæ Duce; legitimum enim erat Concilium toto tempore a duobus Pontificibus indictum: depoſitioni ſubſcripſerunt Legati: & tamen potentiâ Principum ſedem Eugenius retinuit illegitimus, ex quo ſemper Sacerdotalis genealogia illegitima extitit. Stylo acri fert Calvinus argumentum §. *Dilemmata*, ſubdens -- Hic deprehenſi hæreant, neceſſe eſt -- Idem argumentum inculcari poſſet ex aliis 23. Schiſmatibus, quæ paſſa eſt Eccleſia; & præcipue ex eo, quod accidit ſub tempore Conſtantienſis Concilii, tribus Pontificibus extantibus: ut habet Mornæus *in myſterio iniquitatis*.

Utique deprehenſi hæremus, tantam cæcitatem, tantamque admirantes audaciam in mendaciis evulgandis. Quis Calvinum docuit legitimam fuiſſe depoſitionem Eugenii a latrocinali Baſileenſi? Ab initio quidem legitimum fuit; ſed ubi contra Regulas juſti juris proceſſit, in ſpeluncam latronum tranſiit. Qua temeritate aſſerit ſemper in eadem majeſtate duraſſe Concilium, cum facta translatione ab Eugenio receſſerunt ex majori parte Epiſcopi: unde, ut loca implerentur, contra formam introducta eſt multitudo Presbyterorum. Abierunt legati, ſecuti Eugenium, Ferrariam, & Florentiam, ubi Concilium celebrabat ex Græcis, & Latinis Patribus floridiſſimum, ut Pius II. *in Bulla retractationis* habet.

Dicat Calvinus ex ſuis principiis: legitimum Concilium nonne eſt illud, quod indicitur ab Imperatore? Baſileenſi interfuitne Imperator ullus? Nunquam; ſed potius contrarium habuit, cum opere Federici III. Felix abdicaverit Paſtorale munus: Florentino verò præſens erat Græcorum Imperator, & Latinus per ſuos legatos. Deinde dato, quod legitime eſſet depoſitus Eugenius IV. pacificus conſenſus, & acceptatio Eccleſiæ totum revalidavit; exceptis enim paucis illis tumultuoſis, ab univerſis ſuſceptus eſt Eugenius, & tandem ab ipſis Baſileenſibus, quatenus Lauſannæ perſeverantes, ſubjecerunt ſe Nicolao V. Eugenii ſucceſſori.

Quantum ad reliqua ſchiſmata, ſtat regula, quam etiam D. Bernardus ſequitur *Epiſt.* 127. *ad Gerardum*. Vel enim oritur Contro-

verſia

Digitized by Google

verſa poſt pacificam electionem, & acceptationem, vel ante. Si primum, tunc quacunque adveniente contradictione jus non poteſt auferri, nec interrumpi debitæ ſucceſſionis ſeries; ſicut enim quorundam diſcedentium infidelitate fidei ſinceritas non frangitur, ita audaciâ quorundam, alium Paſtorem ſubinducere conantium, non læditur prioris electi veritas, & tunc maxime, cum aliquo juris exercitio ab electo fuit confirmata. Si ſecundum, ſtantibus hinc inde contendentibus pro veritate electionis, dubia remanet electio; verum & tunc non interrumpitur ſucceſſionis ordo legitimus, ſed res ſe habent, ut tempore ſedis vacantis, quod, etſi longiſſime duret, non officit ſucceſſioni. Primus caſus in rigore dicitur ſchiſma, ſecundus diſſenſio opinionum circa electionem ad Papatum: quo caſu ſi accidant aliqua acta pertinentia ad characterem, ut Sacerdotum, & Epiſcoporum conſecrationes, valida ſunt, utpote ab Epiſcopis prius legitimis: ſi vero pertineant ad juriſdictionem externam, poſt certam electionem fit proviſio, quæ circumſtantiis ſit congruentior. Ex quo non eſt neceſſe reſpondere ſingulis caſibus, neque illi de tribus Pontificibus, in quo ſecundum rei veritatem recta linea ſucceſſionis eſt illa Urbani VI., cui Bonifacius IX., Innocentius VII., Gregorius XII., Martinus V. ſucceſſerunt. De ſubjecto hujus argumenti in Controverſiis de Ordine plura dedimus.

In dubio de Electione ſedes cenſetur vacare.

120 OBJIC. VII. Deus conſuevit ingratitudinem ulciſci, abolendo fidem: ſed hiſce ſeculis plurima, & graviſſima commiſſa ſunt peccata; ergo dicendum eſt fidem aboleviſſe; ſic Calvinus §. *Dilemmata in praf.* -- „ Ubi eſt (fateor) illa horribilis Dei vindicta ſuper terram; ſed ſi ita meretur hominum impietas: cur iſti Dei ultioni obſiſtere nitimur? Sic anteactis ſeculis Dominus hominum ingratitudinem ultus eſt; „ nam, quia veritati ſuæ obedire noluerant, „ & lucem ſuam extinxerant, excæcatos ſenſu, & abſurdis mendaciis ludi, & altis „ tenebris immergi paſſus eſt; ut nulla veræ „ Eccleſiæ facies extaret --

Argumentum hoc pariter a Donatiſtarum lacunis excepit Calvinus, cui ſæpe reſpondet Aug., & præcipue *lib. 2. contra Petilianum cap. 47.* his -- Memento Sacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum &c. „ & mandatum Domini eſt, ut quæcunque „ dixerint, ſervemus, & faciamus; non item „ ſecundum opera eorum -- Et ipſimet adverſarii rem hanc fatentur, mala opera aliquorum non perdere Eccleſiam. Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 1. num.* 18. horrenda enumerari ſcelera a Prophetis fatetur; & tamen Eccleſiam periiſſe non dicit -- Neque tamen „ propterea, aut novas ſibi Eccleſias erigebant, aut nova altaria extruebant Prophetæ, in quibus ſeparata Sacrificia haberent -- *Cap. 2. num.* 7. habet -- Poſtquam deſerta „ lege degenerarunt ad Idololatriam, & ſuperſtitionem, ab illa prærogativa ex parte „ exciderunt. Quis enim auſit Eccleſiæ titulum eis præripere, apud quos Verbi ſui „ prædicationem, & myſteriorum obſervationem depoſuit Deus -- Et *num.* 9. iterum aſſerit, & loquitur de viſibili, in qua conveniebant ad orandum, & ſacrificandum, & miniſtri ordinabantur. Et *cap. 9. num.* 5. -- Quin Judæi veram Eccleſiam ſub Prophetis habuerint, negari non poteſt -- Qua ergo fronte ait, anteactis temporibus deperditam Eccleſiæ faciem, ulciſcente Domino hominum ſcelera?

Centuriatores *centur. 1. pag.* 193. dicunt -- Opera mala a doctrina bona diſcernenda, „ & neque ob mala opera perſonæ, doctrinam quoque ſanam eſſe rejiciendam, Dominos docet Matth. 23. dicens: Super Cathedram Moyſi &c. -- Idem Lutherus *lib. de virtute excommunicat., & in declarat. quorundam articulorum*. Idem Melancton. *in cap.* 11. *Danielis*. Præviderat Deus omnia ſcelera, cum Eccleſiæ perpetuitatem promiſit, & cum ſtatuerit nuſquam portas inferi prævalere, ſuâ pariter providentiâ ſtatuit, ne totum corpus peccaret. Deinde ſi aufert a toto corpore fidem propter peccata hominum, cur propter eadem non deſtruit Eccleſiam, quam vocant inviſibilem?

121 OBJIC. VIII. Eccleſia deficiet a fide tempore Antichriſti: ſed Antichriſtus jam revelatus eſt, Romanus, videlicet, Pontifex; ergo. Prob. maj. Danielis 9. de tempore Antichriſti dicitur: *Deficiet hoſtia, & Sacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio*. Lucæ 18. v. 8. *Veruntamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Nulla fides; ergo nulla Eccleſia. Item 2. ad Teſſalon. 2. v. 3. *Ne quis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*. (*Diſceſſio*) ideſt, niſi Eccleſia totaliter a fide defecerit; ergo.

Tripliciter retorquetur argumentum. Tempore Antichriſti deficiet omnis fides in Terra; ergo fides Proteſtantium, quam veram credunt, peribit: ſed Antichriſtus venit; ergo defecit eorum fides. II. Tempore Antichriſti deficiet hoſtia, & ſacrificium, & Templum deſolabitur: ſed hoſtia, & Sacrificium, & Templum apud Romanos in maximo ſplendore durat; ergo Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus. III. Tempus Antichriſti breviabitur: ſed jam diu perſeverat tempus Romani Pontificatus; ergo non eſt Antichriſtus.

Negatur ergo maj., & minor, alibi diſcutienda: nec valent loca adducta. Non locus Danielis, quem repetitum Matth. 24. v. 15., & Marci 13. explicat Lucas de deſtructione Jeruſalem, peracta per Veſpaſianum, & Titum, dicens cap. 21. v. 20. *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem; tunc ſcitote, quia appropinquavit deſolatio ejus. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes*. Quod ſi nihilominus ad tempora Antichriſti trahere volunt, non inde intentum obtinent; nam ſolum gravis prædicitur profanatio facienda in Divinis; & ex toto non defecturam Eccleſiam, & fidem eadem Scriptura declarat. Marci 13. dicitur: *Exurgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos*: ubi illa phraſis *ſi*

fieri

fieri poteſt, vim habet ad exprimendam conſtantiam, quæ erit in pluribus electis. Et Matth. 24. v. 12. *Et quoniam abundavit iniquitas: refrigeſcet charitas multorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Dixit *multorum*, non omnium: & infra num. 22. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi*. Quibus declaratur non defecturam totam Eccleſiam. A

Eodem modo ſolvitur ſecundus textus, quem pluries verſat Aug., & *de unitate Eccleſiæ cap.* 13. bene advertit locutionem non eſſe abſolutam, ſed dubitantis, & inquirentis, ob malorum pluralitatem, quod & *Epiſt.* 48. repetit -- Propter hanc enim abundan- B
„ tiam iniquitatis, quam futuram eſſe prædi-
„ xit, etiam illud poſitum eſt (cum venerit
„ filius hominis, putas inveniet fidem); du-
„ bitatio enim cuncta ſcientis, noſtram in
„ illo dubitationem præfiguravit, quando Ec-
„ cleſia ex multis ſperavit, ſæpe decepta, quod
„ aliter, quam ſperabatur, inventi ſunt. Sic
„ perturbatur in ſuis, ut de nullo facile bo-
„ ni aliquid velit credere; ipſos tamen, quo-
„ rum inventuros eſt fidem in terra, per to-
„ tum agrum cum zizaniis creſcere, dubitare
„ fas non eſt -- *Et in Serm.* 46. *de verbis Domini* exponit de fide perfecta, qua montes transferantur. Similiter Hieron. *Dial. contra Luciferianos* de ea fide, de qua dixit Dominus, non inveni tantam fidem in Iſrael, ſermonem ibi eſſe affirmat. C

Eandem ſolutionem habet locus alter, licet plures intelligant de defectione Romani Imperii; alii pro ipſo Antichriſto, qui diſceſſio dicitur, quia cauſa erit diſceſſionis. Falsò tamen diſceſſio explicatur pro totali defectione; hoc enim non ſonat, ſed partitionem, divulſionem, quæ utique aderit pluribus cadentibus. Ceterum ſicut plures cadent, ita plures addentur Eccleſiæ; plures in latebris latebunt, & plures mutuo fervore incaleſcent ad præliandum contra Antichriſtum, D & plures uſque ad effuſionem ſanguinis publice Chriſtum confitebuntur. Videndus eſt Aug. *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 8., ubi pulchre hæc probat explicando, qualiter tempore Antichriſti ſolvetur Diabolus nunc ligatus, ſed Eccleſia ſemper prævalebit.

Tempore Antichriſti ſtabit Eccleſia.

122 OBJIC. IX. Eccleſia viſibilis comparatur lunæ Cant. 6. *Pulchra ut luna*: Sed luna aliquando deficit; ergo etiam Eccleſia viſibilis aliquando deficit.

RESP. comparari etiam Soli, petræ firmæ, Paradiſo, fonti ſignato, terræ immotæ --
„ Quia in ſoliditate fidei perpetua firmitate
„ immobiliter perſeverat -- ut habet Greg. E Magn. *in Pſal.* 5. *pœnitentialem*. Luna quidem dicitur Eccleſia, ſed illa, de qua Pſal. 88. v. 38. *Sicut Luna perfecta in æternum*, de qua Iſaiæ 60. v. 29. *Luna tua non minuetur*: Eccleſia a ſapiente Architecto fundata eſt; non autem a ſtulto, qui ſicut luna mutatur; adeoque lunæ mutabili non aſſimilatur.

Luna dicitur Eccleſia, quia ex ſe ipſa non habet lumen, ſed a Sole Divino lucem veritatis recipit: unde de ea verificatur illud Iſaiæ 30. *Erit lux lunæ, ſicut lux Solis*: & ideo mulier amicta ſole deſcribitur. Hinc

Cur Eccleſia Lunæ aſſimilatur.

Aug. *Pſal.* 20. -- Luna intelligitur Eccleſia,
„ quod ſuum lumen non habeat, ſed ab Uni- A
„ genito Dei filio, qui multis locis in San-
„ ctis Scripturis allegorice Sol appellatus eſt,
„ illuſtratur -- Et cum Divini Solis lumen ſit indeficiens, pariter Eccleſia eſt indefectibilis. Luna etiam dicitur, quatenus -- Tem-
„ pora ſua habet perſecutionis, & pacis -- ait Ambroſius *lib.* 4. *Examerou. cap.* 2. -- Nam
„ videtur ſicut Luna deficere; ſed non defi-
„ cit: obumbrari poteſt, deficere non poteſt--

123 OBJIC. X. Ubi error, & ignorantia ſunt congenita, ibi dari debet defectibilitas: ſed Eccleſiæ eſt congenitus error, cum fateatur ſe conceptam in peccato originali: *Et in peccatis concepit me Mater mea*. Porro B Eccleſiaſtici 11. dicitur: *Error, & tenebræ peccatoribus concreta ſunt*: & ideo habet Pſalmiſta Pſal. 115. *Omnis homo mendax*.

RESP. Argumentum evincit etiam Eccleſiam inviſibilem eſſe defectibilem, cum conſtet hominibus peccato originali infectis. Vulnera a peccato originali inflicta, ſunt error, & malitia; ſed hæc reparantur virtute paſſionis Chriſti, qui mundat Sponſam ſuam lavacro aquæ, ut faciat illam non habentem maculam, neque rugam. Quod eſt impoſſibile viribus naturæ, poſſibile fit viribus gratiæ. Tenebræ factæ ſunt ſuper terram; ſed ubi Sol illuxit, diſſipatæ ſunt. In errorem C labi non poteſt, cui ſpiritus veritatis datus eſt in magiſtrum. Omnis quidem homo mendax, ſed qui de terra natus, non verò qui de Cœlo; filius autem Altiſſimi docet Eccleſiam. Homo ſibi relictus mendax eſt; non autem ſeipſum excedens dono ſapientiæ cœleſtis, & in exceſſu ſuo loquens. Ille, in quo ſunt omnes Theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, Eccleſiæ ſpecialiter aſſiſtit: *Diminuta ſunt veritates a filiis hominum*, ſed non a Filio Dei, qui eſt ipſa veritas. Pulchre Amb. *lib. de Incarn. cap.* 6. -- Nobis jam Chri-
„ ſtus Crucifixus eſt, & reſurrexit: Nobis jam
„ Spiritus datus eſt, qui eſt aſſertor veritatis: D
„ & diſcipuli quidem aliquando erraverunt,
„ cum putaverunt Chriſtum ſuper mare am-
„ bulantem, phantaſma eſſe, ne nos poſtea
„ errare poſſemus, ergo illorum error nobis
„ proficit. Quaſi homines erraverunt: quaſi
„ diſcipuli crediderunt -- ducti Spiritu Sancto non errarunt. Ex quo ſolvitur fallacia a diſtributivo ad collectivum; Eccleſia enim collectio eſt credentium, cui factæ ſunt promiſſiones.

Virtus paſſionis Chriſti Eccleſiam adjuvat.

124 OBJIC. XI. Neceſſe eſt Eccleſiam eſſe defectibilem, quoties Chriſtus non eſt ei continuò præſens; ſed ita eſt: nam Matth. E 25. dicitur, quod ſimile eſt Regnum Cœlorum homini peregre proficiſcenti, qui ſervis ſuis dedit bona ſua: non eſt ergo ſemper cum Eccleſia Chriſtus.

Ad litteram textus intelligitur de Chriſto, qui aſcendens in altum dedit dona hominibus, ideſt, diſtribuit dona gratiarum ad negotiandum, ideſt, ad merendum, reverſurus petere rationem de bono, & malo uſu, adeoque ad rem non eſt præſentis Controverſiæ. Quod ſi de Eccleſia ſit intelligendus, ſicut a Paulo ad Eph. 4. videtur explicari, ideo peregre dicitur profectus, quia corpora-

liter

Digitized by Google

liter abeſt, & per fidem ſolum præſens nobis proponitur, dirigens Eccleſiam inviſibiliter lumine veritatis, & viſibiliter per ſuos ſervos, Paſtores videlicet, quibus talenta doctrinæ contulit, & quidem indefectibiliter; & ideo revertens invenit multiplicata quinque, & duo talenta, ſcilicet Chriſtum ipſum pronunciatum in quinque libris Moyſis, & doctrinam novi Teſtamenti, doctrinæ veteris Teſtamenti invenit copulatam. Solummodo unum talentum vacuum fructu deprehenditur, Populus Judaicus ſuis inanibus legalibus adhuc confidens.

Chriſtus viſibiliter per Miniſtros regit Eccleſiam.

125 OBJIC. XII. Ex promiſſionibus conditionatis non arguitur infallibilitas perpetuitatis: ſed promiſſiones Eccleſiæ factæ dici poſſunt conditionatæ, ſi fideles peccata fugiant, ſicut ſunt illæ, quas fecit Deus Exodi 30. Populo Hebraico circa ingreſſum in terram Paleſtinæ, in quam propter peccata non ſunt ingreſſi Iſraelitæ; verum enim eſt illud Chryſoſtomi *Pſal.* 128. -- Etiam ſi bona promittat; viſi autem fuerint indigni, qui promiſſa erant conſecuturi, revocatur promiſſum --

RESP. Negari non poteſt, quin aliquæ dentur promiſſiones comminatoriæ, & conditionatæ: eæ tamen, quæ Infallibilitatem Eccleſiæ aſtruunt, non ſunt hujus generis. Regula generalis eſt, quod præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper; affirmativum verò pro tempore. Promiſſiones circa Eccleſiæ indefectibilitatem, aliæ ſunt ſemper pro ſemper, aliæ pro tempore. Pro tempore illæ ſunt, quibus promittitur ſpecialis aſſiſtentia in occurrentibus indigentiis, ut quando aliqua quæſtio eſt dirimenda: Semper pro ſemper illæ ſunt, quibus ſtatuitur, quod nunquam deficiet; & quia præceptum negativum ſolet exprimi phraſi negativa, quæ deſtruit, quidquid invenit poſt ſe, ita promiſſiones pro ſemper obligantes terminis negativis exprimuntur. Ex hujuſmodi plures dedimus, ut Iſaiæ 33. *Quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur Clavi ejus in ſempiternum*: Jerem. 1. *Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt*: Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: Et Pſal. 88. Item 2. Reg. 7. Promittitur in David perpetuitas Eccleſiæ; etſi peccaverint fideles, quos in virga corriget Deus, ſed ab ipſis miſericordiam ſuam non diſperget: & qualitas Eccleſiæ conditionem excludit; ſemper enim dari debet medium ſalutis, ſemper diſtinguendi ſunt Hæretici a fidelibus, ſemper audienda eſt Eccleſia: hæc autem non ſubſiſtunt, ſi ob peccata evacuatur promiſſio.

Promiſſiones Eccleſiæ factæ indefectibiles, & abſolutæ.

CONTROVERSIA VIII.

AN ECCLESIA SIT SANCTA, ET QUALITER.

126 SAnctitas ſummum bonum eſt, & omnium bonorum origo. Pulcherrimam hanc Chriſti Sponſæ dotem deturpare conati ſunt Hæretici variis errorum ſpurcitiis, quas in Controverſiarum examine impugnavimus, a quibus recenſendis nunc abſtinere neceſſe eſt; ſuas enim propria habent ſedes. Sufficit generaliter ſolum aliquos innuere ſectarios, qui Sanctitate Eccleſiam ſpoliaverunt.

Rogerius Hovendovius *in annal. Anglicanis* refert Albigenſes Eccleſiam Romanam dixiſſe meretricem illam, quæ in Apocalypſi deſcribitur. Sanderus *lib.* 7. de viſibili Monarchia affirmat idem tenuiſſe Petrum Joannis, quem mortuum combuſſerunt Catholici. Idem ſentit Mornæus *in ſuo Myſterio iniquitatis oppoſit.* 58. Eraſmus *in colloquiis, colloquio de fide* docet, non eſſe dicendum *Credo Sanctam Eccleſiam*: Quia conſtat ex hominibus, qui falli, & fallere poſſunt. Lutherus *de ſervo arbitrio* contra Eraſmum ait -- A nobis, qui negamus Sanctimoniam, & miracula exigi non debent; a vobis, qui aſſeritis, debent &c. Miracula, Spiritum, Sanctimoniam non exigimus -- Sed ubi preſſius de Eccleſia Romana loquuntur, inſano ſpiritu furentes univerſi Proteſtantes eam una voce proclamant Satanæ ſtabulum, mulierem Babylonicam, proſtitutam, qua de re infra.

Sicut Sancti denominatio ex multiplici ethymologia deſumitur, ita ſanctitatis privilegium titulo multiplici Eccleſiæ convenit: quare breviter explicandum eſt, quotupliciter Sanctum dici aliquid poteſt. Sanctum primo dicitur ex Doctore Angel. 2. 2. *q.* 81. *art.* 8. a munditia, quam importat -- Et huic ſignificationi convenit nomen Græcum, dicitur enim Agios, ideſt, ſine terra -- Secundo a firmitate quam dicit -- Unde apud antiquos Sancta dicebantur, quæ legibus erant munita; ut violari non deberent: unde aliquid dicitur ſanctum, quia lege firmatum eſt -- Tertio a tinctione ſanguinis -- Eo quod antiquitus qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur -- ut Iſid. dicit *lib. Etym.* Quarto ab applicatione ad Divinum Cultum, quomodo Sancta omnia dicuntur, quæ Divinis obſequiis deputantur vaſa, veſtes, Templa, & ſimilia. Quinto ab obſervatione, quatenus Sanctitas facit obſervare ea, quæ ad Deum pertinent. Sexto a ſcientia, quatenus Sanctum idem eſt, ac præditum ſcientiâ juſtorum, juxta illud, quod ex Ariſt. recitat Albertus Magnus *lib. laudabilium bonorum* -- Sanctitas eſt virtus ſcientiæ, ea faciens, quæ ad Deum ſunt juſta -- Septimò a Sacrando, quatenus illud dicitur Sanctum, quod ſanctificat: aliis etiam modis dicitur Sanctum, ſed ad rem noſtram non pertinent.

Sanctum multipliciter aliquid dicitur.

Primum ſignificatum formalem fundat Sanctitatem, qua intrinſece anima pulchra redditur coram Deo mediis donis gratiæ Sanctificantis. Secundum fundat Sanctitatem legum, quibus homo dirigitur ad bene vivendum circa mores. Tertium Sanctitatem cauſæ principalis meritoriæ, cujus pretio peccati macula redimitur. Quartum Sanctitatem inſtrumentorum, quæ aſſumuntur pro Cultu Divino exhibendo. Quintum Sanctitatem rituum, & ceremoniarum, quibus Cultus Divinus exercetur. Sextum Sanctitatem Doctrinæ, qua Divina veritas proponitur credenda. Septimum Sanctitatem cauſæ inſtrumentalis, ſeu effectivam, qua Sanctitas formalis producitur, & conſervatur. His prælibatis

Dico

Dico . Eccleſia eſt ſimpliciter Sancta .

127 PROB. I. generaliter : Verbum Dei nec fallit, nec fallitur ex Hæreticis , qui regulam credendorum Scripturam elegerunt : ſed verbo Dei dicitur Sancta Chriſti Eccleſia ; ergo infallibiliter talis eſt : Min. oſtenditur : Pſal. 92. v. 5. *Domum tuam decet Sanctitudo Domine in longitudinem dierum* : Domus hæc eſt Eccleſia Calvino ipſo teſte *lib. 4. inſtit. cap. 7. §. 25.* Cantic. 6. v. 9. *Quæ eſt iſta , quæ progreditur quaſi aurora conſurgens , pulchra ut Luna , electa ut Sol , terribilis ut caſtrorum acies ordinata ?* Ubi pulchritudo, ibi non eſt macula turpitudinis : dicitur progredi Eccleſia velut aurora , quia luce ſuæ prædicationis per univerſum orbem dilatatur . Iſal. 60. v. 13. *Ad ornandum locum Sanctificationis meæ &c. Et venient ad te curvi Filii eorum , qui humiliaverunt te , & adorabunt veſtigia pedum tuorum* : Quibus deſcribitur converſio ad Eccleſiam gentilium, & tyrannorum , eam perſequentium , quam locum Sanctificationis vocat Propheta .

Eccleſia locus ſanctificationis .

Ezechielis 37. v. 26. *Fundabo eos , & multiplicabo , & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum &c. Et ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus . Et ſcient gentes , quia ego Dominus Sanctificator Iſrael , cum fuerit Sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum* . Ubi enim perpetuò Deus Eccleſiam Sanctificat , neceſſe eſt aſſerere Eccleſiam Sanctam eſſe . Oſeæ 2. v. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia , & in miſerationibus* . Vinculum , quo unitur Eccleſia cum Chriſto , eſt Sanctitas , & miſericordia , qua a culparum maculis emundatur Grex Chriſti . Apocalypſis 21. v. 2. *Ego Joannes vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de Cœlo a Deo , paratam , ſicut Sponſam ornatam viro ſuo* . Ideo Sancta eſt Eccleſia , quia terram neſcit , e Cœlo deſcendens . Ad Rom. cap. 1. Salutans Apoſtolus Eccleſiam univerſalem Romanam , cujus fides in univerſo orbe prædicatur, vocat Sanctam : *Omnibus , qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis* : cap. 16. *Et omnes, qui cum eis ſunt, Sanctos* : *Omnes* dicit , quatenus conſtituunt corpus integrum Eccleſiæ . Unde 1. Petri 2. v. 9. dicitur : *Vos autem genus electum , regale ſacerdotium, gens Sancta , populus acquiſitionis* .

Deus perpetuò Eccleſiam ſanctificat .

128 PROB. II. Corpus , cui ſecundum omne genus cauſæ , & ſecundum etymologiam convenit Sanctitas , abſolute Sanctum dici debet : ſed Eccleſia eſt hujuſmodi ; ergo eſt abſolute Sancta . Min. declaratur inductione . Ex parte capitis, nulli dubium eſt, niſi ei , qui Deum non agnoſcit , nec Chriſtum, quia eſt ſanctitas per eſſentiam : nec ex parte cauſæ efficientis principalis moralis, quia ad Eph. 5. dicitur : *Chriſtus dilexit Eccleſiam , & ſe ipſum tradidit pro ea , ut ſanctificaret eam* , ad Coloſſ. 1. v. 20. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum , pacificans per ſanguinem Crucis ejus , ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt* . Apocalypſis 1. *Dilexit nos , & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo* : ubi verificatur denominatio Sancti, quæ a reſperſione ſanguinis dicitur : cui reſpondet illud Iſaiæ 62. *Populus Sanctus , redempti a Domino* .

Eccleſiæ Sanctitas, ex Capite , & ex Sacramentis .

Ex parte efficientis inſtrumentalis : ad Eph. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* : cui correſpondet illud Jerem. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini* : & Actor. 22. *Baptizare , & ablue peccata tua* : & Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis* : quibus exprimitur efficacia virtutis , quæ eſt in Sacramentis ad tollendas peccatorum maculas , & ad producendam gratiam , quæ eſt ipſa pulchritudo interior : ex qua etiam habemus denominationem Sancti , quæ a ſacrando dicitur .

Ex parte cauſæ formalis extrinſece , quæ conſiſtit in ipſa doctrina fidei per dilectionem operantis, & Legum : de prima habemus Zachariæ 8. *Hæc dicit Dominus exercituum , reverſus ſum ad Sion , & habitabo in medio Jeruſalem , & vocabitur Jeruſalem Civitas veritatis , & mons Domini exercituum , mons ſanctificatus*, quia ex ſola Catholica Eccleſia veritas conſpicitur . Joan. 17. *Sanctifica eos in veritate* . Nec poteſt non niſi legitimam tradere doctrinam , quæ eſt *columna , & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. ut ſuperius diximus .

Sanctitas doctrinæ .

De ſanctitate legum , Pſ. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas &c. juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda : præceptum Domini lucidum illuminans oculos* . Levit. 20. *Eritis mihi Sancti* , ait Dominus, *quia Sanctus ſum ego* : & Matth. 5. *Eſtote ergo vos perfecti , ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* : quibus inducit ad imitationem ſui Chriſtus Dominus , ſicut faciebat Paulus 1. ad Corinth. 11. *Imitatores mei eſtote , ſicut & ego Chriſti* : in imitatione autem Chriſti Summa Sanctitatis conſiſtit . Doctrina Legis , quæ præcipit omne genus virtutis, nequit non eſſe Sancta : ſed Lex Chriſti præcipit exercitium cujuslibet virtutis, ut patet in Evangelio , & Paulus ad Coloſſ. 3. hortatur induere nos, ſicut electos Dei , benignitatem , humilitatem , modeſtiam, patientiam , & ſuper omnia charitatem , quæ eſt vinculum perfectionis . Lex , quæ præcipit mundi contemptum , non poteſt eſſe niſi Sancta ; omnia enim peccata ortum habent ex concupiſcentia terrenorum : ſed Lex Chriſti præcipit contemptum mundanorum Joan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam . Qui non renunciat omnibus , quæ poſſidet , non poteſt meus eſſe Diſcipulus* , Lucæ 14. : & habemus etymologiam a ſcientia , & firmitate per hæc eadem teſtimonia .

Legum Sanctitas .

Ex parte cauſæ formalis intrinſecæ, quæ eſt gratia ſanctificans interius mundans a maculis peccatorum , & conſtituens filios adoptivos Dei , de qua pluries Scriptura , & Tridentinum *Seſſ. 6. cap 7.* Ex parte cauſæ materialis , quia plura adſunt membra Eccleſiæ, gratia Sanctificante ditata; 1. ad Corinth. 3. *Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos* : & cap. 6. enumeratis iniquitatibus , quibus prius erant maculati , dicitur: *Et hæc quidem fuiſtis , ſed abluti eſtis , ſed Sanctificati eſtis* . Ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti , quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratia ipſius , heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ* , ad Rom. 5. v. 5. *Quia*

Plura Eccleſiæ membra ſancta .

cha-

charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis: & alibi ſæpe. Etiam in veteri Teſtamento Pſal. 84. *Et ſuper Sanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor*. Pſal. 85. *Cuſtodi animam meam, quoniam Sanctus ſum*. Et ſemper Eccleſia quoſdam habuit ab Abel uſque ad nos, ſanctitate conſpicuos, ut ex Catalogiſtis apparet, & Paulus docet ad Hebræos 11., ubi enumeratis pluribus veteris legis ſubdit: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Quibus docemur melius fuiſſe noſtræ Eccleſiæ proviſum, quam veteri: ſi ergo in ea ſemper ſucceſſive fuerunt aliqui ſanctitate præcellentes, ut hiſtoria demonſtrat, quanto magis in Eccleſia Chriſti? Docemur item ſucceſſive alios ſemper addendos, donec compleatur numerus, quod fiet Judicii die, & ſcriptum reperitur Apocal. 6. v. 11. *Dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum*. Tempus hoc modicum eſt ſpatium intermedium ab initio prædicationis Evangelicæ uſque ad finem mundi; ac per conſequens eo ſpatio dari debent ſemper aliqui pietate celebres.

Ad cauſam materialem reducuntur inſtrumenta, quæ aſſumuntur pro exercendo Divino cultu, ut vaſa, veſtes, Templa: ſed hæc pariter in Eccleſia Sancta ſunt. Exodi 28. *Facient veſtimenta ſancta fratri ſuo Aaron*: & 30. cap. ver. 26. *Arcam teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia ejus, altaria Thymiamatis, & holocauſti, & univerſam ſupellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum &c. Oleum unctionis Sanctum &c. Sanctum Sanctorum erit vobis Thymiama*: quæ plene in Eccleſia Chriſti obſervantur, dum ſacris benedictionibus immediate deſervientia cultui Divino conſecrantur. Pſalm. 95. *Adorate Dominum in atrio Sancto ejus*: quod de Templo dicitur 2. Eſdræ 8. *Sanctus dies Domini eſt*: quod de feſtis diebus profertur. Ex quo patet Sanctitas etiam rituum, & ceremoniarum, quibus cultus Dei exercetur, votorum, ſacrificiorum, ſic de ſimilibus, quæ omnia commendantur in Scripturis, & pro quibus exequendis inſtrumenta ſanctificantur: & habemus duplicem denominationem Sancti, ab applicatione, & obſervatione.

Ritus Eccleſiæ ſancti.

Ex parte cauſæ finalis nulla eſt difficultas, cum hæc ſit poſſeſſio gloriæ beatificæ, quæ eſt unio fruitiva Sancti per eſſentiam: & ideo dicitur: Epheſ. 5. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata*: & de Civitate Beatorum dicitur, quod nihil coinquinatum introibit in eam; tandemque deſcribitur ex lapidibus pretioſis, & auro ornata, lumine ſolis non indigens: ex omni genere cauſæ igitur corpus Eccleſiæ Sanctum dicitur.

Sancta Eccleſia ex fine.

Si Sanctum dicimus cum Aug. *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſs. cap. 26.*, quod ab aliquo principio mundo ducit originem. Sancta eſt Eccleſia, quæ a Chriſto Domino Sanctorum Sancto fundata eſt, & per Sanctos Apoſtolos propagata; unde verificatur illud Tobiæ 8 v. 5. *Filii quippe Sanctorum ſumus*. Si Sanctum dicitur, quod ſacris præeſt, unde qui præerant ſacris a Poetis apud Tullium *orat. pro Archia*, & a Plutarcho *de oraculorum defectu* Sancti dicebantur, Sancta eſt Eccleſia propter ordinem Hierarchicum Sacerdotum, & Epiſcoporum, qui per impoſitionem manuum Presbyterii recipiunt conſecrationis gratiam. Si Sanctum dicitur ex donorum fœcunditate, Sancta dicitur Eccleſia Pſal. 64. v. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ*; quod de præſenti Eccleſia explicat Gloſſa.

Dicant ergo Hæretici cum quatuor primis Conciliis, quæ ipſi ſuſcipiunt, *Credo Sanctam Eccleſiam*. Dicant cum Irenæo *lib. 3. cap.* 40. -- Ubi Eccleſia, ibi ſpiritus Dei, & ubi
„ ſpiritus Dei, ibi Eccleſia, & omnis gratia --
Dicant cum Ambroſ. *lib. 3. Hexameron* -- Ec-
„ cleſia eſt ſacrarium Trinitatis, Sanctitatis
„ domicilium, Eccleſia Sancta, refulget cœ-
„ leſtis aula -- Dicant cum Aug. *Pſal.* 150.
-- Eccleſia Sanctorum, Eccleſia Catholica --
cum Agathone *diſt. 19. cap. Sic omnes* -- Sic
„ omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones acci-
„ piendæ ſunt, tanquam ipſius Divina voce
„ Petri firmatæ -- cum Optato Milevit. *lib. 2.*
§. *Feſtat* -- De ſanctis ejus membris, ac vi-
„ ſceribus tacuiſti, quæ ſunt procul dubio
„ in Sacramentis, & in nominibus Trinita-
„ tis, cui concurrit fides credentium, & pro-
„ feſſio &c. -- Utique plantationes Dei ſunt
„ diverſa ſemina per diverſa præcepta, juſti
„ continentes, miſericordes, & Virgines --
ubi & Paradiſum vocat Eccleſiam. Sanctitas igitur, quæ eſt complexum conſtans omni genere Sanctitatis, eſt proprietas Eccleſiæ quoad totum corpus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

UT ſanctitatem denigrent Eccleſiæ Sectarii, diverſa movent argumenta adverſus hanc, illamve Legem, hunc vel illum ritum: ſed hæc omitti nunc debent, cum ſolum Sanctitas abſoluta, & ſimpliciter examinetur. An vero hæc, illave ceremonia Sancta ſit, locum alium habet; & ſi Sancta non ſit, Eccleſiæ non erit, nec ab ea approbabitur. Univerſalia ergo adducamus momenta.

129 OBJIC. I. Proprietas ſoli Deo conveniens, ſimplici creaturæ nequit aptari, ſed Sanctitas ſoli Deo convenit, juxta illud Cantici Eccleſiaſtici: *Tu ſolus Sanctus*; ergo nequit Eccleſiæ tribui, cum ſit ſimplex creatura.

RESP. In eodem Cantico etiam dicitur: *Tu ſolus Dominus*, & hoc non obſtante Scriptura aliis hunc tribuit titulum, cum præcipiat ſervis, ut obediant Dominis ſuis. Si Sanctitas ſimplici creaturæ non competeret, quomodo Canticum Zachariæ ſuaderet, ut ſerviamus Domino in Sanctitate, & juſtitia omnibus diebus? Deus ergo ſolus eſt Sanctus naturaliter, & per eſſentiam, creatura vero gratuito, & participative; ſic Aug. *Pſal.* 75. -- Dicat unuſquiſque fidelium, Sanctus ſum.

Eccleſiæ ſanctitas a Deo.

„ Non eſt iſta ſuperbia elati , ſed confeſſio „ non ingrati ; ſi enim te dixeris ex te eſſe „ Sanctum , ſuperbus es . Rurſus fidelis in „ Chriſto, & membrum Chriſti (*intelligitur* „ *vivum*) ſi te dixeris , non eſſe Sanctum , „ ingratus es --

130 OBJIC. II. Corpus , quod ſequitur amatores multos , non eſt Sanctum : ſed Eccleſia eſt hujuſmodi : Ezechiel. 16. , per quem conqueritur Dominus dicens ver. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua , fornicata es in nomine tuo , & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti , ut ejus fieres .* Et Iſa. 1. v. 21. *Quomodo facta eſt meretrix Civitas fidelis ?*

Nuſquã Synagoga ſine ſanctitate.

RESP. neg. min. Locis illis deſcribitur ſtatus ſynagogæ ſub Prophetis , quando plures Iſraelitæ gentium admiſtione declinaverunt ad idololatriam ; nunquam tamen defuerunt viri Dei in illo flebili ſtatu , qui Deum ſincere colerent, ut in ſuperiori vidimus Controverſia , unde Hieronym. habet *in cap. 1. Iſa.* -- Nec ambigo fuiſſe in ea ſanctos, quan„ do tabernaculum Dei habuit --

131 OBJIC. III. Corpus omnino nigrum, moraliterque fœdum nequit abſolute dici Sanctum , & pulchrum : ſed Eccleſia eſt hujuſmodi , Pſal. 44. *Audi filia , & vide , & inclina aurem tuam , & obliviſcere populum tuum , & domum Patris tui .* Filia hæc , utique , eſt Eccleſia a Domino concupita : domus Patris ſui eſt Diabolus, ut explicat Hieronymus , in qua domo eam totam nigram dicit . Et Aug. ſuper eundem Pſalmum fœdam Eccleſiam appellat, & nihilominus amatam a Domino , probatque fœditatem ejus illo Pauli ad Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt , & egent gloria Dei* . Si omnes peccaverunt : utique tota Eccleſia fœda eſt .

Eccleſia pulchra.

RESP. neg. min. Non enim eſt fœda Sponſa illa , quam formoſam , & decoram agnoſcit Scriptura ; non enim nigram moraliter diligit Sponſam Sponſus ille præ filiis hominum ſpecioſus ; non enim turpis eſt Regina , quæ aſtitit a dextris Dei in veſtitu deaurato , circumdata varietate . Ea propter textus non appellat ſupra Eccleſiæ corpus, ſed ſuper ſtatum gentilitatis , ex qua per converſionem genita ſunt membra Eccleſiæ , & abſque dubio domus ejus , domus erat Diaboli , ibique tota fœda , tota maculis plena . Audiamus Hieronymum -- Obliviſcere do„ mum Patris tui , ideſt , Diabolum , qui te „ prius genuerat , quia totus mundus in „ maligno poſitus erat : Ideo inclina aurem „ tuam , quoniam concupivit Rex ſpeciem „ tuam , Chriſtus Jeſus , a quo regeris : quia „ nigra eras in domo Patris ; nunc autem „ aſcendens poſt Baptiſmum , vel intus ablu„ ta , vel gratia fidei candida ; quia ipſe eſt „ Dominus , a quo redempta es -- Aug. loquitur de perſonis Eccleſiam componentibus in ſtatu priori ad Baptiſmum, ſub quo originaria labe Infectæ ſunt . De hac culpa loquitur Paulus , probatque iterum ſic. *Etenim pro impiis Chriſtus mortuus eſt ; amata eſt fœda , ne remaneret fœda ; non enim vere fœda amata eſt , quia non fœditas amata eſt .*

132 OBJIC. IV. Corpus, in quo membra plura numero ſunt maculata , nequit abſolute dici pulchrum : ſed in corpore Eccleſiæ plura numero membra ſunt peccatis reſperſa ; Infinitus eſt enim ſtultorum numerus ; ergo abſolute Sancta non poteſt appellari . Maj. eſt clara , nam malum ex quocumque defectu : aliàs denominatio deſumitur a majori parte : & accidens parti conveniens totum denominat ; unde homo claudus dicitur ex unius pedis inæqualitate .

RESP. Hi , qui tenent peccatores non eſſe vera membra Eccleſiæ, ſe expediunt negando conſequentiam , quia corpus dicitur Sanctum , ut complexum , ſeu compactum ex propriis membris . Verum non cogit inſtantia ad has anguſtias ; nam probationes adductæ non ſortiuntur veritatem in omnibus entibus naturalibus , & moralibus . Si homo reſperſus ſit aliquibus maculis in pedibus , manibus , dorſo , humeriſque , ſi tamen membrorum proportionem , & coloris diſpoſitionem retineat in partibus præcipuis , puta , vultu : pulcher abſolute dicitur . Pariter una Civitas opulenta dicitur ex mercatorum frequentia , etiamſi plures in ea ſint pauperes , & ſic de pluribus aliis denominationibus : & ratio eſt , quia denominatio in iſtis deſumitur a famoſiori , & principaliori ; ſicut etiam in entibus naturalibus : famoſius autem, & primarium in Eccleſia ſunt membra Sancta ; hæc enim ſunt velut facies hominis . Axioma vero illud ; malum ex quocumque defectu , locum præcipue habet in actibus moralibus , qui vitiantur ex qualibet mala circumſtantia : & maxima illa philoſophica , quod accidens parti conveniens de toto dicatur , non eſt vera in omnibus , & maxime ubi convenit ignobiliori parti : quare abſolute non dicimus Æthiopem album ex albedine dentium. Aliud verò dictum , quod ex majori numero appellatio dicitur , potiſſime verificatur in conflictu teſtium , & ſuffragiorum . Verum nec ad hæc cogimur : abſolute Sancta dicitur Eccleſia ex profeſſione promovendi ad Sanctitatem per media omnia Sancta .

Quomodo Eccleſia Sancta inter peccatores.

133 OBJIC. V. Corpus, in quo omnia membra ſunt fœda , non poteſt ſimpliciter dici pulchrum , etſi hinc inde pulchritudo aliqua reluceat : ſed ſingula membra Eccleſiæ ſunt peccatis fœdata , Matth. 6. ubi univerſi docemur orare. *Dimitte nobis debita noſtra* . Et 1. Joan. 1. *Si dixerimus , quoniam peccatum non habemus , ipſi nos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt* . Et ideo Aug. *in fine lib. 1. Enchirid.* verſans illud ad Epheſ. 5. *Ut exhibeat ſibi Eccleſiam glorioſam , non habentem rugam, neque maculam* , juxta ejus litteram affirmat -- Non in illo ſeculo , ſed in „ futuro fieri --

RESP. Argumentum non impetere abſolutam denominationem Eccleſiæ , provenientem ex complexu omnium cauſarum , ſed ex ſola Sanctitate ſubjectiva , ſeu formali : ſed neque ex hoc capite evincit : nam Sanctitas formalis ſubſtantialis conſiſtit in emundatione ab omni peccato charitati incompoſſibili , & hæc Sanctitas optime componitur cum levibus culpis , & imperfectionibus , quæ ſicut ſimpliciter maculæ non ſunt , ſed ſecundum quid , ita nec ſimpliciter denominant macu-

Sanctitas componitur cum venialibus.

latum

larum, nec ſimpliciter tollunt denominationem Sancti; & ideo culpis venialibus non obſtantibus, propter juſtos dicitur de Eccleſia Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Pſal. 118. *Beati immaculati in via*. Pſal. 14. *Qui ingreditur ſine macula*. Inductæ verò auctoritates de levibus loquuntur lapſibus, qui in dies accidunt viris, etiam perfectionis ſtudioſis. Sic Aug. *de perfectione juſtitiæ cap.* 16.

134 OBJIC. VI. Non poteſt denominari Eccleſia abſolute Sancta, quamdiu pro nullo inſtanti ſumus certi in omnibus membris ipſam non defeciſſe a gratia: Sed non ſumus certi; quoniam de nullo habetur certitudo, quod in gratia ſit confirmatus, & de omnibus dicitur Eccleſ. 9. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*: Sicut ergo defecit ex toto ſub Adam, & Eva, ita alias poterit deficere.

Quovis tempore aliqui juſtus in Eccleſia.

RESP. neg. min. Sumus omnino certi, quod in corpore Eccleſiæ debeant eſſe ſemper membra aliqua a peccatis gravibus munda propter divinas promiſſiones: unde pro toto corpore datur privilegium confirmationis. Locus porro Eccleſ. appellat ſupra ſingulos diſtributive acceptos. Illud de Adam, & Eva non obeſt; Eccleſia enim non incœpit ab iis in ſtatu Innocentiæ, ſed in ſtatu reparato per remiſſionem peccati commiſſi. Sicut ergo ſumus certi, quod pro nullo inſtanti Eccleſia deficiet in ſingulis a fide, ita nec a charitate in aliquibus.

135 OBJIC. VII. Quod convenit aliis ab Eccleſia, non eſt proprietas ejuſdem; ſed Sanctitas convenit aliis, 1. Corinth. 7. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem*; & filii, qui ab hoc conjugio naſcuntur Sancti ibidem vocantur, etiamſi non ſint incorporati Eccleſiæ.

RESP. neg. min. ſi proprie loquamur: dicuntur tamen aliqua Sancta, ut ſupra vidimus, ratione originis, & principii, quamvis in ſe Sancta non ſint, nec ſint corpori Sancto inſerta. Locus Pauli ſenſum habet litteralem, quod legitimum ſit conjugium ex natura rei, Infidelis cum fideli; & ideo filii naſcuntur Sancti, ideſt, legitimi. Myſticum etiam ſenſum admittit, quia non raro bono exemplo, ſuaſionibus, & orationibus fidelis conjugis ad fidem convertitur infidelis, ut Siſinnius per Sanctam Teodoram, & filii educantur in vera Religione. Videatur D. Thom. ibidem.

CONTROVERSIA IX.

AN VERA ECCLESIA SIT CATHOLICA.

136 MEritò poſt Sanctitatis prærogativam fatetur Eccleſiam Catholicam Symbolum CP. dicens: *Credo unam Sanctam Catholicam*; nam cum bonum ſit ſui diffuſivum, univerſalitatem quandam neceſſario includit. Porro nomen Catholici univerſalitatem ſignificat ſecundum ſenſum veterum Patrum, ex quibus nobis Auguſtini auctoritas ſufficit *de unitate Eccleſiæ cap.* 2., ubi inquit -- „ Quæſtio certe inter nos verſatur, ubi ſit „ Eccleſia: utrum apud nos, an apud illos, „ quæ utique una eſt, quam majores noſtri „ Catholicam nominarunt, ut ex ipſo no„ mine oſtenderent, quia per totum eſt; ſe„ cundum totum enim (*catholon*) græce di„ citur -- Et Gaudentium redarguens *lib.* 2. *cap.* 2. ait -- Quod ſi diſplicet tibi, non græ„ cam, ſed aliquam linguam inveni, qua do„ ceas Catholon, non per totum, ſive ſecun„ dum totum, vel ſecundum univerſum ſi„ gnificare, & recede a teſtimonio Cypria„ ni; ille namque contra te loquitur, qui „ vides, quid dicat: per totum orbem dicit, „ & per univerſam terram porrigi, extendi„ que Catholicam, græco ejus nomini, ac „ definitioni conſentiens -- Igitur Eccleſiam eſſe Catholicam dicit Eccleſiam ubique diffuſam eſſe.

Eccleſia tripliciter dicitur Catholica.

Diffuſio hæc deinde tripliciter accipitur, ſicut *in expoſitione Symboli cap.* 12. tradit. D. Thomas his -- Eſt autem Catholica, hoc eſt „ univerſalis, primo quantum ad locum, „ quia eſt per totum mundum, contra Do„ natiſtas. Rom. 1. Fides veſtra annunciatur „ in univerſo mundo. Secundo eſt univerſa„ lis, quantum ad conditionem hominum, „ quia nullus abjicitur, nec Dominus, nec „ ſervus, nec maſculus, nec fæmina. Tertio „ eſt univerſalis, quantum ad tempus: nam „ aliqui dixerunt, quod Eccleſia deberet du„ rare uſque ad certum tempus: ſed hoc fal„ ſum eſt, quia hæc Eccleſia incœpit a tem„ pore Abel, & durabit uſque ad finem ſe„ culi, Matth. ultimo --

Novatores, ne redarguantur ex tam præclara proprietate extra veram Chriſti Eccleſiam ambulare, Donatiſtarum, & Tertullianiſtarum veſtigia prementes (ut patet ex ipſo Tertul. *lib. de exhortat. caſtitatis*) Eccleſiam Catholicam eſſe negaverunt. Lutherus *in prioribus Catechiſmi editionibus* retinuit in Symbolo nomen Catholicæ, ſed in editionibus poſterioribus abraſit, ſubſtituitque vocem Chriſtianæ, dicens: *Credo Eccleſiam Chriſtianam*, docetque contra Ambroſium Catherinum -- Eccleſiam non eſſe locorum univer„ ſalitati alligatam -- Et *lib. de notis Eccleſiæ* ſcribit -- Diabolum, juxta Dei Eccleſiam, ſa„ cellum longe majus, & amplius condidiſ„ ſe -- Ex hoc Germanicum illud proverbium exortum eſt -- Cuicumque veri Dei „ Templo, aliquod unum Diaboli ſacellum „ adjacet -- Lutherum ſecuti ſunt ejus Aſſeclæ; & ideo *in colloquio Alteburgenſi an.* 1568. vocem Catholicæ irrident Magdeburg. *cent.* 1. *lib.* 1. *fol.* 154. Muſculus *locis communibus cap. de Eccleſia part.* 1.

Calvinus cum ſuis *in Epiſt. ad Regem* negat dotem Eccleſiæ eſſe univerſalitatem, dicens -- Vis unquam ita ſe habent res huma„ næ, ut pluribus placeant meliora; quare „ univerſalitas non eſt nota fidei, vel Eccle„ ſiæ -- Quibus nolens fatetur univerſalitatem eſſe inter meliora. In Cathechiſmo autem erubeſcens excludere nomen Catholicæ, illud extorquet ad alium ſenſum *in Dominica* 15. ſic -- Catholicum poſitum eſt ad ſignificandum, quod ut unum eſt tantum caput

 „ fide-

„ fidelium, ſic debent eſſe unum corpus, ita „ ut non plures Eccleſiæ, ſed una tantum ſit „ per orbem diffuſa -- quam prædeſtinatorum appellat. Beza *in præf. ad novum Teſtamentum* -- Vaniſſimam vocem Catholicam -- eſſe dicit. Puritani Angli pariter nomen Catholicum ſubſannationibus excipiunt, ſicut habemus *in libello Laurentii Humphredi in vita Juelli*: ſic alii, contra quos

Dico. Eccleſia viſibilis, & vera Chriſti ſponſa Catholica eſt. Veritas hæc pleniſſime probatur ſcripturis a D. Aug. pluribus in locis, a quo ſequentes ſeligimus probationes.

137 PROB. I. ratione prima Aug. *de unit. Eccl. cap. 6.* Benedictiones promiſſæ Abrahæ, & Jacob a Deo circa ſeminis propagationem adimpleri neceſſe eſt: ſed hæc propagatio eſt diffuſio Eccleſiæ Chriſti univerſaliſſima; ergo univerſalitas convenit Eccleſiæ Chriſti. Prob. ſic min. Promiſſio hæc eſt Gen. 22. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, propter quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti filio tuo amantiſſimo propter me: niſi benedicens benedicam te, & implendo implebo ſemen tuum tanquam ſtellas Cæli, & tanquam arenam, quæ ſecus oram maris eſt, & hereditate poſſidebit ſemen tuum Civitates adverſariorum tuorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Sic juxta literam Aug. *loco cit.* Repetitur idem expreſſius *cap. 26.* in perſona Iſaac, & *cap. 28.* in perſona Jacob. Quod de fide, & Chriſti Eccleſia intelligatur, Paulus fatetur ad Gal. 3. *Fratres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit & ſeminibus, quaſi in multis, ſed tanquam in uno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus.* Ecce quale ſemen benedicendum eſt in omnibus gentibus, & multiplicandum *Et in mare, & in Africum, & in Aquilonem, & ad Orientem*; Chriſtianus videlicet populus. Et adnotanda eſt vis locutionis ad exprimendam firmitatem promiſſionis: *Per memetipſum juravi*, Deum ſcilicet, qui nec fallit, nec falli poteſt: *Quia non derelinquam, donec faciam omnia, quæ tecum locutus ſum. Confirmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat.* Fruſtra ergo contra vocem Catholicæ exſibilant Novatores.

Propagatio Eccleſiæ fuerit propagata.

138 PROB. II. ratione 2. Aug. *cap. 7.* Oraculis Prophetarum falſum ſubeſſe nequit: ſed hæc prædicunt Chriſti Eccleſiam dilatandam in omnem terræ ſinum, & perſonarum genus; ergo Chriſti Eccleſia eſt univerſalis. Oſtenditur minor variis Iſaiæ textibus ſummatim ex ſcriptis ejuſdem Aug. cap. 11. Iſaiæ (quod totum aperte eſt de nova lege) habetur -- Quia repleta eſt terra ſcientia Do„ mini, ſicut aquæ maris operientes. In illa „ die radix Jeſſe &c. -- quibus proſequitur deſcribere repletionem, ex omnibus quatuor mundi partibus, & angulis; ſed hunc locum explicat Paulus ad Romanos 15. de gentibus ad Deum per Chriſtum convertendis: *Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt.* Verſ. 12. Item Iſaiæ cap. 27. v. 6. *Florebit, & germinabit Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine.* Semen verò hoc, quod florebit, Chriſtus eſt, progenitus ex domo Iſrael. Marc. 1. cap. 41. v. 5. *Ego Dominus, primus, & noviſſimus ego ſum. Viderunt inſulæ, & timuerunt; extrema terræ obſtupuerunt, appropinquaverunt, & acceſſerunt.* Hic de Chriſto loquitur, ut patet ex textu Apoc. 21.

Prophetæ Eccleſiã prænunciarunt Catholicam.

Cap. 41. v. 2. *Dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentium proferet &c. In veritate educet judicium, non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus inſulæ expectabunt.* Quem locum de tempore novæ legis explicuit Chriſtus Matth. 12., ubi habetur Chriſti Eccleſiam etiam in abſconditos angulos propagandam, eique convenire judiciariam fidei poteſtatem. Cap. 43. v. 5. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, da: & Auſtro, noli prohibere: Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Cap. 49. v 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Item verſ. 12. *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra Auſtrali.* Quem locum aſſumit Paulus 2. Corinth. 6. pro lege Chriſti. Cap. 51. v. 5. *Brachia mea populos judicabunt. Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.* Cap. 52. v. 10. *Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Quem locum de Chriſto accipit Paulus ad Rom. 10. alia idem Aug. affert *ex cap. 53. 54. 63. 66.*

139 PROB. III. ratione 3. Aug. *cap. 8. de Civitate Dei.* Eccleſiæ univerſalitas aſſignata eſt ut præmium meritis Chriſti: ſed præmium meritorum Chriſti nequit eſſe fictitium; ergo univerſalitas Eccleſiæ denegari non poteſt. Prob. maj. ex Pſal. 3. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu; ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Qui locus nemine dubitante de Chriſto agit. Pſal. 21. explicatur Chriſti paſſio illis *Foderunt manus meas &c.* deinde dicitur: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ patriæ gentium; quoniam Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur gentium*: Pſal. 56. ponitur conjuratio Judæorum contra Chriſtum: *Filii hominum dentes eorum &c.* Et poſtea ſubditur fructus mortis. *Exaltare ſuper omnes Cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria ejus.* Super Cœlos exaltatus die Aſcenſionis: *Super omnem terram gloria ejus*, quia Eccleſia ejus per omnem terram diffuſa eſt ex Pſal. 71. *Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terræ &c. Coram illo procident Æthiopes &c. Benedicentur in eo omnes tribus terræ &c. Replebitur gloria ejus omnis terra. Fiat, fiat*: ubi Aug. -- Ite nunc Donatiſtæ, „ & clamate: non fiat, non fiat. Vicit vos „ Verbum Dei dicens: fiat, fiat --

Univerſalitas Eccleſiæ præmiũ meritorum Chriſti.

Cap. 9. de unitate diluit Donatiſtarum effugium, quo vim ſcripturarum eludebant, dicentes hæc impleri non poſſe, quia ex libero arbitrio credunt homines, & perſeverant, vel non credunt; & ideo cum cœpiſſet

cre-

Digitized by Google

creſcere Eccleſia, noluerunt perſeverare, &
A defecit Eccleſia ex omnibus gentibus, exce-
pta parte Donati. Quibus Sanctus Doctor re-
ſpondet hoc prophetiam tollere, & inſanum
eſſe negare Dominum futuras non videre vo-
luntates; dici etiam poſſe quemlibet hoc mo-
do poſſe eſſe prophetam; nam cum non fue-
rint impleta, quæ prædixerint, reſponderi po-
terit homines noluerunt; libero enim arbi-
trio Chriſtiani ſunt, convincitque exemplo
Judæ libere prodentis Chriſtum, & Petri li-
bere negantis, quorum tamen futuros lapſus
certo certius prædixit Dominus.

140 PROB. IV. ratione 4. Aug. *cap.*
10. Niſi Eccleſia eſſet Catholica, non præ-
B cepiſſet Chriſtus Religionem prædicari in
omnem locum, & gentem: ſed clare juſſit
Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evange-
lium Regni in univerſo orbe in teſtimonium om-
nibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*:
Marci 15. ultimo *Euntes in Mundum univer-
ſum, prædicate Evangelium omni creaturæ: qui
crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:
qui vero non crediderit, condemnabitur*. Lu-
cæ 24. v. 46. *Quoniam ſic ſcriptum eſt; & ſic
oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis
tertia die, & prædicari in nomine ejus pæni-
tentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes
gentes, incipientibus ab Jeroſolyma*. Act. 1.
C v. 8. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni
Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum ter-
ræ*. Act. 9. v. 15. *Quoniam vas electionis eſt
mihi iſte, ut portet nomen meum coram genti-
bus, & Regibus, & filiis Iſrael*. Act. 13., Act.
18., ad Rom. 15., & alibi. Videatur Aug. *loco
cit.* Fides ergo Chriſti eſt univerſalis, omni-
bus prædicabilis, prædicanda, & prædicata;
ac proinde Eccleſia eſt Catholica.

141 PROB. V. ratione 5. Aug. *ibi cap.*
12. Non eſt dubitandum de Prophetiis, ubi
jam conſtat evidenter eſſe completas: ſed clare
conſtat Eccleſiam per totum orbem fore di-
ffuſam; ergo non eſt dubitandum Eccleſiam
Prophetiæ completæ. D eſſe Catholicam. Min. probat Aug. ex Pro-
vinciis, & locis, quæ nominantur in Actis
Apoſtolorum; & Epiſtolis Canonicis, ubi clare
conſtat Verbum Domini perſonaſſe in omnem
terram, & ad Eccleſiam traxiſſe ex omni po-
pulo, poſſetque fuſiſſime demonſtrari ea con-
verſione peracta per viros Apoſtolicos: qua
de re Malvenda *lib.* 3. *cap.* 4. Bozius *lib.* 4.
de ſignis Eccleſiæ. Nobis ſufficiat innuere bre-
vem Synopſim prædicationis Apoſtolorum.

Divus Petrus prædicavit in Judæa, Pon-
to, Cappadocia, Aſia, Bithynia. Sic docet
Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, So-
Eccleſia per totum Orbem diffuſa. phronius, Dorotheus *in Synopſi*, & alii; &
E Euſebius *lib.* 2. *cap.* 23. tradit ab Oriente
uſque ad Occaſum deportaſſe lumen veritatis.
Andreas in Scythia, Græcia, Epyro, Gala-
tia, Bithynia, Ponto Euxino, Thracia, Ma-
cedonia, Byzantio, Æthiopia. Sic Euſebius
lib. 3. *cap.* 1., Sophronius, Nazianzenus *Orat.
contra Arrianos*, Chryſoſt. *homil. de* 12. *Apo-
ſtolis*. Jacobus major in Judæa, & in Hiſpa-
nia, qui conſummatus in brevi explevit tem-
pora multa. Joannes in Aſia minori, Par-
thia, & India. Sic Euſebius ibidem. Nazian-
zenus &c. Bartholomæus in majori Armenia,
& India citeriori. Matthæus in Æthiopia,

Parthia, Aſſyria, Macedonia. Sic Ruffinus,
A Socrates *in Hiſtoria Eccleſ.* Philippus in Aſia
Superiori, Scythia, Galatia, Phrigia. Sic
Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 29. Dorotheus, Na-
zian. &c. Simon in Meſopotamia, Perſide,
Ægypto, Africa, Britannia. Sic Nicephorus,
Dorotheus ibidem &c. Thomas in Parthia,
Media, Perſia, India, Æthiopia, Taproba-
na, Sic Euſebius *lib.* 3. *cap.* 1. Socrates *lib.*
1. *cap.* 15. Matthias in Judæa, & Æthiopia.
Jacobus minor, ut Epiſcopus Jeroſolymita-
nus, Judæam habuit commendatam.

Ex his manifeſte patet, quantum dila-
taverit confinia Sponſa Chriſti. Si conſula-
mus Martyrologia Græcorum, Martyrologia
B Bedæ, Adonis, Baronii, & aliorum, vide-
bimus innumeros Sanctitate conſpicuos ex
omni gente, quæ ſub ſole vivit. Si pervol-
vimus Concilia generalia, & particularia,
inveniemus ſubſcriptos Epiſcopos plures, &
plures ex omni Provincia.

Hujus argumenti veritatem aperte fate-
tur Witakerus contra Duræum *lib.* 7. -- Quid-
„ quid de Eccleſiæ propagatione, amplitu-
„ dine, gloria veteres Prophetæ prædixerunt,
„ id perfectum eſſe, Hiſtoria luculentiſſime
„ teſtatur; ita vaticiniis Prophetarum Eccle-
„ ſiaſticam Hiſtoriam ſuffragari, nulla con-
„ troverſia eſt -- David Citræus an. 1559.
C apud Genebrar. 4. *Conogr. pag.* 747. idem fa-
tetur, & probat.

142 PROB. VI. ratione 6. D. Aug.
Epiſt. 171. Illius latitudinis debet eſſe Eccle-
ſia, & Chriſti fides, cujus eſt pretium Re-
demptionis: ſed hoc ſe extendit ad omnes
gentes; paſſio enim Chriſti totius orbis eſt
redemptio; ergo per totum orbem debuit fi-
des prædicari, & in toto orbe fructificare;
ita quod ubique aliqui in Chriſtum credide-
rint. Quod argumentum tangitur Apocal. 5.
*Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni
tribu, & lingua, & Populo, & natione, &
feciſti nos Deo noſtro Regnum*. Et cum Chri-
D ſti pretium complectatur gentes univerſas pro
qualibet differentia temporis, ſequitur in qua-
libet temporis differentia Eccleſiam diffunden-
dam eſſe per totum orbem. Huc accedit alia
ratio D. Aug. ibidem, & *lib.* 2. *contra Par-
menian. cap.* 19. Inconveniens eſt, Divino-
que honori injurium, quod zizania excedant
triticum: porro hoc ſequeretur, niſi Evange-
lium ubique prædicaretur, & ubique radices
aliquas jaceret; cum zizania, quæ ſunt do-
ctrina Diaboli, ubique ſeminentur.

143 PROB. VII. Traditione. Non eſt
credendum eſſe falſum, quod Concilia, & Pa-
tres tradunt univerſi: ſed Eccleſiam eſſe Ca-
E tholicam docent Concilia, & Patres univerſi;
ergo. Min. oſtenditur. In Concilio Apoſto-
lico, quo Symbolum eſt compoſitum, poni-
tur articulus: *Credo Eccleſiam Sanctam Catho-
licam*. In Concilio Niceno, Conſtantinopol.
primo, Chalcedonenſi, & in Symbolo pariter
dicitur Eccleſia Catholica. Item in Concil.
Illiberitano *Can.* 22. In Cartaginenſi 6. Afri-
cano ſub Cœleſtino primo, & aliis, quæ ſe-
cutum eſt Tridentinum. Quantum ad Patres,
res in aperto eſt, fuſeque poſſet demonſtrari.

Egeſippus *lib.* 2. *de excidio cap.* 12. --
„ Ex quo cœpit congregatio Chriſtianorum,

„ in

Digitized by Google

„ in omne hominum penetravit genus, nec „ ulla natio Romani orbis remanſit, quæ „ cultus ejus ſuperſ relinqueretur -- Irenæus *lib.* 1. *cap.* 2. -- Eccleſia enim per univerſum „ orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab „ Apoſtolis, & Diſcipulis eorum, accepit eam „ fidem &c. -- Cyprianus *Epiſt.* 52. -- Et cum „ ſit a Chriſto una Eccleſia per totum orbem „ in multa membra diviſa -- *Et de unit. Eccleſ.* -- Eccleſia Domini luce perfuſa per to„ tum orbem radios ſuos porrigit -- Juſtinus „ Martyr. *in Dialogo cum Triphone* -- Atque „ ne ullum quidem genus hominum morta„ lium, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, „ ſive etiam aliorum hominum, quocunque „ appellantur nomine, vel Amaſſabiorum, „ vel Nomadum domo carentium, vel in „ tentoriis viventium, & cum pecoribus vi„ tam tolerantium, inter quos per nomen „ Crucifixi Jeſu, ſupplicationes, & gratia„ rum actiones Patri fabricatori rerum om„ nium non fiant --

PP. Eccleſiam dicunt univerſalem.

S. Antonius Abbas *apud S. Athanaſium in ejus vita in diſput. contra quoſdam Philoſophos* -- Ecce nos Chriſtiani a tot gentilitatis „ gregibus abſtracti in univerſum orbem quo„ tidie propagimur -- Theodoretus in illud *Deus in Domibus ejus cognoſcetur* Pſal. 47. -- „ Una quidem per totum orbem, atque ma„ re, propterea orantes dicimus pro Sancta, „ & unica Eccleſia Catholica, & Apoſtolica „ a finibus uſque ad fines terræ -- Cyrillus Jeroſol. *Catecheſi* 8. -- Catholica vocatur Ec„ cleſia, quia per univerſum orbem terra„ rum diffuſa a finibus terræ uſque ad extre„ mos -- Chryſoſt. *Homil. prima Pentecoſtes*. Idem Homil. quod Chriſtus. Pacianus *Epiſt. ad Sympronianum*. Ambroſ. *in Pſal.* 42. Hieron. *in cap.* 47. *Iſaiæ*, & *Epiſt.* 7. *ad Lætam*. Reliqui PP. ejuſdem labii ſunt.

Eſt ergo univerſalis Eccleſia, & fides, qua conſtituitur; quæ univerſalitas multipliciter ſumitur, præter tres præcipuos illos modos, quos præmiſimus in notandis: Catholica dicitur, quia univerſaliter vera eſt, nihil falſitatis, aut erroris, vel impietatis admiſcens in ſuis articulis, quia tradit doctrinam univerſalem de Cœleſtibus, viſibilium, & inviſibilium ad ſalutem pertinentium; quia habet univerſales medicinas Sacramentorum, habentes efficaciam ad purgandum quemlibet morbum ſpiritualem; quia ad finem dirigit univerſalem, ſcilicet ad Deum, qui eſt univerſale bonum. Demum Catholica dicitur, quia univerſalia præcepta tradit pro quolibet vitio extirpando, & pro qualibet virtute ſtabilienda in quolibet ſtatu, & genere perſonarum.

Eccleſia a Synagoga diſtincta.

Ex dictis patet Eccleſiam differre a Synagoga veteris legis: illa enim non gaudebat univerſalitatis privilegio, quia non erat diffundenda in omnes fines terræ, nec omnibus tradenda gentibus, ſed ſoli populo Hebræorum erat: non erat duratura per omne tempus, cum eſſet figura, & Pædagogus legis novæ, nec habebat generalem efficaciam medicamentorum ſpiritualium, cujus Sacramenta erant egena elementa, & ad perfectum non perducentia: unico Templo Salomonis erat addicta, extra quod non licebat offerre ſacrificium; habebat præcepta particularia, & circumciſio, quæ erat remedium contra peccatum originale, non erat generale utrique ſexui. Ex his noſtri Catholici confirmant præſentis Controverſiæ veritatem, cum igitur debeat Eccleſia a Synagoga differre: ſi illa particularis erat; Eccleſia ergo debet eſſe univerſalis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

HÆretici, qui de ſua paucitate gloriantur, contra illuſtrem hanc Eccleſiæ proprietatem plura objiciunt ex Teſtamento veteri, quæ ſoluta ſunt in Controverſia de indefectibilitate.

144 OBJIC. I. Nequit eſſe univerſale, quod eſt determinatum ad unum: ſed Eccleſiam in uno loco figit Scriptura; ergo non eſt univerſalis. Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes?* In meridie, reſpondet Sponſus, meridies autem Africa; ergo intra Africam reſtricta eſt Eccleſia. Additur ad confirmationem illud Cantici Habacuc: *Deus ab Auſtro veniet*: id eſt, ab Africo, legit Auguſtinus *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 23.

Huic argomento ſæpe reſpondit D. Aug. contra Donatiſtas: ſed accipiamus, quæ ſcribit *lib. de Paſtoribus cap.* 15. Primo. Falſant textum, dividunt periodum integre prolatam a Sponſa, ut ſecundum partem proferatur a Sponſo, & ſuper hanc diviſionem fundant impium paralogiſmum Hæretici. Secundo. Si ſtandum eſt verbo *meridies*, potius intelligendus eſt Ægyptus, quam Africa, cum meridies reſonet, medius dies fervens, quod in Ægypto verificatur, quæ regio cauritur ſolaribus caloribus. Tertio. Duplicem coguntur fateri Eccleſiam: nam Eccleſia eſt, quæ interrogat, ubi ſit Eccleſia in meridie: porro una eſt Eccleſia. Quarto. Dicit, quod eſt Eccleſia Tranſmarina, quæ interrogat, ubi in Africa vera Eccleſia ſit. (Dato ſenſu adverſariorum circa meridiem) an ex parte Donati, an ex parte Catholicorum? Reſpondetque Sponſus non eſſe ex parte occulta, & incognita, hæc enim paſcit hœdos, & non oves: ſed ex parte cognita, & diffuſa per orbem, & hæc oves nutrit ſub unitate Paſtoris, & non pluraliter paſtorum. Denique explicat, quid pro meridie intelligatur: fervor videlicet ſpiritualium, igne charitatis flagrans.

Secundum locum pariter ibidem explicat Aug. retorquendo in adverſarios. Primo. Quia pars Donati non venit ex Africa, ſed ex Numidia, inde enim venerunt prima Donatiſtarum fundamenta: non ergo locus ille ipſis favet. Secundo. Redarguit Donatiſtas, quod velint Chriſtum in Africa natum; locus enim ille de Chriſti ortu loquitur. Tertio. Oſtendit ex libro Jeſu Nave locum illum intelligi de Jeruſalem, ubi natus eſt Chriſtus; Bethlehem enim in confiniis Jeruſalem conſtituitur: ibi prædicavit, miſitque Diſcipulos ad Evangelizandum, Lucæ 24. *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis ter-*

tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma. Quarto. Ex conteſtu demonſtrat ſermonem non eſſe de Eccleſia uni loco alligata, ſed per orbem diffuſa: ſequitur enim: *Operuit Cælos gloria ejus & laudis ejus plena eſt terra.*

Eccleſia uni loco non eſt alligata.

145 OBJIC. II. Corpus, quod paucitate membrorum gloriatur, non poteſt Catholicum appellari: ſed Eccleſia paucitate conſtruitur; ergo Catholica dici nequit. Min. prob. illo Matth. 7. v. 13. *Intrate per anguſtam portam; quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Lucæ 12. v. 32. *Nolite timere puſillus Grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*: & Matth. 13. refertur tertiam partem ſeminis fructunm attuliſſe. Argumentum eſt Calvini *in præfat. inſtitut.*, & Centuriatorum.

Huic pariter reſpondet Aug. pluribus locis; ſuffurati enim illud ſunt a Donatiſtis, & a Secundino Manichæo Novatores, præcipue *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 45. De unit. Eccleſ. cap. 14. Epiſt. 48. lib. 3. contra Creſconium cap. 66.*, ubi tria dicit, primum concludi Eccleſiam non eſſe penes Donatiſtas, ſed Rogatiſtas, aut Maximianiſtas; hi enim pauciores ſunt, quod applicari poteſt ad litteram Calviniſtis, & Lutheranis; nam ipſis pauciores ſunt Anabaptiſtæ, quos tamen de Eccleſia non eſſe fatentur, ſecundum Sanctos, & veros Chriſtianos paucos eſſe in comparatione iniquorum, Aug. *contra litt. Petil.* -- „ Sicut in comparatione paleæ, poſſunt dici „ pauca grana uberrimæ ſegetis, quæ tamen „ per ſeipſa in maſſam redacta implent hor„ reum -- tertium ipſos teneri ſolvere quæſtionem, cum legatur Matth. 8. v. 11. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*: In Apocalypſi cap. 7. v. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Semen Abrahæ multiplicandum eſſe ſicut Stellas Cœli, & arenam Maris; hæc namque omnia ex eodem ore veritatis prodierunt, a quo teſtimonia priora ab Hæreticis adducta: componitque ipſe dicens contra Creſcon. *loc. cit.* -- Niſi, quia idem ipſi boni, „ verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi „ ſunt, in comparatione malorum, falſorum„ que ibidem pauci ſunt --

Veri Chriſtiani pauci.

146 OBJIC. III. Eccleſia non eſt, niſi ubi Chriſtus in paucis reperitur, Matth. 18. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hinc Paulus unius familiæ domum vocat Eccleſiam, ſicut Aug. etiam domum Julianæ *Epiſt.* 145. Sic Calvinus *loc. cit.*, & Muſculus *in locis commun.*

Verum & hoc deſumptum eſt ex antiquis Hæreticis, cui ſatisfacit Cyprian. *de unitate Eccleſiæ*; non enim Scriptura dicit Chriſtum in duobus, aut tribus reperiri, ſed ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine ejus, ideſt, unitis in unitate fidei, Chriſtus aſſiſtit: non autem ſeparatis ab unitate Eccleſiæ Hæreticis. Paulus vero, & Aug. loquuntur de Eccleſiis particularibus, ex quibus una univerſalis conſurgit, ſicut una civitas ex pluribus domibus. Audi Aug. *de unitate Eccleſ. cap. 11.* -- Ecce ſunt in Eccleſia Eccleſiæ, „ & univerſali totius nominatim deſignatæ, „ & expreſſæ; & ſunt hæ omnes membra „ unius Eccleſiæ toto orbe diffuſæ --

Chriſtus ibi eſt, ubi ſunt fideles.

147 OBJIC. IV. Eccleſia ibi eſt, ubi eſt veritas: ſed veritas eſt in paucis: *Stultorum infinitus eſt numerus*, Eccleſ. 1.; ergo Eccleſia eſt in paucis; ergo univerſalitas non eſt proprietas Eccleſiæ. Sic Calvinus *in præfat. inſtitut.*

RESP. Nihil novi objiciunt noſtri Proteſtantes, idem objecerant Donatiſtæ ex Aug. *lib. 3. contra Creſconium cap. 66.* -- In paucis „ frequenter eſt veritas: errare multorum -- Et Manichæi *ex eodem de utilitate credendi cap. 7.*, quibus ſuo more veraciter ludendo reſpondet, proponendo aliam quæſtionem: an Chriſtus falſum dixerit, cum protulit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*: an Apocalypſis erraverit, cum deſcribit multitudinem ex omni tribu, & gente *cap. illo 66., & cap. 53.* perbelle ait -- Si enim in paucis frequenter „ eſt veritas, & errare multorum eſt: per„ mitte, ut Maximianenſes, quanto vobis „ ſunt impares paucitate, tanto vos ſuperent „ veritate; non facis certe -- Directe de utilitate credendi reſpondet paucos quidem eſſe, qui accurate veritatem norunt, & ſecundum eam religioſe vivunt, ſed hi pauci multitudinem ſua actoritate continent: pauci ſunt -- „ Sed apud eos eſt, quibus multitudo -- oſtenditque exemplo ſtudiorum, quæ ubique terrarum aperta ſunt, ſed pauci ſunt, qui perfecti fiant -- Multitudo peccatorum fre„ quentat Eccleſias, pauci ejus Religionis „ myſteriis perfecti ſunt -- *Et cap.* 17. probat exemplo virginitatem ſequentium; ſed tamen populi admirantur, populi approbant, licèt non imitentur.

Cur pauci de Eccleſia.

148 OBJIC. V. Proprietas ea eſt, quæ convenit ſemper, & ſoli: ſed eſſe catholicon non convenit ſemper, & ſoli Eccleſiæ; ergo non eſt proprietas. Min. quoad primam partem declaratur. Ab initio fideles non vocabantur catholici; nullibi enim habetur in Apoſtolicis Scripturis. Quoad ſecundam partem oſtenditur ex D. Aug. *de Paſtorib. cap. 8.* Eccleſia eſt vitis, quæ creſcit ubique cum ſarmentis: ſed ſarmenta ſunt hæreſes; ergo ubicunque eſt Eccleſia, ibi ſunt hæreſes; adeoque non eſt proprium Eccleſiæ eſſe ubique. Inſuper Idololatria ad omnes terræ angulos multo magis pervenit, quam Eccleſia; cum nec adhuc ſimul totus mundus crediderit, & plurimi de orbe ei non communicent. Adde, quod quælibet ſecta proponit ſua dogmata, ut univerſaliter credenda, & hæretici ipſi ſe Catholicos vocant, ut Manichæi, Arriani &c. ergo. Sic Ameſius *in Bellar. enervato ad cap. 4. Bellarmini* §. 1.

RESP. neg. min. Quo ad utramque partem. Semper Eccleſiam fuiſſe vocatam Catholicam, fidem facit Symbolum Apoſtolorum a primitiva Eccleſia, ut Regula fidei, agnitum. Teſtes ſunt Sancti Patres primorum ſeculorum. Cyprianus, ut alios omittam, hoc nomine uſus eſt, nec a ſe invento,

Digitized by Google

to, ſicut refert Pacianus *Epiſt.* 1. *ad Sympronianum*, ubi cuidam Novatiano hoc objicienti, reſpondit -- Non erat tamen uſus adeo fre-
„ quens, ſed poſtquam caortæ ſunt hæreſes
„ confundentes veritatem, debuit columba
„ Chriſti ſuo cognomine capreſſius condeco-
„ rari, ut inde frumentum a alzaniis diſtin-
„ gueretur --

Soli verò convenire talem proprietatem, manifeſtum eſt ipſis exemplis adductis. Nec una hæreſis, nec una idololatria crevit in orbe; tot enim diverſæ fuerunt hæreſes, quot capita ſomniantium hæreticorum, quæ ibi perierunt, ubi natæ ſunt, ſicut ibidem dicit S. Aug. Et tot fere fuerunt idololatriæ, quot Idola, quot ceremoniarum ritus, ut optime declarat S. Athanaſius *de Humanitate Verbi*; & D. Thom. *ſupra Boetium de Trinit.* §. *Hic eſt duplex quaſt. ad* 4 Eccleſia verò una Religio eſt, unum Chriſtum indiviſibiliter prædicans, quæ tamen crevit, ut granum ſinapis, in cujus ramis nidificant volatilia Cœli cujuslibet generis: quod non obtinuit Idololatria a pluribus Philoſophis rejecta; Lex Chriſti tamen dura præcepta, ſenſui repugnantia, obſervanda proponit, quod eſt ſignum Divinæ virtutis, ſicut docet Aug. *lib. de vera Relig. cap.* 3., & licet permanentee totus orbis non crediderit, ubique tamen Evangelium prædicatum eſt, & fructificat, juxta illud Pauli ad Coloſs. 1. *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit.* Et ex omni parte ſunt, qui communicant, licet non ſinguli generum Quælibet quidem Secta proponit ſua dogmata ut univerſalia: verum nulla unquam id obtinuit, & quia ſolum apud veram Eccleſiam noverunt dotem hanc exiſtere, Catholici ſtudent appellari; ſed tales non agnoſcuntur, niſi a ſuis, non jam ab aliis etſi hæreticis -- Proprium eſt no-
„ men fidelium, *inquit Aug. contra Epiſt. Ma-*
„ *nich. cap.* 1. Ut quærenti peregrino, ubi ad
„ Catholicam perveniatur, nullus hæretico-
„ rum, vel Baſilicam ſuam, vel domum va-
„ leat oſtendere -- *Et de vera Religione cap.* 7.
-- Catholica nominatur, non ſolum a ſuis,
„ verum etiam ab omnibus inimicis; velint
„ enim, nolintve, ipſi etiam hæretici, &
„ ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis,
„ ſed cum extraneis loquuntur, non aliam,
„ quam Catholicam vocant. Non enim poſ-
„ ſunt intelligi, niſi hoc nomine diſcernant,
„ quo ab univerſo orbe nuncupatur --

Sola Chriſti Eccleſia Catholica.

CONTROVERSIA X.

AN ECCLESIA SIT APOSTOLICA.

NOmen Apoſtolicum, quod Græcum eſt, ab Apo dicitur, quod eſt deſuper, & Stolon, quod eſt miſſus: unde Apoſtolus dicitur deſuper miſſus, ſub qua generali acceptione Chriſtus ipſe comprenditur, de quo ad Heb. 3. v. 1. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtra Jeſum.* Et viros, quos elegit Dominus in Diſcipulos ad prædicandum Evangelium, Apoſtolos vocavit Lucæ 6. v. 13. *Elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit*,
A alludens ad genus quoddam perſonarum inter Judæos, quæ ſimili nomenclatura appellabantur, & nuncii munus exercebant; & poſt excidium Jeroſolymitanum Apoſtoli dicti ſunt illi, qui Patriarchæ ſupremo, velut conſiliarii aſſidebant, ab eoque mittebantur ad ordinandas Synagogas, ad exigendas decimas, & primitias a Judæis. Videndus eſt Epiphanius *hæreſ.* 30., ubi inter Apoſtolos hujuſmodi enumerat quendam Joſephum Comitem, mirabiliter ad fidem converſum. Apoſtoli ergo Chriſti dicti ſunt, qui ad Evangelium prædicandum miſſi ſunt.

Porro Apoſtoli ſub hac conſideratione,
B alii dicuntur Majores, alii Minores. Majores non ideo dicuntur, vel quia a Chriſto Domino immediate electi ſunt; nam Matthias non eſſet inter Majores connumerandus, & Philippus Diaconus inter Majores eſſet collocandus, utpote a Spiritu Sancto immediate conſtitutus Apoſtolus: nec ex eo, quod teſtes fuerint eorum, quæ Chriſtus egit; aliàs Paulus a numero Majorum foret delendus: nec ex eo, quod ſedes Epiſcopales fixas non habuerint; tunc enim Joannes Epheſi præſul; Jacobus minor Jeroſolymorum Antiſtes; Petrus Antiochiæ primum, deinde Romæ per vigintiquinque annos Epiſcopus
C ablegandi forent; cum tamen Apoſtolorum columnæ dicantur ad Galatas 2. v. 9. Majores ergo dicuntur, qui univerſalem poteſtatem ſuſceperunt ubique terrarum omnia ſpiritualia exercendi. Inter Majores ſunt aliqui, qui dicendi ſunt primarii, ii videlicet, quos Magnos vocat Paulus 2. Corinth. 11. v. 5. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a Magnis Apoſtolis*, ab eis ſcilicet, quos columnas vocat ad Col. 2.

Apoſtoli alii majores, minores alii.

Minores dicuntur ii, qui coadjutores fuerunt Apoſtolorum, quatenus vel ab ipſis miſſi ſunt ad Eccleſiam aliquam fundandam, vel alicui Eccleſiæ ab ipſis fundatæ præfecti ſunt.
D Item 70. Diſcipuli, qui Apoſtoli nominantur 1. Corinth. 15. v 7. *Viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus* juxta Chryſoſtomum; & revera bini miſſi ſunt a Domino, & illi, qui floruerunt tempore Apoſtolorum, primum locum obtinent in ordine Minorum. Secundum conſequuntur locum viri illi, qui ſucceſſivis temporibus in aliqua Provincia Eccleſiam, & fidem jam omnino abolitam plantaverunt. Hinc Bonifacius primus Epiſcopus Moguntinus, Apoſtolus Germaniæ dicitur: Gregorius Magnus Angliæ apud Bedam: Patritius Hiberniæ: Xaverius Indiarum, & alii ſimiliter. Epiſcopi quandoque Apoſtoli dicuntur
E ob quandam ſimilitudinem, & Apoſtolicos labores, ſincerumque zelum in excolendis populis ſibi ſubjectis. Antonomaſtice tamen Epiſcopus Romanus, Apoſtolus dicitur ob plenitudinem Poteſtatis, quam habet in totum orbem. Legimus etiam apud Græcos quoſdam imperatores appellari Apoſtolos, ut Conſtantinum, & Helenam, Juſtinianum, & ſimiles: ſed hoc hyperbolicæ locutioni tribuendum eſt. His præmiſſis.

Sciendum eſt multipliciter Apoſtolicam intelligi poſſe Eccleſiam. I. Quod ab Apoſtolis fuerit fundata. II. Quod puram conſervet

ſervet Apoſtolorum doctrinam. III. Quod E-
piſcoporum ſedes habeat ſuccedentes Apoſto-
lis. IV. Quod Evangelicam doctrinam pro-
paget, & conſervet per totum Orbem. V.
Quod habeat dependentiam a Cathedra Pe-
tri; & ſecundum hos omnes ſeorſus quæritur,
an Eccleſia ſit Apoſtolica.

Eccleſia multipliciter Apoſtolica.

Cum a Deo miſſi non ſint Novatores,
ſed ex Patre Diabolo nati, pulcherrima dote
hac Eccleſiam ſpoliant. Lutherus a Symbolo
Nicæno abradi curavit *in parvo ſuo Catechiſ-
mo fol. 12., & in magno Catech. fol. 64. 1570.
Senis impreſſo*. Et Wiclephus apud Wal-
denſem *tom. 1. cap. 18.* in eam inſurrexit,
reſolvitque a Gregorio I. inductam, non au-
tem a principio extitiſſe. Cum his ſentiunt
ceteri, contra quos

Dico primo. Vera Chriſti Eccleſia, A-
poſtolica eſt, quia ab Apoſtolis fundata.

149 PROB. I. Ab eo fundatur Civi-
tas, a quo recipit eſſe: ſed Civitas Domini
ab Apoſtolis recepit eſſe; ergo ab Apoſtolis
eſt fundata. Min. oſtenditur. Eſſe Eccleſiæ
conſiſtit in vera fide profeſſa per baptiſmum:
ſed Apoſtoli dederunt Eccleſiæ veram Chriſti
fidem, profeſſam per Baptiſmum; dedit enim
illis Dominus præceptum: Marci 16. v. 15.
*Dixit eis: euntes in mundum univerſum, præ-
dicate Evangelium omni Creaturæ. Qui credi-
derit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui
verò non crediderit &c.* Porro præceptum exe-
cuti ſunt: verſ. 20. *Illi autem profecti prædi-
caverunt ubique; Domino cooperante, & ſer-
monem confirmante ſequentibus ſignis.* Et Mat.
28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes,
baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus Sancti.*

Ab Apoſtolis fundata Eccleſia.

150 PROB. II. Eccleſia non eſt niſi
multitudo gentium converſa ad veram Chri-
ſti fidem: ſed converſio gentium ad fidem fa-
cta eſt Apoſtolorum prædicatione; ergo ab
Apoſtolis Eccleſia eſt conſtructa. Minor ha-
betur ad Rom. 10. v. 14. *Quomodo ergo in-
vocabunt, in quem non crediderunt? Aut quo-
modo credent ei, quem non audierunt? Quo-
modo autem audient ſine prædicante? Quomodo
verò prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcri-
ptum eſt: quam ſpecioſi pedes Evangelizantium
pacem, Evangelizantium bona!* & verſ. 18.
*Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem
terram exivit ſonus eorum: & in fines Orbis
terræ verba eorum*, ſcilicet Apoſtolorum.

Converſio Gentium ab Apoſtolis.

151 PROB. III. Non eſt negandum,
quod expreſſe traditur in Scripturis: ſed Ec-
cleſiam fundatam eſſe a Chriſto per Apoſto-
los, habetur expreſſe in Scripturis; ergo.
Min. habetur ad Epheſ. 2. *Eſtis Cives Sancto-
rum, & Domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper
fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*,
ideſt, ſuper doctrinam Apoſtolorum, & Pro-
phetarum, ita D. Thom. in hunc locum.
Apocal. 21. *Murus Civitatis habens funda-
menta duodecim, & in ipſis duodecim nomina
duodecim Apoſtolorum Agni*: porro ſectatores
doctrinæ alicujus denominantur ab illo, ut
Platonici a Platone; ergo.

Apoſtoli fundamentū Eccleſiæ.

152 PROB. IV. Temerarium eſt re-
cedere ab antiqua Patrum traditione: ſed
Patrum traditio agnoſcit Eccleſiam denomi-
nari Apoſtolicam, quia ab Apoſtolis fundata

Patres Eccleſiā agnoſcunt Apoſtolicam.

eſt; ergo. Minor declaratur Iſaiæ 54. *Fun-
A dabo te in Sapphiris* ideſt, in Apoſtolis, ut
habet Euſebius *lib. 10. Hiſt. Eccleſ. in Paneg.
de Eccleſiarum ædificatione. Fundamenta ejus
in montibus ſanctis* clamat Pſal. 86., ubi Aug.
loquens de Apoſtolis ait -- Et illi ſunt mon-
„ tes, ſuper quos ſunt fundamenta hujus Ci-
„ vitatis -- Irenæus *lib. 4. cap. 63.* -- Agni-
„ tio vera eſt Apoſtolorum doctrina -- Ter-
tullianus *de præſcriptionibus cap. 20.* -- Apo-
„ ſtoli apud unamquamque Civitatem Eccle-
„ ſias condiderunt -- Pſal. 44. dicitur: *Pro Pa-
tribus tuis nati ſunt tibi filii*: ubi Auguſt. --
„ Genuerunt namque Eccleſiam Apoſtoli --
Proverb. 22. *Ne traſgrediaris terminos anti-
B quos, quos poſuerunt Patres tui*, ideſt, Apo-
ſtoli, ut habet Hieronymus, & alii, qui cum
præceſſerint Gregorium Magnum, mendax
redarguitur Wiclephus, Auctorem hujus do-
tis faciens Gregorium, eo quod in regiſtro
illam explicuit ex Symbolo Nicæno.

153 Dico II. Eccleſia eſt Apoſtolica,
quia doctrinam conſervat Apoſtolorum. Hæc
non indiget nova probatione ab illis, quæ
allatæ ſunt in Controverſia de perpetuitate
Eccleſiæ, & infallibilitate: ſi enim Eccleſia
in æternum eſt duratura abſque eo, quod a
fide deficere poſſit, utique doctrinam Chri-
ſti conſervat & Apoſtolorum. Si Dominus
C dixit Apoſtolis Joan. 15. *Ego elegi vos, & po-
ſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fru-
ctus veſter maneat*, neceſſe eſt, quod doctri-
nam ab Apoſtolis traditam retineat Eccleſia;
fructus enim manens, doctrina eſt. Si Matth.
28. eiſdem præcepit Chriſtus: *Docete omnes
gentes &c. docentes eos ſervare omnia quæcun-
que mandavi vobis &c. Vobiſcum ſum omnibus
diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, co-
guntur fateri Hæretici Eccleſiam retinere,
quæ per ora Apoſtolorum a Domino recepit.
Si Apoſtolorum doctrinam non retinet, quo-
modo in Eccleſia manet in æternum Spiritus,
qui docet omnem veritatem, & ſuggerit quæ-
D cunque Apoſtolis dixit Magiſter Jeſus? Si a
doctrina Apoſtolorum deficit Eccleſia, quo-
modo verificabitur illud Chriſti Act. 1. v. 8.
*Et eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni
Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum ter-
ræ?* Quomodo doctrina fidei non recedit ab
ore generationis, & generationis uſque in
ſempiternum? Quomodo velut depoſitum
tranſit a Patribus ad filios, 2. ad Tim. 1. *For-
mam habe ſanorum verborum, quæ a me au-
diſti in fide, & in dilectione in Chriſto Jeſu?*
Et cap. 2. *Quæ audiſti a me per multos teſtes,
hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei
erunt & alios docere?*

Eccleſia doctrinam ſervat Apoſtolorum.

E Hæc una fuit vox Patrum, hæc una re-
gula contra Hæreticos (ut demonſtrarent ve-
ram Chriſti doctrinam) oſtendere, eam eſſe
ab Apoſtolis traditam, ab Eccleſia cuſtodi-
tam. Sic Dionyſ. 1. *Cæleſt. Hierarchia* ait.
Idcirco primos Hierarchas fuiſſe plene a
Domino Deo imbutos, & miſſos, ut do-
ctrinam transfunderent in poſteros; hinc
Tertullianus *de præſcript.* ut hæreticos Mar-
cionem, Valentinum, Apellem confundat,
ſtatuit id prius quærendum, ubi manſerint
Scripturæ, ubi fidei poſſeſſio: concluditque
in Eccleſiis ab Apoſtolis fundatis veræ doctri-

T næ

næ traditorem eſſe, & Irenæus *lib.* 1. *cap.* 4. Eccleſiam vocat amplum Depoſitorium, in quod Apoſtoli omnia, quæ ſunt veritatis, pleniſſime contulerint -- Ut omnis quicun„ que velit, ex eo ſumat vitæ potum -- Sic Aug. *in Pſal.* 44., ſic Cyprianus, ſic Patres ad unum omnes.

Dico III. Eccleſia eſt Apoſtolica, quia habet ſedes Epiſcopales cum ſucceſſione.

154 PROB. I. Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ad Epheſ. 4. v. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti; donec occurramus omnes &c.* Eccleſia in ſempiternum duratura regenda eſt per Epiſcopos, doctrinâ Apoſtolorum imbutos: ſed non poteſt regi, niſi dentur Sedes Epiſcopales cum ſucceſſione, ut patet; ergo &c. Et ideo dicebat Paulus ad Titum 1. v. 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*

Epiſcopi Apoſtolica doctrina imbuendi.

155 PROB. II. Ut Hæreticos de errore convincerent Patres, ad ſucceſſionem legitimam Epiſcoporum in ſedes Apoſtolorum recurrebant; ergo Apoſtolica dicenda eſt, quia ſucceſſionem habet Sedium Epiſcopalium. Audiant Tertullianum Lutherani Valentinianos, Marcioniſtas aggredientem *lib. de præſcript. cap.* 37. -- Qui eſtis vos? Et „ unde veniſtis? Quo denique, Marcion, jure „ ſylvam meam cædis? Qua licentia, Valen„ tine, fontes meos tranſvertis? Mea eſt poſ„ ſeſſio; olim poſſideo; prior poſſideo -- *Et cap.* 32. -- Edant ergo origines ſuarum Ec„ cleſiarum, evolvant ordinem ſuorum Epi„ ſcoporum, ita per ſucceſſionem ab initio „ decurrentem, ut primus ille Epiſcopus ali„ quem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit Aucto„ rem, & anteceſſorem --

Audiant Irenæum *lib.* 4. *cap.* 43. -- Ob„ audiendos, *inquit*, Epiſcopos eſſe, qui „ ſucceſſionem tenent ab Apoſtolis, reliquos „ verò, qui abſiſtunt, a principali ſucceſſio„ ne ſuſpectos haberi, vel quaſi Hæreticos, „ vel quaſi ſcindentes &c. -- Et ut vim, & veritatem Eccleſiæ Romanæ demonſtret, ſucceſſionem demonſtrat Romanorum Pontificum, a Petro uſque ad Eleutherium, qui tunc vivebat, aſſeritque per hanc ſucceſſionem Hæreticos confundi. Eandem ſucceſſionem proſecuti ſunt Aug. *Epiſt.* 165. Hieronymus *in Chronico* uſque ad ſua tempora, eamque Hæreticis objecerunt.

Audiant Aug. *Pſal.* 44. in illud: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii* -- Quid eſt pro „ Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres „ miſſi, ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii „ nati ſunt, tibi conſtituti ſunt Epiſcopi. „ Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum „ mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia „ Patres illos appellat; ipſa illos genuit, & „ illos genuit, & illos conſtituit in Sedibus „ Patrum. Non ergo putes deſertam, quia „ non vides Petrum, quia non vides Paulum, „ quia non vides illos, per quos nata es. De „ prole tua tibi crevit Paternitas -- *Et in Pſal. contra partem Donat.* -- Venite fratres, „ ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt, „ cum vos videamus præciſos ita jacere. Nu„ merate Sacerdotes &c. quis cui ſucceſſerit, „ videte -- Alios dabimus Patres, cum agemus de Eccleſia Romana, cui dictum eſt Num. 25. v. 13. *Erit tam ipſi, quam ſemini ejus pactum Sacerdotii ſempiternum.*

Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores.

Dico IV. Eccleſia eſt Apoſtolica, quia propagat Apoſtolorum doctrinam: concluſio eſt evidens ex dictis; ſi enim Eccleſia eſt Catholica, diffundenda per orbem univerſum, & in æternum duratura, neceſſe eſt, quod ſit propagativa fidei.

Dico V. Eccleſia eſt Apoſtolica, quia dependet ab Apoſtolica Sede Petri. Conſtat ex his, quæ dicta ſunt de Romano Pontifice *in Tract. de Ordine*.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

156 OBJIC. I. Eadem eſt numero Eccleſia, quæ fuit ab initio humani generis, ac quæ nunc exiſtit: ſed Eccleſia, quæ ab initio fuit, non dicitur Apoſtolica; ergo neque hæc dici debet. Majorem ex Patribus dedimus *Controv. V.*

RESP. diſt. maj. Eſt eadem ſubſtantialiter, concedo: quoad ſtatum, nego. Cum Patribus diximus Eccleſiam priorem, & noſtram ſe habere ut puerum, & virum perfectum, ubi non eſt, niſi differentia ſtatus.

Eadem ſubſtantialiter Eccleſia vetus, & nova.

De Eccleſia porro non qualicunque, ſed ſub ſtatu gratiæ loquimur in præſenti, quæ, cum ab Apoſtolis fuerit fundata, recte Apoſtolica dici debet; quo ſenſu Paulus ait: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes*. Deinde diſting. min. Prior Eccleſia non dicebatur Apoſtolica formaliter, ſeu explicite, concedo: virtualiter nego. Lex gratiæ velut in ſemine continebatur in priori, ad Galat. 3. *Prius autem, quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat*, ſcilicet per prædicationem Apoſtolorum.

157 DICES. Eccleſia ſecundum ſtatum ab eo debet denominari, a quo unice eſt fundata: ſed unice a Chriſto fundata eſt; ergo Chriſtiana dici debet, non Apoſtolica, ſicut in Actis habemus cap. 11. v. 26. *Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani*. Min. conſtat ex Epiſt. 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

RESP. Hoc ipſo, quod Eccleſia dicitur Apoſtolica, Chriſtiana ſubintelligitur; quia Apoſtoli a Chriſto miſſi Chriſtum prædicaverunt, Chriſti doctrina, & auctoritate Eccleſiam fundaverunt. Sicut, ex quo cauſa prima operetur, non tollitur, quo minus cauſæ ſecundæ agant: ita ex quo Chriſtus ſit fundamentum, non tollitur, quin & Apoſtoli poſſint eſſe per ſubordinationem. Chriſtus fundamentum eſt, velut rupes habens ex ſe ſoliditatem; Apoſtoli autem velut primi lapides, Apoſtolicam tamen potius voluerunt Pa-

Eccleſia Apoſtolica eſt etiam Chriſtiana.

trea

ttes appellare ad tollendas Hæreticorum fraudes; aſſignando originem traducis, per quam fides ad poſteros devenit. Adde quod etiam a Chriſto denominatur Apoſtolica, cum & Ipſe Apoſtolus ſit principalis a Deo deſuper miſſus.

158 INSTABIS. Apoſtoli non ſunt fundamentum niſi miniſteriale: ſed a fundamento miniſteriali nequit deſumi denominatio, prohibente Paulo 1. Corinth. dicere: *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo, ego verò Cephæ*; ergo.

RESP. neg. min. Quam non evinci probatio. Prohibentur fideles vocari Paulini, aut Petriani, ut loquitur Aug. *Pſal.* 44. appellatione facta ad nomen perſonæ, & virtutis particularis; non autem ad officium. Corinthii ad perſonam reſpiciebant, & ratione illius aſtruebant differentiam aliquam inter Baptiſmum collatum a Petro, & collatum a Paulo: & patet ex contextu: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* En virtus non a Paulo, ſed a Chriſto, qui diviſus non eſt. Et cap. 3 *Quid igitur eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri ejus, cui credidiſtis.* En ad miniſterium, non ad perſonam reſpiciendum eſt. Denominatio Apoſtolicæ ab officio deſumitur, non a perſona.

Denominatio Apoſtolicæ ab officio.

159 URGEBIS. Non minus Eccleſia fundatur ſupra Apoſtolicum, quam ſupra Propheticum Miniſterium, ad Epheſios 2. v. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum:* Sed Eccleſia Novi Teſtamenti non eſt denominanda Prophetica; ergo neque Apoſtolica.

RESP. Munus Apoſtolicum, & Propheticum ſe habet, ut occultans, & manifeſtans. Prophetæ ex Divo Aug. dicuntur excuſſi, & Apoſtoli dicuntur filii excuſſorum; quia Prophetæ clauſa continebant Sacramenta, Apoſtoli autem, Domino aperiente, aperta tradiderunt Eccleſiæ -- ideoque Prophetæ dicun„ tur excuſſi, quibus excuſſis generati ſunt „ Apoſtoli — A manifeſto autem deſumitur denominatio; unde *diſt.* 19. *Cap. Ita Dominus*, habemus ex Leone — Ita Dominus noſter Je„ ſus Chriſtus humani generis Salvator inſti„ tuit, ut veritas, quæ ante legis, & Prophe„ tarum præconio continebatur, per Apoſtoli„ cam tubam in ſalutem univerſitatis exiret —

Eccleſia cur non dicatur Prophetica.

160 REPLICABIS. Apoſtolica tuba conſiſtit ſecundum proprietatem in prædicatione doctrinæ Evangelii, Marci 16. v. 15. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Ad Rom. 15. v. 20. *Prædicavi Evangelium.* 1. ad Corinth. 4. v. 15. *Per Evangelium ego vos genui.* Cap. 15. v. 1. *Evangelium, quod prædicavi vobis.* Sed ab Evangelica doctrina non dicitur Eccleſia Evangelica; ergo neque Apoſtolica dicenda.

RESP. Apoſtolica tuba conſiſtit in activa prædicatione Evangelii: prædicatio verò activa habetur per tales perſonas deſuper miſſas: Evangelium verò eſt materia prædicata. Ab activo autem deſumi debet denominatio, ſicut genus v. g. Agricolæ deſumitur ab activa agrorum cultura, non verò a materia, quæ ſeminatur: eaque ratione Patres Evangelicam non vocant Eccleſiam, quia Hæretici Evangelica vocant ſua conventicula; ſed non ea ratione, qua verum Evangelium tradatur apud ipſos per legitimam ſucceſſionem ad primævam traditionem per Apoſtolos inchoatam.

Non dicitur Evangelica.

161 SUBSUMES. Sed Eccleſia, quæ nunc eſt, non eſt fundata activa prædicatione Apoſtolorum, cum nec Apoſtoli in omni regione prædicaverint; (erant enim tunc plures Orbis partes incognitæ) & in pluribus locis deperdita eſt fides, & Eccleſia eſt poſt plura ſecula reſtituta ab aliis fidelibus; ergo Apoſtolica appellari nequit.

RESP. nego antecedens. Ut Eccleſia dicatur ab Apoſtolis fundata, non eſt neceſſe, quod vel ſingulos baptizaverint, vel ad omnem omnino pagum pervenerint, ſed ſufficit, quod nulla natio ſit, in qua aliqui non crediderint, qui poſtmodum aliis communicaverunt doctrinam. Et ſi alicubi ex toto reſtituta ſit jam deperdita, id factum eſt ab iis, qui priſtinam retinebant doctrinam; & per legitimam ſucceſſionem tradiderunt illis, quando enim Chriſtus promiſit Apoſtolis adeſſe ipſis uſque ad conſummationem ſeculi, non eſt locutus de ipſis perſonaliter acceptis, ſed media ſucceſſione, & ex primis illis credentibus, & poſterioribus fit una Eccleſia: quemadmodum Chriſtus rogavit Patrem, ut unum eſſent cum Ipſo Apoſtoli, & illi, qui per verba ipſorum credituri erant. Joan. 17.

Quomodo in omnem terram prædicaverunt Apoſtoli.

162 OBJIC. II. Eccleſia, quæ Apoſtolicam non conſervat doctrinam, dici nequit Apoſtolica: ſed Eccleſia præſens non conſervat Apoſtolicam doctrinam; ergo. Min. oſtenditur: Doctrina Apoſtolica fuit trina merſio in Baptiſmo, lactis, & mellis guſtatio tradenda infantibus poſt egreſſum ab infantia, Eucharistiæ adminiſtratio ſub utraque ſpecie, etiam laicis, & infantibus, Oratio verſus Orientem, & alia, quæ tradit Hieronym. contra Luciferianos. Tertullianus *de corona militis*. Cyprianus *ſerm. de lapſis*, & alii Patres: ſed hæc corpus Eccleſiæ ubique non ſervat; ergo &c.

RESP. Apoſtolica Doctrina in duplici eſt differentia, alia pertinet ad fidem, alia ad pietatem, & ritus accidentales. In prima nulla facta eſt mutatio, nec fieri eſt poſſibile, in ſecunda facta eſt juſtis de cauſis. Vel major reverentia myſteriorum, vel Hæreticorum perverſitas Eccleſiam coegit pleraque mutare. Pericula effuſionis pretioſi Sanguinis Chriſti, aliaque inconvenientia moverunt Paſtores, ut Laicis non daretur Euchariſtia ſub utraque ſpecie, Infantibuſque negaretur; ex eo vel maxime, quando acceſſit hæreſis dicens, ea eſſe neceſſaria ad ſalutem ex præcepto Divino. Sic cum hæreſis ſerpere cœpit Solem Orientem eſſe adorandum, quia in eo ſedebat Chriſtus; Trinam Merſionem eſſe de neceſſitate Sacramenti propter ſignificationem, Legalia eſſe neceſſaria in Eccleſia ſub ſtatu gratiæ, ab Oratione verſus Orientem, a Trina Merſione, a Legalibus abſtinuit Eccleſia. Vocabant prius fideles Deiparentem Virginem, Chriſtiferam; ac cum impii verbo abutentes, negarent eſſe Deiparam, ea voce amplius non ſunt uſi, Damaſceno teſte.

In Eccleſia quadam accidentalis differentia.

DICES. Materia, & forma Sacramentorum ad fidem pertinent: ſed nunc Eccleſia

utitur materia, & forma ei oppoſita, quam tradiderunt Apoſtoli. Nam Sacramentum Confirmationis, & Ordinis conferebant per manuum impoſitionem, & orationem, ut habemus in Actis Apoſt., nunc verò exigitur inſtrumentorum porrectio, & ſpecialis forma.

RESP. difficultatem hanc reſolvi a Doctoribus in Controverſiis de Sacramentis. Pro nunc dico: minorem ab adverſariis non probari. In Actibus quidem legimus adhibitam fuiſſe manuum impoſitionem, non autem legimus *tantum*, aut inſtrumentorum porrectionem fuiſſe rejectam. Utrumque adhibuerunt, dicam ego; ſed unum ſcriptum eſt, & aliud non, ſed traditione deſcendit ad Eccleſiam. Legimus frequenter in Actis, & Canonicis Epiſtolis Apoſtolus Chriſtum prædicaſſe: nunquid alia myſteria tacuerunt? Legimus Philippum per deſcenſum in aquam baptizaſſe Eunuchum nulla facta mentione verborum: dicemus ergo verbis non fuiſſe uſum? Apoſtoli ergo Sacramenta conferebant, prout erant a Domino Inſtructi, licet non omnia ſint ſcripturis commendata.

Doctrina Sacramentorum invariabilis.

163 OBJIC. III. Id integrum non conſervatur, quod corrumpitur: ſed Doctrina Apoſtolorum corrupta ad nos deſcendit; ergo. Prob. min. Tunc doctrina corrumpitur, quando vel aliquid detrahitur, vel additur: ſed ita factum eſt; nam Epiſtola Pauli ad Laodicenos eſt deperdita, ſicut membranæ, de quibus mentio fit in Epiſtolis: nova dogmata inducta ſunt, ſcilicet Spiritum Sanctum a filio procedere: dari Theſaurum Indulgentiarum.

RESP. neg. min. Cujus probatio non evincit. Non eſt corruptum Verbum Dei ex eo, quod in veteri Teſtamento perierint aliqua volumina, quorum mentio fit in ceteris libris: ita nec dicendum corruptam fuiſſe doctrinam Apoſtolorum, ex quo periiſſe dicatur Epiſtola ad Laodicenos. Quid verò fuerint membranæ; an ejus Epiſtolæ, an Codex veteris Teſtamenti, an Evangelium Lucæ, an materia præparata pro ſcribendis aliis Epiſtolis, ad controverſias de Sacra Scriptura pertinet. Non eſt pariter corruptum Symbolum Apoſtolorum ex eo, quod Nicænum Concilium, & Conſtantinopolitanum aliquid addiderint. Duplex eſt additio. alia per majorem explicationem eorum, quæ tradita ſunt, & hanc concedimus factam, alia per contrariam doctrinam, & hanc negamus inductam.

Non ſemper per additionem mutatur veritas.

DICES. Non poteſt non niſi corruptum ad nos deſcendere, quod ab initio corrumpi cœperat; quo enim a ſuo fonte magis elongatur aqua, eo torbidior decurrit: ſed ab initio doctrina Apoſtolorum corrumpi cœpit, ut patet ex Epiſt. ad Gal., & ad Corinth.; ergo tot ſeculorum intercapedine quaſi ſeneſcens, & cadaverica ad nos devenit.

RESP. Eccleſia Apoſtolorum ævo cœpit corrumpi quoad aliquos fideles, ſecus quoad totam multitudinem: ita pariter ſucceſſivis temporibus aliqui naufragaverunt, ſed corpus integrum permanſit, & permanebit, aquâ Cœleſtis ſapientiæ in ſua omnimoda puritate decurrente; quia manuducitur per Spiritum Sanctum, qui ſuggerens omnem veritatem manet nobiſcum in æternum.

Eccleſia quoad totum nunquam defecit.

164 OBJIC. IV. Negabant Patres Hæreticos eſſe Apoſtolicos, etiamſi haberent Epiſcopos, ubi ſederent Apoſtoli, v. g. Antiochiæ, Jeroſolymis, Epheſi: non ergo dicenda eſt Apoſtolica Eccleſia, quia Epiſcopos numerat ſedentes in Thronis Apoſtolorum.

RESP. Negabant, etiamſi occuparent ſedes Apoſtolorum ſucceſſione interrupta, nequaquam: negabant quia v. g ante Miletem non poterant adnumerare alium uſque ad Sanctum Marcum, vel Petrum in ſede Antiochena ejuſdem rationis, & fidei, conced. Negabant ergo quia per illegitimam ordinationem introduxerant viros ab unitate corporis Eccleſiæ abſciſſos, ſecus accidere demonſtrabant in ſucceſſione Catholicorum.

165 OBJIC. V. Si Eccleſia præſens eſſet Apoſtolica, haberet eandem Auctoritatem, quam habebant Apoſtoli: ſed non habet; non enim Poteſtatem habet miraculorum, & libros Canonicos condendi &c.

RESP. neg. min. Omnem enim habet auctoritatem juris ordinarii, quam habebant Apoſtoli, non autem juris extraordinarii. Poteſtatem habet miraculorum, ſi neceſſe eſſet pro confirmanda fide miraculum fieri. Sed quia jam fides eſt ſignis evidentiſſime comprobata, ideo in Eccleſia ſingulis momentis non fiunt miracula. Habet Auctoritatem condendi libros Canonicos æquivalenter, quatenus ad ipſam ſpectat legitimum ſenſum eis tribuere, contraria illis dogmata eradicare, non autem formaliter, quia ad Eccleſiam jam fundatam non pertinet novam Regulam, novoſque articulos evulgare, aliàs non eſſet fundata, ſicut ab initio, quia non erat fundata Eccleſia, nec articuli omnes traditi, neceſſe erat Verbum Dei plenum dari ab Apoſtolis, vel per Scripturam, vel per Sermonem: immo ex hoc, quod Eccleſia eſt depoſitaria dogmatum, non debet nova inducere. Quidquid ergo ad munus Paſtorale, ad magiſterium fidei, ad morum diſciplinam pertinet, in eadem plenitudine datur in Eccleſia, ſicut data fuit in Apoſtolis. In quo verò reſideat hujuſmodi plenitudo, an in Concilio, an in Romano Pontifice, ſuis locis traditum eſt.

Alia argumenta ex lacunis Hæreticorum eſſent adducenda; ſed his factum fuit ſatis *P. II. de Ordine*. Hæc de proprietatibus Eccleſiæ ſufficiant. Aliæ quædam dotes a Patribus, & Doctoribus attribuuntur, quibus ejus dignitatem, ceu nobilioribus encomiis extollunt; ſed ad prædictas reducuntur, in eiſque includuntur.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN NECESSARIUM SIT EXTERNAS ECCLESIÆ NOTAS DESIGNARE.

1 SUmma rei eſt certò ſcire, ubinam Eccleſia, vera Chriſti Sponſa, reperiatur, ubi quærenda; quiſquis enim in hoc errat, certo damnationis periculo ſe committit: Ideo toto conatu invidus humani generis hoſtis ſemper ſollicitus fuit, ut legitimas notas cum adulterinis confunderet. At qui vigilat, ne portæ inferi prævaleant adverſus Eccleſiam, providit, ne falſarius bonum aurum corrumperet. Tantæ neceſſitatis credita de notis diſcuſſio eſt, ut eam primo loco inter omnes Controverſias examinandam exiſtimaverint nonnulli Doctorum; ea enim perfecte cognita, certo dignoſcitur vera Eccleſia, quæ cum tribunal ſit deciſivum Controverſiarum, qui cum ea credit, a recto tramite veritatis aberrare nequit. Nos tamen communiorem ſecuti methodum, quæ ad eſſentiam, & proprietates Eccleſiæ pertinent, præmiſimus: ſed quia ibi plurima reiigimus ad notas attinentia, compendioſiori ſtylo utemur, tum in illis elucidandis, tum in illis applicandis.

2 Quamvis Heterodoxi conveniant, neceſſarium eſſe externas aſſignare notas veræ Eccleſiæ: Ameſius tamen *in ſuo Bellarmino enervato lib.* 2. *tom.* 2. ſuperfluas judicat, & parvipendit. Ut plene ergo veritas pateat.

Notandum eſt I. Nomine notæ venire ſignum aliquod, quod certo faciat venire in cognitionem rei, cujus eſt nota; & ideo ex Doctrina Auguſtini S. Thomas 1. *p. quæſt.* 32. *art.* 3. notionem Divinarum Perſonarum vocat rationem propriam cognoſcendi Perſonam Divinam. Propriam diximus, quia debet eſſe talis, ut alteri non conveniat; aliàs mediante ea certo non poſſemus duci in cognitionem rei quæſitæ. Quapropter licet Catholici indifferenter Eccleſiæ notas ſigna appellent: Doctores tamen controverſiſtæ preſſius loquentes utuntur nomine notæ potius, quam ſigni, quia ſignum nec habet connexionem infallibilem cum re ſignata, nec ſemper eſt clarius: nota vero & clarior eſſe debet, & certo ducens in cognitionem.

Notandum II. Notas Eccleſiæ debere eſſe claras quoad omnes, & non tantum quoad doctiores; itaut a rudibus perpenſæ valeant eos ducere in cognitionem veræ a falſa Eccleſia; unicuique enim ſicut mandatum eſt de propria ſalute, ita proviſum eſt medium neceſſarium pro ea acquirenda, quod eſt poſſe in Eccleſiam ingredi: & cum omnibus pro qualibet differentia temporis ingreſſus in Eccleſiam ſit neceſſarius pro vita æterna, ſequitur, quod notæ eſſentiales, & ſufficientes debeant eſſe inſeparabiles ab Eccleſia pro quolibet tempore. Quibus præmiſſis

Dico. Neceſſarium eſt externas Eccleſiæ notas deſignare. Prob. Nemini ſeparato a Chriſto datur ſalus; ipſe enim eſt via, veritas, & vita, per ipſum habemus acceſſum ad Patrem: ſed omnis, qui eſt extra Eccleſiam re, & voto, eſt ſeparatus a Chriſto; Chriſtus enim eſt Caput Eccleſiæ; ergo nulli extra Eccleſiam datur ſalus; ergo tenetur Eccleſiam quærere, & ingredi; ergo debet illam agnoſcere; ergo debent dari ſigna, per quæ & dignoſcatur, & a falſis diſcriminetur conventiculis Diaboli. Argumentum Pauli ad probandam neceſſitatem prædicationis ad Rom. 10. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* valet ſimiliter in caſu: quomodo ſalvabuntur, ſi non ſunt membra Eccleſiæ? Quomodo erunt, ſi Eccleſiam non agnoſcunt? Quomodo agnoſcent, ſi non dantur ſigna ducentia in cognitionem? Ne dicamus ergo male proviſum generi humano in principaliſſimo ſalutis negotio, fatendum eſt Eccleſiam veras habere notas, quibus certò poſſit dignoſci.

Eccleſia dignoſci debet.

3 Confirmatur ratione, qua utitur D. Th. *p.* 1. *quæſt.* 32. *art.* 2. ad probandum dari notiones in Divinis. Tenemur ſatisfacere infidelibus redarguentibus de falſitate Chriſti Eccleſiam: ſed hoc non poſſumus facere, niſi veræ dentur notæ, quibus veritas oſtendatur, & declaretur; ergo neceſſe eſt Eccleſiæ notas externas aſſignare.

Confirmatur a pari. Frequenter in Scriptura aſſimilatur Eccleſia Regno, Civitati, & Familiæ: ſed in politicis legitima dantur ſigna, quibus obediens regnum a rebelli diſtinguitur, Civitas privilegiata a non privilegiata, familia nobilis ab ignobili, quæ ſufficiunt ad conſequendam favorabilem cauſam in judicio contra adverſarios, conantes ſibi talia jura vindicare; ergo pariter debent dari ſigna legitima, quibus Eccleſia Chriſti defendatur contra Hæreticos, ſua latrocinalia conventicula pro Eccleſia venditantes.

4 Confirmatur ab exemplo. Ordo ſupernaturalis conditus eſt ad proportionem ordinis naturalis: ſed in ordine naturali dantur ſigna, per quæ inveſtigamus primas veritates fundamentales, & neceſſarias, ut ſunt demonſtrationes per effectus; ergo in ordine pariter ſupernaturali debent dari ſua ſigna proportionata ad cognoſcendas veritates primarias, & fundamentales, inter quas eſt illa de Eccleſia.

Confirmatur auctoritate adverſariorum; nam de SS. Patribus non eſt ambigendi locus, cum ipſi catalogum ſignorum tradiderint, puta Hieron. *contra Lucif.*, Aug. *contra Epiſtolam fundamenti*, *de utilitate credendi &c*, Melancton igitur *in diſp. contra Luth. tom.* 1.

tom. 1. -- Ut a nobis agnoſci poſſit Eccleſia, „ neceſſe eſt, eam certas notas eaternas ba- „ bere -- Danæos *de viſibili Eccleſia* ait eſſe -- Certiſſimas notas, ea quibus illa vera Dei „ Eccleſia, etiam in his terris viſibiliter per- „ ſpicere, & ut ita loquar ocularitee agno- „ ſci, dignoſcique a ceteris, vel profano- „ rum, vel prorſus infidelium, vel Hæreti- „ coeum cœtibus, ac congregationibus poſ- „ ſit -- Calvinus 4 *inſt. cap.* 1. *num.* 7., & 8. ait -- Eccleſiam a Chriſto conſtitutam eſſe „ per aliqua ſigna, & ſymbola -- Beza *lib. de notis* idem contendit. Confeſſio Scotica *art.* 18. -- Neceſſe eſt, ut vera Eccleſia ab hu- „ juſmodi ſordidis ſynagogis, perſpicuis, & „ perfectis notis diſcernatur -- Conſentiunt aliæ confeſſiones Hæreticæ. Quare temere opponitur Ameſius, cum apud ſuas ſectas communiter agnoſcatur neceſſitas notarum Eccleſiæ. Sed hoc ipſo prodit ſuæ doctrinæ falſitatem, negans convenientiam ſignorum pro veritate indaganda. Dicamus ergo cum Aug. *lib. de utilitate credendi cap.* 7. -- Perfe- „ ctæ felicitatis eſt, ſi poterit ibi verum in- „ veniri, ubi & inquiſitio ejus, & retentio „ ſecuriſſima eſt -- Dicamus cum eodem *lib.* 7. *conf. cap.* 10. -- Facilius dubitarem, vi- „ vere me, quam eſſe falſa, quæ audivi --

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICI.

5 OBJIC. I. Notæ neceſſariæ ſunt ad cognoſcendum illud, quod eſt incognoſcibile, & occultum: ſed Eccleſia eſt viſibilis; ergo non ſunt neceſſariæ notæ ad eam cognoſcendam.

RESP. Chriſtus erat viſibilis Judæis; ergo non erant neceſſaria ſigna probativa Divinitatis? Codex Sacer eſt viſibilis; ergo non ſunt neceſſariæ notæ, ut credamus eſſe Dei Verbum? Eccleſia quidem eſt viſibilis, & ſupra montem poſita, ſed plures non vident eam, quia ab ipſa luce obcæcati Hæretici Civitates Diaboli confingunt, tanquam Civitatem Dei. Pagani Eccleſiam Chriſti perſecuti ſunt, ſed ignorabant eſſe veram: Debent ergo dari notæ, ut diſtinguatur a falſis, ut demonſtrari poſſit incredulis. Aurum quidem viſibile eſt, & tamen ſigna habet, per quæ dignoſcatur ab aurichalco: immo viſibilis eſt Eccleſia, quia viſibiles etiam radicat notas.

Eccleſia viſibilis, ac notis dignoſcenda.

6 OBJIC. II. Toties notæ ſunt ſuperfluæ, quoties per eas non poteſt deprehendi Eccleſia: ſed per eas deprehendi non poteſt; ergo. Min. explicatur. Quælibet nota veram ſupponit Eccleſiam notas tradentem: debet ergo præſupponi Eccleſiam eſſe. Elucidatur. Nota quælibet debet deſumi a ſymbolis, a Patribus, a ſcripturis; ergo prius debet præſupponi ſtabilitum, quæ ſint ſcripturæ, qui Patres, quæ ſymbola: ſed hoc fieri nequit, niſi prius ſciatur hanc, vel illam Eccleſiam eſſe, quæ tradat ſcripturas, ſymbola, & Patres; ergo.

RESP. Argumentum probare ex effectibus non poſſe oſtendi cauſam, & nullum diſcurſum a poſteriori utilem fore; quia prius debet præſupponi cauſa effectum producens. Quoad ſe Eccleſia præſupponitur: quoad cognoſci in particulari ex notis habetur: ſeu Eccleſia velut in genere præſupponitur, & per notas, quæ ſit in particulari, dignoſcitur. Dubius, ubi ſit vera Eccleſia, ſcit in genere dari Eccleſiam, extra quam non datur ſalus, & quod in ea debeat eſſe verus Dei cultus: ſed ad cognoſcendum, quod hæc particularis vera ſit, manuducitur per notas. Pariter verum eſt ſcripturam, ſymbola, Patres tradi ab Eccleſia, ab eaque vim auctoritativam deſumere; quo ſenſu præſupponitur ad Notas in Scripturis contentas, ſed, cum agamus cum Hæreticis, qui admittunt Scripturas, & priora Symbola (undecunque accipiant) recte ab illis deſumimus ſigna, quibus contra ipſos oſtendimus huic Eccleſiæ particulari, & non alteri convenire privilegium Sponſæ, & Columbæ Dei.

Auctoritas in ſignis ab Eccleſia.

7 OBJIC. III. Si dantur Notæ, debent eſſe omnibus utiles: ſed non poſſunt eſſe utiles omnibus: ergo non dantur. Maj. explicatur. Eccleſiæ cognitio eſt de eſſentialibus ad ſalutem: ſed ad ſalutem tenentur omnes; ergo omnibus debent deſervire ſigna, ut illam demonſtrent, & quidem certò; neceſſe eſt enim, quod diſtinguatur vera Eccleſia a falſis. Si Notæ non deſerviunt niſi Chriſtianis, quomodo ſuadebimus Paganis Eccleſiæ veritatem? Min. videtur clara. Plurimæ Notæ dependent a Scripturis: ſed Pagani non ſuſcipiunt Scripturas; ergo Paganis Notæ non deſerviunt.

RESP. in primis neg. min. Illæ enim eædem Notæ independenter a Scripturis urgeri poſſunt fundamento rationis, ut unitas, Sanctitas, univerſalitas &c. Deinde, ut vidimus, proportionali ratione proceditur in ordine gratiæ, ac in ordine naturæ, in quo veritates plurimæ ſunt connexæ uni principio præſuppoſito, quo admiſſo, cetera debent concedi: ita pariter in ordine gratiæ gradatim eſt procedendum. Pagano oſtendenda ſunt prius ea, quæ cadunt ſub diſcurſu naturali, ut Dei unius exiſtentia, cui de conſequenti debetur unus cultus; immortalitas animæ, cui deſtinatur pœna, vel Beatitudo æterna; ex quo fit tranſitus ad oſtenſionem ordinis ſupernaturalis, & Myſteriorum Divinorum, Scripturarum &c., quibus oſtenſis, ex Scripturis deſumuntur motiva probantia veritatem Chriſtianæ Religionis; ita tamen ut ad reddendam eam evidenter credibilem adducantur prius ſenſibiliora, ut Miracula, Martyria, Idolorum everſio &c., unde paulatim diſpoſitus Paganus convincitur tandem ex Scripturis.

Quomodo Pagani revincendi.

8 OBJIC. IV. Si Notæ eſſent neceſſariæ, tenerentur omnes Eccleſiam inquirere: ſed non tenentur omnes; ergo. Expl. min. Pueri non tenentur; unde damnata eſt a Schola Pariſienſi propoſitio Eraſmi, quæ dicebat pueros, cum ad adultam ætatem pervenerint, examinandos eſſe, an approbent Religionem, quam ſequuntur, & eis proponenda Myſteria Fidei, ejoſque motiva libere admittenda. Quod ſi dicatur non teneri, quia ſunt in poſſeſſione veritatis; dicent, & ceteri ſe eſſe in Eccleſia in poſſeſſione veritatis. Item ſimplices non tenentur quærere; immo illis prohibetur

betur diſputatio circa fidem.

A RESP. neg. min. ad probat. dico teneri pueros, & ſimplices veritatem inquirere, quando, vel eis incipit innoteſcere ſe in errore verſari, vel dubitant de errore. Quia tamen noſtri ſunt revera in legitima poſſeſſione veritatis, ideo ſufficit, quod, dum ad adultam perveniunt ætatem, inſtruantur, & obvia proponantur ſigna credibilitatis. Pueri verò, & ſimplices aliarum Sectarum, cum ſint revera in poſſeſſione falſitatis, ſi eorum Parentes, & Paſtores dubii ſint, vel certi de errore, ſicut ipſi tenentur quærere, ita, & de hac obligatione pueros, & ſimplices admonere; & tunc tenentur inquirere:

Dubius de errore ſcrutari debet veritatem.

B Prohibentur autem ſimplices de fide diſputare, ne irriſioni exponantur Divina Myſteria; verſuti enim Hæretici captioſis ſophiſmatibus iſtos trahunt ad incongrua, & indecora concedenda. Dati ſunt Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, quorum munus eſt fidem tueri, & de ea diſputare; & ideo iſti in ſingulis articulis debent eſſe eruditi, ubi ſimplices tenentur tantum præcipua myſteria explicite credere, & reliqua implicite, ſubjiciendo ſe Eccleſiæ, ejuſque Doctoribus.

9 OBJIC. V. Si Notæ eſſent neceſſariæ ad inquirendam, & diſtinguendam Eccleſiam veram a falſa, deberet certò conſtare,

C quales, & quot ſint: ſed non conſtat: immo maxima datur confuſio; Bellarminus enim aſſignat quindecim, Bozius centum, Georgius Ræthus triginta ſex, Piſtorius duodecim, Medina undecim, Coſterus quatuor, Stapletonius tres, Caniſius duas, alii dicunt dari ſeptem. Hæc Vedroſius *ſua antiq. ſect.* 3.

RESP. neg. min. Quamvis enim alii plures, alii pauciores aſſignent Notas: omnes tamen conveniunt in præcipuis, & primariis, quas nullus Catholicorum negat. Sed quia una ſufficit ad oſtendendam veritatem, ſicut una demonſtratio ad inferendam ſcientificam concluſionem, ideo nonnulli

D paucas enumerant, alii verò, ut plenius, & ſenſibilius veritas appareat, plures proſequuntur. Privilegium eſt veritatis, quod pluribus viis poſſit demonſtrari. Ex quo inexcuſabiliores redduntur infideles, nolentes Eccleſiam amplecti, tot ſignis credibilitatis oſtenſam.

Veritas pluribus valet oſtendi.

DICES. Notæ ſunt quædam accidentia eſſentiæ extrinſeca: ſed accidentia non diſtinguunt eſſentiam ab aliis: ergo Notæ non diſtinguunt eſſentiam. Non ſunt ergo neceſſariæ.

RESP. maj. eſſe falſam. Aliquæ enim, & præcipuæ coincidunt cum proprietatibus: proprietates porro optime diſtinguunt; unde

E ex riſibilitate homo a Leone diſcernitur. Sed data maj. diſting. min. Non diſtinguunt ut conſtituentia, & ut differentiæ eſſentiales, concedo, ut ſigna, nego. Sunt enim centena, quæ ſuis eſſentiis diſtinguuntur, & tamen etiam per accidentia, tanquam per ſigna ſenſibiliter demonſtrantur.

Eſſentia per ſigna demonſtratur.

⁂

CONTROVERSIA II.

AN VERBUM DEI PRÆDICATUM, ET ACCEPTATUM SIT VERA ECCLESIÆ NOTA.

10 UNiverſi Hæretici, Ameſio excepto, Notas neceſſarias eſſe admittunt: Non conveniunt tamen in eis aſſignandis. Lutherus *lib. 7. tract. de notis Eccleſiæ*, ſeptem ſequentes aſſignat, Primam Verbum Dei lucens in confeſſione, vita, & moribus. Secundam Baptiſmi adminiſtrationem, Tertiam legitimum uſum Euchariſtiæ, Quartam uſum Clavium, Quintam Verbi miniſterium. Sextam orationes publicas, ut orationem Dominicam, Pſalmodiam, Septimam myſterium Crucis, hoc eſt perſecutiones externas pati, excommunicari, vocari hæreticos, Cacodæmones, Catharmata; intus verò ſuſtinere mæſtitiam, puſillanimitates, terrores; concluditque -- Hæc ſunt „ ſeptem ſtellæ, vellem dicere, ſeptem Sa„ cramenta, niſi aliter jam uſus obtineret -- Ceteri tamen Lutherani agnoſcunt pauciores Notas.

Hæretici varii in deſignandis Eccleſiæ notis.

Centuriatores *cent. 1. lib. 1. cap. 4. titulo de Eccleſia*, has ſolum admittunt -- Ver„ bum Dei prædicatum, & lucens in confeſ„ ſione. Legitimum uſum Sacramentorum, „ Conſtantiam in fidei confeſſione. Obedien„ tiam erga miniſterium Verbi -- Illyricus, unus ex Centuriatoribus duas primas admittit, & duas alias adjicit, Invocationem videlicet, & charitatem. Lutherani Interemiſtæ in Comitiis Auguſtanis 1548. quatuor ponunt -- Doctrinam incorruptam. Rectum uſum „ Sacramentorum. Charitatem, quæ in uni„ tate, & pace conſiſtit, & catholicum con„ ſenſum per omnia orbis loca, & tempora-- Communior tamen Lutheranorum ſenſus, tres tantum agnoſcit, ſcilicet -- Doctrinam in„ corruptam, Rectum Sacramentorum uſum, „ & obedientiam miniſterio debitam -- quam alii unitatem vocant. Ita acta Ratisbonenſia 1553. Melancton *in reſp. ad artic. Bavaricæ confeſſionis*. Muſculus *in locis communibus, loco de Eccleſia*. Caſſander *in conſultatione ſuper confeſſionem Auguſtanam art. 7.*, & reliqui.

Calvinus cum ſuis communius duas tantum agnoſcit. *Lib. 4. inſtit. cap. 1. n. 9.* -- „ Ubicunque Dei Verbum ſincere prædicari, „ atque audiri: ubi Sacramenta ex Chriſti „ inſtitutione adminiſtrari videmus, ibi ali„ quam eſſe Eccleſiam nullo modo ambigen„ dum eſt -- *Et num.* 10. -- Symbola Eccle„ ſiæ dignoſcendæ, Verbi prædicationem, „ Sacramentorumque obſervationem poſui„ mus -- Idem *cap. 2. n. 1., & in præf. §. Dilemmata*. Has duas Notas etiam Lutherani univerſi admittunt, licet alias adjungant.

Licet non multum ſit curandum de paucitate, & pluralitate Notarum, omnino tamen neceſſarium eſt, quod illæ, quæ aſſignantur, veræ ſint; aliter ad nihil deſerviunt, nec aptæ ſunt ad conducendum in cognitionem rei, quæ inquiritur, ideo diligenter examinandum eſt, quales ſint falſæ, & quales

veræ

Digitized by Google

veræ Notæ Eccleſiæ. Incipientes refellere falſas, primum locum damus Verbo Dei prædicato, cum præcipua Nota ab adverſariis recenſeatur. Unde

Dico. Verbum Dei prædicatum, & acceptatum non eſt veræ Eccleſiæ Nota.

11 PROB. I. indirecte ad hominem contra Hæreticos. Verbum Dei purum prædicatum, & acceptatum non eſt, niſi in prædeſtinatis ex principiis Hæreticorum: ſed cœtus prædeſtinatorum ex iiſdem eſt inviſibilis, & non cognoſcibilis; ergo Verbum Dei purum prædicatum non poteſt eſſe Nota cognoſcendi Eccleſiam.

Vera Eccleſia nota non debet eſſe communis falſa Eccleſia.

12 PROB. II. Nota vera non debet eſſe communis veræ, & falſæ Eccleſiæ: ſed Verbum Dei prædicatum eſt commune veræ, & falſæ Eccleſiæ Chriſti; ergo. Maj. lumine naturæ patet; eſt enim Nota ſignum diſtinctivum unius ab alio; & ideo Fridus Pruteitans illam deſcripſit *lib. 2. de Eccleſ. cap. 1.* ſic -- Signum eſt, vel character, quo unum „ ab aliis diſcerni poteſt -- Min. declaratur. Quælibet Secta Hæreticorum prætendit habere puram Chriſti doctrinam, ut incipiendo a primo Hæretico uſque ad ultimum evidenter conſtat. Unde Aug. *cap. 4. lib. contra Epiſt. fundamenti*, declaratis titulis, quibus detinetur in Eccleſia Chriſti, de Hæreticis ait -- „ Apud vos autem, ubi nihil horum eſt, quod „ me invitet, ac teneat, ſola perſonat veri„ tatis pollicitatio, quæ quidem (ſi tam ma„ nifeſta monſtratur, ut in dubium venire „ non poſſit) præponenda eſt omnibus -- *Et lib. 3. de Baptiſmo cap. 19.* habet -- Faciliime „ enim ad Imagines phantaſmatum ſuorum „ carnales, atque ſeductores Hæretici con„ vertunt omnia Sacramenta, & verba libro„ rum Sanctorum -- Ergo ex prædicatione Verbi non dignoſcitur legitima Sponſa Chriſti ab adulterina: optime dicente eodem Aug. *Pſal. 54.* in illud: *In multis erant mecum* -- „ Baptiſmum habebamus: utique in eo erant „ mecum. Evangelium utique legebamus: „ erant in eo mecum &c. ſed non omnino „ mecum. In ſchiſmate non mecum, in „ hæreſi non mecum -- Gentilis ad Eccleſiam ſtudet accedere: luſtrat propterea Germaniam, Angliam, Hollandiam, Pannoniam, Puloniam, audit Calviniſtas prædicare Verbum Dei: audit idem facere Lutheranos: idem Anabaptiſtas: quomodo ſigno hoc cognoſcet Anabaptiſtarum cœtum non eſſe legitimam Eccleſiam, ut Lutherus, & Calvinus clamat? Quomodo Calvinianam, & non Lutheranam? Vim argumenti percepit Lubertus Proteſtans *lib. 4. de Eccleſia pag. 202. an. 1607.* -- Ex„ terna ſigna ſunt: congregatio, verbi præ„ dicatio, Sacramentorum communicatio, „ & ſimilia. Hæc ipſam Eccleſiæ eſſentiam „ non attingunt; ſunt enim Hæreticorum „ conventiculis, & veris Chriſtianorum Ec„ cleſiis communia --

13 PROB. III. Nota quoad nos debet eſſe notior notificato; ea enim utimur, ut in cognitionem notificati deveniamus: ſed Verbi Divini prædicatio non eſt quoad nos, nec quoad ſe notior Eccleſiâ; ergo non poteſt eſſe Nota Eccleſiæ. Min. explic. Prædicatio in ſuo eſſentiali conceptu involuit legitimum

A prædicandi miniſterium; hoc miſſionem, miſſio Eccleſiam, ad Rom. 10. v. 14. *Quomodo autem audient ſine prædicante: quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur*; ergo prædicatio eſſentialiter ſupponit Eccleſiam, & quidem quoad nos.

Eccleſia explicare debet Scripturas.

II. Prædicatio ſincera etiam quoad nos importat legitimum Verbi Divini ſenſum: ſed ſenſus legitimus Verbi Divini quoad nos dependet ab explicatione Eccleſiæ; ſicut præter Sanctos Patres, ipſimet præcipui Hæretici docuerunt; ergo Eccleſia notior eſt prædicatione: notius ſiquidem eſt, quod declarat, quam quod declaratur. Quod ſi dicant legitimum ſenſum haberi a quolibet per Spiritum San-
B ctum interius docentem, vel ab illis, qui pura conſcientia ſuſcipiunt Verbum Divinum, evidentius conſtat, prædicationem non eſſe Eccleſiæ Notam. Tum quia illud magiſterium, & intelligentia eſt interna, & inviſibilis; tum quia eſt particularis (Nota verò debet eſſe univerſalis) ac proinde non poteſt aliis deſervire, ut Eccleſiam agnoſcant: tum quia eſt diverſa; ſpiritus enim Calvino aſſiſtens aliter docet eſſe intelligenda illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, aliter ſpiritus Luthero adhærens; ergo eadem prædicatio æque introducit in Eccleſiam Calvini, ac Lutheri, quæ ad invicem anathematiſantur.

Ad credendum Eccleſiæ auctoritas.

C III. Si Evangelio non eſt credendum, niſi propter Eccleſiæ auctoritatem, Evangelium movens non eſt notius Eccleſiâ: ſed recte Aug. ſic eſt, ut ait *lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 5.* -- Ego verò Evangelio non „ crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ com„ moveret auctoritas -- Et ratio eſt, quia ex Paulo 1. ad Tim 3. Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis. Et Pſalmiſta clamat Pſal. 85. *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum*.

14 PROB. IV. Doctrina pura vel eſt Nota Eccleſiæ ſecundum aliquam ſui partem,
D vel ſecundum omnem: neutrum dici poteſt; ergo. Non primum, quia jam non eſſet ratio dignoſcendi cœtum Hæreticorum inter ſe, nec a vera Eccleſia; ſinguli enim cœtus Hæreticorum aliquam doctrinæ partem habent, cum aliquos doceant fidei articulos. Non ſecundum, quia jam idem eſſet Nota ſui ipſius; ſiquidem pars doctrinæ totius eſt, quod ubi eſt integritas doctrinæ, ibi ſit vera Eccleſia.

Nota omnibus debet eſſe communis.

Tum quia Nota debet eſſe accomodata captui, ſaltem majoris partis hominum; vim enim medii habet ad ſuadendam veritatem Eccleſiæ cunctis illam inquirentibus: ſed doctrina ſecundum omnem ſui partem non eſt acco-
E modata captui majoris partis hominum; eſt namque difficilis, includitque controverſas difficultates, ipſa ſumma ingenia torquentes, ut fatentur Sancti Patres; ergo. Tum quia Nota non debet eſſe fallax, & incerta: ſed doctrina in univerſum accepta ſecundum adverſarios eſt regula fallax, quia est nævis, & erroribus admixta etiam in fundamentalibus, ſicut Beza docet de nomine Eccleſiæ, ubi ſic ait -- Poſſunt aliqui errores in Eccleſiam Ca„ tholicam irrepere, etiam in aliquo funda„ mentali capite fidei -- Idem Witakerus *controv. 2. cap. 4.* -- Conſtat veram Eccleſiam,

„ etiam

Digitized by Google

„ etiam in rebus neceſſariis, ad tempus errare poſſe -- *Cap.* 5. -- Ex quibus colligimus Eccleſiam etiam in fundamentis quibuſdam errare poſſe -- Sic & alii; & patet ex anathematiſmis, quibus ad invicem ſe feriunt Hæretici.

15 PROB. V. Secundum Adverſarios illa communiter eſt incorrupta doctrina, quæ evangelizatur ſecundum expreſſe contenta in Scripturis: ſed hoc modo aperte nequit eſſe Eccleſiæ Nota; ergo. Min. explicatur. Tum quia in ſtatu naturæ erat vera Eccleſia, vera inſtructio veritatis, & tamen nulla erat Scriptura. Tum quia Lex Chriſti, longo tempore, ſub initio caruit Scripturis novi Teſtamenti, & tamen fuit veriſſima Eccleſia; Nota verò debet convenire ſemper, & ubique. Ulterius nullibi prædicatio fit ſecundum pure expreſſa in Scripturis; non apud nos, qui plura ex ſola traditione docemus; non apud ipſos Hæreticos, qui admittunt plura, de quibus altum ſilentium in Scripturis, ſaltem expreſſe, ut eſt obſervatio diei Dominicæ, Baptiſmus parvulorum, Symbolum Apoſtolorum, numerus Sacramentorum &c.

Scriptura explicanda.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

16 OBJIC. I. Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 1. *num.* 9. Ubi Chriſtus eſt, ibi eſt Eccleſia: ſed ibi Chriſtus eſt, ubi eſt prædicatio Verbi, Matth. 18. v. 20. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo; ibi ſum in medio eorum.*

RESP. Errat fœde Calvinus contra ſua principia; ſtatuit enim nihil eſſe inducendum, niſi ex verbo ſcripto expreſſo: at ubi in hoc textu mentio prædicationis? Quomodo ergo ad prædicationem ſtabit? Deinde, vel loquitur de legitime congregatis, vel illegitime, ſi de primis oſtendat neceſſe eſt ſignum, quo dignoſcamus legitime congregatos, ſi de ſecundis, jam non deveniemus in cognitionem veræ Eccleſiæ, ſed falſæ. Duplex ergo apud Patres eſt legitimus ſenſus citatæ Scripturæ, unus quod ubi Paſtores ſunt in Conciliis debito modo uniti, ibi ſpecialiter Deus aſſiſtit, ne errent. Alter, quod ubi plures fuerint fide, & charitate juncti, ibi Chriſtus eſt illos exaudiens, & protegens.

Deus aſſiſtit congregatis in nomine ſuo.

17 DICES. Id, per quod dignoſcitur ovile Chriſti, eſt Nota Eccleſiæ: ſed prædicatione dignoſcitur ovile Chriſti, Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*: immo alienum Paſtorem non agnoſcunt; ergo prædicatio eſt Nota Eccleſiæ. Sic Calvinus *idem cap.* 2. *num.* 4.

RESP. Vel loquitur de iis, qui vocem Chriſti pure materialiter audiunt, & jam Sacerdotes Judæorum, qui Chriſtum morti tradiderunt, oves Chriſti erant. Vel de audientibus ſpiritualiter, ideſt, de vero aſſenſu fidei Verbo Dei exhibito, & jam Notam inviſibilem ſtatuit; aſſenſus enim interior ſoli Deo notus eſt. Patres univerſi, & Calvinus ipſe locum interpretantur de prædeſtinatis: prædeſtinatorum porro cœtus hominibus incognitus eſt; ac proinde auditio hic poſita nequit eſſe Eccleſiæ Nota.

18 INSTABIS. Ex ſincera doctrinæ cuſtodia arguitur permanentia in Eccleſia; ergo doctrinæ puritas eſt Nota oſtenſiva Eccleſiæ. Ant. prob. Joan. 2. *Qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet*: ſed qui habet Deum Patrem, habet Eccleſiam matrem; ergo. Sic Franciſcus Gummarus.

RESP. neg. conſeq. Nec laudatus textus ad rem facit; loquitur enim clare de cuſtodia Doctrinæ Chriſti, contrapoſitive ad illos, qui per hæreſim recedunt a Chriſto. Cuſtodia verò legitima Doctrinæ Chriſti eſt ipſa fides integra, quæ eſt inviſibilis, ſolum viſibiliter oſtenſa in moribus. Quare ex ſe æque obſcurum, & ignotum eſt, manere in doctrina Chriſti, ac habere Deum Patrem, & Filium. D. Thom. explicat de perfecta in Doctrina Chriſti permanentia, ideſt, in fide, & charitate finali, & qui eam retinet, Deum Patrem habet in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam. Adverte etiam axioma Aug. ita eſſe: Non habet Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam matrem; ex quo habes, ingreſſum in Eccleſiam in priori aliquo eſſe ad habere Patrem Deum.

Doctrina Chriſti fides eſt.

19 URGEBIS. Id, per quod diſtinguitur cœtus fidelium ab infidelibus, eſt Eccleſiæ Nota: ſed per prædicationem diſtinguitur, Act. 2. v. 42. *Erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* His enim characteribus deſcribitur Chriſti Eccleſia a ſynagoga Diaboli diſcriminari.

RESP. Equidem nota eſt diſtinctivum: non tamen omne diſtinctivum eſt Nota. Sed falſa eſt minor, & contra literam adducitur textus; ſiquidem ibi enumerantur pietatis exercitia, in quibus detinebantur primi fideles. Et ſi ſincere agerent Adverſarii, adducere deberent cetera ibi poſita verſ. 44., ſcilicet: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant.* At hæc audire nolunt, qui, & oblatas Deo poſſeſſiones rapuerunt, & Religioſos vitam communem obſervantes execrantur.

Nota Eccleſiæ diſtinctivum ejuſdẽ.

20 REPLICABIS. Non eſt melior Nota eâ, ad quam nos Chriſtus remittit, ut Eccleſiam cognoſcamus: ſed Chriſtus nos remittit ad purum Dei Verbum, Joan. 5. v. 39. *Scrutamini ſcripturas*; ergo. Hæc iterum Gummarus.

RESP. neg. min. Et ordo invertitur in explicatione textus. Ut enim ſciam hanc eſſe Scripturam, debeo prius ſcire ab Eccleſia tradi; ſiquidem legitima Scriptura a traditione Eccleſiæ dependet eſſentialiter. Quid ergo facit ibi Chriſtus? Nolebant Judæi credere ipſum Chriſtum eſſe Meſſiam; dedit illis ſigna pro veritate hac exquirenda, quam aſſerebat contineri in Scripturis, ab ipſis commendatas, & quibus Chriſto adverſabantur, & ideo ad eas ſcrutandas, non ſuperficietenus legendas remiſit. Nos etiam adverſarios remittimus ad Scripturas, ut veras Eccleſiæ Notas adinveniant.

Scriptura ab Eccleſia tradi debet.

21 SUBSUMES. Nota eſt id, quo populus Dei dignoſcitur: ſed Verbi prædi-

catione dignoſcitur Dei populus; ergo eſt Nota Eccleſiæ. Min. habetur Joan. 10. v. 34. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, dii eſtis?* Sic Brentius, & confeſſio Wittemberg. Concil. Trid. exhibita. Deinde inferunt -- Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei „ factus eſt; ergo ibi eſt Eccleſia, ubi eſt „ Verbum Dei --

Legitima prædicatio ab Eccleſia.

RESP. neg. min. Vel enim ſermo eſt de prædicatione qualitercunque facta, vel legitime facta: Si de prima, non minus per prædicationem deveniemus in cognitionem falſæ, quam veræ Eccleſiæ. Si de ſecunda, prius debet conſtare de vera Eccleſia, a qua dependet legitima prædicatio. Verbum, quod facit Dei Filios, eſt Verbum recte ſuſceptum, Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: ſed recta Verbi ſuſceptio eſt invisibilis, nec eſt omnium audientium; ergo non poteſt eſſe Nota. Locus Joannis non eſt ad rem; Chriſtus enim eo utitur ad oſtendendum ſe non blaſphemaſſe, cum dixit ſe Deum eſſe, ſic arguens: Dii vocantur in veſtra lege ii, quibus facta eſt participatio aliqua Divinitatis; ergo Deus ero, quem ſanctum genuit Pater ab æterno, quem Pater miſit, & qui opera Patris facio, ut S. Th. *ibid.* Adde aliunde deficere inſtantiam; *Pſal.* 81., cui alludit Chriſtus, loquitur ex communi interpretum de Judicibus, & Prælatis; unde non valet, Prælati ſunt, ad quos factus eſt ſermo Dei, & Dii vocati; ergo omnes, quibus prædicatur Verbum, Prælati ſunt.

22 OBJIC. II. Verbum mundat Eccleſiam; ergo ubi eſt Verbum, ibi eſt Eccleſia; ergo Verbum demonſtrat Eccleſiam. Ant. prob. 1. ad Tim. 4. *Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* Ad Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ.* Joan. 15. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Joan. 17. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.* Sic Lutherus, & Brentius.

RESP. Tranſmiſſo ant. nego ultimam conſequentiam; nam mundities hæc, de qua Scriptura, per Brentium eſt coram Deo, & teſtatos Joan. 13. aperte indicat, cum ait: *Et mundi eſtis, ſed non omnes*: quod verò eſt tantum coram Deo, non poteſt eſſe Nota viſibilis. Deinde certum eſt, quod Evangelium prædicatum non ſanctificat omnes: quomodo ergo eſt Nota, ſi neſcimus, quos ſanctificat? Sed neg. ant. Pura prædicatio non ſanctificat; aliter Judæi, qui toties Chriſtum audierunt, ſanctificati fuiſſent. Nec ullus textus adducitur ad rem. Non primus, qui ſolum appellat ſupra cibum manducatum cum gratiarum actione, & Verbo benedictionis, ideſt, per ſignum crucis, ut dicit Chryſoſtomus *Hom.* 12. *in Tim.* Verbum verò hoc benedictionis ſanctificat omnia. Non ſecundus, qui loquitur expreſſe de forma Bapriſmi. Non tertius, qui pariter loquitur de Baptiſmo ex Aug. *tract.* 8. *in Joan.*, & ex D. Thom. *ibid.* Si velint intelligi de Verbo docente, dicuntur mundi Apoſtoli ex D. Thom. ibi, quia ab erroribus purgati, veritatis cognitione. Non quartus, qui loquitur de privilegio confirmationis in fide, & charitate, pro quo rogat Chriſtus Patrem in illo capite, ut patet. Sic idem D. Thom. *ibi*.

Pura prædicatio non ſanctificat.

23 OBJIC. III. Niſi prædicatio eſſet Eccleſiæ Nota, non præciperetur pro Eccleſia inveſtiganda: ſed præcipitur, ut Matth. 10. v. 7. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum.* En oſtenditur Eccleſia prædicatione. Marci 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ad Rom. 1. v. 16. *Non enim erubeſco Evangelium; virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Hæc Centuriatores.

Prædicatio veritatē declarat.

RESP. neg. maj. Nam ideo eſt legitima prædicatio, quia Eccleſia mittit. Textus adducti ſolum probant in Eccleſia dari medium ordinarium prædicandi Verbum Dei, & hoc tanquam munus proprium exerceri: & quia prædicatio veritatem declarat, ideo credentes ad Eccleſiam trahit, & ad ſalutem; prædicatio enim veras Notas declarat.

24 OBJIC. IV. Falſa doctrina eſt certa nota falſæ Eccleſiæ; quia falſa doctrina nuſquam convenire poteſt veræ Eccleſiæ; ergo vera doctrina eſt certa veræ Eccleſiæ Nota, ſecundum regulam contrariorum.

Vera doctrina veram innuit Eccleſiā.

RESP. Quia qualibet Secta contendit ſe bonam habere doctrinam; unde prædicatio præciſe doctrinæ falſæ non eſt ſignum planum falſam indicandi Eccleſiam. Si tamen evidenter conſtet falſam eſſe doctrinam, ex ea dignoſcitur aperte falſa Eccleſia: ſicut ex evidentia veræ doctrinæ manifeſte dignoſcitur vera Eccleſia. Dices. Ex falſa doctrina cognoſcitur falſus Doctor Matth. 7. v. 20. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*; ergo ex falſa doctrina cognoſcitur falſa Eccleſia. Reſp. Conc. ant. ſi doctrina falſa evidenter ſit cognita. Nec dixit Dominus, ex doctrina cognoſci Doctorem, ſed ex fructibus doctrinæ.

25 OBJIC. V. Patres docent in Scripturis quærendam eſſe Eccleſiam, & per Scripturam demonſtrandam; ergo eſt Nota Eccleſiæ. Ant. habetur ex D. Aug. *Epiſt.* 166. -- In Scripturis didicimus Chriſtum: in Scri„pturis didicimus Eccleſiam. Has Scriptu„ras communiter habemus: quare non in „eis, & Chriſtum, & Eccleſiam commu„niter retinemus? -- *Et lib. de unit. Eccleſ. cap.* 2. -- Inter nos, & Donatiſtas quæſtio eſt, „ ubi ſit Eccleſia: quid ergo facturi ſumus? „ in verbis noſtris eam quæſituri ſumus, an „ in verbis capitis ſui Domini noſtri? Puto, „ quod in illius potius verbis quærere debe„mus, qui veritas eſt, & optime novit cor„pus ſuum -- *Et cap.* 3. -- Non audiamus, „ hæc dicis: hæc dico: ſed audiamus hæc „ dicit Dominus: ſunt enim libri Dominici, „ quorum auctoritati utrique conſentimus, „ utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi „ quæramus Eccleſiam; ibi diſcutiamus cau„ſam noſtram &c. Nolo humanis documen„tis, ſed Divinis oraculis Sanctam Eccle„ſiam demonſtrare -- Idem docet Chryſoſtomus *hom.* 49. *in Matth.* -- Ex quo obtinuit „ hæreſis Eccleſias, nulla probatio eſſe poteſt „ veræ Chriſtianitatis, neque refugium po„teſt eſſe aliquod Chriſtianorum, volentium „ cognoſcere fidei veritatem, niſi Scripturæ „ Divinæ &c. Qui ergo (*infert Vuirtember„genſis confeſſio*) vult cognoſcere, quæ ſit

„ vera

„ vera Eccleſia Chriſti , unde cognoſcat ? „ Niſi tantummodo per Scripturas --

Abuſi ſunt hujuſmodi auctoritatibus Hæretici ad duos errores confirmandos . Eas namque in ſenſum pravum extorquentes deduxarunt , ubicunque prædicatur Scriptura , ibi eſt Eccleſia : quod aperte eſt falſum ; ſiquidem quælibet Hæreticorum Secta Scripturam prædicat. Aliud iisdem inferre non dubitarunt , ſi in Scripturis Eccleſiam novimus ; ergo & univerſa alia dogmata, rejiciendæque erunt traditiones , quod nunquam ſomniavit Auguſtinus, qui toties traditionis auctoritate utitur etiam contra Donatiſtas, in collatione Baptiſmi Hæreticorum . Senſus itaque legitimus eſt in Sacra Scriptura reperiri Notas proprias , privilegia , aliaſque dotes , quibus inſignitur Eccleſia : unde inter eos , qui jam admittunt Scripturas , facillime dirimitur quæſtio , ubi eſt Eccleſia ; & ideo ad Scripturam Donatiſtas provocat Sanctus Doctor . Nec inde ſequitur Scripturam eſſe Notam Eccleſiæ, nedum quia non deſervit Infidelibus, ſed quia ſi Scriptura Notas docet , jam ipſa non eſt Nota . Dat verò rationem D. Aug. *concione* 2. *in Pſal.* 30. cur Scriptura adeo clare de Eccleſia loquatur , quia plures futuræ erant Controverſiæ Hæreticorum contra Eccleſiam , quam contra Chriſtum , & quia habita certitudine Eccleſiæ , ejus auctoritate quælibet quæſtio facile diſſolvitur .

Scriptura docet notas Eccleſiæ .

CONTROVERSIA III.

AN LEGITIMUS SACRAMENTORUM USUS SIT NOTA ECCLESIÆ , UBI DE CETERIS NOTIS AB HÆRETICIS ASSIGNATIS .

SUb una Controverſia comprehendo reliquas Notas , quas adverſarii enumerant , quia non habent ſpecialem difficultatem , & iiſdem fere argumentis diſſolvuntur . Unde

Dico . Uſus Sacramentorum non eſt Nota veræ Eccleſiæ .

26 PROB. I. Nota non debet eſſe communis Eccleſiæ veræ , & falſæ : ſed uſus Sacramentorum (ut admittunt contrarii) eſt communis Catholicis, & Hæreticis ; univerſi enim Hæretici prædicant apud ſe habere legitimum uſum Sacramentorum , & pro eo uſque ad ſanguinem digladiati ſunt , tam veteres , quam moderni . II. Nota debet eſſe certa : ſed inter Hæreticos non eſt certum , quot , & quænam ſint Sacramenta : quidam unum ponunt , alii duo , alii tria , & alii quatuor , vel quinque , ut ſuis locis diximus; ergo. III. Nota debet eſſe notior quoad nos ; nam ex principiis philoſophiæ ex notioribus quoad nos procedimus ad notiora naturæ : ſed legitimus uſus Sacramentorum non eſt notior quoad nos . Nam docent adverſarii legitimum uſum eſſe illum , qui eſt conformis Scripturis Canonicis: ſed quænam ſit Canonica Scriptura , quæ non , dependet ab auctoritate Eccleſiæ , ut univerſa vox Patrum clamat . IV. Nota indiſpenſabiliter veram comitatur Eccleſiam : ſed uſus Sacramentorum , aliàs legitimus , ſtat ſine Eccleſia vera : unde Pelagiani , & Donatiſtæ habebant Sacramenta veræ Eccleſiæ ſine vera Eccleſia , teſte Aug. *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 10. V. Nota convenit Eccleſiæ ſemper , & ubique : ſed uſus legitimus Sacramentorum non convenit Eccleſiæ ſemper , & ubique . Nam Eccleſia Corinth. non habebat rectum Euchariſtiæ uſum , 1. ad Corinth. 11., & tamen erat vera Eccleſia . Eccleſia Africana ſub Agrippino , & Cypriano non habebat rectum uſum Sacramentorum , & tamen erat vera Eccleſia , teſte Aug. *lib.* 1. *de Baptiſmo cap.* 7., & Hieronymo *contra Luciferianos* . Eo vel maxime , quod inter Heterodoxos eſt valde controverſum, qualis , & quinam ſit rectus Sacramentorum uſus . Hæc omnia applicantur uſui clavium .

Hæretici incertū habent numerum Sacramentorū .

Dico II. Neque oratio , neque invocatio , & Pſalmodia ſunt Nota Eccleſiæ .

27 PROB. I. Vel loquuntur Hæretici de oratione interna , vel externa : ſi de prima , jam inviſibilem Notam inducunt , ſi de ſecunda , jam Notam communem hoſtibus Chriſti aſtruunt . Hanc Huſſitæ , hanc Calviniſtæ , hanc Anabaptiſtæ exercent . II. Hæc non ſunt Notæ , niſi ut Religioſus cultus Dei: ſed ut Religioſus cultus non ſunt notiores quoad nos ; ſupponunt enim fidem veræ Eccleſiæ , ad Rom. 10. *Quomodo ergo invocabunt , in quem non crediderunt ?* Admiranda tamen hic eſt inſulcens Proteſtantium audacia, qui volunt hæc eſſe Notas Eccleſiæ ; & tamen in externam orationem , & Pſalmodiam debacchantur , eam conculcantes ut ſuperſtitioſam . Illud verò , quod dicunt , canendam eſſe Pſalmodiam vulgari lingua , magis puerile eſt , cum in lege veteri non intelligerentur ab omnibus, quæ in precibus dicebantur ; & hoc etiam ad Majeſtatem cultus pertinet , & in primitivis ſeculis , & poſterioribus apud Eccleſiam frequentior fuit lingua latina in precibus .

Nota Eccleſiæ non eſt Oratio, Invocatio , & Pſalmodia .

Dico III. Confeſſio fidei perſeverantec uſque ad mortem non eſt Nota Eccleſiæ .

28 PROB. I. Confeſſio fidei ſequitur ejuſdem prædicationem , & ſuſceptionem : ſed prædicatio , & ſuſceptio fidei non eſt Nota Eccleſiæ; ergo neque confeſſio . II. Quod eſt commune veræ, & falſæ Eccleſiæ , nequit eſſe ſignum diſtinctivum : ſed confeſſio fidei eſt communis; quælibet enim Secta habet , qui ſua confitentur dogmata uſque ad mortem . III. Nota eſt inſeparabilis ab Eccleſia : ſed per Lutherum per plura ſecula ante ipſius adventum nulla fuit fidei confeſſio ; ſtetit enim Eccleſia in latebris occulta ; ergo &c.

Fidei confeſſio non eſt Eccleſiæ nota .

Dico IV. Obedientia Miniſtris non eſt Nota .

29 PROB. Quod eſt commune Catholicis , & Hæreticis , non poteſt eſſe Nota differentialis : ſed quilibet Hæreſiarcha exigit a ſuis obedientiam iis , quæ docet : immo Hæretici obedientiam pro Nota poſuerunt , ut ſequaces ſibi facerent ; & tunc magis exultant , cum inveniunt aſſeclas , qui , quod docent , quod præcipiunt , non examinant . Sed mirandum ſatis eſt, quod obedientiam exigant pro Nota veræ Eccleſiæ , cum profanis doctrinis obedientiam ſuot execrati,

Obedientia Miniſtris non eſt nota Eccleſiæ .

dum Religioſos reprobarunt. Deinde, vel loquuntur de obedientia in iis, quæ pertinent ad fidem; vel de ſola obedientia politica, ut *lib.* 4. *cap.* 8. docet Calvinus. Si primam admittunt, Nota hæc nequit deſervire modernis Hæreticis; ipſi enim nullam præſtant Paſtoribus obedientiam in rebus fidei; ducuntur omnes privato ſuo ſpiritu, non magiſterio Prælatorum. Si ſecundam, politica obedientia in quolibet magiſtratu, etiam Judæorum, & Gentilium æque bene reperitur.

Dico V. Charitas non eſt Nota Eccleſiæ.

Charitas non eſt Eccleſiæ nota.

30 PROB. Vel ſermo eſt de charitate interna Dei, & proximi, & hæc cum inviſibilis ſit, non deſervit pro invenienda Eccleſia. Vel de externa in operibus cultus Dei, & obſequii erga proximos, & hæc eſt communis Sectis omnibus. Deinde, ſi charitas hæc eſt Nota veræ Eccleſiæ, quare Calviniſtæ, & Lutherani ejiciunt ab Eccleſia Anabaptiſtas, qui ſunt adeo ferventes in operibus charitatis? In Moravia enim vivunt vita communi, & quos in ſuis dogmatibus inſtruunt, alunt, veſtiunt, & neceſſaria quæque ſuppeditant.

Dico VI. Triſtitiæ, mœrores, cruces, perſecutiones, vocari Hæreticos, non ſunt Notæ veræ Eccleſiæ.

Paſſiones non innuunt verã Eccleſiam.

31 PROB. Vel loquimur de interiore, vel exteriore paſſione, ſi de prima, ad nihil valet pro nota externa Eccleſiæ, utpote Inviſibilis. Si de ſecunda, multo minus; pati enim commune eſt Gentilibus, & Judæis, Chriſtianis, & Hæreticis. Jactant ſuos martyres Montaniſtæ apud Euſebium *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 18. Meſſaliani ſuos *apud Epiphanium hæreſ.*89 Donatiſtæ de ſuis gloriantur *apud Aug. Epiſt.* 68. De ſuis & Adamitæ *apud Æneam Sylvium de Hiſt. Bohemorum cap.* 41., qui pro ſua fide flammis alacri animo ſe donant, ſicut de quibuſdam aliis narrat D. Bernardus *ſerm.* 66. Si perſecutionem pati, & Hæreticos vocari Signum eſt veræ Eccleſiæ: cur Calvinus Servetum combuſſit? Bernenſes Valentinum Gentilem? Baſileenſes Davidis Georgii corpus exhumarunt? Male ergo fecerunt bonos Catholicos perdendo. Cur etiam anathematiſmis ſe mutuo feriunt?

Contra omnes haſce Notas concludo duplici ſyllogiſmo, primo ſic ex Aug. *de geſtis Emeriti*, ubi de Hæretico extra Eccleſiam Dei poſito, ait -- Poteſt habere honorem, poteſt
„ habere Sacramentum, poteſt cantare alle-
„ luja, poteſt reſpondere amen, poteſt E-
„ vangelium tenere, poteſt in nomine Pa-
„ tris. & Filii, & Spiritus Sancti fidem, &
„ habere, & prædicare; ſed nuſquam, niſi in
„ Eccleſia Catholica ſalutem poterit inveni-
„ re -- ergo, quæ ſunt Hæreticis communia, non ſunt Notæ introductive in veram Eccleſiam. Secundo. Catholicorum cœtus Romano Pontifici obediens habet Evangelii prædicationem, Sacramentorum uſum, orationem, invocationem, Pſalmodiam, charitatem, obedientiam, perſecutiones, confeſſionem fidei, & quæcunque alia, quæ diviſim aſſignant pro notis tam Calviniſtæ, quam Lutherani; ergo eſt vera Eccleſia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

32 OBJIC. I. Gummarus. Vera Eccleſia illa eſt, quæ unitur cum Chriſto: ſed hæc dignoſcitur per uſum Sacramentorum; ergo uſus Sacramentorum eſt Nota Eccleſiæ. Min. prob Sacramenta uniunt cum Chriſto; unde de Baptiſmo dicitur ad Gal.3. v.27. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Et de Euchariſtia Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Deinde, Sacramenta ſunt ſigna fœderis cum Chriſto, & ſunt aliàs ſenſibilia.

RESP. neg. min. Aliud enim eſt, quod uſus legitimus Sacramentorum conveniat veræ, & ſoli Eccleſiæ in re, aliud eſt, quod ſit Nota: ad rationem Notæ neceſſe eſt, quod non ſolum conveniat Eccleſiæ, ſed inſuper, quod apta ſit ſine errore ducere in cognitionem veræ Eccleſiæ. Uſus Sacramentorum, ſi accipitur præciſe, ut dicit ritum externum, v. g. ablutionem aquæ, cum reperiatur inter Hæreticos, non ſufficienter indicat veritatem, ſi verò accipitur ſecundum internam operationem, jam non juvat ad indicandam neſcienti Eccleſiam. Sacramenta ſecundum ſe ſunt unitiva cum Chriſto. non uniunt tamen de facto, niſi eos, qui debite diſpoſiti accedunt.

Nota Eccleſiæ veritatem ipſius declarat.

DICES. Ut Hebræos ad verum cultum reduceret Joſias, nonniſi ab uſu Sacramentorum exordium duxit, ideſt, circumciſionem, & Paſcha proponens, ac legem. 4. Reg. 23.; ergo uſus Sacramentorum eſt Nota veræ Eccleſiæ. Hæc iterum Gummarus.

RESP. Per inſtantiam: Ezechielis 16., & 17. condemnatur ut Adultera Eccleſia Samariæ; & tamen retinebat circumciſionem; non ergo uſus Sacramentorum eſt Nota Eccleſiæ. Joſias Rex erat populi, qui aliàs admittebat Scripturam, & Moſaicas ceremonias didicerat, ſed propter inductam Idololatriam in pravum declinaverat: unde eas Rex voluit reparare, & ad priſtinam integritatem reſtituere, & potuit incipere a quolibet puncto legis, cum jam ſcientibus loqueretur. Ceterum non inde ſequitur circumciſionem, Paſcha, legis doctrinam eſſe Notam Eccleſiæ ſufficientem pro neſcientibus. Deinde nimis probat argumentum; non enim unam, vel alteram reparavit ceremoniam Divini cultus, ſed omnes, ergo omnes, & ſingulæ erant Notæ, quod eſt falſum.

33 OBJIC. II. Promittit Chriſtus ſalutem confitenti fidem, & invocanti eum, Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Et verſ. 13. *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*; ergo confeſſio fidei, & invocatio eſt Nota Eccleſiæ.

RESP. Per inſtantiam: cuilibet bono operi ex charitate promittit Deus vitam æternam, Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a*

con-

Digitized by Google

conſtitutione mundi ; eſurivi enim , & dediſtis mihi manducare . Et ad Rom. 2. v. 6. *Reddet unicuique ſecundum opera ejus , iis quidem , qui ſecundum patientiam boni operis , gloriam , & honorem , & incorruptionem quærunt , vitam æternam* . Ad Gal. 6. v. 8. *Qui autem ſeminat in ſpiritu de ſpiritu metet vitam æternam* ; ergo quodlibet opus bonum eſt Nota Eccleſiæ . Vel ergo loquitur argumentum de confeſſione , & invocatione pure extrinſeca . vel de interiori ſimul , orta ex vera fide , ſi de ſecunda , cum inviſibilis ſit , ad nihil deſervit pro nota viſibili , ſi de prima , jurant Lutherani ſe veram fidem confiteri , & veram invocationem habere ; jurant , & Calviniſtæ ; jurant & Anabaptiſtæ : ſed Lutherani jurant etiam Calviniſtas , & Anabaptiſtas non eſſe de vera Eccleſia , & Calviniani jurant Lutheranos de vera Eccleſia non eſſe .

Confeſſio , & invocatio non eſt Eccleſiæ nota .

34 OBJIC III. Quod Chriſtus poſuit pro ſigno , illud eſt Nota Eccleſiæ : ſed Chriſtus poſuit charitatem , Joan. 13. *In hoc cognoſcent omnes , quia diſcipuli mei eſtis , ſi dilectionem habueritis ad invicem* . Et Jacobi 1. v. 27. *Religio munda &c. viſitare pupillos , & viduas* : Joan. 8. *Si vos manſeritis in ſermone meo ; vere diſcipuli mei eritis* . 1. Theſſal. 5. *Conſolamini invicem : & ædificate alterutrum* : ubi fuſe commendat mutuam charitatem . Adducunt etiam illud Iſaiæ 61. *Et ſcient in gentibus ſemen eorum , & germen eorum in medio populorum . Omnes , qui viderint eos , cognoſcent illos , quia iſti ſunt ſemen , cui benedixit Dominus* , & hoc ex operibus charitatis , & ordine vitæ , ait Hieronymus . Charitas ergo eſt diſtinctivum ſignum veræ Eccleſiæ a falſis . Sic præ aliis Gummarus .

RESP. Hæc omnia vera eſſe , ſi in ſenſu recto intelligantur , ſcilicet prout pertinent ad qualitatem unitatis , & Sanctitatis infra explicandam . Libentiſſime enim admittimus proprietatem veræ Eccleſiæ charitatem eſſe : ſed contendimus Hæreticos abuti doctrina hujuſmodi ; Hæretici enim noſtri bona opera negant , & tanquam inutilia rejiciunt , vel tanquam peccata : unde de vera charitate non loquuntur , ſed de ficta : hæc autem eſt communis cuilibet Sectæ , adeoque non eſt Nota .

Charitas proprietas Eccleſiæ .

35 OBJIC. IV. Act. 6. Fatentur Apoſtoli munus ipſorum eſſe inſtare miniſterio , & orationi : *Nos verò orationi , & miniſterio verbi inſtantes erimus* . Et Iſaiæ 61. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini , miniſtri Dei noſtri* . Et cap. 51. v. 3. *Gaudium , & lætitia invenietur in ea , gratiarum actio , & vox laudis* ; ergo miniſterium , & oratio ſunt Notæ Eccleſiæ .

RESP. Probant hæc , quæ concedimus , ſcilicet in Eccleſia vera dari munus adminiſtrandi , quod ad Sacerdotes , & Epiſcopos ſpectat , & exercitium laudis , & orationis ; notam verò eſſe hæc duo , diſputamus ; cum orationem , & miniſterium quilibet cœtus Hæreticorum uſurpet . Qualis ſit legitimus miniſter , prius oſtendendum eſt , ut ſciamus legitimum eſſe miniſterium .

In Eccleſia verum datur Sacramentorum miniſterium .

36 OBJIC. V. Inter momenta credibilitatis ponitur martyrium : ſed momenta credibilitatis pertinent ad Notas ; ergo martyrium pertinet ad Notas . Sed myſterium Crucis pertinet ad martyrium ; ergo myſterium Crucis eſt Nota Eccleſiæ . Major oſtenditur Lucæ 6. *Beati eritis , cum vos oderint homines &c. Si quis vult poſt me venire &c. tollat Crucem ſuam* , Lucæ 9. , & 2. Cor. 12. *Signa autem Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia . Oportet contriſtari in variis tentationibus , ut probatio veſtra fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur* , 1. Petri 1.

RESP. Martyrium momentis credibilitatis accenſetur , non prout eſt qualiſcumque tolerantia mortis , vel alterius mali , ſed prout ex congerie circumſtantiarum evidenter patet excedere naturam , & a virtute Divina promanare , ut ſuo loco declaratur ; adeoque manifeſte oſtendit , & teſtatur Divinam , & ſuperexcedentem Religionem . Myſterium verò Crucis ab Hæreticis inductum omnibus illis caret circumſtantiis , puta , ſanctitate morum , hilaritate cordis in ſuſtinendis graviſſimis , & diverſiſſimis tormentis , pluralitate miraculorum , multitudine innumerabili patientium , & occiſorum : diverſitate ſexuum , ætatum , & cujuſlibet generis perſonarum , & ſimilium , quæ in martyribus Catholicis palam , & aperte conſpiciuntur .

Martyrium quomodo vera Eccleſiæ nota .

CONTROVERSIA IV.

AN UNITAS SIT VERÆ ECCLESIÆ NOTA .

37 PErpenſis Hæreticorum Notis accedimus ad explicandas eas , quæ a Catholicis ſolent proponi . ut tandem , ubi ſit vera Chriſti Sponſa , certò conſtet . In his explicandis duplicem nævum a quibuſdam Catholicorum Doctoribus præ nimia doctrinæ copia admitti judico , ſalva tamen reverentia , quorum corrigiam calceamentorum ſolvere non ſum dignus .

Primus in eo conſiſtit , quod tot multiplicent ſigna , ut debilium mentem obruant . Feracitas hæc motivorum perjucunda dulceſcit credentibus , ſed non rarò inſtruendorum animos tædio afficit . Thomas Boſius centum enumerat duobus integris voluminibus . Joannes Laurentius Luchefinius in ſua demonſtrata impiorum Inſania , mille tranſcribit contra Hæreticos , ſupra ducenta contra Atheos directe , Judæos , & Ethnicos . Secundus nævus eſt , quod eadem repetuntur argumenta , eædemque auctoritates quibus utuntur , quando Unitatem , Sanctitatem , & ſimilia demonſtrant proprietates eſſe Eccleſiæ . Ut utrumque devitem , eas ſolummodo ſcrutabor Notas , quas tangit Aug. *lib. 1. contra Epiſtolam fundamenti cap.* 4. , quæ ad quindecim , quas Bellarminus *tom. 2. lib.* 4. *cap.* 4. , *& ſequentibus* tradit , reducuntur . Abſtinebo , quantum neceſſitas permittit , ea repetere , quæ in præcedenti Diſputatione dedimus . Cum Symbolum Conſtantinopolitanum primum locum det unitati , ab ea , & nos incipimus .

Pro Unitate intelligimus concordiam in de-

doctrina Fidei, & Sacramentorum; unionem membrorum ad invicem ſub uno capite. Hanc fore Eccleſiæ qualitatem, Hæreticis Scripturam admittentibus evidenter demonſtratum eſt; eſſe verò Notam Paganis etiam deſervientem examinandum eſt motivis pro quolibet genere infidelium ſufficientibus. Unde

Dico. Unitas eſt Nota veræ Eccleſiæ Chriſti.

38 PROB. I. Lumine naturæ conſtat, ſicut omnia quæ ſunt, unitate conſtare, ita unitate conſervari: in cujus ſignum nounquodque refugit diviſionem, ne corrumpatur: ſed Eccleſia debet eſſe ſemper ſtabilis, & firma, cum lumen ipſum naturæ doceat, primo rerum omnium principio ſempiterno perenniter cultum deberi, & aliunde congregatio colentium Deum eſt Eccleſia; ergo debet unitate conſtare, unitate conſervari; ergo Unitas eſt teſſera veræ Eccleſiæ manifeſtativa.

Omnia unitate conſervantur.

39 PROB. II. Lumen naturæ demonſtrat ſummum ens (quale eſt Deus, Caput, & Finis Eccleſiæ) eſſe perfectiſſime unum, adeoque Deum pacis, non diſſenſionis. ergo ubi unitas, ibi Deus; ergo ibi Eccleſia.

Summum ens eſt unum.

40 PROB. III. Lumen homini congenitum cognoſcit falſitatem ſemper habere unitatis defectum, ergo unitas eſt diſtinctivum veri a falſo; ergo Nota veræ Eccleſiæ. Anteced. patet, nam falſitas importat aſſertionem, vel negationem unius cum incohærentia ad alia principia vera; ergo defectum unitatis. Hinc naturali ductu nullus præſtat certam fidem hominibus modo affirmantibus, modo negantibus, vel unam veritatem aſſerentibus, alteram negantibus; ergo unitatis defectus eſt omnibus ſignum falſitatis; ergo unitas veritatis.

Falſitas ex defectu unitatis.

41 PROB. IV. Lumen naturale evidenter demonſtrat, quod duo oppoſita contrarie, vel privative unum, & eundem effectum non poſſunt producere, ſicut nec duplicem viam ad eundem terminum perducere, ſi una ad Orientem, altera ad Occidentem tendat. Quis dicet aquam exſiccare, ſicut & ignem? Nigredinem dealbare, ſicut albedinem? Sed diſcordia in vera doctrina dogmatum neceſſario includit duo contrarie, & contradictorie oppoſita, cum unum dogma aſſerat, quod aliud negat; ergo non poſſunt conſtituere eundem effectum, videlicet viam ſalutis; ergo neque Eccleſiam; ergo duo conventicula contraria in dogmatibus non poſſunt eſſe arca, & portus veritatis, & ſalutis; ergo unitas eſt teſſera veritatis.

Contraria eundem effectum non producunt.

42 PROB. V. Experimentali inductione demonſtrative deducitur nullum corpus heterogeneum conſtitui, & ſubſiſtere abſque unitate, ut patet in ovili, in navi, in exercitu, in domo, & centenis aliis: ſed Eccleſia eſt corpus heterogeneum, nec aliter eſſe poteſt; ergo debet conſtitui, & ſubſiſtere unitate; ergo unitas eſt Nota Eccleſiæ.

Corpus heterogeneum unitate conſtituitur.

42 PROB. VI. A ſola Divina virtute oriri poteſt, quod multi, diverſi, & contrarii ſexu, ætate, natione, profeſſione, ingenio, inclinatione, loco, & ſimilibus inidipſum ſentiant, eandem teneant doctrinam, ſenſui obſcuram, carni repugnantem, temporalibus aſtrictiorem; ergo cœtus, in quo datur hæc doctrinæ unitas, & profeſſio a Deo A illam habet; ergo unitas eſt ſignum demonſtrans doctrinam illam a Deo eſſe. Qui diſcurſus facillimus eſt lumini naturæ. Unde procedit, quod naturaliter admiramur dignitatem, & potentiam Creatoris Dei, ex quo contemplamur humanum corpus tam bene compoſitum, niſi propter unitatem? Prima facie conſpiciendo tantam membrorum multitudinem, artuum diverſitatem, munium contrarietatem, actuum pluralitatem, organorum oppoſitionem, nonniſi bella, diſſidia, confuſiones ſuſpicari neceſſe eſt. At quia advertimus uno ſpiritu gubernari, pulcherrimum opus fatemur, laudamuſque auctorem. B Quod argumentum majus adhuc pondus habet, ſi mundum ſpectemus, in quo tot oppoſita tam bene conſiſtunt, quia optimo ordine connexa: unde etiam Gentiles ad cognitionem veri Dei dedocuntur. Non poteſt ergo non eſſe niſi vera Dei Eccleſia, in qua unitas doctrinæ, & membrorum ad invicem, & ſubordinatio ad unum caput habetur.

Divina virtute uniuntur contraria.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

C 44 OBJIC. I. Signum commune Chriſto, & Diabolo non poteſt eſſe diſtinctivum veræ Eccleſiæ: ſed unitas eſt hujuſmodi; ergo non poteſt eſſe diſtinctiva Eccleſiæ veræ a falſa. Min. explicatur. Quælibet Secta habet unitatem in iis, quæ profitetur; quod ſi fiat diſcordia, plures ſunt ſocietates, quarum quælibet ſuam habet unitatem per eam formam, quam profitetur.

RESP. negando min. Unitas conſtitutiva Eccleſiæ conſiſtit in conſenſu eorum, quæ ſpectant ad ſtatum Religionis cum ſubordinatione ad unum caput. Nulla autem Secta hoc habet: ſiquidem vel caput unum non D agnoſcit, a quo dependeat, vel non habet conſenſum in iis, quæ pertinent ad Religionis ſtatum, vel contradictoria docet in ſuis dogmatibus, aut cum aliis certis principiis, ut infra exemplis potiſſime Modernorum Hæreticorum oſtendam. Deinde ad unitatem ſervandam neceſſaria eſt una determinata, & vera Regula dirimendi Controverſias: hanc habet vera Eccleſia; in aliis vero deſideratur: Nam ſecundum proprium ſpiritum judicant Scripturas.

Unitas per ſubordinationem ad unum caput.

45 OBJIC. II. Sicut ex vero oritur verum, ſic falſum ex falſo, & ſicut Chriſtus eſt Pater veritatis; ita Dæmon eſt Pater menda- E cii; ergo ſicut in cœtu obſequente Chriſto retinetur unitas veritatis; ita in cœtu obſequente Diabolo habetur unitas falſitatis; ergo unitas non poteſt eſſe nota veræ Eccleſiæ; ſed prius debet ſupponi cœtus ſequens Chriſtum.

RESP. neg. conſeq. Et oppoſitum deducendum eſt; quia veritas eſt ſibi, & aliis conſtans, cum ſit conformitas cum rectitudine principiorum; mendacium verò non eſt ſibi, nec aliis conſtans, cum dicat incohærentiam in veris principiis. Hinc homo ex profeſſione mendax nequit ita conſtanter uni mendacio inhærere, quin alia contradictoria pro-

Veritas ſibi conſtans.

Digitized by Google

proferat. Quare Dæmon, licet ſemper conſtans in mentiendo, nunquam tamen ita populos in uno mendacio tenet, quin contradictoria miſceat, ex quibus facile deprehenditur falſitas; quod patet ab experientia, cum tot nationes, & populos diviſerit in Sectas, falſa contradictoriis mendaciis ſuggerendo.

46 OBJIC. III. Unitas veram diſtinguens Eccleſiam a falſa eſt conſonantia doctrinæ, contradictionibus excluſis; ſed doctrina non eſt Nota, ut ſuperius diximus; ergo neque cohærentia in illa.

RESP. neg conſeq. Doctrina vera quoad nos immediate non eſt notior, licet talis ſit quoad ſe; quælibet enim Secta ut veram prædicat ſuam doctrinam, unde neceſſe eſt dari aliud, per quod vera in re dignoſcatur. Secus eſt de unitate, quæ per ſeipſam immediate doctrinæ veræ cognitionem infert, ſicut repugnantia manifeſtum argumentum eſt falſitatis.

Doctrina cognitio ex veritate.

47 OBJIC. IV. Unitas diſtinguens Eccleſiam a Synagogis eſt unitas non excludens ſtatuum diverſitatem, & malorum admixtionem: ſed hæc convenit ceteris Sectis, ut patet; ergo non eſt Nota.

RESP. neg. min. Statuum diverſitas, ſi ordinata ſit, unitatem auget, non evertit; ordo etiam eſt pulchritudo veri: ſi verò ordinata non ſit, unitatem ſcindit. Statuum diverſitas in Eccleſia Dei ordinem ſervat, additque admirabilem decorem, & majeſtatem; ſicut ordinatam famulorum multitudinem in Domo Salomonis Regina Saba admirata eſt. Hoc ordine carent Hæreticorum cœtus tum in doctrinæ conſonantia, tum in membrorum ad invicem unitate, tum in ſubordinatione ad unum caput.

Diverſitas ordinata ordinem facit.

48 OBJIC. V. Idololatria eſt ſumma falſitas: ſed Idololatria eſt ſumme una, cum formalis Idololatria conſiſtat, ac in eo verſetur, ut creaturis Divinum cultum tribuat, & de materiali eſt, quod detur Soli, vel Lapidi; ergo unitas non eſt argumentum veritatis.

RESP. neg. min. Docet enim Aug. *Serm. de Verbis Domini* cultores ſpiritus Junonis, & ſpiritus Herculis eſſe diviſos adverſum ſe; & tamen pertinent ad idem Regnum Diaboli. Licet hæreſis conveniat in eo, quod repugnet veritati ſuſceptæ, nihilominus multiplicantur Sectæ ad multiplicationem hæreſum, ita de Idololatria, quæ in eſſe moris una videtur eſſe, ſed phyſice multiplicatur.

CONTROVERSIA V.

AN UNIVERSALITAS SIT ECCLESIÆ NOTA.

NOmen Catholicum ſignificare univerſalitatem locorum, perſonarum, & temporum, in præcedenti Diſputatione, ubi de ſecunda proprietate Eccleſiæ, vidimus contra Hæreticos. Catholicam dicebant Donatiſtæ ab obſervatione omnium præceptorum Divinorum, & Sacramentorum. Catholicam vocant Calviniſtæ, quia univerſos comprehendit electos, vel quia in plures non dividitur, quod idem eſt, ac dicere, quia eſt una. Mornay Catholicam vult appellari, quia a Paganis, & Judæis diſtinguitur, complectens proinde Chriſtianos omnes, & Hæreticos. Alii Catholicam volunt, quia Symbolum profitetur, in quo Catholica dicitur. Sed his omnibus opponitur conſtans D. Aug. potiſſime *Epiſt.* 48. *ad Vincent.*, aliorumque Patrum doctrina, qui ab Univerſalitate Catholicam appellant. Pelagiani Symbolum profitebantur, nec inde erant intra Eccleſiam: profeſſio ergo Symboli non facit Catholicum. Similiter cum nullus Hæreticus ad Eccleſiam pertineat, Catholica non dicitur, prout præciſe diſtinguitur a Paganis. Et quia viſibilibus ſignis eſt alligata, ab inviſibili prædeſtinatorum cœtu nequit denominari. Sed de his jam diximus. Nunc examinandum reſtat, an Univerſalitas Nota ſit veræ Eccleſiæ. Unde.

Catholicum idem, ac univerſale.

49 Dico. Univerſalitas eſt vera Eccleſiæ Nota. Quantum ad Hæreticos admittentes Scripturam ſufficienter demonſtravimus ſuperiori Diſputatione, quibus addi poſſet hic Syllogiſmus. Quælibet Hæreticorum Secta contendit ſibi arrogare nomen Catholicum, & tenet: ſed niſi eſſet Nota veræ Eccleſiæ, ſed quid commune falſis, non laborarent pro eo nomine retinendo, & aliis denegando; ergo eſſe Catholicon eſt Nota veræ Eccleſiæ. Major conſtat inductione apud hiſtorias, Sanctos Patres, veteres, recentesque Hæreticos, videndos apud Niceph. *lib.* 9. *cap.* 25. Conſtantius Imperator Arrianorum Eccleſiam vocabat Catholicam. Donatiſtæ totis viribus nomen hoc uſurpabant apud Optatum Milevitanum *lib.* 1. *circa finem*. Et ſic de ceteris. E contra Tertullianus factus Montaniſta noſtram appellat Pſychicorum, ſic Pacianus *Epiſt.* 2. *ad Simpl.* Donatiſtæ Apoſtaticorum, Capitolinorum. Julianus Apoſtata *apud Nazianzenum Orat. prima in Julianum, & apud Chryſoſtomum homil. contra Gentiles*, publica lege ſancivit, noſtram Galilæorum Religionem appellari. Calviniſtæ, & Lutherani nos dicunt Papiſtas &c.

50 PROB. I. Quod omnibus, & pro quolibet tempore neceſſarium eſt, debet ad omnes propagari nationes, & ad omnia tempora; quæ propoſitio ſufficienter percipitur ab omnibus, & quolibet tempore; & hæc etiam propoſitio clare percipitur, quia unicuique notum eſt, viam falſam non ducere ad portum; ergo veram Eccleſiam ad omnes gentes, & tempora propagari neceſſe eſt; ergo propagatio; & univerſalitas ſunt Nota Catholicæ Eccleſiæ.

Quod omnibus eſt neceſſarium, ad omnes debet extendi.

51 PROB. II. Vera Religio, & vera Eccleſia ortum non habet, niſi a Deo; ergo propagatio eſt ſignum veræ Religionis. Prob. conſeq. explicando vim argumenti. Proprietas intrinſeca veri, & boni eſt eſſe per ſe diffuſivum ſui, & quo magis aliquid eſt bonum, magis eſt diffuſivum: unde ex majori diffuſione major arguitur bonitas; diffuſio enim ab abundantia perfectionis provenit; & quia Deus eſt ſumme verus, & bonus, ideo eſt ſumme communicativus. Dixi *per ſe* nam per accidens, malum, & error etiam diffunduntur, cujus evidens ſignum eſt, quod er-

Verum, & bonum ubiq. diffunditur.

ror,

ror, & falſitas non acceptantur a pluribus, niſi ſub ſpecie veritatis. Sic pariter quia per ſe omnia bonum appetunt, malum nullus amat, niſi ſub ſpecie boni. Diſcurſus iſte planus eſt, & facilis. Porro verum per ſe diffunditur, quando a pluribus diverſarum nationum, & inclinationum acceptatur, paſſione, & metu ſecluſis, a viris ingenio, & ſapientia præditis, præviis maturis diſcuſſionibus, privatis, & publicis, & univerſalibus: hoc modo autem propagata eſt noſtra Religio apud omnes nationes. Hinc juſſit Dominus, ut Apoſtoli ſecum non tollerent virgam, quia non vi erat evulgandum Evangelium. Acceptata fuit a viris ingenio, & ſapientia præditis cujuslibet ordinis, poſt matura domeſtica, & publica conſilia. Paſſio nulla potuit adeſſe cum doctrina Evangelica non promittat temporalia; ergo eſt per ſe propagata; adeoque vera eſt.

Eccleſiæ propagatio a Deo.

52 PROB. III. Propagatio taliter facta, ut conſtet a principio ſupernaturali provenire, neceſſario eſt a Deo, adeoque non poteſt eſſe falſitatis: ſed propagatio Chriſtianæ Religionis eſt talis, ut conſtet eſſe a principio ſupernaturali; ergo. Minor explic. Propagatio, quæ fit abſque mediis humanis, omnique a ſuperiori principio emanat; ſed propagata eſt Religio abſque mediis humanis; nam in Apoſtolis, cæteriſque viris Apoſtolicis deerat dolus, humana eloquentia, bonorum temporalium affluentia, & honorum, promiſſio voluptatum, & ſimilium. Econtra aderant perſecutiones motæ a quolibet perſonarum genere, irriſiones, vulnera, cædes, conſuetudo prava in contrarium, & his non obſtantibus ſemper creſcebat, & extendebatur; ergo ejus propagatio manifeſte eſt a principio ſupernaturali; ergo eſt veritatis argumentum.

53 PROB. IV. Divinæ virtutis argumentum eſt, quod gentes, conditione naturalis inclinationis contrariæ, uniformiter admittant doctrinam, quæ hominum tranſcendit intelligentiam, quæ difficillima proponat executioni mandanda. Si enim, experientia teſte, plures diverſæ indolis tardò in unum conveniunt in rebus captu facillimis, & ſine incommodo, & labore executioni mandandis; certe opus Divinæ Potentiæ eſt, quod conveniant in ſublimibus, & ſumme arduis: ſed gentiles barbari, & molles, hi luxuriæ aſſueti, illi ferociæ &c. in magno numero uniformiter Catholicæ adhæſerunt Religioni, ardua proponenti arcana, & graviſſima præcipienti; ergo. Unde dicebat Paulus, prædicamus Chriſtum Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Et tamen certò ſcimus, ex eodem ad Coloſs. 1. ſuo tempore fidem fructificaſſe per totum orbem. Juſtinus Martyr, Pater ſecundi ſeculi *in Dialogo cum Triphone*, ait — „ Nullum hominum genus eſt, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, aut eorum, qui plauſtris pro Domibus utuntur, vel qui Domorum uſum non habent, apud quod Jeſu, qui Cruci ſuffixus eſt, nomine, preces, & Eucharistiæ omnium rerum Creatori non fiant — Plinius *lib.* 10. *ad Trajanum Imperatorem Epiſt.* 97. — Non Civitates tantum, „ ſed & vicos, atque agros, ſuperſtitionis „ hujus (*videlicet Chriſtianæ Religionis*) contagio pervagata eſt. Certe ſatis conſtat, „ prope jam deſolata templa (*Idolorum*) cœpiſſe celebrari, & Sacra ſolemnia diu intermiſſa — Videndus eſt Tertullianus *lib. contra Judæos cap.* 7., ubi ævo ſuo latius patuiſſe affirmare non dubitavit Catholicam Religionem, quam Romanum Imperium, & plurima Romanis inacceſſa ſubjeciſſe Chriſto. Videatur Irenæus *lib.* 1. *de hæreſibus cap.* 3. Videatur Chryſoſtomus *lib. quod Chriſtus eſt Deus*: & alii Patres. Manifeſte ergo opus eſt Divinæ Potentiæ. Quid mirum, quod ſpatia dilataverit Idololatrarum, Mahumetanorumque ſecta, cum cuicumque ſpurcitiæ laxet habenas, conſona carni doceat?

Catholica Religio latius diffuſa, quam Romanum Imperium.

54 PROB. V. Propagatio Religionis taliter facta, ut ſicut pluribus ante ſeculis fuerat prædicta, evenerit, nequit eſſe niſi a Deo: ſed Chriſtiana Religio ita eſt propagata, ſicut pluribus ante ſeculis fuerat enunciata; ergo manifeſte a Deo eſt. Major eſt clariſſima, non ſolum, quia aſſeritur in Scriptura Iſaiæ 41. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*; ſed quia univerſarum gentium ſenſu comprobatur, cum tanquam Deos venerentur Divinatores. Inſuper lumen ipſum naturale oſtendit, futura contingentia non contineri in cauſis naturalibus; ac proinde certam eorum prædictionem non poſſe eſſe a natura, ſed a Deo, qui eſt ſupra naturam.

Chriſti Eccleſia longe ante prænunciata.

Minor habetur in tot Prophetarum oraculis, quæ *præced. Diſput. Controv. IX.* dedimus, in quibus habetur Incarnatio Domini Noſtri, vita, mors, & reſurrectio ſatis clare expreſſa. Incarnationem prænuntiatam legimus Baruch 3. v. 38. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Chriſtum ex Virgine conceptum. Iſaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Locum Nativitatis Michææ 5. verſ. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Chriſti prædicationem Iſaiæ 61. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem &c.* Chriſti miracula Iſaiæ 35. verſ. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet, ſicut cervus claudus; & aperta erit lingua mutorum &c.*

Chriſti ingreſſum in Jeroſalem ſuper aſellum Zachariæ 9. v. 9. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*. Chriſti venditionis pretium Zachariæ 11. v. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Chriſti proditionem per Judam Pſal. 140. v. 9. *Cuſtodi me a laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & a ſcandalis operantium iniquitatem*. Item Pſal. 53. Chriſti capturam, & præſentationem ejuſdem ante Pontifices Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*,

teſcet, & non aperiet os ſuum. Chriſti crucifixionem cum Latronibus ibidem verſ. 12. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit*. In Chriſtum blaſphemias Judæorum Pſal. 21. v. 8. *Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & moverunt caput &c.* verſ. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Chriſti potationem felle Pſal. 68. v. 22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Et ita diſcurrendum eſt de aliis myſteriis. Quas omnes Prophetias explicuit Jeſus, duobus Diſcipulis euntibus in Emaus incipiens a Moyſe &c.; ergo hæc (ſi fiat ſincera collatio oraculorum, & eorum, quæ noſtra Religio docet) oſtendunt Religionem noſtram a Deo eſſe debere.

Hoc argumento uſus eſt Aug. *Serm.* 27. *de verbis Apoſtoli cap.* 4. pro demonſtranda Chriſti Divinitate -- Sunt enim homines in„ fideles, qui ſic detrahunt Chriſto, ut di„ cant, eum magicis artibus feciſſe, quod „ fecit. Poſſunt ergo infideles, delatam de „ Cœlo vocem, per illicitas curioſitates ad „ magicas artes referre: ſed Prophetæ antea „ fuerunt. Nondum erat homo Chriſtus, „ quando miſit Prophetas. Si ergo magicis „ artibus fecit, ut colaretur mortuus; nun„ quid erat magus, antequam natus? -- Eo uſus eſt Tertullianus *in Apologetico cap.* 20. -- „ Igitur apud nos tot de Deo oraculorum „ fides tota eſt, jam ſcilicet probatorum; quia „ cum illis, quæ quotidie probantur, præ„ dicebantur: eædem voces ſonant, eædem „ litteræ notant, idem ſpiritus pulſat, unum „ tempus eſt divinationi futura præfari -- Alii Patres ſimilia.

Non admittunt prophetias, ut libros Canonicos Pagani, concedimus: tamen negare nequeunt, illos viros præceſſiſſe Chriſti Eccleſiam, & conſona eſſe, quæ dixerunt, illis, quæ poſtmodum evenerunt, & facto conſtant, quare vim argumenti fugere nequeunt. Et eo vel maxime, quod eadem myſteria fidei prædicta reperiantur in libris Sibyllinis, qui apud Gentiles magno in pretio habebantur. Sibyllæ enim creditæ ſunt mulieres de Cœlo lapſæ, prophetico ſpiritu afflatæ. Horum librorum auctoritate pro gravioribus Reipublicæ negotiis pertractandis utebantur, & nonniſi viri ſacri eos conſulebant. Cum Olimpiade centeſima quinquageſima tertia, Capitolio combuſto, ſub Tarquinio ſuperbo forent concremati, exquiſitiſſima diligentia ſunt conquiſiti ab Erytris, & ſecuriori loco reconditi, poſt exquiſitam purgationem ſuſpectorum, ita Halicarnaſſeus *lib.* 4. *Hiſt. Romana*. Cumque Octavianus Imperator flammis tradidiſſet ſupra duo millia librorum pertinentium ad Religionem Romanam, eo quod eſſent auctorum non multi nominis, Sibyllinos reſervavit, nothis, vel ſuſpectis adultis, aureiſque involutos inſtrumentis ſub baſi Palatini Apollinis condidit, Deo ita diſponente, ut deſervirent probationi fidei illius, qui ſub Octaviano in Bethlehem de Virgine natus eſt.

Chriſti myſteria a Sibyllis enunciata.

Sibylla Cumæa orbis pacem prædicit in
A Chriſti nativitate talibus verbis, quæ videntur ab Iſaia excepta, Sibylla Cumana filii Dei incarnationem carminibus ita claris, ut quaſi nil clarius dixerit Paulus, Sibylla Perſica prædicationem, & baptiſma Joannis phraſi (ſi liceat ita fari) ab Evangelio mutuata. Sibylla Helleſpontica Chriſti doctrinam. Sibylla Libyca Chriſti miracula, inter quæ illud de panis multiplicatione ſub oculis exponit, Sibylla Samia ingreſſum Chriſti in Jeruſalem ſuper Aſellum, Sibylla Delphica Chriſti paſſionem expreſſit, Sibylla Phrygia Chriſti mortem, Sibylla Tyburtina Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem, Sibylla Erithræa finale
B Judicium, ſignaque præcedentia. Cujus auctoritate utitur Eccleſia pro eadem veritate confirmanda illis verſiculis: *Dies iræ dies illa, ſolvet ſeculum in favilla, teſte David cum Sibylla*.

Horum oraculorum pondere uſi ſunt contra Ethnicos Sanctiſſimi Patres antiqui, Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Stromatum*, Lactantius Firmianus *lib.* 4. *de vera Sapientia*. Sozomenus *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 1., aliique. Immo adeo frequens erat hoc argumentum, ut Chriſtiani dicerentur Sibylliſtæ, ſicut refert Origenes *lib.* 5. *contra Celſum*: adeo efficax, ut Dæmon impulerit Principes ad prohibendam eorum librorum lectionem ſub pœna capitis,
C ſicut conqueritur Juſtinus Martyr *oratione ad Antoninum Pium*.

Quomodo autem hæc prædixerint: quidam volunt, id accidiſſe ex lectione Librorum Sacrorum veteris Teſtamenti. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum* ſentit vaticinandi munus eis conceſſum in præmium Virginitatis: Alii Patres, quos ſequitur Aug. *lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 15. *de Civit. lib.* 18. *cap.* 23., & 24. D. Thom. *de verit. quæſt.* 14. *art.* 11. ad 4., 3 *ſent. diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 2., & alibi volunt eis conceſſum ex Divina revelatione, & ſpiritu expreſſe prophetico. Unde factum eſt, ut per muliebrem ſexum Genti-
D libus Chriſtianæ fidei prophetia traderetur, ſicut per maſculinum Judæis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA GENTILIUM, ET HÆRETICORUM.

55 OBJIC. I. Propagatio doctrinæ, quæ omnino indigna Deo docet, & naturæ humanæ omnino flagitioſa, nequit fundare prudens judicium a Deo eſſe: ſed propagatio Religionis Chriſtianæ ſumme indigna Deo tradit, & naturæ humanæ flagi-
E tioſa; ergo. Min. explicatur. Quid Deo indignius, quam ut dicatur conceptus, natus, in ſtabulo poſitus, eſuriens, crucifixus, mortuus? Quid flagitiuſius humanæ naturæ, quam ut humanam edat carnem, Deumque ſuum devoret?

RESP. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, egregie dicebat Paulus 1. ad Corinth. 1. v. 25. Ab iona, Deoque indigna quædam videntur, ſi ſpecie tenus ſpectentur, ceterum ſi bene perpendantur, excellentiora videntur, quæ vilia carnalibus apparent. Et ſane ſi fere ſingula, quæ in objectione refe-

 run-

runtur, inſpiciantur, non jam Deo indigna videntur, ſed ejus Divinitatem apte declarant. Eſt quidem homo, ſed ex Virgine natus eſt: in Præſepio; ſed prænunciatus a Prophetis, glorificatus ab Angelis, adoratus a Magis. Converſatus eſt cum hominibus; ſed innumera patravit miracula, prædixit futura, revelavit cogitationes. Flagellatus fuit, crucifixus, mortuus, ſed velum ſciſſum eſt Templi, petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta ſunt. Sol obſcuravit lumen, & Elementa teſtata ſunt Divinitatem, ſed & reſurrexit, ſed aſcendit glorioſus in Cælum propria virtute. Eſuriit, ſed per quadraginta dies non manducans non eſt mortuus, ſed Angeli miniſtraverunt ei.

Propagatio Evangelii Deo Digna.

Seriò igitur omnibus perſpectis evidenter evincitur, quod ſumma, & Deo digna docet propagatio Evangelica. Manducamus quidem Deum noſtrum, ſed aliena ſpecie occultatum, ubi nullus horror: deglutimus corpus, ſed non alteratur, non corrumpitur, non tranſmutatur in alitum: ſumimus Deum noſtrum tanquam cibum, ſed in eo duodecim miracula miſcentur, prout eruditi perpendunt.

56 OBJIC. II. Propagatio Religionis imprudenter diſpoſitæ non poteſt eſſe veritatis argumentum, ſed propagatio Chriſtianitatis eſt hujuſmodi; ergo. Declaratur min. I. Imprudentiſſimum eſt ſubordinare ſumme perfectum imperfecto, ſed Religio Chriſtiana proponit ſumme perfectum, nempe Deum ordinari ad imperfectum, nempe ad ſalutem humanam; ergo. II. Imprudentiſſimum eſt, maximum pretium fundere pro aliquo emendo, cum certa præviſione, quod illud totum non obtinebitur. ſed Chriſtiana Religio docet, fuſum eſſe Sanguinem valoris infiniti ad ſalvandum genus humanum, cum tamen Deus certò ſciret ex majori parte non eſſe ſalvandum; ſunt enim tot, qui non ſolum non ſuſcipiunt fidem, ſed totis viribus contradicunt.

Divina perfectio in Incarnatione elucet.

RESP. neg. min. Nulla enim elucet imprudentia in eo, quod Dei Incarnatio ad ſalutem ordinetur humani generis; non enim ordinatur ad illam tanquam ad finem, cujus gratia, ſed tanquam ad finem effectum, ut ſcholæ loquuntur, in quo perfectio reſplendet; ſummo enim perfectivo intrinſecum eſt in aliorum bonum ſe diffundere. Inordinatio eſſet, ſi humana ſalus eſſet finis cujus gratia Divinæ Incarnationis; finis enim cujus gratia eſt gloria Dei. Nec ulla pariter imprudentia in eo eſt, quod maximum pretium obtulerit; non enim illud obtulit ex neceſſitate diſcendi, ſed omnimoda dignatione: nec Dominus ipſe eſt in cauſa, quod tot ad fidem non perveniant, ſed culpa ex parte vocatorum ſe tenet, quorum arbitrii jura violare noluit: cauſa verò perſeverantiæ multorum in ſuis erroribus multiplex eſt: ſeptem enumerat Gulielmus Pariſienſis *lib. 1. de fide cap. 2.*, quarum potiſſima eſt peccatum, quo homines Divinâ gratiâ ſe indignos reddunt, unde velut derelicti juſto Dei judicio incidunt in laqueos, & obdurantur: quod argumentum proſequitur Aug. *tract. 1. in Joannem in illa verba: Erat lux vera &c.* Videatur D. Thom. 1. *part. quæſt. 23. art. 7. ad 3.*

57 OBJIC. III. Propagatio ſecuta ex levitate credulitatis non eſt prudens argumentum veritatis: ſed propagatio Chriſtianæ Religionis eſt hujuſmodi; ergo. Explicatur. Plurimi acceſſerunt fidei, velut pecudes, abſque examine, & non auditis motivis, & rationibus credendorum, ut Geneſius, qui ludens mutatus eſt, ut cuſtodes carcerum, qui ex abrupto petierunt Baptiſmum; ut turbæ, quæ martyrio ſe obtulerunt.

RESP. Argumentum hoc eſt Porphyrii Philoſophi, quo arguebat turbas, quæ in Chriſtum prædicantem crediderunt: falſo tamen innititur ſuppoſito. Nullus eſt, qui converſus ſit ex levitate cordis; pauci etiam ſunt, qui ſola divina motione, abſque aliquo alio impellente converſi ſunt; moti enim ſunt in hujuſmodi repentinis converſionibus evidentiâ facti propter miracula, & propter excellentem Martyrum conſtantiam, ut ſacra docet hiſtoria.

58 OBJIC. IV. Propagatio, cui contradixit Orbis tanquam fabuloſa docenti, nequit eſſe teſtimonium veritatis, ſed propagatio Chriſtianæ Religionis eſt hujuſmodi; ergo. Min. explicatur. Fabuloſa ſunt. I. Trinitas perſonarum in unitate naturæ, II. Mortuorum reſurrectio, III. Æterna combuſtio ſine morte, IV. Vita hominum more Angelorum, modo inviſibili, ſine cibo, & potu, & reſpiratione; hæc enim pugnant evidenti lumini naturæ; eſt enim rerum eſſentias perdere, & confundere.

De divina virtute alte ſentiendum eſt.

RESP. neg. min. Philoſophorum Sectæ fabulas docuerunt ipſo lumine rationis teſte, Pſal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* Ceterum fides noſtra ſolidiſſima proponit, nihilque contra lumen naturæ, quod perficit. Novit lumen rationis in potentia Dei, utpote infinita, plus latere, quam poſſimus virtute finita apprehendere; ac proinde docet ſublimiori modo loquendum eſſe de Deo, quam de creaturis, ineffabilioraque illi fore tribuenda. Novit lumen rationis, perfectam hominis Beatitudinem conſiſtere non poſſe in his caducis, ſenſibilibuſque, quæ ſatiare nequeunt cor hominis: dure tamen capit hoc carnalis homo, turpitudini aſſuetus. Facile ſolvit humana ratio elevatioribus diſcurſibus, quæcunque ex lumine naturæ opponuntur myſteriis noſtræ fidei. In ſumma infinitate perfectionis oſtendit poſſibilitatem Trinitatis in identitate naturæ, in ſumma Omnipotentia modum reparandi vitam, in ſublimitate Beatitudinis ſuperiores qualitates convenire corporibus, ſubſtantiâ immutatâ. Vir doctus ex D. Thom. 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 8. *De Trinit. ſupra Boetium art. 5. ad 5.* omnia infidelium argumenta poteſt evidenter negative ſolvere, demonſtrando non concludere, & eſſe fallacia, bene utendo principiis certis luminis naturæ, paritatibus, exemplis, & ſimilibus. Dixi negative; ſi falſitas conſiſtat in materia; ſi enim conſiſtat in forma, poſitive omnia ſolvi poſſunt. Dixi infidelium; ſi enim Hæreticorum ſint, utroque modo ſolvuntur facillime. Veritatem hanc agnoſcens Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. diſtricte præcipit noi-

univerſis Lectoribus Philoſophiæ, ut accurate examinent, & refellant omnia argumenta infidelium, quæ faciunt contra nonnullas fidei veritates, puta animæ immortalitatem, mundi finitatem; & omnibus Clericis ſacris ordinandis, ut expleto quinquennio in philoſophiæ, & poeſis ſtudiis, ſedulo Theologiæ operam navent, vel Canonibus, ut in his inveniant -- Unde infectas philoſophiæ, &
„ poeſis radices purgare, & ſanare valeant-- mandatque in virtute ſanctæ obedientiæ hos Canones publicari ſingulis annis in principio ſtudiorum in publicis Univerſitatibus.

59 OBJIC. V. Propagatio confirmata ambiguis Prophetarum oraculis non eſt apta movere ad aſſenſum rationabilem: ſed propagatio Chriſtianæ Religionis confirmatur ambiguis Prophetarum teſtimoniis; ergo. Min. expiic. Nihil eſt obſcurius Propheticis dictis; litteraliter accipi nequeunt, quædam impleta, quædam implenda, quædam conditionata, & quædam abſoluta, & quæ de Chriſto ſunt, obſcurum eſt eſſe adimpleta, ex quo venit in maxima abjectione. Videtur ergo redarguenda Religio Chriſti, ſicut redarguitur idololatria æquivocis, & obſcuris fidens oraculorum, ſeu Dæmonum aſſertis.

RESP. neg. min. Ambigua, ſeu fallacia nequaquam ſunt Prophetarum effata; quædam enim clariſſima ſunt, evidenter adimpleta, quod aperta demonſtratur inductione. Alia aliquantulum obſcura ſunt, ſed ſtudio, & textuum, rerumque combinatione, certo ſenſu explicantur a peritis, & omnia abſque ambiguitate, & cum omnimoda certitudine ab Eccleſia, ubi opus eſt, elucidantur, cui aſſiſtit Spiritus veritatis, ſingula clare docens. Unde habet Auguſtinus *Pſal.* 146. in illud: *Suſcipiens manſuetos Dominus* -- Sic honora Scripturam Dei; honora Verbum Dei, etiam
„ non apertum; differ pietate intelligentiam;
„ noli protervus eſſe accuſare, aut obſcuritatem, aut quaſi perverſitatem ſcripturæ. Perverſum hic nihil eſt; obſcurum autem aliquid eſt; non ut tibi negetur, ſed ut exerceat accepturum &c. noli recalcitrare &c.
„ Sic dictum eſt, quomodo dici debuit. Non
„ corrigit æger medicamenta ſua: novit ea
„ medicus modificare: ei crede, qui te curat -- Quæ de Chriſto dicta ſunt circa primum adventum, palam adimpleta conſpiciuntur, & in ſua humilitate ſe Deum eſſe demonſtravit prophetiis, miraculis &c.

Quæ obſcura ſunt, ab Eccleſia declarantur.

CONTROVERSIA VI.

AN SANCTITAS SIT NOTA VERÆ ECCLESIÆ.

NOmine Sanctitatis intelligimus Doctrinæ veritatem, & puritatem, morum honeſtatem, legum pietatem, mediorum opportunitatem, & pro acquirendis virtutibus efficaciam, & de ea inquirimus, an ſit Nota veræ Eccleſiæ. Oſtendimus ſuperius ſanctitatem eſſe proprietatem Eccleſiæ, & quæ ibi dicta ſunt, ſufficienter probant eſſe etiam verum Notam. Sed quia argumenta deſumpta ſunt ex ſcripturis contra Hæreticos; alia pro omnibus adducere oportet: unde

Dico. Sanctitas eſt vera Eccleſiæ Nota.

60 PROB. I. Quod clare demonſtrat Religionem eſſe Divinam, eſt vera Nota Eccleſiæ: ſed Sanctitas demonſtrat Religionem eſſe Divinam; ergo eſt Nota veræ Eccleſiæ: ſed Eccleſia Catholica eſt Sancta; ergo illa eſt vera Eccleſia. Majorem ipſum naturæ indicat; vera enim Religio conſiſtit in vero cultu Dei; verus cultus Dei quid Divinum eſt. Minor etiam ſecundum ſe patet. Sanctitas enim eſt Dei proprietas, Deo animas conjungit, donis Dei replet corda, Divinarum perfectionum imitatio quædam eſt. Minor ſubſumpta eſt fere evidens enumeratione eorum, quæ docet, & facit Eccleſia Catholica. Si inſpicimus doctrinam credendorum quoad partem ſpeculativam, pulcherrimo ordine tradit, quæ ſpectant ad Deum, ad ultimum finem, ad animæ immortalitatem. Deum prædicat immenſum, infinitum, purum actum, omnipotentem, ſumme providum, liberalem in præmiando, æquum in puniendo, omnia ſcientem. Beatitudinem prædicat a ſordibus elevatam, omnis appetitus ſatiativam, æternam &c. Si attendimus partem practicam; quid purius? Omnem immonditiam prohibet, omnem injuſtitiam, omne odium, etiam inimicorum. Sic Tertul. *Apolog. adverſus gentes cap.* 39. Juſtinus Martyr *Apol.* 2. *ad Antoninum*.

Vera Eccleſia eſt Sancta.

61 PROB. II Quod manifeſte indicat, & oſtendit Religionem veritati inniti, eſt Nota veræ Eccleſiæ: ſed Sanctitas oſtendit veritati inniti; eſt enim ipſa veritas; ergo Sanctitas eſt Nota veræ Eccleſiæ. Maj. patet ſicut & minor; Sanctitas enim eſt rectitudo: ſed rectitudo a veritate non ſeparatur; ergo doctrina Catholicæ Religionis nihil contra rationem docet, nihil improbum; rectiſſimas quidem leges naturæ tuetur, alias adjungit, nobilium virtutum exercitia præcipientes; non ſolum exterioris juſtitiæ, ſed & interioris tradit mandata.

Sanctitas innititur veritati.

62 PROB. III. Lumine naturali colligimus Deum habere naturam præ ceteris excellentiorem, quia ſummum bonum: ſed Sanctitas in ordine morali eſt unice ipſa bonitas; ergo Sanctitas eſt ſignum manifeſtum. Religionem Sanctam eſſe bonam, & unice bonam. Explicemus hoc Doctrinâ Chriſti ſub diſcurſu naturali applicata. Notiſſimum eſt cuilibet generi hominum ex fructibus cognoſci arborem; bonam bonos fructus facere, malam malos; nullum ex ſpinis colligere uvas, nec de tribulis ficos; ſed Sanctimonia eſt optimus fructus omnium bonorum operum, pinguedine refertus; ergo Religio Sanctitatem fructificans eſt arbor bona. Sic Catholica Eccleſia fructificat Sanctitatem: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo*, Jacobi 1., & ad Epheſ. 5. v. 9. *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo.* Religio ergo Catholica eſt vera.

Sanctitas ex Catholica Eccleſia.

63 PROB. IV. Vis excedens huma-

Digitized by Google

nam, & naturalem facultatem promanat a Divina ſuperiori virtute, ſed Sanctitas vim habet excedentem facultatem naturalem; ergo illa demonſtratur oriri a principio Divino; ergo Divinam eſſe Religionem, quæ eſt Sancta; Min. explicatur. Vis humanas devincens cupiditates, domans rebelles animi motus, evellens a terrenis voluptatibus, ſtimulante ardentiſſime carne, impellente fortiter mundo, ſollicitante efficaciſſime Dæmone naturalem excedit facultatem, & inclinationem: ſed hoc robur tribuit ſanctitas, ut millena adoleſcentium, puellarum demonſtrant exempla, quæ de mundo, ſpurcitiis carnalibus poſthabitis, in quas vehementiſſime inclinat natura, triumpharunt. Demonſtrant hi, qui prius inter voluptates ſordeſcentes, poſtmodum Angelicam vivendi rationem elegerunt. Porro quis talia valet perpendere, quin exclamet: Digitus Dei eſt hic? Audiamus Lactantium *lib. 3. Divin. Inſtit. cap. 26.* -- Dei

Religio vincens mundum ſancta eſt.

„ præcepta, & ſimplicia, & vera ſunt; quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus; pauciſſimis Dei Verbis, tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam tibi plenis manibus largientem. Da timidum doloris, & mortis; jam Cruces, & ignes, periculum omne, & Taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem, jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem, & ſanguinem appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem; continuo & æquus, & prudens, & innocens erit; uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta Divinæ Sapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, Matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat -- Vim argumenti hujus tradit nobis Dominus Malach. 3. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio in peculium: & parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſervienti ſibi. Et convertemini, & videbitis, quid ſit inter juſtum, & impium, & inter ſervientem Deo, & non ſervientem ei.* En qualiter in ſanctitate vis eſt ad oſtendendam veram Eccleſiam.

64 PROB. V. Sanctitas ex ſuo conceptu trahit in admirationem, & reverentiam etiam infideles, itaut Sancti, Divini ab iiſdem appellentur; ergo eſt optimum, & aptiſſimum medium ad ducendum in Eccleſiam Dei. Inculpata fidelium vita, gentilium oculis expoſita, ſacro quodam timore illos percolit, & quid altius homine in illis ſuſpiciunt: unde firmiter credunt veram eſſe illam Religionem, quæ tantu virtutum paludamento ſuos exornat. Hinc Paulus ad Philip. 2. dixit primos fideles in medio gentilium lucere, velut luminaria in mundo. Metaphraſtes ſcribit de S. Luciano in ejus vita ſolo aſpectu ad fidem traxiſſe Ethnicos, Athanaſius de S. Antonio ſanctitatis famâ orbem fere totum rapuiſſe. Idem de S. Hilarione Hieronymus, & de aliis ſimilia leguntur. Et Tertullianus *in Apologetico cap. 2.* refert de

Gentes a Sanctitate moris allectæ.

A Plinio Juniore, ſcripſiſſe ad Trajanum Imperatorem de admirabili Chriſtianorum ſanctimonia, in nullo alio reprehenſibilium, niſi quod Diis non ſacrificabant.

65 Ob hoc motivu ſanctitas commendatur in Scripturis, quia vim divinam habet ad movendum. Sic Paulus Tito cap. 2. v. 7. ſcribit: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Sic Corinthiis Ep. 2. cap. 3. *Numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati, quod epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi.* Sic ad Hebræos cap. 13. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Idem prima Petri cap. 3., & alibi.

66 PROB. VI. Implicat illam virtutem eſſe falſæ Religionis proteſtativam, quæ tales effectus producit, ut a Divina omnipotentia ſolum emanare poſſint: ſed Sanctitas habet hujuſmodi virtutem; ergo. Min. explicatur: Vi ſanctæ doctrinæ Catholicæ Eccleſiæ innumeri Martyres cujuſcunque conditionis, ætatis, & ſexus vitam profuderunt pro Chriſto: ſed hæc profuſio opus eſt ſolius Divinæ Omnipotentiæ; ergo. Parumper explicandæ ſunt circumſtantiæ hujus argumenti, quibus perpenſis manifeſte concludit.

Prima eſt, numerus ſine numero Martyrum, non ſolum unius Provinciæ, ſed totius Orbis; & taliter quidem, ut dixerit Gregorius *Homil. 17. in Evangelia*, multiplicatos eſſe ſuper arenam. Una nocte Nicomediæ, recurrente memoria diei Natalis Domini, viginti mille combuſti ſunt, & intra triginta dies alii ſeptendecim millia. Scribit etiam ad Heliodorum Hieronymus, ea notis Romæ cruciatis Martyribus tot adinveniſſe, quod ſingulis diebus tria millia coli poſſent. Sed quot adhuc latuerunt Hieronymum? Legantur Martyrologia Romana, Adonis, Bedæ, Menologia Græcorum &c. Secunda eſt tormentorum acerbitas, diuturnitas, varietas. Nullum eſt genus crudelitatis, quod in Sanctos Martyres non exercuerint Tyranni, nempe verbera, gladium, cruces, ignem, ſartagines, & quidquid tartarus evomere potuit. Succeſſiva quadam tormentorum procella, pluribus diebus, plurimi probati ſunt Martyres.

Miranda in Martyribus.

Tertia eſt perſonarum qualitas. Viri fortes, & infirmi, nobiles, & ignobiles, divites, & pauperes, Principes, & gregarii, maſculi, & fœminæ, cujuslibet ætatis perſonæ, juvenes, ſenes, infantuli, decrepiti, virgines, matronæ delicatæ, quæ ad aſpectum denudati gladii ſolent naturali conditione pavere, & exanimari. Quarta conditio eſt modus patiendi, nempe animi conſtantia, cordis hilaritas, invicta ſpes æternæ vitæ, gravitas reſponſionum ad quæſita fidei, irriſio jucunda Tyrannorum &c.

Quinta eſt ſignorum multitudo, cœleſtium

ſtium ſpirituum adjutorium, ſupernæ viſiones ipſis ſatellitibus ſenſibiles: quæ miracula, cum a tyrannis negari non poſſent, artibus magicis tribuebantur. Sexta circumſtantia eſt vitæ ſanctitas, qua apud ethnicos ipſoa eiucebant; non enim aliunde accuſabantur, puniebantur, niſi quia Chriſtiani: non quia fures, adolteri, homicidæ, proditores patriæ, ebrioſi &c., ſed quia Chriſti cultores.

Septima eſt cauſa, ſeu finis patiendi; hæc martyres facit, non pœna, ea D. Aug. *Pſal.* 34. *concione* 2., & Cypriano *lib. de unitate Eccleſiæ*. Sola ſpe æternorum moti Martyres, ſolum Chriſti nomen inclamantes, non pro Patria, aut nominis gloria, nec pro divitiis acquirendis, familiarum exaltatione, fortitudinis experimento, ſed his omnibus poſthabitis duriſſimis tormentis ſe obtulerunt pro Chriſto. Octava eſt robur ex ipſis myſteriis fidei confeſſis acquiſitum. Ad memoriam Crucifixi Domini robuſtiores efficiebantur, ad meditationem æternæ beatitudinis ita confortabantur, ut duriora, & longiora fuiſſent ſupplicia: ad ſumptionem corporis Dominici impavidi graviſſimis tormentis obviam ibant -- Hoc calice inebriati erant Martyres, quando ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant, non uxorem flentem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant: Calicem ſalutaris accipiam -- Sic inquit Aug. *Pſal.* 22. Legendus etiam *tract.* 84. *in Joannem*. Cyprianus *Serm. de Paſſione Domini*.

His circumſtantiis ſi inſtituatur argumentum, ita evidens eſt pro vera Religione, ut redarguenda appareat Divina providentia, ſi fallax ſit; aut enim aſſerendum eſt Deum hominum creatorem nullos ſui cultores aſſumpſiſſe; vel eis dediſſe manum ne errarent, qui flagrantiſſimo ſtudio ipſi placere ſtuduerunt, qui cujuslibet legis rectitudinem explere conati ſunt: utique recta providentiæ ratio id exigit. Quis ſuſpicari audebit Dominum noſtrum tam benignum, tam bonum erga homines, tam ſapientem in rebus diſponendis permiſiſſe falli in ſummo negotio ſalutis eos, qui corde ſincero, morum innocentiâ, terrenorum contemptu, tot tormentorum genera paſſi ſunt, ſolo veræ Religionis teſtandæ affectu, ſolo veritatis profitendæ deſiderio? Abſit tam indigna cogitatio. Hoc argumento victus ad fidem venit Juſtinus Martyr; eoque uſus eſt contra Gentiles *Apolog.* 1. *ad Senatum Romanum*, ut ipſe teſtatur. Hoc Tertullianus *de præſcriptionibus cap.* 29. Lactantius *lib.* 5. *inſtitution. cap.* 13., & 14. Ambr. *lib.* 3. *de fide cap.* 7. Aug. *de Civit.* 12. *cap.* 5., aliique uſi ſunt.

67 PROB. VII. Non poteſt eſſe niſi Divina illa Religio, cujus auctor primarius omni Sanctitatis genere conſpicuus extitit, & ſecundarii ſimiliter; cum enim Sanctitas fructus terrenæ virtutis eſſe nequeat, abſque dubio de Cœlo miſſi ſunt, qui Sanctitate Religionem fundarunt; ac proinde falſa eſſe non potuit: ſed auctor primarius, & ſecundarii proportionabiliter omni Sanctitatis genere fulſere; ergo.

Religio in Sanctitate fundata.

Explic. minor. Chriſtus Sanctus fuit origine, quia Filius Æterni Patris, tot evidentibus Teſtimoniis comprobatus. Sanctus nativitate temporali, quia de Spiritu Sancto conceptus, & ex Virgine natus. Sanctus converſatione, quia nullum unquam patravit peccatum; etſi multi falſi teſtes adverſus eum ſurrexerint, nunquam tamen potuit de peccato accuſari; provocabat hoſtes ſuos, ut de peccato arguerent, ſi noviſſent. Sanctus doctrinâ, quia omnibus vitiis bellum indixit, iniquitatem redarguens, nulli parcens, etiam dignitate ſublimi; regulas excellentiſſimæ perfectionis tradens. Sanctus reſponſis, quia tam prudenter captioſas quæſtiones, & interrogationes ſolvebat; tam modeſte, & ſapienter parabolis, & ſententiis obſcura dubia elucidabat. Sanctus potentiâ, quia tot ſigna, & miracula in quolibet genere ſumma facilitate patravit. Sanctus auctoritate, quia neminem timens veritatem prædicabat; Sacerdotes malos redarguebat. Sanctus prophetiâ, quia innumera prædixit, quæ ita evenerunt, nempe Petri negationem, Judæ proditionem, Apoſtolorum martyrium, prædicationem per Univerſum, Gentium converſionem, Jeroſolymæ everſionem, miracula ab Apoſtolis facienda. Sanctus diſcretione ſpirituum, quia occultas detegebat cordium cogitationes, ſecretas animorum intentiones, Dæmonum fraudes. Hæc palam omnibus evenerunt; hæc per totum orbem evulgata; hæc libris conſcripta, qui, etſi a Gentilibus tanquam Canonici non admittantur; negari tamen nequeunt, ſicut ceteri, qui humanam fundant hiſtoriam. Verſat hoc argum. D. Aug. *lib.* 17. *de Civit.. cap.* 18.

Secundarii pariter, ſcilicet Apoſtoli, proportionaliter Sancti fuerunt, Chriſti imitatores, ut hiſtoriis patet: Sufficit, quod in tam gravibus perſecutoribus non de alio accuſarentur crimine, niſi quod Chriſtiani eſſent. De quo Tertull. *in Apolog. cap.* 3., & 44. Plinius Junior ad Trajanum. Juſtinus Martyr *ſecunda Apologia circa finem*, ubi refert trium Imperatorum teſtimonia in commendationem. Philo *apud Hieronymum de Scriptor. Eccleſ. &c.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

68 OBJIC. I. Nota nullâ debet indigere probatione: ſed Sanctitas probatione indiget; ergo Sanctitas non eſt Nota Eccleſiæ. Min. explicatur. Sanctitas in interiori conſiſtit: ſed interius non conſtat, niſi probetur; omnis enim actio exterior eſt indifferens, ut ſit bona, & mala, qua ratione excluditur communiter fides a numero Notarum; etiamſi exterior, quia ſub mendacio cadit.

RESP. neg. minorem. Sanctitas, quam pro Nota aſſignamus, probatione non indiget. Se ipſa enim viſibilis eſt; ſicut lux, qua alia videntur, non redditur per aliud viſibilis. Sanctitas, de qua loquimur, eſt Sanctitas inſtituti præcipientis opera virtutis, morum innocentiam, corruptelam damnantis, ac vitia: Sanctitas eſt, ſuadens, & exercens heroicas virtutes, & efficax, & victrix, quæ ſe ipſam manifeſte prodit, Fides ad conſtitu-

Sanctitas indubie dignoſcitur.

tivum

tivum Eccleſiæ pertinet, debetque eſſe in ſingulis de Eccleſia, quæ ſi accipiatur ut interior, non eſt viſibilis; ſi verò ut exterior, prout in ſingulis poteſt eſſe ſalſa, ac proinde non deſervit certo pro inveſtiganda vera Eccleſia; Sanctitas verò deſcripta convenit corpori, & non ſingulis: unde eſt apta ad ducendum in cognitionem corporis: Aliqua enim connexionem habent cum corpore, quam non habent cum ſingulis membris.

69 OBJIC. II. Sanctitas doctrinæ nihil aliud eſt, quam doctrina incorrupta: Sed doctrina excluditur a nobis a numero Symbolorum; ergo neque Sanctitas in catalogo notarum computanda eſt.

RESP. diſt. maj. Non eſt niſi doctrina incorrupta incorruptione falſitatis, neg., Incorruptione moralitatis, concedo. Doctrina, quam ſtatuunt Hæretici pro Nota, & vocant incorruptam, eſt illa, quæ ſono prædicationis abſque alio dicitur Evangelica, dicitur Chriſti, dicitur abſque errore; quod tamen non conſtat, niſi auctoritate Eccleſiæ probetur; Doctrina verò, quam Sanctitatem dicimus, ea eſt, quæ nihil docet contra bonos mores, contra legem naturalem, quæ vitia impugnat: hoc autem faciliime detegitur; ſignatum eſt enim ſuper nos lumen vultus Domini: unde gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, noverunt. Optime ergo Sanctitas pro Nota aſſignatur; teſte enim Zacharia Urſino celebri Proteſtante *in prologomeno ſuarum explicationum catechetlcarum* 12. *ratione* -- Quæ enim Religio homines facit „ Sanctos, Deoque placentes, eam neceſſe „ eſt, Sanctiſſimam, & divinam eſſe --

Religio, quæ facit Sanctos, ſancta jure cenſetur.

70 OBJIC. III. Nota non debet eſſe communis Diaboli ſynagogis; ſed efficacia doctrinæ eſt communis Sectis Paganorum, Hæreticorum, & ipſius Antichriſti, qui ſeducet plures populos, & Divinâ providentiâ brevi auferretur, aliter fere omnes ad ſe traheret. Apud Gentiles mirandæ mutationes evulgantur, quibus homines tranſlati ſunt a vitio ad virtutem, ut de Polemone fert hiſtoria, qui erat peſſimus; ſed Xenocratis ſcholam ingreſſus, & eo audito de virtutis excellentia diſſerente, in virum probum mutatus eſt.

RESP. neg. min. Nulla enim Secta habet efficaciam Sanctitatis. Non enim dicimus efficaciam eſſe Notam, ſed Sanctitatem efficacem. Novimus vitium plures ad ſe trahere, ſed quid laudis? Quid admirationis? Pronus eſt homo in omne nefas ab infantia ſua. Quid homini facilius, quam peccare? Quam ſequi corporis voluptates, mundi delicias, ſeculi ſuperbiam? In eo elucet Divinæ potentiæ robur, quod hominem voluptuoſum a terrenis elevet, a ſordidis concupiſcentiis eruat, & ad cœleſtem vivendi ſemitam transferat, nullo propoſito temporalium, & viſibilium bonorum præmio. Et hæc ſunt portenta Sanctitatis; ac proinde eſt clare teſtificativa Religionis Divinæ.

Apud Gentiles, ſi quæ fuerunt ad meliorem frugem mutationes adeo raræ ſunt, ut vix numerari poſſint. Illud tamen indubium eſt, Philoſophorum doctrinam licet externa quædam coerceret, internos tamen animi motus haud compeſcebat. Docebat quidem voluptatum, ac divitiarum contemptum, non autem ſui: unde & ipſimet Philoſophorum Principes ſuperbiſſimi erant. Præter alia vitia, quæ de Platone, Socrate, & Ariſtotele leguntur, ſpurciſſimos fuiſſe Philoſophos tradit Athenæus *lib.* 13. *cap.* 17. Theodoretus *lib. de legibus*. Evangelica Sanctitas cor purgat, & corpus ſanat; ſui mundique contemptum docet, & efficit, non in uno, aut altero, ſed in quampluirimis utriuſque ſexus.

Eudoxia Theodoſii uxor, cum loca ſacra inviſendi causâ Jeroſolymam veniſſet, & luſtraſſet plene innumera Monachorum Cœnobia, qui Angelicam potius, quam humanam vitam peragebant, exclamans uſurpavit illud Num. 24. *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael*? Qualis Secta docet ſinceram cordis humilitatem? Ait Aug. *lib. de Paſtoribus cap.* 8. -- Diverſis locis ſunt „ diverſæ (*hæreſes*) ſed una mater ſuperbia „ omnes genuit -- Qualis Secta, quæ ab ipſis primordiis cœlibatus perfectionem propouit ſequendam, & tot puellarum, & adoleſcentulorum Virginum choros adnumerat? Qualis Secta, nedum inimicis parcere, ſed & bene facere præcipit? Tertullianus ait *ad Scapulam cap.* 1. -- Jubemus inimicos diligere, ut hoc „ ſit perfecta, & propria bonitas noſtra, non „ communis. Amicos enim diligere, omnium eſt; Inimicos autem ſolorum Chri„ ſtianorum -- Inimicorum dilectio teſſera eſt Chriſtianæ, ac per conſequens veræ Religionis, cum Dei imitetur perfectionem, qui ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos.

71 OBJIC. IV. Vis impulſiva ad vitam profundendam pro lege habetur in ceteris Sectis, quæ & ſuos enumerant Martyres, ſicut Secta Marcioniſtarum, Adamitarum. Inter Gentiles ipſos virtutis exempla numerantur. Lucretia gladio ſibi vitam arripuit pro caſtitate. Mutius dexteram cremavit in ara pro Patria. Regulus Romanorum Dux, qui clavis transfigi voluit arcâ incluſus, quia ipſe unus pro multis Carthaginenſibus noluit compenſari; ergo ex Martyrio non colligitur veritas Religionis Chriſtianæ.

RESP. neg. ant. Si intelligatur cum illis circumſtantiis, quibus verum Martyrium illuſtratur. Hæreticorum Sectæ pauciſſimos habuere, qui pro Religione ſanguinem fuderint. Nullos ex ipſis traninatavit ad Ethnicos, ut cauſa Religionis vitam proderet. Eorum enim ſcopus non fuit Religionis dilatatio, ſed Romanæ Eccleſiæ impugnatio, ſicut bene advertit Tertullianus *de præſcript. cap.* 42. -- Ne„ gotium enim eſt Hæreticis, non Ethnicos „ convertendi, ſed noſtros evertendi. Noſtra „ ſuffodiunt, ut ſua ædificent. Hanc magis „ gloriam captant; ſi ſtantibus ruinam, non „ ſi jacentibus elevationem operentur--Quod eſt ſignum, veram eſſe noſtram Religionem, cum a nobis exeuntes unitatis vinculum perrumpere maxime ſtudeant.

Nemo unus ex Hæreticis vere Martyr.

Aliqui ex illis mortem oppetiere perfracte propugnantes perverſa; alii ex deſperatione, cum alias mortem effugere non poſſent: Nulli tamen Sanctitate conſpicui, ſed ſordibus inquinati. Quæ profeſſio Marcioniſtarum? Quid turpius Adamitarum cœtu?

Non

Non negamus vitioſos duriſſima pati. Teſte Aug. *lib. de patientia cap.* 17. didicimus -- „ Quemque iniquorum tanto eſſe ad tolle- „ randa mala duriorem, quanto eſt major „ mundi cupiditas -- Deſunt in Hæreticorum Sectis veri Martyrii circumſtantiæ. Apud Gentiles verò nullus eſt, qui pro Diis mortem ſubjecit; & qui paſſi ſunt, id velut humani honoris mancipia fecerunt. Vere enim dixit Arauxicanum Concilium ſecundum *Can.* 17. -- Fortitudinem Gentilium facit mun- „ dana cupiditas; fortitudinem Chriſtiano- „ rum charitas Dei diffuſa in cordibus no- „ ſtris -- Lucretia quidem fortiter egiſſe videtur, ubi revera contra dictamen naturale operata eſt, ſe ipſam occidendo, quam tædebat vivere cum ſuſpicione impudiciæ. Regulus occidi voluit ex mera ſtultitia, qua ſe jactabat pluribus Carthaginenſibus meliorem, & ſic de ceteris.

72 OBJIC. V. Nota debet eſſe ſpecialis: ſed Sanctitas non eſt hujuſmodi, cum quælibet Secta de Sanctitate glorietur; ergo.

RESP. neg. min. Verbis quidem jactant ſanctitatem Hæretici, ſed doctrinâ, & moribus evertunt, præcipue Novatores, qui univerſis carnis ſordibus laxant habenas, vel præcipiendo, vel approbando, vel non vindicando; & quæ in materia libidinis docent, adamuſſim ſectantur; caſtiſſimoſque Romanorum fidelium choros totis viribus evertere conantur. Quæ omnia in ſequenti Diſputatione ex eorum dictis, & legibus manifeſta fient.

Fingunt Sanctitatem Hæretici.

CONTROVERSIA VII.

AN MIRACULA SINT NOTA VERÆ ECCLESIÆ.

73 SAnctitati accenſetur virtus Miraculorum: unde communiter Controverſiſtæ ſub eadem Nota Sanctitatis reponunt Miracula. Quia tamen ſpecialibus difficultatibus videtur obnoxia; ideo ab iiſdem ſolent communius ſpeciali articulo examinari, quorum morem ſequentes, & nos peculiarem Controverſiam inſtituimus. Totis viribus adverſus miracula inſurgunt Novatores; noſcentes ſiquidem cauſa cadere ſi miracula comprobentur, nequaquam inter Eccleſiæ notas ea recenſent.

Calvinus *in Epiſt. ad Regem Galliæ* inter alia habet -- Improbe faciunt, quod miracula „ a nobis poſtulant. An id pro nobis habent „ ſingulare (*Papiſtæ*) quod aſſiduis ad hunc „ uſque diem Miraculis fidem ſuam confir- „ mare poſſunt; immo potius allegant Mi- „ racula, quæ animum alioquin bene com- „ poſitum labefactare queant &c. -- Fuſe ibi ſorit; *& in cap.* 14. *Matth.* Calvinum ea ſuis potiſſime ſequitur Gummarus Leydenſis contra Coſterum, ubi Miracula a nobis aſſerta reprobat. Centuriatores Lutheri Diſcipuli vehementer carpunt Miracula, *centuria* 5. *cap.* 10., & in ſingulis fere centuriis præſtigia Dæmonum appellant. Unam interim (nolentes) veritatem confitentur, per ſingula ſecula in Eccleſia Romana Miracula patrari. Contra hos præcipue hic movemus Controverſiam, ad cujus intelligentiam aliqua ſunt prænotanda.

74 I. Ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 1. *ad* 3. Quinque hæc, Virtutes, Portenta, Prodigia, Miracula, Signa, in re, & lata acceptione eſſe idem, in modo tamen ſignificandi videntur diverſa. Virtutes dicuntur, quia id, quod fit, excedit facultatem naturæ. Portenta, & prodigia propter excellentiam, quaſi procul aliquid oſtendentia. Miracula propter admirationem, ad quam excitant. Signa propter manifeſtationem effectus ſupernaturalis; & hac forte de cauſa nullibi in Sacra Scriptura novi Teſtamenti, Miracula Chriſti, & Apoſtolorum legimus expreſſa nomine Miraculorum (licet in lege veteri legamus) ſed ſolum ſub nomine Signorum: quia finis potiſſimus a Domino intentus eſt veritatem ſupernaturalem hominibus manifeſtare, non autem ſimplicem movere admirationem.

Miraculum eſt effectus poſitus a parte rei excedens facultatem naturæ: Dixi naturæ, quia comparative ad Divinam potentiam quodcunque minimum eſt; & in conſpectu ejus omnia ſunt, velut momentum ſtateræ. Porro tripliciter aliquid excedit facultatem naturæ.

Miraculi natura explicatur.

I. Abſolute, & tunc eſt, quando nullo modo, nec unquam a natura fieri poteſt, nullaque prorſus virtus in ea datur; ut quod duo corpora ſint ſimul, quod ſol retrocedat, quod corpus humanum glorificetur.

Tripliciter miraculum contingere poteſt.

II. Aliquid excedit facultatem naturæ, non ſecundum rem, quæ fit, ſed ſecundum ſubjectum, in quo fit, habens diſpoſitionem contrariam, ut quod mortuus vivat, cæcus videat, Virgo pariat. Poteſt natura dare vitam, ſed non in cadavere, viſum, ſed non in cæco; prolem, ſed non in Virgine.

III. Aliquid naturam excedit quoad modum, & ordinem, quando ſcilicet id poteſt natura abſolute, ſed non tali modo, & ordine. Poteſt quidem ex aqua vinum facere, aſſumendo illam in alimentum vitis, ſed non poteſt una immediata mutatione ex aqua facere vinum, ut Chriſtus fecit in Cana Galilææ. Poteſt ranas producere; ſed non ea quantitate, ut brevi tempore totam unam Provinciam repleat; ut accidit in Ægypto ſub Moyſe. Poteſt & febrim graviſſimam ſanare, ſed non uno momento, ut fit ad invocationem Sanctorum.

Primum genus dicitur maximus gradus, & ſupra naturam, & arduum. Secundum genus, dicitur gradus medius, & contra naturam, & ſpem naturæ; quia non habet ad illud ordinem naturalem, ſed obedientialem. Tertium genus dicitur gradus infimus, & præter naturam, & inſolitum; quia fit præter modum ejus conſuetum. Sic ex D. Thom. *quæſt.* 6. *ex diſputatis art.* 2. *ad* 3., *& par.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 7. *ad* 2., *& art.* 8. *in corpore.*

75 Prænoto II. Miraculum non poſſe fieri, niſi virtute Divina. Patet hoc ex communi admiratione etiam doctiſſimorum; ex eo ſcilicet quia cauſa naturalis omnino non ſufficit. Et probatur ratione clariſſima. Miraculum eſt effectus productus, excedens, vel

Miraculum nonniſi ex divina virtute;

quoad

quoad ſubſtantiam, vel quoad modum naturæ facultatem; ergo oriri debet a principio ſuperiori ad naturam; ſed Deus ſolus eſt principium naturæ ſuperius; ergo ad illum ſolum ſpectat legem diſpenſare, qui eam condidit: ſed Miraculum eſt diſpenſatio, ſeu immutatio legis ordinariæ, qua natura conſtituta eſt, & operatur; ergo ad Deum ſolum ſpectat, qui eſt auctor naturæ.

76 Prænoto III. triplicem eſſe finem primarium Miraculorum. I. eſt Gloria Dei. II. Commendatio veritatis Eccleſiæ. III. Hominum utilitas. Ut manifeſtetur gloria Dei, Miracula fecit Deus in Ægipto. Exodi 14. *Cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus ejus.* Aquam in vinum mutavit, Joan. 2. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam.* In commendationem Eccleſiæ plura ſigna fecit Chriſtus, dicente Joan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio; etſi mihi non vultis credere; operibus credite.* In utilitatem hominum; qua ratione Lazarum vitæ reddidit. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ut credatis*, Jo. 11. Et ad hos tres reducuntur ceteri, ut cum in atteſtationem Sanctitatis alicujus, vel puniſionem alterius Miracula habentur. His prænotatis

Dico. Miraculorum patratio eſt vera Eccleſiæ Nota.

77 PROB. I. Veritas doctrinæ ex veritate docentis manifeſte deducitur: ſed Miraculis comprobatur veritas docentis; ergo iiſdem veritas doctrinæ. Min. explic. Miraculis demonſtratur quinam legitime miſſus eſt: hinc Moyſes, ut ſuam miſſionem probaret, ſigna petiit. Exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Ex ſignis, quæ in Ægypto patrata ſunt, cognoverunt Ægyptii Dominum in Moyſe operatum eſſe, Exodi 14. *Et ſcient Ægyptii, quia Ego ſum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus ejus.* Signo roris in ſolo vellere comprobata eſt miſſio Gedeonis contra Madianitas Judic. 6. Signo Holocauſti ſolaribus radiis aduſti probata eſt miſſio Eliæ Prophetæ contra Sacerdotes Baal 3. Reg. 18. Signo propheticæ interpretationis ſomniorum Gen. 40., & 41. probata eſt electio Joſeph. in Principem. Omitto tot alia exempla veteris Teſtamenti, & venio ad novum Teſtamentum.

Miſſio per miracula comprobatur.

Licet Joannes Baptiſta ex D. Th. 3. *par. quæſt.* 38. *art.* 2. *ad* 2. nullum fecerit Miraculum, quia tota ejus doctrina ad Chriſtum ordinabatur; ideo ut homines principaliter Chriſto intenderent, non eſt datum Joanni, ut faceret ſigna: ejus tamen miſſio Miraculis fuit probata, cum a ſterili ſit natus, ab utero ſanctificatus, in utero ſaltaverit, & in ejus nativitate patri muto reddita ſit loquela. Chriſtus verò, ut ſe verum Meſſiam oſtenderet, Miracula adhibuit Joan. 5. *Ego habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me.* Et cap. 10. *Loquor vobis; & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me &c. ſi autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.*

Hinc Matth. 11. Diſcipulis Joannis interrogantibus an eſſet ipſe verus Meſſias? Reſpondit: *Euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident: claudi ambulant.* Hinc de Judæis incredulitatem ſuam excuſantibus habet Joan. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quo argumento devicti veritatem faſſi ſunt Jon. 3. *Scimus, quia a Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.*

Miſſio Apoſtolorum firmatur poteſtate Miraculorum. Matth., & Lucæ 10. *Euntes prædicate, dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite.* Et Marci ultimo verſ. 10. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Hinc Act. 2. *Fiebat autem omni animæ timor, multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant.* Et cap. 5. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Quibus oſtenditur, ſignis Petri miſſionem conteſtatam, & a ſignis motos credidiſſe populos.

Paulus itidem authenticæ miſſionis ſuæ tradit ſigna, 2. ad Corinth. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia; in Signis, & Prodigiis, & Virtutibus.* Eoque motivo id protulit, ut Corinthios certos redderet de veritate ſuæ prædicationis. Hinc ad Heb. 2., quia Miraculis confirmata eſt Evangelica prædicatio, inexcuſabiles declarat incredulos: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem; quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Si ergo Miracula miſſionem declarant legitimam, atque inexcuſabiles reddunt non credentes, jam plane fit Miracula eſſe Notam apertam pro veritate Eccleſiæ diſcernenda. Quod argumentum ſolidius eſt, & ad hominem contra Hæreticos vim habet majorem: quia a Scripturis deſumptum.

68 PROB. II. Illud eſt apertum veræ Eccleſiæ Signum, quod omnem de illius veritate dubitationem pellit: ſed Miracula omnem prorſus dubietatem eliminant; ergo. Min. explicatur. Non minus Deus loquitur factis, quam verbis, ut D. Aug. *Epiſt.* 49. docet, ſed Deus nequit verbis mentiri; ergo neque factis: Unde ſi nobis conſtaret aperte hæc eſſe a Deo loquente probatum, omni dubietate ſemota crederet unuſquiſque eſſe verum; ſed Miraculum editum ad veritatis, & doctrinæ conteſtationem, evidenter conſtat eſſe a Deo; ergo tollit omnimodam dubietatem: Min. eſt certa. Non ab alio, quam a Deo Miracula fieri poſſunt, & ideo Pſal. 71. dicitur: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui*

Miracula a ſolo Deo, vel virtute Dei.

facit

facit Mirabilia ſolus. Item Pſal. 76., ubi Aug.
-- Tu verè magnus Deus, faciens mirabilia
„ in corpore, in anima ſolus faciens. Fecit
„ & Moyſes, ſed non ſolus; fecit Elias; fe-
„ cit Eliſeus; fecerunt & Apoſtoli, ſed nul-
„ lus eorum ſolus. Illi dum facerent, tu cum
„ eis. Tu quando feciſti, illi non tecum --
Miraculum verò eſſe locutionem æquivalen-
tem non eſt dubium: unde Exodi 4. Verbum
dicitur: *Si non crediderint tibi; neque audie-
rint ſermonem Signi prioris; credent verbo Signi
ſequentis*. Et ad Heb. 2. dicitur: *Conteſtante
Deo Signis*. Conteſtatio autem quædam locu-
tio eſt. Hinc Aug. *Epiſt. 49. ad Deogratias
quæſt. 6. habet* -- Nam ſicut humana conſue-
„ tudo verbis, ita Divina Potentia etiam fa-
„ ctis loquitur; & ſicut ſermoni humano ver-
„ ba nova, vel minus uſitata, moderate, ac
„ decenter aſperſa, ſplendorem addunt, ita
„ in factis Mirabilibus congruenter aliquid
„ ſignificantibus, quodammodo luculentior
„ eſt Divina eloquentia --

69 PROB. III. ex D. Th. 3. *p. q.* 43. *art.* 1. Divina providentia diſponit de rebus,
quantum fieri poteſt, accomodate ad earum
naturam: ſed fides eſt ſupra humanam ratio-
nem, nec poteſt humana ratione probari; er-
go debuit diſponi, ut probaretur per argu-
mentum Divinæ virtutis: ſed Miraculum eſt
opus proprium Divinæ virtutis, cauſarum na-
turalium vim excedens -- Ut dum aliquis fa-
„ cit opera, quæ ſolus Deus facere poteſt,
„ credantur ea, quæ dicuntur eſſe a Deo.
„ Sicut cum aliquis defert litteras annulo Re-
„ gis ſignatas, creditur ex voluntate Regia
„ proceſſiſſe, quod in illis continetur -- Cui
rationi alludens Hieron. *in cap. 8. Matth.* ha-
bet -- Recte poſt prædicationem, atque do-
„ ctrinam, Signi offertur occaſio, ut per vir-
„ tutum Miracula præteritus apud audientes
„ ſermo firmetur --

Fides ſupra humanam rationem.

70 PROB. IV. Sicut, ex quo homo
componitur inviſibili anima, & viſibili cor-
pore, diſpoſuit Divina Sapientia, ut per vi-
ſibilia ad inviſibilia Myſteria duceretur, ita
quia ex eodem principio natus eſt viſibilibus
moveri, debuit viſibilibus argumentis ſolidari
in inviſibilibus fidei: ſed non eſt aptius ar-
gumentum ad ſolidandum animum, quam vi-
ſibilitas Miraculorum, circa quæ nutare ne-
quit homo, quin a Superiori principio cre-
dat eveniſſe; ergo rectiſſime Miracula ſtatuun-
tur Signum veritatis Eccleſiæ. Diſcurſus eſt
Auguſtini *lib. 10. de Civit. Dei cap.* 12. -- Qua-
„ propter Deus, qui fecit viſibilia, Cœlum,
„ & terram, non dedignatur facere Miracula
„ in Cœlo, vel in terra, quibus ad ſe invi-
„ ſibilem colendum, excitet animum, adhuc
„ viſibilibus deditum -- Eo loci itidem de-
monſtrat, quæcumque Miracula, ſive per An-
gelos, ſive quocumque modo facta, ad id or-
dinari, ut vera Religio firmetur, & propa-
getur.

Inviſibilia per viſibilia comprobantur.

71 PROB. V. Ex Origene 2. *contra
Celſum*. Nihil eſt facilius humanæ mutabi-
litati, & levitati, quam ex levi credulitate
in varias hæreſes prolabi; ergo e Divina Bo-
nitate fuit non permittere, ut ejus teſtimo-
nio homines inducerentur in errores, decepti
ab ipſius Signis, & Portentis; cum notum ſit

A Divinam Omnipotentiam ad falſitatem con-
firmandam non carendi; ergo debuerunt Si-
gna fieri in ſolius veritatis atteſtationem, itaut
illam evidenter efficiant credibilem; alias di-
cere cum Richardo poſſumus, 1. *de Trinit.
cap.* 2. -- Domine ſi error eſt, quod credi-
„ mus, a te decepti ſumus: iſta enim in
„ nobis ils Signis, & Prodigiis confirmata
„ ſunt, quæ nonniſi a te fieri potuerunt --
Et ideo quotquot fuerunt Patres, Miracula,
ut veram, & efficaciſſimam veræ Eccleſiæ
agnoverunt Notam.

Clemens *lib. 8. Conſtit. Apoſtol. cap.* 1. dans
rationem, cur dono Miraculorum fuerint or-
nati Apoſtoli, id motivum aſſignat -- Ut quos
B „ ratio flectere non potuit, commoveat Pro-
„ digiorum potentia -- Juſtinus Martyr *in
confut. dogmatum Ariſtotelis* -- Ut eo facilius
„ perſuaderent doctrinam antea obſcuram --
Origenes *in Epiſt. ad Rom.* aſſerit, Paulum po-
teſtate Signorum accepta, non unam, ſed
plures gentium nationes ad fidem convertiſſe,
operum, virtutumque potentia. Athanaſius
lib. de humanitate Verbi, Chriſti Divinitatem,
Doctrinæque Veritatem demonſtrat ex Mira-
culis, ſui nominis invocatione patratis, &
Signo Crucis, quibus magiæ, & Dæmonum
præſtigia fuerunt deriſa. Nyſſenus *de vita
Moyſis* ait -- Miraculis hoſtes expugnantur,
C „ fideles muniuntur -- Beda *in Cant.* expo-
nens illud: *Sicut Turris David collum tuum*,
dicit -- Quid igitur illorum Miracula, niſi
„ noſtra propugnacula? Quia & muniri per
„ illa poſſumus --

Poteſtate ſignorum Gentes converſæ.

Aug. *lib. 22. de Civit. cap. 8. contra E-
piſt. fundam. cap. 4. De utilitate credendi cap.*
16., & alibi. Et *tract. 72. in Joan.* decla-
rans Chriſtum plura feciſſe Miracula per Apo-
ſtolos, quam quæ leguntur expreſſe per ipſum
ſolum facta, dicit id fuiſſe neceſſe, ut gen-
tes tenerentur, & neceſſitarentur credere,
quibus nondum annunciatus fuerat Chriſtus.
Origenes *contra Celſum lib.* 2. aliam rationem
D pro Judæis aſſignat. Cum enim eſſent aſſueti
Miracula poſtulare, ut de locutionibus Di-
vinis certificarentur, debuit Chriſtus, ejuſque
Apoſtoli majora facere, quam Moyſes, ut --
„ Poſſent eos avertere a Judaicis fabulis, &
„ humanis traditionibus, perſuaderéque no-
„ vum hunc Doctorem, tanta potentia præ-
„ ditum, majorem eſſe, quam Prophetæ fue-
„ runt --

Quo argumento uſus eſt Lutherus ipſe
*tom. 7. Vuitemb. impreſſo lib. contra Judæos
pag.* 209. eos increpans, cur non crediderunt
-- Nunc autem per hos mille, & quingentos
„ annos audierunt eſſe Verbum Dei, vide-
E „ runt maxima Signa, & mirabilia; & con-
„ tra fremuerunt -- *Et fol.* 210. -- A Deo
„ didicimus, & accepimus, ut æternum ver-
„ bum, veritatem Dei hactenus Miraculis,
„ & ſignis, mille quingentis annis confeſſam,
„ & confirmatam -- Danæus *Iſagoga Chriſt.
part. 4. lib. 2. cap.* 6. Siguarius *in Diſput. Theo-
log.* Antonius Vvortonus *in examine tituli Cle-
ri Romani*. Urſinus *in prologomenis argum.* 4.
Melancton. *in 3. Matth.*, aliique Proteſtantes
fatentur, Miracula eſſe data ad confirmandam
fidei veritatem, nec potuiſſe fieri pro falſitate
ſtabilienda.

Argumentum deſumptum ex Miraculis efficaciſſimum eſt etiam pro Ethnicis, qui licet ut Canonicos non admittant libros Evangeliorum, ex quibus Miracula Chriſti deſumuntur, non poſſunt tamen illis negare humanam fidem.

SOLVITUR PRIMUM ARGUMENTUM, ET DEFENDUNTUR MIRACULA CHRISTI.

72 OBJIC. I. Si Miracula eſſent veræ Eccleſiæ Nota, maxime eſſent illa, quæ de Chriſto leguntur, ſed hæc non ſunt; ergo nulla. Min. explicatur. Non poſſunt eſſe Nota, niſi certo conſtet, eſſe vera Miracula, ſed non certò conſtat. Nam quidam ſymbolica credunt omnia, quæcunque mirabilia fecit Jeſus, itaut, cum dicitur cæcos illuminaſſe de ſpirituali illuminatione dictum intelligatur; alii apparentia judicarunt; alii magicæ arti attribuunt; alii perfectioni temperamenti; alii efficaciæ imaginationis concedunt.

Triplex genus hominum obcæcavit evidentia fidei noſtræ, nempe Gentiles Philoſophos, perfidos Judæos, & rebelles Hæreticos, qui, ne paterentur vinci luce Miraculorum, variis adinventionibus conati ſunt eadem obſcurare. Primi Philoſophicis innixi doctrinis dixerunt, illa Signa ex validæ imaginationis efficacia, qua Chriſtus potitus fuit, orta fuiſſe, adhærendo dictis Avicennæ, qui *lib.* 4. *ſexti naturalium cap.* 4. docuit, talem vim habere imaginationem, ut valeat corpora, etiam extrinſeca immutare; ſanare ab infirmitatibus, ventos, pluviaſque excitare, homines interficere. Credidit enim animam rationalem eſſe ſupra totam naturam corpoream, utpote ejuſdem ſpeciei cum natura Angelica. Quem errorem tenuit Origenes *lib.* 1. *Periar. cap.* 5., & 8.

Alii non imaginationi, ſed temperamento tribuunt, quod in Chriſto fuit ad pondus. Poſſibilem fore hujuſmodi æqualitatem temperamenti docet Galenus *lib. de temperamento, & de tuenda valetud.* Averroes 2. *de generat. commen.* 48. Et tali temperamento potitum fuiſſe Sanctum Eliam tenet Gentilis Fulginates, quem refert, & ſequitur Conſiliator *in differentia* 20. Quam ob cauſam non ſenſit læſionem in curru equorum igneorum. Volunt enim in quolibet elemento ſe abſque periculo conſtituere poſſe hominem, ſimili temperamento gaudentem, & alia portentoſa facere.

[illegible] a Gentilibus temperamento Chriſti miracula.

Verum hæc inania ſunt. I. Quia anima non eſt ejuſdem ſpeciei cum natura Angelica; illa enim eſt forma corporis, hæc eſt omnino a corpore ſeparata, nec poteſt eſſe forma corporis. II. Nec Angeli ad nutum poſſunt corporalem immutare naturam; & multo minus Miracula facere. Hæc ſuperant facultatem totius naturæ: Angeli verò nihil poſſunt contra ordinem totius naturæ, ſed ſemper agunt ſecundum ordinem illius. Qualiter verò faciant quædam inſolita, infra declarabitur. III. Miraculum eſt ſupra exigentiam totius naturæ; excellens autem imaginatio naturalis eſt; unde vis imaginationis illam nequit vincere. IV. Via imaginationis ideo A immutat corpus uſque ad ægritudinem, vel ſanitatem, quia colligatur cum anima illud corpus informante, & appetitus ſenſitivus ſubditur rationis imperio, ſed anima unius corporis non eſt forma cæterorum corporum; ergo neque imaginativa unius poteſt illa immutare. V. Nullibi legimus vi imaginativæ, vel cæcum, vel claudum, vel dæmoniacum, vel leproſum ſanatum, aut mortuum reſuſcitatum; ergo multo minus ſunt hæc ſimul, & tot concedenda a Chriſto vi imaginationis facta.

Inane pariter eſt illud de temperamento. I. Quia longe certius eſt non eſſe poſſi-B bile. Ipſa enim organorum diverſitas, & membrorum harmonia oppoſitum petit ad functiones debite peragendas. In uno intenſior frigiditas, intenſior calor exigitur in alio. Sicut unum debet eſſe mollius, aliud ſolidius. Et corpus hujuſmodi eſſet quam maxime infirmæ valetudinis, quia obnoxiis fortiter non valeret obſiſtere. II. Perfectio temperamenti naturæ limites non excedit, ſed patratio Miraculorum facultatem naturæ ſuperat, ut clare patet in mortuorum reſurrectione, & in ſimilibus. III. Temperamentum prodeſt habenti propter phyſicam unionem, & contactum: ſed Chriſtus plurima patravit in di-C ſtans abſque contactu phyſico, & quandoque etiam abſque morali; ergo. IV. Temperamentum hocce eſt longe inferioris conditionis, efficaciæ, & virtutis ad ſubſtantiam Angelicam: ſed Chriſtus plurima patravit Miracula, vincendo Dæmones, eiſque Superiorem ſe demonſtrans; ergo. V. Temperamentum ex neceſſitate operatur, ſed Chriſtus omnino libere operatus eſt quælibet miracula, ut evidenter conſtat ex modo imperativo, quo utebatur. Demum perfectio temperamenti effectum producit aptis utendo mediis; idem operatur in æqualiter diſpoſitis, & quidem phyſica actione, atque dependenter a ſubje-D cti diſpoſitione; Chriſtus autem aliter operatus eſt; ſanavit cæcum, luto liniendo oculos, in Patria ſigna non fecit, aliàs cæci, claudi, mortui non erant ibidem diverſæ conditionis; ſæpe imperando ſanitatem reddidit, ut de cæco, quam juſſit lavari in Natatoria Siloe &c.; ergo.

73 Secundi contumaces, & invidi Miracula a Chriſto facta magicis artibus attribuunt, Scribas ſecuti, qui Marci 3. dicebant Chriſtum in Beelzebub Dæmonia ejicere; hi ſunt Hebræi, quorum oculi velati ſunt, ne videant veritatis lucem. Quibus acceſſerunt Ethnici *apud Arnobium lib* 1. *contra gen-*E *tes num.* 27. dicentes -- Magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit. Ægyptiorum ex abditis Angelorum potentium nomina, & remotas furatus eſt diſciplinas -- Addi his poſſunt Waldenſes, qui miracula Chriſti phantaſtica, & apparentia fuiſſe dixerunt, prout refert N. Guido *lib contra hæreſes cap.* 25. Et Æneas Sylvius *in Hiſtoria Bohemorum cap.* 35.

Chriſtum miracula magica arte feciſſe [illegible] dicunt Hebræi.

Verum evidentis erroris hos convincit Chriſtus invicto illo argumento Marci 3. *Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?* Lucæ 11. *Omne Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur,*

&

& domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit Regnum ejus? Quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Chriſtus diſſolvit artem Magicam: non ergo magico opere Signa faciebat, dicente eodem Marc. 3. *Nemo poteſt vaſa fortis, ingreſſus in Domum diripere, niſi prius fortem alliget.* Lucæ 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet.* Secundo. Dæmones agnoverunt in his ſignis Chriſtum ſuperiorem; clamabant enim Marci 1. *Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti perdere nos*; ergo Dæmonum artibus non utebatur. Tertio. Ipſimet Judæi agnoſcebant Miracula Chriſti a Deo eſſe, ut conſtat Joan. 4., & 9., ubi cæcus a nativitate veritatem perſuadet Sacerdotibus. Et cap. 11. tumultuabant Sacerdotes, eo quod ea Signis turbæ Chriſtum ſequebantur. Et cap. 12. volunt Lazarum interficere, quia non poterant argumentum ſuperare, quod Deus eſſet, ea facto Lazari. Quarto. Finis univerſalis Dæmonum in magicis artibus eſt illis præſtigiis peccatum fovere. Sed Chriſtus utebatur Signis ad deſtructionem peccati, & ad oſtenſionem poteſtatis remiſſivæ, qua utebatur: *Ut ſciatis, quod filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralitico ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Matt. 9.

His adde. Vera mortui reſuſcitatio, cæci nati illuminatio ſuperant naturæ facultatem: ſed Dæmonum virtus, qua magicæ incantationes fiunt, intra limites naturæ detinetur: cum ergo Chriſtus illa fecerit, & alia plura; ſignum eſt, non feciſſe arte magica. Realiter verò ea feciſſe, patet ex circumſtantiis Hiſtoriæ Evangelicæ, ſicut recte ponderat Chryſoſt. *hom. 64. in Joannem.* Lazarus ſedebat in convivio cum cæteris, ut Signum daret non phantaſticæ reſurrectionis, cum poſt tot dies viveret, & comederet. Et *Homil. 63.* dicit, quod ideo Jeſus juſſit Lazarum ſolvi -- Ut eum tangentes noſcerent „ vere reſurrexiſſe -- *Hom. 36.* in multiplicatione panis ob eandem cauſam voluit, ut ſupereſſent duodecim Caniſtri. In nuptiis voluit, vinum Architriclino deferri, & guſtari. Ubi ſanavit languentem, juſſit, ut deferret lectum. Ubi leproſum mundavit, juſſit oſtendere ſe Sacerdoti. Cæcus natus deambulavit per Civitatem, ingreſſus concilium Sacerdotes confundebat &c. Non ergo apparenter eveniebant. Vel ergo dicendum erit Chriſtum totum, ejuſque vitam phantaſticam fuiſſe, vel Miracula vera feciſſe.

74 Tertii volunt Chriſti ſigna myſtica fuiſſe, ut, cum dicitur, cæcos illuminaſſe, claudos ſanaſſe, ſolum ſignificentur ſpirituales effectus illuminationis, & ſanationis.

Miracula Chriſti realia, non myſtica fuere.

Sed hæc interpretatio delirantium ſomnium eſt. Aliud enim eſt Miracula patraſſe in ordine ad finem ſpiritualem, aliud Miracula vera non fuiſſe. Quia primum verum eſt; etiam miracula neceſſe eſt eſſe vera, dicente Aug. *Serm. 44. de verbis Domini* -- Dominus „ noſter Jeſus Chriſtus ea, quæ faciebat cor„ poraliter, etiam ſpiritualiter volebat intel„ ligi; neque enim tantum Miracula, pro„ pter Miracula faciebat; ſed ut illa, quæ „ faciebat, mira eſſent videntibus, vera eſ„ ſent intelligentibus -- Et quæ ſuperius diximus, falſitatis evidenter convincunt hanc Hæreticorum interpretationem. Certe Paralyticus non bajulavit lectum ſuum ſpiritualiter, nec Architriclinus vinum guſtavit ſpiritualiter, nec Lazarus in convivio ſpiritualiter ſedit. Qua ratione nulli fas eſt prædicationem, mortem, reſurrectionem, ceteraſque actiones aſſerere reales non fuiſſe, ea quo ad effectus ſpirituales ordinabantur: ita, niſi impie ad ſenſum myſticum detorquentur Chriſti miracula, quæ quia evidentiam pariunt, qui videre lucem nolunt, ut ſuis indulgeant cupiditatibus, obcæcari permittuntur, juxta illud Joan. 12. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui revelatum eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos, hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.*

De Miraculis Chriſti inter alia monumenta teſtimonium præbet Sybilla Lybica:

Ille quidem preſſos morbis ſanabit, & omnes
Laſos, quotquot ei fident, cæcique videbunt.
Incedent claudi, ſurdiſque audire licebit.
Inſolitas multis dabitur formare loquelas.
Expellet furias, oppreſſi morte reſurgent.
Placabit fluctus; in deſertiſque locorum
Large panibus ex quinis, & piſce Marino
Millia quinque virum ſatiabit; reliquiaque
Bis ſenos cophinos implebunt Virginis alma.

Apud Lactantium *lib. 4. Divinarum inſtitut. cap. 16.* alia carmina ad idem leguntur. Joſephus *lib. 18. antiquitatum cap. 5.* de Chriſto ait -- Eo tempore fuit Jeſus, vir ſapiens; „ ſi tamen eum virum fas eſt dicere: Erat „ enim mirabilium operum patrator, & Do„ ctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, „ plurimoſque tam de Judæis, quam de gen„ tibus ſectatores habuit. Hic Chriſtus erat, „ quem accuſatum a noſtræ gentis Principi„ bus, Pilatus cum addixiſſet Cruci, nihi„ lominus non deſtiterunt eum diligere, qui „ ab initio cœperant. Apparuit enim eis ter„ tia die vivus, itaut Divinitus de eo Vates „ hoc, & alia multa miracula prædixerunt: „ & uſque in hodiernum diem Chriſtiano„ rum genus ab hoc denominatum non de„ ficit -- Refert teſtimonium hoc Euſebius *lib. 2. cap. 11.* Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 13.* Teſtaturque Baronius *ad annum Chriſti 34. num. 226.* cum Romæ conquireretur apud Hebræos teſtimonium hoc in vetuſto codice Hebraici idiomatis, ſed ex Græco translato, abraſum inventum fuiſſe, taliter quod, membrana ipſa crimen manifeſte prodebat. Mahumetes ipſe idem teſtatur in Alcorano *cap. Helbachera* -- Dedimus fi„ lium Mariæ (*Deum introducit loquentem*) „ ut faceret Miracula, & prodigia manifeſta, „ & fecimus eum per Spiritum Sanctum, &

„ inſufflavimus in Mariam de Spiritu Sancto, „ & conceptus eſt Chriſtus ea virtute Dei de „ Matre Sanctiſſima, & puriſſima ſuper om- „ nes mulieres --

SOLVITUR SECUNDUM HÆRETICORUM ARGUMENTUM, ET ASSIGNATUR DISCRIMEN VERA INTER, ET FALSA MIRACULA.

75 OBJIC. II. Nota debet eſſe propria, ſed Miraculorum patratio eſt communis falſis Eccleſiis; ergo. Min. prob inductione. Apud Gentiles legimus mortuum a decem diebus vitæ reſtitutum. Sic Plato 6. *de Republica*. Tullius *de ſomnio Scipionis*. Macrob. *in commentariis ſomni Scipionis*. Ex cinere frigido inſtauratum ignem per Æmiliam Virginem Veſtalem, ea Tiberi delatam aquam cribro per Tulliam Veſtalem ad probationem virginitatis, præmiſſa Veſtæ invocatione. Hæc Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1., *& lib.* 8. *cap.* 1. Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. Tertullianus *in Apologetico cap.* 22. Sic Calvinus *in præfat.* Moram, & tractam cingulo per Claudiam Quintiam navim, in qua ſimulacrum Matris Sybillæ phrygiæ deferebatur, alveo Tyberis ita immobiliter inhærentem; ut boum, hominumque multitudine dimoveri nullo pacto poſſet; & hæc in probationem pariter Virginitatis. Sic Livius *dec.* 3. *lib.* 9. *cap.* 35. Augurum novaculam ſcidiſſe cotem in proteſtationem certæ divinationis. Sic Cicero *lib.* 2. *de natura Deorum*, *& primo de divinat.* Plinius *de viris illuſtribus in vita Tarquinii*. Valerius *lib.* 31. *cap.* 5. Viſum cæco reſtitutum a Veſpaſiano Imperatore ſputo illinitis oculis: & Claudo greſſum, cruribus antea debilitatis. Sic Tacitus, & Svetonius in Veſpaſiano.

Omitto alia, quæ refert Valerius Maximus *lib.* 8. de ſtatuis, & brutis loquentibus. Pependiſſe in Templis Deorum tabulas, gratiarum indices fidem facit Cicero *lib.* 3. *de natura Deorum*. Et tabula quædam adhuc extans in Palatio Maffæorum, quæ erat in templo Æſculapii, inſculpta ejuſdem miracula repræſentat, de qua Dionyſius *lib* 5. *Hiſtoria*. Lucius *lib.* 1. *Decadum*. Plin. *lib.* 29. &c.

Apud Hæreticos pariter legimus, Mortuam ad vitam excitatam, donec teſtaretur, quantum deberet ejus Maritus uni creditori, ab Epiſcopo Hæretico, qui poſt mortem plura Miracula patravit apud Anaſtaſium Nicænum *in* 23. *qu.* De quodam pariter Hæretico Miracula feciſſe narrat Socrates *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 9., & Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 14. ibidem referunt aquam evanuiſſe e manibus Pauli Novatiani, cum baptizare vellet Judæum quemdam, Baptiſmum repetere volentem, irriſurum Divina Myſteria.

RESP. neg. min Ad probationem advertendum eſt Miraculum apud homines vulgares dici omne illud, quod inſolitum apparet, habetque cauſas vulgo ignotas: unde admirationem parit; non movet tamen facile ſapientes, qui noverunt plura hujuſmodi fieri naturali virtute, ingeniique labore. Ex his aliqua ſunt talia realiter; & hæc veram habent cauſam intra naturæ limites; alia ſunt apparentia, ſolentque fieri Dæmonum opere.

Mortuorum apparitiones fiunt dupliciter. Primo interius; movet enim Dæmon Phantaſiam hominis, ſenſuſque corporeos immutat, facitque illi aliquid videri aliter, ac eſt in ſe; eo proportionali modo, quo in ſomniis fiunt apparitiones, ſpecierum perturbatione. Eſtque hoc facile Dæmoni, qui per motum localem poteſt ſanguinem, cæteroſque commovere humores. Secundo exterius; Dæmon enim miro artificio, & celeritate poteſt corpus aereum efformare, in illoque apparere, illudque movere, coloribuſque taliter ornare confictis, ut videatur corpus individuum hujus, vel illius hominis. Quandoque cadaver in ſepulcro repoſitum localiter movens, vivum facit apparere. Quandoque ex aliis locis res adducit, ut animalia &c.

Sanationes vero multipliciter operatur. Aliquando, cum ſit ſpiritus tenuis, inſinuat ſe corporibus, læditque valetudinem, dicitur que ſanare, cum nocere deſiſtit. Quandoque immittit aliqua læſiva naturalia ex herbis, vel lapidibus; deinde applicatione contrariorum ſanat. Sæpe ſolum apparenter operatur; & aliquoties morbus eſt vere naturalis, ſed facile medici arte ſanabilis; cum autem noverit Dæmon vim herbarum, & lapidum, applicat iſta, & morbus evaneſcit, quomodo plura ſuperſtitioſa fiunt, vel artibus magicis, vel pacto inito. Sic Lactantius *de Origine erroris lib* 2. *cap.* 15. 16.

Advertendum II. Dari manifeſta ſigna, quibus vera dignoſcuntur Miracula, divina virtute patrata, a præſtigiis Dæmonum ex juſto providentiæ munere; ne Dæmonibus tribuatur, quod eſt privilegium Dei, & homines fallantur, falſis adhærendo dogmatibus. De quo notando pulchre, & fuſe Aug. *Libro octuaginta trium quæſtionum quæſt.* 79., ubi ſigna tradit ſequentia.

Plura ſigna unde vera a falſis miraculis diſcriminantur.

Primum ex parte finis -- Magi faciunt, „ quæ videntur, Miracula, quærentes gloriam „ ſuam. Sancti viri Miracula faciunt, quæ- „ rentes gloriam Dei -- Circulatores ergo habent pro fine terrenas opes, hominum plauſum, curioſitatem, avocare a Divinis, promovere furta, adulteria, cæteraque vitia; ſecus Chriſtus, ejuſque imitatores, Dei gloriam, virtutis exercitium, proximi utilitatem, veritatis cognitionem intendunt, immo toto Cœlo abhorrent ab his, quæ in propriam utilitatem cedunt. Hinc coram Herode ſatis cupido noluit ipſe Chriſtus Signa facere, quia ea curioſitate petebat. Noluit panem ex lapidibus facere, ne fraudulentæ curioſitati Dæmonis ſatisfaceret. incredulitatem reprehendit exoptantium Signa, cum Reguli filium ſanavit Jo. 4. v 48. *Niſi Signa, & Prodigia videritis, non creditis*. Phariſæorum malitiam redarguit ob eandem cauſam. Matth. 16. v. 4. *Generatio mala, & adultera Signum quærit; & Signum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ*. Conqueritur de turbis ſequentibus ſe ipſum propter Miracula panis. Jo. 6. v. 26. *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna: ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*: Quoniam vero vilia hæc non debent eſſe ſignorum finis,

finis, ideo ſubdit eodem cap. v. 27. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*. Hæc eſt ratio, cur pauciſſima fecerit Miracula quoad ad bonorum temporalium affluentiam; plura vero in iis, quæ ad ſpiritualem ſalutem ducunt, ut ſanationes, Dæmonum fugas, ſicut docet S. Petrus *apud Clementem lib. 3. recognitionum*. Arnobius *lib. 2. adverſus gentes*. Euſebius Cæſarienſis *de demonſtratione Evangelica cap.* 8. Fidem Chriſti etiam ſancti viri intenderunt in Miraculis faciendis, ex quo oritur

Diſcrimen aliud ex parte effectuum. Ad Signa vera ſequitur in adſtantibus admiratio, animi reverentia, laus Dei, gratiarum actio, excitatio ad virtutem, ſpes æternorum bonorum, timor ſalutaris, vitiorum horror, &c. Secus ubi magicæ fiunt ludificationes; ibi enim ſtupida quædam animi ſuſpenſio gignitur, inanis quædam oblocutio, inertiaque quædam ab bonum &c. Nec aliter eſſe poteſt, cum Dæmon non niſi malum intendat.

Tertium diſcrimen ex eodem Auguſtino loco citato -- Magi per privatos quoſdam „ contractus, boni Chriſtiani per publicam „ juſtitiam -- Præſtigiatores utuntur circulationibus, figuris ignotis, carminibus, barbaris nominibus, lineis, vocibus nihil ſonantibus, quæ non capiuntur. In cavernis ſolitarii clandeſtine actiones ſuas faciunt, cum volunt præſtigioſa patrare: quæ ſunt manifeſta indicia miniſtros eſſe Diaboli. At Dominus Noſter, Apoſtoli, & eorum ſucceſſores lucem non abhorrent. Simplici oratione cordis, vel oris, elevatione oculorum ad Cœlum, Dei invocatione, verbis intelligibilibus preces fundentes miracula patrant; ex quibus aperte conſtat Divina operari virtute.

Quartum diſcrimen ex eodem Aug. -- „ Cum autem inviti cedunt, in honorem „ Chriſti cedere coguntur -- Magi, ubi fit provocatio ad Signa facienda in conteſtationem veritatis, aut virtutis, vel nihil faciunt, etiamſi ſummos conatus adhibeant, vel ſi quid faciunt, tandem ab altera parte ſuperantur, & major illis confuſio paritur; qua ſuper re manifeſta præſto ſunt exempla. Prophetæ Baal nihil effecerunt, ubi facta eſt provocatio cum Elia Propheta. Arca Domini proſtravit Idolum Dagon. Moyſes præſtigiatores Pharaonis devicit. Petrus Simonem Magum. Paulus Elymam. S. Macarius Abbas mortui reſurrectione Eunomianum Hæreticum, qui ne confunderetur de ſua perfidia, promiſſis non ſtetit, ſed aufugit. Et ne plus juſto detineamur, ſufficiat illud quod narratur ſexta ſynodo *Act.* 15. ubi Policronius Monachus Hæreticus Monotelita ad confirmandam ſuam hæreſim ſpopondit, Catholicos provocando, mortui Reſuſcitationem, quam obtinere non potuit. Uno verbo hanc certam regulam a Domino accepimus: opus, quod magiam vincit, a magia non eſt, ſed a Deo: vera Miracula magiam vicerunt; ergo non ſunt a magia.

Quintum diſcrimen ex eodem Aug. -- „ Illi faciunt per quædam poteſtatibus con„ ceſſa ordine ſuo, quaſi privata commercia, „ & beneficia; iſti vero publica adminiſtra„ tione, & juſſu ejus, cui cuncta creatura „ ſubjecta eſt -- Ideſt magi, nonniſi in quibuſdam generibus patrant ſua opera; Chriſtiani vero univerſaliſſime in quolibet genere rerum, in terra, in aqua, in pane, in animalibus, in hominibus, in montibus, in morbis cujuslibet qualitatis; ex quo apparet non aliunde provenire, quam ex virtute illius, qui univerſaliſſimum ſupra quamlibet creaturam habet dominium.

Sextum diſcrimen huic affine eſt. Magi obſervant tempora, & loca, quibus regulariter ita alligantur, ut extra illa nihil valeant efficere. Item coram paucis ſolent ea facere, iiſque bene affectis; & plerumque ignaris: Chriſtiani vero nec tempora, nec loca, nec perſonas obſervant. Quæ univerſalitas arguit ab illo principio provenire, quod nullis legibus tenetur.

Septimum diſcrimen. Magi ſemper vitioſi ſunt, & peſſimi, & quando ſacris utuntur, ritibus profanis ea uſurpant. Chriſtiani miraculorum patratores, ut plurimum Sancti ſunt, & ſi quandoque non ſancti, ſignis tamen ſanctis ſancte, & reverenter utuntur, ut ibidem Aug. docet -- Et quemadmodum ple„ rique milites, quos imperialis diſciplina „ condemnat, ſignis imperatoriis ſui nonnul„ los poſſeſſores territant, & ab eis aliquid, „ quod publice non jubetur, extorquent: ita „ nonnunquam mali Chriſtiani, vel Schiſma„ tici, vel Hæretici per nomen Chriſti, aut „ verba, aut Sacramenta Chriſtiana exigunt „ aliquid a poteſtatibus, quibus honori Chri„ ſti cedere indictum eſt. Cum autem malis „ jubentibus cedunt voluntate, ad ſeducen„ dos homines cedunt, quorum errore lætan„ tur. Quapropter aliter Magi faciunt Mira„ cula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali „ Chriſtiani. Magi per privatos contractus; „ boni Chriſtiani per publicam juſtitiam: ma„ li Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ. Nec „ mirum eſt, quod hæc ſigna valent, cum ab „ eis adhibentur, quando etiam, cum uſur„ pantur ab extraneis, qui omnino ſuum no„ men ad iſtam militiam non dederunt, pro„ pter honorem tamen Excellentiſſimi Impe„ ratoris valent. Ex quibus fuit ille, de quo „ diſcipuli Domini nunciaverunt, quod in „ nomine ejus ejiceret Dæmonia, quamvis „ cum eis eum non ſequeretur. Cum autem „ non cedunt his ſignis hujuſmodi poteſtates, „ Deus ipſe prohibet occultis modis, cum id „ juſtum, atque utile judicat. Nam nullo „ modo ulli ſpiritus audent hæc ſigna contem„ nere: contremiſcunt hæc, ubicumque illa „ proſpexerint. Sed neſcientibus hominibus „ aliud jubetur divinitus, vel ad confunden„ dos malos, cum eos oportet confundi: „ ſicut de Scevæ filiis in Actibus Apoſtolo„ rum legimus, quibus ait immundus ſpiritus: „ Jeſum ſcio, & Paulum novi, vos autem, „ qui eſtis? vel ad admonendos bonos, ut „ proficiant in fide, atque iſta non jactanter, „ ſed utiliter poſſint: vel ad diſcernenda do„ na Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus ait; nunquid „ omnes virtutes? nunquid omnes habent „ dona curationum? &c. --

His præmiſſis, occurrimus probationibus minoris. Primo. Miracula ſunt motivum credibilitatis, quatenus aſſumuntur ad conteſta-

tio-

Digitized by Google

tionem doctrinæ, & in iis circumſtantiis, quibus fit experientia veritatis fidei. Nullum autem ea adductis factum eſt hujuſmodi; ac proinde etiamſi vera admitterentur, nihil evincerent. Ceterum non concedimus, quæ narrantur de ſtatuis, & brutis loquentibus; quandoque enim facta ſunt per artem; non quod vere loquerentur, ſed ſonos quoſdam articulatos ederent. Plurima enim ars facit ad imitationem naturæ, quæ primo aſpectu mirabilia cenſentur. Sicut de lignea columba Architæ, quæ libramentis ſuſpenſa, & vento occulte incluſo volabat per aera, ut refert Gellius *lib.* 10. *cap.* 11. Sic & de navi Archimedis plurimis ponderibus onuſta, quam levi manu ad littus traxit, ſuppoſito artificio quodam multimodæ machinæ. Sic de metallo Severini Boetii, quod mugiit: de æneo ſerpente, qui ſibilavit: de avibus ſimulatis, quæ cecinerunt: de hominibus aereis, qui buccinarunt. Quo etiam ſenſu Miracula dicuntur ſeptem orbis mirabilia. Aliquando ſimilia ope Dæmonis ficta ſunt, quod ex circumſtantiis facile detegitur. Quod canis Simonis Magi ſit locutus, & cecinerit: quod Romæ via latina ſimulacrum Fortunæ bis ſit locutum, dicens -- Rite me Matronæ vidiſtis, riteque „ dedicaſtis -- Sic apud Valerium. Quod ſocii Diomedis a Troja revertentes in aves fuerint converſi, volitarintque circa Diomedis Templum: quod Circes famoſiſſimæ Magæ ſtudio, Ulyſſis ſocii in Beſtias ſint mutati: quod Arcades tranſitu cujuſdam ſtagni converterentur in lupos, Dæmonum laboribus certo tribuitur, imaginaria ludificatione decipientium ſenſus.

Ad exemplum Tulliæ Veſtalis, ſicut Æmiliæ, & Claudiæ. Reſp. Doctor Angelicus *de potentia quæſt. 6. art. 5. ad 5.* -- Quod

Miracula in commendationem virtutis.

„ non eſt remotum, quin ſit in commendationem caſtitatis, quod Deus verus per ſuos „ Angelos bonos hujuſmodi Miraculum per „ retentionem aquæ feciſſet: quia ſi quæ bo- „ na in gentilibus fuerunt, a Deo fuerunt -- Fecit illud Deus; ergo in commendationem virtutis. Cum eodem, & D. Aug. *lib.* 18. *de Civit. cap.* 10. -- Communius dicimus, præ- „ ſtigioſum fuiſſe opus, ludificante Dæmo- „ ne, vel aquam retinente, quod utroque „ modo, virtute naturali facere valet Ange- „ lus, cum fiant hæc per motum localem „ commotæ phantaſiæ, & coordinatione di- „ verſa ſpirituum, & fumorum; ut patet in „ phreneticis, & mente captis, qui egregias „ ideas ſibi formant, & mira videre credunt: „ & ſicut aquam movere poteſt, ſic gravita- „ tem ſuſtentare -- Auguſtinus eidem Dæmonis operi tribuit ſciſſam novaculâ cotem; quamvis poſſint naturaliter gladii talis temperaturæ elaborari, qui uno ictu duriſſima partiantur, ut de enſe D. Alberti Magni legitur, qui incudem diviſit in duas partes. Quoad ſanationes Veſpaſiano tributas probat Baronius *ad annum 71. Chriſti, & 139.* confictas fuiſſe; ſicut plurima finxit Antoninus Pius, ut placeret Sacerdotibus Idolorum, & erga Deos pius diceretur, ſicut dictus eſt erga Patrem ſuum adoptivum Adrianum; cum, ut ipſum amoveret a voluntate ſe occidendi, ex quo ab hydropiſi ſanari non poterat, immiſit molitorem, virumque, qui ſe cæcos ſimulantes dicerent ei. Confide; tu ſanaberis: ſicut nos videbimus, ſi tu nos tanges. Sed vera non fuiſſe Miracula clare colligitur ex his, quæ refert Tacitus, qui interrogatos, ait, fuiſſe Medicos, an ſanabiles forent, reſpondiſſeque affirmative, ſi naturalis aliqua vis applicaretur. Exeſam non fuiſſe vim luminis, ſed aliqua impeditam tabe, quam amovit Veſpaſianus Dæmonis ope; nimia enim utebatur familiaritate cum Appollonio Tianæo, Mago celeberrimo. Tertullianus *Apolog. cap.* 22., & Lact. *lib.* 2. *de origine erroris cap.* 15., & 16. volunt id factum artificio Dæmonis ſubtiliter immiſſi, qui viſivam vim impediebat, & ad præſentiam Veſpaſiani deſiit moleſtiam inferre, ut Chriſti ſplendorem de cæco illuminato, aliiſque ſignis obtenebraret. Unde Tacitus fatetur, cæcum id poſtulaſſe monitu Serapidis. Deſerviebat hoc Magis ad decipiendos Judæos, qui Veſpaſiano adulabantur, aſſerentes ipſum eſſe Meſſiam a Divinis oraculis promiſſum, quæ & in hunc ſenſum explicabant Tacitus ipſe, Svetonius, & Joſephus. Sed cum ſumma diligentia exquiſitos occiderit quotquot reperit Hebræos de ſtirpe David, aperte oſtendit Prophetarum oracula de ipſo Veſpaſiano non fuiſſe. Ad tabellas Æſculapii reſponſio eſt facilis. Athanaſius *in Oratione de Chriſti corporali adventu*, ait -- Æſculapius „ apud ipſos in Deorum numerum eſt relatus, „ quod medicinam exercuit, & herbas laborantibus utiles animadvertit; non quidem „ eas in terra creans, ſed arte, quæ in natu- „ ra erant, eas adinveniens. Sed hæc quid ad „ acta Salvatoris? -- Miracula ergo Æſculapii, medicæ curationes fuerunt.

Quoad Hæreticos non eſt dubium, quin tentaverint ſæpe Miracula patrare, ut ſua dogmata probarent, ſcientes miraculis efficaciſſime confirmari aſſerta, ſed fruſtra. Nullibi enim legitur aliquod ſimile, ut infra videbimus. Nec aliter eſſe poteſt, cum Deus erroris teſtimonium nequeat approbare. Quædam mirabilia quandoque fecerunt præſtigiis in commendationem perſonæ, ſed detegit Deus iniquitatem. Illud concedendum eſt, Schiſmaticos, Hæreticos, maloſque Chriſtianos per ſigna publicæ juſtitiæ facere poſſe vera Miracula in commendationem veritatis publicæ, ſicut Lucæ 9. Judæus invocato nomine Chriſti ejiciebat Dæmonia; ſed virtute nominis Chriſti, & in conteſtationem veritatis tanti nominis. Et hujus generis eſt illud, quod in objectione recenſetur de Paulo Novatiano Epiſcopo. Judæus ille jam fuerat altera vice baptizatus; ad intripiendas tamen pecunias, voluit iterum baptizari, & Deus, ne Sacramentum irrideretur, aquam fontis exſiccavit, ut ipſemet Socrates, unde deſumpta eſt objectio, fatetur dicens -- Tunc Deus, „ quia noluit irrideri illud Sacramentum in „ Eccleſia jam rite ſuſceptum, non permiſit „ irriſorem baptizari, ſed continuo tota ſacri „ fontis aqua evanuit -- Pariter in commendationem Templorum contra hæreſim Manichæorum ſervavit Deus Templum, in quo ſacra exercebant Novatiani Conſtantinopoli in magno Urbis Incendio. Sic apud Socratem *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 7. Quæ duo a Dæmone æque

bene

bene fieri potuerunt. Facile enim illi eſt ignem impedire, ne accedat ad aliquam domum, & aquam ſurripere de fonte. Quare ſimilia ſunt a circumſtantiis examinanda.

SOLVUNTUR RELIQUA HÆRETICORUM ARGUMENTA.

76 OBJIC. III. Non poteſt eſſe Signum veræ Eccleſiæ, quod ab Antichriſto aſſumetur ad decipiendum etiam electos: ſed Antichriſtus veniet in Signis, & Prodigiis, ut habetur Matth. 24. Apocal. 13. 2. ad Theſſalon. 2. Rurſus nequit eſſe Signum veræ Eccleſiæ, quod æqualiter a Magis fieri poteſt: ſed quot Prodigia faciebat Moyſes in probationem ſuæ Miſſionis, fecerunt & Magi Pharaonis in deſtructionem; ergo. Item ad ſepulcrum Jeremiæ facta ſunt plura Miracula ope Dæmonum; cum facta fuerint in utilitatem eorum, qui Divinos honores tribuebant Jeremiæ. Hæc objicit Calvinus loc. cit.

RESP. Antichriſti falſa futura eſſe Prodigia Paulus expreſſe teſtatur 2. ad Theſſ. 2. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni Virtute, & Signis, & Prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt*. Et virtutem Diaboli non ſuperant, quæ narrantur Apocalypſis 13. quod, ſcilicet, imago Beſtiæ loquatur; ignis de cœlo deſcendat: & hoc ipſo quod miniſter deceptionis erit Antichriſtus, nonniſi deceptoria poſſunt eſſe ejus Portenta: ſicut advertit Origenes *lib. 2. contra Celſum*, locum citatum Pauli expendens -- Miracula, *ait*, prodigiaque mendacia,

Falſa miracula ope Dæmonis.

„ omni deceptione injuſtitiæ ad perdendos ho-
„ mines efficacia. Miraculorum vero Chriſti,
„ ejuſque diſcipulorum fructus erat, non de-
„ ceptio, ſed ſalus animarum. Quis enim
„ probabiliter diceret, emendationem vitæ
„ quotidianæ, a vitiis ad virtutem profectus
„ naſci a deceptionibus? --

Ad ſecundam inſtantiam de Magis Pharaonis negatur aſſumptum. Patet enim ex contextu Scripturæ Moyſem feciſſe Miracula virtute Divina, quod teſtati ſunt ipſimet Magi dicentes (*Digitus Dei eſt hic*); Magos vero ope diaboli. Patet, & Moyſem plura feciſſe numero, & potentia, cum prævaluerit contra incantationes Ægyptiacas. Qualiter autem potuerint virtute ſua Dæmones illa tria priora facere, haud difficile eſt explicare. Qui dicunt hæc per ludificationem imaginariam eveniſſe, facile ſe expediunt; ſed non ita congruenter ad ſcripturam, quæ ſuſtinendo eundem tenorem verborum loqui videtur pariformiter de Magicis, & Moſaicis. Converſio virgarum facta eſt celeri applicatione quorundam ſeminum putrefacientium, ita, & ranarum progerminatio. Et habemus exemplum planum in æſtivis pluviis, quarum ſtillicidia in ſiccum pulverem cadentia, uno momento fiunt animalia. Præterquam quod potuerunt inſtantanee ab aliis locis adduci a Dæmone, ſicut adducta fuit aqua ex vaſibus, & ſtagnis Hebræorum, quæ mediis agentibus corruptivis verſa eſt in ſanguinem. Sic D. Thom. *de potentia qu. 6. ad 8., de malo qu. ultima art. 9. ad 10.*

Cur vero permittat Deus a Pſeudoprophetis pleraque fieri ad ſimilitudinem Miraculorum, quæ fiunt virtute Divina, aureo eloquio occurrit Chryſoſtomus *homil. 46. in Acta Apoſt.* Ad triumphum ſcilicet evidentiorem veritatis, quæ oppoſitione lucidius fulget; ſicut morbus ſanitatem magis demonſtrat & tenebræ lucem, & tempeſtas tranquillitatem: ſicut ſub lege ex conſpiratione Pſeudoprophetarum veri Prophetæ illuſtriores facti ſunt. Non poſſunt Gentes dicere, quod Apoſtoli Magi fuerint, & Impoſtores; cum hoc genus hominum adverſum habuerint, & devictum. Et ne Magus diceretur Moyſes, permiſit Dominus aliquid Magis, ut omnes diſcant, quanta imponat ſenſibus Magia; ſed non permiſit ulterius progredi, ne deceptionis daretur occaſio. Eandem fere rationem affert Theodoretus *quæſt. 18. in Exodum*. Congreſſum permiſit Dominus, ut ex diſcrimine operum inter utrumque pateret Moyſem non eſſe Magum: unde, etſi utrorumque virgæ converſæ ſint in colubros; virga tamen Moyſis abſorbuit ſerpentes Magorum. Converterunt & illi aquam in ſanguinem; ſed iterum in aquam reddere non valuerunt.

Cur miracula fieri permittat Deus a Pſeudoprophetis.

Secundò permiſſa ſunt ad punitionem iniquorum, qui perfracte obſiſtunt veritati, ejuſq. motivis. Hi permittuntur a Domino mendaciis circumveniri, & curioſitatibus detineri; & inde in falſa dogmata prolabuntur, & vitia. Sic docet Paulus ſubſequenter ad citata verba 2. Theſſal. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio; ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati*.

Tertia ratio eſt electorum probatio. Permittit Deus a Pſeudoprophetis deceptoria prodigia fieri, ut ſolidetur piorum fidelium pietas, exploreturque eorum virtus; & ad lydium lapidem examinetur, an ſpes æternorum deficiat ad rerum iſtarum præſentiam. Qua ratione Deuteronomii 13. prædicuntur impoſtores, ut Judæorum mentes explorarentur, utrum ſincere Deum verum colerent.

Quarta ratio. Nec ſingulis Sanctis, nec ſolis concedit Deus Miracula, vel ſaltem Mirabilia operari, ne infirmi decipiantur falſa credulitate, in iſtis dona præſtantiora conſiſtere, non autem in operibus juſtitiæ; & ideo Chriſtus dixit Apoſtolis: *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis*. Luc. 10.

Ad tertiam. Petimus a Calvino, ex quo fonte didicerit, Jeremiæ tributos fuiſſe Divinos honores ab hominibus, veram legem noſcentibus; & ob hoc Miracula feciſſe, ac proinde eſſe a Dæmone? Nos enim nullibi hæc legimus. Præfatiuncula Hieronymi *in comment. hujus Prophetæ*, vel translationis nihil de hoc habet. Ea, quæ apponitur in Bibliis Benedicti, nec eſt Hieronymi, nec de Divinis honoribus mentionem facit, quamvis de Miraculis agat. Epiphanius *in epitome vitæ hujus Prophetæ* dicit, ad ſepulcrum ejus facta beneficia, quod aſpides, & aquarum beſtiæ fugarentur, & propter hoc Ægyptios poſtea magna Religione eum coluiſſe. At quod Ægy-

ptii

Digitized by Google

pti coluerint magna Religione, quid inde ad Divinos honores? Quid inde ad fideles; ſi Ægyptii Idololatræ erant? De fidelibus ſubdit -- Quique vel hodie adhuc fideles compe- A
„ riuntur, eodem in loco ſupplicare conſue-
„ verunt, & ſumpto pulvere morſibus aſpi-
„ dum medentur -- Hi porro non ſunt Divini honores.

77 OBJIC. IV. Signum deceptorium non eſt Nota veræ Eccleſiæ: ſed Miraculum eſt Signum deceptorium: unde Aug. *tract.* 13. *in Joannem* circa finem ait -- Ergo nos cau-
„ tos fecit ſponſus, quia & Miraculis decipi
„ non debemus -- affertque ſcripturam, qua prædicitur futuros Pſeudoprophetas, qui Miraculis inducent in errorem fideles: quo argumento pariter utitur Chryſoſtomus *in Homil.* 49. *Imperf.* In illa verba: *Surgent Pſeudochriſti* -- In illo tempore concedenda eſt po- B
„ teſtas Diabolo, ſicut in hiſtoria Clementis
„ Petrus exponit, ut faciant Signa utilia, &
„ ex ea parte, quæ prius facere conſueverunt
„ Sancti, ut jam miniſtros Chriſti, non per
„ hoc cognoſcamus, quia utilia faciunt ſigna--

Deinde, Signum debet manifeſtare ſignatum: ſed Miracula non manifeſtant Eccleſiam, ſed potius e contra, dicente Aug. *lib. de unitate Eccleſiæ cap.* 19. -- Quæcunque talia in
„ Catholica fiunt; ideo ſunt approbanda,
„ quia in Catholica fiunt: non ideo ipſa ma- C
„ nifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt --
Ex quo infert non eſſe attendendum, nec ad Miracula, quæ fiunt ex parte Donati, nec quæ fiunt ex parte Catholicorum.

Verum miraculum nequit decipere.

RESP. neg. min. Miraculum verum nequit decipere: locutio enim Dei eſt, qui nec fallit, nec fallitur. Ad Aug. reſp. prius declaraſſe non eſſe Miracula mirabilia illa, quæ jactabant Donatiſtæ facta fuiſſe a Pontio, & a Donato, unde ſubdit -- Nemo ergo vobis
„ fabulas vendat. Et Pontius fecit Miracu-
„ lum, & Donatus oravit, & reſpondit Deus
„ de cœlo primo; aut fallunt, aut falluntur--
Et quia prædixit Dominus, futuris Antichri- D
ſti temporibus, fideles mirabilibus decipiendos, ideo nos cautos fecit dando certius Signum, charitatem videlicet. Quare bene Donatiſtas urget dicens -- Tu formam oſtendis:
„ ego radicem quæro. De forma fructus non
„ exit, niſi ubi eſt radix -- Quibus oſtendit charitatem eſſe Signum ex D. Paulo. Deinde addit -- Videamus utrum habuerit chari-
„ tatem, crederem, niſi diviſiſſet unita-
„ tem &c. poſtremo fac illum montes tran-
„ sferre, charitatem autem (*inquit*) non
„ habeam, nihil ſum -- Ulterius concedit, quod etiam Schiſmaticus poſſit facere vera Miracula, charactere tamen Chriſti, & E
Religionis Catholicæ -- Quia aliquando, &
„ deſertor terret Provincialem, ſed utrum
„ in caſtris ſit, & proſit illi character ille
„ in aliquid, quo ſignatus eſt, hoc attendit,
„ qui terreri, & ſeduci non vult -- Egregie ſane. Attendendum eſt igitur, quo nomine, & in cujus conteſtationem hæc fiant, & videbimus, quando vera fiunt, nonniſi in nomine Chriſti, & in conteſtationem veritatis Catholicæ fieri. Eundem fere diſcurſum exorditur *loco cit. de unitate Eccleſiæ*, ubi pariter præmittit ſomnia eſſe mendacia, & portenta fallacium ſpirituum, ea, quæ proferebant Donatiſtæ. Ut tamen brevibus armis eos concluderet, ad Scripturas provocat, ad hominem arguendo, tranſmiſſis hinc inde Miraculis, quæ poſſent adduci; quia an vera ſint, judicari debet per Eccleſiam. Quare, ne tempus teratur inutiliter in expenſione Miraculorum, & ſomniorum, Scripturas aſſumit, quas ipſi admittebant. Qua etiam ex cauſa non vult, quod attendamus, quid dicat Optatus Milevitanus, quid Ambroſius; & concludens de Scripturis, ait -- Hæc ſunt cauſæ
„ noſtræ fundamenta: hæc documenta: hæc
„ firmamenta -- Quia ſunt fons primarius per modum Canonis omnium quæſtionum decidendarum inter eos, qui Verbum Divinum admittunt: Miracula vero non pertinent ad motiva, quibus primo innititur fides noſtra. Ceterum contra Manichæos negantes Scripturam veterem, & novam falſatam teſtantes, ex Miraculis, utpote admiſſis a Manichæo, demonſtrabat Eccleſiam Auguſtinus *lib. contra Epiſtolam fundamenti cap.* 4. Quare ſicut per cauſam demonſtratur effectus, & per effectum cauſa, ita Miracula per Eccleſiam, & Eccleſia per Miracula; itaut Eccleſia demonſtretur per Miracula quoad evidentiam prudentialis certitudinis, & credibilitatis, Miracula verò per Eccleſiam certitudine rei: eſt enim Eccleſia columna veritatis.

78 OBJIC. V. Nota veræ Eccleſiæ debet eſſe indiviſibilis ab Eccleſia: ſed ſtat veritas Eccleſiæ abſque Miraculis; dicit enim Aug. *de Relig. capit.* 25. nunc non fieri, nec eſſe neceſſaria -- Nec Miracula illa in noſtra
„ uſque tempora durare permiſſa ſunt, ne
„ animus ſemper viſibilia quæreret, ac eo-
„ rum conſuetudine humanum genus frige-
„ ſceret -- Et Chryſoſt. *homil.* 49. *in Matth.* dicit ſuo tempore Miracula ablata fuiſſe, & extitiſſe apud falſos Chriſtianos.

Virtus miraculorum perpetua in Eccleſia.

RESP. neg. min. Virtus enim Miraculorum eſt perpetua in Eccleſia; eſt enim una ex gratiis gratis datis, quas dividit Spiritus Sanctus in æternum permanens in Eccleſia; eorum actualis patratio ab initio uſque ad noſtros dies ſemper eſt data, cujus fidem faciunt, nedum Annales noſtri, ſed Centuriæ Hæreticorum. Nec ſunt inutilia, quia deſerviunt ad excitandos fideles ad fervorem devotionis, ut conſtat ex frequentia populorum ad venerandas Imagines Miraculis celebres. Non ſunt quidem ſimpliciter neceſſaria fidelibus, quia jam ſatis confirmata eſt fides. Summa autem temeritate trahitur Aug. in pravum ſenſum: pluribus enim a locis fatetur ſuo tempore ad ſepulchra Sanctorum facta Miracula, & *lib.* 1. *retractationum cap.* 13. expreſſe aſſerit, quando ſcripſit librum illum de Religione, ad ſepulchra Martyrum Mediolanenſium cæcum fuiſſe illuminatum: & alia plura tunc temporis facta, quod vix poſſent præ multitudine numerari. Quare locus citatus in objectione loquitur de illa frequentia, & modo, quo primitus fiebant, ut quod viſibiliter deſcenderet Spiritus Sanctus ſupra caput Baptizatorum: ut Prædicatores loquerentur linguis omnium gentium: ut eorum umbrâ ſanarentur infirmi, ſicut explicat *loco cit. retract.* Eadem temeritate deturpatur Chri-

fuſto-

ſoſtomus, qui in oratione adverſus Gentiles aſſerit ſuo tempore fere in dies ſingulos contigiſſe Miracula. Loquitur ergo ibi de frequentia, & ſi librum illum Chryſoſtomi admitteremus, quem eſſe impoſtoris oſtendunt Baronius, Bellarminus, & alii, & ſeipſum prodit, cum ſint in eo palpabiles errores.

CONTROVERSIA VIII.

AN ESSE APOSTOLICUM SIT NOTA ECCLESIÆ.

79 QUamvis eſſe Apoſtolicum imponet quinque illos reſpectos, quos *Diſput. præced. Contr. ultima* expendimus; hic nihilominus accipitur, prout dicit Antiquitatem, ideſt legitimam ſucceſſionem Paſtorum conſentientium abſque interruptione cum fundamentis Eccleſiæ, ſcilicet Apoſtolis, & eorum immediatis Diſcipulis, Directe Nota hæc videtur ſolum utilis pro invenienda vera Eccleſia iis, qui jam Chriſto crediderunt, & ejus Eccleſiam admittunt, & noverunt. Verum taliter illam exponemus, ut pro Gentilibus etiam deſervire valeat.

Hæretici irrident Notam iſtam, utpote nimis evidentem pro demonſtranda falſitate ſuarum Sectarum, ut quod vincere nequeunt veritate, ſubſannationibus obſcurent, Calvinus *lib. 4. Inſtitut. cap.* 2. §. 2. tanta luce obcæcatus, illam impio conatu aggreditur, & ſuperbo victoriæ faſtu ait -- Perpetua Succeſſione Epiſcoporum conſervatam fuiſſe Eccleſiam, ne intercideret, commemorant. Quanti hanc Succeſſionem fecerint Irenæus, Aug., & alii: quam frivola ſint iſta, & plane ludicra, faciam, ut nullo negotio intelligant ii, qui mecum &c. -- Quem ſequitur Mornay *tract. de Eccleſ. cap.* 3. Sadael *contra Turrianum*. Frycub *diſp. Lypſica cap.* 7. Muſculus *in locis communibus*. Iſaac Cheironius *reſponſ. ad Porſanum cap. de ſucceſſione*, & alii de Secta Calviniſtarum, quorum veſtigia ſecutus eſt Marcus Antonius de Dominis *lib.* 1. *de Republica cap.* 1., & *lib.* 2. *cap.* 5. Melancton *in locis communibus cap. de Eccleſ.* habet -- Quare cum hæc nomina audio: Succeſſio ordinaria, Poteſtas interpretationis, Poteſtas ferendarum legum: ſcias inſidias veræ doctrinæ ſtrui, & quæri prætextus ad ſtabiliendos errores in Eccleſia -- Idem ſentit Brentius *in prologomenis*, quos præceſſit eorum parens Lutherus *in colloquiis*. Contra quos

Dico eſſe Apoſtolicon Nota eſt veræ Eccleſiæ.

80 PROB. I. Eccleſia eſt deſponſata Chriſto in fide in ſempiternum Oſeæ 2., ſed fides in ſuo conſervari dependet a Paſtoribus; ergo Eccleſia Paſtores debet habere ſibi invicem ſuccedentes; ergo ille cœtus, in quo dignoſcitur legitima, & non interrupta Succeſſio Paſtorum, ea eſt vera Sponſa Chriſti; ergo Succeſſio legitima eſt vera Nota Eccleſiæ. Min. principalis eſt manifeſta in Scripturis. Jeremiæ 3. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina.* Ad Eph. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* 2. ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti.* Ad Rom. 10. *Fides ex auditu &c. quomodo audient ſine prædicante &c.*, & alibi ſæpe. Clavi Eccleſiæ non removebuntur in ſempiternum. Iſaiæ 33. *Reſpice Sion Civitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur*; ſed Clavi ſunt Paſtores. Eccleſiaſtis 12. *Verba ſapientium, ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno*; ergo Paſtores non debent in Eccleſia deeſſe; ergo ubi oſtenditur legitima Succeſſio ab initio uſque ad noſtra tempora, expreſſe demonſtratur ibi Eccleſiam adeſſe.

Fides a Paſtoribus dependet.

81 PROB. II. Eccleſia comparatur in Scripturis ovili, civitati, familiæ &c., ſed ſicut non conſervatur ovile, niſi ſuccedant oves ovibus; civitas, niſi cives civibus; familia, niſi domeſtici domeſticis; ita niſi Paſtores Paſtoribus ſubrogentur, gubernatoribus gubernatores, Patres familiæ Patribus; ergo neque Eccleſia durabit, niſi oves, ſeu fideles in locum deficientium ſubintrent, & Paſtoribus Paſtores ſuccedant.

Succeſſio Paſtorum ſervat Eccleſiam.

82 PROB. III. Ingenitum eſt cuilibet hominum nationi genealogiis ſanguinis puritatem demonſtrare; ergo legitima Succeſſio Paſtorum, optimum eſt argumentum, ut compertum fiat, ubi vera reperiatur Eccleſia. Anteced. conſenſu omnium populorum indubium eſt, qui ob hoc ſolliciti ſunt de efformanda nobilitatis arbore, quæ texitur per capita generationis. Hinc Ruth. 4. per genealogiam demonſtratur origo David a Phares. Hinc Paralipom. primo, multæ inteſuntur genealogiæ ad demonſtrandum, ex quali Tribu, & familia eligendus eſſet Sacerdos. Et ibidem Pontificum linea ducitur ordine recto ex una familia, & connexio ex aliis, ut ea Sacerdotii Succeſſione, ſynagogæ veritas demonſtretur. Hinc, ut ait Euſebius *lib.* 1 *Hiſt. cap* 7. Herodes, ut ſe legitimum defenderet Principem Hebræorum, cum eſſet alienigena, ad occultandam ſuam originem, incendere ſtuduit omnes Judæorum genealogias. Et Matth. 1. Ut oſtendatur Chriſtum eſſe ex Abraham generationes referuntur ab Abraham uſque ad Chriſtum. Rectus ergo modus eſt demonſtrandi Eccleſiam ex legitima Succeſſione Paſtorum in eadem fide ab Apoſtolis ad nos. Hanc genealogiam prædixit, & narrat Iſaias 59. *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus amodo, & uſque in ſempiternum.*

Origo Gentium per Genealogiam.

Hoc argumento uſus eſt Ptolomæus, ut judicaret de vero Dei Templo inter Samaritanos, & Judæos; an Jeroſolymis, an Garizim.

ſim. Orator Judæorum cauſam ſuam promovebat Succeſſiona Pontificum perpetua, qui Jeroſolymis obtulerant ſacrificia. Legati Samaritanorum, cum Succeſſionem nequirent demonſtrare, a Rege pœna capitis mulctati ſunt, tanquam ſupplantatores. Sic Joſephus *lib.* 13. *Antiquitatum cap.* 6. In lege nova Sacerdotio Aaronico ſucceſſit Sacerdotium conſecrationis, ſed in Sacerdotio Aaronico nullus erat legitimus, niſi deſcenderet per generationem temporalem ex Levi; ergo in Sacerdotio Chriſti nullus eſt legitimus, niſi qui recto ordine deſcendit ab Apoſtolis; ergo ubi reperitur ordo iſte legitimæ Succeſſionis, ibi adinvenitur Eccleſia a Chriſto per Apoſtolos fundata.

83 PROB. IV. Antiquitas durationis permanentis eſt Signum veritatis; ſed Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, & Succeſſionem habere incorruptam ſonat doctrinæ permanentis antiquitatem; ergo eſt Nota veræ Eccleſiæ. Maj. declaratur. Prior eſt veritas, quam falſitas; hæc enim eſt a veritate obliquitas. Antiquitas rebus quandam venerationem conciliat, ſed falſitas incorruptionem non dicit; cito enim diſſolvitur, & evaneſcit, ſecus veritas. Duratio permanens, præcipue varia inter diſcrimina, arguit rem eſſe bene fundatam, ſed falſitas non eſt bene fundata; ergo duratio permanens in aliqua doctrina arguit illam eſſe veram, præſertim cum Doctrina illa præciſe dependeat ab auctoritate, idest, cum ab uno primo auctore ad ceteros derivat; quo enim plus ab illo elongatur, & per plures tranſit, periculum eſt, ne ſuam puritatem amittat: ſi ergo incorrupta perſeverat; Signum eſt eſſe ab auctore immobiliter illam conſervante, qui ſolus Deus eſſe poteſt.

Falſitas facile evaneſcit.

Ulterius probatur illa major. Novitas ex communi vulgato axiomate ſemper fuit de veritate ſuſpecta; ergo Antiquitas doctrinæ argumentum eſt veritatis. Antecedens notum eſt; & ideo ſemper nationes, ut præſtantiam, & excellentiam ſuam ſupra ceteras declararent, ab Antiquitate pondus acceperunt. Ob hanc cauſam Joſephus ſcripſit 20. libros de Antiquitate Judaica, & duos contra Appionem, contra adverſarios, velut fabuloſam accuſantes Religionem, quia novam. Quo argumento uſus eſt Gamaliel Act. 5. In Concilio Seniorum inquirentium quid faciendum eſſet de Apoſtolis, Chriſtum Evangelizantibus. Judicavit enim eſſe dimittendos, quia nova illa Religio, ſi a Deo non eſſet, cito diſſolveretur. Primo exemplo Theodæ, qui novam Religionis formam induxerat, & Populum ſibi fecerat quingentorum virorum, ſed brevi diſſipati fuere. Secundo exemplo Judæ Galilæi, qui tempore profeſſionis avertit populum poſt ſe, ſed & ipſe periit, & ſui diſperſi ſunt. Deinde concludit -- Sinite illos, „ quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, „ aut opus, diſſolvetur: ſi vero ex Deo eſt, „ non poteritis diſſolvere illud, ne forte & „ Deo repugnare inveniamini --

Antiquitas argumentum veritatis.

Hoc argumento uſi ſunt Gentilium ſapientes, ſemper antiquas Religiones venerati, ut Chriſtianos perderent, de novitate redarguentes eum, ut habemus apud Origenem *lib.* 1. *contra Celſum ſub initio*, apud Euſebium *lib.* 1. *de præparatione Evangelica cap.* 1., & Symachus, poſt ceteros Imperatores apud Amb. *lib.* 3. *Epiſt.* 31. -- Si longa ætas auctoritatem Religionibus faciat, ſervanda eſt „ tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis „ parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuas --

Hoc argumentum adoptarunt Hæretici noſtri ad reprobandas Sectas, quæ ab ipſis exierunt. In Protocollo Frankentalenſi habemus Theologos Heidelbergenſes, his novos Arrianos, & Anabaptiſtas redarguentes -- Si „ vos Eccleſia Dei ſitis; ſequitur, Deum ſine „ populo, & Eccleſia fuiſſe &c. Nam, ſi vel „ omnes hiſtorias perlegaris, nullum ab exordio mundi populum invenietis, qui con„feſſionem fidei veſtræ ſimilem habuerit: „ Quin verò, neque Deus a principio ſine „ populo, & Eccleſia; nec ſempiternus illa „ Rex Jeſus Chriſtus ſine Regno fuit. Ve„ſtra autem Congregatio primo anno 1521. „ cœpit; ſequitur, vos veram Dei Eccleſiam „ eſſe non poſſe -- Beza eodem diſcurſu ſimiliter Arrianos novos urget *Epiſt.* 16. *Theologica editionis Genevenſis* 1573. -- Ubi tandem „ fuerit unquam Eccleſia, ipſos tandem oſten„dere jubemus: cum a propagato Evangelio „ facile ſit demonſtrare, nullum unquam „ ejuſmodi quidquam ſcoſiſſe, quin perpe„tuo Eccleſiæ conſenſu fuerit damnatus -- Quam doctrinam didicit a ſuo magiſtro Calvino *in tract. Theolog.*, *& in refutatione errorum Serveti*, quem comburi juſſit -- Diutur„num (*ait*) quod fingis Eccleſiæ e terris exi„lium, non attigi, quo Deum plane men„dacii coarguis &c., qui ſemper aliquem „ ſibi populum fore promiſit, quamdiu Lu„na, & Sol in Cœlo fulgebunt. Scimus, „ quid paſſim de æterno Chriſti Regno te„ſtentur Prophetæ -- Ecce qualiter ex novitate, & carentia Succeſſionis, vel ipſi fidei hoſtes falſitatem colligant Religionis.

84 PROB. V. Naturali lumine deducitur, Deum fuiſſe ſapientem Architectum, & proviſorem ſuæ Eccleſiæ in ſempiternum duraturæ: ſed ſapientis Architecti, & proviſoris eſt providere Columnas, quibus innitatur, ut non cadat ædificium; ergo debuit Deus providere, ne in Eccleſia deficerent Paſtores, quibus, velut Columnis fulciretur fidei ædificium, propagaretur, atque expurgaretur ab erroribus. Ad hunc verò finem neceſſe eſt, quod interruptim ſuccedant in eodem Spiritu. Cui conſentiens Chryſoſtomus, in illa ad Corinth. 12. *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſia*, ait -- Propterea tot, tantique dati „ ſunt Eccleſiæ Dei fabri, & Architectores, „ ne illius ædificium conquaſſaretur, neve „ fluctuet, aut vacillet -- Ideo argumento legitimæ Succeſſionis utuntur Sancti Patres pro veritate Eccleſiæ oſtendenda.

Ne deficiat Eccleſia, ſucceſſio neceſſaria.

Irenæus *lib.*4. *cap.*20. -- Ubi igitur Chriſ„mata Domini poſita ſunt, ibi diſcere op„portet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt „ ab Apoſtolis Succeſſio -- *Et cap.* 43. -- Eis „ in Eccleſia Presbyteris obedire oportet, „ qui Succeſſionem habent ab Apoſtolis -- Origenes *lib.* 1. *Periarchon* -- Cum multi ſint, „ qui ſe putant ſentire, quæ Chriſti ſunt; „ & nonnulli eorum diverſa a prioribus ſen„tiant; ſervetur verò Eccleſiaſtica prædica-

„ tio

Google

„ rio per Succeſſionis ordinem ab Apoſtolis „ tradita ; & uſque ad præſens in Eccleſiis „ permanens -- Cyprianus *Epiſt. 27. ad lapſos* -- Novatianus in Eccleſia non eſt, nec „ Epiſcopus computari poteſt, qui Evange- „ lica, & Apoſtolica traditione contempta, „ nemini ſuccedens a ſeipſo ortus eſt -- Hieron. *contra Lucifer. cap. 11.* -- In illa Eccle- „ ſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fun- „ data, uſque ad hanc diem durat -- Sic & alii.

Id probe agnoverunt Novatores, licet perperam doctrinam adoptent. Lutherus *lib. de Concil.* fatetur habere Paſtores Notam eſſe veræ Eccleſiæ. cum autem debeant eſſe perpetui, neceſſe eſt admittere legitimam Epiſcoporum Succeſſionem. Calvinus *in lib. de vera ratione reformandi Eccleſiam* habet -- Ec- „ cleſiam Dei quærimus, fatemur omnea ſic „ propagatam ab initio fuiſſe, ut continuo „ ſeculorum ordine ad nos uſque duraverit -- *Lib. 4. Inſtitut. cap. 1. §. 11.* -- Sic enim mi- „ niſterium Chriſtus in Eccleſia ordinavit; ut „ illo ſublato illius ædificatio pereat -- *Cap. 2. §. 3.* -- Ad conſervandam Eccleſiam Chriſti „ in terris magis eſt neceſſarium Paſtorale „ munus, quam cibus, & potus ad conſer- „ vandam præſentem vitam -- *Et cap. 7. §. 11. 12. 13. 14. 15. 16., & in Iſaia cap. 59.* eandem neceſſitatem inculcat. Beza *Serm. in Cantic. Angliæ* -- Futuri ſunt in Eccleſia Paſto- „ res, & Doctores uſque ad conſummatio- „ nem ſeculi, qui Verbum Dei, & Sacra- „ menta hominibus porrigant -- Fulco *contra Heskinum Sanderum pag. 536.* -- In Ec- „ cleſia ſemper erunt Paſtores, & Doctores „ uſque ad conſummationem ſeculi -- Huppius Lutheranus *tom. 1. cap. 15. de auctoritate Sacræ Scripturæ* -- Solari luce clarius effulget, „ continuam, & nullo unquam tempore in- „ terruptam fuiſſe ſucceſſionem Eccleſiæ Chri- „ ſti -- Saravia *in defenſione tractatus de diverſis miniſtrorum gradibus fol. 10.* -- Epiſco- „ pos, & Epiſcoporum Succeſſionem, in „ dubium revocare, quo magis cogito, eo „ magis, magiſque ad ſtuporem admiror -- Fieldus *lib. 2. de Eccleſ. cap. 6.* Wictakerus *lib. de Eccleſ.* Zanchius *de vera Religione*. Reinaldus Porritanorum Oraculum collat. cum Harto, & alii aſſerunt Succeſſionem Epiſcopalem fuiſſe optimam Eccleſiæ Notam uſque ad tempus, quo Eccleſia Romana a fide deficere cœpit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

86 OBJIC. I. Calvinus. Ad Galat. 4. Eccleſia Chriſti figurata eſt in Iſaac. *Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus*. Sed Iſmael erat antiquior Iſaaco; ergo Antiquitas non eſt Nota veræ Eccleſiæ.

RESP. neg. min. Iſmael enim, ſeu ancilla non figurabat falſam Eccleſiam, ſed teſtamentum vetus, quod præceſſit novum, ſed cum eſſet umbra futurorum, temporale erat, transferendumque in legem Chriſti, ideo ejectum dicitur. Patet totum aperte ibi in littera Apoſtoli, itaut omnino fraudulentus interpres appellandus ſit Calvinus.

Vetus Eccleſia in Iſmaele figurata.

87 OBJIC. II. Brentius. Succeſſioni non eſt alligata puritas verbi Dei; ergo ex Succeſſione non colligitur Eccleſiæ veritas. Prob. anteced. Filii Heli erant legitimi Succeſſores in ſummo Pontificatu, ſed in filiis Heli non erat puritas doctrinæ. Scriptum enim eſt 1. Regum 2. verſ. 12. *Porro filii Heli, filii Belial neſcientes Dominum*. Rurſum Iſaiæ 28. dicitur: *Sacerdos, & Propheta neſcierunt*. Sed hi prioribus ſuccedebant Sacerdotibus, & Prophetis; ergo.

RESP. neg. anteced. Loquendo de legitima Succeſſione. Ad probationem, negatur ſuppoſitum. Nunquam enim filii Heli fuerunt Summi Sacerdotes; mortui enim ſunt ante Patris obitum, cui erat alligata puritas doctrinæ, ut capiti genealogiæ. Deinde falſa eſt minor. Nullibi in Scriptura Sacra reprehenduntur, ut a Doctrina aberrantes, ſed ut improbi, qui furabantur carnes deſtinatas Sacrificiis, ob quod retardabantur populi a Sacrificiis; & hoc innuunt verba illa Scripturæ. Locus pariter Iſaiæ loquitur de defectu morum. Reprehendit enim ibi vitium ebrietatis in Sacerdotibus, & Prophetis, qui repleti vino crimina, & præcipue injuſtitias in judicando perpetrabant.

88 OBJIC. III. Iterum Brentius. Legitima Succeſſio importat legitimam conſecrationem poſteriorum a prioribus, ſed ſine hac conſecratione ſtat vera Eccleſia, & cum hac non ſtat; ergo Succeſſio non eſt Nota veræ Eccleſiæ. Minor prob. Caiphas numerare poterat prædeceſſores ſuos, uſque ad Aaron, & tamen cœtus Caiphæ obediens non erat vera Eccleſia: a Caipha non petierunt conſecrationem Apoſtoli, ſub quibus erat vera Eccleſia; ergo poſſunt dari veri Epiſcopi non Succedentes prioribus; ergo ex legitima Succeſſione non colligitur veritas Eccleſiæ.

RESP. neg. min., cujus probatio oſtendit depravatam Hæretici mentem. Sacerdotium Aaronicum fuit legitimum, & legitimæ Synagogæ argumentum, quamdiu non fuit Chriſti adventu abrogatum: etenim uſque ad illud tempus erat promiſſum, & ſtatutum a Domino. Sub temporibus autem Caiphæ Chriſtus advenerat; unde Caiphæ Succeſſio argumentum erat veritatis Synagogæ ab ipſo uſque ad Aaron, non vero ab ipſo ad Legem Chriſti. Quapropter, cum Chriſtus novum Sacerdotium attulerit, Apoſtoli, qui ſunt Miniſtri novi Teſtamenti, conſecrationem ab eo petere debuerunt, & ab Apoſtolis reliqui ſucceſſive.

Chriſti adventu ceſſavit Sacerdotium Aaron.

89 OBJIC. IV. Antonius Sadael. Stat veritas Eccleſiæ, deficiente legitima Succeſſione Sacerdotalis lineæ; ergo legitima Succeſſio non eſt argumentum aptum pro invenienda Eccleſia, ſeu Sponſa Chriſti. Ant. prob. In Eccleſia Iſraelitica interrupta fuit linea Sacerdotalis, ſed nihilominus deliteſcebat Eccleſia in ſeptem millibus, qui non curvaverant genu Baal; ergo.

Argumentum hoc ſæpe, & ſemper inſulſe promovetur ab Hæreticis. Falſa eſt probatio antecedentis: Populus Iſraeliticus dividebatur in duo Regna, Iſrael ſcilicet, & Ju-

 dæ.

Digitized by Google

dæ. Licet in Regno Iſraelis defeciſſet ex majori parte cultus veri Dei, in Regno tamen Judæ florebat ſub temporibus Eliæ, & Jeremiæ. Quapropter ſtabat corpus Synagogæ, vigebat Sacerdotium, frequentabantur Sacrificia, a quo corpore non erant ſeparati in Divinis illa ſeptem millia virorum, qui non curvaverant genu Baal. Deinde ubi invenit Sadael in illis nullos fuiſſe Sacerdotes?

90 OBJIC. V. Mornay. Succeſſio legitima, qua demonſtratur Eccleſiæ veritas, vel eſt locorum, vel perſonarum. Non locorum, quia Templum Jeroſolymitanum deſtructum eſt, & tamen non defecit Synagoga. Papa octuaginta annis ſedit Avenione; & tamen ſtetit Romæ Eccleſia. Non perſonarum, quia Jeremiæ 8. Sapientes, & Scribæ declinaverant a veritate; ergo Succeſſio non eſt Signum oſtenſivum Eccleſiæ. *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus? &c. Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum.*

RESP. Jam nos diximus Succeſſionem legitimam conſiſtere in Paſtoribus ſibi invicem ſuccedentibus, & conſentientibus in eadem doctrina. Sunt enim hæc duo ita connexa, ut mutuo ſe inferant, doctrina Chriſti, & Apoſtolica; ubi eſt illa, ibi reperitur Succeſſio legitima. Eſt tamen quo ad nos notior, & certior legitima Succeſſio; nam facile deprehenditur hos poſteriores fuiſſe conſecratos a Prioribus in identitate dogmatum. Sicut mutuo ſe inferunt; ubi eſt nobilitas, ibi eſt genealogia interrupta abſtinens a ſervilibus; & e contra: ſed hoc ſecundum notius eſt.

Succeſſio nectitur doctrinæ.

91 OBJIC. VI. Cheironius. Succeſſio Sacerdotalis neque eſt ſignum accidentarium veræ Eccleſiæ, nec eſſentiale. Non accidentarium, quia accidentarium habet tempus quando non erat, & ab aliquo cœpit initium. Non eſſentiale, quia eſſentiale naſcitur cum re: ſed Eccleſia naſcens non habuit ſucceſſionem. Dicit enim Rabbanus Maurus ad Regem Baldum -- Omnibus conceſſum erat evangeliza„ re, & baptizare, ſcripturam explanare -- Si omnes hæc peragebant: non ergo dabatur una linea Succeſſionis determinata.

RESP. Mira ſane arguentis dialectica, Succeſſio non eſt Signum Eccleſiæ accidentarium, quia hoc aliquando habet initium; ergo frigus non erit aquæ accidens, quia cum ea naſcitur? Ergo color, quantitas, figura, non erunt animalis accidentia, quia tempus non fuit, quo non erant? Succeſſio non eſt ſignum eſſentiale, quia Eccleſia naſcens non habuit Succeſſionem; ergo Chriſtus mentitus eſt, cum dixit, ſe adfuturum Apoſtolis uſque ad conſummationem ſeculi? cum aſcendens in Cœlum præcepit Apoſtolis, ut per orbem terrarum evangelizarent? Errat Scriptura, cum narrat, in locum Judæ ſubrogatum Matthiam? cum aſſerit, Titum relictum Cretæ, ut conſtitueret Præsbyteros? Hæc, & plura alia falſa adſtruenda ſunt, quibus legitima Succeſſio futura prædicitur, & paulatim eaccota traditur. Non habuit Succeſſionem, quia omnes evangelizabant, ait Rabbanus, vel in in ly *omnes* intelligit diſtributive ſingulos generum, vel genera ſingulorum. Si primum; ergo nulli erant Paſtores ſupra plebem, contra Paulum clamantem poſitos a Spiritu Sancto Epiſcopos, qui regerent Eccleſiam Dei;

Non debent ſinguli Evangelizare.

A ergo decepit idem Paulus, ubi dixit 1. ad Cor. 12. *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes virtutes?* Si ſecundum: debet ergo dari ordo quidam peculiaris deſtinatus pro his muneribus explendis.

92 OBJIC. VII. ex eodem. Quod eſt inductum ab auctoritate hominum, nequit eſſe Nota Eccleſiæ perpetuæ, ſed Succeſſio eſt inducta hominum auctoritate, Tertulliano dicente *lib. de exhortatione caſtitatis* -- Diffe„ rentia inter ordinem, & plebem conſtituit „ Eccleſiæ auctoritas --

RESP. neg. min. Sacerdotalis enim dignitas juris eſt divini. Nemo enim aſſumit

Dignitas Sacerdotalis divini juris.

B ſibi honorem, niſi vocatus fuerit a Deo, ſicut Aaron. *Accipite*, dixit Dominus Apoſtolis, *Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. Ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis &c. Nos Idoneos fecit miniſtros novi Teſtamenti*, clamat Paulus: *Pro Chriſto legatione fungimur*, repetit idem. Tertullianus non loquitur de differentia gradus Sacerdotalis a Laicali; illum enim a Domino ſanctificatum affirmat ibidem, ſed de differentia honoris extrinſeci tribuendi Sacerdotibus, v. g. quod hi ſedeant in loco ſuperiori, plebs verò in inferiori, quod illis aſſurgatur, & ſimilia tribuantur obſequia, quæ
C radicaliter ſunt juris Divini.

93 OBJIC. VIII. ex eodem. Non datur Succeſſio Sacerdotalis, ubi nullus eſt conſenſus Sacerdotii, ſed ſtat Eccleſia ſine conſenſu Sacerdotii, dicente Tertulliano -- Ubi „ tres, Eccleſia eſt, licet Laici -- Ergo ſtat Eccleſia ſine Succeſſione legitima; ergo Succeſſio non eſt Nota.

RESP. neg. min. Ad probationem, petimus ab arguente, de qua Eccleſia intelligat dictum Tertulliani? An de Eccleſia inſtituta a Chriſto, vel de alia: Si primum; aſſerit contra Scripturam in tribus Laicis conſtituens Sponſam Chriſti, qui electus eſt Sacerdos ſe-
D cundum ordinem Melchiſedech, cui fines terræ hereditatem dedit Dominus. Si ſecundum dicat, non curamus; non enim Notas inquirimus Eccleſiæ a Chriſto non fundatæ. Tertullianus alludere debet ad verba Chriſti Matth. 18. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, quatenus applicatur orantibus in nomine Eccleſiæ, quo ſenſu, ibi dicitur adeſſe Eccleſiam: non autem de corpore myſtico Chriſti proprie accepto, & integro.

Chriſtus Sacerdos Eccleſiæ.

94 OBJIC. IX. Calvinus. Apud Græcos nunquam defecit legitima Succeſſio Epiſcoporum, ſed apud Græcos per nos deficit
E vera Eccleſia, cum ſint Schiſmatici; ergo Succeſſio non eſt veræ Eccleſiæ Nota.

RESP. neg. maj. Quam falſam eſſe non ignorat Calvinus. Græci enim fuerunt a tribus Conciliis Generalibus, Lugdunenſi, Lateranenſi, & Florentino damnati de Hæreſi. Illegitimi ſunt, & fures, qui per oſtium non intraverunt. Abruperunt lineam illam candidam, & ſinceram SS. Patrum, Athanaſii, Baſilii, Chryſoſtomi, Cyrilli, Nazianzeni, & aliorum, qui originem traxerunt ab Apoſtolis, eorumque doctrinam didicerunt, & alte repoſitam tradiderunt Poſteris.

Græci a vera Eccleſia defecerunt.

95 OBJIC.

95 OBJIC. X. idem Calvinus. Si Suc-
ceſſio eſſet Eccleſiæ Nota, citari deberet A-
fricana Succeſſio, Aſiatica, Ægyptiaca: ſed
non enumeratur; ergo. Quod argumentum
ſub his verbis profert Auctor -- Ab illis, quæ-
„ ro, aſſerentibus ſucceſſionem Notam eſſe
„ Eccleſiæ: cur non Africam citent, & Æ-
„ gyptum, & totam Aſiam? Nempe: quia
„ in omnibus illis Regionibus deſiit Sacro-
„ ſancta hæc Epiſcoporum ſucceſſio, cujus
„ beneficio ſe Eccleſias retinuiſſe gloriantur? --

RESP. Nos candide ſciſcitamur a Cal-
vino, quid velit in hac ſua argutia? Vel ex
quo deſiit ſucceſſio, intendit inferre in illis
Regionibus defeciſſe Eccleſiam, & jam pro
nobis arguit. Vel concludit ibi eſſe Veram
Eccleſiam, etiamſi non ſit Succeſſio, & iterum
petimus: pro vera Eccleſia intelligit ne eos,
qui conſentiunt in doctrina Neſtorii, Euty-
chetis, Sergii, & ſimilium Hæreticorum? Et
jam ſpuriam ſubſtituit Chriſto Sponſam. Vel
pro Vera intelligit eos, qui conſentiunt fidei
Univerſalis, non particularis ſucceſſio attendenda eſt.
quam abruperunt Neſtorius, Eutyches, &
alii: & jam iſti agnoſcunt legitimam Succeſ-
ſionem Sedis primariæ. Igitur ſicut Dominus
cuilibet Eccleſiæ particulari non promiſit in-
defectibilitatem, ſed toti corpori, ita nec
Succeſſio determinata hujus, vel illius Epiſco-
patus eſt Nota Eccleſiæ. Porro perfectum cor-
pus non intelligitur, niſi cum capite, cujus
Succeſſio, ſi non deficiat, ſufficit pro veritate
indaganda. Hinc Sancti Patres veteres non
fuerunt ſolliciti de texenda genealogia ſuo-
rum Epiſcopatuum, ſed Sedis Univerſalis, ut
in Chronologiis SS. Irenæi, & Optati, Au-
guſtini, Epiphanii, Euſebii, & aliorum.

96 OBJIC. XI. Mornay. Non ſubſi-
ſtit legitima Succeſſio, niſi conſentiant Epi-
ſcopi in doctrina, & moribus, ſed nulla ſe-
ries Sacerdotum reperitur, quæ non fuerit
interrupta mixtione pravorum Antiſtitum; er-
go legitima Succeſſio nequit eſſe Nota Eccle-
ſiæ. Maj. demonſtratur ex Irenæo *lib. 4. cap.*
44. -- Adhærere, *inquit*, his oportet, qui
„ & Apoſtolorum doctrinam cuſtodiunt, &
„ converſationem ſine offenſa præſtant -- *Et
cap. Non eſt, diſt.* 40. dicitur -- Non ſunt filii
„ Sanctorum, qui tenent loca Sanctorum,
„ ſed qui exercent opera bonorum -- Similia
apud Bernardum *in Concilio Rhemenſi*.

RESP. neg. min. Exercitium bonorum
operum non requiritur ad legitimam Succeſ-
ſionem; quia bonitas morum non exigitur
pro collatione auctoritatis Paſtoralis; aucto-
ritas enim optime ſtat in malis. Promiſit Do-
minus Paſtores, qui paſcerent doctrinâ, &
Mali eſſe poſſunt Paſtores.
ſapientiâ. Audiendos Epiſcopos juſſit. Si er-
go recta doceant credenda, & ſana tradant
practicanda, legitimi Epiſcopi ſunt. Ut ta-
men Apoſtolorum meritis, & coronis ſuc-
cedant, bonis moribus conſentire neceſſe eſt,
ſicut ut ſubditos efficaciter commoveant, im-
plere debent, quæ docent. Quo ſenſu expli-
cantur ſimilia Patrum aſſerta.

97 OBJIC. XII. Calvinus, Mornay,
Reynaldus. Ideo valuit primis ſeculis argu-
mentum Succeſſionis, quia nullæ corruptelæ
inductæ fuerant a Pontificibus, ſed nunc in-
ductæ ſunt plures corruptelæ; ergo non valet
argumentum Succeſſionis; ergo ſicut Aaro-
nica Succeſſio non præſcripſit Apoſtolis; ita
A neque Succeſſio Eccleſiæ Reformatis. Adde ex
Aug. *cap. 4. contra Epiſt. fundamenti*, Succeſ-
ſionem dari, ſolum eſſe argumentum pro-
babile.

RESP. His jam fatentur Novatores le-
gitimam Succeſſionem optimum eſſe argumen-
tum inveniendæ veræ Eccleſiæ; valuiſſe tem-
pore Divi Aug., Divi Hieronymi, recteque
uſos fuiſſe Irenæum, Optatum, & alios. Cum
ergo Scriptura nos doceat Eccleſiam ſemper
in Doctrina Chriſti perſeveraturam, ſemper-
que in ea futuros Paſtores, qui veritate pa-
ſcant fideles, concedere debent legitimam
extare Succeſſionem, eandemque nunc valere
B pro Nota. Pontificios verò concordare cum
primitivis, ultro fatebuntur, etſi ſolis Centu-
riis ſuis velint ſtare Proteſtantes. Nec ut ſim-
pliciter probabile aſſumebant Patres Argumen-
tum hoc, ſed ut omnino neceſſarium, & evi-
dens; eo enim retinere volebant dubios in
fide; eo hæreſes convellere, eò certò diſtin-
guere populum Dei a populo Diaboli; eoque
teneri ſe Auguſtinus firmiſſime aſſerit *loco cit.
in object.* Nec illud infirmat, ex quo dicat
Manichæo, his veritatem eſſe præferendam,
ſi certa fiat manifeſta ratione: nam motiva
credibilitatis utique cedunt in ordine ad aſ-
ſenſum formandum fundamento, & motivo
C formali aſſentiendi manifeſte cognito.

98 OBJIC. XIII. Mornay. Quod eſt
commune falſis cœtibus, non eſt Nota veræ
Eccleſiæ, ſed Succeſſio eſt communis falſis Ec-
cleſiis; ſiquidem Armeni, Ægyptii antiquas
proferunt ſuarum Eccleſiarum origines, ergo.

RESP. neg. min. Licet enim Hæretici
aliquorum ſibi Succedentium ſeriem ponant,
nequeunt tamen, ut exprobrat Tertullianus,
ſuarum Eccleſiarum originem texere; nec va-
lent oſtendere continuationem cum primis Ec-
cleſiæ Fundatoribus; & ratio in aperto eſt;
Hæretici enim quotquot ſunt, exierunt ex ovili
Chriſti; Hæreſis eſt corruptela fidei: non ergo
D habere poſſunt lineam integram cum Paſto-
ribus illis, ex cujus ovili ſunt transfugæ. Unde
Optatus Milevitanus *lib. 1. contra Parmen.* ge-
nealogiam Donatiſtarum, & Monteſium pro-
ducens, habet -- Claudius Luciano, Lucia-
„ nus Machrobio, Machrobius Enulpio, E-
„ nulpius Bonifacio, Bonifacius Victori Car-
„ benſi ſucceſſit. Ipſe autem Victor, nec ante
„ ſe Cathedram, niſi peſtilentiæ oſtendit.
„ Erat itaque ibi Victor, filius ſine Patre,
„ Tyro ſine Principe, Diſcipulus ſine Ma-
„ giſtro --

99 OBJIC. XIV. Arguere veritatem
ex conſenſu Patrum ſibi Succedentium eſt eam
E velle in rivulis, relicto fonte, qui eſt Sacra
Scriptura: at Succeſſio legitima importat hunc
conſenſum Patrum; ergo non eſt Nota Ec-
cleſiæ.

RESP. Nos non deſerimus fontem, cum
ex fonte probemus neceſſitatem Succeſſionis,
eique veritatis agnitionem eſſe alligatam, ſed
ſolum a ſigno connexo, & notiori clare in
cognitionem Eccleſiæ veræ devenimus. Certe
ſi rivuli ſint recto ordine cum fonte conjun-
cti, qui rivulos ſequetur, ad fontem perve-
niet, & qui de rivulis bibet, utique de aqua
fontis bibet.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO QUARTA.

UBI SIT VERA DEI ECCLESIA, EXTRA QUAM NON DATUR SALUS.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN UNITAS SOLI ROMANÆ ECCLESIÆ CONVENIAT.

QUæ huc uſque diximus, eo tendunt, ut palam fiat veram Dei Eccleſiam non aliam eſſe a Romana, ea propter e re noſtra eſt palam facere eidem omnia apte congruere, quæ ad veram Eccleſiam deſiderantur. Porro Eccleſiæ Romanæ nomine non illam intelligimus Diœceſim, quæ brevibus Latii confiniis comprehenditur. ſed quotquot Chriſto nomen dantes Romanæ Urbis Pontificem in Petri Cathedra venerantur, primum inter Epiſcopos agnoſcunt, eique in dogmatibus conſentiunt, licet diverſis in Epiſcopatibus nonnulli habeantur accidentales ritus. Inquirimus itaque, an Unitas Doctrinæ ſoli Romanæ Eccleſiæ competat: hæc quippe veræ Eccleſiæ prærogativa eſt, ac nota, quæ eidem primo loco tribuitur a Niceno, & CP. Symbolo.

1 Hæretici invido ſpiritu conciti non probationibus, ſed injuriis privilegium nobis denegant Unitatis. Ne inutiliter teramus tempus unam, vel alteram periodum tranſcribimus. Calvinus *lib. 4. inſtit. cap.* 13. §. 14. diviſionem confingens in cœtu Romano, habet-- „ Olim quidem Monachi vivebant ſeparati ab „ aliis, ſed non percipiebant Sacramenta ſe„ paratim, immo concurrebant ad Eccleſias „ Ordinariorum, & ibi cum reliqua plebe „ ſacris intererant. Nunc autem ſingula Mo„ naſteria ſibi privatum Altare erexerunt, & „ Sacramenta percipiunt ſeparati a populo „ Chriſtiano; quod etiam nominibus teſtan„ tur, cum alii Benedictini, alii Franciſcani, „ alii Dominicani dicantur -- Cui ſubſcribens reliqua turba Proteſtantium, varias Sectas inter Pontificios ſomniat -- Alii piſces comedunt, alii herbas, alii nigri, alii albi dicun„ tur. Inſuper alii Thomiſtæ, alii Scotiſtæ nun„ cupantur, & inter iſtos non minor diſſenſio „ eſt, quam inter Judæos, & Sadducæos, „ quod maxime apparet in articulo de Bea„ tiſſimæ Virginis Conceptione -- Sed contra.

Dico I. Unitas convenit Eccleſiæ Romanæ

2 PROB. I. Unitas conveniens Eccleſiæ Chriſti deſcribitur Ezechielis 37. *Aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abjerunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum ſuam, & faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Iſrael, & Rex unus erit omnibus imperans.* Jerem. 32. *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus.* Joan. 10. *Et fiet unum ovile, & unus Paſtor.* Sed hæc Unitas manifeſte convenit Eccleſiæ Romanæ; ergo Eccleſia Romana eſt vera Chriſti Eccleſia. Min. patet ſola terminorum explicatione ſuperius poſita. Capitis Unitatem habemus; unum enim primum omnium Epiſcopum recipimus; unitatem membrorum retinemus; ſiquidem Laici a Clericis recipiunt Sacramenta; Clerici minores ſubordinantur Presbyteris; Presbyteri ſimplices ſubduntur Curatis, hi Epiſcopis, iſti Archiepiſcopis; hi Primatibus, & iſti Patriarchis. Unitatem credendorum apprime ſervamus; nec aliter eſſe poteſt, cum Unicam fidei habeamus regulam, Divinam ſcilicet revelationem, per Eccleſiæ definitionem explicatam, & propoſitam. De ſua Eccleſia dixit Dominus, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ubi ex capite Unitatem promanare ſignificat: atqui in ſede Petri ſedet Romanus Præſul; ergo Romanorum cœtus Unitatem conſervat Eccleſiæ debitam. Hinc Cyprianus *lib. de unit. Eccleſiæ* -- Ut Unitatem „ manifeſtaret, unicam Cathedram conſtituit, „ & Unitatis ejuſdem originem ab uno inci„ pientem ſua auctoritate diſpoſuit &c. ſed „ exordium ab Unitate proficiſcitur: prima„ tus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, „ & Cathedra una monſtretur -- Alias auctoritates vide de Romano Pontifice.

In Eccleſia unitas capitis, & Doctrinæ.

3 PROB. II. Ibi eſt Unitas membrorum, & capitis, & doctrinæ, ubi in caſu dubiorum fidei, univerſi fideles ad unum confluunt tribunal (quo argumento probat Aug. Unitatem, & veritatem Synagogæ): ſed hoc fit in Eccleſia Romana; ergo. Min. ſic explicatur. Conſuetudo ſemper fuit, ut exortæ Controverſiæ Romano tribunali deferrentur. Eccleſia Africana controverſiam rebaptizationis detulit ad Stephanum Papam, ut refert Lirinenſis contra profanas voces. Smyrnenſia quæſtionem Paſchatis, ſic Hieronymus de viris illuſtribus. Libya, Tebaides, Ægyptus hæreſim Arrianam, ſic *Epiſt. 2. ad Felicem Papam, apud Athanaſium*. Cappadocia formulam ſtabilitam in latrocinio Ariminenſi, ſic Baſilius *Epiſt.* 218. Eccleſiæ Orientales difficultatem conſubſtantialitatis in myſterio Trinitatis. Plura habes de Romano Pontifice. Prædictum recurſum noviſſimis temporibus practicari vidimus in exemplis tot damnatarum propoſitionum a Pio V. Greg. XIII. Alexandro VII. Innocentio XI.

In dubiis ad Rom. ſedem recurſus.

Pariter, ubi quis de errore ſuſpectus fuerat, ſuſpicionem purgabat apud Romanum Pontificem, & purgati ad communionem recipiebantur. Ut ſe purgaret Origenes, Fabiano ſcripſit, ſic Hieronym. ad Pamachium. Dionyſius Alexandrinus Apologiam defenſionis Romano Pontifici remiſit, ad cujus tribunal fuerat accuſatus, ſic apud Athanaſium. Urſacius, & Valens Romam profecti ſunt deferentes libellos purgationis, ſic apud Epiphanium *hæreſ.* 68. Salvianus, Priſcillianus, Inſtantius Damaſo detulerunt ſuam cauſam,

cum

Digitized by Google

eum fuiſſent damnati in Synodo Cæſaraugu-
ſtana. Marcellus Ancyranus a Julio reſtitui-
tur communioni Eccleſiæ, ſic apud Athana.
ad Solitar. Euſtachius Sebaſtæ Epiſcopus apud
Sozomenum *lib. 6. cap.* 21., *&* 22. Sic Theo-
doretus; & alii.

Hæretici unitatē ſimulant cum Rom. Eccleſia.

Quid plura? Ipſimet Hæretici, ut errores
ſuos occultarent, & ne proderentur caiſſe de
communione fidelium, vel ſubdole approba-
tionem curabant a Romano Pontifice ſuffura-
ri, vel ſimulatis verbis, fidem Romanæ Ec-
cleſiæ ſe tenere venditabant. Montaniſtæ pa-
cis litteras petierunt a Zefirino Papa, ut re-
fert Tertullian. *lib. 3. adverſus Praxeam*. Sic
apud Euſebium *lib. 5. cap.* 15. Macedoniani
ad Romanum Pontificem confugerunt, ut
communionem haberent. Sic apud Socratem
lib. 4. cap. 21. Vitalius Appolinariſta ſuffura-
tus eſt a Damaſo litteras conſignationis, qui-
bus multos decepit. Sic apud Nazianzenum
Epiſt. 2. ad Cledonium. Pelagius libellum fi-
dei ſuæ Innocentio I., & Zoſimo tranſmiſit:
ſic apud Aug. *lib. 1. de Gratia Chriſti cap.* 1.,
& *alibi*. Abailardus Sedem Apoſtolicam ap-
pellavit, accuſatus de hæreſi: ſic apud Ber-
nardum *Epiſt.* 100. Plures alios habes de Ro-
mano Pontifice. Idem fecerunt moderniores
hæreſiarchæ. Pauperes de Lugduno poſtula-
runt a Sede Apoſtolica approbationem: ſic
apud Uſpergenſem, Trithemium, Guido-
nem, & Emilium *de geſtis Francorum*. Wi-
clephus, & approbationem, & correctionem
petiit a Romano Pontifice Urbano VI. ſuo-
rum errorum: ſic apud Foxum *in Commen-
tariis ſuis*. Lutherus *ſub initio ſuæ hæreſis Leo-
ni X. ſcribens*, habet -- Beatiſſime Pater, pro-
„ ſtratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero
„ cum omnibus, quæ ſum, & habeo. Vivi-
„ fica, occide, voca, revoca, approba, &
„ reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vo-
„ cem Chriſti in te Præſidentis, & loquen-
„ tis agnoſcam --

4 PROB. III. Non poteſt eſſe major
Unitas fidei, membrorum, & capitis, quam
ubi conſenſu totius Eccleſiæ ſtatutum eſt, ne
præter Sedis Apoſtolicæ ſententiam aliquid in
fide declaretur: ſed ita factum eſt a Conci-
liis Œcumenicis, ſicut in Niceno 1. *Can.* 2.
Codicis latini, *&* *Can.* 39. *Codicis Arabici* ha-
bemus -- Non debent, præter ſententiam Ro-
„ mani Pontificis, Concilia celebrari -- Et
in Calcedonenſi damnatur Dioſcorus Alexan-
drinus, quia tentavit Concilium congregare
abſque auctoritate Romani Pontificis -- Ju-
„ dicii ſui neceſſe eſt dare rationem, quia
„ cum perſonam judicandi non haberet, præ-
„ ſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine
„ auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nun-
„ quam licuit, nunquam factum eſt -- Sed
de hoc fuſe ubi de Romano Pontifice.

Apoſtolicæ Sedis auctoritas.

Hoc totum in ultimo generali Concilio
ſervatum eſt; omnia enim deciſa, ſubjecta
fuere Sedis Apoſtolicæ confirmationi, decla-
rationi. Præſtat tamen audire, Optatus Mi-
levit. *lib. 2. contra Parmenianum* -- Qui con-
„ tra ſingularem Cathedram Petri alteram
„ collocat, ſchiſmaticus, & peccator eſt --
Arnobius *in Pſal.* 106. -- Qui exierit foras ab
„ Eccleſia Petri; ſibi perit -- Pacianus ad
Symphron. *Epiſt.* 3. -- Locutus eſt Dominus
„ ad unum, ſcilicet Petrum, ut unitatem fun-
„ daret ex uno -- Ubi damnavit Zoſimus Pe-
lagium, ait Proſper *contra Collatorem* -- Ad
„ Impiorum damnationem gladio Petri, dex-
„ teras omnium armavit Antiſtitum -- Et
Ambroſ. *Epiſt. 10. ad Siricium* -- Quos San-
„ ctitas tua damnavit; ſcias, apud nos quo-
„ que, ſecundum tuum judicium eſſe damna-
„ tos. *Vide loc. cit.*

5 PROB. IV. Non poteſt excogitari
perfectior Unitas doctrinæ, membrorum, &
capitis, quam ubi conveniunt omnes Docto-
res, locis, temporibus diſſiti, ingenio, &
ſtudio diſpares: ſed cum doctrina Romanæ
Eccleſiæ in idem ſentiunt, quotquot fuere
Catholici Doctores diverſarum Provinciarum,
& temporum, diverſarum linguarum, & ſtu-
diorum, unam, eandemque ſtabiliendorum
dogmatum regulam proponentes, auctorita-
tem ſcilicet Eccleſiæ, ergo in Eccleſia Roma-
na eſt perfectio Unitatis. Hæc miris elucet
ex antiqua praxi, qua electi Epiſcopi Syno-
dales litteras tranſmittebant ad ceteros, &
præcipue ad Romanum Pontificem, cui tran-
ſmittebant fidei profeſſionem, quam faciebant
in ſua conſecratione; hunc pariter morem
tranſmittendi Romam fidei formulam Impe-
ratoribus ſolemne erat. Porro in hac fidei
formula articulus includebatur Superioritatis
Apoſtolici Throni, de quo Nicæphorus ſuc-
ceſſor Tharaſii in ſede CP. ſuam profeſſionem
remittens Leoni III. ut Tharaſius Adriano,
ait -- Non eſt alia, neque Romanis finibus
„ terminata circumſcribitur, neque finibus
„ mundi finitur -- petitque ab eo ſermones
confirmatorios, illi dicto Chriſti alludens:
Et tu converſus confirma fratres tuos.

Catholici omnes in unum conveniunt.

Viciſſim Romani Pontifices in ſua ele-
ctione, & in novorum Imperatorum electio-
ne formulam fidei, quam obſervare debebant,
& ipſi obſervabant, reſcribebant. Unde Ge-
laſius ad Laurentium -- Mos eſt Romanæ Ec-
„ cleſiæ Sacerdoti noviter conſtituto fidei ſuæ
„ formam ad Sanctas Eccleſias prorogare --
Uſu etiam profeſſionis fidei, qui redibant ad
Eccleſiam probabantur, & recipiebantur, ſi-
cut conſtat ex Decretali Bonifacii ad Eulalium
Carthaginenſem, Hormiſdæ ad Epiſcopos
Hiſpaniæ, Adriani ad III. Synodum; & ex
hac fidei profeſſione Unitatem infert Grego-
rius ad Cyriacum CP. Hunc porro morem
profitendi fidem ſervant nunc, quotquot con-
ſecrantur in Epiſcopos.

Hæc item elucet mirabiliter in uſu lit-
terarum formatarum, quæ etiam communica-
toriæ dictæ ſunt, quia iſtis dignoſcebantur
veri Catholici a falſis, ideſt Romanæ fidei
Profeſſores ab Adulterinis; deſerviebant etiam
hoſpitalitati exercendæ. Ne fraudibus pate-
rent, Nicæna Synodus ſtatuit, ut ſignarentur
primis elementis Verborum Patris, & Filii,
& Spiritus Sancti, Idiomatis Græci, quarto
loco poneretur primum elementum verbi Pe-
tri, quinto loco pariter primum elementum
Epiſcopi litteras ſcribentis, ſexto ſecundum
elementum illius, cui ſcribitur, ſeptimo ter-
tium illius, pro quo ſcribitur, octavo quar-
tum nominis Civitatis, de qua ſcribitur, ul-
timo loco firmabatur numero litterali occur-
rentis indictionis. Hanc fuiſſe ſcribendi le-
gem

Litteræ formatæ quæ, & quomodo conſcriptæ.

gem declarat Concilium Laodicænum prohi-
bens Clericis iter facere abſque his Canonicis
litteris. Solis Epiſcopis, eorumque Vicariis,
& Choreplſcopis permiſſum erat illas diſtri-
buere ex Concilio Antiocheno, Africano. &
Milevitano. Hoc argumento uſus eſt Optatus
Milevit. *lib. 2. contra Parmenianum*, recenſita
ſerie Romanorum Pontificum, uſque ad Da-
maſum -- Cum quo, *inquit*, nobis totus or-
„ bis commercio formatarum in una commu-
„ nionis ſocietate concordat -- Uſus eſt Na-
zianzenus *Epiſt. 1. ad Cledonium* ad proban-
dum Apollinariſtas non eſſe de Eccleſia --
„ Oſtendant, *inquit*, ſe ſuſceptos eſſe, aut
„ per communionem meam, aut per epiſto-
„ las communicatorias -- Uſus eſt Aug. *Epiſt.*
163. ut oſtenderet Fortunium Donatiſtam
Catholicum non eſſe, quærentes ab eo --
„ Utrum communicatorias epiſtolas,quas for-
„ matas dicimus, poſſet, quo vellem, dare?
„ Et affirmabam. quod manifeſtum erat omni-
„ bus, hoc modo facillime illam terminari
„ quæſtionem poſſe -- Et *Epiſt* 162. probat
Cæcilianum eſſe Catholicum -- Cum ſe vide-
„ ret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper
„ viguit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus, &
„ ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam
„ Africam venit, per communicatorias litte-
„ ras eſſe conjunctum -- Eo uſus eſt Tertul
lianus *contra Praxeam in notis Pamelii* -- Epi
„ ſcopi Romani litteras pacis. ſuorum aucto
„ ritate nitens, illas recuſavit -- Iiſdem litte-
ris Romanus Pontifex toti orbi indicabat diem
celebrandi Paſchatis, Primatibus reſcribens,
qui ceteris Provinciarum Epiſcopis notum fa-
ciebat: in quo maxima elucet Unitatis for
ma. His, aliiſque modis ſollicita fuit Petri
Cathedra ſervare Unitatem, ſicut ſcribit Aga-
tho Papa *Epiſt. ad Conſtant. Imperat. Heracl.*,
& Tiberium -- Hac eſt perfecta noſtra ſcien-
„ tia, ut terminos Catholicæ, & Apoſtolicæ
„ fidei, quos uſque hactenus Apoſtolica ſe-
„ des nobiſcum, & tenet, & tradit, tota
„ mentis cuſtodia conſervemus --

6 PROB V. Subſiſtere nequit doctrinæ
Unitas, neque membrorum, abſque uno Ju-
dice determinato, qui exortas fidei dirimat
controverſias: ſed in Eccleſia Romana datur
iſte Judex; ergo in Eccleſia Romana datur
Unitas doctrinæ, atque membrorum. Maj.
oſtenditur quibuſdam Proteſtantium auctori-
tatibus. Lutherus *locis comm. claſſe 2. c. 37.*
pag. 107. habet -- Cum Deus voluerit unam
„ habere Eccleſiam Catholicam per totum
„ orbem, neceſſe fuit unum aliquem populum,
„ immo unum aliquem Patrem populi Unius
„ eligi, ad quem, & ſuos Paſtores ſpectaret
„ totus orbis, & fieret unum ovile, & ſic ex
„ omnibus gentibus in infinitum variatis mo-
„ ribus, tamen unica fieret Eccleſia -- Jaco-
bus Andreas ex Lutherania primarius, prout
refert Hoſpinianus *in Hiſtoria Sacramentaria*
parte 2. pag. 309. -- Demonſtrare conatur,
„ Eccleſiarum ſtatum tranquillum tueri, dif-
„ ficile eſſe niſi ad ſupremum Pontificem, &
„ adminiſtratorem aliquem rerum Summa
„ deferatur -- Fieldus ſuos reſpiciens Secta-
rios diviſos, hortatur, ut ſedulo quærant, ubi
ſit vera Eccleſia, quæ eſt columna veritatis.
Quare? -- Ut illa ſemel inventa communio-

A „ nem ejus amplectantur, conſilium ſequan-
„ tur, ejus denique judicio acquieſcant --
Hookerus *in præfat. de Eccleſiaſtica politia*;
ſect. 6., ait -- Hoc unum ſat ſcimus, tam na-
„ tura, & experientia, quam ipſa Scriptura
„ edocti, contentionibus iſtis tandem finem
„ imponendum eſſe, definitive alicujus Judi-
„ cis ſententiæ nos ſubmittendo, cui neutra
„ litigantium pars ſub quovis prætextu con-
„ tradicat, alioquin ſemper confuſio erit, nec
„ ſpes ulla pacis conſequendæ -- Sic, & alii.

Minor demonſtratur. Melancton *Epiſt.*
74. *Centuriar. Epiſtolarum Theologicarum*,
poſt quam deſcripſit modum quo regitur Ec-
B cleſia Romana per præſidentiam Romani Pon-
tificis ad omnes Epiſcopos, eamque laudavit:
declarat formam hujus regiminis aptam eſſe
ad ſervandam Unitatem -- Monarchia enim
„ Romani Pontificis in hunc finem, meo qui-
„ dem judicio, utilis eſt, ut Unitas doctri-
„ næ ſervetur -- Cartuurightus 2. *repli. p.* 2. --
„ Ad pacem Eccleſiæ tuendam æque neceſſa-
„ rium eſt Papam præeſſe Archiepiſcopis, at-
„ que Archiepiſcopos omnibus unius Regni
„ Provinciis -- Et infra iterum confirmat ex
eadem paritate. Si enim pro convocando Pro-
vinciali Concilio neceſſarii ſunt Archiepiſco-
pi, ubi diſſentiunt Epiſcopi; ita neceſſarius
C eſt Papa pro convocando Concilio Generali,
ubi Archiepiſcopi diſſentiunt. Idem docet Be-
za apud Saraviam *lib. de diverſis miniſtrorum*
gradibus pag. 491. *Et Epiſt. 1. Theologica ad*
Duditium pag. 13. refert ſequentem propoſi-
tionem ipſius Duditii, & approbat -- Roma-
„ na Eccleſia non ita multis diſſenſionibus
„ ſcinditur, & habet vetuſtatis venerandæ,
„ Succeſſionis ordinariæ, conſenſus perpetui
„ ſpeciem plauſibilem. Et ſi veritas eſt, quam
„ veteres Patres mutuo conſenſu ſunt profeſſi,
„ ex a Pontificiis tota ſtabit -- Alios omitto,
quia certum eſt, nos hunc Judicem habere.
Convenit ergo Romanæ Eccleſiæ privilegium
D Unitatis.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

Contra Romanæ Eccleſiæ Unitatem plura
congerunt Hæretici, vel ex ignorantia,
qua obcæcati noſtram non callent doctrinam;
vel ex malitia, qua nobis impingunt, quæ non
dicimus: ut quod plurium Numinum turbam
invexerimus, ex quo varios Sanctos adoramus
E (cum Auguſt. *ſerm. 21. de verbis Domini*, apud
Ethnicos non agnoſcat Religionis Unitatem
propter Numinum diverſitatem). Objiciunt
nobis, quod omnia ſpargimus idololatria,
quia Statuis, & imaginibus thus adolemus;
quod Sacra replemus ſuperſtitionibus, ubi can-
delas accendimus ſuper tumulos mortuorum,
& ſimilia, quæ propriis tractatibus reſoluta
ſunt, & pravo ſenſu ab Hæreticis plebi expli-
cantur. Et licet inania ſint, quæ directa vi-
dentur Unitatem labefactare, tamen aliqua
proponenda ſunt ex præcipuis.

7 OBJIC. I. Calvinus. Unitas veræ
Eccleſiæ deſumitur a capite inviſibili Chriſto:
ſed Eccleſia Romana non deſumit Unitatem

a ca-

a capite inviſibili; ergo Eccleſia Romana non habet Unitatem propriæ Eccleſiæ Sponſæ Chriſti. Prob. Maj. Eccleſia eſt Regnum Dei; ergo a Deo capite deſumitur Unitas. Min. Patet. Quia a Papa deſumit Romana Eccleſia Unitatem — Ac ſi dicerent Prophetæ neque „ Eccleſiam eſſe, ubi non regnat Deus, neque extare Regnum Dei, niſi ubi Paſtoris „ honor Chriſto defertur —

Alibi ſolvimus argumentum. Unitas Eccleſiæ deſumitur a Chriſto, utique tanquam a capite primario, ſed quia phyſice abſens eſt, & Eccleſia eſt multitudo viſibilis, fit preſens, & regnat per caput miniſteriale viſibile. Sicut Chriſtus eſt Sacerdos magnus, & Paſtor Supremus, & nihilominus neceſſarii ſunt in Eccleſia Sacerdotes miniſteriales, & Paſtores. Unitur ergo Eccleſia Chriſto regnanti in ſuo Vicario, & Vicario honor primi Paſtoris non tribuitur, ſed ſecundi. Declaratur exemplo, quod arguens aſſumit in his verbis -- Unde, „ & Prophetæ, cum Eccleſiæ conſtitutionem „ deſcribunt, ſemper per Davidem Regem „ adjungunt Deo -- Etſi enim Regnum dicatur eſſe Dei, non tollitur quo minus David fuerit Rex, & per ipſum ad Deum eſſet via, quia Deus regnabat in David, cui ſuam tribuebat perfectionem: ita a fortiori dicendum eit de ſupremo Epiſcopo, qui immediate a Deo recipit juriſdictionem.

Pontifex Chriſti Vicarius.

8 OBJIC. II. Calvinus. Unitas veræ Eccleſiæ non eſt violenta, & ſimilis illi, quæ apparet in Mahumetanis: ſed Unitas Eccleſiæ Romanæ eſt violenta: nam gladio, igne, fuſtibus, legibus politicis ſervatur; quo modo quælibet ſuperſtitio, & perditorum conſpiratio ſervari contingit.

Nihil novi fert Africa. A Juliano Pelagiano (apud Aug. *lib. 1. contra Julianum*) mutuatus eſt argumentator virulentam contumeliam, qua nos vocat perditorum conſpirationem, ut inde certi reddamur, quod Proteſtantes omnem errorem ab antiquis deſumpſerint Hæreticis. Unitas Catholicorum ſuaviſſima eſt, utpote colligata vinculo illo, quod Deus ipſe in Scriptura tradidit. Sed quia neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, providit leges, quibus rebelles contineantur in officio, & pacem non frangant. Non enim ſine cauſa gladium portat Eccleſia in ſuis Principibus. Juſſit Deus puniri Hæreticos, Deuter. 13. v. 5., & ſequentibus. *Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur*, quod repetit 17. c. Levit. 24. Eccleſia vinea Domini eſt, cujus Paſtoribus præcipit: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* Cant. 2. v. 15. Porro vulpes Hæretici ſunt ex Amb. *lib. 7. cap. 11. in Lucam*. At qua fronte contra vim coercitivam ab Eccleſia exercitam in procaces Hæreticos Calvinus invehitur, cum ipſe etiam librum ediderit, quo refutans Serveti Errores docet Hæreticos fore puniendos. Sic liber inſcribitur — *Brevis expoſitio errorum Michaelis Serveti, & brevis eorundem confutatio*, ubi docet jure gladii Hæreticos eſſe coercendos. Quod verbis docuit, factis comprobavit, Servetum tradens flammis. Quam doctrinam, & alii tradiderunt ex Proteſtantibus.

Hæretici puniendi.

9 OBJIC. III. Unitatem in Sectis Proteſtantium deſiderari concludimus, quia diverſæ dantur nomenclaturæ, Lutheranorum, Calviniſtarum, Zuinglianorum &c. ſed pariter Catholici diverſas nomenclaturas ſortiuntur, vocantur enim, Papiſtæ, Pontificii, Romanenſes, & inter ipſos particularium Sectarum multiplicantur appellationes, ut Dominicanorum &c.

Male aſſumptam perſonam exercent Proteſtantes, quia nomina hæc noſtra non ſunt, ſed ab ipſis ludibrii cauſâ impoſita. Cum Sancto Paciano *contra Symphron.* omnes nos dicimus -- Chriſtiani mihi nomen eſt; Ca„ tholici vero cognomen -- At gloriamur vocari Papiſtæ ab hoſtibus noſtris; non enim ab aliqua perſona ſingulari denominamur, ſed a munere Paſtorali, quod in ſua reliquit Eccleſia Chriſtus. Optime Patres arguebant Marcioniſtas, Apollinariſtas Montenſes &c. ea nomenclatura, quia accepta a perſonis ſingularibus, quæ Sectarum Principes factæ ſunt, diſſipabant Unitatem in principiis, & articulis fidei fundamentalibus. Videatur Chryſoſt. *homil. 33. in Acta Apoſt.* cujus eſt reſponſio data. Exornat, & perficit corporis Unitatem membrorum varietas, ubi in eadem indiviſibili forma radicatur, quæ per illa diverſa organa, diverſis actionibus unicum finem a natura præſtitum aſſequitur. Sic mirifice exornat Chriſti Reginam illa Religionum varietas, qua circumdatur in fimbriis aureis, quia ſcilicet eandem indiviſibilem fidei formam retinentes, & in eundem finem charitatis, & Beatitudinis unice tendentes, diverſas ſuperædificant virtutum exercendarum regulas. Non ideo in Sectas dividebatur Salomonis familia, ex quo diverſi diverſis detinebantur miniſteriis, diverſis etiam induti habitibus; quinimo pulchritudo ejus rapuit Reginam Auſtri.

Quomodo varietas deſerviat ad ornatum.

10 OBJIC. IV. Diviſio opinionum in rebus fidei fundamentalibus arguit carentiam Unitatis doctrinæ: atqui inter Pontificios talis eſt diviſio, qualis non fuit in miniſtris Turris Babelis, & Judæos inter, & Sadducæos; ergo Pontificii carent Unitate. Min. probant Magdeburg. *centuria 4. in articulo de declinatione Doctrinæ* ſic -- Monſtruoſæ, & in„ commodæ opiniones a Doctoribus ſparſæ re„ periuntur de libero arbitrio, de juſtificatio„ ne, de bonis operibus -- Probat Georgius Major -- Unde Summa doctrinæ Pelagii late „ vagata eſt, nec aliud doctrinæ genus re ipſa „ Scholaſticis Doctoribus, ut in Scoto, Okam, „ & ſimilibus reperta eſt; fuit enim multis „ ſeculis in Eccleſia Romana uſque ad Lu„ therum -- Probat Vedroſius *ſua antiq. ſect. antiq. ſect. 7. in examine rationis 23. Georgii Ratbi ex Hoſpiniano Tigurino Hiſt. Jeſuitarum lib. 4. cap. 3.* referente ſexaginta contradictiones, quibus inter ſe, & ab aliis Jeſuitæ diſſentiunt in præcipuis fidei capitibus. Ex Davide Paræo, qui *in ſuo Ironico cap. 25.* antiphraſes ducentas ſexaginta novem collegit ex Bellarmino, & aliis Pontificiis, circa principales fidei articulos. Ex Bellarmino, qui ſuo tempore (ut ipſe ait) enumeravit plus quam trecentas Sociorum ſententias in fide diſcordes. Ex Catherino, qui ducentos, & octo errores exhibuit Cardinalis Cajetani. Ex Franciſco Geringio, qui in tractatu ſuo, gladius

Goliath inſcripto, centena exempla contradictionum demonſtrat ex ſcriptoribus catholicis.

Reſonantibus undis fremit mare, ſed ubi ad littus pervenit, ſpumas deponens, non ultra progreditur; poſuit ei Dominus terminos ſuos. Bellico murmure ſtrepunt Apum greges per aera volitantes, ſed ubi a Paſtore aſperguntur pulvere, quieſcunt, & in ſuis receptis alvearibus favos mellis elaborant. Fluctus ſpumantis Maris adinſtar videntur Scholaſticorum diſputationes; at ubi ad dogma pervenitur fidei, albo Unitatis, & concordiæ oſculantur venerabundi fidei Regulam. Apes ſunt Theologi, qui ferveſcente dubiorum æſtu ſtrepunt, & mutuis ſe feriunt jaculis; at ubi incidunt in definitam a judice controverſiarum ſententiam, alternantibus amplexibus conticeſcunt. Hinc conſono affectu ſuſcipiunt a Sacris Conciliis editos Canones, a Patribus tradita anathemata contra Pelagianos, Arrianos, Donatiſtas, ceteroſque veteres Hæreticos ab Eccleſia præciſos. Quod ſi aliquis, vel ignoranter, vel temere labitur in errorem, illico a ceteris deſeritur, vel etiam a Paſtoribus punitur. Itaque tota lis Scholaſticorum circa modos explicandi continetur, cum plura myſteria quoad an eſt, revelaverit Dominus, quoad quid eſt, occultaverit.

11 DICES. Dogma Verbo Dei innixum ad fidem abſque dubio pertinet: ſed contradictiones Scholaſticorum verſantur circa dogmata innixa Verbo Dei; ergo. Franciſcani enim, ut Immaculatam Conceptionem probent B. Mariæ, Scripturis utuntur, & Patrum auctoritate; ſimiliter Dominicani contrariam partem ſuſtinentes.

RESP. Verbum Scripturæ, & Patrum Auctoritas ſunt etiam fontes præcipui, ex quibus concluſiones pure Theologicæ ducuntur; unde optime a Scholaſticis aſſumuntur ad probanda aſſerta ad fidem non ſpectantia. Verbum Dei canonice explicatum dogma fidei ſtatuit. Porro Franciſcani nullum dogma canonice ab Eccleſia explicatum urgent in favorem Conceptionis immaculatæ. Et ſi aliquando Eccleſia judicium dabit pro altera unius contradictionis, utraque pars litigantium ſtabit; & ſi quis reſiſtet, ut Hæreticus ejicietur a fidelium cœtu.

12 INSTABIS. Poſitio, quæ diſertis verbis dicitur de fide, non eſt ſimplex concluſio Theologica: ſed contradictiones Scholaſticorum verſantur circa poſitiones, quæ diſertis verbis dicuntur de fide; ergo. Hinc quidam ſoſtinent (hunc numero Pontificem legitimum, eſſe Succeſſorem Petri) eſſe veritatem de fide: alii autem negant; ergo. Plures aliæ ſimiles dantur quæſtiones.

RESP. Aliquid eſſe de fide ſtat dupliciter: quoad ſe tantum, & quoad ſe, & quoad nos. Quoad ſe tunc eſt, quando Myſterium illud eſt vere revelatum, quoad nos verò, quando præter revelationem authentice proponitur ab Eccleſia credendum. Contradictiones Scholaſticorum non verſantur circa poſitiones ſecundi generis, ſed primi, quatenus ex uno principio fidei certo deducunt aliud eſſe pariter revelatum. Sed quia ſub illo principio generali illud particulare non apparet neceſſario contineri, hinc fit, quod quibuſdam Scholaſticorum, ſubtilius connexionem rimantibus apparet concluſio neceſſaria; unde dicunt illatum eſſe de fide; aliis e contra non apparet neceſſaria, ideo negant eſſe de fide.

13 URGEBIS. Tunc poſitiones ſunt vere de fide, quando contradicentes fiunt Hæretici: ſed id accidit in contradictionibus Scholaſticorum; ſiquidem una pars alteram ut hæreticam damnat: Thomiſtæ enim Moliniſtas appellant Pelagianos; & Moliniſtæ Calvinianos dicunt Thomiſtas.

RESP. Inter Scholaſticos nulla pars alteram, velut hæreticam damnat, ſed ſolum illative poſitionem hæreticam appellat. Utuntur frequenter Theologi modo illo arguendi, qui apud Dialecticos dicitur ab abſurdo. Sciens argumentator, quod non poteſt adverſarius negare unum principium, conatur per illationes diſcurſivas oſtendere, quod ſi vera eſt poſitio contraria, cogatur defendens negare illud primum principium: v. g. novit Thomiſta, quod Moliniſta non poteſt concedere, nec concedet, principium, ſeu initium fidei eſſe a nobis, ſed eſſe a gratia Dei. Thomiſta conatur oſtendere, quod ſi Deus prævidet futura in ſpeculo ſcientiæ mediæ, ſequi initium fidei eſſe a nobis, quod eſt error in fide. Ex quo clare colligitur, quod utraque pars conſonat in Articulis Fidei, nec vult eos negare; aliàs velut ab abſurdo non poſſet formari argumentatio, cogendo adverſarium admittere hæreſim aliquam.

14 OBJIC. V. Vedroſius. Ideo in Eccleſia Romana ſtat Unitas doctrinæ, quia datur modus Unus, & certus determinandi lites ſententia definitiva: ſed hoc eſt falſum. Nam in Concilio Tridentino (Concilium enim eſt verum Tribunal) magni nominis viri, & primariæ litteraturæ in præcipuis fidei Articulis, ut Sacræ Scripturæ, Prædeſtinationis, Liberi arbitrii, Uſus calicis &c. Sententiam Reformatorum propugnarunt, victi numero ſuffragiorum, ſed non affectu. *Ex Hiſtor. Concil.*

RESP. Duo tempora ſunt diſtinguenda in Concilio Tridentino: primum præparatorium: ſecundum definitivum. Sub primo tempore neceſſariæ fuere diſputationes, ut detegeretur veritas, quod ſemper in uſu fuit ab Eccleſia a primis ſeculis, prævio exemplo Concilii Apoſtolorum Act. 15., in quo contentio magna facta eſt. Cum enim, etiam doctiores non ſemper ſtatim obvias habeant rerum connexiones, & in magna multitudine non omnes ſint æqualis eruditionis, neceſſe eſt, quod altercationes accidant, donec bene res digerantur. Sub ſecundo tempore firmata ſunt decreta, & in rebus fidei, utique conſonis ſuffragiis, & canonibus editis, nullus eſt auſus contradicere. Veritas tamen eſt, quod altercationes potiſſime verſatæ ſunt circa Scholaſticas quæſtiones, circa reformationes, circa privilegia, circa res facti, circa convenientias rituum accidentalium. Quare male in ſuas partes trahunt Proteſtantes quoſdam Tridentinos Patres.

15 DICES ex Vedroſio. Altercatio non componibilis ab eo, quem judicem agnoſcunt in materia doctrinæ fidei, arguit diſcor-

ſcordiam , ſed altercationes Scholaſticorum in rebus fidei non ſunt componibiles ab eorum Judice ; ſicut patet in contradictione Thomiſtarum , & Jeſuitarum circa phyſicam prædeterminationem . Conatus eſt Clemens VIII. 1597. litem componere , ſed morte præventus nequivit. Recruduit ſub Paulo V., qui non valens litem finire , ambigua fata reliquit. Controverſia taman non eſt de levi, ſed de re ſumma , videlicet , an juſtificatio hominis Deo ſit tribuenda , an viribus arbitrii .

RESP. Judex controverſiarum valet , & vult quamlibet controverſiam fidei reſolvere. Quæ verò inter Thomiſtas , & Jeſuitas fervet , non eſt fidei , ſed Theologica . Utraque pars expreſſe fatetur , ſe illæſum ſervata arbitrium , & initium fidei eſſe a Deo ; diverſificantur in modo explicandi , quomodo hoc fiat , & utrumque extremum componatur . Sed quia diſcurſus circueunt centrum duplicis Articuli fidei ; aliquale periculum eſt in laqueum incidendi , niſi caute procedatur , & cum argumentationes ad utriſque accipiantur ex connexis cum uno principio fidei , mutuis illationibus conantur ad abſurdum deducere . Thomiſta ex principio certo , quod omne donum deſurſum eſt , colligit neceſſitatem prædeterminationis , ne alicujus formalitatis ſupernaturalis admittatur primum principium creatura. Jeſuita ex Articulo certo noſtri liberi arbitrii deducit , non dari prædeterminationem , ne jura lædantur libertatis .

16 Inſtat Vedroſius . Non datur doctrinæ unitas , ubi utraque pars litigans ſententiæ Judicis non ſtat : ſed ita evenit inter Pontificios ; cum enim in contradictionibus illis graviſſimis in materia gratiæ Janſeniſtas inter , & Jeſuitas Innocentius X. moventibus Jeſuitis , damnaverit quinque propoſitiones , tamen Janſanitæ reclamarunt , & quotidie reclamant , appellaveruntque a Papa male informato ad Papam bene informatum , immo ad Concilium .

In hac Inſtantia manifeſte falſum ſupponitur , videlicet quod pars litigans , nolens ſubeſſe ſententiæ Papæ tanquam Judicis in iis, quæ de jure Divino ad ipſum judicare pertinet , inter unita Eccleſiæ membra cenſeatur. Immo eo ipſo quod quis judicio Papæ refragetur , uti refragari noſcuntur Janſeniſtæ notorii , vel occulti , impoſſibile eſt, quod Papæ tanquam capiti unitus permaneat , ideoque perneceſſe ab Eccleſiæ corpore ſecernitur, cenſuriſque in Apoſtolicis Conſtitutionibus prolatis configitur .

17 Omitto alia , quæ Vedroſius congerit ſub eadem methodo . Solum adverto . Proteſtantes dare propoſitionibus Scholaſticorum quandoque voluntarias explicationes, & erroneas , nullo modo præintentas ab ipſis Theologis: verbi gratia , ut , cum in Theſibus Claramontanis dictum eſt a Jeſuitis , Chriſtum ſucceſſoribus Petri reliquiſſe eandem , quam ipſe habet infallibilitatem : ipſi intelligunt in vera identitate , ubi de analogica ſermo eſt .

Dico II. Unitas ſoli Romanæ Eccleſiæ convenit .

18 PROB. I. Et quidem breviter ; non enim in animo eſt impræſentiarum infidelium ſectas impugnare , ſed ut quadam velut inductione , veritas noſtræ doctrinæ eluceſcat . Ubi eſt carentia principii , a quo omnis Unitatis perfectio , ibi Unitas reperiri nequit : atqui apud Ethnicos datur carentia Unius primi principii ; nam tot Numina pro veris Diis adorabant , quot Idola Sap. 13. *Infelices , qui appellaverunt Deos opera manuum hominum* . Ergo non habent principium Unitatis . Ad quod facit argumentum Divi Auguſtini *Serm.* 62. *de Verbis Domini* . In ea enim Secta Unitas ſubſtantialis adeſſe nequit , ubi admittuntur Dii ipſi ſibi contradicentes , & bellantes ; ſed in cœtu Gentilium ita res ſe habuit , admittebantur ſimul Numina pugnantia , Juno , & Hercules , & ſimilia ; ergo .

Apud Ethnicos deeſt principium unitatis .

19 PROB. II. Unitas doctrinæ , & Veritas ſunt idem ; ſed apud Ethnicos manifeſte non eſt Veritas ; ergo neque Unitas . Explic. minor . Veritas non componitur cum repugnanantia ad lumen rationis , ſed Ethnici repugnantia aſſerunt lumini naturæ . Nam Creaturas pro Deo habere lumini adverſatur rationis . *Simulacra gentium argentum , & aurum , opera manuum hominum* , Pſal. 113. *Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia*, Pſal. 95.

Unitas doctrinæ & veritatis ſunt idem .

Quo pariter argumento convincitur , Philoſophorum Sectam Unitate carere . Licet enim Platonem ſecuti , dicti Academici , vel Italici , Libyci , Ægyptii , Fredii , Perſæ , Galli , Hiſpani Unum Deum admiſerint , qui nobis ſit principium naturæ , & Veritas doctrinæ , & felicitas vitæ ; tamen cum eodem plurimis Diis Sacra eſſe facienda docuerunt , ut ex Auguſt. habemus *lib.* 8. *cap.* 12. *de Civit. Dei* . Et Hermes Philoſophus Ægyptius (quem Trimegiſtum vocant) bona , & vera quædam de Deo Uno protulit , ſed alios Deos fabricavit ; nam etiam noviſſimis temporibus Æſculapio , Mercurio , quos antea homines fuiſſe voluit , vere Divinos honores eſſe deferendos judicavit . Ibid. Aug. *cap.* 26. *ex hiſtor. Philoſ.* colligit , & *lib.* 18. *cap.* 41. demonſtrat diverſiſſimam fuiſſe eorundem doctrinam . Sufficit advertere ad diverſas , contrariaſque opiniones circa ultimum finem , ſcilicet Beatitudinem , quæ tamen radicale fundamentum eſt Religionis . Quare optime Baſilius *Orat.* 1. *de opere ſex dierum* dixit non eſſe contra Philoſophos pugnandum , cum ſuis diſſentientibus doctrinis interficiantur : Idem Theodor. *libro de fide* .

Philoſophorum ſecta caret unitate .

Mahumetanorum Secta eo abſurdius Unitate caret , quo turpiſſima contra lumen rationis docet , innumeraſque aſtruit contradictiones circa ſubſtantialia , quæ videri poſſunt apud Guadagnolum *in Apologia pro Chriſtiana Religione cap.* 9. *ſect.* 3. Eſtque diviſus Mahumetaniſmus in varias Sectas, ut in Turcas , Perſas , & Indicos .

Mahumetani lumini naturæ refragantur .

Judæorum Synagoga ſumma diviſione vagatur Templo carens , & Sacerdotio , adeoque ex capite Doctrinæ inconſtantiam profitetur . Suſcipiens enim Prophetarum Scripturas , myſteria , ubi tempus , locus , & cetera Chriſti myſteria denotantur , expreſſe ea negat . Deinde plura contradictoria reperiuntur in Thalmud, qui eſt liber ſummæ aucto-

Judæorum Synagoga diviſa .

ritatis apud ipſos ; itaut facilius abſolvatur, qui Moyſi contradicit, quam illi volumini, in quo *tract.* 5. *ordine* 4. *diſt.* 20. dicitur negari Deus, ubi Thalmud negatur. *Tract.* 2. *ordine* 5. aſſerit, quod Deus præcipit ſingulis pleniluniis hircum offerre pro peccato, quod Deus ipſe fecit, cum diminuit Lunæ lumen, & dedit Soli. *Ordine* 1. *diſt.* 1., & *ordine* 2. *diſt.* 5. dicit, quod Deus ſtatutis temporibus flet multis lachrymis, affligiturque ob peccatum, quod patravit in everſione Templi Jeruſalem, & in diſperſione Judæorum. Plura ſimilia contradictoria videri poſſunt apud Granatam *in Symbolo fidei*, apud Sixtum Senenſem *Bibliotheca Sancta lib.* 2. *verbo: Traditiones ſeniorum*. Non eſt immorandum in Secta Politicorum ; cum enim nullum agnoſcant Deum, animæ negent immortalitatem, nullius amplecti poſſunt Religionis Unitatem : & cum proprii intereſſe ductum ſequantur, neceſſe eſt in omne genus contradictionis erumpere. Fingunt quidem ſe Chriſtianos eſſe, ſed neque rationalitatis veſtigia ſequuntur, æqualem cum jumentis ſortem ſibi deligentes.

Deveniamus ergo ad Hæreticos, contra quos potiſſime eſt colluctatio. Paucis nihilominus expediemur, cum plura dixerimus *in prima Diſput. in Controv. de integritate fidei*. Unitas ad Eccleſiam neceſſaria conſiſtit in conſenſu doctrinæ fundamentalis, colligatione ad invicem membrorum, & ſubordinatione ad caput unum : ſed Hæretici carent his omnibus; ergo carent unitate debita veræ Eccleſiæ uno tantum colligati vinculo, ſcilicet, conſpiratione in deſtructionem Sponſæ Chriſti, Eccleſiæque: Unde a Sanctis Patribus comparantur vulpibus Samſonis, quæ dum ſeſe invicem mordebant, inſertos in colligatis caudis ignes in meſſem deferebant. Et ut Hieron. *in* 7. *Iſaiæ* habet -- In Eccleſiæ op„ pugnatione conſentiunt, juxta illud, quod „ Herodes, & Pilatus inter ſe diſcordantes, „ in Domini paſſione amicitiâ fœderantur -- Prob. min. quoad primam partem, argumen- *Hæretici carent unitate.* to deſumpto ex D. Paulo explicante naturam hæreſis. Judicium proprium uniuſcujuſque, ſeu ſpiritus privatus eſt regula explicandorum dogmatum apud Hæreticos: ſed judicium privatum nequit eſſe origo unitatis, ſed eſſentialis fons diviſionis, ut ex ſuo conceptu liquet; quia privatum, ideo diverſum; ergo &c. Hanc rationem acute promovet Tertullianus *de præſcript. cap.* 42. -- Mentior, ſi non etiam „ a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſ„ quiſque proinde modulatur, quæ accepit, „ quemadmodum de ſuo arbitrio ea compo„ ſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam „ ſuam, & originis ſuæ morem profectus „ rei. Idem licuit Valentinianis, quod Va„ lentino &c. -- Cum ergo careant Judice, per quem dirimantur controverſiæ, in contradictiones dividi neceſſe eſt.

Recurrunt quandoque ad Seculares Magiſtratus, vel ad Conventicula Provincialia, quibus acquieſcendum eſſe ſtatuunt vi, ſi non voluntate. Sed quid prodeſt? Si tot conſtituunt diverſos Judices, & contrarios, quot ſunt Principes, & particulares Magiſtratus, & diſparis profeſſionis Synagogæ. Quid prodeſt? Si fallibilia proclamant quæcumque A Concilia? Si examinari poſſunt cujuslibet arbitrio, & emendari? Opus eſt, tot revera eſſe fides, quot voluntates ; ſicut dilucide docet Hilarius contra Conſtantium Auguſtum -- Periculoſum nobis admodum, atque „ etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exi„ ſtere, quot voluntates, & nobis tot eſſe „ doctrinas, quot mores, & tot cauſas bla„ ſphemiæ pullulare, quot vitia ; dum aut „ fides ſcribuntur, ut volumus, aut intelli„ guntur : & cum ſecundum unum Deum, „ & unum Dominum, & Baptiſmum, etiam „ fides una ſit ; excidimus ab ea fide, quæ „ una eſt : & dum plures fiunt, ad id eſſe B „ cœperunt, ut nulla ſit -- Loquitur enim occaſione, qua Arriani patrocinati ab Imperatore; formulas fidei mutabant, eaſque Catholicis proponebant, ut unitatem ſimularent Eccleſiæ. Quod apprime convenit Proteſtantibus, qui toties Catechiſmos, & confeſſiones mutaverunt ; ut & ipſi neſciant, quænam ſit eis regula ſequenda.

20 Explicatur. Ibi nequit eſſe unitas, ubi Canon fidei eſt omnino inconſtans : inter Hæreticos eſt hujuſmodi ; ergo. Explicatur min. Apud Hæreticos, nec eſt conſtans regula recipiendi Scripturarum codicem, nec eum explicandi ; quidam enim tam ex C antiquis, quam ex modernis unam, aut alteram Scripturæ partem ſuſcipiunt, prout opportunum ſibi videtur pro ſuis erroribus ſtabiliendis ; & aliqui unam negant, alii illam admittunt. Circa modum explicandi turpius diſſonant. Alii volunt, ea ſolum credenda, quæ expreſſa ſunt in Scripturis, alii etiam, quæ non ſunt clara, alii totam, alii partem Scripturæ eſſe neceſſariam, alii litteraliter, alii myſtice locum eundem interpretantur ; ob quam rationem in tot multiplicati ſunt Sectas ; nam vere dixit Theodoretus *lib.* 2. *de curandis Græcanicis affectionibus*, affirmans -- Multimodas falſitatis ſemitas eſſe, ſi a ve- D „ ritatis regula receſſeris ; ac eorum, qui „ blaſphemiis gaudent, varios cuneos, & „ diverſa multum blaſphemiarum jacula ; „ mendacium enim multiplex, & varium ; „ ſed veritatis gratia ſimplex eſt -- Mendaces ſunt Hæretici, qui vel unam, & non aliam Verbi Dei partem ſuſcipiunt, vel ſuſceptam nunc uno, nunc altero modo explicant, ac proinde varii ſunt, ſed uniſoni in falſo aſſerendo.

21 Explicatur ulterius. Nulla unitas reperitur in forma fidei, ubi mira in fundamentalibus credendorum intercedit confuſio: atqui talis eſt in Sectis Hæreticorum, præ- E cipue modernorum; nam qui ſint apud ipſos fundamentales articuli, omnino obſcurum eſt, & contradictorium: Calvinus *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 16. cum aliis quibuſdam docet totam fidem eſſentialem conſiſtere in ſolo Symbolo Apoſtolorum. At Muſculus cum aliis prærequirit inſuper Symbolum Athan. *in locis tit. de Eccleſia*. Et Georgius Caliſtus *in reſponſ. ad Theologos Mogunt.* exigit Symbolum Nycænum. & CP., Anathematiſmos Epheſinos ; Chalcedonenſem confeſſionem in Neſtorium, & Eutychetem ; Synodum Africanam, Milevitanam, & Arauſicanam in Pelagium:

ſagium . Lutherus *tom. 7. in Enchiridion*, Beza *de Notis Eccleſiæ* cum aliis inſuper exigunt credere in Baptiſmum, & Orationem Dominicam . Sorberius verò *epiſt. dedic. in Orat.* Caſſander *lib. de Officiis pii Principis* , & alii docent ſufficere credere in ſolum Chriſtum , vel ſalvari per ejus merita . Lutherani quidam communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam ad fidei fundamentum tradunt, negant alii .

Adorandum Chriſtum in Euchariſtia communionis evulgant Lutherani , negant Calviniſtæ , quam diſcrepantiam *loco cit. prima Diſp.* proſecuti ſumus . Sufficit nunc teſtimonium inſuperabile addere Philippi Eilbrachatii *in ſua via compendiaria capit.* 11. Vir iſte educatus fuit inter Proteſtantes , exercuitque munus Superintendentis in Terra Juliacenſi: Sexagenarius ſola ſcripturarum lectione, Sanctorum Patrum, & reflexione ad concordantiam doctrinæ Romanæ Eccleſiæ cum primitiva , abjurata Hæreſi una cum filia , quam habebat, amplexus eſt unitatem Romanæ Eccleſiæ an. 1628. Verum timens bonorum temporalium pœnuriam , & advertens non multum æſtimari apud Catholicos ; blanditiis nobilium , & inſidiis Proteſtantium illectus , & furtivò captus rediit ad vomitum , conatuſque eſt contra conſcientiam librum revocare , ſed fruſtra ; veritas enim naturam non immutat ob hominum verſibilitatem .

Proteſtans igitur hic dicit -- Secundo , „ notandum eſt , Reformatos in deſcribendis doctrinæ fundamentalis (quam vocant) „ articulis , nec inter ſe convenire , nec ſibi „ ipſis conſtare . Interdum enim generatim „ tantum dicunt , fundamentum ſalutis eſſe „ Chriſtum, ſive ſalutem per Chriſtum ; in„ terdum fundamentalem doctrinam tam late „ extendunt, ut quæcunque in ſacris litteris „ traduntur , comprehendat ; aliquando ad „ præcepte Decalogi eam , & Articulos fidei „ reſtringunt ; interdum in toto articulo de „ juſtificatione contineri docent ; interdum „ plures alios doctrinæ fundamentales eſſe „ volunt , ac non tantum , alii plures , alii „ pauciores, alii alios, ac diverſos, ſed etiam „ contrarios ; itaut , quod alii fundamenta„ les referunt , eoſdem alii non fundamen„ talibus arceſſant , & e contra -- Quod ita eſſe oſtendit ex Reformatorum Confeſſionibus , & doctrinis diſtincte .

Babelis confuſio inter Hæreticos.

Turris ergo Babelis eſt Hæreticorum cœtus , ubi linguarum confuſio , ut docet Hieronymus *in Matth. cap.* 10. *Aſt.* 17. In tabernaculo Dei ergo non ſunt ; protegit enim illud Chriſtus a contradictione linguarum . Hinc *in Pſal. Aug.* -- Illa (Eccleſia) taber„ naculum dicitur , quia in hac terra adhuc „ peregrinatur ; tabernaculum enim eſt ha„ bitaculum in expeditione poſitorum ; ergo „ in hoc tabernaculo proteges eos a contra„ dictione linguarum . Contradicunt linguæ „ multæ , diverſæ hæreſes, diverſa ſchiſmata, „ diverſæ doctrinæ; tu curre ad tabernaculum „ Dei ; Eccleſiam Catholicam tene ; a regula „ unitatis noli diſcedere , & proteger is in „ tabernaculo a contradictione linguarum -- *Et Pſal.* 74. -- Qui volunt unam linguam , „ veniant ad Eccleſiam , quia & in diverſi„ tate linguarum carnis , una eſt lingua in „ fide cordis --

Inter Hæreticos nota diviſio.

22 Secunda pars min. oſtenditur . Non eſt unio membrorum , ubi eſt in diverſas Sectas notiſſima diviſio : ſed hæc pleniſſime reperitur inter Hæreticos ; ergo apud ipſos non eſt unio membrorum. Quod eſt argumentum Sanctorum Patrum , inter quos Juſtinus *quæſt.* 41. *ad Orthodoxos* -- Nunc ergo , cum dam„ nent alii alios ob opinionum diſſenſiones , „ perſpicuum eſt, omnes hæreſes occaſionem „ habuiſſe ab ambitione , & mutua invidia „ Hæreſiarcharum , propter quam cauſam lu„ pi rapaces ab Apoſtolo nominati ſunt -- Et Cyprianus *lib. de Unit. Eccleſ.* -- Et cum Hæ„ reſes , & Schiſmata poſtmodum nata ſint , „ dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, „ veritatis caput , atque originem reliquerunt -- ideſt Eccleſiam. Hic jucundiſſima eruditione poſſet demonſtrari , ſed in re nota labor eſt inanis . Sufficiat pauciſſima deliberare . De primis Hæreſibus aperte tradunt Sancti Patres ſtatim in plures phalanges fuiſſe diſſectas. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 21. oſtendit ex Simone Mago ſtatim ortos Menandrianos , Baſilidianos, Saturnianos ; & de Valentinianis aſſerit , quod duo , vel tres idipſum ſentiebant *lib.* 1. *cap.* 5.

Marcioniſtæ pepererunt Lucianiſtas. Appellianos , Severianos, ſic apud Epiph. *lib.* 1. *tom.* 3. *de Hæreſ.* Montaniſtæ ediderunt Pepuſianos, Artotyritas, Phrygaſtas, & alios, apud eundem *lib.* 2. *tom.* 1. Meſſaliani dederunt Martyrianos, Satanianos, Euthuſiaſtas, apud eundem *Hæreſ.* 80. Macedoniani duo pariter capita prodiderunt . Donatiſtæ fecerunt Rogatiſtas , Maximianiſtas , Circumcilliones , alioſque apud Aug. *lib.* 1. *de Bapt. cap.* 6. Ariani diviſi ſunt in Acacianos . Macedonianos, Eunomianos, Æthianos , Eudoxianos , alioſque plures , de quibus Amb. *de fide lib.* 1. *cap.* 4. Epiphanius *hæreſ.* 73. Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 29. Ruffinus *lib.* 10. *Hiſtor. cap.* 25., de quibus Arrianis Hilarius docet ſingulis annis mutaſſe fidem . Ambigentes (ideſt illi , qui peractis Conciliis , Epheſino , & Chalcedonenſi contra Neſtorium , & Eutychetem ſuſpenſi , & dubii remanſerunt) ſtatim in duodecim Sectas diviſi ſunt . Ex Eutycheris caſtro prodierunt Acephali, Jacobitæ, Theodoſiani, Julianiſtæ . Ex Neſtorii campo exierunt Tritheitæ , Agnoetæ , Theopaſchitæ , Armeni . Severitæ , Aphartodicitæ , ita apud Niceph. *lib.* 18. *Hiſt. cap.* 45. Videndi ſunt Euthimius *in Panoplia* . Theodoretus *in libello Hæreticarum fabularum* . Epiphanius *in Panario* . Philaſtrius , Damaſcenus *de Hæreſibus*, Soſomenus , Socrates , Euſebius , Evagrius , Zonaras *in Hiſtoria Eccleſiaſtica*, qui manifeſte oſtendunt cujuslibet Hæreſis in diverſas Sectas diviſionem .

Novatorum ſecta multiplicata .

Verum nullibi portentoſior conſpicitur diviſio , quam inter Hæreticos noſtri temporis. Staphilus *libello de concordia diſcipulorum Lutheri* ſuo tempore uſque ad triginta quatuor claſſes enumeravit , nunc vero ſupra centum leguntur ex ſchola Lutheri ortæ . Anglia pariter ſupra centum ſpecies religionis fovet , ab uno principio emanatas , totidem , & plures Hollandia . Sacramentarii diviſos

partim

partus viperinos ediderunt. Calvinus verò
adhuc in terris agens tantas conſpexit ſuo-
rum diſcipulorum claſſes, ut extremam bar-
bariem orbi impendere timuerit in præfatio-
ne Catechiſmi Genevenſis. Hinc manifeſte
convincitur Proteſtantes propriam habere No-
tam Hæreticorum, ſectionem, ſcilicet, in
diverſas Synagogas, etiam ex Luthero *lib. de
votis Monaſticis in poſtilla*, cujos verba dedi-
mus *Controver. citata*; pariterque deducitur
cum antiquis Hæreticis eos convenire, ex eo-
dem argumento, cum ibidem exemplificet
idem Lutherus in diviſionibus Arrianorum,
Donatiſtarum, Pelagianorum.

Clarior innoteſcit ex ſcriptis, quibus
ſeipſos vexant Hæretici, quod optime proſe-
quitur Stapletonius *de Eccleſ. in ſe lib.4. Con-
trov. 1. cap. 13.* adducendo contrapoſitiones,
tempora, auctores, tam diverſarum Sectarum
ad invicem, quam unius Sectæ; apparetque
dilucide diſcordia, ex quo, cum ſæpenumero
in unum convenire ſtuduerint, nuſquam id
efficere potuere: & merito ſane: in ſubſtan-
tialibus namque diſſidium eſt.

Verum inter Novatores ſciſſio magis elu-
ceſcit ex mutuis cenſuris, quibus ſe ut Hæ-
reticos, Atheos, Mahumetanos, Arrianos
damnant. Lutherani Calviniſtas, & ex ad-
verſo; Lutherani, & Calviniſtæ Anabapti-
ſtas, & ex adverſo. Calviniſtæ, & Luthe-
rani contra Trinitarios, & ex adverſo. Pro-
teſtantes contra Puritanos, & ex adverſo,
fatenturque ad unum omnes diſſenſiones eſſe
non de levibus, ſed de præcipuis articulis fi-
dei, ut de libero arbitrio, de Prædeſtinatio-
ne, de Dei Omnipotentia, de perſonali dua-
rum naturarum in Chriſto unione, de glo-
rioſo Chriſti corpore, de Aſcenſione, de
efficacia Baptiſmi, & ſimilibus. Talis eſt di-
viſio, ut trecentum explicationes enumeren-
tur pro interpretandis illis verbis. *Hoc eſt
corpus meum*. Quare ſicut probat Calvinus
Anabaptiſtas Hæreticos eſſe in inſtructione
adverſus Anabaptiſtas, ex eo quod diviſi ſint
in doctrina -- Sed ſit immenſum quoddam
„ deliriorum mare, adeout vix unius Ana-
„ baptiſtæ caput reperiri poſſit, quod non ſit
„ imbutum aliqua opinione diverſa a reli-
„ quis -- ita legitime concluditur nullam
Proteſtantium ſectam eſſe de Populo Dei pro-
pter eandem diviſionem.

23 Tandem ſic arguimus ex Luthero
lib. de votis Monaſticis -- Mendacia certina di-
„ gnoſcere non poteſt, niſi quando ſibimetipſis
„ contraria ſunt; a Deo enim ita ordinatum
„ eſt, ut Impii ſemper ſeipſos confundant;
„ & quod mendacia non conſonent, ſed ſem-
„ per contra ſeipſa teſtentur -- *Et lib. contra
Emſerum* -- Si ſemel deprehenderer menti-
„ tus, falſus, & craſſe ſtolidus; jam tota
„ mea doctrina, & honor, & fides, & fi-
„ delitas finem penitus haberent, Unuſquiſ-
„ que me pro nequam, & infami Nebulone
„ habiturus eſſet -- Atqui Hæretici in aſſertis
fidei pugnantia docuerunt; ergo. Mihi ex-
plic. breviter aliqua aſſerendo exempla ex Lu-
thero, & Calvino.

*Pugnantia docent Hære-
tici.*

De Luthero circa unum articulum de
communione ſub utraque ſpecie enumerantur
36. variatæ ſententiæ apud Cochlæum in Se-

ptiçipite. Qualia contradictoria dixerit in
A decurſu ſuorum operum? Innumera prope-
modum. In aſſertionibus *art. 36., & de ſer-
vo arbitrio* affirmat Deum eſſe peccati aucto-
rem, negat *ad cap. 9. Exodi; & ad cap. 16.
Joannis*. *In poſtilla de feſto Nativitatis Chriſti*
affirmat in Chriſto duas naturas, humanam,
& Divinam; negat *in confeſſione ſua*. *In E-
vang. de Conceptione B. Mariæ, in Evang. de
feſto Deiparæ* affirmat Mariam ab omni pec-
cato immunem, negat *in Evangel. Dominica
prima ab Epiph.* aſſeritque nullum eſſe eſſe ma-
jorem peccatorem. *Et Serm. de Nativit.* audet
ſe comparare cum illa in Sanctitate blaſphe-
mus Nebulo. De decem præceptis *in reſolu-
B tionibus*; de antiqua Eccleſia *in reſp. ad Dia-
logum Silveſtri Prieratis* affirmat Eccleſiam non
poſſe errare, negat *in poſtilla Eccleſiaſtica in
Evang. Dominica prima poſt Epiph., de abro-
ganda Miſſa, de Captivitate Babylonica*.

*In Proteſtatione, & Epiſtola ad Marchio-
nem Magdeburgenſem* affirmat traditiones eſſe
accipiendas, negat *in aſſertione articulorum
ad Leonem X. de ſervo arbitrio. In diſput. Ly-
pſica in aſſertionibus art. 16. contra Zuinglium,
& Œcolompadium, in declaratione Eucbariſtica*
affirmat ſtandum eſſe judicio Conciliorum,
negat contra Regem Angliæ; *ad cap. 15. A-
ctorum, de formula Miſſa. Epiſt. ad Leonem X.,
Epiſt. ad Cajetanum, appellatione prima ad Leo-
C nem X. in reſolutione aliarum propoſitionum an.
1519., in reſolutionibus de Indulgentiis concl.
69., & alibi* affirmat Romani Pontificis Pri-
matum, negat in captivitate Babylonica *in
reſponſ. adverſus Catherinum contra Regem An-
gliæ, & alibi. Lib. de bello adverſus Turcas
in Pſal.* 102. de ſeculari poteſtate affirmat ſe-
cularem Magiſtratum non eſſe Judicem Ec-
cleſiaſticorum, negat ad Chriſtianam nobili-
tatem Germaniæ. Quid plura? Videatur Jo-
docus Coccius *in ſuo Theſauro Controverſia-
rum lib. 8. de Signis Eccleſiæ art. 7.*, qui 80.
collegit contradictiones in præcipuis articulis
D affertque loca, & verba fideliſſime, ibi eo-
dem modo oſtendit Philippum Melanctonem
primarium Diſcipulum Lutheri, & Sectæ de-
fenſorem ſibi contradicere, enumeratque
quatuordecim capita præcipua cum ſuis teſti-
moniis.

24 Nec ſibi conſtans eſt Calvinus, qui
ad cap. 1. Luc. Deum fore Omnipotentem affir-
mat, quod negat *ad cap. 23. Iſaiæ*. Vult Deum
peccati auctorem *lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 1., &
2., & alibi*, ſed ab hac blaſphemia recedit
ad capp. 4. 15., & 23. Chriſtum Deum eſſe
confitetur *ad capp. 1., & 14. Joan.* verum ſen-
tentiam ſuam reprobat *lib. adverſus Valenti-
E num Gentilem*. Propugnat Trinitatis nomen
Epiſt. 350. aſt ſcribens an. 1563. ad Polonos
id renuit aſſerere. *Ad cap. 26., & 27. Mat-
thæi* Chriſtum de ſua ſalute non deſperaſſe
contendit, oppoſitum ſentit *lib. 2. Inſtit. cap.
16.* Catholice ſcribit *ad cap. 5. Epiſt. ad Rom.*
Chriſtum pro omnibus paſſum, id tamen ne-
gat *ad cap. 17. Joann.* affirmat Chriſti mor-
tem nobis profuiſſe *ad cap. 22. Luc.*, ſed ei-
dem veritati refragatur *lib. 2. Inſtit. cap. 16.
§. 10.* Plures alias contradictiones reſcribit
citatus Coccius *loco adducto art. 3., & art. 4.*
oſtendit Lutheranos a Lutheranis diſſentire,
&

Novatores inter ſe diſcordes.

& mutuis ſe ſcriptis damnare; *Art.* 5. Sacramentarios a Sacramentariis. *Art.* 6. Anabaptiſtas ab Anabaptiſtis. *Art.* 7. Trinitarios a Trinitariis. *Art.* 8. Sacramentarios a Lutheranis. *Art.* 9. Lutheranos a Calviniſtis diſcrepare. *Art.* 10. damnationes, & diſſenſiones in præcipuis fidei myſteriis Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, aliarumque Sectarum exiſtentium, loca, verba, auctores fideliter refert, quibus conſtat ſpiritum vertiginis in eos Dominum imiſiſſe.

A

25 Tertia pars facile probatur. Nihil enim eſt, a quo adeo abhorreant Hæretici, quam ab unitate capitis viſibilis: in hoc fere vires omnes acuerunt, ut Caput everterent; & ſi aliquando caput admittunt, ineptum aſſerunt, ſeculares videlicet perſonas, contra manifeſtam Scripturam, & rationem. In qua pariter Scriptura ſoli Petri Succeſſori conſtat privilegium viſibilis Capitis eſſe conceſſum, & Patres antiqui docuerunt, praxiſque primitivæ Eccleſiæ confirmat, a quo, cum diſcedant Hæretici, etſi aliud ſibi ſubſtituant, nullum habere Caput convincuntur. Concludamus cum D. Hieron. *in* 3. *Abacuc* -- Sicut Eccleſia, & omnis viri Chriſtus eſt „ Caput, ita cunctorum Dæmonum, qui in „ hoc ſeculo debachantur caput eſt Beelzebub -- Rurſus -- Plura Hæreticorum capita ſunt, quæ cum diverſos oculos habeant; tamen in una (& ut ita dicam) „ lingua blaſphemiæ adverſum Eccleſiam latrant --

Ab unitate capitis recedunt.

B

C

26 DICES. Sed in hoc ipſo elucet unitas Hæreticorum; id enim uno ſenſu intendunt Idolomanſam Eccleſiæ Romanæ evertere; ad hoc enim miſſi ſunt, & ideo Reformatores dicuntur.

Quam pulchre nominum, & rerum mutantur appellationes? Huc uſque concordia in ſubſtantialibus, & rationalibus diſcordiis credita eſt perditorum conſpiratio. Unum habet Eccleſia altare, idolomanſam execrans, quæ etſi per impoſſibile daretur, augeretur, non purgaretur tot apertis contradictoriis contra Scripturam, contra Deum, contra Concilia, contra Patres, & rationem.

D

27 INSTABIS. Etiam Romana Eccleſia ſciſſa eſt in Sectas, ut Nicolaitarum, Simonianorum &c.; ergo ex quo Hæretici ſtatim diviſi ſint in ſectas, non colligitur defectus unitatis, vel concedendus eſt Romanæ Eccleſiæ.

Negatur ant. Non enim illæ Sectæ Romanæ erant, ſed contra Romanam Eccleſiam, licet fuerint hominum, qui prius profeſſi ſunt Eccleſiam Romanam, & propter hoc Hæretici facti ſunt, quia exciſi fuerunt ab Eccleſia Romana; rami exciſi ſunt, integra remanente arbore.

E

28 URGEBIS. Idem dicatur de aliis Sectis, quæ dum dividuntur, una ex illis vera eſt, ceteræ verò falſæ.

Hoc capectabamus, ut ad hominem pro Romana concluderemus. Ideo v. g. Sectæ a Luthero ſe ſegregantes ſunt falſæ, & illa Lutheri eſt vera per ipſos, quia ab ea tanquam a priori ſe ſeparaverunt: ſed Secta Lutheri ſe ſeparavit ab Eccleſia Romana tanquam a priori, quæ ex ejuſdem confeſſione aliquando, & primis ſeculis vera fuit Eccleſia; ergo eſt falſa, & computanda cum Sectis Arrianorum, Pelagianorum, & ſimilium. Dividi in Sectas ergo ſtat dupliciter, primo ita quod una habeat conſiſtentiam, & ſemper dicat, quod dicebat antea, & ex hoc capite non implicat manere unitatem, ſecundo, ita quod non ſibi ſit conſtans ſub diverſis temporibus, & tunc implicat haberi unitatem. Eccleſia Romana ſemper fidei conſtans fuit; ſemper enim idipſum ſenſit, ſecus Hæretici; deinde diviſio Sectarum quæ oriuntur excundo ab Eccleſia Romana, non radicatur in natura Eccleſiæ Romanæ, quæ habet certam Regulam componendarum Controverſiarum, apud Hæreticos autem multiplicitas Sectarum per ſe radicatur in natura hæreſis, quæ ſecundum arbitrium varium, & inconſtans regulatur, illique innititur.

Unitas doctrinæ [illegible]

29 REPLICABIS. Tempore Auguſtini Africana Eccleſia vera erat, etſi diviſa a Romana, nam ut patet in Concilio Carthag. VI. recuſavit appellationes ad Bonifacium Papam.

Sed hoc eſt ſolemne mendacium. Aug. ipſi Bonifacio corrigendos ſubmiſit libros ſuos, gloriaturque ſe Romanæ adhærere Eccleſiæ. Non ergo Africani Patres appellationes recuſaverunt, ſed miniſtrorum quorundam carpebant modum in reſolvendis appellationibus; nimium enim ſibi arrogabant contra intentionem Apoſtolicæ Sedis.

CONTROVERSIA II.

AN SANCTITATIS NOTA CONVENIAT ROMANÆ ECCLESIÆ, ET SOLI.

30 SAnctitas ſcopus eſt, in quem dirigunt moderni Hæretici omnem impetum; in hanc inſurgunt, iſtam impetunt, hanc lacerant. Ubi Sanctam audiunt Eccleſiam Romanam, fremunt, & in eam, quæcumque occurrunt ſcommata, evomunt. Quorundam Prælatorum, ac Monachorum vitia mediatus Lutherus ſuam prætenſam Reformationem auſpicatus eſt, & ut Plebi ſpeciem veritatis ingereret, abuſus quoſdam recenſens, univerſam Eccleſiam Romanam maculavit. Crimina diſſeminans, verbis ſæpe contumelioſis eam traduxit, vocavitque Satanæ Synagogam, Purpuratam Meretricem, Babylonem: unde contra eandem librum inſcriptum edidit: *De captivitate Babylonica*; & alterum, cui titulus: *Contra Papatum a Diabolo fundatum*. Hinc Magdeburgenſes *Centuria* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *col.* 16. non ob aliud recipiunt ut Canonicum librum Apocalypſis, niſi quia contra Romam plurima iniqua dici contendunt ſub typo Babylonis; ſingulíſque Centuriis nihilo magis incumbunt, niſi ut Sanctitatem Romanæ Religionis denigrent.

Eandem premit ſemitam Calvinus *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 2. §. 3., ubi fœtidam Meretricem appellat, & *cap.* 7. §. 27. furorem eructans in Pontifices, ac Cardinales, audet aſſerere -- Primum arcanæ illius Theologiæ, quæ

„ inter

„ inter eos eſt, & regnat, caput eſt, nullum „ eſſe Deum — *& ad caput 7. Joan. in illa verba: Quis veſtrum ſine peccato eſt*, ait — „ Hæc Papalis Theologia; Chriſtum hoc loco „ legem gratiæ attuliſſe, qua datur adulteris „ impunitas — & alibi pejora. Mornay in odium Romanæ Sanctitatis librum ſcripſit, cui titulus: *Myſterium iniquitatis*. Povellus *lib. 1. cap. 1.* aſſeclas Romanæ Eccleſiæ appellat mancipia Satanæ, Antichriſti ſatellites, Turcis deteriores. *Et lib.* 2. Cardinales, Epiſcopos, Monachos vocat Locuſtas vaſtatrices, homicidas, mendaces, & his paſſim a Proteſtantibus prædicantur encomiis Catholici veritatis cultores. Brentius *apud Sotum in defenſione cap.* 39. Romanam Eccleſiam vocat aſoticam, ideſt non acceptam Deo, non ſanctam, non formoſam, ſed expoſitam libidini Satanæ, & omnium Angelorum ejus; nihil inveniri in ea, niſi mendacium, & vanitatem. Non vacat alios recenſere.

Dicendum tamen Rom. Eccleſiæ apprime convenire Sanctitatis notam. Ut breviori calamo veritas evincatur, rem totam ex Sanctitatis etymologia abſolvemus. Porro Sanctum ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 8. apud Græcus inde dicitur, quia mundum, & firmum, apud Latinos quia ſanguine tinctum, quia ex mundo principio, quia Deo mancipatum. Ex his ſic inſtituitur argumentum.

31 PROB. I. Munditia, quæ eſt propria Sanctitatis, importat impermixtionem, ſeu ſeparationem a terra, & conjunctionem cum ſuperiori principio Deo, ſed in Eccleſia Romana datur hujuſmodi munditia; ergo datur Sanctitas. Maj. eſt explicatio terminorum; immundum enim dicitur, quod alteri inferiori miſcetur, ut aurum luto: mundum verò, quod alteri jungitur, tamquam ſuperiori. Min. explicatur ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 7. *art.* 2. Commixtio, & conjunctio, vel eſt in voluntate, vel in intellectu, ſed Eccleſia Romana, tam partis intellectivæ, quam partis volitivæ retinet impermixtionem. Ex parte intellectiva, quia omnem errorem in fide execratur, illibatamque ſervat, quam per Apoſtolos accepit a Chriſto doctrinam, cui tamquam principali capiti unitur: hinc quoties exorta eſt hæreſis aliqua, aridos obtruncavit palmites, Decretis Apoſtolicæ Sedis, Conciliorum Generalium, & Provincialium anathematiſmis.

In Rom. Eccleſia datur munditia mixtio.

In Romano damnatur Novatianus ſub Cornelio anno 250. In Nicæno I. Arrius ſub Silveſtro 325. In Gangrenſi Euſtachius ſub Silveſtro. In Conſtantinopolitano I. Macedonius ſub Damaſo. 366. In Aquilejenſi Palladius cum Secundiano ſub Siricio. 384. In Mediolan. Jovinianus ſub eodem. In Milevitano Pelagius ſub Innocentio I. 401. In Epheſino Neſtorius ſub Cœleſtino I. 413. In Chalcedonenſi Eutyches ſub Leone I. 440. In Bracharenſi I. Priſcillianus ſub Honorio I. 622. In Conſtantinopolitano III. Sergius cum ceteris Monothelitis ſub Agathone. 679. In Nicæno II. damnantur Iconomachi ſub Adriano I. 787. In Lugdunenſi IV. Græci ſub Gregorio X. 1271. In Conſtantienſi damnatur Wiclephus ſub Martino V. 1417. In Tridentino omnes præcedentes hæreſes denuo execratæ a Lutheranis, & Calviniſtis execrantur. Ex quibus patet Eccleſiam Romanam ſemper eandem tenuiſſe methodum reſecandi pullulantia draconum capita; quod evidentius demonſtrari poſſet inductione aliorum Conciliorum, & Sedis Apoſtolicæ definitionum. Eſt ergo impermixta ab erroribus, ſuperiorique Chriſti Sapientiæ, Apoſtolorumque conjuncta. Dicamus ergo cum Irenæo *lib.* 3. *de hæreſibus cap.* 3. — Ad Eccleſiam Romanam „ propter potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hæc „ eſt eos, qui ſunt undique fideles; in qua „ ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata „ eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio; cum „ enim ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet „ Eleutherius. Hac ordinatione, & ſucceſſione „ ea, quæ ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, „ & veritatis præconizatio, pervenit uſque „ ad nos — *Et cap.* 4. poſtquam oſtendit apud alios non eſſe quærendam veritatem, Romanam eſſe depoſitarium veritatis declarans, ſubdit — Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes „ autem reliqui fures, & latrones —

32 Ex parte volitiva quis apertam non videt impermixtionem vitiorum, quæ totis viribus execratur Eccleſia Romana? Quis non admiratur perfectam illam conjunctionem cum ſuperiori principio Deo, quam ſtudet in ſuis promovere? Duo illa præcepta diligendi Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, quo tendunt, niſi ut totus homo rectificetur erga Deum, ſeipſum, & ceteros? Ad quid ſtudium illud, primos concupiſcentiæ motus extinguendi, niſi ut omnimodam cordis puritatem obtineat? Cur prædicat, & verba otioſa a Deo judicanda, & leviora mendacia flammis punienda, niſi quia minimas etiam adverſatur maculas? Quo reſpiciunt innumera illa media expiandi conſcientias, confeſſionibus, contritionibus, Sacramentalibus, Indulgentiis? Quo infinitæ propemodum carnificinæ, adinventiones flagellorum, jejuniorum, vigiliarum; niſi ut rebellis ſubdatur appetitus? Quo ſollicitudo illa paſtoralis Pontificum, & Epiſcoporum in proſcribendis doctrinis laxitatem ſapientibus, in examinandis libris excudendis, in prohibendis editis; niſi ut noxia evellantur paſcua? Quo concionum frequentia, & catechiſmi, niſi ut erudiantur fideles a vitio fugere, virtutem proſequi? Dicat ergo Cyprianus de Eccleſia ſupra petram fundata, ideſt Romana, *de unit. Eccleſ.* — Adulterari non poteſt Sponſa „ Chriſti, incorrupta eſt, & pudica unam „ Domum novit, unius cubiculi ſanctitatem „ caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſervat, hæc filios Regno, quos generavit, „ aſſignat —

33 PROB. II. Ex ſecunda etymologia Sanctitatis, quæ eſt firmitas: hæc autem in eo conſiſtit, quod legibus puniatur reus; ſancta enim dicebantur ab antiquis, quæ erant ſanis munita legibus, quas violari non licet; ſicut docet Iſidorus *lib.* 15. *Etymol. cap.* 4., ſed Romana Eccleſia eſt ſanctiſſimis munita legibus; ergo eſt Sancta. Ideo de ea dicebat *Pſal.* 103. — Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum „ ſeculi

In Rom. Eccleſia Sanctitas legum.

„ ſeculi -- Minor explicatur. Eccleſia Romana ſuſcipit præcepta Decalogi, quibus ſecundum honeſtatem naturalem rectificatur homo, eaque obſervanda proponit; recipit, docetque ſuos præcepta a Chriſto tradita, & ab Apoſtolis ſcriptis conſignata, quibus in ordine ſupernaturali dirigitur fidelis; ſuſcipit, & prædicat præcepta non ſolum, quæ exteriorem partem exornant, ſed quæ interiorem maxime perficiunt, virtutum Theologalium, ac moralium; ſuſcipit conſilia Evangelica, in quibus admirabilis ſanctitas, & perfectionis ſumma continetur; recipit, & prædicat omne bonorum operum exercitium in Scripturis contentum, & lumini rationis conſonum; recipit univerſalia quædam Eccleſiaſtica præcepta, quibus extimulantur fideles ad Dei obſequium, & ad conſcientiæ puritatem. Turris eſt illa, Romana Eccleſia, ex qua mille Clypei pendent, omnis armatura fortium, qua firmetur in bono, & inſurgat adverſus malum. Repetat ergo Procopius Chriſtianæ fidei diſciplinam -- Si alii „ unquam Romani præcipue ſunt venerati &c. „ Inſuper ad pietatem trahit, virtutem per„ ſuadet, immortalitatem perdocet, ad cœ„ leſtium deſideria excitat --

Sancta eſt Romana Eccleſia in his, ſive fidei, ſive morum legibus, a quarum prædicatione, & ſuſceptione non defecit, innumeris agitata procellis, & Tyrannorum perſequentium impetu concuſſa iterle, & Hæreticorum Imperatorum conſpiratione pulſata, & male feriatorum Principum Catholicorum contumacia turbata, & ſchiſmatum frequentia in electione Pontificum, Conſilio impiorum confuſa, & conciliabulis in Sedem Apoſtolicam excitatis, & bellis pluries vaſtata, & Patriarcharum Orientalium defectione imminuta, Occidentalium Regum; & Imperatorum inſolentia, & civium Romanorum tumultuatione ſæpe tentata, & Epiſcoporum præcipuorum Italiæ ſuperbia rebellante; & nonnullorum præſulum patratis ſordibus; & Pſeudopoliticorum fraudibus, omniniſque vexata modis, tentata, excuſſa, nunquam naufragium pertulit primævæ Sanctitatis. Nam Aug. docente *in Pſal. contra partem Donati* -- „ Hæc illa Sedes eſt, quam ſuperbæ non vin„ cunt inferorum portæ --

34 PROB. III. Ex tertia Sanctitatis etymologia, quæ eſt ſanguine tingi: de qua *Iſaia 62. Populus Sanctus, Redempti a Domino*. Et 1. Petri 2. *Gens Sancta, Populus acquiſitionis*. Romana Eccleſia eſt perfectiſſime Chriſti ſanguine tincta; ſuſcipit enim, & prædicat ſeptem Sacramenta ex paſſione Chriſti vim ſanctificativam habentia pro quolibet ſtatu indigentiæ fidelium. Baptiſmus enim emundat a peccato originali, introducitque in Eccleſiam. Confirmatio corroborat pugnantes contra hoſtes fidei, tribuendo robur pro fide confitenda. Euchariſtia animam nutrit, reparando quod deperditur per quotidianos defectus, adultoſque in ſpiritu impinguat. Pœnitentia per grave peccatum mortuos vitæ reſtituit. Ordo Miniſtros Templi, & diſpenſatores Divinorum conſecrat, tribuitque auxilia ad rite perficienda Eccleſiaſtica munia. Matrimonium contractum elevat, communicatque gratiam ad illud rite, ſanctæque exercendum. Extrema unctio in agone mortis corroborat contra inimici inſidias, abſtergit peccatorum reliquias, & ad portum ſalutis tranſmittit; ergo in Eccleſia Romana datur vis ſanctificativa in gradu perfecto.

Sacramenta Eccleſiā ſanctificant.

35 PROB. IV. Ex quarta Etymologia, quæ eſt eſſe a mundo principio, non ſolum originative, ſed etiam exemplariter juxta illud Matth. 5. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt*; & illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Atqui Eccleſia Romana eſt a mundo principio originative, de quo non eſt dubium, ſed etiam exemplariter; ergo. Min. explicatur. Chriſtus proponens ſe exemplar fidelibus ſuis ait Matth. 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde &c.* Phil. 2. *Factus obediens uſque ad mortem &c.* Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*. Quæ explicat Paulus ad Coloſ. 3. *Induite vos ergo, ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hac charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*. Sed maniſeſte hæc prædicat, & docet, & potiſſime charitatis præceptum erga inimicos, itaut reprobet nolentes injurias remittere, & inimicos diligere; carnis macerationem, a qua adeo abhorret animalis homo, apprime ſuſcipit, indicitque ſingulis hebdomadibus a cibis delicatioribus abſtinentiam; præcipitque ſtatutis anni temporibus rigidiorem vivendi rationem, & ad Chriſti exemplum quadrageſimale jejunium. Quid autem dicemus de tot pœnalitatum generibus, quæ ſuadet exercenda, tum privatis fidelibus, & a tot millibus exercentur; tum publicis ſocietatibus, & in gravibus fidelium neceſſitatibus?

Eccleſia eſt a principio Sancta.

Hæcque Sanctitas nedum immaculata eſt, ſed convertens animas, unde factum eſt, quod Eccleſia Romana innumeros pene recenſeat excellentiſſimæ perfectionis ſectatores, ut videre eſt in Martyrologiis, & hiſtoriis; nec primis tantum rei Chriſtianæ ſeculis, verum etiam poſterioribus, & noviſſimis temporibus, ut videre eſt in pluribus ex qualibet natione, ſexu, genere, ætate, & ſtatu Sanctorum albo adſcriptis. Videatur Jodocus Coccius *lib. 8. art. 11.* Ex quo ſic arguimus ad hominem contra Novatores.

Vel antiqua Romana Eccleſia vera non fuit, quod negant Hæretici, vel præſens eſt etiam vera; nam eodem modo illuſtravit Dominus eam nunc, ac tunc viris ſanctitate illuſtribus, cumulavitque identicis virtutum exercitiis, & morum regulis, quod ipſimet Centuriatores fatentur, qui in ſingulis Centuriis primorum ſeculorum, & poſteriorum eadem pietatis officia, ejuſdem ſanctitatis cultores in Eccleſia Romana enumerant: & Lutherus *in locis communibus claſſe 5. pag. 117.* ait -- Fateor non defuiſſe ſua dona Domini„ co, Franciſco, Bernardo, & aliis, qui „ primi inſtituiſſe Collegia Monachorum di„ cuntur --

Rom. Eccleſia ſemper eadē.

36 PROB. V. ex quinta Etymologia, quæ eſt, Deo eſſe mancipatum. Atqui ex hoc capite Eccleſia Romana eſt perfectiſſime ſancta; ergo. Minor elucidatur. Sicut Exodi 30. dicuntur ſancta vaſa, veſtimenta, ceteraque obſequiis Dei, & Templi deſtinata, & ſpecialibus ceremoniis ſacrabantur; ita Eccleſia Romana, quæcumque Inſtrumenta proxime cultui dominico, & Sacrificio mancipata, benedictionibus, unctionibus conſecrat; ita quod nefas ſit eadem in profanis uſibus adhibere, Sancta eſt ex hoc capite, quia in Dei honorem erigit Templa, & ut res Divinas præcipit honorari; ſtatutos dies ex debito vult obſervari; alioſque ſub conſilio in Domini obſequium; graves ritus, eoſque ſacros diſtribuit pro adminiſtrandis Sacramentis. Sancta eſt ex hoc capite, quia innumeras Canonicorum familias alit, ut in Divinis perſolvendis Deo precibus diebus ſingulis invigilent; tot confraternitatum ſpecies, quæ piis incumbunt Religionis muneribus; tot Monachorum, Monialiumque ſodalitia, in quibus viri, & mulieres cujuſcumque conditionis in ſumma vitæ aſperitate, in voluntaria paupertate, in rigida terrenorum abdicatione, in nocturnis, diurniſque pſalmodiis, in crebris precibus, in Angelica puritate, & ſtrictæ obedientiæ vinculo, Domino ex toto corde ſerviunt; itaut admirationem faciant neſcientibus. Sancta eſt ex hoc capite, quia miniſtros Sacrificii ſacramentali miniſterio deſtinat, particularique obligat innocentiæ, votorum onere.

In Eccleſia omnia ſancta.

37 Pro coronide duplex Inſtituitur argumentum. Primum ex Scriptura, ſecundum ex teſtimonio Adverſariorum. Chriſtus ſuam, quam inſtituit Eccleſiam, ſanctificavit, ad Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret*; ſed hæc eſt Eccleſia Romana, juxta illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Joan. 21. *Simon Joannis amas me? &c. Paſce oves meas*. Ergo Romanam ſanctificavit: atqui quam ſibi delegit, & ſanctificavit, uſque ad finem ſeculi duraturam promiſit; ergo Eccleſia Romana ſemper ſancta erit. Iſaias cap. 60. de Eccleſia Chriſti expreſſe prophetat: *Gloria Libani ad te veniet &c. ad ornandum locum ſanctificationis meæ &c. venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*. Loquiturque de Principibus, qui ad Eccleſiam convertendi erant ex Gentilitate, ab Hæreſi, & a falſis Sectis Philoſophorum Verum mirabiliter verificantur verba illa: *Ad ornandum locum ſanctificationis meæ venient curvi* in exemplo tot Dominorum, Ducum, Principum, Regum, & Matronarum, qui relictis ſeculi deliciis ſe Deo mancipaverunt in Eremis, & in Monaſteriis, in ſummaque paupertate, carnis mortificatione dies ſuos clauſerunt. Videndus de hoc Boзius *de ſignis Eccleſiæ circa hanc notam*, & Coccius.

38 Secundum ſic. Ex Luthero primis ſeculis Romana Eccleſia fuit Sancta, & vera Eccleſia: ſed eodem modo nunc Sancta eſt, ac tunc; ergo eſt nunc vera Eccleſia. Maj. ſic prob. *In Epiſt. ad Galat. cap.* 4. habet -- Si Papatus illam „ Sanctitatem haberet, quam tempore vete„ rum Patrum, Hieronymi, Ambroſii, Aug., „ & aliorum habuit, quid jam contra Papa„ tum proficeremus? -- Apud Gravinam *in hac Controv. in declaratione quorundam articulorum* habetur -- Quod Romana Eccleſia ſit „ a Deo præ aliis honorata non eſt dubium; „ ibi enim Sancti Petrus, & Paulus, Ponti„ fices quadraginta ſex, ac tot centena mil„ lia Martyrum ſanguinem ſuum fuderunt, „ ut vel palpari queat, quam ſingularem ha„ bet ad eam reſpectum Deus. Quod ſi nunc, „ proh dolor! Res habet Romæ &c. -- Min. ſic prob. Ad Galat. 1. v. 14. de ſeipſo olim Romano profert Lutherus -- In Monaſterio „ carnem meam vigiliis, jejuniis, orationi„ bus caſtigavi &c. Papam ob conſcientiam „ magna obſervantia colui &c. Caſtitatem, „ paupertatem, obedientiam ſervavi &c. Id„ que feci ſimplici corde, bono zelo, & ob „ Dei gloriam, ultimum Judicii diem timens, „ & ex animo ſalutem ſitiens -- Erant ergo hæc tunc temporis in Eccleſia Romana practicata a Sanctis primis Patribus. Sed clarius loquitur *in Epiſt. ad duos Plebanos* ſcripta anno ſuæ defectionis undecimo *tom. 2. Germanico Vuirtembergæ fol.* 229. -- Nos autem fatemur „ ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani: „ immo omne bonum Chriſtianum; atque „ etiam illinc ad nos derivaſſe. Quippe fa„ temur in Papatu veram eſſe Scripturam Sa„ cram, verum Baptiſmum, verum Sacra„ mentum Altaris, veras Claves ad remiſſio„ nem peccatorum, verum prædicandi offi„ cium, verum Catechiſmum, ut ſunt Ora„ tio Dominica, decem præcepta, Articuli „ fidei. Dico inſuper ſub Papatu eſſe veram „ Chriſtianitatem; immo verum Nucleum „ Chriſtianitatis; multoſque magnos San„ ctos -- Habet ergo Romana Eccleſia eandem faciem Sanctitatis, ac primis ſeculis ex Luthero, & res ita eſt; nos enim proponimus doctrinam, virtutum exempla D. Hieronymi, Aug., Ambroſii, & aliorum imitanda. Habemus ſub oculis moderniorum Hæreticorum viros illuſtriſſimos Sanctitate, SS. Xaverium, Ignatium, Philippum Nerium, Bertrandum, Petrum de Alcantara, Thereſiam, Mariam Magdalenam de Pazzis, Roſam Limenſem &c. Habemus poſterioribus ſeculis publico cultui expoſita exempla, admirationem ſuperantia, plurium, qui, non jam in eremo, ſed matrimonio juncti inter delicias Principatuum caſtitatem ſervaverunt, ut ſunt Eduardus Rex Angliæ, Edeltrudes Angliæ Regina, quæ tribus nupta viris Virginitatem cuſtodivit; Boleslaus Poloniæ Rex; Henricus Primus Imperator. Alphonſus Rex Caſtellæ; Caſimirus Filius Caſimiri, qui potius voluit mori, quam etiam uſu licito caſtitatem violare, Petrus Urſeolus Dux Venetorum, Catharina Socca &c. Eandem habemus Sanctitatem nunc, quam illi primi, & iſti noviſſimi. Si quæ decreverunt illi 46. Pontifices, ſuſcipimus, prædicamus, exequimur; ergo.

Tempore Lutheri Eccleſia ſancta.

§. I.

§. I.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

39 COntra Sanctitatem Romanæ Eccleſiæ plurima conferciunt Proteſtantes, quæ non tam ſunt argumenta, quam injuriæ, vel mendacia. Uno verbo omnia ſolvuntur; ſed ut ſciamus, quid proferant contra nos, placet ea referre, ſed ſub unico ſyllogiſmo; quia univerſa idem omnino medium tangunt. Sit ergo.

Objiciunt Brentius, & Vedroſius. Sanctitas Eccleſiæ eſt Sanctitas cœtus fidelium, ſed in Eccleſia Romana non datur Sanctitas cœtus fidelium; ergo Eccleſia Romana non eſt Sancta. Min. explicatur. Sanctitas cœtus deſumitur ex communi vita, & maxime principalium, ſed communis vita, & præcipuorum in Eccleſia Romana eſt vitioſa; ergo in Eccleſia Romana non eſt Sanctitas cœtus. Min. ſic evincitur. Adrianus VI. *in instruct. ſua data Legato tranſmiſſo ad comitia Norimberg. an.* 1522. habet -- Scimus in hac Sede multa abominanda „ fuiſſe; abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in „ mandatis, denique in perverſum mutata, „ Omnes nos (ideſt Prælati Eccleſiaſtici) „ declinavimus, unuſquiſque in vias ſuas -- Legati Pauli III. miſſi ad conſulendum de ſtatu Romanæ Curiæ libere plurima mala enarrant; ut quod ſine delectu probitatis eligantur Miniſtri, quod Cardinales dependeant a Regibus, & alia ſimilia, quorum cauſam ſubdunt eſſe -- noſtram avaritiam, noſtras cu„ piditates. His omnibus malis Populum Dei „ prius affeciſſe ſtatim invenies, atque harum „ vi Paſtores ab Eccleſiis fugari, eas pabulo „ Verbi privare; bona Eccleſiarum, quæ ſunt „ pauperum, ab illis tolli, indignis Sacerdo„ tibus conferri. Quid enim horum eſt, quod „ negare poſſimus a nobis per hos annos fa„ ctum eſſe? --

Sequitur Mornæus *in Myſterio iniquitatis*. Hinc plurimi Pontifices Romani accuſantur de graviſſimis criminibus. Puta, Joannes XII., qui pretio Epiſcopales dignitates vendidiſſe dicitur; quod Patris concubina abuſus Palatium profanaverit; quod Benedictum Patrem Spiritualem excæcaverit; quod Joannem Cardinalem e vivis ſuſtulerit. Puta, Sergius, quod exhumatum cadaver Formoſi enſe obtruncaverit; Nicolaus III., Bonifacius VIII., Clemens V., Joannes XXII., de quibus varia crimina leguntur. Alexander VI., quod quatuor filios, & duas filias habuerit, cum eſſet Juvenis ex thoro illegitimo; quod plures veneno necaverit; quod, ut ſuos ditaret bonis Fiſco debitis, Romam Sicariis repleverit. Corruptela Curiæ tanta fuit, ut Petrus Damianus coactus fuerit, Roma derelicta, Eremum petere, ubi librum componere debuit, cui titulus: *Gommoraeus*, ob quem Leonis Papæ odium incurrit. Hinc illa hiſtoriola apud Boccacium de illo Hebræo, qui, cum (ſuadente Chriſtiano) vellet Baptiſmum ſuſcipere, & Romam ire; nolebat tamen Chriſtianus, timens, ne vocatio evaneſceret: at eum iviſſet,

A rediens dixit, veram credo nunc eſſe Romanam Eccleſiam; quia ſtat integra, etiamſi tot mali homines ibi ſint, & tot gravia crimina fiant: eſt ergo perdita Curia Romana quoad præcipua membra.

Videamus nunc quoad alias provincias, Curiæ communicantes. Baſilius *epiſt.* 69. -- „ Non patet aditus, *ait*, ad primam Eccle„ ſiæ Sedem, niſi per impietatem, atque, „ qui gravius blaſphemat, dignior eſt ad E„ piſcopatum Populi -- S. Hieronymus *in cap.* 8. *Ezechielis* -- Sed ſecundum Anagogen me„ lius dici poteſt, quod nonnulli Principes „ Eccleſiarum faciant in tenebris, quæ tur„ pia ſunt -- D. Bern. *in ſerm. de converſione*

B *Sancti Pauli* -- Quæruot, quæ ſua ſunt; Mini„ ſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto, „ honorati incedunt de bonis Domini -- S. Thomas *in* 6. *Geneſis* -- In Eccleſia gigantes mi„ rabilibus ſupra ſe ambulantes ſunt, qui vi„ dentur potius Reges, & Marchiones, quam „ Epiſcopi, vel Abbates; & hi ſunt fortes, „ & potentes a ſeculo, viri famoſi; & ideo „ non eſt mirum, ſi per eos erigatur Imago „ beſtiæ, & Status Babylonis, & terrena Ci„ vitas dilatetur -- Confeſſio Witembergenſis anno 1570. -- Totam Miſſam transferunt in „ quæſtum --

Mornæus iterum *in ſuo myſterio iniquita-*

C *tis* -- Clara ſunt etiam ſcandala Cardinalium, „ Epiſcoporum, & Monachorum. *Dicit*. „ Probabiliter exiſtimari a nonnullis, noviſ„ ſimis temporibus Romam redituram ad an„ tiquam potentiam, & ad ordinem ejectu„ ram ſuum Pontificem; denique igne de„ ſolandam -- de qua Apocalypſis 18. *Væ, væ Civitas illa magna Babylon, Civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum?* Item ait -- Eccleſia Romana Tribunalia undique „ crudelia inſtituere ſtudet, quibus inquirit, „ qui contra ipſam loquuntur, & barbaris „ tormentis damnat -- Apocalypſis 7. dicitur -- „ Babylon magna, Mater fornicationum, &

D „ & abominationum terræ: & vidi mulie„ rem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de „ ſanguine Martyrum Jeſu -- Sed hæc eſt Roma, nam ibi dicitur -- Septem capita, ſeptem „ montes ſunt, ſupra quos Mulier ſedet -- Porro Roma ſupra ſeptem colles ædificata eſt; quod conſonat Hieronymo ad Algaſiam *quæſt.* 11. dicenti -- Secundum Apocalypſim Joan. „ In fronte purpuratæ Meretricis ſcriptum eſt „ nomen Blaſphemiæ, ideſt, Romæ æternæ --.

Quibus poſitis ſic concludit Sonnius Proteſtans *in demonſtrat. Relig. ſuæ lib.* 3. *tract.* 7. *cap.* 6. -- Scelus hoc (*loquitur de ſodomia*, „ *quam imputat Catholicis*) ibi regnare ſolet,

E „ ubi perfidia, ubi Apoſtaſia, ubi idololatris, „ ubi vivitur quaſi non ſit Deus; & quo gens „ longius aberraverit a Deo, eo magis huic „ nefando malo involvitur -- Cui additur ex Tertulliano -- Ubi Deus enim non timetur, „ niſi ubi Deus non eſt? Ubi Deus non eſt, „ nec veritas ulla eſt -- Subinfert pariter Vedroſius *in ſua antiq. ſect.* 5. §. *Haud dubie* -- „ Non enim magis Chriſtum ſollicitum eſſe „ de cognitione veritatis in Eccleſia conſer„ vanda, quam de morum ſanctimonia, & „ integritate; nam cognitionem eſſe me„ dium; integritatem, & ſanctimoniam eſſe

 „ finem

„ finem conſtat. Itaque multo commenda-
„ tiorem eſſe ſanctimoniam, ſeu finem, quam
„ cognitionem, utpote medium ad finem;
„ namque Evangelium eſſe doctrinam veri-
„ tatis ſecundum pietatem, ab Apoſtolo do-
„ cetur -- 1. Tim. 6. v. 3.

Quid Hæretici Moderni concludere ve-
lint neſcimus; nam vel ſupponunt Sanctita-
tem in argumento impugnatam, ſeu falsò ne-
gatam Eccleſiæ Romanæ eſſe notam veræ Ec-
cleſiæ Chriſti, vel non? Si hoc ſecundum,
Inanis eſt labor, nam cum pravis moribus ſtat
vera Eccleſia. Si primum, jam apud ipſos
etiam non datur Chriſti Eccleſia. Nam ſicut
ipſi carentiam Sanctitatis arguunt apud nos ex
relationibus, ſive veris, ſive falſis, quæ evul-
gantur a quibuſdam, vel Scriptoribus, vel
Poetis, invidia, ſatyria, vel veritate motis,
ita & nos arguimus Sanctitatis carentiam apud
ipſos ea eo, quod inter ipſos leguntur ſcripta,
evulgantia peſſima crimina. Quid Lutherus
de ſuis dicit *Dominica 26. poſt Trinit.*? -- An-
„ tea cum ad Pontificia Seditionem, & fal-
„ ſum Dei cultum cogeremur ad bene ope-
„ randum, quilibet ultro ſequebatur. Nunc
„ quiſque nihil aliud novit, quam injuſtis
„ exactionibus, rapinis manifeſtis, furtis,
„ mendaciis, uſuris, omnia ad ſe transferre.
„ Tam inſigniter maligni fieri coguntur ho-
„ mines in gratiam Evangelii, cujus virtute
„ ex captivitate Pontificis in gratiam aſſeri
„ ſunt; itaut, cum non amplius humano,
„ ſed diabolico more omnem miſericordiam
„ caruerint &c. -- *Epiſt. ad Eph.* vocat eos
omnium mortalium ſceleratiſſimos, ac faci-
noroſiſſimos, tetra monſtra, malos genios, hu-
manâ formâ indutos. *Et ad Corinth. cap.* 15. de
iiſdem habet -- Futuræ vitæ nullam habent ra-
„ tionem, ſed ſicut credunt. ita vivunt, ſunt,
„ & manent ſues, & ſicut ſues moriuntur --

Andreas Muſculus *Dominica prima Ad-
ventus* ait -- Cum nobis Lutheranis ſic ſe jam
„ res habet; ſi quis nebulonum cuncum, ſe-
„ ditioſorum, fraudulentorum, doloſorum,
„ fœneratorum multitudinem videre cupiat;
„ adeat urbem aliquam, in qua Evangelium
„ purum, purum annunciant, & ibi co-
„ pioſam multitudinem eorum inveniet. Lu-
„ ce clarius eſt nunquam inter Ethnicos, Tur-
„ cas, aut Infideles inventos eſſe magis effræ-
„ nes, immorigeratos, magiſque a virtute
„ omni, & probitate alienos, quam nunc
„ inter Evangelii Profeſſores -- Eraſmus *Epiſt.
ad Fratres inferioris Germaniæ*, ait -- Quos
„ antea (ſub Papatu) noveram puros, can-
„ didos. & fuci ignaros, eoſdem vidi, ubi
„ ſe Sectæ Evangelicæ dediſſent, loqui cœ-
„ piſſe de puellis, aleis luſiſſe, abjeciſſe pre-
„ ces, impatientiſſimos omnis injuriæ vindi-
„ ces, vanos, viperinos in moribus, ac pror-
„ ſus hominem exuiſſe: expertus loquor --
Volfangus Muſculus *in explic. 3. præcep.* -- Ut
„ verum fatear: noſtri adeo ſunt mutati, ut
„ cum ſub Papatu erroribus impliciti eſſent:
„ tunc nihilominus Religioſi fuerint; nunc
„ autem in aperta veritatis luce magis pro-
„ fani, quam filii hujus ſeculi evaſere -- Gra-
viora de Lutheranis Hoſpinianus Proteſtans
in Hiſtoria Sacramentaria p. 2. pag. 128. 386.
&c. aliique plures.

Quid de Calviniſtis dicemus. Meno Pro-
A teſtans *lib. de Chriſtiana fide cap. de fide mulieris
Cananeæ*, ait -- Si ad Prædicatores veneris, qui
„ de Verbo gloriantur: invenies quoſdam a-
„ perte mendaces, quoſdam ebrioſos, & vi-
„ nolentos, quoſdam fœneratores, quoſdam
„ ſuperbos, & faſtoſos, tum habitu, tum ge-
„ ſtu, quoſdam calumniatores, & convitiato-
„ res. quoſdam perſecutores, & proditores In-
„ nocentum. Quo jure etiam, ac fide, nonnulli
„ Matrimonia contraxerint, cujus Notæ uxo-
„ res habeant, Domino, atque ipſis concedo:
„ Agunt inertem, quietam, & ignavam vi-
„ tam; aluntur meris reductionibus, & blan-
„ ditiis. Ex Antichriſti prædiis, & rapinis,
B „ tantum docent, quantum ventri dedito
„ magiſtratu placet, quantumque ille juſſe-
„ rit -- Alia habet *in funda. tit. de doctrina
Proteſtantium*. Simon Paulus, vir magnus, &
Superintendens egregius apud Proteſtantes
Serm. Dom. 13. poſt Trinit. -- Noſtro tempore
„ juſte conqueri poſſunt, & dicere Verbi Mi-
„ niſtris: Væ tibi Lubecca! Væ tibi Ham-
„ burge! Væ tibi Roſtochie! Væ vobis om-
„ nibus quotquot ditio hæc continet! Væ vo-
„ bis ceteris impiis, adulteris, fornicatori-
„ bus, heluonibus, uſurariis, mendacibus,
„ omnibuſque vicinis peccatoribus, quia Ver-
„ bum Dei, quod purum, & ſincerum vo-
C „ bis annunciatur, turpiter neglexiſtis! Et
„ tu Saxonia &c. --

Povellus *in Adiaphoris pag.* 136. -- Quis
„ tam cæcus, qui non deploret miſerum ſta-
„ tum Eccleſiæ noſtræ, quantumlibet glo-
„ rioſa reputetur? Magnam dico ignoran-
„ tiam, neglectum Dei cultum, horrendas
„ blaſphemias, juramenta in domibus, in
„ plateis, irreverentiam Superiorum, ſuper-
„ biam, crudelitatem, fornicationem, adul-
„ teria, ebrietates, uſuras, avaritiam, & alias
„ hujus generis abominationes &c. -- Videndi
Richardus Jeffræus, qui oculatus teſtis, ob
peragratam totam borealem partem, ſcribit,
D Concione ad Divi Pauli Crucem, 17. Octo-
bris 1624. Stubens Proteſtans, & ipſe ocu-
latus teſtis ob ſimilem peregrinationem *lib. de
motivis ad opera in epiſt. dedicatoria*. Wol-
fangus Muſculus *in locis communibus cap. de
Miniſtris Verbi*. Joannes Wingandus *in lib. de
bonis, & malis Germaniæ, lib. cui titulus:
Paſquillus Angliæ ad Martinum juniorem, im-
preſſus* 1689. Paſquillus, & Marphorius eo-
dem anno editus. Bubonis Kalendarium. Et
alii plures, qui clare Proteſtantium, eorum-
que Miniſtrorum facinora referunt. Reſtat
ergo ut fateantur Hæretici, argumentum hoc
non habere ullam vim contra Sanctitatem
E Romanæ Eccleſiæ.

40 II. Sic inſtamus ex ipſorum princi-
piis. Primis ſeculis, ea communi ipſorum con-
feſſione, Eccleſia Romana fuit vera Chriſti
ſponſa, adeoque Sancta: atqui ea eorum con-
feſſione ſub illis temporibus in ea erant plu-
rima crimina, ut conſtat ex auctoritatibus,
quas adducunt Hieronymi, Baſilii, Chryſo-
ſtomi, & aliorum; ergo.

41 III. arguimus. Actualis, & forma-
lis malitia plurium fidelium, etiam Prælato-
rum non repugnat Sanctitati Eccleſiæ; adeo-
que adducta nihil proficiunt Hæreticis. Ant.
con-

conſtat manifeſte. In lege ſcripta eo tempore, quo Synagoga etat vera Dei Eccleſia, extabaut plures mali, ut conſtat Exodi 32., obi peccatum Aaron, & majoris partis populi enarratur, inter quos plures oon peccaverunt formali Idololatria. Sed clarius ſub temporibus Exechielis, ut ipſe refert cap. 13., & 14., & Jerem. cap. 23., ubi Populi, Sacerdotum, & Prophetarum gravia crimina referuntur, de qua re tractavimus *prima Diſput.* Conſtat ex tempore Chriſti, & Apoſtolorum. Judas peccator erat, Petrus Chriſtum negavit, ceteri ſugerunt. Paulus ad Titum primo, ad Philipp. primo, & in aliis locis quoſdam reprehendit de gravibus peccatis; & tameo non deſtitit eſſe Sancta Eccleſia: ita pariter accidit primis ſeculis ſuccedentibus Apoſtolis. De quo *loc. cit.* Conſtat ex dictis Sanctorum Patrum. Tertullianus *de præſcript. cap.* 3. -- Non ex perſonis fidem, ſed ex fide „ perſonas metimur -- Optatus *contra Parmen. lib.* 2. *ſub initio* -- Eccleſia ona eſt, cujus „ Sanctitas de Sacramentis colligitur, non „ de ſuperbia perſonarum ponderatur -- D. Aug. *in Pſal.* 34. *ad illa verba: In populo gravi laudabo te*, enumeratis pluribus Sanctis, & piis viris, qui ſunt in Eccleſia, ait -- Sunt „ qui & Monachi falſi ſunt, & nos novimus „ tales, ſed non periit fraternitas pia propter „ eos, qui profitentur, quod non ſunt -- Sed pulchre *Epiſt.* 50. -- Neque enim ſi pec„ cavit Cæcilianus, ideo hereditatem ſuam „ perdidit Chriſtus. Facile eſt homini, ſeu „ vera, ſeu falſa de homine credere, ſed ſce„ leratæ impudentiæ eſt, propter crimina ho„ minis, quæ orbi terrarum non poſſis oſten„ dere, communionem orbis terrarum velle „ damnare. Utrum Cæcilianus a Traditori„ bus Divinorum Codicum fuerit ordinatus &c. -- Sic ceteri Patres.

42 Lutherus ipſe *in declarat. quorumd. art. poſt verba ſuperius citata* habet -- Quod „ ſi nunc (proh dolor!) res habet Romæ, „ ut expediret habere melius: attamen ne„ que hæc, neque ulla cauſa eſſe poteſt, ut „ ab Eccleſia illa ſeparatio, aut diſceſſio fieri „ debeat -- Calvinus etiam *lib. primo inſtitut. cap. primo* -- Quod ſi Religio erat Sanctis Pro„ phetis ob plurima, & maxima ſcelera, non „ unius, aut alterius hominis, ſed prope„ modum totius Populi, ſe ab Eccleſia non „ alienare; nimium nobis arrogamus, ſi pro„ tinus audeamus ab Eccleſiæ communione „ deficere, ubi non omnium mores, vel no„ ſtro judicio, vel Chriſtianæ etiam profeſ„ ſioni ſatisfaciunt -- Alii ſimilia.

Doctrina a moribus ſecernenda.

43 Diſtinguenda eſt ergo doctrina a moribus, inſtitutio a praxi, Sanctitas effectiva a formali. Sanctitas primordialis corporis Eccleſiæ conſiſtit in legibus, conſiliis, mediiſque ceteris pro conſequenda ſalute ordinatis; hæc autem non deſtruuntur, nec perduntur ex eo, quod plures iis abutantur. Hæc ſuot ſecundum ſe ſanctificativa, & ſanctificant bene utentes, & ſunt plurimi, qui bene utuntur. Hanc Sanctitatem non perdunt vitia Prælatorum; ſancta enim ſunt miniſteria, licet ipſi pravi ſint: docent ſana præcepta, etſi ipſi non adimpleant; ideo Chriſtus præcepit, ut mala opera Prælatorum non faciamus: eorum tamen traditam auctoritative doctrinam

A audiamus, & ſecundum eam operemur. Cui alludens Chryſoſtomus *ad cap.* 2. *ad Galat.* habet -- Etiamſi, qui præſunt improbi forent, „ innumeriſque ſcaterent malis, nec ſic fas „ eſſet diſcipulo, dictis non audientem eſſe. „ Etenim, ſi de Judæorum Doctoribus di„ ctum eſt; quoniam ſuper Cathedram Moyſis „ ſedebant, eos eſſe dignos, qui a diſcipulis „ audirentur; qua venia digni erunt, qui „ Eccleſiæ Præſides, per gratiam Dei modeſte „ viventes, conſpuunt? -- Auguſt. *lib.* 2. *contra Petilianum cap.* 61. *ad idem*, habet -- Nec „ propter illos Phariſæos, quibus nos, non „ per prudentiam, ſed per malevolentiam

B „ comparatis, præcipit Dominus deſeri Ca„ thedram Moyſi, in qua utique figurabat „ ſuam &c. Monet tamen Populo facere, quæ „ dicunt, & non facere, quæ faciunt, ne „ Cathedræ ſanctitas deſeratur, & propter „ Paſtores malos gregis unitas dividatur -- Sic alii.

Quinimo ipſimet Centuriatores *centuria prima cap.*4. ajunt -- Appendicis vice hæc adji„ cimus, opera mala a doctrina bona eſſe di„ ſcernenda, & neque ob mala opera perſo„ næ, doctrinam quoque ſanam eſſe rejicien„ dam, ſed audita doctrina, opera mala eſſe „ fugienda; Dominus enim docet Matth. 23.

C „ Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, „ & Phariſæi: Omnia quæ dixerint vobis ſer„ vate, & facite: ſecundum verò opera eo„ rum nolite facere -- Pravitas ergo actualis plurium fidelium, etiam Prælatorum, non officit Sanctitati Eccleſiæ.

44 Negari tamen nequit, quod vitia Prælatorum non ſint validiſſima occaſio plurimorum peccatorum in Eccleſia Dei; mala enim exempla Majorum vim habent efficaciſſimam ad impellendos ſubditos ad malum; ideo toties in Scriptura legimus, quod de iſtis fiet duriſſimum judicium, & ab eis ſubditorum animas exquiret Deus. Diſſolvitur

Vitia Prælatorum ad malū impellunt.

D totus diſciplinæ vigor, ubi Prælatus eam fideliter non exequitur. Hinc ipſis dixit Chriſtus Matth. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*; & ideo ipſe, qui venerat ſolidare ſanctimoniam, cœpit prius facere, deinde docere; triginta annis fecit, tribus docuit. Sibi licitum credit, quod a ſuo Prælato fieri conſpicit ſubditus, & gravi animo ſedet ſolitarius, qui novit Paſtorem ſuum vagari per vicos, & diſplicet ſubdito jejunium, ubi Antiſtitem ſuum vidit epulantem. Ditum eſt illud: *Boves arabant, & Aſinæ paſcebantur*. Job. 1., nec fallit Adagium: A bove majori, diſcit arare

E minor. Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos &c. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis.* Zachariæ 10. *Super Paſtores iratus eſt furor meus.* Jerem. 12. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* Neceſſe eſt quidem, ut veniant ſcandala; ſed væ illi, per quem ſcandalum venit!

45 His poſitis: non eſt neceſſe ſingulis in objectione factis ſive falſis, ſive veris reſpon-

reſpondere ; hinc pancis me expedio . Teſtimonium Adriani , & Legatorum Pauli III. confirmat Catholicam veritatem : agnoſcebant in aliquibus culpas reperiri , ſed ob hoc inquiſitionem vigilantiſſimi Paſtores præmittebant ; qoia congrua remedia parare ſtudebant ad emendationem promovendam , ut evenit . Quos autem piiſſimi Epiſcopi , & doctiſſimi Concilio interfuerint , notum eſt Lippis , & Tonſoribus .

Ad tertium de criminibus quorundam Romanorum Pontificum . Primò dico , eos , quos ſugillant pauciſſimos eſſe , & velut momentum itateræ in comparatione eorum , qui honeſtate , & ſanctitate fulſere . Secundò : multa ſunt falſa , & ab invidis impoſita , vel exagerata , ut oſtendunt ſinceri Hiſtoriographi ; immo aliqui ex illis laudati reperiuntur . Tertiò : Defectus perſonalis non impedit legum ſanctitatem , & quidam ex iſtis optima ſtatuta ediderunt ; & inter alios Alexander VI. florentiſſima miſſione ſalutem Indorum procuravit .

Ad quartum de S. Petro Damiano . Prius in eremum ſeceſſerat Avellani , antequam contemptum diſciplinæ argueret illo libro , propter quem non eſt orta diſcordia cum Leone Papa ; ipſe enim Damiano Epiſtolam reſcripſit , quæ eſt appoſita in capite libri , quia io ea ſeveræ leges , & pœnæ ſtatuuntur contra violatores juris ; unde potius Sanctitas hic eſt admiranda , cum ea ſcripſerit Sanctus Pater , ut fructus emendationis colligeretur . Incidit deinde in diſcordiam cum Leone , ſed id evenit ex pravitate æmulorum zizania ſeminantium : qood aperte conſtat *ex Epiſt. quarta apologetica ad eundem Leonem* . Quia tamen in lectione magis movebantur molles Juvenes a turpibus ibi narratis , quam ab efficacia reprehenſionis ; librum ſuppreſſit Alexander II.

Ad quintum hiſtoriola illa de Hebræo , ſive fabula ſit , ſive non , deſervit ad confirmationem ; ſi enim Eccleſia ſtetit integra inter tot vitia , ſignum eſt , vitia fidelium particularium noo officere : quod eſt argumentum Divi Bernardi *in Pſal. 90. ad illud : Non timebis a timore nocturno , a ſagitta volante in die , a negotio perambulante in tenebris , ab incurſu , & Dæmonio meridiano* . Ubi pro timore nocturno intelligit perſecutionem tyrannorum , quam paſſa eſt Eccleſia primitiva : pro ſagitta volante , perſecutionem Hæreticorum , quæ vexavit Chriſti ſponſam , priori ſedata procella : pro negotio perambulante io tenebris , perſecutionem , quam tolerat a malis Miniſtris , quæ eo ſævior eſt , quo ab intrinſecis : pro incurſu , & Dæmonio meridiano intelligit Antichriſtum , cujus perſecutio erit graviſſima . Sed quia deſtructa , & averſa non eſt Romana Eccleſia Tyrannorum perſecutione , & Hæreticorum , nec deſtruetur ab Antichriſto ; hinc colligunt Patres eſſe a Chriſto fundatam , eique factam fuiſſe incorruptibilitatis promiſſionem ; ita pariter , quia iotegra permanet tot inter ſcelera .

Ad ſextum . Auctoritates laudatorum Patrum vitia redarguunt , veritatem tamen de Eccleſia Romana acerrime tuentur , ut clare conſtat ex eorum ſcriptis , alibi recitatis . Solum placet advertere Baſilium loqui de quibuſdam Orientalibus Epiſcopis , & potiſſime Sedis Byzantinæ , & quidem de Hæreticis , qui freti poteſtate imperatoris primas extorquebant ſedes . Adverte pariter verba illa tributa Thomæ , non eſſe Angelici , ſed Anglici .

Ad ſeptimum de quæſtu Miſſæ : dicimus moderatam eleemoſynam pro ſuſtentatione Sacerdotum eſſe a D. Paulo commendatam , ubi ſcripſit : *qui Altari deſerviunt , cum Altari participant* , prima Corinth. 9. Confitemur pariter turpes illas negotiationes , quibus vel duplicata , & excedentia exiguntur ſtipendia a pravis miniſtris , vel debita ſubtrahuntur palliatis donationibus , ut inde diteſcant , eaſque nutriant , epulentur in popinis , & immoderatis recreationibus , Deo eſſe abominabiles , & Sanctis ſuis : crimen tamen Eccleſiæ non eſt , quæ hæc prohibet , ſed vitioſitati tribuendum eſt Miniſtrorum .

Ad octavum de ſcandalis Monachorum , & Epiſcoporum , non negamus aliqua reperiri : verum defectus non eſt ex parte Monachatus , & Epiſcopatus , qui ſanctiſſimis firmantur legibus , ſed particularium , qui Deo mentiuntur , jugum voluntarie ſuſceptum excutientes . Væ tamen illis , qui occaſionem præbent Hæreticis debacchandi in ſacroſanctum Monachorum ſtatum , & Epiſcoporum ; & Secularibus illum illudendi malo exemplo , & ſcriptis plus juſto exaggerantibus defectus , etiam propter zelum : notum enim eſt , plura evulgari non ſatis fundata , ex conjecturis deducta non ſufficienter connexis , propoſitionibus generalibus indefinitis , quæ altum ſolent conceptum animis ingerere .

Ad nonum . Qui Tribunalia Inquiſitionis , ut crudelia damnant , Deum ipſum crudelitatis reum adjudicare neceſſe eſt , qui Levitici 10. igne conſumpſit Nadab , & Abiu filios Aaron , qui illegitimum incenſum in Altari obtulerunt . Et Num. 16. interfecit ducentos quinquaginta viros , qui offerebant incenſum ; & alia quatuordecim millia , & ſeptingentos , qui murmurabant contra Moyſen . Et cap. 25. jubente Domino ſuſpenſi ſunt in patibulis Principes Iſrael , & gladio trucidati ſunt 24. millia hominum , propter peccatum cum filiabus Moab . Et alibi ſimilia legimus . Purgare bonum a malo jubet Dominus in Scripturis ; vel ergo doctrina Romanæ Eccleſiæ bona eſt , vel mala ? ſi bona , concedendum eſt vim punitivam , & directivam Hæreticorum neceſſariam ; ſi mala , hoc prius probent , & poſtea gladium ultionis reprobent . At hæc fuit ſemper reorum conditio , judicia carpere , ubi juſtiſſime condemnantur .

Ad decimum de muliere Apocalypſis : ex Patrum ſenſu Romæ Gentili applicatur , de quo alibi . Hinc concluſio Vedroſii , & Sonnii nulla eſt , a perſonali malitia quorundam inventa ad negandam Sanctitatem Inſtituti , quam profitetur Romana Eccleſia . Concludamus illo præclaro Aug. Dilemmate *lib. 2. contra Petilianum cap. 21.* — Æqua conditio „ poſtulatur , ut aut utraque vera , aut falſa „ eſſe credamus . Si utraque vera ſunt , vos „ eſtis ſine dubio ſchiſmatis rei , quæ crimi„ na vos fugere in totius orbis communione „ finxiſtis , quæ in ipſa particula veſtræ conciſio-

„ ciſionis habebatis. Si utraque falſa, vos „ eſtis ſine dubio ſchiſmatis rei, qui propter „ falſa crimina traditorum, immani ſepara- „ tionis crimine maculamini --

§. II.

OSTENDITUR, QUOD NOTA SANCTITATIS CONVENIT SOLI ROMANÆ ECCLESIÆ.

46 DIco II. Soli Eccleſiæ Romanæ convenit Sanctitatis Nota, & nulli alteri Sectæ. Probat. Qui docent, & operantur iniquitatem in viis Domini, quæ ſunt eloquia caſta, non ambulant in viis caſtis: ſed omnes Sectarii docent, & operantur iniquitatem; ergo non ambulant in viis caſtis Domini; ergo carent Sanctitatis Nota. Min. induct. oſtenditur. De Ethnicis habetur expreſſe ad Rom. 1. -- Quia cum cognoviſſent „ Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, „ aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in co- „ gitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſi- „ piens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe „ ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt „ gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudi- „ nem imaginis corruptibilis hominis, & vo- „ lucrum, & quadrupedium, & ſerpentium; „ propter quod tradidit illos Deus in deſi- „ deria cordis eorum, in immunditiam &c. -- Lex ſerviendi beſtiis tanquam Deo, eſt lex immunditiæ, eſt lex iniqua contra legem naturalem; ergo Ethnici carent Sanctitate.

Ethnici a veritate aberrant.

De Sectis Philoſophorum jam diximus in ſuperiori Controverſia, eandem legem approbaſſe, colendi creaturas pro Diis, & recognoſcendi in eis aliquid Divinitatis. Sed inſuper iniqua ſtatuerunt pro legibus, legenda apud Euſebium *lib. primo de Præparat. Evangelica cap.* 4. Juſtinum Martyrem *contra Græcos*. Lactantium *lib.* 4. *cap.* 3. Theodoretum *lib.* 10. *de curandis Græcanicis affectionibus*, & apud alios Scriptores; ex quibus hæc pauca ſummatim. Ex Legis ſtatuto Platonici commendant uxorum communitatem, extinctionem conceptæ prolis, cædes inſantium. Scytæ in eodem tumulo recludunt mortuos, & vivos eis chariores. Hircani hominum cadavera canibus projiciunt. Tyberani dejiciunt ex altis turribus Senes. Maſſagetæ manducant Senes, & morituros, Perſæ concedunt nuptias cum Matre, filia, & ſorore. Lycurgici concedunt adulteria. Seneca approbat Sacrificia, non ut Diis placita, ſed quia legibus ſtatuta. Simulacra Deorum colenda docet Cicero *lib. primo de Natura Deorum*, propter legum politicarum metum. Porro hæc omnia ſunt contra lumen rationis.

Philoſophorum ſcelemata.

De Mahumetana Secta horret animus referre turpia, quæ ab Auctore Mahometo ſtatuuntur. Nihil niſi inhoneſtum, nulla Beatitudo niſi carnis. In Alcorano capite de Mulieribus aſſerit nomine Dei ſibi præcepta eſſe omnia adulteria. Et idem *cap. de prohibitione* concedit viris ancillas, etiam invitas: uxorum pluralitatem. *Cap. de vacca* jubet jejunium celebre, ut per diem a mulieribus, & cibis abſtineant, ſed per noctem totam omne horrendum concedit; ita tamen ut aurora illuceſcente iterum jejunent. *Cap. de gladio* legem fert, ut ad Alcoranum cogantur omnes gladio.

Mahometi deliramenta.

Judaica Secta licèt ante Chriſtum habuerit Sanctitatem, nihilominus, ipſo ſpreto, derelicta cecidit in ſtolidiſſimas doctrinas, & ſpurciſſimas. *In libro Talmud*, quem pro ſacro retinent Judæi, innumera ridicula, & abſona continentur, quorum plura ſelecta leguntur in quodam libello italici idiomatis, cui titulus: *Le ſtolte Dottrine degli Ebrei del Bichi*. Plurima refert pariter Xiſtus Senenſis *lib.* 1. *Bibliothecæ cap. Traditiones Sanctorum*. Inter alia legem ſtatuunt Chriſtianos poſtponendos eſſe Gentilibus, & loco brutorum habendos; licere bonis eos ſpoliare dolo, fraude, uſuris decipere. Rabbi Salomon præcipuæ auctoritatis apud Judæos *in cap.* 2. *Geneſ. in illud: Nunc os ex oſſibus meis* docet, Adamum ante Evam cum omnibus beſtiis peccaſſe &c.

Secta Judaica deteſtabilis.

De Hæreticis antiquis nihil boni legitur. Sancti Patres illos de iniquiſſimis redarguunt. Juſtinus Martyr *ad Antoninum Pium*. Irenæus *lib.* 1. *ca* [illegible] Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *ſtromatum*. Or[illegible] *in Exodum homil.* 6. Tertullianus *lib. de præſcriptionibus cap.* 41. Lucifer Caralitanus *ad Conſtantium imperatorem*. Aug. *lib. de Monachorum moribus cap.* 20. Hieron. *in cap.* 13. *Iſaiæ*. Bernardus *Serm.* 61. *de quibuſdam Hæreticis*, & alii, qui nefanda recenſent Hæreticorum, qui ſuis temporibus extiterunt, & hæc pro dogmate ſtatuerunt. Elucet hæc deplorabilis veritas apud Catalogiſtas antiquos, & modernos, ubi ſcelera, quæ docuerunt, recenſentur. Etiam illi Sectarii, qui prætextu pietatis ab Eccleſia ſe ſeparaverunt, impia, & ſacrilega tradiderunt. De Donatiſtis teſtem habemus D. Aug. *Epiſt.* 163. Optatum Milevitanum *lib.* 2., *&* 6. *contra Parmenianum*. De Novatianis ſufficit, quod negarent lapſis ſanitatis remedium. Uno Verbo cum Cypriano ad Novatianum, Hæreticorum omnium figuram portabat corvus, qui exiit ab Arca Noe, & non reverſus comedebat cadavera immunda.

Antiqui Heretici improbi.

47 Veniamus (his relictis, utpote antiquatis, & ut ab Eccleſia damnatis, etiam apud Sectarios noſtri temporis) ad Proteſtantes Modernos, qui in unum collegerunt quidquid pravitatis ſparſim legitur in antiquis Hæreſiarchis, quos omnes extumulaverunt. Contra hos ſic. Secundum Chriſti Domini apertam doctrinam ad Sanctitatem prærequiritur præceptorum adimpletio: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata &c.* Lucæ 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. hoc fac, & vives*: atqui Hæretici Moderni aperte aſſerunt præcepta non poſſe obſervari; ergo negant Sanctitatem. Min. breviter explicatur. Luth. *lib. ad Dialogum Sylveſtri Prieratis* habet -- Non poſſumus in hac „ vita mandata adimplere -- Calvinus *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 2. §. 5. ait -- Extra contro- „ verſiam, impoſſibile eſſe in hac carne le- „ gis complementum -- eo ducti fundamento, quod per peccatum originale ita ſit corrupta natura, ut neque magnâ gratiâ valeat præcepta ſervare.

Novatores antiqua ſcelera adoptarunt.

San-

Sanctitatem Divinorum Præceptorum
A utique non recipit, qui naturalibus legibus reſiſtendum docet: atqui hoc faciont Proteſtantes. Lutherus enim *lib. de vita conjugali ad illud: Creſcite, & multiplicamini* ait -- Non eſſe præceptum, ſed pluſquam præceptum, quod nos non poſſumos impedire, vel prætermittere, ſed perinde neceſſarium eſt, quam edere, bibere, ludere, expuere, purgare, evigilare. Sicut enim in manu mea non eſt, quo minus ſim mas; Ita minime ſitum eſt in me, ut ſim ſine muliere &c. Vir dicat, ſi tu non velis, velit alia, ſi non vult, dimitte eam, duc Eſther, & dimitte Vaſthi -- *In colloq. Germanicis cap. de Matrim* --
B Ut nemo poteſt cibo, ac potu carere; ſic fieri nequit, ut aliquis a muliere abſtineat; nam deſiderio naturali inflammari non poſſumos ab illis ſeparari &c. Sanctus Hieronymus multa ſcribit de tentationibus carnis; at parvo res eſt: Mulier domi habitans poteſt huic morbo mederi. Euſtochium hic Hieronymo facile ſubvenire potuiſſet -- Calvinus *in inſtruct. contra Libert. cap.* 13. -- Concupivit quis Uxorem proximi, ea potiatur ſi poteſt, &c. audacter eripiat vi, vel fraude fortunas proximorum; nihil enim ſuſcipiet niſi Deo volente, & probante &c. -- & alibi. Simili
C tono canunt eorum Aſſeclæ, quorum doctrinam referre horret calamus. Bene dicebat Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiſontem* -- Nulla hæreſis ſine Philomena -- Et Oſee 7. *Haro Hæreticus diligit caſtitatem, & quicunque amare pudicitiam ſe ſimulans*. Et Aug. *de utilitate credendi cap.* 3. ait -- Rejiciantur prorſus decem præcepta, & ſtatim deſinent omnes hæreſes --

Hæretici dedisi veneris.

48 Sanctitas Eccleſiæ Chriſti operativa eſt per charitatem, parativa bonorum operum, ut conſtat ad Coloſſen. 3. *Induite vos ergo ſicut Electi Dei, Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, mode-*
D *ſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam; ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*: atqui Proteſtantes refugiunt doctrinis ſuis bona opera; ergo. Min. poſſet demonſtrari fuſe, ſed in re clara ſufficiant ſequentia. Lutherus *Serm. de novo Teſtamento* -- Caveamus (*inquit*) a peccato, ſed magis ab operibus bonis, & legibus, ſolumque promiſſionem Dei attendamus, & fidem; ipſa enim brevis eſt perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus; immo & legem proſcindit: &
E opus -- *In argum. Epiſt. ad Galatas, editionis primæ* -- Summa ars, & ſapientia Chriſtiana eſt, neſcire legem, ignorare opera, & totam juſtitiam activam -- *Ad Evangelium Domin* 24. *poſt Trinitatem* -- Qui in Eccleſia docent, & præcepta, opera, & ſtatuta exigunt, Impoſtores ſunt &c. ex operibus quidem, abſtinens, temperans, jejunio, & precibus incumbens, Peregrinus item nominari poſſum, non tamen Chriſtianus. Etſi enim univerſa tua opera in unum converteres; immo, & omnium aliorum tuis adjungeres; neque ſic tamen Chriſtum habes, nec Chriſtianos ideo vocaris -- *Serm. de piſcatura Petri* dicit: Deum adeundum eſſe cum ſolo Iſaac, ideſt, fide; abſque aſinis, & ſarcinis, ideſt, bonis operibus. *Ad Evang. feria* 2. *Pentecoſtes* dicit: viam Cœli, & portam eſſe arctam, nec poſſe illam ingredi, qui eſt onuſtus bonis operibus; & alibi ſæpe ſimilia.

Novatores bona opera refugiunt.

Calvinus *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 15. §. 1. -- Evangelium eo a lege differt; quod operibus non alligat juſtitiam, ſed in ſola Dei miſericordia collocatur -- Et alibi. Et quod iſti Principes docuerunt, univerſi eorum Aſſeclæ retinuerunt, & docuerunt.

Sanctitas Eccleſiæ Chriſti jubet exercitium orationis, doctrina, & exemplo Chriſti, Lucæ 18., Act. 3., 2. ad Corinth. 6., ad Heb. 13., & alibi ſæpe. Commendat conſilia Evangelica: Matth. 19., 1. ad Corinth. 7., & alibi: atqui hæc omnia Proteſtantes damnant. Luth. *Serm. de Aſcenſ. Chriſti*, orationem juſti affirmat eſſe peccatum: & contra Catherinum, eam dicit eſſe impiam faciem Antichriſti. *In eodem lib.* Caſtitatem vocat decimam faciem Antichriſti; Paupertatem Evangelicam appellat rapinam. *Contra* 22. *art. Lovanienſ. Theſ.* 59. *de votis Monaſticis*, Clauſtra Religioſa appellat Gentilia, Judaica, Dæmoniaca, Apoſtatica. Calvinus *in Harmonia in Matth. cap.* 17. *v.* 21. Jejunium, & Orationem, ſolum ad fidem excitandam prodeſſe aſſerit. *Lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 13. dicit, Monaſtica vota eſſe Satanæ retia; profeſſores eorum deſeruiſſe Eccleſiam, conſecraviſſe ſe Diabolo.

Lutherus hoſtis Monachorum.

Sed quid immoramur? Omne Sanctum conculcant; Templa, Feſta, Sacrificia, Ceremonias, Ritus, Cultus Sanctorum, & omne, quod ſacrum Scriptura docet, Traditio fert, Concilia ſtatuunt; ut evidenter conſtat ex Controverſiis, quæ moventur a Catholicis contra eorum dogmata. Nec mirum eſt; ex Patre enim Diabolo ſunt, & Diabolum Præceptorem habuerunt. Lutherus *in Colloquiis menſalibus Germanice fol.* 275. -- Crede mihi: bene, immo valde bene novi Diabolum; mecum in dormitorio nonnunquam deambulat, quando cum hominibus ſum, non nocet mihi, cum verò me ſolum deprehendit, tunc docet me mores &c. Argumenta per otium a Diabolo audivi, & graviora quidem; nam habeo unum, & alterum Diabolum mirabilem, a quibus diligenter obſervor, & quidem intente. Sunt enim non vulgares, ſed magni Dæmones; immo inter Diabolos magni Doctores in Theologia -- *Fol. Concorat. ord.* 281. -- Diabolus frequentius, & proprius mihi condormit, quam mea Catharina -- *Fol. Concorat. ord.* 269. -- Malo pro Diabolo, quam pro Cæſare interire; ſic enim per magnum Dominum interirem -- *Idem in Epiſt. ad Electorem Saxoniæ tom.* 5. *Jenæ impreſſo, & tom.* 7. *Wirtemb., & tom.* 6. refert diſputationem habitam cum Diabolo de Miſſa privata. Deinde ejus ſcripta nonniſi Diabolum redolent; hunc enim ipſe protectorem habebat in colloquiis menſalibus: hinc *fol.* 271. ait -- Sancte ſatan ora pro nobis -- Et ſic de aliis, quibus cum Aug. *tract.* 42. *in Joan.* dicimus

mus

mus — Si quod dicis, a Diabolo accepiſti, & „ Diabolo credidiſti, mendax es — Videatur Coccius *art. duodecimo lib.8 de Signis Eccleſiæ.*

49 De Schiſmaticis Orientalibus non eſt ſermo protrahendus; quia ex diviſione in tot Sectas orta eſt maxima doctrinæ contradictio, & perturbatio. A Deo derelicti plura docuerunt contra bonos mores, & longum nimis eſſet omnia referre. Unum ſufficiat innuere: omnes obedientiam Summo Pontifici denegavere, cui conſtanter Græcia obedivit uſque ad ſeculum octavum, in quo incœpit ſchiſma Photii, quo ſublato per aliquod tempus iterum ſe ſubdidit. Ab illa obedientia receſſit Orientalis Eccleſia, quam profitendam docuerunt Sancti Patres Græci; & Græca Concilia tradiderunt; quam, jam ſchiſmate proſequente, debitam faſſa eſt in Concilio generali Lugdunenſi, & Florentino. Sed & alios errores in moribus poſtmodum recepit, & approbavit, quorum mentionem faciunt Catalogiſtæ, & Arcudius inter alios in ſuis opuſculis. Ex Bulla Innocentii IV. data pro inſtructione eorum, qui vellent ad Eccleſiam redire, & iterum Romano Pontifici ſe ſubdere, colligitur inter alia. I. Græcos damnare ſecundas nuptias in mulieribus. II. Fornicationem non eſſe peccatum lethale. III. Ex Bulla Clementis VII. pro Ruthenis, quod divortium ita liceat propter fornicationem, ut poſſit alia duci. IV. Ex Rituali Græcorum a Nicephoro Xantopolo in latinam linguam verſo, habetur, damnari, ut Idololatras in Azymo celebrantes; unde ubi Pſalmiſta dicit: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*, habet — Confundantur om-„ nes, qui adorant Azyma — Propter quæ, & alia ſimilia prava in moribus &c. non prodeſt Græcis facies illa Sanctitatis, quam præſeferunt in rigore Jejuniorum: in quo errant etiam damnantes Sabbatinum Jejunium Eccleſiæ Romanæ; ſed de his ſatis.

Schiſmatici a Deo derelicti.

CONTROVERSIA III.

AN NOTA MIRACULORUM CONVENIAT ECCLESIÆ ROMANÆ.

QUa ratione Chriſtus promiſit ſe futurum cum Apoſtolis uſque ad conſummationem ſeculi; etiam promiſit ſe confirmaturum ſermonis prædicationem ſignis. Sicut enim ipſe plura fecit, ut redderentur inexcuſabiles Evangelii auditores, ita voluit ab aliis perpetuo fieri; ut identitas ejuſdem Evangelii probaretur, & propagaretur. Quare vera ſcripſit Aug. *de utilitate credendi cap.* 14., ubi de Chriſto teſtatum reliquit — Miraculis conciliavit aucto-„ ritatem, auctoritate meruit fidem, fide „ contraxit multitudinem, multitudine obti-„ nuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit Reli-„ gionem —

Fremunt tamen Proteſtantes ubi Miracula objicimus, & ſua ab ipſis expetimus, nec aliter, quam mordacibus verbis reſpondere poſſunt, cum palpabiliter deprehendantur Impoſtores, & Pſeudoprophetæ: Nec vacat immorari in referendis eorum verbis. Unde

50 Dico I. Eccleſiæ Romanæ convenit perfectiſſime Nota Miraculorum. Ridiculus haberetur, qui vellet Soli in meridie, vel lumina addere, vel poſſeſſa denegare: ita pariter qui de permanentia, & veritate Miraculorum in Eccleſia Romana ſuſpicari vellet, cachinnis eſſet excipiendus; ea enim in omni genere eſt copia, in omni natione, & loco, a tot viris ſapientia, & veracitate, & ſanctitate illuſtribus aſſerta, ut pene mentem obruat, & quaſi velut res ordinaria Miraculi enarratio ſuſcipiatur.

Et ſane id perſeveranter concedendum eſt in Eccleſia Romana extitiſſe, quod omni ſeculo obtinuit: ſed Miracula omni ſeculo in ea fuerunt patrata, ergo Miraculorum patratio perſeveranter extitit in Eccleſia Romana. Min. ſic elucidatur. Primo ſeculo ab anno primo Chriſti, & Eccleſiæ, uſque ad centeſimum habemus Miracula Chriſti in Evangelio narrata, & Apoſtolorum in Actis eorundem recenſita. In ſecundo ab anno 100. uſque 200. Miracula Sancti Clementis, Sancti Narciſſi Epiſcopi Jeroſolymitani, Sanctæ Julittæ, & SS. Martyrum in exercitu Marci Antonini, & aliorum, quorum teſtimonium fert Irenæus *lib.* 2. *cap.* 57. Euſebius &c. Tertio ſeculo ab anno 200. uſque ad 300. Miracula S. Gregorii Thaumaturgi, Romani, Albani, & aliorum, quorum multitudo tanta fuit, ut dicat Euſebius *lib.* 10. *cap.* 12. vix exprimi poſſe: de quibus mentionem faciunt Hieron. Prudentius, Chryſoſtomus, Baſilius &c. Ab anno 300. uſque ad 400. Miracula SS. Antonii, Hilarionis, Martini, Hilarii, Nicolai, & aliorum apud Athanaſium, Hieronymum, Sulpitium, Palladium, Sozomenum &c. Quinto ſeculo a 400. uſque ad 500. Miracula Sancti Stephani Protomartyris, Sanctorum Gervaſii, & Protaſii relata ab Aug. Sancti Felicis Nolani, Eraſmi Eremitæ, Simeonis Stylitæ, Sancti Remigii, Patrici, Thalaſii, Maximi Regienſis &c. Sexto ſeculo a 500. uſque ad 600. Miracula Joannis primi Papæ, Agapiti Papæ, Benedicti, Mauri Abbatis, Placidi, Birgittæ Virginis, Auguſtini Angliæ Apoſtoli &c.

Miracula quovis tempore in Rom. Eccleſia.

Septimo ſeculo a 600. uſque ad 700. Miracula Theodoſii Archimandritæ, Arnulphi Metenſis Epiſcopi, Amandi Epiſcopi, Eligii Epiſcopi, Florentii Epiſcopi, Agathonis Papæ &c. Octavo ſeculo a 700. uſque ad 800. Miracula Gudberti, Joannis in Anglia, Sunniberti, Erhardi &c. Nono ſeculo a 800. uſque ad 900. Miracula Sanctorum Tharaſii, Jannicii, Angarii. Remberti Apoſtoli Daniæ, Rumoldi Regis Scotiæ &c. Alia in translatione Corporis S. Sebaſtiani in Civitate Sveſſionenſi, in translatione S. Marcellini &c. Decimo ſeculo a 900. uſque ad 1000. Miracula Sanctorum Dunſtani Epiſcopi, Romualdi Abbatis, Majoli Abbatis, Wenceslai, Ulderici &c. Undecimo ſeculo a 1000. uſque 1100. Miracula SS. Eduardi Regis Anglorum, Heriberti, Odilonis, Anſelmi Cantuarienſis &c. Duodecimo ſeculo a 1100. uſque ad 1200. Miracula Sancti Bernardi, Sancti Malachiæ, Sancti Niedorici, Thomæ Cantuarienſis &c.

Decimotertio ſeculo a 1200. ad 1300. Miracula SS. Dominici, Franciſci, Bonaventuræ, Thomæ Aquinatis, Petri Martyris, Antonii, Petri Cœleſtini, Eliſabeth Ungariæ Reg., quæ ſeptemdecim mortuos reſuſcitavit, Reymundi de Pennafort, Hyacinti &c. Decimoquarto ſeculo a 1300. a 1400. Miracula SS. Rocchi, Bernardini, Catharinæ Senenſis, Nicolai de Tolentino, Venturini, Gottifredi &c. Decimoquinto ſeculo e 1400. uſque ad 1500. Miracula SS. Vincentii Ferrerii, Didaci, Antonini Florentini Epiſcopi, quorum primus triginta octo mortuos vitæ reddidit &c. Decimoſexto ſeculo a 1500. uſque ad 1600. Miracula SS. Franciſci de Paula, Franciſci Xaverii, Ignatii, Ludovici Bertrandi, Caroli Borromæi, Philippi Nerii, Seraphicæ Sanctæ Matris Thereſiæ, Petri de Alcantara, quorum Canonizationes ſeculo præterito ſunt celebratæ. Decimoſeptimo ſeculo e 1600. uſque ad 1700. Miracola Sancti Franciſci Saleſii, & aliorum piorum virorum, quorum acta in Congregatione Rituum examinantur: præter ea Miracula, quæ in dies fiunt invocatione Sanctorum, viſitatione Imaginum Beatiſſimæ Virginis, & illud, quod ſingulis annis in publica viſitatione Imaginis Marianæ Niceæ in Provincia, quæ dicitur *del Laghetto* in die Sanctiſſimæ Trinitatis: coram omnibus immutatur Imaginis vultus, & ſanatur unus, vel claudus, vel cæcus &c.

51 Plurima vero expreſſe fuerunt patrata in confirmationem fidei directe, & per ſe, vel in genere, vel pro aliquo particulari articulo; ut pro demonſtrando cultu Sanctarum imaginum, & Reliquiarum, & Sacrorum Rituum venerabilitate. Hinc apud Sanctos Patres tot leguntur facta ſigno Crucis, Aquæ benedictæ aſperſione, Ceræ benedictæ uſu, & Sacramentorum &c. In proteſtationem Baptiſmi nonnulla profert Aug. *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. In demonſtrationem venerabilitatis Confirmationis Optatus Milevitanus *lib.* 2. *contra Parmenianum* refert Angelica manu ſuſtentatam Olei ampullam, quam ea feneſtra projecerat Hæreticus, Malachias Hiberniæ Epiſcopus Lunaticum ſanavit, dum chriſmate ungeret, apud Bernardum &c. In confirmationem Euchariſtiæ, apud Cyprianum *de lapſis*, Mulier manibus indigne tractans Euchariſtiam ab igne deterretur. Apud Ambroſium S. Satyrus Euchariſtia collo appenſa e naufragio liberatur. Apud Optatum quidam Hæretici a canibus lacerantur, quibus Euchariſtiam proculcandam tradiderunt. In Miſſæ Sacrificio patrata Miracula teſtatur Chryſoſtomus *lib. de Sacerdotio*. Euchariſtiam in carnem viſibilem mutatam fatetur Paulus Diaconus *in vita Sancti Gregorii Magni*, Cyrus Theodotus *in epigrammate S. Baſilii*, Paſchaſius *de corpore, & ſanguine Chriſti*; & alii.

Pro confirmatione Sacramenti Pœnitentiæ Miracula edita enarrat Joannes Climacus *gradu* 4. Petrus Damianus, Petrus Cluniacenſis *lib.* 1. *de Miraculis cap.* 3. 4. 5. 6. Beda *lib.* 5. *Hiſtoria Anglorum cap.* 14. *&c.* Pro confirmatione Sacramenti Ordinis refert Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 20. Ordinis conſecrationem Sancto Amphilochio fuiſſe adminiſtratam ab Angelis, quam ratam habuerunt

A Epiſcopi re examinata. Et teſtatur Cyprianus *lib.* 4. *Epiſt.* 1. gradu, & virtute exorciſtæ Dæmones flagellari, & a corporibus ejici, quod in dies accidit. Fruſtra autem ad eludendam veritatem, ad magiam recurritur. Magia apud Ethnicos, & Mahometanos in uſu eſt; & tamen hujuſmodi exorciſmos, eorumque effectus apud illos minime exerceri legimus. Nec falli poteſt Doctrina Chriſti dicentis, diviſum eſſe, nec ſtare Regnum Satanæ, ſi in Beelzebub Dæmonia ejiciuntur. Rogans, non imperans, deprecans, non objurgans, invocans, non maledicens Dæmonem, ſua præſtigia exequitur Magus: at verò Exorciſta

B imperio, maledictis, imprecationibus, conviciis, comminationibus Dæmonem vexat, & pellit, cogitque obedire. Dixit optime ad rem Tertullianus *lib. de anima cap.* 57. -- „ Spiritalia nequitiæ non invitatoria opera„ tione, ſed expugnatoria dominatione tra„ ctamus, non ſocia conſcientia, ſed inimi„ ca ſcientia -- Et Damaſcenus *lib.* 1. *de Imag.* -- Magi adjurant, Eccleſia quoque exorci„ zat, ſed Magi invocant Dæmones; Eccle„ ſia autem contra Dæmones Deum invocat--

DICES. Ex pacto cum Dæmone poteſt ſuperior Dæmon alium vexare inferiorem: non ergo bene colligitur id virtute Eccleſiæ, &

C Sacramenti fieri. Sed hoc non urget. Non eſt in Dæmonis poteſtate tam mirabiliter vexare inferiorem; in eum enim non habet dominium deſpoticum, ſed ſolum morale, procedens ex obſtinata voluntate ipſius inferioris, qui ſe ſubdidit. Sed hoc dato: ſolum id poſſet accidere, ubi pactum fieret cum ſuperiori alicujus legionis: atqui Exorciſta catholicus iiſdem formulis aſſurgit contra inferiores, ac ſuperiores, contra paucos, ac contra omnes; proindeque conſtat non ex conventione, ſed ex vera poteſtate fieri. Deinde quando ex pacto procedit, nunquam permittit Dæmon, ut ejus operibus abrenuncietur; ſeipſum enim

D deſtrueret, & finem ſuorum operum evelleret; at ipſe Exorciſta cogit abrenunciare pompis, & Diabolicis operibus; hortatur, inducitque obſeſſum ad illud præſtandum. Certe ſuperioris conditionis eſt virtus Evangelici exorciſmi, quam Judaici; & tamen erant Exorciſtæ electi pro pellendis Dæmonibus; ut refert Joſephus *lib.* 8 *antiquit. cap* 3.

Pro confirmatione pariter Extremæ unctionis Miracula leguntur, ut illud Sancti Malachiæ, qui ad hunc unice finem vitæ defunctam reſtituit, ut Sacramento hoc inungeretur. Hæc inſinuaſſe ſufficiant. Fuſius hoc verſant Doctores, inter quos potiſſime Boſius

E *de ſignis Eccleſiæ*.

52 Innuamus unum, vel aliud ex antiquis, & modernis exemplis, ex eo genere Miraculorum, quæ facta ſunt ex condicto, & provocatione in conteſtationem veritatis. Vulgatum eſt illud Valentis Imperatoris, qui Baſilio juſſit ſuum filium ſanitati reſtituere, ſi vera erant dogmata, quæ docebat: ſpopondit Præſul, ſi Imperator Eccleſiæ pacem vellet reſtituere: quod negans, ut Baſilius dixerat, puer obiit. Sic Socrates. Vulgata ſunt, quæ Theodoretus recenſet de Monachis diſcipulis Macarii, & Antonii, qui aperta ſigna pro

veri-

veritate conſubſtantialitatis Verbi contra Arrianos fecerunt. De Juliano Eremita, qui ſolitudinem deſeruit, & Arrianos aggrediens, ſingulis fere momentis Miracula edebat. De Psmbo, & Heraelcone, qui in vinculis detenti a Lucio Arriano oblatum aridum ſanaverunt dicentes -- In nomine Jeſu, quem Lucius perſequitur, ſurge --. Vulgatum eſt pariter (apud Cedrenum) illud de Epiſcopo Catbolico cum Arriano Epiſcopo diſputante. Hic eloquio fœcundus, ille fide; hic ut verboſitatem obtroncaret, provocavit ad ignem, & nolente Arriano ingredi, ingreſſus eſt Orthodoxus, qui illæſus Verbum Dei Pupulo evangelizabat in medio ignis.

Illud non eſt omittendum, quod Sancto Ephrem evenit. Hortans quendam Stylitem Severianæ Hæreſis Sectatorem, ab eo invitatus fuit, ut ſimul ingrederentur in ignem in probationem veritatis: illico S. Ephrem in accenſum rogum voluit deſcendere; renuit Hæreticus, quem fœdifragum redarguit Ephrem, qui præmiſſa invocatione Jeſu Chriſti, & B. Virginis, ut ſigno confirmaret fidem, ſtolam in ignem miſit, & poſt tres horas integram extraxit; cui cedens Hæreticus veritatem amplexus eſt. Conſimili provocatione (ut refert Cedrenus, & Zonaras) compulſi, Baptiſmo abluti ſunt Rutheni, qui prædicantibus Evangelium reſpuebant dexteras ſocietatis, niſi in ignem projiceretur volumen Evangelii, ea conditione credituri, ſi nihil pateretur, ut evenit. Proprius ad rem noſtram facit, quod in vita Sancti Bernardi *lib.* 3. *cap.* 5. recenſetur. Perturbante Provinciam Toloſanam hæreſi Petro-bruſſianorum, qui noſtrum proteſtantium typum geſſerunt; in vico, qui Sarlatum appellatur, petenti Populo, ut Sanctus Abbas panes benediceret, annuens dixit -- In hoc ſcietis vera eſſe, quæ „ a nobis; falſa, quæ ab Hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtaris panibus iſtis „ adepti fuerint ſoſpitatem -- & quotquot, qui panem illum manducaverunt ex numero infirmorum, convaluerunt.

Celebre ſatis eſt illud, quod in hiſtoria Albigenſium Petri de Valle Sennarii *cap.* 8. narratur de Sancto Dominico, qui ut Hæreticos ad fidem traheret, compendioſe in quodam libello fundamenta noſtræ Religionis reſcripſit, tradiditque Hæretico, ut examinaret; hic, cum plures ſimul eſſent Hæretici, librum protulit, quem in ignem projicere decreverunt ſub ea conditione, veram eſſe Doctrinam Dominici, ſi non læderetur, falſam, ſi læderetur. Projectus libellus ſponte proſilit ab igne, ſtupentibus perfidis; & ſecundo, & tertio id evenit obſtinate id petente uno ex illis: non crediderunt tamen veritati, ſuis hæreſibus contumaciter adhærentes. Nihil verò ſuſtinebant erroris Albigenſes, quod non propugnent Proteſtantes. Non licet amplius in hoc immorari argumento; Centuriatores enim ſingulis Centuriis enarrant Miracula, quæ noſtri auctores proferunt, ſive in Cultum Sanctorum, & Imaginum, ſive Rituum Eccleſiaſticorum, ſive aliorum Myſteriorum. Sed uno ſe expediunt, dicentes præſtigia eſſe; quis hæc Lutheranam damnant doctrinam.

53 Hinc non eſt immorandum in objectionibus refellendis. Ad hoc unum reducuntur,
A
ut vel præſtigiatoria opera dicant, vel a Catholicis conficta, ut Sanctorum Canonizationes promoveant, & Reliquiarum Cultum, & ſimilia. Et in ſignum proferunt, quod Jeſuitæ plurima dicant ſe patrare Miracula in Indiis, nullum autem in Europa facere potuerunt, niſi quod ab orco revocarunt Pelagium. Hæc evomit Kemnitius.

Verum antiqua hæc eſt cantilena Gentilium, & Hæreticorum: quæ tamen non prævaluit; evidentia enim facti, fallax, & mendax deprehenſa eſt. Sunt ſua ſigna, quibus Miraculum a magicis operibus, & effe-
B
ctibus naturalibus perfecte diſtinguitur, quibus uſi ſunt Patres primorum ſeculorum. Excedens eſt etiam temeritas velle fidem negare tot Teſtibus fide dignis, quot ſunt illuſtres antiqui, & moderni Hiſtorici, & celebres Sanctitate, & eruditione Patres. Si valet argumentum, cuilibet narrationi fides erit neganda, ſicut recte arguit Aug. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 18.

Non negamus quandoque aliquid falsò narrari, vel ex nimia credulitate, vel ex carentia debitæ diligentiæ, vel etiam ex malitia. At quod omnia conficta ſint, & quod tot graves, & ſæpe ſæpius oculati teſtes de-
C
cepti fuerint, impoſſibile eſt. Mos erat, collecta Miracula Populis legere, ſed ea tantum, quæ exquiſita diligentia probaverant Epiſcopi, teſte Aug. *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. quod & Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 2. practicandum ſtatuit. Et hinc potius laudanda eſt Eccleſia Catholica de exactiſſimo rigore in examinandis Sanctorum Miraculis, quæ fidelibus ſunt proponenda. Qui verò Miraculum falſum producunt, graviſſime peccant; quantum enim per ipſos ſtat, evacuant Miraculorum fidem, & mos fuit in Eccleſia hujuſmodi impoſtores punire. Suos defendit a calumniis Beccanus *lib. de Anti-*
D
chriſto Reformato cap. 9. In Europa non faciunt Miracula, quia Fides nec indiget confirmatione, nec digni ſunt Hæretici videre Miracula.

54 Dico II. Soli Eccleſiæ Romanæ convenit Miraculorum patratio, non autem ceteris Sectis. Non indiget probatione Concluſio; ſiquidem noſtri Proteſtantes, cum Miraculis careant, ubi Miracula ab eis poſtulamus, negant ea eſſe neceſſaria, vel ad Spiritualia recurrunt.

Miracula ſunt opera Divinæ Potentiæ, illiuſque manifeſtativa ex Evangelio; in oſtenſionem Cultus, & Religionis unius Dei fiunt
E
ex Aug. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 12. in manifeſtationem Sanctitatis ex D.Th. 2. 2. *qu.* 178. *art.* 1., atqui Proteſtantes negant Deum eſſe Omnipotentem, negant omnem Cultum, omnemque Sanctitatem, ut jam vidimus; ergo non poſſunt habere Miracula, cum nequeat Deus teſtis eſſe falſitatis.

Antiquos Hæreticos nullum perpetraſſe Miraculum ex Patribus compertum eſt. Legendi ſunt hac de re Irenæus *lib.* 2. *cap.* 36. Tertullianus *de præſcript. cap.* 30. Chryſoſt. *de laudibus Pauli Homilia* 4. Auguſt. *lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 5. & alii.

Pariter Sancti Patres enarrant nihil prorſus Hæreticos effeciſſe, ubi Miracula in confirmationem falſæ doctrinæ facere conati ſunt; ut de Simone Mago, de Elceſæis refert Epiphanius de hæreſibus, de Manne Cyrillus Jeroſolymitanus, de Arrianis curantibus filium Valentis Imperatoris, Socrates, & ſic de aliis. Quod palpabilius evenit in noſtris Proteſtantibus, Luthero, Calvino, eorumque Sectatoribus, quorum Hiſtoriæ notæ ſunt omnibus, utpote ludicræ, & pro theatro aptiſſimæ.

55 Dices cum eiſdem. Miracula ſunt neceſſaria, ubi nova inſtituitur Religio: ſed nos, inquiunt, antiquam Religionem reparavimus; Reformatores enim ſumus: Evangelica Doctrina jam prioribus ſeculis eſt Miraculis confirmata.

Evangelium Signis confirmatum.

Quam pulchre mentiuntur. Evangelium ab Apoſtolis confirmatum Signis, & prædicatione radicatum, ſecundum Divinam promiſſionem debet integrum perſeverare uſque ad finem ſeculi in ea Eccleſia, cui illud crediderunt ipſi Apoſtoli: & alia non fuit Eccleſia illa, quam Romana: non ergo ſunt Reformatores, ſed everſores. Promiſit ipſe Deus ſe idem Evangelium confirmaturum Signis: negari ergo nunc Signa non poſſunt. Deinde ſi Reformatores ſunt, oſtendant, a quo hoc officium acceperunt; ut dicebat Tertull. *de præſcriptionibus cap.* 3. -- Probent, ſe novos „ Apoſtolos eſſe &c. --

Hic enim fuit Eccleſiæ uſus, quoties novam aliquam doctrinam tradiderunt Hæretici, Signum novæ miſſionis expetere. Signa non fidelibus, ſed infidelibus ſunt neceſſaria: atqui nos ſumus infideles, & Ethnici ex eorum teſtimonio; ergo nobis Signa oſtendant, ut credamus. Dicit Greg. Magnus *Homil.* 29. *in Evang.* -- Ut enim fides credentium creſceret, Miraculis fuerat nutrienda -- Si volunt ergo, ut creſcat, Miraculis probent ſuam prætenſam Reformationem.

Eraſmus *de libero arbitrio*, Lutheranam doctrinam reprehendit, quia eſt abſque Signis, quod repetit *in Epiſt. in Pſeudoevangelicos*. Zuinglius *tom.* 2. *fol.* 52. 53. 54. Prædicatores uſurpantes Evangelicum miniſterium abſque Signis appellat homines audaces, temerarios, Hæreticos, Imitatores Chore. Lutherus ipſe *in epiſt. ad Senatum Mulc iuſinum*, ut feratur Judicium de novatore hanc tradit regulam -- Acceſſat ad ſe Senatus, etiam „ præſente omni Populo, ſi fieri poteſt, & „ quærat ex eo: Quis eum huc miſerit, aut „ vocaverit ad docendum? Proculdubio Se„ natus non fuit. Quod ſi dicat ſe a Deo, „ atque ipſius Spiritu miſſum eſſe, quemad„ modum Apoſtoli, probet hoc Miraculis, „ & Signis editis, vel nolite ferre, ut con„ cionetur; nam ubicumque Deus formam „ ordinariam immutare vult, ibi ſemper Mi„ racula facit -- Projiciendi ſunt ergo iſti Reformatores, quia nullum Signum ediderunt. Dicat ergo Baruch 6. de illis: *Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt: hominem cæcum ad viſum non reſtituunt &c. Quomodo ergo æſtimandum eſt, aut dicendum, illos Deos eſſe?*

56 Dices II. Doctrina noſtra eſt negativa, non autem affirmativa: non debemus ergo illam probare Signis. Immo quia negativa, indiget firmari pondere Signorum. Negativum argumentum nihil probationis obtinet, & ea facilitate, qua ponitur, negatur: nec ſolius aſſerentis ſtandum eſt dicto. Sed bene dicunt, immo optime, quod eorum doctrina negativa ſit, quia negat omnem veritatem; & ideo probari nequit.

Negativum argumentum probandum eſt.

57 Dices III. Meliora ſunt ſpiritualia Miracula, quam corporalia: ſufficit ergo cæcorum ſpiritualium illuminatio, & claudorum ſanatio. Bene quidem: ſed iſti cæci ſpirituales, & claudi homines ſanati ſunt corporei, & quibus prædicantur hujuſmodi Mirabilia, pariter quos Deus manuducit ad ſpiritualia per corporea & Chriſtus ipſe, ut ſuam ſpiritualium effectuum poteſtatem demonſtraret, ſenſibilibus Miraculis probavit.

Corporalia ad ſpiritualia conducunt.

58 Dices IV. Anglica Regina Eliſabeth Miracula fecit, Strumoſius pluribus ſanitatem reſtituens, & geſtatione annulorum, quos conſecravit ſolemniter die Paraſceve, a comitiali morbo liberati ſunt. Optime ſane; Privilegium, quod ſolis Angliæ Regibus, ſicut & Galliæ, non autem Fœminis conceſſum, Reginis jam tribuunt ſine probati auctoritate Hiſtoriographi. Sed quid? Demus. Cujus virtute hæc fecit? Utique meritis Sancti Eduardi Regis, ut colligitur ex Pollidoro Virgilio *lib.* 8. *Hiſt. Anglicanæ*. Nec novum hoc eſt, & alii Hæretici virtute alicujus ritus Catholici Miracula fecerunt. Julianus Apoſtata Crucis Signo, quod deſpiciebat, Dæmones profugavit a ſemetipſo, ſed non repulit ſuam iniquitatem.

Ex Catholico ritu miracula.

59 Dices V. Quale Miraculum majus, quam quod fecit Lutherus Monachus profugus? Quod a Clauſtris Moniales, & Monachos extraxerit, unicuique Evangelium prædicandi dederit facultatem, Miſſam abrogaverit, Papatum everterit &c. Certe hoc Miraculum non negamus. Sed majus fecit adhuc Mahometus, & grandius adhuc facere poteſt, quiſquis omni nequitiæ laxabit habenas. Nihil facilius, quam turbas ſibi facere, libertatis jura dilatando, & maxime ubi color aliquis pietatis apparet. Ubi invidiæ ſcintilla excitata volat; prona eſt omnis caro ad malum, nec aliud quid magis ſentit, quam ad ſui abnegationem reſtringi. Cum oſtenderint ſimile quid feciſſe Apoſtolos poſt Chriſtum, credemus.

CONTROVERSIA IV.

Appendix.

AN LICEAT ABSQUE PECCATO MIRACULUM PETERE A DOMINO.

CUm diximus plura Miracula facta fuiſſe ex condicto, & legamus quandoque Miracula ab Orthodoxis Ethnicos petiiſſe, breviter debemus explicare, quando liceat petere a Deo Miracula. Non loquimur hic de viris illis, qui habent donum Miraculorum, ſentiuntque inte-

rius

Digitized by Google

rius a Domino moveri ad Miraculum petendum; hi enim hujuſcemodi motioni reſpondentes nihil mali faciunt; qua motione Abraham Geneſ. 15. Signum petiit, quo cognoſceret, ſe terram promiſſionis poſſeſſurum. Agimus ergo extra caſum ſpecialis motionis Divinæ: unde.

60 Dico. Abſque neceſſitate, vel rationabili utilitate, grave peccatum eſt petere Miraculum. Prob. Tentare Deum eſt graviſſimum peccatum, ſed petere Miraculum abſque neceſſitate, vel rationabili utilitate, eſt tentare Deum; ergo eſt grave peccatum. Maj. conſtat ex præcepto Dominico, Deuter. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Min. explic. ea Gloſſa ibidem -- Deum tentat, qui habens, quod faciat, ſine ratione committit „ ſe periculo, experiens utrum poſſit liberari a Deo --

Miraculum ſine neceſſitate non eſt exquirendum.

Tentatio eſt experimentum capere de aliquo, an ſciat, poſſit, aut velit hoc, vel illud; ſitque verbis, & factis, verbis, quando ſermone alterum exploramus, factis quando aliquid agitur ordinatum ad experimentum capiendum aperte, vel interpretative: aperte, cum verbum, & factum dirigitur ea intentione ad capiendum experimentum, interpretative, cum aliquid fit abſque hac intentione, ſed taliter, ut non videatur habere alium finem, niſi experimentum capere. Sic ea D. Th. 2. 2. *quæſt.* 97. *art.* 1. Si quis canem incitet contra lupum, hoc non eſt experimentum capere de cane, ſed ſi abſque alio incitet, colligitur velle canis velocitatem experiri. Interpretative ergo Deum tentat, quando quis aliquid petit a Deo, vel facit, quod cauſam non habet utilitatis; ſic enim videtur velle experimentum facere de Divina Poteſtate, Sapientia, aut Bonitate.

Hæc eſt mens Divi Auguſt. *lib.* 10. *confeſſ. cap.* 35. -- Hinc etiam ipſa Religione „ Deus tentatur, cum Signa, & Prodigia „ flagitantur, non ad aliquam ſalutem, ſed „ ad ſolam experientiam deſiderata -- Qua ratione noluit Chriſtus Dominus Miracula facere coram Herode; quia ea curioſitate id cupiebat. Ea quo ſequitur nullum eſſe peccatum, ubi neceſſitas, vel rationabilis urget utilitas. Unde Iſaiæ 7. reprehenditur Achaz, quia Signum noluit a Domino petere, cui dixerat: *Pete tibi Signum a Domino &c.*, cui ille: *Non petam, & non tentabo Dominum*. Falsò enim credidit eſſe tentationem, cum in bonum commune vergeret Signum. Hinc Act. 4. Apoſtoli petunt Signa fieri in nomine Jeſu, ut Chriſti veritas fidem conſequatur apud Judæos, & alios infideles.

Hoc eſt ſecundum doctrinam Scripturæ 2. Paralipom. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te*. Ubi enim neceſſitas inſtat, vel rationabilis utilitas, promptus eſt Dominus, ut reſpondeat, dicente Auguſt. *lib. de utilitate credendi cap.* 16. -- „ Pollicetur ergo Dominus Eccleſiæ Miracula, cum opus fuerit: non tamen pollicetur omnibus, qui crediderint ea acturos -- Requiritur tamen humilis ſubmiſſio Divinæ voluntati, ne forte Religio exponatur irriſioni, aut quod nobis videtur neceſſarium, & utile, coram Deo expediens forte non erit: liberque Divinæ diſpoſitioni relinquendus eſt modus, determinatumque Signum non eſt poſtulandum, niſi claræ circumſtantiæ id exigant.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

61 OBJIC. I. Magna neceſſitas videtur, ubi Tyrannus minatur mortem pluribus fidelibus, vel fidei abnegationem, niſi Miraculum faciant: ſed hoc non obſtante non videtur licere; nam apud Petrum de Natalibus *in Catalogo Sanctorum lib.* 9. *cap.* 19. Cum Rex Babyloniæ, Judæis inſtigantibus, petiiſſet ab Aniano Alexandriæ Epiſcopo, & Marci Succeſſore, ut Chriſtiani transferrent montem magnum ab uno ad alium locum, aut fidem negarent, aut ſcirent ſe mortem ſubituros, Epiſcopus cum Chriſtianis afflictus eſt, & Deum oravit pro fide ſua, eique revelatum eſt, alium idoneum non eſſe, niſi quendam Monachum Anianum, qui juſſit montem moveri, & motus eſt celerrime. Si enim liceret non debuiſſet turbari Epiſcopus, ſed potuiſſet monti dicere diſcede, vel jubere uni ea Chriſtianis, ut id faceret, aut ſi licet, nonniſi ex Divina motione, ideo revelatio expectata eſt, & unus inventus eſt idoneus.

RESP. neg. min. Erat enim tunc licitum petere Miraculum; ſalus enim plurium Chriſtianorum, & periculum, ne aliqui deficerent a fide illis temporibus, magna erat neceſſitas, ſeu ſaltem gravis, & rationabilis utilitas, aderatque confirmandi fidem noſtram grave motivum. Tum quia in odium Chriſtianorum Regem urgebant Judæi, tum quia id petiit Rex ductus verbo illo, quod prædicari audierat: *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit*. Matth. 17. Prudenter tamen Epiſcopus rem geſſit, Deum orationibus conſulens, & triduano jejunio Deo exitum commendans. Unus tantum inventus eſt idoneus ea fide ſua, ideſt, qui haberet gradum illum excellentem fiduciæ, quæ eſt gratia gratis data.

Patratio miraculorum gratia gratis data.

62 OBJIC. II. Magna utilitas eſſe videtur converſio Judæorum, & Infidelium, ſi ſpondeant fidem amplexuros, dummodo Miraculum coram ipſis fiat, ſed ad hoc non eſt licitum petere Miraculum, niſi ex Divina ſpeciali inſpiratione; Auguſt. enim *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. ait -- Quiſquis adhuc Prodi„ gia, ut credat inquirit, magnum ipſe eſt „ Prodigium, qui mundo credente non cre„ dit -- Et D. Thomas *in Matth. cap.* 20. ait -- Quare non facit modo Miracula Eccleſia? „ & dicendum, quod Miracula facta ſunt ad „ probationem fidei, ſed jam fides probata „ eſt -- Unde contra mentem Eccleſiæ Miraculum nunc deſideratur.

RESP. Neceſſitatem ſimpliciter non adeſſe; quia alia ſunt media ſufficientia pro oſtenſione veritatis, & Evangelii enunciatione poſſent de veritate fidei convinci Hæretici, & ceterarum Notarum enucleatione induci in cognitionem Eccleſiæ: quare ex hoc capite,

Veritas fidei non eſt neceſſariò miraculis comprobanda.

capite, niſi adſit ſpecialis Dei motio, non eſſet licita petitio. Poſſet tamen adeſſe utilitas rationabilis, quæ prudenter eſt penſanda. Hebræi, & Mahumetani ſunt in ſuis erroribus obſtinatiſſimi, ſicut & regulariter Hæretici præcipui, unde raro adeſt fundamentum prudentis ſpei. Facilius, & frequentius adeſt hujuſmodi utilitas ex parte rudium, & ſimplicium, qui ex uno capite non ita bene percipiunt vim motivorum, & ex alio facile commoventur Miraculis; pro quibus unicum videtur eſſe medium, & judicandi ſunt quaſi alio careant medio.

Quidam putant ſine ſcrupulo id poſſe fieri, ſi caſus accidat apud eos Infideles, quibus primò annunciatur Chriſtus, quia Scripturà docemur ſueviſſe Deum, novam Religionem Signis confirmare, ut patet de lege Moſaica, & Evangelica: prædicatio verò Chriſti iſtis eſt lex nova. Sed a regula communi non eſt recedendum. Plurimæ converſiones factæ ſunt ſola evangelizatione etiam apud iſtos, & ſufficienter abſque Signis annunciari poteſt Chriſtus.

63 OBJIC. III. Si Hæreticus diſputans cum Orthodoxo, in veritatis confirmationem petat utriuſque libellos in ignem projici, juſta, & graviſſima cauſa exiſtit, ſed adhuc non licet: quia Evangelium eſt ſummæ veritatis, & Chriſtiana doctrina innumeris eſt probata Miraculis; unde Orthodoxus debet negative reſpondere, dicendo Deum non eſſe tentandum.

Quidam Doctor ſic ſentit de libellis, ſecus autem de perſonis. Vult, quod ſi Hæreticus petat utrumque ignem ingredi, poſſit Orthodoxus ſubire ſponſionem. Fateor tamen me non videre congruam diſparitatem. Ideo poteſt, ubi agitur de perſonis, quia ex negatione gloriabitur Hæreticus cum adſtantibus de irriſione noſtræ fidei: atqui hoc totum urget in caſu libellorum, & aliunde doctrina Chriſti, ſive pro libellis, ſive pro perſonis eſt ſufficienter Signis comprobata.

DICES ex eodem. Ubi agitur de perſonis, habetur certitudo moralis, quod Hæreticus ficte invitat, & ſi compellatur, vel primus ingredi, vel ſimul, recedet a ſponſione, & ita detegetur pravitas, & fallacia diſputantis: at ubi agitur de libellis, non habetur talis certitudo; audax enim forte projiciet Hæreticus in ignem libellos.

RESP. Ex iiſdem fundamentis certi ſumus, quod Hæreticus æque timet ſe comburendum eſſe, ac libros, cum ſciat ſe falſa docere, ſibique ex utroque capite irriſionem imminere pro certo habet. At demus, quod projiciat libellum ſuum, & comburatur, ſi Orthodoxus non projiciat, adſtantes dicent, Ipſum timere, ne & ſuus comburatur, ac proinde, quod nec ipſe vera dicat, ſintque ambo impoſtores, vel æqualis fidei, nec ulli magis, quam alteri credendum.

DICES *cap. conſult. 2. quæſt. 4. Et extra de purgatione vulgari*. Cap. 5. Prohibita eſt purgatio per ignem, ſeu ferrum candens, aut aquam ferventem; ſicut eadem prohibitio habetur *Cap. Mennam*, *Cap. Monomachiam*, *Cap. Ex tuarum de purgatione*. Ergo non licet Orthodoxo acceptare ſponſionem ingrediendi ignem.

RESP. Jus Canonicum prohibere probationes, quæ erant in uſu inter Catholicos, & maxime in Monaſteriis ad detegenda furta, cæteraque delicta, contentaque eſt Eccleſia, quod bonum commune promoveatur mediis probationibus legalibus per teſtes, juramenta, & ſimilia media. In caſu autem agimus de fide; immo videtur non eſſe tentationem Dei, ſi petatur Miraculum, ubi non eſt alia via evadendi mortem naturaliter, juxta illud Pſal. 149. *Invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me*.

Purgatio per ignem prohibita.

64 OBJIC. IV. Videtur adeſſe neceſſitas petendi Miraculum, ubi Magus ſuis præſtigiis populum decipit: ſed ſine ſpeciali motione non licet; quia præſumendum eſt Deum id permittere ex juſto judicio in punitionem adſtantium, aut ob alium finem nobis incognitum, ergo ſola neceſſitas, aut utilitas non ſufficit ad reddendam licitam petitionem.

RESP. In actuali patratione præſtigiorum non eſſe tentandum Miraculum abſque motione Dei, quia eſt aliud medium, quod fuit in uſu apud Sanctos Patres, videlicet recurrendo ad orationem, exponendo Sanctiſſimum Sacramentum, ad præſentiam enim Domini impotens eſt Dæmon, ut experientia docuit; cujus exempla habentur in hiſtoriis, ut ex Cæſario *lib. 9. cap. 12.*, & aliis. Facilius, & utilius curatur tunc populus detegendo magiæ fallaciam, quam Miraculi petitione. Si verò præſtigia non fiant actu, ſed ex peractis plebs, & ſimplices ſint decepti, cum apparentia Miracula ſint graviſſima tentatio, & hoc genus hominum non percipiat vim motivorum, & urgenter moveatur Signis; videtur tunc cauſa ſufficiens petendi Miraculum.

OBJIC. V. Etſi ſtet utilitas, vel neceſſitas, quandoque, & ſemper dubitari poteſt, quod Deus in pœnam peccatorum nolit exaudire; ergo expectanda eſt motio.

Sed nota eſt Doctrina Sanctorum, Deum facere Miracula etiam per malos homines, ubi eſt Eccleſiæ neceſſitas: debet tamen tunc petens conſcientiam purgare, & humiliter petere, quantum poteſt.

CONTROVERSIA V.

AN NOTA UNIVERSALITATIS CONVENIAT ECCLESIÆ ROMANÆ, ET SOLI.

TErminos explicuimus *Diſput. II. Controv. IV.*, ubi pariter ſenſum Hæreticorum aperuimus. Quare non eſt opus ulterius immorari; ſed breviter ad concluſionis reſolutionem venire, in qua probanda non debemus diutius detineri. Quæcumque enim ibi diximus, applicata ſunt directe Eccleſiæ Romanæ, unde

Dico I. Eccleſiæ Romanæ convenit Univerſalitas locorum.

65 PROB. I. Ubicumque ſe extendit fides profeſſa ab Eccleſia Romana, ibi ſe extendit eadem Eccleſia: atqui fides extenditur ad univerſum orbem; ergo etiam Eccleſia. Maj. patet; ubi enim eſt conſtitutivum, ibi

debet

Digitized by Google

debet eſſe conſtitutum. Min. habetur ad Rom. 1. *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum, pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in univerſo Mundo*. Fides, quam Eccleſia Romana profitetur, annuncianda eſt per univerſum orbem; & quia indubium eſt, ideo ponitur in præſenti, ac ſi vere eſſet tunc annunciata, & initiative ita erat, cum fere in omnes orbis partes diſperſi eſſent Apoſtoli prædicantes doctrinam propriam Eccleſiæ Romanæ, de qua erant.

Fides ubique annunciata.

Hinc promiſſio facta Abrahamo Geneſis 22. de myſtica Multiplicatione, ſicut arenæ maris, & benedictio in omnibus gentibus terræ, intelligitur de Eccleſia vera Chriſti, in qua erat Paulus: ſed Paulus erat in Eccleſia Romana; ergo Eccleſia Romana eſt multiplicata, & multiplicanda in omnibus gentibus. Maj. eſt certa ad Galat. 4., & minor eſt evidens; dedit enim Paulo Petrus dexteram ſocietatis.

Itidem Filii adducendi ab Oriente, ab Aquilone, ab Auſtro, & de longinquo prophetati Iſaiæ 52. *Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri*, ſunt filii veræ Eccleſiæ, & Chriſti Sponſi ejus, de qua erat, & quam prædicabat Paulus ad Rom. 10., ſed Paulus erat de Eccleſia Romana, & illam prædicabat; ergo Eccleſia Romana eſt Univerſalis. Eodem modo applicandæ ſunt ceteræ Scripturæ, quæ paſſim occurrunt.

66 PROB. II. Eccleſia, ex qua fuerunt Ignatius, Tertullianus, Auguſtinus, Hieronymus erat Romana, ut patet ex eorum ſcriptis, & Hæreticorum confeſſione: atqui Eccleſia, in qua iſti fuerunt eſt Univerſalis; ergo. Min. eſt clariſſima. S. Ignatius martyr ad Philadelphios loquens de unitate Eccleſiæ fundatæ ab Apoſtolis, quam ipſe profitebatur ait -- eſſe dilatatam a finibus terræ, uſque „ ad fines in ſanguine Chriſti -- Tertullianus adhuc Orthodoxus *lib. contra Judæos cap.* 7. enumeratis viginti duobus Nationibus, & Populis, quibus ſuo tempore erat dilatata Eccleſia Romana, ſubdit -- Et abditarum mul„ tarum gentium, & Provinciarum, & In„ ſularum multarum nobis ignotarum, & quæ „ enumerare minus poſſumus, in quibus om„ nibus locis Chriſti nomine, quia venit, „ regnat -- Hieronymus ad Evagrium -- Non „ altera vobis Eccleſia, altera totius orbis „ examinanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, „ & Africæ, & Oriens, & India, & omnes „ Barbaræ nationes unum Chriſtum adorant -- Ex Aug. loca plurima dedimus *Controv. citata*. Similiter eodem modo loquuntur ceteri Patres videndi apud Coccium.

Patres Eccleſiā dicunt Univerſalem.

67 PROB. III. Octo Concilia generalia celebrata in Oriente, & decem in Occidente, Martyres recenſiti in Martyrologiis Baronii, Adonis, Bedæ, & aliorum, ad Eccleſiam Romanam pertinent, ſed ad Concilia venerunt ex omni natione Patres, & Martyres leguntur ex omni gente, quæ ſub Sole eſt; ergo Eccleſia Romana eſt Univerſalis. Quæ probatio roboratur ex multitudine Scriptorum, qui ſequaces ſunt fidei Romanæ, & de omni populo exiſtunt. Elucet ejuſdem argumenti vis ex pluralitate hæreſum, quæ ſucceſſivis temporibus extiterunt; iſtæ enim fuerunt in omni Provincia, & prodierunt ab Eccleſia Romana, ibidem confirmata: eſt ergo pleniſſime Univerſalis.

Concilia ex omni natione congregata.

68 PROB. IV. Eccleſia, quæ fructificavit ubique, & fructificat, eſt propriiſſime Univerſalis, ſed Eccleſia Romana eſt hujuſmodi; ergo. Min. habetur apud Bozium *de ſignis Eccleſiæ*. Gravinam *lib. 4. de præſcriptionibus*, & alios. Et ſufficienter declaratur ex uſu, qui fuit, & eſt, mittendi Miniſtros Evangelii ad quamcunque Nationem, ubi fides, vel prædicata non fuerat, vel deperdita. Chriſtus ſponſus Eccleſiæ in omnem terram miſit duodecim Apoſtolos, & ſeptuagintaduos Diſcipulos: Petrus verò, Clemens, Sixtus, Eleutherius, Victor, ceterique Romani Pontifices innumeros propemodum viros tranſmiſerunt in Gallias, Hiſpanias, Britannias, Germaniam, Græciam, Africam, Americam, totamque Europam, ut apud Hiſtoriographos notum eſt.

Evangelium per ſacros Miniſtros ubique prædicatum.

Ipſimet hoſtes teſtes ſunt, qui in Centuriis primis Romanæ Eccleſiæ factam quatuor prioribus ſeculis recenſent propagationem. Et Centuria octava, undecima, & duodecima factam ſequentibus ſeculis promulgationem. Et Oſiander *in Epitome* teſcribit converſiones factas ex diverſis, & remotis Nationibus, uſque ad Concilium Florentinum, cui Armenos, & Indos conſenſiſſe fatetur. Tempore Apoſtolorum quadraginta Nationes ex quatuor Mundi partibus reperiuntur converſæ. Vide Socratem, Euſebium, alioſque Hiſtoriographos antiquos. Tempore Conſtantini Magni Africa, prima pars Orbis florebat Religione Catholica in pluribus Provinciis, ut patet *ex Epiſt. ad Cæcilianum*. Tempore D. Aug *ut in Breviculo primæ diei cap.* 14. in Africa extabant quadringenti, & ſexaginta ſex Epiſcopatus; quorum tantum centum quinquaginta novem, Donatiſtæ occupaverant.

Ampliſſimum Abyſſinorum Regnum, quod interiorem Æthiopiam continet, fidem ſuſcepit media prædicatione Eunuchi Candacis Reginæ, apud Euſebium, Irenæum, Cyrillum, & alios. Et licet fuerit poſtmodum devaſtata ab aſſeclis Dioſcori, & Eutychetis; plures tamen in fide permanſerunt, & plurimæ ſub Clemente Octavo gentes ad Romanam Eccleſiam confugerunt. Et noſtris temporibus perditæ Africæ, ejuſque adjacentibus Inſulis fidem detulerunt filii inclyti Sanctorum Dominici, Franciſci, & Ignatii, ſupra duodecim Regna incolentes. Hæc Oſorius, Maffæus, aliique Luſitanarum rerum tractatores referunt.

Aſiam (quæ eſt ſecunda pars Orbis) univerſam ad fidem converſam fatetur Euſebius *in vita Conſtantini lib.* 4. *cap.* 8., *& cap.* 9. Perſiam confitentem fidem agnoſcit; quod & facit Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 8. Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 38. qui & plures Martyres enumerant. Armeniam quoque celebrem Aſiæ partem converſam tradit Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 17. Iberos, Colchos. Theodoretus *lib. primo cap.* 4. Partem Auſtralem, quæ ditionem Antiochiæ comprehendit, & partem Occidentalem, quæ Cæſareæ fines includit, fidem ſuſcepiſſe no-

tum

tum eſt ex celebritate Epiſcoporum, qui leguntur in Hiſtoriographis. In omnibus vero iſtis Regionibus aliqui Catholici extant, Eccleſiæ Romanæ ſubditi, ibique ſuos nutrit Miniſtros Sedes Apoſtolica hiſce noſtris temporibus.

Europa noſtra (tertia pars Orbis) primam ab Apoſtolis fidem feliciſſime retinet in ſuis principalioribus Regnis, & Provinciis. Italia cum ſuis adjacentibus Inſulis. Hiſpania, Gallia, Polonia, Germania; & ſi aliquæ defecerint a tempore Lutheri, ut Britannia, Hollandia, Dania, Ungaria, Moſcovia, Bulgaria, & ſimiles; in eis tamen floruit Religio antecedentibus ſeculis.

Ad Americam (quæ quarta pars Orbis dicitur) fidem deveniſſe non eſt dubium; de ea ſiquidem ſunt ſcripta Prophetarum oracula. Sophonias cap. 3. Poſtquam prædicationem fidei prædixit futuram in Regnis, & gentibus, addit de ea (ſecundum varios interpretes) *Ultra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filii diſperſorum meorum offerent munus mihi*. Ubi Jonathan Chaldæus Paraphraſtes: *Ab ulteriori ripa fluviorum Odu*. Ultra porro hos terminos Indi Americi cohabitant. Abdias verſ. 20. Poſtquam deſcripſit Evangelizationem factam in Judæa, ſubdit: *Tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit Civitates Auſtri, & aſcendent Salvatores in Montem Sion, judicare Montem Eſau: & erit Domino Regnum*. De quo loco Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 31. -- Apoſtoli aſcenderunt, „ ut defenderent montem Eſau. Quomodo „ defenderunt? niſi per Evangelii prædica„ tionem ſalvando eos, qui crediderunt.-- Pars autem, in quo Mons iſte Eſau defenditur, eſt America, in qua potiſſime noſtris ſeculis fides triumphat ſtudio Hiſpanorum, & Luſitanorum Principum, qui Regionem illam ſuis Coronis adjunxerunt; & inductis viris Apoſtolicis ex familiis SS. Auguſtini, Dominici, Franciſci, & Ignatii, Sedis Apoſtolicæ ſplendorem auxerunt tot Provinciis, quæ in ejus doctrinam crediderunt. Quæ veritas eſt Sole clarior, ut a noſtris Proteſtantibus negari nequeat.

69 Idem fatentur Proteſtantes; videantur Witgiſtus gravis Superintendens Cantuarienſis, qui in ſua defenſione aſſerit eſſe impleta oracula prophetica de Univerſalitate Eccleſiæ. Witakerus *in præfat. ad Raynaldum*, & *lib. 7. contra Duræum*, Enoch Claphamus *in Antiphaumajo ſchiſmatis*, Napperus *in Apocal.* aſſerit, Regnum Papale a S. Sylveſtro per mille ducentos ſexaginta annos longe lateque dominatum fuiſſe, & exercuiſſe in omnes Chriſtianos poteſtatem, Hoſpinianus *in Hiſtoria Sacramentaria lib.* 2. velut mare inundaſſe a temporibus Gregorii Magni; Povuellus *in conſideratione rationum Papiſtarum* concedit ab anno 605. Papalem Eccleſiam fuiſſe valde conſpicuam, & viſibilem; Philippus Nicolai *in lib. cui titulus: De Regno Chriſti vaticiniis Propheticis &c.* explicans vaticinia agentia de Univerſalitate Eccleſiæ ait, per Aſiam, Africam, Europam, Americam, remotiſſimaſque inſulas eſſe diffuſam. Et preſſius loquens de converſione novi Orbis per Hiſpanos, & Luſitanos enumerat Regna ſupra quadraginta quatuor, quibus facta eſt prædicatio: idem fuſo calamo facit David Citræus relatus a Malvendo *lib. 3. de Antichriſto*; Hutterus Publicus Profeſſor, & Doctor Eccleſiæ Wirtembergenſis *de Sacrificio Miſſatico*, ait -- Libenter concedo Idolomaniam Pontificiam (cu„ jus nervus, Sacrificium Miſſaticum) totum „ pene terrarum orbem inviſiſſe, præſertim „ ſuperiori proximo millenario.--

70 Dico II Soli Romanæ Eccleſiæ convenit Nota Univerſalitatis. Concluſio facillime probatur; licet enim comparando ſimul Eccleſiæ Romanæ propagationem una ſimul cum omnibus aliis Sectis, non ſic evidenter poſſit demonſtrari hujuſmodi veritas; comparando tamen eandem ſingulis, luce clarius deprehenditur, quod breviſſima, ſed veriſſima inductione manifeſtatur.

Paganiſmus prout importat negationem ſuſceptionis Dei, & Chriſti, & in ſe, & in typo, ideſt, Idololatricus cultus ante Chriſtum, & etiam poſt Chriſtum, orbem latiſſime eſt pervagatus, ſed non in identitate unius Religionis: nam tot extiterunt diverſæ ſpecies ſuperſtitionis, quot fuerunt diverſa Deorum delubra, multiplicato enim Numine, neceſſe eſt multiplicari Religionem. Hinc quot admiſit alienigenas Salomon, tot illis ædificavit Fana: ut unaquæque ſuo deſerviret idolo. Et Roma Gentilis, quæ ſanctior eo ſibi videbatur, quo nullam reſpuebat falſitatem, quot nationes ſubigebat, tot Deos adducebat; noluitque Chriſtum in Capitolino Monte inter Deos aſſumere, eo quod audierat eum ſolum Regnaturum. Hoc eodem argomento corruit Philoſophorum Secta, quam vidimus adoraſſe Deos.

Sectæ a fide alienæ non ſunt univerſales.

Ut verò Paganiſmus Mahometiſmum importat, non eſt dubium, quod plures orbis partes occupet, Africam, quaſi totam Aſiam, & portionem Europæ. Verum diffuſio hæc non eſt facta, niſi eo modo quo bruta multiplicantur, & per agros diſperduntur, ideſt, lege relaxante habenas cuilibet ſenſuum turpitudini, armorum violentia, contra naturam Religionis, quæ modo proprio hominis petit ſuſcipi, ideſt, rationabiliter. Ipſe verò Mahometiſmus cæco modo admitti debet vi ferri, prohibita etiam de eo diſputatione contra doctrinam Evangelii, quæ media prædicatione non verò armis, & fraudibus præcipit Religionis propagationem. De his alibi.

Ut autem Judaiſmum complectitor, neque nomen Catholicon ſibi poteſt uſurpare. Et ſi ante Chriſti adventum vera eſſet Religio, & Judæi ſub ultimis ſeculis eſſent in diverſas orbis partes diſtributi, & diſperſi, intra proprios ſinus tamen continebantur, nec alii ad eos accedebant, niſi rariſſime aliquis Proſelytus. Nunc verò ſunt quidem in variis nationibus diſſeminati, ſed ſunt velut quædam mancipia, & nullo modo fructificant, nec medium fructificandi habent, cum careant Templo, & Sacerdotio, & prædicationis miniſterio.

Ut poſtremo hæreſim comprehendit, certò certius caret Univerſalitatis privilegio. Si enim de antiquis loquimur, modicam orbis partem quælibet occupavit, ut ex Sanctis Pa-

Patribus conſtat; ubi enim naſcebatur, ibi peribat. Et ut vidimus ex Tertulliano, quælibet hæreſis curavit nos deſtruere, non alios ad ſe trahere, & vix nata in Sectas diviſa, ſi paulò majorem dilatationem ſortita eſt, non ut una Synagoga, ſed ut multiplex crevit.

Solus Arrianiſmus latius graſſatus eſt, ſed & ipſe in fruſta diviſus, & potius dolo, atque vi ſub Conſtantio Imperatore progerminavit. Nec tamen latera majora habuit, vel æqualia; nam ubi ipſe erat, Eccleſia Romana in pluribus extabat; quod ex Conciliis, quæ fiebant, ad quæ non pauci accedebant ex Catholicis, conſtat, & latiſſime alibi extitit Eccleſia Romana, ubi Arii nomen nec audiebatur. In Oriente vires majores ſuas habuit; unde hæreſis Orientalis dicta eſt ab Auguſtino. Etſi dixerit Hieronymus *dialogo adverſus Luciferianos*, occaſione Concilii Ariminenſis, miratum orbem ſe Arrianum eſſe; non eo ſenſu dixit, ut orbis Arrianam perfidiam profiteretur, ſed eo capite, quo Catholici Epiſcopi ſubſcripſerunt fraudulentæ formulæ, quam ſub apparentia veritatis propoſuerant Hæretici, quam formulam poſtea diſſoluto Concilio in pravum ſenſum explicaverunt Impii; & ſuam pariter mentem expoſuerunt noſtri, & editam formulam Liberius Pontifex damnavit. Sed potius hinc ſumitur argumentum oppoſitum. Cum eſſent diviſi inter ſe Arriani, ut eos uniret in una fide Imperator, ſtatuit generale Concilium convocari, quod fuit Ariminenſe. In eo convenerunt quadringenti Epiſcopi, ex quibus (ſecundum Athanaſium) quinquaginta erant Arriani (ſecundum Severum verò) octuginta; cæteri erant omnes Catholici. Ad idem facit, quod fraudulento conſilio induxerunt Imperatorem rebelles, ut divideret Orthodoxos, Occidentales Arimini congregaret, Seleuciæ Orientales; timebant enim numerum, & ut vota dividerent, cœtus dividere satagebant.

Græcia pariter, occaſione Neſtorii, & Eutychetis, receſſit a fide. Verum non una Secta totam occupavit, ſed multiplex eam vaſtavit; ſub quatuor enim Patriarchalibus Sedibus Orientalibus extiterunt plura Capita, hinc Sectæ a Neſtorio, Eutychete, & aliis exortæ.

71 Sed accedendo ad noſtri temporis Hæreticos, clarior res eſt, Carere ſe hujuſcemodi dote ipſimet fatentur, quatenus de ſua paucitate gloriantur, quatenus Univerſalitatem denegant eſſe proprietatem, & Notam Eccleſiæ; ac proinde damnatos ſe produnt cum prioribus Hæreticis de paucitate gloriantibus, quos Eccleſia tunc proſcripſit. Carere hoc privilegio evidentia facti demonſtrat, etſi aliquam partem occupent. Quot ſunt cœtus in ſubſtantialibus diviſi? Ex ſolo Luthero centum viginti octo Sectæ enumerantur. Plures item ex Calvino. Anglia, Hollandia, quot diverſos profeſſione Religionarios nutriunt? Sed, etſi daremus unam eſſe Sectam, quid inde? Portionem Unicam Europæ Septentrionalis Regionis tenent. In Africa, & Aſia, in America ignoti ſunt. Impleta ſunt ergo oracula Prophetarum in ſola Eccleſia Romana; ac proinde ipſa eſt dilecta, formoſa, Columba Chriſti.

DICES Eccleſiam Romanam propagatam eſſe per accidens, vi ſcilicet Armorum. Nam novum orbem Luſitani potentia ſubegerunt, & Hiſpani ferro Mauros ab Iberia expulerunt. Sed hoc totum falſum eſt. Dominationem temporalem armis ſubdiderunt, non verò ſpiritualem. Fidem liberam reliquerunt, & nolentes non coegerunt. Americam converterunt medio ab Evangelio præſcripto, ſcilicet inſtructione, prædicatione, Catechiſmo. Hiſpani terrenum Regnum ſubtraxerunt a raptoribus hoſtibus, & cum jam eſſent in poſſeſſione veræ fidei, aliunde ut talis probatæ, juſte debuerunt eam tueri.

DICES Lutheri fidem, & Calvini non eſſe propagatam, quia ſubtraxit auxilia Deus ob vanam gloriam Novatorum, & quia impediunt Catholici. dilatabitur tamen in mundi ſenectute. Sic quidam Proteſtantes.

RESP. In mundi ſenectute dilatanda eſt Antichriſti Secta: ad illam ergo pertinent. Propagatio Eccleſiæ ab Evangelio, Actis Apoſtolorum, & D. Paulo ſub initio aſſeritur facienda. A Jeremia 33. de menſe in menſem, Et ab Iſaia 60. de generatione in generationem. In pluribus ergo ſeculis, & non ſolum in noviſſimo debet dilatari veritas. Ex iiſdem Scripturis, & Patribus in medio perſecutionum magis, ac magis fructificat Evangelium; & ex ipſiſmet Hæreticis puritas doctrinæ non timet terrores. Ad Philipp. item habemus, veritatem fidei fructificare, etiam non caſte ſeminatam. Non impediunt ergo Romani, nec obſtat vana gloria prætenſorum reformatorum, ſed falſitas doctrinæ eorum.

CONTROVERSIA VI.

AN NOTA APOSTOLICÆ CONVENIAT ROMANÆ ECCLESIÆ, ET SOLI.

ESse Apoſtolicum plura dicit, quæ explicuimus *Diſput. II. Controv. X.* In præſenti tamen tria ſolum accipimus, videlicet prout dicit Antiquitatis conſtantiam, legitimam Succeſſionem Paſtorum, & Conſonantiam cum doctrina Chriſti, Apoſtolorumque; quæ, ſi conſtet Eccleſiæ Romanæ convenire, evidenti illatione ſequitur, eam eſſe legitimam Sponſam Chriſti. Ita eſſe demonſtrabimus triplici concluſione; breviter quidem, quia ingenue loquendo, explicatis terminis, res eſt omnino perſpicua. Omitto referre verba Hæreticorum id denegantium, quia alibi dedimus. Unde

72 Dico I. Perſeverantia Antiquitatis convenit Eccleſiæ Romanæ.

Pro elucidatione terminorum notandum eſt Eccleſiam Romanam poſſe ſumi, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad ſtatum; quoad ſubſtantiam importat Religionem colentem Deum, & Chriſtum implicite, vel explicite creditum; quoad ſtatum importat Religionem colentem Deum, & Chriſtum explicite; & ſecundum illud tempus, a quo per filium locutus eſt nobis Dominus; quoad ſubſtantiam comprehendit

Eccleſia ſpectari poteſt dupliciter.

hendit legem naturæ, & legem ſcriptam. Et licet lex ſcripta ſpecialia quædam præcepta ſuperaddiderit legi naturæ, ejus tamen ſubſtantia non eſt immutata per additionem explicitæ fidei in Chriſtum exiſtentem. Quoad hoc igitur eſſe qualibet Secta antiquiorem evidens eſt; incœpit enim ab ipſo Adamo inchoative, quem ideo Deus fecit ad imaginem ſuam, quia legem honeſtatis naturalis indidit, quam ſequi debebat, & lumen veritatis, quo cognovit ſuo primo principio, & ultimo fini cultum, obſequiumque deberi; illique etiam præceptum poſitivum impoſuit de non comedendo de arbore ſcientiæ boni, & mali, ut ſic Eccleſia legibus naturalibus, & poſitivis initiaretur. Habuit etiam Adam cognitionem Chriſti, tum in Sacramento conjugi cum Eva, tum expreſſius, ubi audivit a Domino Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*. Quia gratia, qua reparatus eſt a lapſu ex meritis Chriſti prævisis, emanavit, qua propter dicitur agnus ab origine mundi occiſus Apocal. 13., & ad Roman. Quotquot peccaverunt, juſtificati ſunt per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Porro hæc conſtanter duravit in ſua eſſentiali identitate ab Adam uſque ad Noe, & a Noe uſque ad Abraham, ab Abraham uſque ad Moyſen, a Moyſe uſque ad Chriſtum. Licet enim aliquam quandoque paſſa ſit alterationem, cum modo amplior, modo in numero minor, & rigore obſervantiæ extiterit; nunquam tamen ex toto defecit. Eadem etiam in ſubſtantiali identitate permanſit ſub Chriſto, quia oracula Prophetarum in Chriſto implenda erant.

Notandum itidem, Eccleſiam prout dicit ſtatum, ſcilicet fidem, quam accepit a Deo loquente in filio, eſſe ceteris Sectis antiquiorem: patet ad ſenſum. Quoad ſtatum incœpit a Chriſto nato, progreſſum habuit a Chriſto prædicante, conſummationem a Chriſto moriente, & in Cœlum aſcendente, perfectam promulgationem a Chriſto mittente Apoſtolos ad Evangelizandum in Univerſum orbem. Quæcunque Secta contra Chriſti doctrinam inſurgens, poſt Chriſti Eccleſiam debuit eſſe, quare conſtantia hujus Antiquitatis probanda remanet.

73 PROB. I. Iſaïs 59. de Eccleſia Chriſti habet: *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus amodo, & uſque in ſempiternum*. Sicut cetera alia, quæ ex eodem Propheta, & aliis attulimus *in Controverſiis de Indefectibilitate Eccleſiæ, de Viſibilitate, & Univerſalitate*. De Eccleſia Chriſti ſunt illa Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam &c.*, & cap. 28. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi &c.* Sunt illa Joan. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum &c.* Sed hæc Eccleſia eſt Romana; ergo Romana gaudet conſtantia Antiquitatis a Chriſto uſque ad finem ſeculi. Min. eſt evidens. Romana Eccleſia illa eſt, quam ſunt profeſſi Apoſtoli in eodem cœtu cum Petro, & quæ cum Petro elegit Matthiam in locum Judæ, quæ Petrum miſit Samariam, manus imponere Baptizatis, quæ cum Petro ſtatuit legalia non eſſe ſervanda, quæ Petro prædicanti die Pentecoſtes ſe adjunxit; quæ ſecundum Paulum annunciatur in univerſo Mundo &c.; ergo hæc in æternum durare debet; ergo a Chriſto ad nos duravit.

Chriſtus ſemper Rom. Eccleſiæ unitur.

74 PROB. II. Patres mediis Scripturis naturam Eccleſiæ Chriſti, quam ipſi profitebantur, explicantes aperte docuerunt, uſque ad finem ſeculi immutatam permanſuram; ſed Sancti Patres non aliam profitebantur Eccleſiam, nec aliam legitimam Chriſti Sponſam eſſe docuerunt, quam Romanam; ergo Eccleſia Romana immuta perſeverabit uſque ad diem ultimum; ergo duravit uſque ad nos. Maj. ſatis conſtat ex teſtimoniis allegatis in Controverſiis præcedenti argumento citatis. Præciſe inſinuabo loca quorundam in verba illa: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Euſebius *lib. 1. de præparatione Evangelica cap. 3.* tradit, Eccleſiam a Domino conſtitutam -- Firmam fore ſem-„ per, & immobilem, tanquam in lapide „ ſtabilitam -- Athanaſius *Orat. quod Chriſtus ſit Deus* -- Eccleſia invicta res eſt, etiamſi In-„ fernus ipſe commoveatur -- Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. in Iſaiam cap.* 54. -- Ut in-„ concuſſa ſit, & immota; adverſus eam (*in-„ quit*) portæ inferi non prævalebunt -- Idem docet 4. *Dial. de Trinit.* Cyprianus ad Jubajanum -- Incorrupta, & caſta, & pudica eſt -- Hieronymus *ad 9. cap. Amos* -- Ex quo intel-„ ligimus, Eccleſiam uſque ad finem mundi „ concuti quidem perſecutoribus, ſed nequa-„ quam poſſe ſubverti; tentari, non ſupera-„ ri -- Greg. *in Pſal. 5. Pœnitent.* -- Terra „ dicta eſt Eccleſia &c., quia in ſoliditate „ fidei, perpetua firmitate immobiliter per-„ ſeverat -- *Lib. 9. moral. cap.* 28. idem declarat. Beda 3. *Regum cap.* 5. -- Nunquam „ exterminari poteſt Eccleſia Chriſti de me-„ dio; nunquam ejus perire poteſt memoria, „ qui eſt ante ſecula, & manet in æternum -- Damaſcenus *Orat. de transfigur.* Chryſ. *Homil.* 11. *Demonſtratione, quod Chriſtus ſit Deus, & in Matth. cap. 7. homil.* 20. Ambroſ. *lib. de Salom. cap.* 4. Iſidorus Peluſiota *lib. 1. Epiſtolarum Epiſt.* 258. Sic & alii ſine numero. Minorem docent ipſimet Proteſtantes, Hiſtoriæ ipſorum, Patrum ſcripta, & univerſa fidei monumenta.

Patres Rom. Eccleſiam ut veram agnoverunt.

75 PROB. III. Illud corpus, quod non eſt immutatum irruentibus perſecutionibus Tyrannorum, barbarorum Imperatorum, Hæreticorum, malorum hominum, integrum perſeverat: ſed Eccleſia Romana ſub Chriſto incœpta, fuit concuſſa impetu perſequentium ſucceſſivis ſeculis: & tamen nunquam cecidit, ſemper floruit; ergo immutata perſeverat. Min. prob. Primis rei Chriſtianæ ſeculis ſæviente tyrannide nedum ſtetit, ſed aucta eſt Eccleſia. Poſt Conſtantini mortem, ſub Conſtantio, Juliano Apoſtata, & ſimilibus plura quidem paſſa eſt, ſed intra ſeipſam conſtipata robuſtiores acquiſivit vires. Invadente diluvio Gothorum, Viſigothorum, Vandalorum,

Eccleſia inter perſecutiones firma.

Lon-

Digitized by Google

Longobardorum acerrime ſane agitata fuit, ſed velut Aquila ad novum ſplendorem renovabatur. Flantibus Hæreſum Cherinti, Marcionis, Novati, Arii, Sabellii, Pelagii, Neſtorii, & aliorum ventis, Petri Navicula tentata eſt vehementer, ſed nunquam eliſa, nunquam demerſa, ſed anchoris Conciliorum, Sanctorumque Patrum, qui in ejus defenſionem exurgebant, firmata procellas irriſit. Sic Ambroſ. *lib. 4. de Salom. cap. 4.* Perfidorum Chriſtianorum ſuperba diſcordia non rarò latera concuſſit, ſed nuſquam diviſit, colluſitve. Quare optime ſcripſit de ea Chryſoſt. *in Matth. cap. 7. homil. 20.* -- Eccleſiam ergo, quam Chriſtus vir ſapiens ſuper petram ædificavit, neque pluvia mendacis doctrinæ corrumpit, nec diabolicus ventus impellit, nec violentorum fluminum impetus movet -- Et Damaſcenus *Orat. de Transfiguratione* -- Adverſus hanc Inferorum portæ, Hæreticorum ora, Dæmonum organa impetum quidem facient, ſed non prævalebunt: arma quidem induent, ſed non expugnabunt. Sagittæ parvulorum, plagæ eorum fuerunt, & erunt --

76 PROB. IV. Quoties corpus aliquod myſticum ſubſtantialiter immutatum aſſeritur, aſſignari debet tempus, Auctor, modus, quibus id factum eſt, ſed nuſquam aſſignatur, quando Romana Eccleſia defecerit, quis illam everterit, quomodo illam immutaverit, quis novum corpus totaliter diverſum inſtituerit; ergo remanet in ſua integritate. Maj. eſt nota lumine ſuo, & regula juris gentium menti inſerta, ſcilicet, qui aſſerit aliquid eſſe variatum, tenetur id oſtendere. Et experientia conſtat; quia defecit Romanum Imperium, Medorum, Perſarum, & ſimilium, oſtenditur tempus defectionis, cauſa, Auctor. Quia defecerunt a fide quatuor Patriarchales Sedes, aſſignatur tempus, Auctor, cauſa. Ubi ſchiſmata in electione Romani Præſulis evenerunt, oſtenditur tempus, cauſa, Auctor.

Nequit aſſignari defectionis tempus.

Dicunt Proteſtantes non teneri aſſignare initium defectionis, quia paulatim facta eſt: eo modo, quo non eſt aſſignabilis hominis canities, quæ imperceptibiliter accidit. Sed hoc omnino corruit. Aliæ etiam defectiones paulatim evenerunt; & tamen cauſam, tempus, Auctorem oſtendimus. Eccleſiam ex toto deficere neceſſe eſt, ubi vel unum minimum falſum dogma admittit; falſitas enim doctrinæ fundamentum eſt, quo fracto illico concidit Domus. Etſi unus, vel alter Paſtor particularis dormiat, & veniat inimicus homo ſuperſeminans zizania, non dormit tamen, nec dormitat, qui cuſtodit eam Spiritus ille veritatis, qui manet nobiſcum in æternum. Sane mirum eſt, quod ſecundum ſententiam Proteſtantium Eccleſia Romana defecerit, quia plura numero, re gravia, creditu difficilia, ſenſui repugnantia, Scripturis diſſona confinxerit dogmata, & tamen initium ignoretur Auctor neſciatur, & tamen vires acquiſierit, Eccleſia Romana, populos ſibi fecerit, Patres Sanctos defenſores, & aſſertores habuerit.

77 PROB. V. Fatentibus Hæreticis Eccleſia Romana uſque ad tempus D. Auguſtini, ut vult Calvinus, & Lutherus, vel uſque ad Gregorium Magnum, ut alii, integra permanſit, & per eoſdem, uſque ad nos
A ab illo tempore ſemper extitit; licet (ut ipſi volunt) ſuperſtitioſa, ſed ipſiſſima, quæ fuit ante Auguſt., & Gregorium, fuit poſt eoſdem, & ab ipſa ipſimet Lutherus, & Calvinus exierunt; ergo ſemper eadem integra perſeveravit. Min. eſt clara, quia Sancti Patres poſt Aug., & Gregorium eadem dogmata propugnarunt, & quæ illi reprobaverunt, & iſti rejecerunt, eidem Eccleſiæ communicabat Orbis totus Catholicus, Concilia Generalia in nomine ipſius celebrata ſunt, ab eodem Principes Chriſtiani formulam fidei recipiebant; novi errores ab ea damnati, reſpuebantur. Sed hæc clarius duobus ſequentibus
B Concluſionibus.

Eccleſiæ dogmata ſemper eadem.

Hinc habemus Antiquitatis privilegium Soli Romanæ Eccleſiæ convenire, & non Idololatriæ, quæ licet in plures ſpecies diviſa ab origine Mundi exordium non habuerit, ſed tempore longe poſteriore, ideſt poſt diluvium: eadem tamen poſt Chriſti adventum fere in omni angulo eſt everſa. Multo adhuc poſteriores ſunt Philoſophorum Sectæ, quorum nunc nullum extat veſtigium ſecundum ea, quæ Religionem ſtatuebant.

Secta Judæorum, ut ſub ſtatu naturæ, & legis, eadem eſt ſubſtantialiter, & in typo cum Religione Chriſtiana, & ſecundum hoc
C eſt ejuſdem Antiquitatis; ut verò poſt Chriſtum accipitur, cadaver Religionis extitit; cum ſecundum ſcripturas in adventu Chriſti debuerit evacuari. Unde Sacerdotio caret, & in doctrinis, & legibus totaliter differt a priori, poſtquam Thalmud fabuloſum Divinis libris accenſuit.

Secta Mahometanorum ortum habuit Auctore Mahometo in Arabia, ſeculo ſexto, Chriſto nato. Et ſi concederemus (ut ipſe Mahumetus contendit in Alcorano) ab Iſmaele genealogiam ducere; adhuc non eſt antiquior Judaica Eccleſia, quæ erat in typo Romana, nec præferenda; quia Iſmael filius erat Agar
D Ancillæ ejiciendæ. Nec prodeſt ipſi ejus Antiquitas, nam, quando ortus eſt Mahometus, Idololatræ erant Iſmaelitæ, & ex Idololatris parentibus natum ſe fatetur in Alcorano. Quod verò diu duret, in cauſa eſt armorum vis, & aperti vitii virus.

Sectæ Hæreticorum ex deſertoribus Eccleſiæ Romanæ conflatæ ſunt. Recte enim ait Tertullianus *de Præſcriptionibus cap. 30.* -- Non poteſt eſſe, ut antea ſit hæreſis, quam vera doctrina, ſed in omnibus veritas imaginem antecedit; poſtremo ſimilitudo ſuccedit. Ceterum ſatis ineptum eſt, ut prior in doctrina hæreſis habeatur -- Suntque
E nota tempora, Auctores, dogmata, damnationes apud Catalogiſtas. Ex pluribus, quæ primis ſeculis extiterunt, pauca nunc ſuperſunt veſtigia. Extant in Tranſylvania cœtus aliqui Arrianorum, in Oriente Neſtoriani, & Eutychiani, reliquæ verò nec nomen habent. Noviſſimi verò omnium apparuerunt ex putredine veterum Hæreticorum Proteſtantes, contra quos habemus luctam.

78 Dico II. Succeſſio legitima Paſtorum ab Apoſtolis convenit Eccleſiæ Romanæ, & Soli. Prob. I. ſupponendo, quæ alibi ex profeſſo docuimus, ad conſervationem Eccle-

ſic neceſſarios eſſe Paſtores, & potiſſime unum primum, cum quo ceteri communicent. Eccleſia Chriſti eſt ejus Regnum, cujus non erit finis; finitur tamen Regnum, in quo Regum non datur ſucceſſio. Eccleſia terribilis eſt, ut caſtrorum acies ordinata: deficit quicunque exercitus, qui Ducibus caret Succedentibus, Eccleſia Chriſti ovile eſt in æternum permanſurum: diſſolvitur ovile, ubi Paſtores non ſuccedunt. Atqui Eccleſiam Romanam fundavit Chriſtus; eam enim fundavit, quam profeſſi ſunt Apoſtoli, & iſti nonniſi Romanam prædicaverunt; & Petro dixit Jo. 21. *Paſce oves meas*; ergo Eccleſia Romana perpetuam habet Paſtorum ſucceſſionem ab Apoſtolis.

Eccleſia Regnum Chriſti.

79 II. Sacerdotium Chriſti ex Scriptura manet in æternum; non in alia Eccleſia, niſi in ea, quam ipſe inſtituit: *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*, ad Heb. 7. Sed non ita manet, ut illud viſibiliter per ſe ipſum exerceat Chriſtus, ſicut nec oves viſibiliter paſcit; ergo per ſuos Miniſtros ſibi invicem ſuccedentes, idest per illos, quos ipſe ordinavit immediate, & mediate, immediate ordinavit Apoſtolos, quos ſuos elegit Diſcipulos, & Epiſcopos ſui gregis, mediate conſecravit Diſcipulos Apoſtolorum, ideſt, quos ipſimet Apoſtoli in Paſtores elegerunt. Ut ergo maneat in ſempiternum, debet conſervari hæc legitima ordinatio ſucceſſiva uſque ad finem: ſed Eccleſia, quam Chriſtus inſtituit, eſt Romana; hanc enim profeſſi Apoſtoli, hanc profeſſi ſunt ab Apoſtolis immediate Ordinati; ergo in hac debet manere Chriſti Sacerdotium. Sicut ergo ad Eccleſiam Chriſti ſolum illi pertinent, qui per verbum Apoſtolorum in ipſum crediderunt, ita veri Succeſſores Apoſtolorum non ſunt niſi, qui per Apoſtolos fuerunt ordinati.

Chriſti Sacerdotium æternum.

Quoniam verò ad alios Epiſcopos, ut ſint legitimi, neceſſaria eſt ſucceſſio in Sede Apoſtolorum, & ordinatio ab Apoſtolis. Succeſſio in Sede Apoſtolorum fit, ſi Epiſcopus ſedeat in aliquo Epiſcopatu, in quo ſederit aliquis Apoſtolus, vel aliquis electus in Epiſcopum ab Apoſtolis, vel electus auctoritate alicujus electi ab Apoſtolis (dixit enim Paulus Tito, quod reliquerat eum cretæ, ut conſtitueret Præsbyteros) ſi Epiſcopatus ſit antiquus: ſi verò non ſit antiquus; Epiſcopatus debet eſſe erectus cum ſubordinatione ad Sedem Apoſtolicam.

Ordinatio pariter fit eodem modo, ſi Epiſcopus conſecretur ab Epiſcopis conſecratis ab Apoſtolis immediate, vel mediate; nec unquam niſi his duobus caracteribus inſigniti pro legitimis habiti ſunt Epiſcopi. Ipſemet Paulus a Domino immediate electus in Apoſtolum certam non eſt ſortitus auctoritatem, niſi prius baptiſatus in Eccleſia, ab Apoſtolis receperit dexteras ſocietatis: Ad Galat. 2. Hanc veritatem incluſit Dominus in illis verbis Pſal. 44. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii; conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*. Ubi Auguſtinus -- Quid eſt pro Patri-
„ bus tuis nati ſunt tibi Filii? Patres miſſi
„ ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis Filii nati ſunt
„ tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim
„ Epiſcopi, qui ſunt per totum Mundum,
„ unde nati ſunt? ipſa Eccleſia Patres illos
„ appellat, ipſa illos genuit, & illos conſti-
„ tuit in ſedibus Patrum. Non ergo te pu-
„ tes deſertam, quia non vides Petrum, quia
„ non vides Paulum, quia non vides illos,
„ per quos nata es: De prole tua tibi crevit
„ Paternitas --

Placet concludere cum ſententia Bilſoni Proteſtantis, qui fuit Superintendens Wintonienſis *de perpetuo Eccleſiæ Chriſti Regimine cap. 9. pag. 112.* -- Poteſtas clavium, & ma-
„ nuum impoſitio ipſis Apoſtolis primum de-
„ mandata ſunt, nec ulla eis poteſt compe-
„ tere Apoſtolica juriſdictio, quibus deeſt
„ Apoſtolica Succeſſio &c. Hinc fit, ut Pa-
„ ſtores ab Apoſtolis, & ab iiſdem poteſta-
„ tem, & munus verbum Dei, & Sacra-
„ menta adminiſtrandi accepiſſe dicantur --

Ex quibus manifeſte habes, Sectis noſtrum Proteſtantium non convenire Notam Apoſtolicæ Succeſſionis, quia a nullo ex Apoſtolis immediate, vel mediate ordinati ſunt; immo omnem Ordinationem projiciunt. Hinc, ut ſe ſalvent, vel ad extraordinariam miſſionem recurrunt, ut Calvinus 4. *Inſtit. cap. 3. §. 4.* Beza *ad Alemannum*. Marcus Antonius de Dominis *lib. ſui Conſilii cap. primo, cap. 9., cap. 10.* dans rationem ſui diſceſſus ab Eccleſia. Vel ad novitatem, ut Lutherus *tom 1. Vuirtemberg. in præfat. Solus eram tom. 2. fol. 63.* -- Solus tunc volvebam hoc ſaxum -- *Epiſt. ad Argentinenenſes* -- Chriſtum a nobis
„ primo vulgatum audemus gloriari -- Unde ab aliis Proteſtantibus, Bucero, Neandro, Ivello, & Foxo appellatur primus potioris Evangelii Apoſtolus, Angelus Apocalypſis, habens Evangelium æternum; ruinarum Religionis Reparator; a Deo miſſus ad Orbem Illuminandum. Ad ſepulchrum Œcolampadii Baſileanſes Epitaphium hoc appoſuerunt.

ŒCOLAMPADIUS
AUCTOR EVANGELICÆ DOCTRINÆ
IN HAC URBE,
PRIMUS, ET VERUS HUJUS TEMPLI
EPISCOPUS.

De Sectis antiquorum Hæreticorum illegitimitatem oſtenderunt Sancti Patres præcitati, provocantes eos, ut ſuas origines ederent. De Judæis certius eſt, carent Templo, & Sacerdotio. De Ethnicis, & Mahometanis nulla inſtituenda quæſtio eſt. Sola ergo Romana Eccleſia a Chriſto, & ab Apoſtolis in Sede Petri legitimam habet ſucceſſionem, in ducentis triginta octo Pontificibus, ex quibus triginta quinque adſcripti ſunt albo Sanctorum Martyrum, & triginta ſeptem albo Sanctorum Confeſſorum. Ducenti, & treſdecim ſcriptis floruerunt. Quinquaginta duo ex diverſis Monachorum ordinibus aſſumpti. Centum octoginta ſeptem ex noſtra Italia. 15. ex Græcia. 14. ex Gallia. 4. ex Hiſpania. 4. ex Germania. 7. ex Syria. 3. ex Africa. 2. ex Sardinia. 1. ex Anglia. 1. ex Belgio, quorum nullus dies Petri exæquavit, apud P. N. Dominicum a Sanctiſſima Trinit. *tom. 3. Bibliotheca Theolog. cap. 12., & cap. 13.* Hac de re plurima diximus *Tom. V. Tract. VII. Diſp. II. Controv. I., & II.*

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

80 OBJIC. I. Magdeburgenſes. Non ſalvatur integritas ſucceſſionis in ſubjectis incapacibus: ſed in linea Pontificum Romanorum reponuntur ſubjecta incapacia, videlicet Mulieres, ut de Joanna Papiſſa dicitur, quæ inter Leonem IV., & Benedictum III. recenſetur, & duobus annis, & quinque menſibus vixit in Pontificatu. Min. prob. auctoritate Martini Poloni *in Chronicis an.* 855., ubi id refert, & Mariani Scoti, Platinæ, & aliorum plurium. Hanc peperiſſe dicunt in via ad Lateranenſem Eccleſiam, in cujus memoriam in illo loco collocata fuit ſtatua Mulieris cum puero, per quam viam in facti deteſtationem non tranſierunt amplius Romani Pontifices. Et ad evitandam ſimilem fraudem, poſtmodum in electione Pontificis conſueverunt primo electum, conſtituere in marmorea Sede ſtercoraria, pro experimento captando.

Ex hoc inſcitia Proteſtantium ſatis innuitur, qui adeo ridiculum fundamentum ita urgent contra Apoſtolicam Sedem, ut credant illam totaliter everti∫ſe. Sed paleis non arietatur Chriſti ædificatio. Demus (nullo modo concedendum) id eveniſſe: quid inde? Totum illud tempus reputandum eſt, ac ſi Sedes vacaſſet. Subjectum incapax idem eſt, ac nullum. Nec electores cauſandi forent, nam Joanna credebatur vir. Ferunt enim a puerili ætate ab Amaſio ſub habitu virili raptam ab Anglia, ductam Athænas, ibi in ſtudiis profeciſſe; deinde in Romana Urbe legiſſe pluribus auditoribus, doctrina, & vita celebrem, electam in Romanum Pontificem.

Sed puerilis fabella eſt a Proteſtantibus aſſumpta in contumeliam veritatis. Non vacat tamen in ea refellenda diù immorari. Innuam tamen pauca. Primus, qui de ea mentionem fecit, eſt ille ſimplex Martinus Polonus Monachus, Archiepiſcopus, Pœnitentiarius Innocentii IV., qui pluribus aliis fabellis ſua ſcripta dedecoravit, tanto pondere illas recenſens, ac ſi Hiſtoriæ forent graviſſimæ, & veriſſimæ. Ab eo autem acceperunt alii; & Magdeburgenſes nova addiderunt. Vivebat ergo Martinus circa an. 1320., & rem narrat ex anno 855. nullum referendo Auctorem, ſed ſolum quendam rumorem, qui utique magis debuiſſet ipſum retrahere, ne in re tam gravi præcipitanter ſcriberet. Ab anno igitur 855. uſque ad 1520. nullus eſt Auctor, Scriptor, Hiſtoriographus, Chronologiſta, qui id referat, ſive ex Græcia, ſive ex Latinis, ſive ex amicis, ſive ex inimicis. Impoſſibile autem in tanta eſſet Scriptorum frequentia nullum, ſaltem ridendi cauſa, ejus rei meminiſſe. Hoc non negant Adverſarii Proteſtantes, ſed Mornæus dicit Argumentum fore negativum.

Refellitur fabella Papiſſæ Joannæ.

Verum mentitur. Argumentum eſt maxime poſitivum, & probativum; immo verius primum principium in materia Hiſtoriæ, & Genealogiæ; non enim iſti quomodocumque ſilent, ſed texentes lineam Romanorum Pontificum, uniſono calamo reponunt immediate poſt Leonem IV., Benedictum III. Linea verò genealogiæ in omnibus aliis rebus humanis eſt argumentum poſitivum, contra quodcumque noviter additum. Utique major fides præſtari debet Coætaneis, & oculatis Teſtibus Chronologiſtis & Auctoribus, quam remotis. Anaſtaſius Bibliothecarius *in ſua Hiſtoria Romanorum Pontificum*, refert a morte Leonis poſt quindecim dies electum Benedictum. Iſte Auctor erat Romæ præſens. Lupus Ferrarienſis *in Ep.* 103. *ad eundem Benedictum III.* ipſum fatetur immediatum Succeſſorem Leonis. Nicolaus Papa *Epiſt.* 41. *ad Hincmarum Remenſem*, qui vivebat an. 860. ponit Leonem habuiſſe Succeſſorem Benedictum. Quod ſi aliter res fuiſſet, etiam in minima ſuſpicione, Hincmarus bene retudiſſet in Nicolaum, cum virulentus inſurrexerit contra Apoſtolicam Sedem.

Ado Viennenſis, vir omni fide dignus, in Chronicis ætate VI. immediatum Succeſſorem Leonis ponit Benedictum, vivebatque tunc temporis Auctor iſte. Idem faciunt Hugo Floriacenſis *lib. 6. Chronici*, Hermannus Contractus *in Chronicis*. Florentinus Wigorienſis *in Chronicis*. Honorius Auguſtodunenſis *in Chronico*. Nicolaus Minaverius *in Catalogo Rom. Pontif.* Abbas Uſpergenſis *in Chronicis*. Vincentius Belluacenſis *lib.* 32. *Speculi Hiſtorialis cap.* 84., & alii plures ex Latinis videndi apud Coccium verba referentem; quibus conſonant Græci.

81 Dicunt I. Sigibertum, & Marianum Scotum Martino antiquiores, hujus fœmellæ mentionem facere. Sed hoc falſiſſimum eſt; patent enim exemplaria Sigiberti aſſervata in ſuo Monaſterio Gemblacenſi, & in aliis ejuſdem ſcriptis alibi cuſtoditis. Nec in antiquis exemplaribus Scoti, quæ fuerunt a viris doctis examinata, & diligenter viſa, id reperire eſt.

Solum in libris Sigiberti, impreſſis Pariſiis anno 1515. ab Henrico Stephano ſeniori Typographo, adinvenitur additio. Unde deregitur id factum ex malitia alicujus fidei hoſtis, vel ex imperitia Typographorum, qui addiderunt *ex Martino*; cujus etiam Codex antiquus in Vaticana Bibliotheca repoſitus, nec mentionem facit hujus rei, ſed immediate poſt Leonem reponit Benedictum. Verum tamen eſt, quod in eo Codice non habentur plura alia, quæ vulgantur in præmiſſis.

82 Dicunt II. Latinos ob honorem Sedis Apoſtolicæ, Græcos verò, quia rebus ſuis attendebant, id reticuiſſe. Sed hoc eſt adhuc minori fide dignum; non enim illud omiſiſſent Latini; alia enim recenſent, ut Schiſmata, & quorundam Pontificum vitia, quibus multo magis deturpari videtur Apoſtolica Sedes. Deinde ubi illi tacuiſſent, critici, & invidi rem aperte tradidiſſent; hoſtes fidei redarguti a Pontificibus tela retorſiſſent.

Auctor tractatus inſcripti: *Qua ratione Latini a recto tramite veritatis aberraverint*. Barlaam Monachus creditus Auctor alterius libelli inſcripti: *Qua ratione Latini ejecti fuerint ex dypticis*, Nilus Theſſalonicenſis *lib. de*

Pri-

Digitized by Google

Primatu Papæ (ut alios ſileamus) hoſtes acerrimi Eccleſiæ Romanæ nihil de hoc, ſed poſt Leonem reponunt immediate Benedictum, qui ſummo gaudio id addidiſſent ad majus ſuæ cauſæ pondus. Sed fortius Michael Conſtantinopolitanus, & Leo Achridenus, qui fuerunt graviſſime a Leone IX. reprehenſi circa annum 1050. eo quod æqualitatem contenderent cum Romana Eccleſia, & quod fœminam, & Eunuchos elegerint in Patriarchas; illico potuiſſent reſpondere: Medice, cura teipſum; ſimile fecit Eccleſia Romana. Et tamen hac de re altum habuerunt ſilentium. Sed quid plura? Photius, fons ille Orientalis Schiſmatis, qui omnem movit lapidem, ut Eccleſiam Romanam turbaret; Leoni, Benedicto, ſeptemque aliis Pontificibus Coætaneus, a quibus omnibus fuit anathemate percuſſus; ob hanc nempe cauſam, quod, cum eſſet Eunuchus, Sedem Patriarchalem extorſiſſet; ſiluiſſetne, ſolitus minutiora improperare; ſiluiſſetne Gregorius in eadem damnatione ſocius? Siluiſſetne Michael Imperator Photii protector, qui in Eccleſiam Romanam, quæ potuit convicia, intulit? Nemo ſanæ mentis credet.

At nedum ſiluit Photius; ſed oppoſitum docuit, quatenus *lib. 1. de Proceſſione Spiritus Sancti*, poſt Leonem, immediatum Succeſſorem ponit Benedictum. Quod ſimiliter facit tractatu edito contra Latinos. Et in Breviario octavæ Synodi, quod Eccleſia CP. adoptavit. legitur Gregorius excommunicatus ſucceſſive a tribus Pontificibus, Leone, Benedicto, & Nicolao: ibique Photius recenſetur ab illis tribus ſucceſſive, & aliis ſex Pontificibus proſcriptus ſic -- Nam annis 11. ana„ thematizatur Secularis, & Laicus: & aliis „ annis 34. poſtquam Sacris eſt initiatus -- Qui anni eſſent male ſupputati, ſi inter Leonem, & Benedictum media fuiſſet Papiſſa. Hinc oritur momentum aliud, quod oſtendit hiſtoriæ falſitatem; ſi enim ſiluiſſent noſtri, error apparuiſſet in Chronologia. Nec valet dicere errorem non apparere, quia addunt Leoni duos annos, quos detrahunt a Joanna. Nam hoc ipſo falſitatis evincitur: ſiquidem nedum noſtri, ſed alieni tribuunt Leoni octo annos, ut Magdeburgenſes, & Bibliander, Martinus ipſe Polonus, & Platina fœminam admittentes Joannam.

Ulterius oſtenditur ex aliis momentis falſitas. Martinus ponit Anglam fuiſſe, natione Moguntinam; quæ duo ſunt incompoſſibilia; Moguntia enim eſt in Germania. Mornay vult, quod debeat legi Margantinam; ſed hoc ipſo quod abſque auctore nomen mutet, ſubrogans locum omnino incognitum, deprehenditur confictor. Alii dicunt natam in Anglia; ſed Oriundam Moguntia, aliqui natam Moguntiæ, & Oriundam ex Anglia, alii demum nec oriundam, nec natam in Anglia, ſed aſſerunt ibi educatam.

Martinus, & qui eum ſequuntur, dicunt Athænis operam dediſſe ſtudiis: atqui eſt certo certius Athænis tunc temporis nulla ſtudiorum exercitatio, ut claret ex hiſtoriis. Magdeburgenſes forte, ne deprehendantur, de ſuo addunt, in Monaſterio didiciſſe litteras, & profeciſſe in Magia. Centuriatores dicunt peperiſſe in via, cum a Vaticano iret ad inviſendum Lateranum; quod hiſtoriæ plane adverſatur, cum tunc, & multo poſt ſederent in Laterano Pontifices. Ridiculum enim eſt dicere, quod iret ad inviſendum Palatium, in quo morabatur. Dicunt itidem, quod in ſolemni, & publica ſupplicatione pepererit, quod omnem excedit fidem, nempe quod habens in utero ex nono menſe, vellet ſe manifeſtationis periculo exponere. Porro, quæ de ſtatua marmorea narrant, ipſos redarguunt. I. Quia ſtatua non referebat formam fœmineam, nec parientem, nec habentem infantem in ſinu, vel prope; ſed habebat puerulum grandiuſculum, qui præcedebat velut famulus. II. Si Adverſarii jactant noluiſſe Romanos Pontifices pro honore tuendo, quod in Chronicis reponeretur, quomodo credendum eſt permiſiſſe, ut in ſilice repreſentaretur? Id, quod pariter dicitur de tranſitu per illam viam, vanum eſt; oſtendit enim Onophrius per eandem aliquos poſteriores Pontifices tranſiiſſe.

Id, quod de Sede ſtercoraria inducitur, facile diluitur. Habetur enim clare *ex lib. 1. ſacrarum Ceremoniarum ſect. 2.* tres fuiſſe Sedes. Prima ſtabat ante fores Eccleſiæ Lateranenſis, in qua, cum primo ſederet novus electus Pontifex, cantabatur verſiculus ille, primo Reg. 2. *Suſcitat de pulvere egenum; & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus &c.* Quo ſublimitas innuebatur dignitatis, ad quam erat evectus; inde Sedes dicta eſt ſtercoraria. Secunda Sedes ſtabat in Palatio, eratque ex Porphyrite. In ea ſedebat in Signum poſſeſſionis, recipiebatque Palatii claves. Tertia ſtabat paulò poſt ſuperius, in qua ſedens reddebat claves, ſignificans dominationis brevitatem.

83 Quid autem anſam dederit fabulæ, diſpares ſunt opiniones. Prima credit id eveniſſe, quia ſub illis temporibus (ſicut Annales Gallicani, & Sigibertus referunt) Mulier quædam Moguntiæ jactans prophetiæ Spiritum Eccleſiaſtica munera exercebat, trahebatque poſt ſe nonnullos, fuitque damnata a Concilio. Factum eſt ergo (ut ſæpe evenit) quod falſato nomine, a rudibus ſoliditatem rerum ignorantibus, dicta ſit Itala, id eſt in Italia id eveniſſe, deinde Romæ. Et poſtremo Fidei hoſtes, ut Eccleſiam irriderent, inter Pontifices Romanos adnumeraverunt: & quia Joanna vocabatur, hoc eodem nomine Papiſſam dixerunt.

Secunda credit id eveniſſe, quia revera ad Sedem CP. Mulier evecta eſt, & increscente ſuperbia, & ſchiſmate Græcorum, cum ab ipſis Sedes CP. diceretur prima Sedes, & Nova Roma, abſolute ab imperitis decurſu temporis attributa eſt Sedi Petri, quæ eſt in veritate Prima.

Tertia, & inveroſimilior, credit id eveniſſe ex eo, quod Joannes Octavus fuit intruſus in Sedem valde adoleſcens, & impurus, qui utebatur Concubinis duabus, Joanna Raineria, & Stephana; unde ex vita effœminata hujus viri (ut ſolet, ex modo loquendi) dictum eſt, Joannam eſſe Papiſſam, & Joannem Papam eſſe fœminam; quo inimici Eccleſiæ abuſi ſunt ad Eccleſiam Romanam

con-

Digitized by Google

conviciandam. Sed & hæc vana ſunt, nec probata, adeoque amandanda.

84 OBJIC. II. Mornæus. Non poteſt eſſe legitima ſucceſſio, quæ per illegitimos traducitur, ſed ſucceſſio Pontificum fuit per illegitimos traducta; ſiquidem ſupra viginti quinque Schiſmata enumerantur in linea Pontificia; ergo.

Diſſidium non ſemper officit ſucceſſioni.

RESP. neg. min. Aliud eſt, quod illegitimos ſuſceperit genealogia, aliud, quod diſſidium quandoque acciderit in electione ſucceſſoris. Primum eſt falſum, ſecundum eſt verum, ſed non obſtat legitimitati. Dupliciter accidere poteſt, & accidit diſcordia in electione Romani Pontificis. Primo poſita jam pacifica, & concordi electione, ſecundo in ipſa electione. Quando contingit primo modo, ideſt, quando contra certum, & acceptatum Paſtorem aliquis inſurgit, aut alicujus intruſio tentatur, evidens eſt legitima jura non violari; ſicut jus, quod aliquis poſſidet, non imminuitur, ex quo alius litem moveat. Secundo modo, ideſt, quando in ipſa electione dividuntur vota, & Electorum quidam unum, alii alterum eligunt, tunc nullus eſt certus, & pacificus, & res ſe habet, ſicut tempore Sedis vacantis; quo diſſidio non impeditur ſucceſſionis linea, etiamſi longo tempore duret, ſicut non tollitur Regum ſeries, ubi Sceptrum datur ex electione, ex quo in eligendo novo Rege dividantur vota. Quodlibet autem Schiſma, quod in linea Pontificum legitur, uno ex his duobus modis accidit, ut patet ex hiſtoriis, quas nunc non vacat expendere.

Non eſt interrupta Sacerdotalis ſucceſſio in lege veteri, ex quo Schiſmata aliqua fuerint; ut cum Abiron, & Core contra Moyſen Cathedram erexerunt; & Jaſon per triennium ſtetit contra Oniam, violentiâ Antiochi; cujus etiam potentia, Jaſone depoſito, Menelaum de Tribu Beniamin ſubrogavit, & ſic de aliis, quæ acciderunt ſub Herode. Calvinus, & alii Proteſtantes ſaltem uſque ad D. Aug. confitentur Eccleſiam Romanam fuiſſe legitimam: & tamen aliqua Schiſmata præceſſerant, ſcilicet Novatiani contra Cornelium, Felicis contra Liberium, Urſicini contra Damaſum. Regulam, quam dedimus, tradidit Cyprianus *epiſt. 2. in caſu Cornelii*, & Bernardus *epiſt. 127. ad Gerardum* occaſione ſchiſmatis Petri Leonis.

85 OBJIC. III. Mornæus. Non minus jactabant Hebræi ſucceſſionem ab Abraham, quam ſuam jactent Catholici a Petro, & Apoſtolis: ſed illis non proficiebat talis ſucceſſio; dicitur enim Matthæi 3. *Ne velitis dicere intra vos Patrem habemus Abraham.* Quia Abrahamo non ſuccedebant in moribus, ideo Joan. 7. dixit eis Chriſtus: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Ergo neque iſtis proficit, quia pariter non ſuccedunt Petro in operibus; ille enim pauper, iſti divites; ille jejuniis confectus, iſti epulis repleti.

Judæis cur non deſerviebat origo ex Abraham.

RESP. Neg. min. Proficiebat Judæis origo ab Abraham, ut ſcirent ſe eſſe de Populo Dei uſque ad Chriſtum; non proficiebat autem eis ad ſalutem, quia non adimplebant præcepta Charitatis, & Fidei, quæ adimpleverat Abraham. Gloriabantur Phariſæi de cognatione Abraham, & hac contenti negligebant virtutum imitationem. Ceterum argumentum Doctrinam firmat Catholicam; nam & ibi, & alibi concedit Chriſtus Judæos eſſe de Progenie Abrahæ corporaliter, & ſpiritualiter per ſuſceptionem ejuſdem Religionis; reprehendit tamen eos, quod ſecundum hanc filiationem non inſtituant mores. Abraham exultavit, ut videret diem Chriſti, & vidit; ideſt vidit per Fidem credendo, ſicut fuerat ei revelatum, & exultavit videre in re. Ipſi verò Judæi præſentem volebant occidere. Jo. 8. *Nunc autem quæritis me interficere &c. hoc Abraham non fecit.* Ita pariter concedere debent Proteſtantes, ex legitima ſucceſſione ab Apoſtolis colligi Eccleſiam Romanam eſſe legitimam Chriſti Sponſam: eis verò, qui ſecundum hujus profeſſionis ſtatuta, & regulas acta ſua non componunt, nihil prodeſſe ad ſalutem, quod totum verum eſt; fides enim ſine operibus mortua eſt.

86 OBJIC. IV. Foleo. Succeſſio impoſſibilis nequit deſervire ad oſtenſionem veræ Eccleſiæ; ſed ſucceſſio Apoſtolorum eſt impoſſibilis; nam Apoſtolatus, Evangeliſtatus, & Prophetia non ſunt munera perpetua in Eccleſia; ergo non eſt poſſibilis hujuſmodi ſucceſſio; ergo inaniter inducitur.

RESP. neg. min. Neceſſe eſt, quod habeat ſucceſſionem Eccleſia, ſi Dominus promiſit Apoſtolis ſe futurum cum eis uſque ad conſummationem ſeculi; non enim in perſona durare potuerunt uſque ad finem Mundi. Apoſtolatus eſt munus perpetuum, ut importat ordinariam poteſtatem paſcendi Chriſti Gregem: licet non ſit perpetuum officium, ut dicit illam extraordinariam, & primam miſſionem, quæ non eſt amplius neceſſaria, cum Eccleſia ſit ſtabilita. Munus pariter Evangeliſtæ, & Prophetæ manet, prout includit auctoritatem canonice explicandi Scripturam, & Divinas revelationes; ſecus ut importat poteſtatem nova revelandi, & nova canonica ſcribendi. Alibi hæc fuſius explicuimus.

Extraordinaria Paſtorum munia nunc ceſſarunt.

87 OBJIC. V. Foleo. Ad legitimam ſucceſſionem ſufficit æternitas, & perſeverantia doctrinæ: ſed hæc datur apud Proteſtantes, & non apud Romanos; ergo ſucceſſio Sedium non arguit Romanam eſſe veram Eccleſiam, ſed apud Proteſtantes. Maj. declaratur: cum Eccleſia fundata ſit in doctrina, ſufficit hanc hereditatem retinere mediis Symbolis, & Scripturis.

RESP. neg. min. Nihil Chriſto profuiſſet Doctrinam tradere puram, in Eccleſia conſervandam, ſi certæ Perſonarum lineæ non alligaſſet; ad poſteros enim devenire non poteſt, niſi per Præcones. Et ideo Paulus docet, ad hoc in Eccleſia eſſe conſtitutos Doctores, & Paſtores, ut fideles non circumferantur omni vento doctrinæ; quia per legitimos Miniſtros traducenda eſt Fides. Paſtores ſunt Cuſtodes depoſiti Theſauri veritatis, ut optime ait Paulus prima ad Tim. 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates.* Si verò demortuis cuſtodibus non ſuccedunt alii, fures dilapidabunt ærarium. Et ob hoc idem Paulus 2. ad Tim. 2. ait:

Paſtores ſunt veritatis cuſtodes.

ait: *Quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Quis porriget poſterioribus Symbola? Quis Scripturas, ſi linea perſonarum non datur, per quam a Majoribus accipiantur, & poſterioribus conſignentur? Quis de ſenſu vero Scripturæ ab Apoſtolis explicato certiorem faciet ætatem ſequentem, ſi deficit legitima ſucceſſio, apud quam puritas Evangelii præſervetur a corruptelis? Utraque ergo neceſſaria eſt ſucceſſio, & perſonarum, & doctrinæ: utrâque gaudet Eccleſia Romana: utrâque caret Proteſtantium cœtus.

88 OBJIC. VI. Mornæus, & Fulco. Licet ſit neceſſaria Paſtorum ſucceſſio, tamen opus non eſt, quod appareat. ſed Proteſtantium cœtus habuit Paſtores ſuos ſucceſſive uſque ad Apoſtolos, quamvis latentes: ergo non deeſt illi ſucceſſio; ergo eſt vera Eccleſia. Argumentum explicant exemplo Solis, qui abſconditur quandoque, ſed non deſinit illuminare, & iterum redit. Exemplo Rhodani fluvii, qui in Lemanum Lacum ſe condit, & per gurgites in Oceanum tendit. Exemplo grani, quod in palea occultatur. Quare ante Lutherum, & Calvinum erat Eccleſia Proteſtantium in reliquiis exiſtentibus in Papatu, licet Papatus non eſſet Eccleſia.

Hæc eſt deſperata rimula, ad quam con fugiunt Hæretici Moderni, ad particulas occultas; contra quos ſatis dictum eſt *Controverſia de viſibilitate Eccleſiæ*. Nunc ſufficiat

Eccleſia viſibilis. argumentari cum Auguſtino contra Donatiſtas, idem prorſus objicientes *lib. de unitate Eccleſiæ cap. 13. lib. 3. de Baptiſmo cap. 2.* Vel Eccleſia Proteſtantium, quæ nunc apparuit, antea perierat, & rediit ad vitam, vel ſolum latuerat, & nunc prodiit in apertum? Si primum; ergo non poterat renaſci, nec ipſi Proteſtantes in ea. Ex qua matre progeniti, ſi mater perierat? -- Si periit, unde ergo Do-
„ natus apparuit, de qua terra progerminavit? Ex quo mari emerſit? E quo cœlo
„ cecidit? -- Si verò ſolum latuit, vel profitebatur fidem, vel non, ſi profitebatur, jam erat manifeſta; ſi non profitebatur, jam non erat Apoſtolica: dicente Apoſtolo ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

In ſua præfat. Myſterii iniquitatis Mornæus aſſerit ſuam Eccleſiam illam eſſe, quæ Arrium damnavit, & Macedonium. Porro illa fuit valde viſibilis; ſiquidem plena contra iſtos congregavit Concilia, & cum poſt ſextum ſeculum aliæ fuerint hæreſes, debuit illas eliminare, ſicut priores; at non reperimus id factum conſimili forma, niſi ab illis, qui prioribus Epiſcopis ſucceſſerunt, ſub obedientia Romani Pontificis: igitur ſola Eccleſia Romana continuata eſt cum Priori.

Deinde, ſi in Papatu latebat, & Papatus non erat, ſuas habebat Notas, quibus diſtinguebatur: atqui Proteſtantes neceſſarias Notas aſſignant Prædicationem, & uſum Sacramentorum; ergo has exercebant. Cur ergo nullum veſtigium? Vel cur inviſibilis aſſeritur?

Exempla non ſunt ad rem, ſed oppoſitum demonſtrant. Eccleſia Sol eſt, ſed qui nunquam occidit: Iſaiæ 60. *Non occidet ultra*
A *Sol tuus*. Ideo dixit Dominus Apoſtolis Matth. 15. *Luceat lux veſtra coram hominibus &c. vos eſtis lux mundi*. Lucerna eſt Eccleſia, ſed ſuper candelabrum poſita, non ſub modio celata. Unde Irenæus *lib. 1. cap. 3.* -- Sicut
„ Sol creatura Dei in univerſo mundo unus,
„ & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio ve-
„ ritatis, ubique lucet, illuminat omnes,
„ qui volunt ad cognitionem veritatis venire.
„ Propter quod ait Dominus, quod audiſtis
„ in tenebris, dicite in lumine, & quod in
„ aure audiſtis, prædicate ſuper tecta -- Et Iſaias 62. prædixit de Paſtoribus: *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui Cuſtodes, tota die, &*
B *tota nocte in perpetuum non tacebunt*. Si ergo tanto tempore tacuerunt Proteſtantes, de Eccleſia non ſunt. Exemplum Rhodani favet nobis, ſi ſtemus Amiano Marcellino; nam ita tranſit per Lemanum, ut aquæ aquis non miſceantur, ſed altrinſecus præterlabitur: ita Eccleſia Romana extranea hæreſum aquis immixta non fuit, ſed pura dilapſa eſt ab Apoſtolis ad nos. Aliud exemplum de palea, & grano, quid intendat, non apparet, vel enim loquitur de grano excuſſo a paleis in area, & jam non latet, vel de grano incluſo, & jam palea cum grano ad eundem agrum pertinet, & ab eodem ſemine oritur, & humore nu-
C tritur. Quomodo ergo Papatus, etſi palea dicatur, ad Eccleſiam non pertinet, ad quam granum?

89 OBJIC. VII. Fieldus. Licet uſque ad tempus Lutheri, & Calvini integra fuerit ſucceſſio Epiſcoporum: non tamen ab illo tempore in Eccleſia Romana; quia fuit per illos interrupta; ergo cum aliam lineam conſtituerint, non apud Romanos, ſed apud Proteſtantes extat Apoſtolica genealogia.

RESP. Argumentum Hæreticos ferit, vel enim uſque ad tempora Calvini, & Lutheri Romana Eccleſia fuit vera, ut Oſiander ait *Epit. Centur. pag. 1673.* -- Eccleſia quæ
D „ ſub Papatu fuit eo tempore, quo natus eſt
„ Lutherus, fuit Eccleſia Chriſti &c. -- & fatetur ipſe Fieldus *de Eccleſ. lib. 3. cap. 6.* quærenti enim, quam Eccleſiam intelligant extitiſſe ante Lutherum -- Reſpondemus no-
„ tam illam conſpicuam, illam per totum or-
„ bem diffuſam, in qua omnes majores no-
„ ſtri vixerunt, & mortui ſunt, in qua Lu-
„ therus, & reliqui Baptiſmum, & ordinem
„ ſuum, & miniſterium acceperunt -- Et cum ab illo tempore non ſit immutata, perſeverat eſſe bona. Vel fatentur non fuiſſe veram; ergo illegitima fuit Lutheri, & Calvini ordinatio, ac proinde non potuerunt le-
E gitimam fundare ſucceſſionem. Et ita eſt; non erant enim Epiſcopi, ſed ſimplices Sacerdotes, nec a legitimis poſtmodum facti ſunt Epiſcopi.

Supereſt, ut probemus ſolam Eccleſiam Romanam conſenſum doctrinæ cum Apoſtolis ſervare, unde dicendum eſt III. Eccleſiæ Romanæ, & Soli convenire conſenſum doctrinæ cum Apoſtolis. Proteſtantes colore Reformationis, turbam ſibi fecerunt, vendentes Eccleſiam Romanam declinaſſe a doctrina veterum; unde miſſos ſe prædicant ad illam purgandam. Quo prætextu validiſſimum

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſionis argumentom non amplius valere
aſſerunt . Concedunt valuiſſe uſque ad tem-
pus Divi Auguſtini, vel Gregorii Magni . Cal-
vinus *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 2. §. 2. argumento
ſucceſſionis inculcato a vereribus reſpondens
ait -- Cum extra controverſiam eſſet , nihil
„ a principio uſque ad illam ætarem muta-
„ tum fuiſſe in doctrina , ſumebant , quod
„ omnibus novis erroribus ioterimendis ſuf-
„ ficeret , illos nempe oppognare doctrinam
„ ab ipſis uſque Apoſtolis conſtanter, & una-
„ nimi conſenſu retentam -- *Et in eiſdem Gal-
lice impreſſis Geneva an.* 1561. ait -- Notum ,
„ & indubitatum eſt, quod ab Apoſtolorum
„ temporibus uſque ad ſupradicta, nulla do-
„ ctrinæ mutatio facta fuerit Romæ, vel io
„ alia ulla Civitate -- Fulco *in confut. Pur-
gatorii pag.* 373. eidem reſpondens habet --
„ Ideo fuit, quod Eccleſia illa tunc tempu-
„ ris , ficut fuodata eſt ab Apoſtolis , ita in
„ Apoſtolorum doctrina permanſerat -- Uno
verbo hæc eſt una vos omnium Proteſtantium,
ex qua formatur generalis probatio .

Eccleſia Romana uſque ad tempora Au-
guſtini , vel Gregorii Magni fuit Eccleſia
generalis , quam Chriſtus , & Apoſtoli fun-
daverunt , in eaque ſtetit Evangelicæ doctri-
næ puritas: ſed unam illam, quam fundavit
Chriſtus Eccleſiam, in æternum ſibi immuta-
biliter deſponſavit , ut ſuo loco fuſe Scripto-
ris , Patribus clare oſtenſum eſt ; ergo illa
prima Eccleſia , quæ Romana eſt , non eſt
immutata : ſed mutata eſſet, ſi a doctrina A-
poſtolica defeciſſet ; ergo &c.

Specialis probatio formanda eſſet ex com-
paratione eorum, quæ nobis imponunt ut in-
novata, cum uſu primitivæ Eccleſiæ, & do-
ctrina veterum Patrom ; hoc autem ſatis cla-
re oſtendimus, in ſingulis Controverſiis, quas
inſtituimus , & velle nunc etiam compen-
dioſe exponere , nimium ſane protraheretur
tur Diſputatio . Sufficiat ergo ſummis labiis
excurrere præcipua capita , ſub teſtimoniis
eorundem Proteſtantiom . Hæc reducuntur
ad illa quæ Confeſſio Wirtemb. *edita an.* 1570.
propoſitione 119. enumerat his -- Invexerunt
„ converſionem panis io ſubſtantiam Corpo-
„ ris Chriſti, eamque novis , & prodigioſis
„ vocabulis vocant . Tribuunt pani adoratio-
„ nem , fingunt Miſſam eſſe ſacrificium, in
„ quo neceſſe ſit quotidie offerre Deo Corpus
„ filii ſui , & totam Miſſam transferunt in
„ quæſtum -- Et Friub. *in Diſput. Lypſica cap.*
22. his -- Præter ipſos Pontifices, Epiſcopos,
„ & Monachos, plerique alii docti fuerunt,
„ qui multiplices doctrinæ Evangelii corru-
„ ptelas, illam horribilem ſuperſtitionem , &
„ profanationem Sacramentorum divinitus
„ inſtitutorum , & doctrinæ ſanctioris inſti-
„ tutionem ſerio improbarunt , Plena ſunt
„ omnia Idololatria in Imaginibus , in invo-
„ cationibus Sanctorum , in Miſſa , in ſua
„ Idololatrica ſupellectili , cultuque Judai-
„ co, in ciborum vacatione, nuptiarum pro-
„ hibitione , Romani Pontificis (*quem di-
„ cunt Antichriſtum*) ſequela -- Ex quibus ſic.

91 Si aliqua immutavit Romana Ec-
cleſia , maxime ſunt , quæ Purgatorium tan-
gunt , bonorum operum neceſſitatem , Miſſæ
Sacrificium , Monachorum vota , & Sacer-
dotalem cœlibatum , Epiſcopalem conſecra-
A tionem, Templorum erectionem, Jejunii ab-
ſtinentiam, Sacrarum imaginem uſum ,& cul-
tum, Sanctorum adorationem , & invocatio-
nem , ficut Nominis Jeſu , & Mariæ, ſacras
Traditiones . præceptorum Eccleſiæ obſervan-
tiam , Romani Pontificis auctoritatem , & ſi-
milia : atqui in his omnibus perfecte conſen-
tit cum antiquitate ; ergo nihil innovavit ad
ſuperſtitionem pertinens . Min. oſtenditur te-
ſtimonio Centuriatorum , & Oſiandri , qui
Centurias in epitomen reſtrinxit .

Purgatorium veteres agnoviſſe fatetur
Calvinus *lib.* 3. *cap.* 5. §. 10. , ubi dicit -- *Rom. Ec-*
„ Ante mille , & tercentos annos uſu rece- *cleſia ſemper*
B „ ptum fuit , ut precationes fierent pro de- *eadem.*
„ functis -- Luth. 1. *tomo fol.* 268. Fulco *in
tract. Theologica pag.* 394. , ubi Chryſoſto-
mum , Epiphanium , Auguſtinum citat , &
Traditionem. *Centuria* 3. *colum.* 8. Ubi Ori-
genem citant , quinque locis id dicentem .
Neceſſitatem bonorum operum docent *Cent.*
2. *col.* 60., ubi Clementem proferunt, & Theo-
philum : *Cent.* 4. *col.* 291. Monachorum vota ,
& clauſtra : *Cent.* 4. *col.* 1494., ubi tractatum
ponunt contra Monachos Syriæ , Paleſtinæ ,
Bithiniæ , & Aſiæ ſub Conſtantino Magno ,
& *col.* 1306. alium contra Monachos Africa-
nos ſub eodem , & *col* 300. adducunt ſermo-
C nem Baſilii pro Monachis , quorum ſanctita-
tem deſcribunt *col.* 494. Et *col.* 474. Eremi-
tas deſcribunt primitivæ Eccleſiæ . Et Oſian-
der *eadem Centuria pag.* 100. vitam S. Anto-
nii Abbatis deſcribit . Votum Virginitatis in
Monachis agnoſcit Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.*
13. §. 17. *Cent.* 2. *cap.* 4. *col.* 60. Ubi Epi-
ſtolas Sancti Ignatii proferunt . *Cent.* 4. *col.*
300. 301. 466. ex Concilio Chalcedonenſi
Paupertatis votum. *Cent.* 4. *col.* 30. , *&* 464.
Obedientiæ votum . *Cent.* 4. *col.* 471. , ubi
adducunt Hieronymum . Monachorum mor-
tificationes . Cent 4. *col.* 47. , *&* 475. Clau-
ſuram , Oſiander *Cent.* 4. *pag.* 110. , *&* 440.
D Nocturnas Vigilias. *Cent.* 4. *col.* 706 Pedum
nodationem *col.* 774. ubi referunt Nazianze-
num . Cingulum *col.* 471. 472. Cucullum
col. 712. *ejuſdem Centuria* , in qua pariter
Collegia Monialium ſub Abbatiſſis, & Magi-
ſtris Novitiorum , velationes , & conſecratio-
nes deſcribunt, etiam ante Conſtantinum, ubi
Baſilium , Ambroſium , Cyprianum citant .

Sacerdotalem Cœlibatum *Cent.* 4. *col.* 704.
ubi Synodum Arelatenſem ſub Conſtantino
producunt . *Col.* 616. Concil. Neocæſarienſe ,
659. Concilium Nicænum . 698. Concilium
Elibertinum . *Col.* 868. Concil. Carthaginen-
ſe III. &c. Epiſcopalem conſecrationem , &
E dignitatem *Cent.* 4. *col.* 460. ſub Conſtanti-
no . Miniſtrorum ordinationem *Cent.* 4. *col.*
873. citantque Cornelium Papam , S. Igna-
tium Martyrem , Concil. Carthaginenſe IV.
deſcribuntque Ritus pro Minoribus Ordini-
bus . Templorum erectionem *Cent.* 4. *col.* 417.
ſub Conſtantino ; citantque Athanaſium . Sa-
cella, ornata picturis B. Mariæ , & Præſepis
Domini *Cent.* 5. *col.* 645. Altaria in eis *Cent.*
4. *col.* 409. Candelarum & lampadum uſum
Cent. 4. *col.* 498. Altaria conſecrari reliquiis
Martyrum *Cent.* 4. *col.* 829. citantque Augu-
ſtinum , Loca in Templis Laicorum diſtincta

a Sacerdotum ſedibus *Cent.* 2. *col.* 317. citantque Sanctum Clementem. Sacra vaſa a Laicis non tangi *Cent.* 4. *col.* 835. ibidem Calicem conſervari a Sacerdotibus. Jejunium quadrageſimale *Cent.* 3. *col.* 136. citantque Ignatium, & vetuſtiſſimos. Cetera Jejunia *Cent.* 4. *col.* 440. citantque Epiphanium. Natalem Domini a Jejunio excipi, ſi in Sabbatum, vel diem Veneris incidat *Cent.* 3. *col.* 159.

Cultum Imaginum. *Cent.* 4. *col.* 409. *Columna ſequenti.* Sacra lumina illis accendi. *Col.* 407. citant Athanaſium pro Imagine Salvatoris, & aliis in Templis *Cent.* 3. *col.* 121. *Et* 147. citant Tertullianum aſſerentem, Chriſtianos in domibus, & locis publicis habuiſſe Sacræ Crucis Imaginem. Reliquiarum venerationem *Cent.* 4. *col.* 602., *&* *col.* 457. *Cent.* 5. *col.* 512., ubi etiam translationis Ritus ſolemnes deſcribunt. Peregrinationes ad loca Sanctorum *Cent.* 4. *col.* 57., ubi S. Helenam citant. Sanctorum Feſtivitates *Cent.* 1. *col.* 118., ubi ſub Antonino Imperatore memorias Martyrum referunt celebrari. *Cent.* 3. *col.* 135., ubi de Feſtis Natalitiis Domini, Paſchalis, Pentecoſtes, & Sanctorum agunt citant Tertullianum, Cyprianum, & alios. *Cent.* 2. *col.* 118. Feſtum Epiphaniæ, Dominicæ in Albis, Sanctorum Apoſtolorum. *Cent.* 4. *col.* 451. Feſta Annunciationis, & SS. Martyrum, Sanctorum Invocationem *Cent.* 3. *col.* 83. citantque Origenem, & Cyprianum. Et *col.* 295. *Cent.* 4. citant Baſilium, Athanaſium, Chryſoſtomum, & alibi alia dicunt. Signum Crucis *Cent.* 4. *col.* 459., *&* *col.* 302. Beneficia ex uſu hujus Signi refert Oſiander *in Epitome Cent.* 4. *pag.* 326. Sacras Traditiones, Witakerus *de Sacra Scriptura pag.* 655. citatque Areopagitam. Kemnitius *in prima parte examinis Concil. Trid. pag.* 81. 89., *&* 90. Præceptorum Eccleſiæ obſervantiam *Cent.* 3. *col.* 240. citantque Origenem, & Tertullianum.

Primatum Petri *Cent.* 4. *col.* 555. citantque S. Hilarium, & *colum. ſequentibus* Hieronymum, Nazianzenum. *Cent.* 3. *col.* 84. Tertullianum, & *ſequenti col.* Origenem. Primatum Romani Pontificis *Cent.* 2. *col.* 62. citantque S. Ignatium, & S. Irenæum. Idem *Cent.* 5. *col.* 775. Appellationes ad Sanctam Sedem Oſiander *in Epitome Cent.* 4. *pag.* 294. Veſtimenta Sacra, *Cent.* 4. *col.* 504. citantque Athanaſium. Albam *Cent.* 4. *col.* 876. ex Chryſoſt. Hieronymo, & Concilio IV. Carthaginenſi. Stolam, ſeu Orarium *Cent.* 4. *col.* 895. Ex Laodiceno, & Aurelianenſi Concilio. Ceremonias in conferendo Baptiſmo, puta Aquam in fonte conſecrari. Symbolum recitari, abrenunciari Diabolo, Exorciſmos fieri, Baptizatum ſignari in fronte referunt *Cent.* 4. *col.* 415. Ibidemque trinam immerſionem. Exequias mortuorum Sacro Ritu *Cent.* 4. *col.* 433. Pſalmodiam *col.* 453. Cereorum uſum *col.* 454. Comitatum *col.* 253. Preces in deponendo Cadavere *col.* 455. Omitto alia ſexcenta ſimilia.

Solum adverto hæc etiam ab aliis Proteſtantibus aſſeri. Centuriæ tamen maximum pondus habent apud illos; ſunt enim velut corpus juris; & ideo frequentius, & libentius illis uſus ſum. Adverto pariter, ad hæc probanda Adverſarios præter Patres aſſumere A auctoritatem ab Euſebio, Sozomeno, Nicephoro, qui ſunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ primi velut fontes. Adverto denique ab ipſis hæc vocari, quandoque errores, quandoque nævos, vel ſuperſtitiones, de quo in præſenti non diſputamus.

Nunc ſic teſtimonio Adverſariorum arguo. Exemplar Primitivæ Eccleſiæ in iis, in quibus potiſſime Idololatræ vocamur, adamuſſim reſpondet lineamento præſentis Eccleſiæ Romanæ; ergo vultus ejus non eſt immutatus, ſed illa fuit vera, & legitima Sponſa Chriſti; ergo hæc eadem perſeverat.

92 Oſtendamus nunc eadem methodo B Proteſtantes faciem veterum Hæreticorum referre. Pro cujus clariori intelligentia noto, Proteſtantes damnare Hæreticos primorum quinque; vel ſex ſeculorum, & aliàs eodem ævo, ut jam prænotavimus, Eccleſiam Romanam veram, & puram in doctrina dignoſcunt. Quod confirmari poteſt Lutheri teſtimonio *in Comment. ad Galat. tom.* 2. *Germanica, Vuirtemb. edita*, ubi aſſerit -- Eccleſiam „ Pontificiam uſque ad annum Chriſti quin„ genteſimum, nec mutaſſe, nec erraſſe &c. „ Hilarium, Cyrillum, Athanaſium, Ambro„ ſium, Aug., & alios, Evangelium, & „ fidem in Chriſtum pure, & ſine omni ſu„ C perſtitione docuiſſe -- Centuriatores *Centur.* 5. *cap.* 4. idem ſentiunt. Calvinus *Epiſtola ad Sadoletum* ait -- Statue tibi ob oculos „ veterem illam Eccleſiæ faciem, qualem „ Chryſoſtomi, aut Baſilii ætate apud Græ„ cos, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini ſe„ culo apud Latinos extitiſſe, ipſorum mo„ numenta fidem faciunt -- Lambertus Danæus *in libris Aug. de Hæreſibus cap.* 5., *&* 96. habet -- Doctrinam Evangelicam, & „ Chriſti, inter Epiſcopos uſque ad Beati „ Damaſi Papæ tempora adhuc integram per„ manſiſſe -- Et alii communiter.

Novatores Romanā Eccleſiā primis Sæculis verā dignoſcunt.

Porro Hæreticos, & Hæreſes priſcis temD poribus eliminatas colligunt Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, Epiphanius, Philaſtrius, Theodoretus, Damaſcenus, & alii graviſſimi Viri illorum temporum, ac proinde Proteſtantes concedentes temporibus horum Sanctorum Pontificiam doctrinam fuiſſe puram coguntur admittere ut damnatos, quos ab Eccleſia proſcriptos illi enumerant. Revera id fatentur Magdeburgenſes *Centur.* 5. *col.* 1129. laudantes D. Aug eo quod ſtrenue pugnaverit contra hoſtes fidei, ut fuerunt Manichæi, Donatiſtæ, Ariani, Priſcillianiſtæ, Marcioniſtæ, Appollinariſtæ, Photiniani, Novatiani, Pelagiani, Judæi, & PaE gani, quos glorioſe devicit, multoſque ex iis in gremium Eccleſiæ, & ad ovile Jeſu Chriſti recollegit. Melancton *tom.* 2. tenet ut damnatos a Conc. Niceno, & Conſtan. Paulum Samoſatenum, Arium, Catharos, Eunomium, & alios Hæreticos, ut Neſtorium ab Epheſino, Eutychetem a Chalced., & Novatianos a Milevitana Synodo. Calvinus *lib.* 1. *Inſt. cap.* 14. §. 3. damnat Manichæos cum ſua Secta. *Lib.* 3. *cap.* 3. § 21. Novatianos. Et *cap.* 11. §. 15. Pelagianos. *Lib.* 4. *cap.* 8. §. 13., *&* *cap.* 19. §. 10. Donatiſtas. Et alibi alios. Beza *in Confeſſione fidei Calviniana puncto* 2.

ão 1. ait -- A teterrimis Hæreſibus Sabellii, Samoſateni, Arrii, Neſtorii, Eutycheris, aliorumque Hæreticorum, quos Vetus Eccleſia damnavit, toto pectore, & animo abhorreo -- Hinc Lutherani, ut Calviniſmum redarguant, imponunt illi Hæreſes antiquorum Hæreticorum, ut fidem facit liber editus a Philippo Nicolai, cui titulus: *Detectio fundamentorum Sectæ Calviniana, convenientium cum Arrianis, Neſtorianis &c.* Ex adverſo Lutherani conqueruntur de Calviniſtis, eo quod ab ipſis appellantur Marcioniſtæ, Manichæi, Neſtoriani, Eutychiani, Capharnaitæ, Creophagi, Flaviani; ſicut fatetur Paræus *in Epiſtola liminari ad Controverſiam Euchariſticam*.

Noto II. Plurimas ex Hæreſibus damnatas fuiſſe a Pontificibus Romanis, ut ſuo loco diximus ex D. Aug., & ex factis diſcurrendo per ſecula. Aliæ Hæreſes fuerunt damnatæ a Conciliis Provincialibus a Sede Apoſtolica confirmatis: aliæ ab Œcumenicis Conventibus primis. Porro ipſi Proteſtantes admittunt prima quatuor Concilia Generalia. Mens Lutheranorum patet *in Confeſſione Vuirtembergenſi*, ex Philippo Mornay *in ſuo myſterio iniquitatis*, ex Philippo Melanctone *loco ſuperius citato*; & Lutherus *tom. 7. Vuirtemberg. ab ipſis Lutheranis impreſſo an.* 1557. *pag.* 452. non ſola Generalia, ſed etiam Provincialia ibi admittit, dicens -- in Græcia, Aſia, Syria, Ægypto fuerunt Chriſtiana Concilia, præcipue quibus D. Cyprianus, & Auguſtinus interfuerunt --

Mens Calviniſt. conſtat aperte ex Calvino *lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 1., & §. 8.*, ubi enumeratis quatuor primis Generalibus Synodis, addit -- Ac ſimiles, quæ confutandis erroribus habitæ ſunt, libenter amplectimur, reveremurque ut Sacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent, niſi puram, & nativam Scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres Spirituali prudentia ad frangendos Religionis hoſtes accomodarunt -- Ex Confeſſione Calviniana *art. 6.*, ubi legitur -- Et in hoc admittimus, quod determinatum fuit per antiqua Concilia, & deteſtamur omnes Sectas, & Hæreſes, quæ rejectæ fuerunt per Sanctos Doctores, ut per Sanctum Hilarium, Sanctum Athanaſium, Sanctum Ambroſium, & Sanctum Cyrillum -- Ex Beza ibidem *puncto* 5., *& epiſt.* 8. *pag.* 744. ubi mirifice commendat antiqua Concilia: quibus alii conſentiunt.

93 His prænotatis palam fit Novatores apte convenire cum antiquis Hæreticis.

Novatores antiquis conveniunt Hæreticis.

I. Manichæi ex Aug. *lib.* 22. *contra Fauſtum*, Marcioniſtæ *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 29., & alii negabant vetus Teſtamentum. Item Marcioniſtæ mutilant novum Teſtamentum ex Tertulliano *de præſcript. cap.* 38., & alii; atqui Lutherus negat Teſtamentum Vetus *in colloquiis convivalibus de lege, & Evangelio tom.* 2. *Germanico Jenenſi fol.* 40, *&* 41. mutilat Teſtamentum Novum; nam Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, D. Jacobi, & Apocalypſim rejicit a numero Canonicorum Librorum; ergo &c. Contra quos ſtat *Can.* 11, *&* 44. Concilii Carthag. III., ubi pro Canonicis ſtatuuntur omnes libri in Ordinaria vulgata inſerti ſecundum Tridentini Decretum.

II. Simon Magus *ex Moyſe Barcepha p.* 3. *de Paradiſo* Deum negat eſſe Omnipotentem; item Elimas Magus ex Dionyſio Areopagita *cap.* 8. de Divinis nominibus; idem Valentiniani *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 5., aliique apud Epiphanium, Ambroſium, Damaſcenum: de quo D. Thom. 1. *par. quæſt.* 25. *art.* 3. Atqui Deum eſſe omnipotentem negat Calvinus *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 7. §. 5., *& lib.* 3. *cap.* 23. §. 2. Beza *adverſus Heſhuſium*; ergo &c. Contra omnes ſtant prima Concilia Generalia in Symbolo.

III. Colluthiani, Arcontici *ex Philaſtrio*, Floriani *ex Euſebio lib.* 5. *cap.* 19., Marcioniſtæ *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 79. Simon Magus *ex Vincentio Lyrinenſi cap.* 34. Deum auctorem faciunt malorum, de quo D. Tho. 3. *contra gentes cap.* 161., *&* 163. Atqui idem docet Lutherus *in aſſert. art.* 36., Calvinus *lib.* 1. *Inſt. cap.* 18. §. 1., *& cap.* 17. §. 3. 8. item *lib.* 2. *cap.* 4. §. 3., *&* 4. Beza *in Summa Chriſtianitatis*; ergo &c. Damnantur omnes in Concilio Valentino *cap.* 3.

IV. Gnoſtici *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 17. Arriani *ex Athanaſio Orat.* 4. *contra Arrianos*. Celſus *ex Origene lib.* 2. Agnoitæ *ex D. Gregorio lib.* 8. *epiſt.* 42. Chriſtum ignorantem prædicant, de quo D.Thom. *in cap.*27. *Matth.* Atqui idem docet Lutherus *concione in Natali Domini*, Calvinus *ad cap.* 3. 24., *&* 28. *Matthæi*; ergo &c. A Paulo ad Coloſſ. 2., & ab Evangelio paſſim hi reprobantur.

V. Marcion *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 29. tenet Chriſtum ad Inferos deſcendendo Sodomitas, & alios peſſimos homines ſalvaſſe, Abraham verò, & alios juſtos damnaſſe, de quo D. Thom. 3. *part. quæſt.* 52. *art.* 6. At idem prædicat Lutherus *lib. de Conciliis p.* 2. Chriſti Aſſeſſores conſtituens Neſtorium, & Eutycherem, Sanctos verò Cyrillum, & Leonem damnans. Calvinus *ad cap.* 27. *Matth.* fabulam dicit Patriarcharum liberationem; ergo &c. Clare ex Scripturis hujuſmodi error refellitur.

VI. Manichæi *ex Hilario lib.* 6. *de Trinit.* Arriani *ex Epiph. hæreſi* 68., *&* 69., & eorum ſubdiviſæ Sectæ *ex Hilario lib.* 4., *&* 6. *de Trinit.* negant Verbi conſubſtantialitatem cum Patre, de quo D. Thom. 4. *contra Gentes cap.* 3. 11. 17., *&* 18. Atqui idem facit Lutherus *lib. contra Latomum*, ubi rejicit Homouſion a Filio Dei, idem Calvinus *lib.* 1. *inſt. cap.* 13. §. 23. *in Epiſtola ad Polonos, & in refutatione Terelli*, ergo &c. A Niceno Concilio in Symbolo, & ab aliis Conciliis hos damnatos legimus.

VII. Cherintus *ex Irenæo lib.* 1. *cap.* 25. Cajani *ex Tertulliano cap.* 23. *de Baptiſmo*. Manichæi *ex Aug. hæreſi* 46. Arcontici *ex Epiphanio hæreſ.* 40. Seleuciani, Hermeniani, Meſſaliani, & alii Baptiſmi neceſſitatem ad ſalutem negant: atqui idem ſtatuit Lutherus *lib. adverſus Coclæum, de adorat. Sacramenti, de captivit. Babylonica, cap. de Baptiſmo*, Melancton *in locis commun. cap. de ſignis*, Calvinus *in antidoto Concilii Tridentini Seſſ.* 6. *cap.* 5. negat pueris fidelium neceſſarium eſſe Bap-

priſmum. Idem *lib. primo inſtit. cap.* 16., *&* §. 26. *lib.* 4. *cap.* 14. §. 17. *defenſ.* 2. *contra Weſtphalum*, Beza *de cœna &c.*; ergo &c. Damnantur autem a Niceno Concilio *lib.* 3. *de Sacro Baptiſmate*, & a Conſtantinopol. primo in Symbolo, ab Arauſicano II. *cap.* 25., a Milevitano VIII., & Patribus, cum quibus D. Thom. 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 1. 2. 3.

VIII. Simon Magus *ex Clemente lib.* 3. *Recognitionum*, Manichæi ex Chryſoſtomo *homil.* 45., & ex Auguſtino *lib. contra Fortunatum*, Priſcillianiſtæ *ex Auguſtino lib. de gratia, & libero arbitrio*, & alii plures negant humani arbitrii libertatem: atqui idem aſſerit Lutherus *lib. de ſervo arbitrio, in aſſert. artic.* 36. Melancton *in cap.* 8. *ad Romanos, & in locis commun. cap. de libero arbitrio*, Calvinus *lib.* 2. *inſtit. cap.* 3. § 7., *&* 11.; ergo &c. Damnantur ab univerſis Patribus Græcis, & Latinis, & ab ipſo D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 80.

IX. Valentiniani *ex Irenæo, & Auguſtino. & Clemente Alexandrino lib.* 3. *Antitacti ex eodem.* Æriani *ex Damaſceno lib. de hæreſibus*, & alii tenuerunt ſolam fidem ſufficere, nec eſſe neceſſaria bona opera. Atqui idem docet velut primum principium Lutherus *in confeſſ. Maaſpheldenſi fol.* 89., *&* 90. *in cap.* 2. *ad Galatas, de Captivitate Babylonica cap. de Baptiſmo, lib. de libertate Chriſtiana, Serm. de piſcatura Petri*, Poſtilla Germanica *part.* 2. *fol.* 154. Melancton *in locis primæ editionis*, Calvinus *lib.* 3. *inſt. cap.* 14. §. 17., *& cap.* 17. §. 4., *&* 5. Ergo ſicut illi damnati ſunt a Concilio Arauſicano II. *Can.* 18., Moguntino I. *Can.* 1., & a Patribus univerſis, ita & iſti eadem feriuntur cenſura.

X. Joviniani *ex Auguſt. hæreſ.* 82., *& ex Hieronym. contra Jovinianum lib.* 2. *cap.* 15., *&* 16. Novatiani *ex Cypriano ad Novatianum.* Pelagiani *ex Hieronym. contra Pelagium*, & alii docuerunt omnia peccata eſſe paria, nec eſſe diſcrimen inter lethale, & veniale: atqui idem prædicat Lutherus *lib. de captivitate Babylonica, cap. de Baptiſmo, & in reſolutione ſupra propoſitiones ſuas*, Melancton *in locis commun. cap. de diſcrimine peccati venialis, & mortalis*, Calvinus *lib.* 2. *inſtit. cap.* 8. §. 19., *&* 20.; ergo ſicut hi damnantur a Concilio Milevitano *cap.* 6. 7., *&* 8., & a Patribus, cum quibus D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 84. *art.* 1. 2. *&c.*, ita & ipſi.

XI. Donatiſtæ *ex Optato lib.* 2. *contra eoſdem*, Vigilantius *ex Hieronymo contra eoſdem*, Petilianus *ex Auguſtino lib.* 3. *cap.* 4. *contra eundem*, Lampetiani *ex Damaſceno de hæreſibus.* Monaſtica vota, clauſtraque Religioſorum damnaverunt: atqui idem facit Lutherus *lib. de votis Monaſticis, & in cap.* 4. *prioris ad Corinth.*, Melancton *in Apologia de votis Monaſticis*, Calvinus *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 13., Magdeburg. *cent.* 10. *cap.* 4. Anathematizantur hi a Niceno I. *Can.* 76. Arabico, a Chalcedonenſi, *Can.* 4., & ceteris Patribus, cum quibus D. Thom. *Opuſc. contra Gulielmum de Sancto amore.*

XII. Valentiniani *ex Epiph. hæreſi* 26. Ex eodem Aeriani *hæreſi* 75. Jovinianus *ex Auguſtino*, & alii jejunia ſpreverunt velut inutilia: atqui idem faciunt Lutherus *in reſponſione ad Amb. Catherinum*, Calvinus *lib.* 4. *inſt. cap.* 12. §. 16. Confeſſio fidei Genevenſis *art.* 24. Confeſſio Helvetica &c., ergo &c. Damnantur primi a Concilio Aurelianenſi IV. *cap.* 2. Turon. II. *cap.* 16. Bracharenſi II. *cap.* 9., & a Sanctis Patribus, cum quibus D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 142. *art.* 1. 3., *&* 4., *& quæſt.* 147. *artic.* 2.

XIII. Vigilantius *ex Hieronymo contra eundem*, Cathari ex Guidone de Catharis, & alii, Sanctorum invocationem, & interceſſionem ut vanam projecerunt: atqui idem facit Lutherus *lib. de Adorat. Sacramenti.* In Poſtilla majori Domin. 7. Trinit. Melancton *in Antitheſi veræ doctrinæ*, Confeſſio Helvetica *cap.* 23. Calvinus *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 8. §. 16. Beza *in reſponſione ad calumniam Selnecceri*, & alii; ergo &c. Chalcedonenſe *Act.* 11., & Patres contra iſtos inſurrexerunt.

XIV. Gnoſtici *ex Irenæo lib.* 3. *cap.* 2. Ariani *ex Epiph. hæreſi* 7. Macedoniani *ex Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap.* 25., *&* 27. Pelagiani *ex Auguſtino lib. de natura, & gratia cap.* 39. Neſtoriani *ex Cyrillo contra Neſtorium*, & alii, Traditionum teſtimonia rejiciebant, ad Scripturas ſolas provocando: atqui idem facit Lutherus *in comment. ad Galat.* 1., & alibi ſæpe, Calvinus *lib.* 5. *inſtitut. cap.* 10. §. 9. 16., *&* 17.; ergo. Damnantur iſti in Concil. Niceno *Can.* 7., *&* 8. Epheſino, ubi ſola traditione ſtatuitur nomenclatura Dei Matris: & in ſequentibus General., & a Sanctis Patribus, cum quibus S. Thom. 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 4., *&* 2. *ad Theſſalonicenſes* 2.

XV. Montaniſtæ *ex Hieron. epiſt.* 54. Aeriani *ex Epiph. hær.* 75., & alii docuerunt nullam eſſe diſtinctionem, & inæqualitatem Presbyteri ab Epiſcopo: atqui hoc idem ſtatuunt Lutherus *de captivit. Babyl. cap. de Sacramen. Ordinis*, Calvinus *lib.* 4. *inſt. cap.* 4. §. 2. Confeſſio Auguſtana *fol.* 104., & alii; ergo. Contra hos ſtat Nicænum I. *Can.* 8., *&* 9., & SS. Patres; cum quibus D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 6. *ad* 1., *&* 4. *contra Gentes cap.* 75., *&* 76.

In pluribus aliis proſequi poſſemus comparationem; prædicta tamen ſufficiunt; unde ſatis aperte conſtat præſentem Proteſtantium Synagogam eandem eſſe cum primorum Hæreticorum turbis, adeoque filios Diaboli eſſe, non Chriſti.

94 Argumenta, quæ proferunt Proteſtantes, & diviſim congerit Witakerus *lib.* 7. *contra Duræum*, nullius prorſus ſunt roboris, & a Proteſtantibus etiam ſuis ſolvuntur. Ad hæc reducuntur. Quod Victor Papa primus exercuerit poteſtatem in exteras Eccleſias; quod Zoſimus, Bonifacius, & Cæleſtinus I. quæſierint Primatum ſuper Epiſcopos Aſiæ; quod Bonifacius III. primo inſcripſerit Romanam Eccleſiam Caput omnium aliarum; quod Gregorius Magnus titulum univerſalis Epiſcopi dixerit, a ſuis Prædeceſſoribus nunquam uſurpatum, & reprehenſo Joanne Conſtantinopolitano, quia illum uſurpavit, poſtmodum invexit eundem titulum in Romanam Eccleſiam. Sed hæc in *Tract. de Ordine* falſa eſſe oſtendimus; quod Siricius cœlibatum Sacerdotalem primus induxerit; quod Gregorius Magnus primo doctrinam Purgatorii tradide-

diderit; quod Caliſtus jejunium quatuor temporum inſtituerit; quod Innocentius III. in Concilio Lateranenſi myſterium Tranſubſtantiationis tradiderit, & unus confeſſionis auricularis fidelibus impoſuerit; quæ ſuis tractatibus ex ipſis Centuriatorum teſtimonio mera eſſe mendacia demonſtravimus. Pro nunc ipſorum verbis circa auricularem confeſſionem Controverſiam abſolvo *ex Cent.* 3. *col.* 177. *linea* 27., ubi -- Confeſſionem ma„gnopere urget Tertullianus de Pœnitentia. „Quod uſitata fuerit privata confeſſio, qua „debita, & cogitata quoque prava confeſſi „ſunt Chriſtiani; quod ex aliquot Cypriani „locis apparet, ut in libro de lapſis -- *Lib.* 3. *epiſt.* 14., *&* 16. -- ubi diſerte ait in mi„noribus etiam peccatis, quæ in Deum „committuntur neceſſe eſt ad Exomologeſim „venire, idque frequenter jubet -- *lib.* 1. *epiſt.* 3.

DISPUTATIO QUINTA.

AN ECCLESIA ROMANA DECLINAVERIT IN ANTICHRISTIANAM.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN ANTICHRISTUS SIT ALIQUA SINGULARIS PERSONA.

IN præcedentium Diſputationum Controverſiis naturam examinavimus Eccleſiæ Militantis, Proprietates, & Notas. Demonſtravimus per applicationem earundem ſolam Eccleſiam Romanam eſſe legitimam Chriſti Sponſam, in qua ſola eſt portus ſalutis. Oſtendimus ceteras Sectas eſſe Synagogas Satanæ, in quibus certum eſt æternæ ſalutis naufragium. Cum tantæ veritatis lumen nequeant Acatholici negare, ſtudent toto niſu obſcurare, & quod obtinere ratione non poſſunt, ſaltem contumeliis extorquere conantur. Hinc confitentes Romanam Eccleſiam aliquando fuiſſe legitimam, blaſphemant nunc tranſiiſſe in Antichriſtianam; pro qua contumelia repellenda diſtinctam Diſputationem conficere ſatius duxi.

Proteſtantes ad unum omnes patulo eructant ore Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum in Scripturis prædictum, ea propter abs re plane foret loca, & Patronos referre. Videri poterit Calvinus *lib.*4. *inſtit.cap.*2. §.24., *&* 25. Luth. *in aſſert. art.* 28., *&* 36. Magdeburg. *Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4., & ſequentibus Centuriis paſſim. Illyricus *lib. de Primatu*. Beza *in comm.* 2. *Theſſal.* 2. Bullingerus *in præfat. in homil. in Apocalypſim*. Jacobus Rex Angliæ *in præfat. ſua ad Principes*, & alii communiter, quos præceſſit Wicleph. *art.* 30. *ex damnatis in Concilio Conſtantienſi Seſſ.* 8. Quia tamen in hoc non ratiocinari, ſed delirare manifeſte deprehenduntur, non eo fine Controverſiam movemus, quia aliquid reflexione dignum objectent, ſed propter utilitatem, quam inde haurimus in explicatione Scripturarum, & eorum quæ de Antichriſto differuntur.

1 Ut igitur ad præſentem Controverſiam deveniamus noto I. nomen Antichriſti dici ea contrarietate ad Chriſtum, ſicut ex Fontibus Hebraicis, Angelus, qui a Deo apoſtatavit, Satan dictus eſt, ideſt Deo contrarius. Hanc legitimam eſſe appellationem Scriptura docet 1. Joan 2. *Quis eſt mendax, niſi is qui negat, quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* Negare autem Chriſtum eſt Chriſto eſſe contrarium, & cap. 4. *Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus*; ſolvere Jeſum non aliud eſt, niſi eidem adverſari. Per eandem contrarietatem Antichriſti ad Chriſtum explicatur caput Danielis 9. Matth. 24. Joan. 5. 2. ad Theſſalon. 2., ſub qua appellatione a Patribus deſcribitur. Hilarius *contra Auxentium* -- Nominis Antichriſti pro„prietas eſt Chriſto eſſe contrarium -- Hieronymus *Epiſt.* 151. -- Ipſe eſt enim univer„ſorum perditio, qui adverſatur Chriſto; & „ideo vocatur Antichriſtus -- Aug. *tract.* 3. *in* 1. *Joan.* -- Latine Antichriſtus contrarius „eſt Chriſto -- Sic alii ſimiliter. Quare temere, & arbitrarie Hæretici Antichriſtum Vicarium Chriſti dictitant, cum Vicarius ſubordinationem, non oppoſitionem importet, & ex hoc ipſo falſo Papam Antichriſtum aſſerere convincuntur.

Antichriſtus Chriſti adverſarius.

2 Noto II. Sicut datur unus Chriſtus per Antonomaſiam, & in ſenſu proprio principali, Joan. 4. *Scio, quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus)*, & plures per derivationem, ſeu participationem, & aſſimilationem (ut indicatur Pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos*): ita datur unus Antichriſtus per Antonomaſiam, plures verò per aſſimilationem. De primo dicitur Danielis 11. *Nec quemquam Deorum curabit, quia adverſum univerſa conſurget*. De ſecundis habetur 1. Joan. 2. *Audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt*. Et alibi Chriſti dicuntur Prophetæ, qui veritatem prædicarunt, & Antichriſti, qui falſa dogmata protulerunt, ut habet Hieron. Nahum. 2. Et Cyprianus *epiſt.* 75. aſſerit Joannem -- Univerſos, qui „de Eccleſia exiſſent, quique contra Eccle„ſiam facerent, Antichriſtos appellaſſe -- Aug. *contra adverſarium legis cap. ultimo.* ubi habet -- Deus enim verus eſt, in cujus Tem„plo falſus ille ſeſſurus eſt; ad quem perti„net etiam iſte, quem ſub nomine Chriſti, „quod eſt nomen Dei, hoc eſt, Chriſtia„num ſe videri volens, ſuperextollitur con„tra Chriſtum, ſeque oſtendit Antichriſtum, „non unum illum majorem ceteris, ſed ex „his

Antichriſtus per aſſimilationem.

„ his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangeliſta. Nunc Antichriſti multi facti ſunt. Eos enim dicebat Hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum eſſe jam cœperant. Hi autem cœperunt eſſe poſt Aſcenſionem duntaxat in cœlum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ab illo Simone Mago, quem legimus in Actibus Apoſtolorum baptizatum -- Sic & alii de Antichriſto. In ſenſu primario procedit Controverſia. Quibus notatis, venio nunc ad reſolutionem difficultatis. Proteſtantes ut ſuum prætenſum pontificium inducant Antichriſtum, fingunt Antichriſtum non eſſe ſingularem Perſonam, ſed Regnum aliquod ſingulare Tyrannicum; ſic præcitati ſupponunt. Demus pro omnibus verba *Cent. prima lib. 2. cap. 4. col. 435.* -- Docent Apoſtoli, „ Antichriſtum non fore unam tantum Perſonam, ſed integrum Regnum per falſos Doctores in Templo Dei, ideſt in Eccleſia Dei præſidentes, in Urbe Magna, ideſt in Romana Civitate, opera Diaboli, & fraude, ac deceptione comparatum --

Dicendum tamen Antichriſtum eſſe Perſonam ſingularem.

3 PROB. I. Magdeburgenſes, Calvinus, Beza pro ſe citant textum Danielis 7. ubi, deſcripta quarta Beſtia habente decem cornua, quæ ſignificant decem Reges, habetur: *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & ſermones contra Excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret, & putabit, quod poſſit mutare tempora, & leges &c.* Sed locus iſte loquitur de Perſona Particulari; id enim exprimit terminus ille *alius*, id indicat contrapoſitio particularis ad alios decem, id demonſtrat temporis brevitas ſequentibus expreſſa: *Et tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*; id manifeſtum facit diverſitas locutionis, qua quatuor Beſtias expreſſe appellat quatuor Regna, cornua autem quartæ Beſtiæ, Reges aſſerit; id ſignat cornu parvulum de medio illorum exortum, de quo dicitur: *Et ecce oculi quaſi oculi hominis in cornu iſto, & os loquens ingentia*. Hoc cornu Antichriſtus eſt, ideo poſt illud deſcribitur dies Judicii; & ideo: *Cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis*. Et tandem declaratur, tum ibi, tum *cap. 12.*, ut nullum habens ſucceſſorem; ergo non eſt Poteſtas aliqua Regnativa. Sic Irenæus *lib. 5. adverſus hæreſes*, Hieron. *in 7. Danielis*, Aug. *de Civit. lib. 20. cap. 23.* Theodoretus *in comment. de Antichriſto* textum intelligunt, ſic & alii Patres.

Antichriſtus ſine ſucceſſoris.

4 PROB. II. Illa verba Chriſti Joan. 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*, de Antichriſto loquuntur: ſed non loquuntur de Antichriſto in generali, prout complectitur Pſeudoprophetas; ergo de aliqua perſona particulari. Major patet ex Textu, agit enim de contrario ipſimet Chriſto. Min. quam negat Adverſarii, ut Muſculus, & Calvinus, oſtenditur ex contextu. Verbum illud *alius*, & *illum*, ſunt termini demonſtrativi ſingularis individui, ſed ſingulare individuum non eſt communitas plurium; ergo. Secundo. Textus agit de eo, quem recipient Hebræi pro Meſſia, ſed Hebræi non expectant plures Meſſias; ergo. Tertio. Textus agit de venturo in nomine ſuo, non autem in Nomine Dei; proinde non loquitur de aggregato falſorum Prophetarum; hi namque quamvis non miſſi a Deo veniunt tamen ſub prætenſo nomine Dei juxta illud Jeremiæ 14. *Falſo Propheta vaticinantur in nomine meo: non miſi eos*: Quarto. Textus directe opponit venturum Chriſto ut ſingulari perſonæ; id enim ſonant: *ego*, *alius*, *nomine Patris mei*, *nomine ſuo*: ſed Chriſtus ut ſingularis Perſona non eſt vel Regnum aliquod, vel aggregatum omnium Prophetarum; ergo. Quinto. Textus agit de recipiendo ab Hebræis in futuro, ſed plures Pſeudoprophetæ venerunt ſub temporibus Chriſti, quorum nullum uſque adhuc receperunt Hebræi; ergo non loquitur de aggregato Pſeudoprophetarum. Hinc de Antichriſto velut perſona particulari explicant Cyrillus *Catecheſi 15.*, & 22. Chryſoſtomus *in hunc locum*. Amb. *in Pſal. 43.*, & *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 14.* Aug. *tract. 29. in Joan.*, Hieronymus *in epiſt. ad Algaſiam*. Irenæus *lib. 5.* Theodoretus *in epiſt. Divinorum Decretorum de Antichriſto*. D. Thom. *in hunc locum*.

Chriſtus Antichriſtum innuit ut ſingularem perſonam.

5 PROB. III. Verba Pauli 2. Theſſalonic. 2. v. 3. *Ne quis vos ſeducat ullo modo; quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c.* de Antichriſto loquuntur, ſed aperte non poſſunt verificari niſi de perſona ſingulari; ergo Antichriſtus eſt perſona individua, non ſedes aliqua tyrannica. Major ita vera creditur ab Adverſariis, ut ibi contra nos aſſumant plura argumenta. Min. explicatur. Si loqueretur de aliquo Regno, maxime de Pontificio, ſicut Adverſarii jactant, ſed clare hoc eſt falſum; nam Paulus ibi admonet Theſſalonicenſes de errore, quem habebant: Credebant enim inſtare diem Judicii, a quo ut averteret, dat ſignum, quando inſtabit dies Judicii; ergo &c. Secundo. Quater repetit Paulus articulum demonſtrativum *ille*, *qui*, & apud Latinos, & potiſſime apud Græcos dicta verba ſignificant individuam perſonam; ergo. Tertio. Illæ Antitheſes *Homo peccati*, *filius perditionis*, *qui adverſatur*, *ille iniquus* abſque violentia nequeunt applicari collectioni plurium ſuccedentium in uno Regno; ergo &c. Quarto. Moraliter implicat multiplici, & diuturnæ perſonarum ſucceſſioni uniformiter convenire identitatem morum, & portentorum: atqui ibi deſcribitur Antichriſtus ſub omnimoda identitate pravorum morum, & portentorum -- *Homo peccati*, *filius perditionis*, *qui adverſatur*, & *extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*, *aut quod colitur*, *ita ut in Templo Dei ſedeat*, *oſtendens ſe tanquam ſit Deus &c.*, *cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute*, & *Signis*, & *Prodigiis mendacibus &c.* Et revera ſi de Throno Pontificio hæc dicantur, manifeſtæ falſitatis redarguuntur.

Scriptura Antichriſtum refert ut perſonam particularem.

Quinto. Deſcriptus a Paulo eſt unus omnino ſingularis ſuper omnes exaltatus, ſed non poteſt hoc verificari de potentia aliqua

in

Digitized by Google

in ſucceſſoribus regnativa; ergo. Major eſt manifeſta: *Extollitur ſupra omne quod dicitur Deus &c. oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Min. eſt evidens; nam qui in eodem Regno ſuccedunt ſub eadem poteſtate, ſunt æquales dignitate, & officio, nec unus eſt ſupra alium. Demus Gregorium Magnum fuiſſe primum hujus lineæ, ſicut quidam ex Proteſtantibus dicunt; ergo dixit ſe Deum; ergo exaltavit ſe ſupra quod dicitur Deus: quomodo ergo hoc idem verificabitur de Bonifacio III., & IV., de Honorio I., & ſequentibus? Hæc eſt doctrina communis SS. Patrum. Sic Irenæus *lib. adverſus hæreſes cap.* 25. Hyppolitus *Orat. de conſummat. mundi* Ephrem *tract. de Antichriſto*. Cyrill. Jeroſol. 15. Lact. *lib.* 7. *Divinarum Inſtitut. cap.* 16. 17. 18. 19. Proſper *in dimidio temporum*. Amb. *lib.* 10. *in cap.* 21. *Lucæ*, ubi tres diſtinguit Antichriſtos, Diabolum, Hæreticos, & illum ſpecialem, qui perſequetur in fine Mundi Eccleſiam. Et alii paſſim.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

6 OBJIC. I. Beza *Danielis* 7. In quatuor Beſtiis deſcribuntur quatuor Regna, per Leænam denotatur Regnum Chaldæorum, per Urſum Regnum Perſarum, & Medorum, per Pardum Regnum Græcorum, per quartam Beſtiam terribilem Regnum Romanorum, in decem cornibus decem Reges dividentes Imperium Romanum in decem Regna; ergo in Cornu parvo deſignari debet Regnum Antichriſti, quod hominem peccati appellat Paulus, quia velut unum corpus ſuccedentium reputatur.

RESP. Concedo antecedens: neg. conſeq. In decem etiam cornibus ſignificantur decem Regna expreſſa per primos Reges, conſtituentes exordium lineæ, in cornu verò parvo unus exprimitur, non ut conſtituens lineam, ſed ut incipiens, & finiens Regnum. Hinc eſt, quod aliorum Regnorum tempus durationis non aſſignatur, ſecus ultimi, & quidem breviſſimum. Unde in decem cornibus optime cogimur Regna intelligere, in cornu autem parvo ſingularem perſonam.

Homo peccati ſingularis homo.

Ulterius mores ſpecialiter parvi cornu explicantur, qui non poſſunt, niſi de ſingulari perſona explicari, quod non fit de aliis. Paulus verò ad ſenſum ab Hæretico intentum trahi nequit; quia veritates clarius explicantur per verba, quam per Imagines figurarum; figuræ enim aſſumuntur, quaſi ad libitum Scriptoris, unde idem Daniel. cap. 8. in Ariete exprimit Darium Regem, non Regnum, in Hirco Alexandrum, ſecus verba, quia non ſignificant ad cujuslibet placitum. Deinde Paulus illum hominem peccati dat pro ſigno certo, & noto inſtantis Judicii: at ſi Regnum intelligeret, in quo plures ſuccederent, incertiſſimum daret ſignum.

7 OBJIC. II. Beza, & Calvinus. Vel dicendum eſt unum hominem a tempore D. Pauli uſque ad diem judicii ſuperſtitem futurum, vel Antichriſtum non eſſe ſingularem perſonam; atqui primum eſt omnino ridiculum; ergo ſecundum verificari debet. Major explicatur: Paulus 2. ad Theſſalon. 2. poſtquam dixit non venturum diem ultimum, niſi cum revelatus fuerit homo peccati, ſubdit: *Et nunc quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore, nam Myſterium jam operatur iniquitatis: tantum, ut qui tenet nunc, teneat, donec e medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus*. Vult ergo Paulus ſuam iniquitatem operari cœpiſſe Antichriſtum, prope autem diem Judicii conſummaturam; ergo neceſſe eſt, vel unam perſonam tot ſeculis duraturam, vel unum Regnum eſſe.

RESP. Neg. maj. cujus probatio nihil evincit, quamvis D. Aug. *lib.* 20. *de Civit. cap.* 19. de textu illo Pauli hæc protulerit: *Ego prorſus, quid dixerit, me fateor ignorare.* Antichriſtus conſiderari poteſt vel in ſuo typo, vel in ſua realitate, ſeu in veritate, Antichriſtus in ſuo typo eſt Diabolus adverſus Eccleſiam, & Sanctos ejus per ora Hæreſiarcharum, & manus perſequentium Tyrannorum agens. Antichriſtus in veritate eſt illa realis perſona, quæ ante diem Judicii inſurget contra Deum: & ſicut *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*. Heb. 1., ideſt præceſſit Chriſtus in typo, ſubſecutus eſt in veritate; ita in typo jam extabat Antichriſtus tempore Pauli in Simone Mago, in Elima Mago, in Pſeudoprophetis, & lupis rapacibus, quorum meminit Actur. *cap.* 20. in Idololatris Miniſtris Neronem excitantibus in occiſionem Chriſtianorum. Hæc eſt communis Sanctorum Patrum interpretatio, quam ipſa Textus conſtructio ſatis aperte indicat. Audiamus D. Aug. *lib. contra adverſarium legis cap. ultimo* -- Deus verus eſt, in cujus Templo falſus ille (ideſt verus Antichriſtus) ſeſſurus eſt, ad quem pertinet etiam iſte (hoc eſt adverſarius legis) qui ſub nomine Chriſti, quod eſt nomen Dei, hoc eſt, Chriſtianum ſe videri volens, ſemper extollitur contra Chriſtum: ſeque oſtendit Antichriſtum, non unum illum majorem ceteris, ſed his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangeliſta: nunc Antichriſti multi facti ſunt; eos enim dicebat Hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum eſſe jam cœperant--Quibus aperte habes Antichriſtum per imitationem, & per Antonomaſiam, primum in Hæreticis comprehendi, ſecundum in perſona ſingulari, primum incœpiſſe ſub Apoſtolorum temporibus, ſecundum venturum ſuo tempore.

Diabolus eſt in typo Antichriſtus.

Audiamus Theodoretum *in* 2. *Theſſal.* -- Ego exiſtimo Apoſtolum per Myſterium iniquitatis ſignificare hæreſes, quæ exortæ ſunt. Per illas enim multis a veritate abductis præparat Diabolus exitium deceptionis. Eos autem appellavit Myſterium iniquitatis, ut qui haberent celatum iniquitatis laqueum; ipſe enim (ideſt Antichriſtus) aperte a Deo abducet homines; quamobrem etiam revelationem ejus, adventum vocavit Apoſtolus -- Videatur D. Thom. in hunc locum.

Expendendæ ergo ſunt contrapoſitiones in textu Pauli: *Myſterium, & revelatio iniquitatis, & ille iniquus*. Myſterium de præſenti,

ſenti, Revelatio de futuro, Iniquitas, & ille iniquus de futuro. Quibus manifeſte colligitur, Antichriſtum non eſſe Regnum aliquod Inceptum, ſed perſonam particularem. Mentem hanc eſſe Apoſtoli evincimus hoc alio diſcurſu. Proteſtantes volunt nullum alium adventum Antichriſti dari, niſi illum, qui incœpit ſub temporibus Apoſtolorum; voluntque hunc eſſe in Sede Pontificia, in qua, cum tunc non ſederet niſi Petrus, cui adhærebat Paulus, jam Petrus, & Paulus ad Regnum Antichriſti pertinebant, & Simon Magus, & Elimas ad Chriſtum ſpectabant, quod eſt abſurdum.

Deinde Apoſtolus dicit in adventu Antichriſti mittendam illuſionem iis, qui deſerent Charitatem: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio*. Non dicit, mittit in præſenti, vel miſit in præterito, ſed *mittet* in futuro; non ergo intelligit adveniſſe Antichriſtum. Quid autem velit intelligere illis: *Nunc quid detineat, ſcitis &c. ut qui tenet nunc, teneat, donec e medio fiat*, quæ viſa fuerunt D. Aug. obſcura, explicat Hieron. *Epiſt.* 151. *ad Algaſiam quæſt.* 11. dicens -- Nec vult aperte dicere, Romanum „ Imperium deſtruendum. quod ipſi. qui imperant, æternum putant &c. Si enim aperte, audacterque dixiſſet: non veniet Antichriſtus, niſi prius Romanum deleatur Imperium, juſta cauſa perſecutionis in orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur -- Debet deſtrui totaliter Imperium Romanum, antequam veniat Antichriſtus, abſque dubio ex D. Paulo ibi. Sed ne Neronem concitaret ulterius, noluit id aperte in ſcriptis dicere. Inſinuaverat tamen illis oretenus, ut conſtat verſiculo 5., cui alludit illis: *Nunc quid detineat ſcitis*. Alius ſenſus litteralis eſt textui, & doctrinæ Pauli conſonus, ſcilicet detineri Antichriſti adventum, quia prius neceſſe eſt, ut præcedant ceteri perſecutores Eccleſiæ, & qui nunc tenet, teneat, ideſt ut electi fideles, conſtantes probentur. Et ſenſus idem eſt cum eo ad Corinth. 11. prioris Epiſt. verſ. 19. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Videatur D. Thom. *in hunc locum*.

Rom. Imperii ante Antichriſti adventum deſtruendum.

8 OBJIC. III. Calvinus *in cap. 2. prima Joan.* Antichriſtus (ex Divo Paulo ibidem) Caput debet eſſe Apoſtaſiæ venturæ, ſed Apoſtaſia eſt quædam generalis defectio a fide, quæ unum corpus, & unum Regnum facit; ergo debet per plura ſecula compleri, adeoque non ſub uno Rege; ergo Antichriſtus non eſt una perſona ſingularis.

RESP. Argutiam iſtam eſſe ſatis craſſam. Si ſtemus Græcis Interpretibus, & Sanctis Patribus Antichriſtus ipſe eſt Apoſtaſia, ita dictus in abſtracto propter excellentiam inter Apoſtatas: ſicut Mater Dei dicitur in abſtracto Virginitas in Canticis Eccleſiaſticis ob excellentiam in ea virtute. Quare Apoſtaſia eſt unus titulus Antichriſti, ſicut alii ſequentes. Siſtamus majori Latinorum calculo, pro defectione intelligitur abſoluta Romani Imperii ante Antichriſti adventum exequenda deſolatio. Sed demus Calvino intelligi defectionem a fide, non inde probat eſſe plurium annorum, & Regni unius; deſcripſit enim nobis Chriſtus, qualis ſit futura illa defectio paucis illis diebus, ſcilicet maxima ex eo quod occulti Hæretici, & ficti Chriſtiani in aperto ſtabunt pro Antichriſto, & plures ex bonis deficient ob ſævitiem, & Signorum illuſionem deficient, ideo abbreviabuntur dies illi propter electos.

9 OBJIC. IV. Jacobus Rex. Mulier fornicaria Beſtiæ inſidens, Apocalypſis 17. deſignat Sedem alicujus Imperii, continuatam habentem ſucceſſionem, ſed Beſtiæ inſidens eſt Antichriſtus; ergo Antichriſtus debet eſſe potentia aliqua ſucceſſive regnativa. Nam implicat ſedentem eſſe ſucceſſionem Regum, & Beſtiam non eſſe Regnum, in quo illi regnent. Maj. oſtenditur. In fine cap. dicitur: *Et Mulier quam vidiſti, eſt Civitas magna, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ*. Quibus etiam verbis indicatur Civitas, ubi moratur: ex quo deducitur Urbem hanc eſſe Romam, & Sedem Pontificiam eſſe Antichriſtum, cui ut accomodentur, quæ de ſeptem Regibus ibi dicuntur, ait Rex: In ſeptem Regibus deſignari ſeptem formas Regiminis quas habuit Romana Civitas, & diſtribuit ſic. Primo Reges, deinde Conſules, poſtea Dictatores, quarto Decemviros, quinto Tribunos Militum, ſexto Imperatores, ſeptimo, quæ nondum venerat, quando Joannes ſcripſit, & exiguo tempore erat Regnatura: *Eccleſia eſt Epiſcoporum, quæ tranſlationem Imperii Romani Conſtantinopolim ſubſecuta eſt*.

Verum hæc ſpeculatio arbitraria eſt, uſque adhuc nedum apud Patres, ſed etiam apud Hæreticos ipſos incognita, & contra omnem Hiſtoriam profanam, & inconſona textui Scripturæ. Uſque adhuc nos docuerunt monumenta omnia Romanæ Gubernationis tres tantum fuiſſe formas, Regum, Conſulum, Cæſarum. Conſulatus ſemper perſeveravit a Regibus uſque ad Cæſares; & alii tituli erant quædam additamenta pro aliquo tempore, vel occaſione: V. g. Dictatores durabant ſex menſibus, vel toto tempore, quo perſeverabat motivum eoſdem eligendi, Decemviri ad leges ferendas, vi regnativa perſeverante in Conſulibus, durabant triennio. Tribuni Militum fere a Conſulibus non diſtinguebantur, ſed erant ſic dicti, quia a Plebe aſſumpti.

Sed clarius errat in textu. Septimum Regem appellat Regimen Pontificum a Sancto Sylveſtro uſque ad Bonifacium III., quo tempore Roma ex toto Chriſtum colebat, non Idola, ſi pauciſſimi excipiantur. Quomodo ergo tunc Beſtia erat plena nominibus blaſphemiæ. Ulterius, Regimen illud duravit 270. annis; quomodo ergo verificatur Scriptura dicens de ſeptimo Rege: *Oportet illum breve tempus manere*. Eo vel maxime, quod prima forma Regiminis duravit ſolum 240. annis, & aliæ tres formæ duraverunt ſimul ſumptæ 478. annis: Unde nullo modo verificatur tempus ſeptimi regis fore breve.

Legitima, & plana, & communior, & Patribus conſona expoſitio illa eſt, quam proſequitur D. Thomas *in 17. Apocalypſis*, ubi de verbo ad verbum, mirifice omnia accomodat. Scilicet, in Meretrice intelligitur

Regnum Meretricis Babylonica regni iniquitatis.

Uni-

Univerſalitas iniqnitatis, quæ aquas, ideſt Populorum multitudinem abſorbuit. In ſeptem Regibus intelliguntur ſeptem Mundi Ætates. Prima ab Adam ad Noe. Secunda a Noe ad Abraham. Tertia ab Abraham uſque ad Moyſen. Quarta a Moyſe uſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta a tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum: & hi quinque Reges jam non ſunt. Seata a Chriſto uſque ad Antiehriſtum. Septima ab Antichriſto ad finem Seculi, de qua verificatur brevi fore duraturam. Beſtia octava eſt Diabolus operans in membris, & per membra ſua iniquitatem: & fuit ſub illis quinqoe ætatibus, quia ſolutus, ſed non ſic tempore Chriſti, quia debilitatus, & ligatus; cum dixerit Dominus Jo. 12. *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras*; ſed iterum ſolvetur tempore Antichriſti, clauderurque in Abyſſo. Videatur Divus Thomas.

- 10 OBJIC. V. Illyricus ad idem. Civitas Magna ab Apocalyp. ibidem deſcripta, eſt Roma, quia vocatur Babylon, quæ cecidit cap. ſequenti; ergo in Beſtia intelligitur Sedes Pontificia, & ipſa erit Antichriſtus. Anteced. probat. quia Tertullianus *in libro adverſus Judæos*, *& lib. 3. adverſus Marcionem* Romam vocat Babylonem: & Hieronymus pariter ad Algaſiam.

Roma quando vocata Babylon.

Quidquid ſit, an de Urbe Romana loquatur; ſatis enim difficiliter applicantur, quæ ibi dicuntur, & nihil evincunt. Quotquot enim Patres Romam Babylonem appellant, de Gentili ajunt, non de Chriſtiana; & quia locis Tertulliani, & Hieronymi fidunt, ab iiſdem convincuntur. Tertullianus -- Babylon apud Joannem noſtrum Romanæ Urbis figura eſt; proinde Magnæ, & Regno ſuperbæ, & Sanctorum Dei debellatricis -- quæ de Gentili ſolum verificantur, quæ ſanguine Martyrum ebria fuit. Hieronymus expreſſe ad Algaſiam de Romano Imperio loquitur, quod æternum putabant Gentiles, *lib. 2. adverſus Jovinianum* Purpuratam Meretricem dicit Romam, quæ Jovem, Divum, hominumque parentem colebat, quam interpellans, ſic habet -- Ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte Blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti Urbs potens. Urbs Orbis Domina, Urbs Apoſtoli voce laudata &c. -- Et Marcellam invitans ad Præſepe Domini, declarat quomodo hæc Babylon cecidit -- Eſt quidem ibi, ait, Sancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum, & Martyrum; & Chriſti vera confeſſio; eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & Gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum --

CONTROVERSIA II.

AN ANTICHRISTUS SIT PURUS HOMO.

AD plenam Antichriſti cognitionem examinare oportet, qualis erit hæc perſona particularis. Hippolytus *lib. de conſummatione Mundi* ſentit futurum eſſe Dæmonum Principem in humana natura apparentem. Theodoretus *lib. 5. Divinorum Decretorum capite de Antichriſto* videtur aſſerere eſſe Dæmonem Homini hypoſtatice unitum; quod poſſibile tenet Origenes *lib. 5. in Joannem*, ubi aliquos Angelos ſtatuit incarnatos.

Sed dico. Antichriſtus erit homo purus.

11 PROB. prima pars, quod erit homo: Primo. Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. v. 3. ex communi Patrum interpretatione loquitur de Antichriſto, ſed eum vocat ſimpliciter hominem; ergo erit homo. Min. patet: *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*. Abſoluta autem locutio ſine evidenti inconvenienti, vel altera aperta Scriptura in contrarium diſtrahi non debet ad ſenſum improprium; valde enim differt nomen hominis a nomine Diaboli.

12 PROB. II. Perſona veræ mortis capax nequit eſſe Dæmon in aliena forma apparens, ſed Antichriſtus erit veræ mortis capax; ergo non erit Dæmon; ergo homo. Minor declaratur. Ibidem Apoſtolus ait: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui*; ſed interfectio veram mortem ſignificat; ergo. Declaratur. Apocalypſis 19. de Beſtia, & Pſeudupropheta habetur: *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure: & ceteri occiſi ſunt in gladio ſedentis*. Hic locus de Antichriſto accipitur communiter, ubi contraponitur mors Antichriſti, & ſocii ejus primarii, morti aliorum ſequacium, quod illos abſorbebit terra, alii occidentur ferro: unde ſicut hi vere vitam habebunt, & veram ſubibunt mortem, ita illi, qui vivere dicuntur, verè morientur.

Diabolus mortis incapax.

13 PROB. III. Ubi intercedit vera generatio ex muliere, genitus non poteſt eſſe Satanas, ſed homo: atqui communiter Patres docent Antichriſtum naſciturum verè ex muliere, & ipſe Hyppolitus putat futurum eſſe de Tribu Dan, pro quo Beda, Anſelmus, Rupertus *Apocal.* 7. Theod. *quæſt.* 109. *in Geneſim*. Amb. *lib. de Benedict. Patriarch. cap.* 7. Aug. *quæſt.* 22. *in Exodum*. Proſper *in dimidio temporis cap.* 9. Greg. *lib.* 31. *Moralium cap.* 18. Irenæus, Damaſcenus, Eucherius, aliique putant fore Judæum, ſolentque applicare illud Geneſis 49. *Fiat Dan Coluber in via, Ceraſtes in ſemita*, & Jerem. 8. *A Dan auditus fremitus Equorum*: inferentes fore ex Tribu Dan. Unde volunt quidam Joannem in Apocalypſi cap. 7. in deteſtationem Antichriſti omiſiſſe Tribum Dan. Hebræum futurum clare evincitur. Nam Antichriſtum recipient Judæi pro Meſſia, quem expectant, ſed non expectant Meſſiam, niſi ex progenie Judæa; ergo Judæus erit. Maj. patet ex loco Joannis ſuperius cit. Et Paulus fatetur mittendum ad eos, qui Chriſtum noluerunt recipere, ſed ſolum Judæi Chriſtum ſuſcipere noluerunt Gentiles namque eum ſuſcepere.

Antichriſtus ex Tribu Dan.

Ulterius, Judæi expectant Meſſiam in potentia temporali, ſed Antichriſtus ſic veniet; ergo illum recepturi ſunt, cum ſint hoc animo parati. Chriſtiani Antichriſtum expectant in timore; Gentiles nullum expectant. Quapropter, ut eos clarius decipiat, circumcidetur,

Antichriſtus circumcidetur.

detur, & Sabbatum ſanctificare curabit. Sic Ambr. *in ſecundum poſteriores ad Theſſal.* Hieronymus *in cap.* 11. *Danielis*. S. Martinus *apud Sulpitium lib.* 2. *Dialog.*, & alii. Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſ.* 15. addit -- Ut ipſe „ de progenie David eſſe videatur, qui Tem„ plum olim a Salomone extructum ipſe ſit „ ædificaturus -- Finget ſe Davidica ſtirpe, etſi ex Tribu Dan; erunt enim tunc temporis multo magis confuſæ Tribus Judaicæ, quam nunc; unde veritas de facili detegi nequibit.

Hinc apparet falſum eſſe, quod aliqui aſſerunt apud Henriquez *cap.* 23. naſciturum ex Monacho, & Moniali, cum apud Hebræos non detur hujuſmodi ſtatus; & aliunde id nullo rationabili fundamento probatur. Et multo magis falſum eſt naſciturum ex ſimplici Virgine, opere Diaboli, ſicut Chriſtus ex Beata Virgine. Hoc enim tranſcendit vires totius naturæ, eſtque maximum inter Miracula, quod, etſi poſſibile foret, nuſquam Deus permitteret propter ſingulare privilegium Auguſtiſſimæ Reginæ Cœlorum. Forte ex Dæmone incubo naſcetur, quod impoſſibile non videtur. Sed communior ſenſus eſt ex fornicaria oriturum: verum nihil hac ſuper re compertum habemus. Apud Patres certum eſt futurum ex gente Judaica, licet incertum ſit, ex qua Tribu, cum locus adductus ex Geneſi loqui videatur de Samſone Philiſtæos inſequente, & locus Hieremiæ de Nabuchodonoſor.

14 Oſtenditur pars altera. Primo. Secundum communiorem Theologorum ſententiam nulla perſona creata poteſt alienam terminare naturam; quia cum finita ſit, nequit continere, & ſupplere effectum proprium alterius ſuppoſiti, ſed perſona Diaboli eſt finita; ergo. Secundo. Data poſſibilitate talis unionis, omnes Scholaſtici Doctores tenent non eſſe poſſibile, niſi per reſpectum ad Divinam Potentiam, non autem virtute alicujus Creaturæ, ſed unio hypoſtatica Satanæ cum natura humana ſubterfugit Divinam Cauſalitatem; quia unio hujuſmodi in caſu ordinatur ex ſuo conceptu intrinſeco ad pravum finem, videlicet, ut detur homo diabolicus, omnem operans iniquitatem; ergo. Tertio. Non eſt inducendum ſpeciale miraculum, ubi ſine illo haberi poteſt totum id, quod cum illo intenditur: atqui ſine unione hypoſtatica Satanæ cum natura hominis, habetur quidquid intenditur, nam homo ſimplex valde pravus conſilio Dæmonis, ejuſque præſtigiis totum operari poteſt, quod in Scripturis deſcribitur faciendum ab Antichriſto. Quarto. Non eſt aſtruenda unio hypoſtatica Satanæ cum natura humana fini prætenſo inutilis, ſed unio hæc inutilis eſſet, nam non poſſet ad malitiam alio modo movere, quam nunc moveat ceteros homines; non enim poſſet habitus pravos, inclinationes, aſtutias proprias ipſius Dæmonis infundere; ergo. Quinto. Patres ſupponunt futurum hominem purum, ſed contra Patrum doctrinam non eſt aſtruenda unio extraordinaria Satanæ cum natura humana; ergo. Maj. eſt clara ex teſtibus Sanctorum, ubi de Antichriſto loquuntur. Damaſc. *lib.* 4. *cap.* 27. habet -- Neque „ verò, quemadmodum Dominus Humani„ tatem aſſumpſit, ita etiam Diabolus homo „ efficietur; abſit enim hoc, verus enim ho„ mo ex fornicatione parietur -- Theophilactus verba ad Theſſalon. verſans ait -- Non „ erit Satanas, ſed homo quiſpiam -- Chryſoſtomus *homil.* 3. *in locum Pauli ad Theſſal.* ait -- Non eſſe Dæmonem, ſed hominem „ quendam ſuſcipientem omnem ejus opera„ tionem -- Et ſic de ceteris, qui Antichriſtos vocant quoslibet Hæreticos, & Eccleſiæ perſecutores; ſingularem verò, & ceteris majorem appellant, proprie dictum Antichriſtum.

Diabolus nequit humanā terminare naturam.

15 OBJIC. I. Character proprius Satanæ non poteſt homini puro aptari, ſed Antichriſtus habebit characterem proprium Satanæ; ergo. Min. habetur 2. ad Theſs. 2. v. 4. his: *Et extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Hic porro ſuperbiæ gradus proprius eſt Diaboli.

Verum altior erit Antichriſti arrogantia; nam Diabolus ſuperbiens ſolam æqualitatem Divinitatis exquiſivit: *Similis ero Altiſſimo*: Antichriſtus verò ſupra Deum extolletur. Illa ergo verba ſupremæ ſuperbiæ vitioſitatem indicant, & nihil aliud.

Magna Antichriſti ſuperbia.

16 OBJIC. II. D. Ambr. *in ſecundum cap.* 2. *ad Theſſal.* aſſerit, Dæmonem ſub Chriſti nomine Antichriſti tempore vim omnem exercere ut homines ad ſui adorationem trahat; ergo ſentit futurum Dæmonem.

Sed hæc illatio non eſt ad mentem D. Ambroſ. Ita eſt: Utetur Diabolus Antichriſto, velut inſtrumento ad trahendos homines ad Idola colenda, per quæ ipſe loquetur, & adorabitur, ſicut fecit Gentilitatis ævo. Non tamen ſentit S. Doctor Antichriſtum fore ipſum Satanam.

Antichriſtus inſtrumentū Diaboli.

17 OBJIC. III. D. Hieronymus *in* 7. *Danielis* ait -- Putamus Antichriſtum unum „ eſſe de hominibus, in quo totus Satanas „ habitaturus ſit -- Idem Beda *in* 13. *Apocalypſis*; ſed hac phraſi incarnatio deſignatur ſicut & in iſta ad Col. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Ergo ex Hieron. Antichriſtus erit homo Satanas.

Fruſtra D. Hieronymus trahitur ad hunc ſenſum, qui ibi, & *cap.* 11., & alibi aperte purum hominem aſtruit. Illo loquendi modo excellentem iniquitatis operationem vult innuere; quo etiam ſenſu loquitur Damaſcenus, immediate ad verba ſuperius citata dicens -- Atque omnem Satanæ afflatum ſuſci„ piet. Deus etenim incredibilem quandam „ futuræ ipſius voluntatis perverſitatem præ„ noſcens, Diabolum in eo domicilium con„ ſtituere ſinet -- Sic & alii Patres.

Antichriſtus dicitur Satanæ habitaculum.

18 OBJIC. IV. Antichriſtus debet (ut Chriſto ſingulariter adverſarius) pro Meſſia haberi a Judæis, ſed Chriſtus eſt Deus homo; ergo Antichriſtus debet eſſe Diabolus homo.

Negari nequit, quod Antichriſtus Chriſtum ſimulabit, ſed ex hoc ipſo non debet eſſe Satanas homo; tunc enim in eo eſſet aliqua ſimilitudo in veritate excellentis Miraculi, quale eſt unio duarum naturarum in uno ſuppoſito. Chriſto ergo erit contrarius, quia fidem Chriſti deſtruet, & contra Chriſti cul-

Chriſtum ſimulabit.

cultores crudeliter ſæviet, prodigia falſa, & mendacia operabitur, & alia infra dicenda.

Apparenter magis validum argumentum efformari poteſt pro opinione ſuſtinente non eſſe purum hominem, ſed Satanam, ex cap. Apocalyp. 12. v. 12. ex cap. 16. v. 13., & 14., & cap. 20. v. 7. addita auctoritate SS. Hippolyti *Orat. de conſummatione Mundi*, & Cyrilli *Cathec.* 14. Addita auctoritate Rabani *de Antichriſto inter opera D. Auguſt.*

Solvitur tamen facile ſola Scripturarum expenſione, & præcipue ſecundum Commentarium D. Thomæ in illos Textus. Infertur ex dictis Romanum Pontificem non eſſe Antichriſtum, ita diſcurrendo. Sedes Pontificia non eſt Perſona ſingularis: Antichriſtus erit Perſona ſingularis; ergo Sedes Pontificia non eſt Antichriſtus. Antichriſtus erit ex gente Judæorum, ſed uſque adhuc nullus Pontifex fuit ex gente Judæorum, etiamſi fuerint ex qualibet alia natione; ergo Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus. Antichriſtum ſuſcipient Judæi velut Meſſiam, ſed uſque adhuc Judæi Pontificem Romanum averſantur, & in orationibus execrantur, eumque vocant pro contumelia *Caudam*; ergo Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus.

Rom. Pontifex non eſt Antichriſtus.

CONTROVERSIA III.

AN ELIAS, ET HENOCH SINT FUTURI DEFENSORES ECCLESIÆ TEMPORE ANTICHRISTI.

19 UT palam fiat Antichriſtum non veniſſe, adeoque non eſſe Romanum Pontificem, neceſſe eſt Signa referre, quibus in Sacra Scriptura demonſtratur tempus adventus illius, quæ ſolent reduci ad ſex capita. Primum eſt aperta Evangelii prædicatio per Univerſum Mundum. Secundum totalis Romani Imperii everſio etiam quoad nomen. Tertium adventus duorum Chriſti teſtium. Quartum graviſſima Eccleſiæ perſecutio. Quintum Regni Antichriſtiani brevitas. Sextum Judicii dies, Mundique finis. Quæ omnia examinanda ſunt diverſis Controverſiis. Placet tamen ob reverentiam Noſtri Protoparentis a duobus teſtibus incipere. Ad cujus claritatem

20 Noto I. Eliam adhuc corpore, & anima vivere, & ſimiliter Henoch. De Elia in hoc puncto nullus reperitur error. De Henoch autem opinio fuit quorundam Judæorum apud Sixtum Senenſ. *lib.* 2. *Bib.* mortuum eſſe ante tempus, ne malitia mutaret intellectum ejus. Sed utriuſque veritas apparet in Scripturis. De Elia 4. Regum 2. *Cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in Cælum &c. Aſcendit Elias per turbinem in Cælum.* Quæ locutio non ſignificat Eliam mortuum eſſe, ſed tranſlatum a communi commercio in locum aliquem ſolitarium. Eccleſ. 48. *Qui receptus es in turbine ignis &c. Elias quidem in turbine tectus eſt &c.*

Elias, & Henoch viventes in carne.

De Henoch. Gen. 5. habetur: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Ubi cum enumerentur generationes Adæ, & obitum, alios mortuos eſſe clare fatetur Scriptura; Henoch verò dicit eſſe tranſlatum, ut clarius 70. interpretantur. Et Eccl. 44. dicitur: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Quod expreſſius declarat Paulus ad Hebr. 11. *Henoch translatus eſt, ne videret mortem.* Quibus refellitur error dicentium translatum fuiſſe ad vitam Eremiticam, ibique deinde mortuum.

Quam veritatem communiter Patres agnoſcunt. Tertull. *lib. de anima cap.* 35., & 50. -- Translatus eſt Henoch, & Elias, nec „ mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet -- *Lib. contra Judæos cap.* 2. *de reſurrectione carnis cap.* 58. id ipſum docet. Hieron. *Epiſt.* 61. *ad Pamachium* -- Henoch translatus eſt in „ carne, & Elias carneus translatus eſt in „ Cœlum, needum mortui, & Paradiſi jam „ Coloni. Habent quoque membra, cum „ quibus rapti ſunt, atque translati -- Aug. *lib. de peccator. meritis cap.* 3. -- Neque He- „ noch, & Elias per tam longam ætatem „ marcuerunt -- *Lib.* 2. *de gratia cap.* 23. -- „ Quos tamen non dubitamus, in quibus nati „ ſunt, corporibus vivere -- Et alii apud Auctores videndi, qui eam aſſolent congruentiam Divinæ diſpoſitionis aſſignare, videlicet in exemplum, & ſpem reſurrectionis corporum tum eorum, qui ex præputio fuerunt, ex quibus Henoch, tum eorum, qui ex circumciſione, ex quibus Elias, conſervari.

21 Noto II. duos hos viros non eſſe translatos ad Cœlum Beatorum, nec clara frui viſione Dei, ut contendunt Rex Angliæ, qui etiam concedit eſſe glorificatos corpore, & anima, & Catherinus *Opuſculo de conſummata gloria Chriſti*, & Gaza *in Geneſim*.

Non fruuntur clara Dei viſione.

Et ſane abſque claro textu, vel inconvenienti in oppoſitum non eſt admittenda diſpenſatio in generali Scripturæ lege: atqui lex generalis eſt, quod nullus glorificetur non præmiſſa ſeparatione Corporis a ſpiritu; ergo. Minor habetur 1. ad Corinthios 15. *Inſipiens tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur &c. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Ubi declaratur corpus non eſſe glorificandum, niſi prius corrumpatur; quod ſi datum non eſt Chriſto capiti electorum, qui dicitur Primogenitus Mortuorum, & Primitiæ reſurgentium, nec Servis ejus concedendum eſt: qui ſi Corpore non glorificantur, neque Spiritu, cum ex gloria Animæ conſequatur gloria Corporis.

Corpus corrumpendum, ut glorificetur.

22 Hinc Irenæus *lib.* 5. ait -- Henoch, „ & Eliam ibi manere, conſpicantes incor- „ ruptelam &c. In Paradiſo, ubi primo po- „ ſitus eſt homo -- Hic autem non eſt locus glorificatorum, ſed terreſtris voluptatis. Auguſt. *loco cit. de remiſſ. peccat. cap.* 1. immediate ſubdit -- Nec tamen credo eos jam „ in illam ſpiritualitatem corporis immuta- „ tos, qualis in reſurrectione promittitur, „ quæ in Domino prima præceſſit -- *Lib.* 9. *Geneſis ad litteram cap.* 6. -- Nec arbitran- „ dum eſt Eliam, vel ſic eſſe jam, ſicut erunt „ Sancti, quando peracto operis die, dena- „ rium accepturi ſint -- Ubi etiam proſequens docet non habere ſtatum illum, neque quem

nos communiter habemus. Ambr. *lib. 4. de fide cap. primo* aperte explicat, nullum ſrui Deo ante Chriſtum, nec Eliam, neque Henoch, & poſtea concludens, ait — Translatus ergo Henoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cum corpore, ſed non cum reſurrectione, non cum manubiis mortis — hoc eſt, cum gloria mortem ſequente. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 34. de Henoch habet — Licet translatus ſit, non tamen conſtat, quod Deum comprehenderit — Gregor. Magnus *homil.* 29. *in Evangelium* docet — Eliam raptum eſſe in Cœlum aereum, ut in ſecretam quandam regionem terræ duceretur, ut in magna carnis, & ſpiritus quiete viveret, quouſque ad finem Mundi redeat, & carnis debitum ſolvat. Ille enim mortem diſtulit, non evaſit — Et ſimilia alii. An verò, cum careat dulcedine viſionis, fruatur privilegio meriti, videndi ſunt N. Salm. *de merito*.

Elias, & Henoch in gratia confirmati.

Noto III. duos hos viros eſſe confirmatos in gratia, quia dignum, & juſtum eſt, ut eximantur a periculo peccandi, cum juſti vixerint uſque ad illud tempus, quo lege ordinaria debuiſſent mortem ſubire in ſtatu ſalutis. Ob quam etiam rationem non ſubduntur communibus humanæ naturæ calamitatibus, nec illas patiuntur preſſuras, quibus corpus, quod corrumpitur, aggravat animam multa cogitantem, ac proinde corporis, & mentis pacifica, & jucunda tranquillitate fruuntur. Cibis corporalibus veſci, ideſt, fructibus ligni vitæ, docet D. Aug. *de peccatorum meritis cap.* 4., *& contra adverſarium legis cap.* 15. Idem ſentit D. Thom. 2. *ſent. diſt.* 29. *quæſt. unica art.* 5. *ad* 4.

Sine cibo, & potu vitam ducunt.

Negant Hieronymus *ad Pamachium*, & Epiphanius *hær.* 64., qui cibo ſpirituali uti affirmant: qui videtur convenientior viris ſpiritualioribus, & abſtractioribus a curis hujus vitæ. Sicut ergo Moyſen conſervavit Deus quadraginta diebus abſque cibo, & potu, ſolo verbo Dei, ita æque Deo facile eſt eos conſimiliter uſque ad diem Judicii conſervare.

Ubi degant, incertum.

Quo verò loco degant, incertum. S. Cyprianus *lib. de montibus Sina, & Sion* — Translatus eſt, ubi Deus ſcit — ait de Henoch. Triplex tamen circumfertur opinio. Prima tenet in Cœlo aereo degere; in hunc ſenſum interpretantes illud 4. Reg. 2. *Aſcendit Elias per turbinem in Cœlum*, & illud Eccleſ. 49. *Nemo natus eſt in terra qualis Henoch; nam & ipſe receptus eſt a terra*. Cui opinioni opponunt alii, locum congruentiorem corporibus ſublunaribus non eſſe cœleſtem, ſed terreſtrem. Secunda opinio docet degere in Paradiſo terreſtri, cum cap. 44. Eccleſ. de Henoch habeatur: *Translatus eſt in Paradiſum*. Cujus opinionis Patroni ſunt Irenæus *lib.* 5. *cap.* 5. Juſtinus Martyr *quæſt.* 85. *ad Orthodoxos*. Auguſt. *de peccatorum meritis cap.* 3. Hieron. *ad Pamachium*. Iſidorus *lib. de vita, & obitu Sanctorum cap.* 3. D. Thomas *ſuperius citatus*, & 1. *par. quæſt.* 102. *art.* 2. *ad* 3., & alii. Cui opponunt ceteri, nomen illud Paradiſi in Scripturis non ſemper ſignificare terreſtrem Paradiſum, ſed locum amœnitatis, ut Canticorum 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus*. Et Paradiſum terreſtrem non extare, ſed diluvio deletum. Tertia aſſerit degere in aliquo terræ ſecreto, ſed tamen amœno, & inter cetera eminentiori loco, & plurima ſunt hujuſmodi nobis incognita. Verum in his, quæ ad fidem non ſpectant, parum refert, quod hoc, vel illud dicatur. His notatis

Dico. Henoch, & Eliam tempore Antichriſti futuros eſſe fidei Defenſores.

23 PROB. I. Ex Apocal. 11. contra Antichriſtum futuri ſunt duo teſtes pro Chriſto ſpeciales, ſed hi non ſunt alii, quam Henoch, & Elias; ergo. Major habetur ex textu: *Et Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus: & dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis*. Loqui autem de Antichriſto patet ex contextu, & ideo poſt reponitur adventus diei ultimæ, & Mundi finis. Nec diffitentur Proteſtantes. Minor oſtenditur. Quia ſpecialis illa reſervatio in mortali corpore, ordinatur ad egregium aliquod facinus, & ad maximum Eccleſiæ bonum, ſed non videtur intelligendum aliud majus, quam illud extremæ perſecutionis contra Chriſtum; ergo. Eo vel maxime, quod modus loquendi Scripturæ ſupponit exiſtere duos illos teſtes, non autem eſſe tunc, vel alio tempore producendos; cui additur univerſorum Patrum traditio, quam infra dabimus.

24 Dices ex Rege Jacobo, duos illos teſtes non eſſe duos homines, ſed duo Teſtamenta, vetus, & novum, quæ teſtimonium ferent contra Antichriſtum; propter quod Antichriſtus curabit quantum poterit, ut illa ſupprimat, ac corrumpat. Deinde gradum faciens ad intentum concludit, duo teſtamenta corrupta eſſe a Romano Pontifice, qui humanas immiſcuit traditiones; & apocryphis ſcriptis, linguis peregrinis involvit: Scripturam Sacram appellando naſum cereum, regulam mortuam, & ſimilia.

Verum totum hoc eſt voluntarie dictum, nullo prævio Patrum teſtimonio, nec convenienti ratione, contradictoriis dictis innixum, & nullimode accomodatis ad litteræ conſonantiam. Nullo igitur prævio Patrum teſtimonio, quia etſi quandoque quidam myſticum dederint ſenſum, nullus tamen hoc ſomniavit, & nullus refugit litteralem ſenſum, qui primò eſt tenendus. Nulla convenienti ratione, quia nullam adducit, ſed fatetur ſe ſolas afferre conjecturas, quas tamen non affert, ſed præciſe voluntarias confingit applicationes. Contradictoriis dictis, quia Scriptura clare aſſerit adventuros hujuſmodi teſtes, quando Antichriſtus cœperit jam conculcare Sanctam Civitatem, ſed duo teſtamenta apparuerunt ante, & longe ad Antichriſtum, ut ipſe fatetur, ideſt, ante Boniſacium III.; ergo. Item Scriptura aſſerit duos teſtes prophetaturos tempore, quo Antichriſtus calcabit Sanctam Civitatem, & toto illo tempore nihil paſſuros, ut conſtat num. 5. Et paſſuri ſunt bellum poſt tempus prophetiæ: at Antichriſtus a Rege confictus toto tempore, quo durat, bellum movet adverſus duo Teſtamenta, nocet, corrumpit.

Ulterius. Vult Scriptura duos Teſtes poſt tempus prædicationis occidendos eſſe, & cada-

Digitized by Google

Rex Angliæ arbitrarius Scripturarũ interpret.

cadavera manſura in plateis tribus diebus cum dimidio: atqui Rex cogitur aſſerere ſimul vivos, & mortuos; quia illis mille diebus intelligit dimidiam hebdomadam ſpiritualem, ideſt, totum tempus intercedens a Bonifacio III., uſque ad finem Seculi; ſed tribus diebus nihil aliud intelligit, niſi illud idem tempus; nam cadavera eſſe in plateis derelicta intelligit eſſe Scripturam corruptam a Romanis Pontificibus. Pariter, Scriptura aſſerit poſt reſurrectionem duos Teſtes non amplius propheraturos: At in ſenſu Regis duo teſtamenta poſt reſurrectionem in ore Proteſtantium multo magis prophetant; ergo.

Demum litteræ non accomodatur: nam duos Teſtes interfectos eſſe vult, quia ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo prohibitæ ſunt editiones Scripturæ ab Hæreticis factæ. Quod ſi valeret, jam longe ante interfecti fuiſſent, cum ſemper Romana Eccleſia anathema indixerit Bibliis corruptis ab Hæreticis. Vult ideo cadavera dici jacere in plateis, quia Scriptura data eſt contemptui, ex quo Laicis prohibita eſt lectio, eo quod ignota lingua, ideſt Latina fuit abſcondita, quod tamen eſt falſum. Sed a quo tempore lingua Latina facta eſt ignota? Sufficit textum expendere, & aperte conſtabit totam ſeriem capitis huic expoſitioni repugnare; barbara deprehenderur, & adultera omnino Regis explicatio.

25 Dices II. Duos illos Teſtes eſſe Eccleſiæ Reformatores, ideſt Proteſtantes, qui binario numero ponuntur, quia pauci fuerunt; in ciliciis quia pœnitentiam prædicarunt; occiſos, quia plures crudeliter interfecti a Pontificiis; reſurrexiſſe in ſucceſſoribus; Miracula patraſſe, quia plurimas Provincias poſt ſe traxerunt. Ita Rex. Et David Citræus *in Commentario hujus loci*, addit, etiam pro reſurrectione intelligi poſſeſſionem Beatitudinis.

Ceterum interpretatio hæc plura errata continet, quam verba. Primo. In binario non poſſunt intelligi Proteſtantes, quia pauci: nam etiam ſub initio diviſi ſunt in plures Sectas. Secundo. Duo illi Teſtes deſcribuntur in ſuis perſonis exercentes pœnitentiam: atqui Proteſtantes ſaccum pœnitentiæ projecerunt a ſeipſis, & aliis prædicaverunt pœnitentiam non eſſe ad ſalutem neceſſariam. Tertio. Duos illos, qui prophetaverunt, ponit Scriptura occiſos a Beſtia: atqui omnes Proteſtantes non fuerunt gladio Romanæ Eccleſiæ occiſi, ut evidens eſt. Quarto. Ponuntur occiſi in Urbe, in qua Chriſtus crucifixus eſt, ſed uſque adhuc Jeroſolymis nullus Proteſtantium fuit combuſtus, vel occiſus. Quod ſi pro Jeroſolymis volunt Romam ſubſtituere, nullus ibi pariter ex primis, & primariis fuit occiſus, ſed ſolum quidam tranſfugæ puniti. Quinto. Scriptura affirmat, Cadavera Occiſorum manſura inſepulta tribus diebus cum dimidio: atqui nullus ab Eccleſia occiſus ex Proteſtantibus proditur manſiſſe ſic inſepultus. Sexto. Elias, & Henoch continebunt cœlum, ne det pluviam, & aquam convertent in ſanguinem, ſed nullum hujuſmodi profertur a Proteſtantibus patratum; aliàs Provinciarum perverſio miraculum non eſt; cum ſæpenumero contingat, quod mali ſocios inveniant, & doctrina ſenſui indulgens propagetur. Septimo. Illi ponuntur reſurrecturi coram aliis, cum timore videntium: ſed uſque adhuc nullus ex Proteſtantibus reſurrexit. Haberi verò imitatores non eſt reſurrectio, ſed prolificatio. Octavo. Poſt reſurrectionem voce ſenſibili vocati aſcendent in cœlum, inimicis videntibus, at nullus ex Proteſtantibus vocatus a Domino ad Cœlum aſcendit. Nono. In eorum aſcenſione terræmotus eveniet, quo media pars Urbis, & ſeptem millia hominum cadent: at uſque adhuc in glorificatione Proteſtantium nil horum contigit; ergo.

26 PROB. II. Elias in perſona venturus eſt ante, & prævie ad Chriſti adventum pro Mundo judicando, ſed non eſt venturus, niſi pro converſione Populorum ad veritatem ſuſcipiendam; ergo Elias futurus eſt Eccleſiæ defenſor ſub Antichriſti Regno. Totum argumentum habetur Malachiæ 4. his: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis; & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*: quæ Scriptura de die Judicii aperte loquitur, & de perſona reali Eliæ, qui advenire dicitur, ut Judæos ad Chriſtum, & Chriſtianos, qui defecerunt, convertat.

27 Dices Malachiam loqui de Elia metaphorice accepto, ideſt, de Joanne Baptiſta, ſic Domino explicante Matth. 17. ubi interrogantibus Diſcipulis. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportrat primum venire? At ille reſpondens ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum*. Tunc intellexerunt Diſcipuli, quod de Joanne Baptiſta dixiſſet eis. Et Matth. 11. *Omnes Prophetæ, & lex uſque ad Joannem prophetaverunt; & ſi vultis recipere: ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*. Ecce qualiter Chriſtus explicat de Elia metaphorico. Quare Malachias de primo adventu loquitur, qui horribilis dicitur propter paſſionem. Ita Rex poſt Bibliandrum *in ſuo Chronico*.

Scriptura de vero Elia loquitur.

Verum hinc magis elucet veritas. Malachiam loqui de Elia in Perſona, patet primo ex interpretatione 70. qui loco verbi *Prophetam* reponunt Thesbiten, quæ eſt phraſis demonſtrativa Eliæ in Perſona, ut ex Patriæ circumſtantia omnis auferatur ſuſpicio pro metaphorico ſenſu. Chryſoſt. *homil.* 58. *in Matth.*

Secundo ex 48. capite Eccleſiaſtici, ubi Elias deſcribitur qui induxit famem, qui Cœlum continuit, qui ignem de Cœlo dejecit, qui unxit Reges ad pœnitentiam, qui fecit ſucceſſores poſt ſe, qui receptus eſt in curru equorum: atqui de hoc ait: *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & reſtituere Tribus Jacob*: immo nullibi ſcriptum eſt hoc, niſi apud Malachiam, ubi iiſdem fere verbis deſcribitur.

Tertio. Ipſa metaphorica locutio Chriſti veritatem demonſtrat; ſi enim Joannes eſt Elias in ſpiritu, & virtute Chriſtum præcurrens, neceſſe eſt admittere Eliam in Perſona Præcurſorem Domini in alio adventu:

Non

Non enim verificari poteſt Joannem æmulatorem eſſe, & aſſimilari Eliæ in ſpiritu, & munere Præcurſoris, ſi nullibi, & nuſquam Elias munus hoc exercuit, neque exercebit. Metaphorica appellatio ſupponit poſitivam, & veram: aſſimilatio ſupponit rem, cui comparatur.

Quintò. Chriſtus Dominus affirmavit id, quod ſibi perſuadebant Judæi, ſcilicet verum Eliam venturum ante adventum Domini. Affirmativum enim ſenſum habent verba citata Matth. 11., & Marci 9. ubi proponitur eadem quæſtio de Elia. *Elias cum venerit primò, reſtituet omnia*. Vides propoſitionem eſſe affirmantem, & etiam in futuro: at quia Judæi non videntes Eliam in Perſona, non admittebant Chriſtum ut Meſſiam, aperit illis myſterium de altero Elia metaphorico, ideſt, de Joanne Baptiſta, qui ipſum præcucurrit: *Sed dico vobis, quia & Elias venit*. Accidit in pluribus Scripturæ textibus, quod idem verbum duplicem admittit ſenſum, litteralem ſcilicet, & myſticum. Peſſime tamen facit, qui volens ſenſum myſticum aſſumere, negat litteralem, qui eſt primò tenendus; corrumpit enim iſte Scripturam, & Spiritui Sancto, qui duplicem intendit veritatem, adverſatur.

Præſtat hac de re Patres audire. Origenes *tract. 3. in Matth.* ad illud: *Quem dicunt &c.*, ait -- Ad hoc reſpondit Jeſus, non re„ probans quidem, quæ a Scribis tradita „ fuerant de Elia; ſed alium Eliæ adventum „ ante ſe denotat factum, quem ignorave„ runt -- Amb. *Lib. 1. in Lucam*, ad illa: *Et præibit ante illum &c.* -- Quia hic prioris, ille „ ſequentis Dominici Præcurſor adventus -- Hier. *Matth. 17.* -- Ipſe, qui venturus eſt in „ ſecundo Salvatoris adventu juxta corporis „ fidem; nunc per Joannem venit in virtute, „ & ſpiritu -- Aug. *lib. 83. quæſt. 58.* -- In „ ſecundo adventu in claritate Dominus ven„ turus eſt, cujus adventus Præcurſor ſpera„ tur Elias; ſicut primi Joannes fuit; & ideo „ dicitur a Domino, Elias jam venit, & „ multa ei homines fecerunt; & ſi vultis ſci„ re, ipſe eſt Joannes Baptiſta, qui venturus „ eſt; quia in eodem ſpiritu, & eadem vir„ tute, & tanquam præcedentis Præconis of„ ficio, & hic jam venit; & ille venturus „ eſt -- Theophil. *Matth. 17.* eadem verba exponens -- Dicendo, quod Elias quidem ve„ niet, oſtendit, quod nondum venit, & in „ ſecundo adventu veniens reſtituturus ſit ad „ fidem Chriſti omnes Hebræos, quos per„ ſuaſibiles inveniet -- Chryſoſtomus *Hom. 58. in 11. Matth.* -- Significavit Chriſtus Joan„ nem; utrique enim unam adminiſtrationem „ ſuſceperunt, & Præcurſores ambo conſti„ tuti ſunt; quapropter non dixit, hic eſt „ profecto Elias; ſed, ſi vultis ſuſcipere, hic „ eſt -- Similia alii.

Malachiam porro loqui de ſecundo adventu conſtat ex conſonantia ad Joelem *cap. 2.* Ad Sophoniam *cap. 1.* Ad Apocalypſim *cap. 6.*, & ad alias Scripturas, quibus dies adventus ſecundi conſimilibus phraſibus explicatur. Et certe ultima verba: *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*, primo adventui haud aptari poſſunt.

De Henoch habemus locum Scripturæ Eccleſ. 44. *Henoch tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*. Tranſlatus eſt, non mortuus, ut Apoſtolus fatetur; ergo reſervatus, ut ſuo tempore pœnitentiam doceat gentes. Certe non poteſt aliter verificari. Si in Eremo abſconditus fuit, quomodo *in exemplum pœnitentiæ generationibus* erit, ut Græca Lectio habet? Et hic eſt Patrum ſenſus. Sufficiat Aug. *lib. 1. de mirabilibus Scripturæ cap. 3.*, ubi de Henoch loquens ait -- Adhuc ſine „ morte in teſtimonium noviſſimi temporis „ reſervatur -- De Henoch, & Elia Tertullian *lib. de anima cap. 50* -- Morti reſervan„ tur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extin„ guant -- Damaſcenus *lib 4. cap. 27.* -- „ Mittentur Henoch, & Elias Theſbites, & „ Patrum corda in filios, hoc eſt Synagogam „ ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & „ prædicationem Apoſtolorum convertent, ab „ eoque trucidabuntur -- Idem omnes alii Apocalypſim, vel Danielem, vel Malachiam exponentes, quos omitto brevitatis cauſa; id ſolum advertens, quod videtur colligi ex Scriptura, Eliam per ſe primò venturum pro Judæis, Henoch pro gentibus: voluitque Dominus antiquos juſtos, unum ex Lege Naturæ, & alium ex Lege Scripta reſervare, ut unam Eccleſiam ſubſtantialem declaret, ſeque uniuſcujuſque Legis Auctorem eſſe.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

28 OBJIC. I. contra primam rationem. Toties illi duo Teſtes Apocal. 11. deſcripti non ſignificant ſingulares Viros, quoties eorum officium nequit verificari pro tempore Antichriſti, ſed ita eſt. Dicitur enim: *Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*. Tunc enim Prophetia non erit neceſſaria; ergo aliud Myſterium intelligit Joannes.

RESP. Neg. min. Nomen enim prophetandi non accipitur pro prædictione futurorum myſteriorum, ſed pro ſolida interpretatione Scripturæ, matura, & conſtanti enunciatione veritatis, concordando clare Prophetias antiquas cum Evangelii doctrina; utque prædicatio efficacior evadat, illam exemplo pœnitentiæ, paupertatis, & humilitatis confirmabunt, quod indicatur illis: *Amicti ſaccis*.

Prophetiæ diverſa ſignificatio.

29 OBJIC. II. contra eandem. Miracula facienda ab illis teſtibus ſunt ea, quæ fecit Moyſes in Ægypto. Sic enim habet Apocal. 11. *Poteſtatem habent ſuper aquas, convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga*. Ergo Moyſes deberet aſtrui venturus, ſed hoc non infertur; ergo ſignum eſt Scripturam aliud intelligere.

Propter hoc argumentum, & quia Moyſes cum Elia fuit Teſtis primi adventus in Transfiguratione, crediderunt quidam Catholici Moyſem futurum eſſe Eliæ ſocium ſub Antichriſti Regno, ut Hilarius *Can. 20. in Matth.* Catherinus *Gen. 3.* Joachimus Abbas *in 11. Apocal.*, ubi tamen Henoch non excludit. Verum communis Patrum ſententia Henoch ponit Eliæ ſocium. Deinde: ideo Patres arguunt Henoch, & Eliam venire, quia adhuc

Moyſes non erit in ſecundo adventu.

vivere

vivere ex Scriptura conſtat, ſed Moyſes mortuus eſt; cum legamus Deut. 34. *Aſcendit Moyſes ſuper montem Nebo &c. mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino*. Et cap. 32. Dominus teſtator Moyſi, quod morietur in Monte illo, ſicut frater ejus Aaron mortuus eſt in monte Hor. *Quia prævaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael*: Quare ejus anima nunc glorificata eſt. Non eſt autem veriſimile, quod ſit jungenda corpori corruptibili iterum morituro, vel ſaltem hæc ſine magno aliquo fundamento non ſunt affirmanda. Porro ſpeciales congruentiæ fuerunt, ut Teſtis Moyſes adduceretur Transfigurationis, quas tangit Divus Thomas 3. *par. quæſt.* 45. *art.* 3. inter quas ſecunda eſt, quod Judæi calumniabantur Chriſtum velut Legis Moſaicæ blaſphemum; ideo Moyſis teſtimonio voluit a calumnia purgari. Et cum abbreviata manus Domini non ſit, virtutem eorundem Miraculorum, quam Moyſi tribuit contra Ægyptios, dabit Dominus, & majora patrandi Henoch, & Eliæ.

30 OBJIC. III. contra ſecundam. Si Elias venturus eſſet contra Antichriſtum, ut defenſor Eccleſiæ ſecundum prophetiam Malachiæ, deberent etiam verificari, quæ dicuntur de converſione Hebræorum, ſed hoc eſt impoſſibile; nam per nos prophetabit diebus mille ducentis ſexaginta, ideſt triginta diebus minus quam Antichriſti Regnum; & tam pauco tempore, quomodo poterit tantam multitudinem reparare? Seu quomodo poſſunt hæc duo concordari, quod Antichriſtus totum Orbem commoveat illo brevi tempore, & Propheta ſimul eundem reparet? neceſſe ergo eſt hæc omnia non de ſingularibus Perſonis, ſed de aliquo Regno verificari.

RESP. neg. min. Sicut bene docet Aug. *lib. quæſt. Evang. quæſt.* 21. Venient duo illi Prophetæ, ut reſtituant, quæ Antichriſtus perturbaverit. Quare tunc apparebunt, cum levior erit perſecutio. Sic facile omnia conciliantur. Antichriſtus Orbem excurrens cum ſuis Miniſtris exceſſiva crudelitate, & frequentia mendacium Signorum, turbas ſibi breviſſimo tempore faciet. Duo Prophetæ, quandoque ſimul, quandoque diviſi, Sociis ferventibus ſibi aſſumptis, Antichriſtum inſequentur, quocunque perget, & prædicationis efficacia, & verorum Miraculorum multitudine, univerſa ſolidabunt. Sicut Paulus ſtetit contra Elimam; Petrus contra Simonem; Moyſes contra Ægyptiacos Aruſpices; & eo vel maxime, quod licet a principio Antichriſtus in eos furet, nunquam poterit eis nocere, quia ut dicit Scriptura Apoc. 11. *Ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*; donec ad oſtenſionem Divinæ Potentiæ ambo accurrentes ad ſuccorrendum Jeroſolymæ occidentur, & poſt tres dies cum dimidio coram inimicis reſurgent.

Elias, & Henoch damna Antichriſti reparabunt.

31 OBJIC. IV. contra tertiam, in qua intenditur probare ſocium Eliæ non eſſe futurum Henoch, ſed Jeremiam. Verificari debet, quod dicitur: *Antequam exires de Vulva ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te*. Sed uſque adhuc non prophetavit Gentibus Jeremias; ergo prophetabit noviſſimis diebus; eo vel maxime, quod creditur vivere, cum ejus mors in Scriptura non legatur.

RESP. neg. min. Verificatur dictum illud. Primo, quia in ſuis Prophetiis enunciavit Chriſtum a Gentilibus ſuſcipiendum. Secundo, quia aliqua miſcuit de Aſſyriis, Ægyptiis. Tertio, quia erudivit ſcriptis ſuis Judæos degentes apud Babylonios, & Ægiptios. Quod verò non dicatur mortuus in Scriptura, non eſt ſufficiens argumentum; Scriptura enim plurium aliorum non recenſet mortem. De Henoch verò, non ſolum mortem non recenſet, ſed negat mortuum eſſe, ut vidimus ex Paulo. Aliunde antiquitatis monumenta referunt locum ſepulturæ Jeremiæ; ibique patrata Miracula, ut alibi retigimus in ſuperioribus. Videatur Epiphanius *de Prophetarum vita*. Iſidorus *lib. de vita, & morte Sanctorum*.

Jeremias quomodo Gentibus prædicavit.

32 OBJIC. V. contra congruentiam, Si congruum fuit, ut reſervaretur unus ex lege naturæ, alius ex lege ſcripta, congruum pariter fuit, ut reſervaretur unus ex lege gratiæ, qui alius non poterit eſſe, niſi Joannes Evangeliſta, quem mortuum non eſſe dicunt nonnulli; ergo non erunt tantum duo Teſtes; ergo cum Scriptura duo ponat teſtimonia, ſignum eſt aliud fore intelligendum.

RESP. Congruentia non eſt robur, & fundamentum concluſionis; quare etiamſi deficeret, nihil evinceretur. Ceterum ſolida eſt congruentia, nec tamen urgemur aſſerere Joannem eſſe reſervatum, quia ſtatus gratiæ conjungitur immediate cum Regno Antichriſti. Unde plures viri juſti erunt ſuperſtites, & viventes, qui poterunt Eccleſiam defendere: ſecus eſt de ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ, qui præterierunt, adeoque congruum fuit aliquos reſervari. Poſitio verò, quod Joannes adhuc vivat, etſi non careat Patrocinio, omnem tamen non habet veri ſimilitudinem; nam graviora monumenta mortuum referunt. Nicephorus *lib. hiſt. cap.* 26. *lib.* 2. *cap.* 24. Euſeb. *lib.* 5. *cap.* 24., *& lib.* 3. *cap.* 31., *vel aliàs* 25., ubi partem Epiſt. Polycratis ad Victorem Romanum reſcribit -- His „ accedit Joannes, qui ſupra pectus Domini „ recubuit, qui Sacerdos, Martyr, & Do- „ ctor fuit, & Epheſi etiam obdormivit -- Polycrates fuit Joannis Diſcipulus. Hieron. *lib.* 1. *contra Jovinianum*, *&* 20. *in Matth.* de Scriptoribus Eccleſiaſticis habet -- Confectus „ ſenio, ſexageſimo octavo poſt paſſionem „ Domini anno mortuus, juxta eandem Ur- „ bem ſepultus eſt -- Aug. *Ser.* 549. *de tempore* ait -- Joannem obdormiviſſe ſine vulne- „ re, ſine cruciatu -- Item *tract.* 124. *in Joan.* Amb. *lib. de fide Reſurrect.* Beda *in Joan.* 21. Iſidorus *lib. de vita, & morte Sanctorum*, aliique plures, quorum antiquior Tertullianus *lib. de anima cap.* 59. ait -- Obiit & Joannes, „ quem in adventum Domini remanſurum „ fruſtra fuerat ſpes -- Sed firmius adhuc habemus fundamentum, Cœleſtinus Papa *epiſt. ad Concilium Epheſinum* ait -- Ante omnia „ vos præcipue conſiderare, & iterum, at- „ que iterum recolere decet, quibus Joannes „ Apoſtolus prædicavit, cujus reliquias præ- „ ſentes honoratis -- Concil. Epheſ. *tom.* 3. *cap.* 6. -- Sacras Sanctorum, Triumphato-

Joannes Evangeliſta vità functus.

„ rum-

„ rumque Martyrum; maxime verò Beatiſ„ ſimi Joannis Theologi, ac Evangeliſtæ re„ liquias videndi, eaſdemque complectendi deſiderio flagrant -- Idem 7. *Synodo Act.* 5.

Ex quibus habes aliquando notas fuiſſe reliquias hujus viri Dei, licet nunc ſint ignotæ. Quod Chryſoſtomi teſtimonio confirmatur *homil.* 26. *in epiſt. ad Heb.*, ubi -- Apo„ ſtolorum plurimorum oſſa neſcimus, ubi „ jaceant: Petri, & Pauli quidem, Joannis, „ & Thomæ manifeſta ſunt ſepulcra -- Ex quibus ſecundo infertur, vel eſſe apocryphum, quod narratur, vivum ſeipſum incluſiſſe in ſepulcro, dimiſſis diſcipulis, qui die ſequenti reverſi, nihil invenerunt (unde volunt quidam mirabili modo intra terram vivere), vel id eſſe explicandum cum D. Epiphanio *hær.* 79. ſuis precibus a Domino obtinuiſſe modum admirandum ſuæ dormitionis. Ex iiſdem pariter evincitur non eſſe in Cœlo corpore, & ſpiritu, ſicut Virgo Beata; cum enim uſque ad Concilium Epheſ. extarent Reliquiæ, & adorarentur, ſolutum a corpore ſpiritum fateri cogimur.

33 DICES. Matth. 20. Promiſit Dominus Joanni, ſicut Jacobo fratri ipſius, quod biberet ejus Calicem, ideſt, quod mortem pro fide ſubiret violentam: atqui hoc non eſt adimpletum; ergo reſervatur ad Martyrium ſub Regno Antichriſti. Sed hoc vim non habet. Optime ſalvatur Calicem Domini bibiſſe ex eo, quod eſt paſſus tormenta lethalia ex ſuo genere, ut exilia, perſecutiones, venenum, & ſimilia.

34 DICES ſecundo. Petro interroganti, quid futurum eſſe de Joanne, reſpondit Dominus: *Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Joan. ultimo: ſed non eſt alius Domini adventus, niſi die judicii; ergo uſque ad illum diem manet reſervatus.

Sed textus non urget. Plures habet explicationes. Prima legit: *Si ſic eum volo manere*; & ſolvit totam difficultatem, cum locutio non ſit affirmantis. Secunda explicat de adventu per effectum, ad vindicandam Civitatem Jeroſolymorum, & ſignificat Joannem victurum uſque ad deſtructionem Jeroſolymorum: Non videtur tamen litteralis. Tertia explicat de adventu perſonali ultimo; ſed nihil affirmantia agnoſcit in dicto Chriſti, ſed quandam locutionem conditionalem, ideſt modum dicendi ad eludendam Petri interrogationem, aſſueti in ſimilia prorumpere. Quarta explicat de diverſitate mortis futuræ inter Petrum, & Joannem. De Petro denunciavit moriturum violenter ultimate, de Joanne non ſic; unde ly *veniam* accipitur pro adventu ad ſuſcipiendam animam in mortis articulo, iuxta illud Chriſti Domini Joan. 14. *Vado parare vobis locum, & iterum venio ad vos.* 3., & 4. expoſitio eſt litteralis.

35 DICES tertio. Angelo dixit Joan. Apocal. 10. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & Populis, & Linguis, & Regibus multis*: ſed hoc non eſt adimpletum; ergo reſervatur implendum ſub Antichriſti tempore.

Sed neque hoc vim habet; nedum quia nequit verificari pro tempore Antichriſti (ſub quo nulli erunt Reges, præter ipſum) ſed etiam quia adimpletum eſt; quia Evangelium ſcripſit poſt illud tempus; & iterum in Aſia prædicavit, tum quia in ſequentibus capitibus alia prædixit ad gentes pertinentia.

Omitto referre, quæ Rea dicit contra Theologos noſtros, quia ſunt contumeliæ: tum quæ contra Patres antiquos, quos dicit eſſe excuſandos, ſi ea dixerint de duobus Teſtibus, de Elia, & Henoch, ex eo quod non eſſet eorum temporibus revelatum Myſterium, ideſt Antichriſtus Romanus. Nam hoc eſt Patribus notam inurere; ipſi enim exponebant Scripturas, & oſtendebant ſigna futura pro Adventu Antichriſti; & inter alia concludebant adventum Eliæ, & Henoch. Quemadmodum ergo ludibrio haberentur Patres ſigna futuri Judicii exponentes, ſi quis diceret, eos eſſe excuſandos, quia non viderunt terræmotus, bella &c., quæ nos vidimus, ita eiſdem injurius eſt, qui dicit excuſandos, quia non viderunt Antichriſtum, quem ipſi fingunt, & abſque probatione aſſumunt: qui eſt modus eludendi omnes eorum auctoritates in aliis articulis, ſupponendo tanquam certa dogmata ſua, quæ evulgant.

Ex his concludimus. Coætanei cum Antichriſto debent venire in defenſionem Eccleſiæ Elias, & Henoch: ſed adhuc non comparuerunt; ergo neque Antichriſtus, ergo Antichriſtus non eſt Sedes Pontificia. Quod ſi dicas, Eliam, & Henoch eſſe Lutherum, & Calvinum, vel Zuinglium: quomodo ſtabit Bonifacium III. primum fuiſſe Antichriſtum, cum Antichriſti Regnum integrum non durabit, niſi tribus annis circiter, nec ultra tempus prædicationis illorum Prophetarum? Cum & Bonifacius ſupra decem ſecula ante Lutherum mortuus ſit, & poſt mortem Lutheri uno ſeculo Eccleſia Romana floruerit. Deinde, quos Judæos ad Sectam ſuam traxerunt iſti, cum Elias filios Iſrael ſit converſurus? Quibus gentibus dederunt pœnitentiam, quam dabit Henoch? abeant inſanæ interpretationes.

CONTROVERSIA IV.

AN DESOLATIO ROMANI IMPERII SIT PRÆMITTENDA ADVENTUI ANTICHRISTI, ET DIEI JUDICII.

NOmine deſolationis intelligimus totalem extinctionem, ita quod nullus ſuperſit, qui nomen, & dignitatem Imperatoris retineat, ſive in paucis, ſive in pluribus Provinciis: non autem intelligimus imminutionem; hæc enim pluries evenit, ut cum Imperium diviſum eſt in Occidentale, & Orientale; ut cum per Gothos, & Vandalos plures fuerunt ſublatæ Provinciæ. Unde

Dico. Ante conſummatam Antichriſti perſecutionem Imperium Romanum deſolandum eſt.

36 PROB. I. Danielis 2. præcipua Regna ab illo tempore uſque ad finem ſeculi futura in ſtatua, quam vidit Nabuchodonoſor referuntur. In capite aureo, quod ſtatua habebat, denotatur primum Regnum, hoc eſt Aſſy-

Aſſyriorum; in pectore argenteo Regnum ſecundum, videlicet Parſarum; in ventre æneo Regnum tertium, hoc eſt Græcorum; in tibiis ferreis quartum Regnum, Imperium nempe Romanum; & ſicut in corpore tibiæ ſunt longiores partes; ita Romanum ceteris longius eſt; in decem digitis, in quos Statua deſinebat, intelliguntur decem Reges, qui ita divident Imperium, quod nullus nomen Imperatoris retinebit; ſicut nec tibia dicitur digitus.

Hoc idem exprimitur ab eodem Propheta cap. 7. ſub ſymbolo quadruplicis Beſtiæ, ſcilicet, primum per Leænam, ſecundum per Urſum, tertium per Pardum, quartum per innominatum Animal, quod decem habebat Cornua, quæ decem erunt Reges, ut ibidem inſinuatur. Unde ſicut Cornua non ſunt Beſtia, ita illi Reges nomen non retinebunt Imperatoris; & quia tres erunt adhuc in ſtatu, ab Antichriſto deſtruentur; & quemadmodum de primo Regno nil reſervatum eſt adveniente ſecundo, ita neque ab illis Regibus nomen retinebitur Imperiale.

Ad hoc idem adduci ſolet viſio Apocalypſis cap. 17. licet alium literalem admittat ſenſum, quem ſuperius dedimus. Ibi deſcribitur Beſtia cum ſeptem capitibus, & decem cornibus, cui Mulier inſidet purpurata. Mulier eſt Urbs magna ſupra ſeptem colles, & putatur Roma, a qua denominatur Imperium. Septem Reges ſunt Univerſitas Imperatorum Gentilium, & aliorum, qui ſub Nomine Chriſtiano ſuccedent. In decem cornibus intelliguntur illi decem Reges, qui Imperium deſolabunt; & ideo dicitur, quod *Odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam; & carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt*.

Pariter ad idem afferri ſolet locus Pauli 2. ad Theſſal. 2. illis: *Tantum ut, qui tenet nunc, teneat*. Ubi aſſignat cauſam, & tempus, quando venturus ſit Antichriſtus, cauſam perſeverantiæ Romani Imperii, & tempus, quando totaliter deſolabitur: de qua re locutus fuerat oretenus Theſſalonicenſibus, ſed ſcriptis tradere noluit, ne domi graſſantem Neronem concitaret.

37 PROB. II. Patrum Traditione. Cyrillus *Catacheſi* 15. — Veniet prædictus „ Antichriſtus cum impleta fuerint tempora „ Romani Imperii -- Chryſoſt. *in ſecundam ad Theſſal.* 2. -- Quando e medio ſublatum „ fuerit Imperium Romanum, tunc veniet „ Antichriſtus -- ubi illud probat ex loco Danielis. Hieron. *quæſt.* 11. *ad Algaſiam* -- „ Tantum ut Romanum Imperium, quod „ nunc univerſas gentes tenet, recedat, & „ de medio fiat; & tunc Antichriſtus veniet -- Aug *lib.* 20. *de Civit. Dei* -- Tantum qui modo „ imperat, imperet donec de medio fiat, „ ideſt de medio tollatur; & tunc revelabi„ tur ille Iniquus, quem ſignificari Antichri„ ſtum, nullus ambigit -- Tertullianus *de reſurrectione carnis* 24. -- Tantum qui nunc te„ net, teneat, donec de medio fiat, quis, „ niſi Romanus ſtatus? Cujus abſceſſio in „ decem Reges diſperſa, Antichriſtum ſu„ perinducet, & tunc revelabitur iniquus -- *Et in Apologetico contra Gentes* hortatur orationes fieri pro conſervatione Romani Imperii, quia non venient extremæ calamitates, niſi illud de medio tollatur. Lactantius *lib.* 7. *cap.* 15. Enarrat futura gravia bella prope Mundi finem, & inter alia habet -- Hæc erit „ cauſa quod Romanum nomen, quo nunc „ regitur orbis, tolletur de terra -- *Idem cap.* 25. Et affirmant hanc veterum eſſe traditionem Theophil. Œcumenius, aliique plures, exponentes loca citata Scripturæ.

Nunc ſic. Per Scripturas traditione Patrum expoſitas ſub tempore Antichriſti deſolandum eſt Romani Imperii nomen, & Poteſtas: atqui uſque ad hæc tempora hoc non evenit. Celebre enim perſeverat Romanorum Regis nomen, & agnoſcitur dignitas, & poteſtas. In aliqua enim orbis parte mediis legatis, unum in Regem Romanorum electum ſalutant ceteri Principes, ſive Chriſtiani ſive non; mutuiſque vicibus ipſe ceteros amplectitur, ut ipſimet Proteſtantes invitè confitentur, qui tres electores Romani Imperii habere gloriantur; ergo Antichriſtus adhuc non apparuit; ergo hic non eſt Romanus Pontifex.

Rom. Imperium nunc ſubſiſtit.

38 DICES I. ex Illyrico, & Caſtreo. Apocal. 13. Beſtia, quæ ſignificat Romanum Imperium, prædicitur vulneranda in uno ex capitibus, & ſananda ab Antichriſto. *Et vidi unum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis ejus curata eſt*. Atqui hoc factum eſt, cum Romanus Pontifex Imperium reſtauravit, Carolo Magno coronam donans; ergo ipſe eſt Antichriſtus.

Verum hæc, quam vocant demonſtrationem, eſt aperta iniquitas. De illa Beſtia ſanata dicitur, quod data eſt ei poteſtas facere *menſes quadraginta duos*. Quis dixit Carolum Magnum tam parvo tempore regnaſſe? De ea dicitur, quod — Aperuit os in blaſphemias „ ad Deum &c. -- Quando nam Carolus Magnus blaſphemavit Deum, Templum ejus, Sanctoſque Cœli? De ea dicitur -- Et data „ eſt illi poteſtas in omnem tribum, & Po„ pulum, & linguam, & gentem -- At ubi legitur tam ampla dominatio de Carolo Magno? Intelligitur ergo a SS. Patribus locus ille de Antichriſto, qui ad decipiendos Populos, Dæmonis ope finget occidi, & mori, deinde reſurget.

Regnum Antichriſti breve.

39 DICES II. Ex Illyrico *Cent.* 1. Antichriſtus regnare debet annis mille ducentis ſexaginta gladio ſpirituali, juxta illud Apocal. 11. v. 2., & 3., & annis ſexcentis ſexaginta ſex, juxta illud Apocal. 13. v. 18. ubi numerus Beſtiæ ponitur: ſed Romanus Pontifex cœpit ſpiritualiter regnare anno ſexcenteſimo ſexto, ubi a Phoca impetravit Bonifacius III. titulum Capitis omnium Eccleſiarum, temporaliter verò, ubi dominationem exercuit temporalem; ergo jam venit Antichriſtus &c.

RESP. Hæc omnia, ut patet, efficta ſunt interpretationes, quæ evaneſcunt ex ſe ipſis. Gladius ſpiritualis Romani Pontificis a Petro incœpit. Quod ſi incœptionem velit enumerare a titulo Capitis omnium Eccleſiarum, quo Romanus Pontifex nominatus eſt, longe ante Phocam, & Bonifacium inveniet eo appellatum fuiſſe: eo nominavit Joannem

Spiritualis Pontificii poteſtas cœpit in Petro.

II. Juſtinianus, et Concilium Chalcedonenſe *act.* 16. Leonem &c. ea propter mundus jam eſſet in cineres reſolutus. Si Regnum Antichriſti cœpiſſet ab initio dominationis temporalis Romani Pontificis, quæ (omiſſa ſententia docentium, Conſtantinum donaſſe patrimonium Eccleſiæ Romanæ) cœpit ſaltem anno 714. ubi Luitprandus confirmavit donationem Tigurinorum Montium factam Romano Pontifici ab Ariperto. Et ubi Pipinus anno 755. dedit Exarchatum Ravennæ cum non modica Italiæ parte. Hæc ab ipſiſmet Centuriatoribus aſſeruntur *centuria* 8. *cap.* 10. Quare jam dies judicii adveniſſet a pluribus annis, vel ſaltem ceſſaſſet temporalis dominatio apud Romanum Pontificem. En quam clare Proteſtantes a veritate aberrant.

40 DICES III. Ex Luthero, dominationem temporalem numerandam eſſe poſt milleſimum, cum Gregorius VII. depoſuit Henricum IV., bella geſſit; ergo non ſequuntur prædicta abſurda.

Gregorii Papæ potestas.

Sed incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim: Etenim multo prius, anno ſcilicet 715. Gregorius II. ſpoliavit Regno Italiæ Leonem Imperatorem prius excommunicatum, ut Græci Auctores Cedrenus, & Zonaras in vita Leonis fatentur, Stephanus III. Adrianus I. bella geſſerunt, ut teſtantur ipſi Centuriatores *Centur.* 8. *cap.* 10., *&* *Cent.* 9. *cap.* 10. Leo IV. Vir Sanctiſſimus contra Saracenos arma movit, muniit Urbem, & Vaticanum mœniis; ergo longe ante milleſimum cœpiſſe oportet dominationem temporalem. Sed de his infra.

DICES IV. Antichriſtus ex D. Amb. 2. *Theſſ.* 2. reſtituet Romanis libertatem — Quia „ non prius veniet Dominus, quam Regni „ Romani defectio fiat, & appareat Anti- „ chriſtus, qui interficiet Sanctos reddita „ Romanis libertate, ſub ſuo tamen nomine — ſed Romanus Pontifex hoc adimplevit, cum Imperatorem a ſeipſo dependentem dedit Romanis; ergo.

Heretico Imperatori Catholicus ſubſtituitur.

Verum abſre affertur Ambroſius: Etenim S. Doctor dicit Antichriſtum daturum Romanis libertatem everſo Romano Imperio. At ubi unquam Romanus Pontifex extincto Imperio dedit illis Imperatorem? Aliud eſt, quod Hæreticus cum eſſet factus Orientalis Imperator, ſupra Provincias Occidentales alium Catholicum ſubſtituerit. Deinde, qualiter nomine Papæ gubernat Imperator, etiamſi ejus poſtuletur confirmatio?

CONTROVERSIA V.

AN DIUTURNUM SIT FUTURUM ANTICHRISTI REGNUM.

De tempore Nativitatis Antichriſti nunc non quærimus, neque de progreſſu ejuſdem uſque ad conſecutionem Imperii (quia hæc ſunt minus nota), ſed de tempore Imperii, ſeu perſecutionis Eccleſiæ ejus, quæ ad rem noſtram magis deſerviunt; cum Hæretici, & Regnum Antichriſti, & ejus perſecutionem jam cœptam eſſe dicant. Parum etiam refert immorari ad probandum Antichriſtum futurum Regem, cum id aperte habeatur Danielis 6. ubi ceteris potentior deſcribitur, & qui victurus eſt tres illos, qui ultimo ſuperſtites erunt ex decem dividentibus Romanum Imperium. A pacifica (ut ita dicamus) poſſeſſione tyrannici Throni procedit præſens Controverſia. Hæretici, ut præteptum ſuum ſuſtineant Antichriſtum, longiſſimum aſtruunt Antichriſti dominium. Sed

Antichriſtus erit Rex.

Dico. Breviſſimum erit Imperium Antichriſti.

41 PROB. I. Eadem fere menſura temporis durabit Antichriſti Regnum, qua ejus graviſſima perſecutio: ſed hæc parvo durabit tempore; ergo & illud. Maj. eſt clara; nam ubi in Scriptura deſcribitur ejus poteſtas, conjungitur cum perſecutione, ut Danielis 7. *Ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis.* Apocal. 13. *Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos*: Nam Regibus devictis ſolus ipſe irruet contra Eccleſiam. Min. habetur Matth. 24. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Ergo tempus perſecutionis breve erit.

Breviſſimum Antichriſti imperium.

42 PROB. II. Modicum tempus non poteſt dici longiſſimum: ſed Antichriſtus modico tempore durabit, juxta illud Apocal. 12. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* Et cap. 20. *Ligavit eum per annos mille &c., & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.* Hic autem loqui de Antichriſto, qui Satana adjuvante dominabitur, certum eſt ex contextu, & Patrum interpretatione. Ubi etiam advertenda eſt illa cauſalis. *Sciens, quod modicum tempus habet.* Ingeminabit enim artes perſequendi, & vexandi, ut durationis brevitatem exceſſu crudelitatis devincat.

DICES. Ibi modicum accipitur pro una integra mundi ætate, ut habetur Apocalypſis 6. v. 11. de Sanctis Martyribus, quibus dictum eſt. *Ut requieſcerent adhuc tempus modicum.* Hoc autem modicum eſt tota duratio a die mortis uſque ad corporum reſurrectionem; ergo non cogimur in ly modico tempore, intelligere brevem durationem.

Modicum nunc breve, nunc longum tempus ſignificat.

Dubio procul alibi modicum ſumitur pro brevi duratione, ut Joan. 13. *Adhuc modicum vobiſcum ſum.* Et cap. 16. *Modicum, & jam non videbitis me*; ideſt corporali viſione, *& iterum modicum, & videbitis me*; ideſt, fruitiva cognitione. Et aliquando etiam ſumitur pro una ætate, ut patet ex laudato textu. Quare attendendi ſunt contextus. Sequentia igitur. *Donec compleantur conſervi eorum, & Fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut, & illi*, cogunt intelligere præcedentia de toto tempore intermedio a die mortis uſque ad Corporum Reſurrectionem; tunc enim complebitur numerus Electorum: tunc univerſali Judicio vindicabit Dominus ſanguinem juſtorum, igni ſempiterno tradens Tyrannos. Et e contra Apocal. 20; illa locutio: *Ligavit eum per annos mille &c., & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore*;

cogit

cogit interpretari de brevi duratione; quia ly *Per annos mille* intelligitur Ætas ſexta Mundi a Chriſto prædicante uſque ad Mundi finem.

Tres anni cum dimidio tempus breve

43 PROB. III. Spatium trium annorum cum dimidio circiter non reputatur longum tempus pro uno Regno, nec ad ſenſum Adverſariorum, ſed Antichriſtus a Regno poſſeſſo non durabit niſi tribus circiter annis cum dimidio; ergo. Min. clare explicatur. Danielis 7. dicitur. *Tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Tempus eſt unus annus, tempora duo, dimidium temporis ſunt ſex menſes juxta hebraicam phraſim, qua pariter uſus eſt idem Propheta Cap. 4. ad explicandam durationem, qua Nabuchodonoſor herbam comedet ejectus a Regno. *Donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum &c. ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te*, ideſt, ſeptem anni. Oſtenditur ulterius. Apocal. 12. v. 6. habetur: *Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*. Hi dies reddunt tres annos cum dimidio; quem numerum infra explicat cum eadem phraſi Daniel v. 14. ubi habetur. *Et data ſunt Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis*. Ecce ergo qualiter illa circumlocutione declaratur duratio Antichriſti. Idem ulterius illuſtratur conſonantia aliorum locorum, quibus de Regno Antichriſti fit mentio. Apocal. 11. *Et Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus, & dabo duobus teſtibus meis; & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*. Cap. 13. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*. Quæ omnia loca ſunt de Antichriſto, & idem ſignificatur temporis ſpatium, Danielis cap. 12. *Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*. Qui locus pariter eſt de Antichriſto; & pariter ſpatium trium annorum cum dimidio completur. Illi autem duodecim dies, qui ſuperſunt, non computantur in numero, ac ſi non eſſent, ut uſu venit in vulgari modo computandi annos vitæ hominum. Optime autem per tempus intelligitur unus annus, quia tempus a circulatione Solis deſumitur; unde recte una circulatio, quæ uno anno perficitur, tempus dicitur unum; tempora enim in phraſi hebræa habent numerum dualem.

Ex quibus habemus vaniſſimam eſſe interpretationem Proteſtantium dicentium ibi tempus incertum deſignari. Nam illa tam diligens, & accurata deſcriptio, tam conſone uno, & altero modo expoſita determinationem Myſterii aperte perſuadet. Licet quandoque numeri perfecti indeterminatum tempus ſignificent in Scripturis, ſi aliter contextus non indicat, numeri tamen imperfecti ſub hac regula non cadunt. Locis autem citatis duratio Regni Antichriſti perfectis, & imperfectiſque exponitur numeris.

Numeri imperfecti certi, & determinati.

44 PROB. IV. Irenæus *lib. 5. circa finem* -- Regnabit annis tribus, & menſibus ſex;
„ & tunc veniet Dominus de Cœlis -- Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſi* 15. -- Regna-
„ bit Antichriſtus tribus annis cum dimidio
„ tantum, quod non ex libris apocryphis di-
„ cimus, ſed ex Daniele Propheta -- Hippolytus Martyr *Orat. de conſummatione Mundi* -- Tres annos cum dimidio regnabit An-
„ tichriſtus ſuper terram, poſt auferetur Re-
„ gnum illius, & gloria -- Hieron. *in 7. Danielis* -- Tempus annum ſignificat, tempora
„ juxta Hebraici ſermonis proprietatem (qui
„ & ipſi dualem numerum habent) duos an-
„ nos præfigurant; dimidium autem tempo-
„ ris ſex menſes, quibus Sancti poteſtati An-
„ tichriſti permittendi ſunt -- Aug. *lib. 20. de Civit. Dei cap.* 23. -- Antichriſti adverſus
„ Eccleſiam ſæviſſimum Regnum licet exiguo
„ ſpatio temporis ſuſtinendum &c. Qui vel
„ dormitans hæc legit, dubitare non ſinitur.
„ Tempus quippe, & tempora, & dimidium
„ temporis, annum unum eſſe, & duos, &
„ dimidium: ac per hoc tres annos, & ſe-
„ miſſem etiam numero dierum poſterius po-
„ ſito dilucescit aliquando in ſcripturis, &
„ menſium numero declaratur --

Patres regnum Antichriſti breve dicunt.

45 PROB. V. Antichriſtus ſpecialiter dictus debet opponi Chriſto in doctrina ſuæ prædicationis, ſed Chriſtus brevi tempore prædicavit, tribus cum dimidio circiter annis; ergo pariter Antichriſtus. Sicut enim Chriſtus illo ſpatio diſſolvit opera Diaboli, ſic Antichriſtus diſſolvere conabitur opera Chriſti. Hinc Auctor Operis imperfecti *apud Chryſoſtomum homil.* 49. -- In dimidio hebdomadis
„ Chriſtus per ſuam doctrinam tulit de me-
„ dio juge Sacrificium Judæorum. Nam di-
„ citur tribus annis, & ſex menſibus docuiſ-
„ ſe &c. Item in dimidio hebdomadis, hoc
„ eſt tribus annis, & ſex menſibus hoc Sa-
„ crificium Chriſti tollendum eſt ab Anti-
„ chriſto &c. --

SOLVUNTUR ARGUMENTA ACATHOLICORUM.

46 OBJIC. I. Bulling. *in Apocal.* Numerus in Apocalypſi poſitus pro Regno Antichriſti accipi debet ſecundum phraſim propheticam in aliis capitibus uſurpatam: atqui in aliis locis accipitur numerus certus pro incerto; ergo. Min. explicatur Cap. 7. Duodecim millia ſignati pro ſingulis tribubus nominantur. Cap. 9. *Numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia*. Cap. 14. *Centum quadraginta quatuor millia* Virgines. Et ſimilia cap. 20. cap. 31. Et Danielis 7. *Decies millies centena millia aſſiſtebant*. Quibus certus pro incerto numero uſurpatur.

Jam ſuperius huic objectioni reſpondimus. In Scripturis numerus etiam perfectus quandoque uſurpatur determinate prout ſonat, decem pro decem, ut Danielis 9. Septuaginta hebdomadæ. Levitici 25. Septem hebdomadæ annorum. Quandoque uſurpatur certus pro incerto, ut locis prædictis. Non eſt ergo regula certa, ſed attendendæ ſunt circumſtantiæ, contextus, & Patrum ſenſus, aliàs omnia erunt confuſa.

Numerus in Scripturis non ſemper incertæ ſupputationis.

In noſtro caſu cogimur accipere ſenſum verborum, prout ſonant, tum quia conſo-

 nant

nint aliis locis Scripturæ, quibus ſpatium Regni Antichriſti deſcribitur breve, tum quia diverſis phraſibus modo dierum, modo menſium, modo temporis, & temporis, ſub eodem tamen determinatæ numerationis tenore explicatur, tum quia diverſi Prophetæ diverſis locis ſemper conſonanter loquuntur; quod nuſquam accidit in Scripturis, ubi non eſt determinatus ſenſus, denique quia ſic a Patribus explicatur communiter; aliàs naturam numeri id clare innuit. Nam numerus per diſtinctas, & minutas numerationes, & per additiones minoris majori, dimidii integro, definitam ſupputationem denotat; quia non eſt capax alterius intellectus, ſicut eſt capax numerus integer propter ſui perfectionem, vel per incluſionem alicujus Myſterii cogniti, cui ſit alluſio: ut cum Apocalypſis 7. ponuntur centum quadraginta quatuor millia ſignati, & cap. 14. centum quadraginta quatuor mille Virgines. Nam ibi numerus duodecimus ſignificans Univerſalitatem ea ſe, accipitur multiplicatus juxta numerum tribuum Iſraelitarum.

47 OBJIC. II. Citræus *in* 11. *Apocal.* ſi in Daniele, & Joanne nomine diei venit annus, non colligitur breve ſpatium Regni Antichriſti, ſed ita poſſumus intelligere. Nam Danielis 9. ſeptuaginta hebdomadæ intelliguntur de annis. Ezechielis 4. *Diem pro anno dedi tibi*. Lucæ 13. *Oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare*, ideſt, tribus annis prædicare. Ecce qualiter dies pro anno accipitur.

Sed qualiter ſit captioſa argumentatio ſic apparet. Dicitur, quod Chriſtus jejunavit quadraginta diebus; ſi ergo dies pro anno accipitur, dicendum eſt Chriſtum jejunaſſe quadraginta annis, ideſt, ſex etiam poſt mortem. Sed clarius. Ezechieli dictum eſt: *Diem pro anno dedi tibi*. Juſſerat Dominus, ut trecentis nonaginta diebus dormiret ſuper latus ſuum ſiniſtrum, & deinde quadraginta ſuper dexterum: ſi ergo dies pro anno intelligitur, totidem dormiſſet annis ſupra latus ſuum. Ulterius ad rem: quia ibi dicitur: *diem pro anno dedi tibi*, diem pro anno accipiunt, & extendunt ad locum Danielis pro Antichriſto; ergo, quia Pſal. 89. dicitur: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit*, licebit nobis pro die millenarium annorum intelligere; & ubi Joannes dicit: *Diebus mille ducentis ſexaginta*, computabimus tot millenarios annorum pro Regno Antichriſti; quod pro abſurdo habent ipſimet Hæretici. Standum eſt ergo ſinceritati dictionis, ubi contextus non repugnat.

Captioſa argumentatio Hæretici.

Nunc ad primum. Rectè hebdomadæ Danielis ſunt annorum, quia aperte in Scriptura dantur hebdomadæ annorum, ſicut & hebdomadæ dierum, & meritò ſunt; nam hebdomada ſeptenarium ſignat; unde commode addi poſſunt, vel anni, vel dies. Cæterum nullibi habemus in Scripturis dies annorum, nec fieri poteſt. Nam numerus eſt quidem aptus, ut illi ſubdantur, vel anni, vel ſecula propter ſuam abſtractionem ab hac, vel illa quantitate numeranda: cæterum menſis, vel dies nequaquam, cum habeant denominationem ſuam; menſis a triginta lunationibus; dies ab una, quæ finitur aliquot horarum circuitu.

Ad ſecundum. Nulla eſt ibi acceptio anni pro die, ſed ſenſus omnino grammaticalis eſt retinendus, eoque explicat Dominus Prophetæ ſe tot annos daturum Populo Iſraelitico afflictionis, quot diebus concedet Prophetæ dormire ſuper latus ſuum. Pariter illud Pſal. ad litteram verificatur; nam coram Deo ratione Æternitatis æque præſens eſt dies heſterna, ac mille anni. Indiviſibiliter enim æternitas complectitur præteritum, & futurum, & præſens.

At tertium. Ibi verè intelliguntur tres dies, quos debebat in itinere prædicationis illius perficere. Verum quidquid ſit de hac intelligentia, certum eſt contextum ſufficienter inſinuare aſſertam temporis brevitatem.

Non vacat immorari in refellenda Britannici Regis interpretatione, qua in illis locis intelligit ſpatium dimidiæ hebdomadæ ſpiritualis, qua ſtatuit eſſe unam hebdomadam totum tempus a Chriſto ad diem judicii, & dimidiam tribuit Regno Antichriſti. Non vacat, inquam, nedum quia in illis Scripturis nulla apparet ratio hujus diſcurſus, ſed quia manifeſtæ convincitur falſitatis. Conceſſit ipſe Antichriſtum veniſſe ſeculo ſexto completo, a quo uſque ad ſua tempora elapſi ſunt anni circiter mille, ſexcentos priores, in quibus Eccleſia pura fuit, fere ex dimidia excedentes. Si enim dimidiam hebdomadam concedit Antichriſto, aliam dimidiam debet concedere Eccleſiæ, & per conſequens non ſtabit, quod Antichriſtus a mille annis, & ſupra venerit.

48 OBJIC. III. Jacobus Rex. Scriptura ubique clamat incertum omnino fore diem ultimum, Judiciique tempus: atqui ſi locis poſitis determinaretur tempus Regni Antichriſti, tunc viventibus clare eſſe notum; ergo dicendum eſt ibi tempus non determinari. Maj. habetur Matth. 24., Apocal. 3., & 16., 1. ad Theſ. 5., ubi adventus Domini comparatur furi ex improviſo supervenienti. Matthæi 25. poſt parabolam decem Virginum, concluditur: *Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam*. Et Matth. 24. *De die autem illa, & hora, nemo ſcit; neque Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater*. Ubi aſſumit exemplum diluvii, quod orbem abſorbuit incogitantem. Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*.

Verum non eſt difficile huic inſtantiæ ſatisfacere. Prima quinque loca videntur loqui de ſingulari cujuslibet die mortis: quare ſunt abs re. Sed demus de finali judicio agere. Dies judicii ſumi poteſt ſecundum ſe, independenter a Signis connexis, quæ revelatio docet præceſſura, vel ſimul cum illis: ſicut mors Petri ſumi poteſt ſecundum ſe, & ut conjuncta cum morbo in his circumſtantiis lethalibus. Dies judicii ſecundum ſe acceptus eſt omnino hominibus, & Angelis incognitus; acceptus verò, ut conjunctus cum illis Signis eſt cognitus illis, qui illa Signa vident, & ad ea reflectunt: ſicut medico perito cognita eſt mors Petri, & cito futura in ſignis morbi lethalis hic & nunc. Et ratio eſt evidens, quia dat operā Deus ea Signa, qui-

Judicii dies quomodo certa?

Digitized by Google

quibus infallibiliter alligavit ſuum adventum, revelavit , ut dignoſcatur , Accipe verba veritatis Matth. 24. *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur &c. Ab arbore ſici diſcite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit , & folia nata , ſcitis , quia prope eſt æſtas ; ita & vos , cum videritis hæc omnia , ſcitote , quia prope eſt in januis*. Quid ultra quærimus ? Plurimi ergo certò propeſſe diem judicii cognoſcent , Scripturas , & Signa combinando . Plurimi tamen improviſi occupabuntur ; quia aſſueti videre , & legere alia Signa , & commotiones , ſcientes advenisse plures Pſeudoprophetas , & contra eos pugnaſſe viros ſanctos, fidem nec ſignis , nec Antichriſto, nec Prophetis Henoch , & Eliæ præſtabunt , Ideſt , non credent illa eſſe ſigna revelata , illos eſſe Henoch , & Eliam , & pravum illum eſſe Antichriſtum . Hæc de ſenſu litterali materiali . Porro in ſenſu litterali ſpirituali adhuc ſub illis Signis plures, & plures occupabit improviſos , ideſt, imparatos, & peccatis oneratos .

49 OBJIC. IV. Idem Rex Jacobus . Apocal. 18. in caſu Babylonis Magnæ intelligitur Romana Civitas caſura ſub Antichriſti Regno , ſed ex circumſtantiis hujus everſionis colligitur Regnum Antichriſti longius triennio cum dimidio ; ergo . Min. explic. Ibi ponitur fletus magnus Regum confœderatorum , & Mercatorum flentium opes amiſſas : atqui ille fletus indicat nonniſi longo ſpatio initam eſſe illam viciſſitudinem cum Romana Urbe, etſi non diuturno tractu mercatores acquiſiverint divitias illas ; ergo hæc inſinuant Regnum Antichriſti fore diuturnum .

Verum libenter audiremus , quomodo hæc ultima conſequentia inferatur ex illo diſcurſu , & libenter ſciremus connexionem unius cum alio . Totum reticuit , quia quid proferret , non habebat . Igitur verus ſenſus eſt ſpiritualis . Babylon illa magna non eſt aliqua Civitas materialis, ſed myſtica; eſt Civitas Diaboli , Civitas malorum , Univerſitas iniquitatis . Hinc Aug. *enar. in Pſal.* 26. — Eſt quædam Civitas , quæ Babylonia dici„ tur . Civitas iſta eſt Societas omnium im„ piorum ; ab Oriente uſque ad Occidentem „ ipſa habet Regnum Terrenum -- Idem *in Pſal.* 28., *Pſal.* 61. *de Civitate Dei , & alibi* . Cui ſenſui plane accomodantur quæcunque in illo capite dicuntur . Cadet totaliter in adventu Domini in perditione , & punitione omnium impiorum , & tunc Reges, & Mercatores flebunt ſuper illam , quia noluiſſent fuiſſe membra illius -- Et longe ſtent propter „ timorem tormentorum ejus -- affectu cordis, non motu corporis , quia ſi poſſent, nollent eſſe participes ſuppliciorum . Qua data littera , omnia ruunt . Secunda interpretatio ex Malvenda *de Antich.* eſt de Romana Civitate materiali , quæ tunc eſt evertenda , & non ſolum de Gentili , verum etiam Chriſtiana , quam quidam volunt reſtituendam eſſe prioris magnificentiæ , & potentiæ, quam habuit ſub primis Imperatoribus; in ea plura patranda erunt ſcelera , etiam Idololatriæ , ob quæ evertetur . Verùm in his plura potius per divinationem , quam per rationem ,

Babylon evertenda eſt Civitas malorum .

aut conjecturam aliquam deductam ex ſcripturis dicuntur . Et bene etiam Roma Chriſtiana abſque eo , quod immutationes hujuſmodi inducamus , ob peccata illis temporibus commiſſa, & præcedentibus ſeculis , cum agatur de die Judicii , puniri , & everti poterit . Quare non immoror in his . Et quidquid dicatur , nihil ad quæſtionem infertur. Poterunt illi Reges , & Mercatores a longo tempore habuiſſe amicitiam, & commercium cum Urbe Romana , & nihilominus brevi temporis ſpatio deſolari a potentia Antichriſti . Quot Urbes celeberrimæ , & potentiſſimæ conflagratæ ſunt , everſæ, deſolatæ , ſpatio unius , vel alterius menſis ? Unde habes, idem poſſe Romæ evenire ſub tyrannide Antichriſti , quin ſit neceſſe , ut diutius duret ejus Regnum .

50 OBIIC. V. Idem Rex Jacobus . Apocal. 13. deſcribitur Beſtia vulnerata in uno capite , quæ poſtea ſanata eſt ; Beſtia hæc eſt Roma , vulnerata per vaſtationem Wandalorum , & Gothorum; ſanabitur in capite , ſive in Rege Antichriſto , qui exurget , & diu regnabit : quod factum eſt , quando in Roma Chriſtiana corrupta dominari Pontifex cœpit .

Stomachum revera hæc movent , quia plane arbitrarie dicuntur , & contra textus veritatem , & hiſtoriæ urgentur . In primis in nulla vaſtatione facta a Wandalis , & Gothis, illatum eſt lethale vulnus in capite Eccleſiæ, ideſt , Romanæ Eccleſiæ ; immo & Eccleſiæ Sancti Petri pepercerunt , & Romanum Pontificem habuerunt in honore Civitatis vaſtatores . Secundo . Apocalypſis ponit ſanationem illius capitis , factam eſſe modo omnino extraordinario ; & ideo aſſerit admiratam omnem terram poſt Beſtiam : atqui Roma non eſt erata modo omnino extraordinario , ſed modo ordinario reædificata fuit , nec eſt ſecuta admiratio tam grandis . Tertio . Illam inſtaurationem ponit factam arte Dæmonis , ideo inſerit Draconem dediſſe poteſtatem Beſtiæ , ſed nullus huc uſque factam novit ullam Urbis reſtaurationem Dæmonis ope . Quarto. Ponit per reſtaurationem, ſeu ſanationem evaſiſſe potentiorem ; ideo dicit: *Quis ſimilis Beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum ea ?* Sed poſt nullam reſtaurationem Roma facta eſt potentior , ut in aperto eſt . Quinto. Aſſerit Beſtiam habere plagam in adventu Antichriſti , & tunc ab ea eſſe ſanandam : at quando venit Antichriſtus confictus ab adverſario, jam erat ſanata plaga a multo tempore . Nam ultima vaſtatio , & omnium noviſſima fuit per adventum Totilæ primum, & ſecundum ; qui tamen lethale vulnus non intulit , & muri diſſipati ſtatim per Belliſarium fuerunt reſtituti , & aliæ reparationes factæ ſunt . Unde quando creatus eſt in Romanum Pontificem Bonifacius III. an. 606. , quem primum Antichriſtum volunt , ſanata erat plaga .

Rom. Pontifex apud Vvandalos in honore .

51 Hæc ſufficiunt pro declaranda duratione Regni ipſius Antichriſti . Sed pro pleniori cognitione placet aliqua addere de progreſſu ejuſdem a ſua nativitate , uſque ad illud tempus . Jam pro certò ſupponimus , ut ſupra innuimus , generandum modo ordinario ex muliere , & viro ; & cum Hieron. *Iſaiæ*

26.

Antichriſtus quomodo dicatur genitus ex Dæmone.

26. vocat Dæmonem Patrem Antichriſti, in eo ſenſu accipiendus eſt, quod omni ejus malitia imbuetur, Dæmonique conceſſa erit poteſtas commovendi humores, ut talis complexio elaboretur, quæ omnino prona ſit ad pravitatem. Quo ſenſu explicandi ſunt illi, qui dicunt ita Dæmonem ſe habiturum in formatione Antichriſti, ſicut Spiritus Sanctus in Conceptione Chriſti. Quo pariter ſenſu accipi poteſt illud Pauli 2. Theſs. 2. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ.*

A Dæmone inſtruetur.

Primo. Non ſunt audiendi, qui dicunt, accelerandum eſſe uſum rationis ad hoc, ut anticipate, & plenius malitia Dæmonis repleatur impius; nam anticipatio uſus rationis creditur privilegium ſingulare paucorum ſanctitate illuſtrium, non concedendum proinde peſſimo hominum; non eſt enim credibile Deum facturum tam grande miraculum ad finem honeſtum minime ordinatum. Satis, & abundanter replebitur iniquitate ex eo, quod ſtatim ab uſu ordinario rationis audiet Dæmonem prava docentem, & omnem ejus actum dirigentem, & eum moventem ad omne nefas.

Cuſtodem Angelum habebit.

Nec adoptanda eſt ſententia dicentium Angelum ejus Cuſtodem receſſurum ab eo ab uſu arbitrii, quia ſecundum doctrinam Divi Thomæ Deus concedit unicuique ſceleſtiſſimo cuſtodiam Angeli, etiam in æternum reprobando. Et ratio eſt, quia non eſt ſpoliandus auxiliis ſufficientibus ad bene agendum, & fugiendum a peccato, ſine quibus non datur proxima libertas; Antichriſtus verò deſcribitur nobis in Scripturis maximus peccator. De facto Dæmon, quod per ſe intendit, eſt depravatio, & peccatum; tamen etiam bona inſpiratio, & Angeli aſſiſtentia deſerviet ad augendam ejus malitiam, quatenus pervicaciter contemnet omnem piam motionem. Quo etiam principio rejicitur aſſertio ſtatuens a Dæmone eſſe poſſidendum, ſicut arreptitium; nam arreptitii in illis actionibus, ad quas a Dæmone impelluntur, non agunt libere.

Fraude Regnum obtinebit.

Secundo. Certum eſt Antichriſtum non habiturum Regnum jure hereditario, Danielis 11. *Et ſtabit in loco ejus deſpectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia.* Quod quidem in ſenſu materiali litteræ de Antiocho dictum eſt, ſed in ſenſu proprio de Antichriſto. Sicut plura in Scripturis, & Pſalmis legimus de David, & Salomone dicta, quaſi materialiter, & in typo figurativo, quæ tamen ſenſu propria de Chriſto ſunt poſita, & in eo complenda. Idem inſinuatur Daniel. 7. *Et ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum*; parvulum dicitur, quia infima conditione procreatum; de medio eorum, quia non ex ſtirpe Regia, ſed ex aliquibus pertinentibus ad ditionem alicujus ex illis Regibus. Et licet cap. 8. dicatur: *De uno autem ex eis egreſſum eſt cornu unum modicum*, non eſt intelligendum, quod natus ſit Antichriſtus ex Rege, ſed quod ſub initio obtinuit Regnum unum ex illis quatuor, ortis ex cornu magno fracto; & ideo dicit modicum, quia ipſe Antichriſtus non habuit illud jure Nativitatis; ſic enim Patres intelligunt. Damaſ. *lib. 4. cap. 17.* Cyrillus *cap. 15.* Suffi- ciant verba Hieron. *Danielis 11.* — Noſtri autem & melius interpretantur, & rectius, „ quod in fine mundi hæc facturus ſit Antichriſtus. Qui conſurgere habet de modica „ gente, id eſt, de Populo Hebræorum, & „ tam humilis erit, atque deſpectus, ut ei „ non detur honor Regius, & per inſidias, „ & fraudulentiam obtineat Principatum — Ubi ly *noſtri* contraponit Porphyrio interpretanti ſimpliciter de Antiocho. Et ſane cum gens Judæorum, ex quibus naſcetur, ſit in punitionem privata Regno, & eorum deſolatio durare debeat uſque ad Antichriſtum, non apparet, qualiter ex Regia Stirpe actualiter dominante debeat oriri.

Reges debellabit.

Tertio. Certum eſt, quod paulatim fiet potentior, & acquiret Regna, ſicut patet ex Daniele 7. *Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Et a principio, ſub metaphora cornu parvuli, dicit a facie ejus tria cornua avulſa eſſe. Qualia ſint hæc tria Regna, inſinuatur cap. 11. *Mittet manum ſuam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti. Per Lybiam quoque, & Æthiopiam tranſibit.* Tria hæc regna ergo ſunt, Æthiopia, Lybia, & Ægyptus. Sic Hieron. *in 7. Danielis.* Theodoretus *in cap. 7., & 11.* Lactantius *lib. 7. cap. 16.* Irenæus *lib. 5.*, & alii. Ubi autem incipiet titulum Regia ſibi occupare, incertum eſt. Sentiunt quidam in Babylone, & deducunt ex 5. Zachariæ. *Et levaverunt amphoram inter terram, & cælum &c.* Quia ibi ſignificatur ſupplicium, quod habuerunt Judæi, a quibus recipietur Antichriſtus, & ideo ibidem acclamabitur Rex, illis per fraudem decepti.

Antichriſtus Dæmonis ope Orbem devincet.

Quarto. Videtur certum eſſe Antichriſtum dominaturum deinde totum Orbem, & ceteros Reges victurum. Sic Apocal. 13. *Data eſt illi poteſtas in omnem Tribum, & Populum, & linguam, & gentem.* Ex cap. 17. *Decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt &c. Hi unum conſilium habent; & virtutem, & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent.* Danielis 8. *De uno autem ex eis egreſſum eſt cornu unum modicum, & factum eſt grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.* Quibus ſignificatur amplitudo ejus Monarchiæ. Nec hoc communem unius hominis ætatem tranſcendit, cum ſimile legimus de Alexandro 1. Machab. 1. Etenim terra ſiluit in conſpectu ejus; & aliàs brevi tempore pugnavit. Velocius multo plura peraget Antichriſtus a Dæmone adjutus, non quia, ut quidam voluerunt, exercitus Dæmonum Milites arripientium pugnabit pro eo; ſed quia ejus conſiliis, & fraudibus adjuvabitur. Unde ex cap. 11. Danielis colligitur, quod Dæmon dabit cognitionem omnium theſaurorum abſconditorum in mari, & terra, & ejus ope ea aſſequetur. Divitiis potens, quid mirum ſi gravia prælia faciet, & vincet? Deinde ex Apocal. cap. 17. loco cit. eruitur, quod ſeptem Reges, viſa ejus potentia, Regnum illi ultro cedent. Non excurret tamen ipſe perſonaliter Orbem totum, ſed per ſuos Duces, & Miniſtros.

Quinto. Indubium eſt Antichriſtum non habi-

habiturum Succeſſorem, quod conſtat ex iiſdem locis cit. Danielis 7. Progreſſus ipſius deſcribuntur uſque ad conſummatam durationem in ſummo perſecutionis, & deinde paulo poſt ſuperveniet Judicii dies. Idem Apocal. 13., & 2. ad Theſſ. 2., & Job. 18. *Non erit ſemen ejus, neque progenies in Populo ſuo, nec ulla reliquiæ in Regionibus ejus.* Ad quæ Greg. *lib.* 14. *Moralium cap.* 11., ubi hæc, & illa 2. ad Theſſ. 2. explicat de Antichriſto — Ac „ nulla ejus progenies in Mundo remanet, „ quia diſtrictus Judex iniquitates illius cum „ ipſo Mundi fine concludet &c. Quod verò „ hæc aperte de Antichriſto intelligi debeant, „ demonſtratur, cum ſubditur, in diebus ejus „ ſtupebunt noviſſimi, & primos invadet hor- „ ror — Ex quibus formamus quoſdam ſyllogiſmos contra Hæreticos in defenſionem Eccleſiæ Romanæ.

Non habebit Succeſſorem.

52 Primo. Regnum Antichriſti contra Eccleſiam brevi eſt duraturum, tribus ſcilicet annis cum dimidio: ſed a Bonifacio III. (quem ponunt Proteſtantes primum Papam Antichriſtum) elapſi ſunt plus quam mille; ergo Pontifex non eſt Antichriſtus Eccleſiam perſequens.

Secundo. Antichriſtus orietur deſpectus, & ignobilis: atqui Bonifacius III. non eſt ortus ignobilis in Sede Apoſtolica, quæ primis ſeculis erat celeberrima apud univerſum Orbem, ut conſtat ex Conciliis generalibus, & Patribus, qui tunc extiterunt, & mirabilia de ea ſunt loquti; ita quod Marcellus Amianus Scriptor gentilis *lib.* 27. narrans Schiſma Damaſi, & Urſicini, fateatur ſe non mirari, quod homines tam vehementi diligentia procurent, & contendant pro aſſequendo Romano Pontificatu, cujus tanta eſt amplitudo, & opes. non ergo Papa eſt Antichriſtus.

Tertio. Antichriſtus ſub progreſſu ſuæ dominationis perdet, & occidet Reges Libyæ, Æthiopiæ, & Ægypti: ſed nullus ex Romanis Pontificibus tres hos Reges occidit; ergo &c. Dicere vero cum Bibliandro in Chronico, id verificari, quia Greg. II. depoſuit Leonem Imperatorem: Zacharias Childebertum Francorum Regem: Gregor. VII. Henricum IV. eſt omnino deſipere; nullus enim ex iſtis ad illa tria Regna pertinet. Deinde, Pontifex illis depoſitis alium ſubſtituit, nec retinuit pro ſe Regna. Ulterius, nullum ex illis occidit; ergo &c.

Quarto. Antichriſtus ante perſecutionem Eccleſiæ ſubjectis ſibi omnibus Regnis temporaliter dominabitur toti Orbi: ſed per Hæreticos Romanus Pontifex jam incœpit ſeveram, & crudelem perſecutionem Eccleſiæ; & tamen temporaliter dominatur vix minimæ Orbis parti; ergo &c.

Quinto. Antichriſtus nullum habebit Succeſſorem: ſed Bonifacius III. habuit in Sede Apoſtolica Succeſſores uſque ad nos; ergo nec ille fuit Antichriſtus, nec Sedes Apoſtolica eſt thronus Antichriſti. Abeant ergo ſomnia Proteſtantium.

CONTROVERSIA VI.

AN PRINCIPALIS ANTICHRISTI SEDES SIT FUTURA JERUSALEM.

Ad propugnandam pro re nata Catholicam fidem non eſt neceſſe ſtabilire, ubi præcipua Sedes Antichriſti ſit futura. Nam, etiamſi ultro daremus Adverſariis id, quod ſtatuunt circa locum, nihil evincitur in puncto principali, quod Pontifex ſit Antichriſtus, ut infra oſtendemus. Quia tamen ipſi Hæretici acriter contendunt Romam eſſe, ut, quid verius circa hoc elucescat, inveſtigemus, præſentem inſtituimus Quæſtionem. Dixi ut quid verius, quia res eſt non modice obſcura: nec inquirimus de loco educationis, de quo nihil ſolidi habetur. Quod quidam dicunt, Corozaim, & Bethſaidæ educandum (forte quia a Domino Noſtro loca illa fuerunt increpata propter incredulitatem), voluntarie aſſeritur, eo vel maxime quod ex loco ſuperius citato Danielis *lib.* 4. *de fide cap.* 27. colligit Damaſcenus clam eſſe educandum. Inquirimus ergo de præcipua dominationis ſede. Unde

Dico. Sedes Antichriſti erit Jeroſolymis.

53 PROB. I. Sive inter Hæreticos, ſive inter Catholicos non eſt difficultas, niſi de duabus Civitatibus, Romana, & Jeroſolymitana: ſed ex principiis Hæreticorum colligitur non fore Romanam Urbem; ergo erit Jeroſolymitana. Min. Prob. Ideo dicunt fore Romam propter verba Apocalypſis 17. ubi Mulier fornicaria dicitur Civitas magna, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ, & quæ habet ſeptem capita, quæ ſunt ſeptem montes; ſed hanc non eliget Antichriſtus, Prob. min. Nullo modo credibile eſt, velle eligere ſibi Civitatem in thronum, quam cum ſuis Colleghis odio habebit, & deſtruet: ſed illam Civitatem ibi deſcriptam deſtruet Antichriſtus. Sic patet ex antecedentibus: *Et decem cornua, quæ vidiſti in Beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam; & carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt.* Hi autem ſunt Reges, qui poteſtatem ſuam dederunt Beſtiæ, ut ex alio verſiculo conſtat.

Antichriſtus Rom. Urbis vaſtator.

54 PROB. II. Ex Apoſtolo 2. ad Theſſ. 2. Antichriſtus ſedebit in Templo Dei: ſed pro Templo intelligit Jeroſolymitanum; ergo Jeroſolymis conſtituet Sedem ſuam. Min. declaratur connexione Scripturarum. Chriſtus dans ſigna temporis Antichriſti, & propinquitatis ſecundi ejus adventus, inter alia ait: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.* Pro *loco ſancto* abſque dubio intelligit Templum Jeroſolymitanum; illud enim eſt, quod prædixit deſolandum Daniel per Titum, & Veſpaſianum. Et ſenſus Chriſti eſt, cum videritis iterum ſtare abominationem, ideſt hominem, qui ut Deus adorari voluerit in Templo jam deſolato ex prædictione Danielis, tunc prope eſt dies Domini. Secundo. Danielis 11. dicitur: *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter*

Templi nomine venit Jeroſolymitanum.

ter maria ſuper montem inclytum, & ſanctum; & veniet uſque ad ſummitatem ejus. Hic de Antichriſto loqui ex toto apice eſt clarum. A Mons vero inclytus, & ſanctus eſt Mons Sion, ut ibidem Hieronymus exponit. Tertio. Iſaiæ 25. dicitur: *Præcipitabit Dominus in Monte ſancto faciem Dominatoris tenebrarum ſuper omnes gentes*, in verſione Symachi. Hæc facies Dominatoris tenebrarum eſt Antichriſtus. Mons ſanctus eſt Mons Sion, in quo a Domino occidetur. Hieronymus ſic exponit locum Danielis 11. Ergo templum, de quo Paulus loquitur, eſt Judaicum. Quarto. Illa deſcriptione Antichriſti Paulus intendit dare Theſſalonicenſibus ſignum clarum, ut non timerent imminere Judicii diem, quia non- B dum ille venerat; ergo nomine Templi debuit uti ſecundum Scripturæ uſum, & communem intelligentiam tunc temporis: ſed tunc temporis, in uſu Scripturæ, nomine Templi veniebat Judaicum; ergo &c.

55. PROB. III. Credibile eſt ibi futuram Sedem Antichriſti, ubi vis major erit Antichriſti contra præcipuos veritatis defenſores: ſed hæc erit Jeroſolyma; ergo ibi erit ejus Sedes. Min. habetur Apocal. 11. ubi deſcribitur martyrium Henoch, & Eliæ, & dicitur: *Et corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis Magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter So-* C *doma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum Crucifixus eſt*. Hic deſcribitur Civitas Jeroſolymitana ex abominatione ſcelerum commiſſorum, propter quæ dicitur Sodoma; (quo modo etiam Iſaiæ 1. dicitur: *Viſio Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam, & Jeruſalem*, cujus ſcelera enarrat uſque ad v. 10., ubi: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei noſtri Populus Gomorræ*) & præcipue propter ſcelus maximum crucifixionis Chriſti. Maj. ea ſe eſt credibilis, & Rex Jacobus admittit ibi agi de loco Throni Antichriſti. Et revera contextus indicat illam Civitatem debere eſſe præcipuam univerſalis D Dominationis Antichriſti, quia ibi tunc erunt de omni natione. Unde ſtatim ſubditur: *Et videbunt de Tribubus, & Populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium*.

Jeruſalem ob ſcelera dicta Sodoma.

56 DICES I. Eo loci ly *ſpiritualiter*, intelligi Jeroſolymam ſpiritualiter ſumptam: ſed Jeroſolyma ſpiritualiter dicta eſt Roma; ergo &c. Sic Rex ratiocinatur.

Sed explicatio litteræ adverſatur; nam ly *ſpiritualiter* non cadit ſupra Jeruſalem, quaſi dicat ſpiritualem Jeruſalem vocari illam Civitatem, ſed cadit ſupra ly *Sodoma*; & ſenſum reddit illam Civitatem in ſenſu myſtico E eſſe Sodomam. Verba ſunt clara. *Civitatis Magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma*. Deinde alia propoſitio. *Ubi Dominus crucifixus eſt*, non relinquit locum, ut de ſpirituali Jeruſalem intelligatur.

57 INSTABIS. Roma dicitur ebria Sanguine Martyrum: ſed in Martyribus crucifixus eſt Dominus; ergo bene poteſt illa propoſitio verificari de Roma, quatenus capiti tribuitur crucifixio in membris ſui Corporis.

Sed etiam hæc litteram non ſalvat. Textus enim diſtinguit caput a membris, dicit enim *Dominus eorum*, & facit ſenſum, etiam Dominum Martyrum ibi crucifixum, ubi jace- A bunt illa duo Martyrum corpora. Deinde ibi deſcribit illam Civitatem ex duobus capitibus ſcelerum, ideſt in communi: *Quæ vocatur Spiritualiter Sodoma*: & in particulari, nempe Chriſti mortem. Ulterius, illa propoſitio poſita eſt velut nota, quâ diſtinguatur illa Civitas ab aliis: atqui hoc nihil eſſet, quia Dominus in membris in omnibus Mundi partibus eſt crucifixus.

58 REPLICABIS: 18. Apocalypſis dicitur de Roma: *In ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terra*. In ly *omnium* eſt etiam Chriſtus.

B Verum neque hæc conſonat textui. Non enim locus Apocalyp. aſſerit Romæ omnes eſſe interfectos, ſed ibi ſanguinem inveniri omnium, qui interfecti ſunt in terra, quod cum verificari non poſſit, ideo id Patres aliqui non interpretantur de una aliqua Civitate materiali, ſed de Mundo. Et revera Romæ nullus Propheta legitur occiſus. Quod ſi dicatur id verificari, quatenus ſuo exemplo approbavit interfectiones Martyrum alibi factas, haud ſuſtineri poſſe videtur, quia ſive in veteri, ſive in novo Teſtamento exemplum primum dedit Jeroſolyma, de qua dixit Dominus Matth. 23. *Jeruſalem, quæ occidis Prophetas &c.* Et quæ C Stephanum Protomartyrem lapidavit, & Jacobum per Herodem occidit. Sed quidquid ſit de cap. 18. Certum eſt cap. 11. agere de Civitate, in qua eſt executa mors Chriſti: *Ubi & Dominus eorum Crucifixus eſt*.

59 DICES II. Hieron. *epiſt. 17. ad Marcellam*, negat Jeruſalem vocari Sodomam, ſed Sanctam Civitatem.

Sed hoc nihil juvat; tum quia alibi, ut loco citato Danielis, tenet Antichriſtum Sedem ſuam habiturum in Jeruſalem. Tum quia ibi non nomine ſuo, ſed nomine Paulæ, & Euſtochii dat illam interpretationem, totus intentus in laudibus Jeruſalem præ Romana D Civitate, ut Marcellam alliciat, & perducat in Palæſtinam. Tum quia, ſicut non ſtat, quod Roma dicatur ſancta, prout maculata Ethnicis Superſtitionibus, cum ſub hoc reſpectu vocetur Babylon, ſecus prout Sedes eſt Petri, & Matris Eccleſiarum, monumentis Sanctorum Martyrum illuſtrata, ita Jeroſolyma non dicitur Sodoma, prout morte Chriſti, & ejus ſanctificata ſanguine, bene tamen in alio ſenſu.

Roma ob ſuperſtitiones vocata Babylon.

60 PROB. IV. Secundum communem Patrum ſententiam Antichriſtus recipietur ab Hebræis, ut expectatus Meſſias: ſed Hebræi Meſſiam expectant ſeſſurum in Throno Da- E vid temporalis potentiæ ſplendore, ideſt Jeroſolymis; ergo Antichriſtus ibidem ſedebit: idcirco omnes artes adhibebit, ut ſe Meſſiam oſtendat, & Hebræos decipiat, & ad hunc finem Templum curabit ædificare.

Antichriſtum non refugient Judæi.

61 PROB. V. Irenæus *lib. 5. cap. 24.* -- „ Cum Antichriſtus ſederit in Templo Jeroſo„ lymitano, tunc veniet Dominus -- Cyrillus Jeroſol. *Cathec. 15.* -- Quale templum dicit A„ poſtolus? In Templo, quod reliquum eſt „ Judæorum. Abſit enim, ut in hoc id fiat, „ in quo ſumus -- Hilarius *Can. 25. in Matth.* -- Antichriſtus a Judæis ſuſceptus, in loco

ſan-

„ ſanctificationis ſubſiſtet -- Damaſcenus *lib.* 4. *de fide cap.* 27. -- In Templo non noſtro, „ ſed Judaico -- Aretas *in locum Apocal.* 11. -- Corpora illorum inſepulta projicier in pla-„ teis Jeruſalem; in ea enim regnabit tan-„ quam Rex Judæorum, quos ſeducet -- Et alii communius.

DICES. Origenes *tract.* 29. *in Matth.* pro Templo intelligit Divinas Scripturas, Anſelm. *in illum locum Pauli* exponit de animabus, in quibus habitabit Antichriſtus, Hieronymus *ad Algaſiam* intelligit pro Eccleſia, ideſt, pro fidelibus, Œcumenius pro Templo intelligit Chriſtianorum Eccleſias, Aug. *lib.* 20. *de Civit. cap.* 19. putat probabile, quod Templum ſit ipſemet Antichriſtus cum ſuo populo; & ideo ſedebit in Templo, quia faciet ſe adorare ut Deum.

Sed hæc non infringunt vim argumenti; nam illæ interpretationes myſticæ ſunt, quæ non excludunt litteralem. Deinde illæ interpretationes loquuntur de ſeſſione generali, quæ optime ſtat cum ſeſſione ſpeciali in aliquo particulari loco. Auctoritas Chryſoſtomi rem declarabit, qui in locum Pauli habet -- „ Jubebit ſeipſum pro Deo coli, & in Templo „ collocari, non Jeroſolymitano tantum, ſed „ etiam in Eccleſiis -- Ubi ly *tantum* indicat præcipue Jeruſalem, licet ſimul etiam in aliis; & ideo præcipue Jeruſalem, quia erit Civitas primariæ Sedis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

62 OBJIC. I. Antichriſtus ſeſſurus eſt in Templo Dei, ſed Templum Judaicum non eſt amplius Dei Templum; ergo non ſedebit in Templo Judaico.

RESP. ad min. Licèt Judaicum Templum nunc non ſit Templum Dei, tamen quando Paulus ſcripſit, non erat abolita Judaici Templi ſanctitas; nondum enim conſummate Judaiſmus erat mortiferus. Ideo etiam Apoſtoli illud frequentabant, ut Act. 3. legimus: *Petrus autem, & Joannes aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Cap. 5. Angelus ad Apoſtolos. *Loquimini in Templo plebi omnia verba vitæ hujus.* Deinde *Jeruſalem cur nunc ſancta dici poteſt.* etſi tunc temporis eſſet profanatum, ſufficit denominatio abſoluta, & antonomaſtica ratione præteriti, & quæ ibi facta ſunt in cultum Dei. Communiter nunc eam Civitatem Sanctam vocamus denominatione præteriti, etſi profano nunc fœdata ſit cultu.

63 OBJIC. II. Danielis 9. Civitas Jeroſolymitana manebit deſolata uſque ad conſummationem, ſed Antichriſtus non ſedebit in Civitate deſolata; ergo.

RESP. Antichriſtum reædificaturum Templum, ut Patres dicunt. Unde Hippolytus *Orat. de conſummatione Mundi*, ait -- „ Templum conſtruet Jeroſolymis -- Sedulius in locum Pauli habet -- Templum Jero-„ ſolymæ reficere tentabit -- Semper tamen verificabitur prophetia Danielis, quia permanebit abominatio, quæ erit ipſe Antichriſtus adoratus pro Deo, & perſeverabit deſolatio, quia non admittetur cultus veri Dei, nec unquam erit Templum Dei.

64 OBJIC. III. Gregor. *Epiſt.* 37. *ad Joannem Conſtantinop.* duas Notas Antichriſti aſſignat -- Rex ſuperbiæ prope eſt, & quod „ dici nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur „ exercitus -- ſed hæc duplex Nota Romano Pontifici convenit, qui Epiſcopus Univerſalis vult appellari, & Princeps Sacerdotum; ergo Roma eſt locus ejus.

RESP. In primis non aſſignat has duas Notas pro Antichriſto, ſed pro Præcurſore. Deinde ſenſus planus eſt; redarguitur Joannes CP., qui ſuperbiæ faſtu uſurpabat, quod ſuum non erat, in quo patrocinantes plures habebat Clericos; & ideo Præcurſorem vocat Antichriſti, quia ejus imitabatur ſuperbiam. Alia omitto, quia levia, vel quia alibi ſoluta.

65 Hinc ſic juvat inſtare. Principalis Antichriſti ſeſſio erit Jeroſolymis, ſed nuſquam Romanus Pontifex ſedit principaliter Jeroſolymis; ergo non eſt Antichriſtus. Deinde. Ex Magdeb. *Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. Calvino *lib.* 4. *inſtit. cap.* 2. §. 12. Melanctone *in Apolog. artic.* 6 *&c.* Antichriſtus ſedebit in vera Chriſti Eccleſia, & ejus propria ſede, ſed ex iiſdem Antichriſtus eſt Romanus Pontifex; ergo ſedet in vera Chriſti Eccleſia, & ejuſdem Sede: non in ſenſu diviſo; nam quæ ſemel fuit vera Chriſti Eccleſia, ſemper erit; ergo in ſenſu compoſito; ergo Romana eſt vera Eccleſia Chriſti.

CONTROVERSIA VII.

AN ANTICHRISTUS NEGATURUS SIT CHRISTUM, SEQUE DEUM PRÆDICATURUS.

DOctrinam Antichriſti futuram blaſphemam in Chriſtum Scripturæ docent, & Proteſtantes ultro concedunt. Sola Controverſia verſatur circa modum opponendi ſe Chriſto. Hæretici, ut figmentum ſuum defendant, Papam eſſe Antichriſtum, aſſerunt ſolo opere ſe oppoſiturum, ideſt nomine, & Doctrina Chriſti retenta, prava aliqua ſolum dogmata docendo illis contraria, quæ Chriſtus tradidit: negant verò eundem palam Chriſto fore contrarium, eum negando, ejuſque Evangelium. Sic Magdeburg. *cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. Calvinus *lib.* 4. *cap.* 7. §. 25. Illyricus *lib. contra Primatum*, & alii, contra quos

Dico I. Antichriſtus aperte Chriſtum negabit.

66 PROB. I. Simpliciter, & abſolute veros habebit Antichriſtus, quod partim habent Antichriſti ſecundum quid dicti, ſeu per imitationem, ſed iſti contrariantur Chriſto ex parte; ergo ille contrariabitur eidem ex toto. Antichriſtus enim contrarius Chriſto dicitur; unde Antichriſtus ſimpliciter dictus, ſimpliciter contrarius erit Chriſto. 1. *Antichriſtus Chriſto contrarius.* enim Joan. 2. habemus -- *Quis eſt mendax, niſi is qui negat, quoniam Jeſus eſt Chriſtus? hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* Qui negat Chriſtum abſolute, ille abſolute eſt Antichriſtus, & qui negat ex par-

te, ille eſt Antichriſtus per imitationem. Hic juvat perpendere, quæ ab Interpretibus dicuntur ad locum Pauli 2. Theſs. 2., ubi Antichriſtum in typo diſtinguit ab Antichriſto in perſona. De primo ait: *Myſterium jam operatur iniquitatis*: De ſecundo: *Tunc revelabitur ille iniquus*. De primo operari myſterium aſſeritur, quia aperte non contradicit Chriſto, ſed eum ore profitens prava dogmata tradit. Alius revelabitur, quia aperte ſe Chriſto opponet.

67 PROB. II. Negat ex toto Chriſtum, qui alium pro Chriſto annunciat, ſed Antichriſtus per ſe, & ſuos Aſſeclas alium proponet pro Chriſto; ergo. Min. prob. Chriſtus Dominus Matth. 24. ſigna oſtendens, & crudelitatem Antichriſtianæ perſecutionis, inter alia, ut bene conſulat ſuis, ne decipiantur, ait: *Tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere; ſurgent enim Pſeudochriſti*. Ecce quomodo Miniſtri Antichriſti alium proponent pro Chriſto. Huc facit illud Joan. 5. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*. Quia Antichriſtus ſe Chriſtum dicet, & alium, ſcilicet verum negabit, ideo nomine ſuo veniet.

Antichriſtus crudelis.

68 PROB. III. Qui deſtruet omnem cultum Chriſti, Chriſtum ex toto negabit, ſed Antichriſtus omnem cultum Chriſti curabit abolere; ergo ex toto Chriſtum negabit. Min. habetur Danielis 12. *Et a tempore, cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio &c.* His Propheta docet Antichriſtum everſurum ſacrificium, quo colitur ſpecialiter Chriſtus in Eccleſiis Chriſtianorum, & in ablatione illius, totus cultus intelligitur ſublatus. Sicut, ut cultus Chriſti futurus in gentibus exprimatur, dicit Malachias primo: *Offertur nomini meo oblatio munda*.

Deſtruet cultum Chriſti.

69 PROB. IV. Secundum communem Patrum ſententiam Antichriſtus ſuſcipietur a Judæis, ut Meſſias ab ipſis expectatus; & ideo omnem artem adhibebit, ut in hunc errorem eos pertrahat, ſed nullo modo hoc eſſe poteſt, niſi ex toto aperte Chriſtum neget; nam Hebræi verum Chriſtum ſemper inſequentur uſque ad prædicationem Eliæ; tunc enim ſalvæ fient reliquiæ Iſrael; ergo. Maj. jam alibi dedimus. Nunc ſufficiat Hieron. 11. Danielis explicans fraudulentiam, qua Antichriſtus ad Regnum perveniet, ait -- Et hoc faciet, „ quia ſimulabit ſe Ducem eſſe fœderis, hoc „ eſt, legis, & teſtamenti Dei -- Et Gregor. *lib.* 11. *epiſt.* 3. -- Antichriſtus populum „ judaizare compellet, ut exterioris legis ritum revocet; & ut ſibi Judæorum perfi„ diam ſubdat, coli volet Sabbatum --

Judæi Antichriſtum venerabuntur.

70 PROB. V. Patrum auctoritate. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 14. -- Tentabit ſe Chriſtum „ oſtendere -- Cyrillus Jeroſ. *Cath.* 15. -- „ Inducet quendam hominem, falsò ſeipſum „ Chriſtum appellantem, ac per hanc Chriſti „ appellationem, Judæos, qui venturum ex„ pectant, decipientem -- Theod. *in* 2. *Theſſ.* 2. -- Seipſum Chriſtum nominabit -- Ambr. *in cap.* 21. *Lucæ* -- Ex Scripturis diſputabit „ ſe eſſe Chriſtum -- Hilarius *de Trinit.* aſſerit Dæmonem per Arrianos conatum, ut Chriſtum ſolum adoptivum Dei filium venderet, per Antichriſtum verò conaturum, ut neque adoptivum.

71 Dico II. Antichriſtus ſe Deum prædicabit, negato quolibet Deo vero, & falſo. Prob. ex Paulo 2. ad Theſſalon. 2. *Extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Quibus verbis aperte traditur, quod conculcabit omnem Deum, & verum, & falſum. Verum Deum conculcabit, quia dicitur in prima parte propoſitionis: *Extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus*; Falſum Deum conculcabit ex ſecunda: *Aut quod colitur*. Et ſeipſum Deum faciet ex tertia parte: *Ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. Confirm. ex Daniel. 11. ubi: *Elevabitur, & magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum Deorum loquetur magnifica &c., & Deum Patrum ſuorum non reputabit &c., nec quenquam Deorum curabit; quia adverſum univerſa conſurget*. Ecce qualiter ſe Deum ſolum exhibebit, rejectis Diis falſis, veroque Deo.

Verum, falſoſque Deos negabit Antichriſtus.

Accedit Patrum ſenſus. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 24. -- Idola quidem ſeponet ad ſuadendum, quod ipſe ſit Deus; ſe autem extol„ let unum Idolum -- Amb. *in* 2. *Theſſ.* 2. -- Ipſum Deum ſe aſſeret, non filium Dei -- Cyrillus *Cath.* 15. -- Idola odio habebit An„ tichriſtus -- Tertull. *de Reſurrect. Carnis cap.* 24. -- Adverſatur, ita ut in Tem„ plo Dei ſedeat, affirmans Deum ſe -- *Lib.* 5. *contra Marcionem cap.* 16. -- Supra omne „ quod Deus dicitur, & omnem Religionem -- Hippolytus *Orat. de conſummat. Mundi* -- An„ tichriſtus Idololatriam non admittet -- Rabanus *tractat. de Antichr.* -- Supra omnes Deos „ gentium, & non ſolum ſupra illos, ſed „ etiam ſupra omne, quod colitur -- Chryſoſt. *in locum Pauli* -- Non enim inducet ad „ cultum Idolorum, ſed erit quidam Dei ad„ verſarius &c. Jubebit ſe pro Deo coli, & „ in Templo collocari -- Item *Homil.* 40. *in Joannem*. Œcumenius *ibidem* -- Adverſabitur, „ & extolletur ſua ſuperbia, non ſolum ad„ verſus Deum univerſorum, ſed etiam ad„ verſus Idola. Neque enim ad Idololatriam „ ducet homines, ſed, ut ipſum tanquam „ Deum adorent; propterea dicitur, quod „ efferetur ſuper omne, quod dicitur Deus, „ aut Numen -- Hieron. *ad Algaſiam*. Lact. *lib.* 7. *cap.* 17. Auguſtin. *tract.* 29. *in Joan.*, & alii; ex quibus colligitur locum Danielis non accipi de Antiocho, qui adoravit Deos ſuorum, ideſt Græcorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HETERODOXORUM.

72 OBJIC. I. Rex Jacobus. Extolli ſuper omne illud, quod eſt Deus, eſt extolli ſupra Reges, & Sacerdotes, ſed Papa ſe extollit ſupra Reges, & Sacerdotes, cum *Super utriuſque gladii poteſtatem ſe effert*; ergo de Papa loquitur Paulus. Maj. prob. Pſal. 81. de Regibus, & Sacerdotibus dicitur: *Ego dixi; Dii eſtis vos*.

RESP. Arbitrariam eſſe intelligentiam pluribus patet. I. Patres nomine Dei intel-

leac-

Digitized by Google

leserunt Idola: atqui nec Reges, nec Sacerdotes Idola ſunt; & in eo ſenſu, quo dicuntur Dii, vere tales ſunt per analogiam. II. Paulus nomen Dei aſſumit ſecundum communem intelligentiam, vulgaremque loquendi modum, ſed Sacerdotes, & Reges in communi locutione non vocantur Deus, ut eſt titulus ſpecialis. III. In illis verbis Paulus deſignare intendit ſpecialiſſimum ſuperbiæ gradum, ſed elatio ſupra Reges, & Sacerdotes non eſt ſpecialiſſimus ambitionis gradus: ſiquidem fuit pluribus Principibus familiaris, quod potiſſime aſſerit de Conſtantio Athanaſius epiſt. ad vitam ſolitariam agentes. Se enim Principem Sacerdotum fecit Imperator ille. IV. Extolletur Antichriſtus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus: at Prælatio Apoſtolicæ Sedis non eſt ſecundum operationem Satanæ, nec in prodigiis mendacibus. Nam etſi concederemus Phocam tradidiſſe Bonifacio III. titulum Capitis omnium Eccleſiarum; contra veritatem aſſeritur, id obtinuiſſe Bonifacium miraculis, qui nulla edidit: ſicut & plurimi Pontifices dono miraculorum caruerunt: & ſi alii excelluere prodigiis, non legimus eo uſos pro obtinenda potentia, & ſupra ceteros præeminentia. V. Paulus aſſerit quod Antichriſtus ſe extollet ſupra omne, quod eſt Deus, ſed Proteſtantes dicunt Papam ſe ſubjicere Idolis, Imagines adorando; ergo Paulus non loquitur de eo, de quo loquuntur Hæretici. VI. Antichriſtus ſecundum Paulum, & Danielem Deum ſuorum non reputabit, ſed evidenter conſtat Papam multùm reputare Deum ſuorum, cujus cultum, & honorem tot mediis promovet.

Inanes Jacobi interpretationes.

73 OBJIC. II. Illyricus *lib. contra Primatum*. Qui extollitur apud Paulum ſuper omnem Deum, ille eſt, qui Danielis 11. *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt Patres ejus colet auro, & argento, & lapide pretioſo*: ſed hoc facit adamuſſim Papa, qui in Templis Imagines auro, & argento ornatas reponit, eaſque adorat, & benè vocantur *Maozim*, quod interpretantur ſubſidium, cum ab Imaginibus ſubſidium expectent Pontificii; ergo &c.

RESP. Blaſphema eſt interpretatio. I. Daniel de eo loquitur, qui nullum alium Deum adorabit præter *Maozim*: atqui Pontifex præter Imagines aperte Deum adorat; ergo. II. Loquitur de eo, qui ut Deum Maozim adorabit: atqui Romanus Pontifex non adorat ut Deum Imagines; immo ut Deum adorari prohibet. III. Loquitur de illo, qui adorabit Deum, quem Patres ejus ignoraverunt: atqui Sacrarum Imaginum cultum agnoverunt Patres ſuæpte a Romano Pontifice. Primi enim Chriſtiani illas ſunt venerati. Quid autem ibi intelligatur, ſuperius diximus.

Imagines non coluntur, ut colitur Deus.

74 OBJIC. III. Iterum Illyricus *in Catal. teſtium pag.* 3. Efferre ſe ſupra Deum eſt venire in nomine Chriſti, ut ipſemet Chriſtus declaravit 24. Matth., atqui Romanus Pontifex venit in nomine Chriſti, cum ſe faciat Vicarium ejus, & majorem eodem ſe faciat. Nam Chriſtus ſubjiciebat ſe Scripturæ, ſecus Papa, qui aſſerit, ſe poſſe diſpenſare contra Apoſtolum, & Evangeliſtam; ergo.

RESP. Hæc mendaciis ſcatent. I. Apoſtoli, de quibus dicitur, quod baptizabant, & miracula operabantur, in nomine Chriſti venerunt, ſed propter hoc non ſe efferebant ſuper omnem Deum; ergo venire in nomine Chriſti præciſe non eſt ſe efferre ſupra omnem Deum. II. Venire ut Vicarium Regis, non eſt ſe efferre ſupra omnes Reges; ergo venire ut Vicarium Chriſti, non eſt efferre ſe ſupra omnem Deum. III. Chriſtus non redarguit loco citato, qui ſimpliciter veniunt in nomine Chriſti, ſed dicentes: *Ego ſum Chriſtus*, ſed Papa non dicit ſe Chriſtum eſſe, ſed oppoſitum, ideſt Chriſto ſubditum. Docet enim illud Chriſti Joan. 13. *Neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum*. IV. Auctor, & Dominus alicujus operis non ſubditur illi operi, ſed Chriſtus Auctor, & Dominus eſt Scripturæ; ergo falsò dicitur Scripturæ ſubjectus. Neque ex quo paſſus eſt, ut implerentur Scripturæ, ſubjecit ſe Scripturis, quia id ſolum eſt exequi, quod facturum ſe per Scripturas promiſerat. Ideo enim Iſaias Chriſtum crucifigendum tradidit, quia id decreverat Dominus facere. V. Pontifex aperte declarat ſe non poſſe diſpenſare in iis, quæ ſunt juris Divini; ergo falſum eſt eum diſpenſare contra Apoſtolum, & Evangeliſtam. Poteſt quidem diſpenſare in illis, quæ ſunt præciſe juris humani, & in præceptis pure Eccleſiaſticis; at hoc non eſt contra Apoſtolum, ſed ſecundum Apoſtolum. v. g. ſtatuit Apoſtolus ne Neophytus in Epiſcopum eligatur. Papa diſpenſavit cum D. Amb., & aliis, ubi neceſſitas Eccleſiæ id poſtulavit: non tamen inde fecit contra Apoſtolum; nam illud decretum erat juris humani, ne ſcilicet Neophytus in ſuperbiam elevaretur.

Papa non dicit ſe Chriſtum.

75 OBJIC. IV. Magdeb. *Cent. 1. capit. 4.* Ex Evangelio Antichriſtus eſt ille mendax, qui negabit Chriſtum in carne veniſſe, ſed hoc facit Romanus Pontifex, qui aſſerit Chriſtum integre nos non redemiſſe. *Sed propter noſtra bona opera aliquid ad ſalutem nos conferre*. Item oſtendet ſe pro Deo, qui poſſit figere, & refigere articulos fidei, quod totum facit Pontifex Romanus.

RESP. Imaginariæ ſunt hujuſmodi gloſſæ. I. Evangelium Mendacem eum appellat, qui negat Chriſtum in carne veniſſe, & hunc eſſe Deum, quem prædixerunt Prophetæ: atqui hæc omnia perfecte docet Papa (& non negat) in Symbolis Nicæno, & Conſtantinopolitano, in Conciliis, quæ approbat contra Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas, & alios Hæreticos, qui contra Chriſtum blaſphemaverunt. II. Ille credit integre nos Chriſtum redemiſſe, qui cum Apoſtolo tenet nos ſanguine Chriſti ab omni peccato emundari: hoc totum docet Papa; ergo. III. Non ſolvit Chriſti Redemptionem, qui operum neceſſitatem admittit ſecundum Scripturam docentem fidem, quæ operatur per dilectionem, docentem ut ſervemus mandata, ut pœnitentiam agamus, ut faciamus Dei voluntatem, ut facta carnis mortificemus, ut non ſimus auditores Verbi tantum, ſed factores, ut

Magdeburgenſium doloria.

Chriſti jugum tollamus, ut potum aquæ demus fratri, expectantes mercedem, ſed hæc omnia Papa docet, nec articulos configit fidei, qui novas non admittit Revelationes, quique in declarandis dogmatibus ſolum Verbo Dei, Sanctorumque Apoſtolorum Traditioni innititur.

76 OBJIC. V. Sedere in Templo ut Deus eſt ſolvere homines a peccato: atqui Papa ſolvit homines a peccatis; ergo ſedet ut Deus in Templo. Omitto plura alia, quæ ſunt pure mendacia, quæ nullimode probant, ſed ſuo marte proferunt Proteſtantes; ut quod ſua ſcripta præferat Verbo Dei, quod fas ſibi dicat mutare formam Sacramentorum, quod ſua edicta extollat ſupra præcepta Dei, & Decalogi, quod nomen, & honorem Dei ſibi vendicet.

RESP. Hæc ſolutione non indigent, cum e regione his opponatur Papa. Et clare patet hæc veritas ipſiſmet Proteſtantibus, cum nullum non habeant, unde ea probent. Solvit Papa a peccatis miniſterialiter, & ea quidem poteſtate, quam dedit Apoſtolis Chriſtus, dicens: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Qualiter autem ſuam doctrinam propagabit Antichriſtus, docet Anſelmus *in Elucidario* ex doctrina veterum Patrum, quatuor videlicet mediis. Primum mira erit eloquentia, & multimoda artium, & naturalium rerum ſapientia, Dæmone ſuggerente mentis conceptus. Inſignis memoriæ vis, qua Sacras Litteras alienabit memoriter retinere. Secundum profuſa liberalitas, qua ingentem auri copiam poſſidens, ob ſibi a Dæmone oſtenſus theſauros, ſuis Auditoribus diſtribuet, qui profuſiora ſperantes recipere de facili ſeducentur. Tertium ſignorum multitudo, quibus in admirationem trahet populos. Miracula, apparentia tamen, facturum docet Paulus 2. Theſſ. 2. dicens: *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & omni ſeductione iniquitatis.*

Artificioſe doctrinam ſuam propagans Antichriſtus.

Nec ipſe ſolum, ſed & ejus Diſcipuli illa patrabunt. Ideo in plurali Matth. 24 dixit Dominus: *Dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Et Apocal. 13. tribuitur Beſtiæ minori, quod ignem fecerit deſcendere. In illa porro Beſtia minori intelligunt communiter PP. præcipuum aliquem Antichriſti Aſſeclam. Quibus alludens Iſidorus *lib. 1. de ſummo bono cap.* 28. ait -- Nam olim faciebant miracula Martyres: tunc autem videbuntur facere ipſi Perſecutores -- Idem Irenæus *lib. 5. cap.* 28. Anſelmus, & Richardus aſſerunt laudatas interpretando Scripturas.

Falſa erunt miracula ex parte finis, quia ordinata ab Antichriſto ad decipiendum, & ad oſtendendum ſe Deum. Ex parte efficientis, quia patrabit Dæmonis ope, qui eſt Pater mendacii. Ex parte formæ, quia naturalem virtutem non evincent. Ex parte materiæ, quia plurima erunt per ſimplices phantaſiæ apparentias. Cujus autem generis ſint futura tria tantum exempla habemus in Scripturis. I. faciet ignem deſcendere de Cœlo. II. ejus juſſu loquetur Beſtia. III. ficte mortuum reſuſcitabit. Eſt tamen veriſimile quod curabit imitari miracula Chriſti, ut ei ſe opponat, eumque deſtruat, ſicut Moyſi ſe oppoſuerunt Ægyptii Aruſpices.

Quartum medium erit violentia, qua exquiſitis tormentis torquebit nolentes ei adhærere; unde S. Cyrillus *loc. cit.*; & Hippolytus dixerunt illuſtriores futuros Martyres: quam unquam fuerint, & ratio eſt, quia Diabolus ſolvetur habens iram magnam. Hæc complexus eſt Aug. *Pſal.* 9. in illa verba: *Inſidiatur quaſi Leo in ſpelunca ſua*, ubi dicit -- In quo vis, & dolus operabitur, cujus perſecutio ſupereſt, qua nihil eſt perículoſius; quoniam violentia, & fraudulentia vim habebit in imperio, dolum in miraculis -- In Leone autem Antichriſtum intelligit.

77 DICES. Complexum horum mediorum efformabit tentationem ſupra modum gravem, contra ſuavem Divinæ providentiæ diſpoſitionem, quæ non permittit tentari ſupra id, quod poſſumus, & videtur exponi fides periculo per illa ſigna falſitatis confirmativa.

Verùm prædicta non ſunt contra Divinæ Providentiæ leges, nec ex parte Juſtitiæ, nec ex parte Miſericordiæ, neque ex parte Potentiæ: Non ex parte Juſtitiæ, quia ea permittet in punitionem incredulitatis Hebræorum, & Chriſtianorum, quorum peccata multiplicabuntur ſub illis temporibus, quibus alluſit Cyrillus *loco citato*, dicens -- Fraternum odium locum dabit Antichriſto. Præparat Diabolus Schiſmata populorum, ut tanto facilius hoſtis recipiatur -- Non ex parte Miſericordiæ, quia id permittet ad coronam, & probationem Martyrum confitentium Chriſtum. Non ex parte Potentiæ, quia dabit interiora ſufficientia auxilia, & exteriora, media prædicatione Miniſtrorum Eccleſiæ, qui non deficient; ad quæ pertinet hoc etiam, quod ſemper prædicabitur doctrina Chriſti, ejuſdemque Apoſtoli, qua traditur perſecutio Antichriſti, ejus falſa miracula, fraudulentiæ, violentiæ, ut falſarius dignoſcatur, & fideles ſibi providere diſcant.

CONTROVERSIA VIII.

AN ANTICHRISTUS TOTAM SIT EVERSURUS ECCLESIAM.

Licèt alibi docuerimus, ſecundum principia fidei, Eccleſiam non defecturam uſque ad finem ſeculi, & ibi aliqua etiam dedimus de tempore Antichriſti; nihilominus, ut alios, qui Controverſias de Antichriſto verſant, imitemur, & ut aliqua Scripturæ loca ibi omiſſa explicemus, ſatius duxi præſentem examinare difficultatem, videlicet, an Antichriſtus ſit Eccleſiam Chriſti funditus everſurus. Motivum dubitandi præbent quædam Scripturæ loca, & quorundam Patrum dicta, quibus exaggerant illorum temporum defectionem. Extant quoque Revelationes Abbatis Joachim, qui-

quibus videtur prædicl Sedis Apoſtolicæ extrema deſolatio ; in maximaſque anguſtias eſſe adigendam Chriſti Sponſam ſomniarunt Beguardi . Sed

Dico . Antichriſtus totam non evertet Eccleſiam .

78 PROB. I. Contra Eccleſiam ex promiſſione Chriſti non prævalebunt portæ Inferi Matth. 16. Sed ſi Antichriſtus illam ex toto everteret , portæ Inferi prævalerent adverſus eam ; ergo illam ex toto non evertet .

Portæ Inferi nuſquā prævalebunt.

79 PROB. II. Quamdiu homines perſeverabunt in fide , tamdiu permanebit Eccleſia , ſed in illa tribulatione plures in fide perſeverabunt ; dicitur enim Matth. 24. *Propter electos breviabuntur dies illi* : Erunt tunc electi ; ergo perſeverabit Eccleſia . Doctores quidam ſecuti Greg. Magnum *lib.* 32. *in Job cap.* 14. de Antichriſto intelligunt illud Apocalypſ. 12. v. 4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem Stellarum*. Etſi ergo tertiam partem perdat eorum , qui propter Sanctitatis meritum Stellæ vocabuntur , duas partes ſupereſſe oportet .

Plures perſeverabunt in fide.

80 PROB. III. Illi ſoli ſequentur caſtra Antichriſti , qui Beſtiam adorabunt , ſed non omnes Beſtiam adorabunt ; ergo non omnes ſequentur Antichriſti vexillum. Min. habetur Apocal. 13. *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitabant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni* ; ergo dabuntur , qui Antichriſtum non ſequentur, ii ſcilicet , qui ſcripti ſunt in libro vitæ. Hæc limitatio aperte veritatem noſtram ſuadet. Videatur D. Thom. *in hunc locum* .

Non omnes Antichriſtum adorabunt.

81 PROB. IV. Non componitur, quod ſit Dux defendens exercitum , niſi detur exercitus , qui defendatur , ſed ſub temporibus Antichriſti dabitur Angelus Cuſtos Eccleſiam defendens ; ergo dabitur Eccleſia , Min. habetur Danielis 12. *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps Magnus , qui ſtat pro filiis populi tui ; & veniet tempus , quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis , qui inventus fuerit ſcriptus in libro* . Quem locum intelligi de Antichriſto patet ex correſpondentia cum cap. 24. Matth. , ubi habemus: *Erit enim tunc tribulatio magna , qualis non fuit ab initio Mundi uſque modo : neque fiet* : Et in hoc ſenſu Intelligunt SS. Patres , ut Hieronymus *in hunc locum* . Cyrillus Jeroſol. *Cathec.* 15. Theodoretus &c., ubi etiam D. Thomas ait -- In
„ tempore ergo illius tribulationis conſurget
„ Michael Princeps Eccleſiæ , qui ſtat pro
„ electis , quaſi adjutor ad reſtigerandum, ut
„ reliquiæ ſalvæ fiant contra Antichriſtum --

Angelus Eccleſiam cuſtodiet.

82 PROB. V. Non everteretur tota Chriſti Eccleſia, ſi toto tempore perſecutionis erit invenire Confeſſores veritatis , ſed ita erit ; ergo . Min. habetur ibidem Danielis 12. *Eligentur, & dealbabuntur multi* . Hic locus explicatur de Martyribus futuris ſub Antichriſto, de quibus Hyppolitus Martyr *Oratione citata* -- O beatos, qui tunc Tyrannum illum
„ devicerint ! Quippe prioribus Martyribus
„ illuſtriores, & ſublimiores declarandi ſunt
„ propterea quod ſuperiores Martyres Diaboli ſatellites ſuperarint; hi vero ipſum filium perditionis expugnarint , ac victoriam
„ reportarint . Quibus igitur encomiis , &
„ coronis non ornabuntur a Rege noſtro Jeſu
„ Chriſto ? -- Cyrillus Jeroſol. *Cathec.* 15.
-- Nunquid autem non Beatus Martyr erit ,
„ qui tunc pro Chriſto Martyrium pertulerit ? Ego verò illum ſuper omnes Martyres eſſe dixerim -- & quidem ob idem momentum . Idem docet S. Ephrem *ſerm. de Antichr.* Greg. *lib.* 32. *Moralium cap.* 12., & alii, qui extollunt ſupra præterita illius temporis Martyria , quia tunc Diabolus ſolutus erit . Præter Martyres erunt plurimi credentes , hinc inde profugi ; adeoque Eccleſia non evertetur . Lactantius *lib.* 7. *cap.* 7.

Antichriſti tēpore erunt Martyres.

Hanc veritatem docet Aug. *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 8. -- Ne quis exiſtimet eo ipſo
„ parvo tempore , quo ſolvetur Diabolus , in
„ hac terra Eccleſiam non futuram &c. Immo verò id potius credendum eſt , ut nec
„ qui cadant de Eccleſia , nec qui accedant
„ ad Eccleſiam , illo tempore defuturos . Sed
„ profectu tam fortes erunt , & parentes pro
„ baptiſandis parvulis ſuis , & hi , qui tum
„ primò credituri ſunt , ut illum fortem vincant , etiam non ligatum &c. Cogitandum,
„ non ſolum quos bonos fideles illud tempus
„ inveniet , ſed nonnullos etiam , qui foris
„ adhuc erant (adjuvante Dei gratia per conſiderationem Scripturarum , in quibus , &
„ alia , & finis ipſe prænunciatus eſt , quem
„ venire jam ſentiunt) ad credendum quod
„ non credebant futuros eſſe firmiores ; & ad
„ vincendum etiam non ligatum Diabolum
„ fortiores -- *Et cap.* 11. -- Chriſti Eccleſia
„ toto terrarum Orbe diffuſa , dilecta Dei
„ Civitas , perſecutionis illius immanitate
„ cingetur, hoc eſt in anguſtias tribulationis
„ arctabitur , urgebitur , concludetur , nec
„ militiam ſuam deſeret , quæ vocabulo eſt
„ appellata Caſtrorum --

Tempore perſecutionis plures ad fidem convertentur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

83 OBJIC. I. Plena contra Eccleſiam victoria ejuſdem eſt totalis everſio, ſed Antichriſtus plenam conſequetur victoriam contra Eccleſiam ; ergo illam totaliter evertet. Min. habetur Danielis 7. *Ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis* . Et Apocal. 13. *Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis , & vincere eos* . Porrò Sanctorum nomine veniunt Chriſtiani. Propoſitio explicans victoriam eſt indefinita , adeoque univerſalis . Deinde illos dicitur vincere , adverſus quos movet bellum , ſed contra omnes Chriſtianos movet bellum ; ergo omnes ſuperabit .

RESP. neg. min. Quam non evincit probatio ; tum quia propoſitio indefinita in materia contingenti æquivalet particulari ; tum quia ibi non agitur de ſpirituali victoria , ſed corporali , quia Chriſtianos affliget , & torquebit , ut bene in locum Apocalypſ. ſcribit S. Thom. his -- Ut ait Gloſſa , quia affliget
„ eos, & interficiet. Hanc tamen victoriam
„ non timent ſervi Dei ; & ideo vincunt , non

Plures ſedũ‑cet Antichriſtus.

„ vin-

„ vincuntur ſpiritualiter -- Et quamvis plerique vincentur ſpiritualiter, non tamen omnes. Unde Danielis 8. *Magnificatum eſt uſque ad fortitudinem Cœli, & dejecit de fortitudine, & de Stellis, & conculcavit eas*. Quæ locutio de ſtellis indicat aliquos dejeciſſe, non omnes.

84 OBJIC. II. Toties deperditur Eccleſia totaliter, quoties amittit eſſe viſibilitatis, & ad nihil reducitur, ſed ſub Antichriſto ita erit, juxta illud Apocal. 12. v. 6. *Mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*. Nomine Mulieris omnes intelligunt Eccleſiam: Hanc fugam futuram eſſe ſub Antichriſto intelligunt communiter Patres, ut Victorinus, Aretas, Hippolytus, Ephrem, Lactantius, & alii. Locus verò paratus, eſt Paradiſus, in quem recipientur omnes juſti; injuſti enim credent Antichriſto. *Vado parare vobis locum*, dicebat Dominus Apoſtolis Joan. 14.

RESP. neg. min. Concedo quidem eo loci ſermonem eſſe de Eccleſia, etiam ſub Antichriſti perſecutione, sed nego illatum; interpretatio enim ibi poſita eſt textui violenta. Quidam ex Patribus nomine ſolitudinis intelligunt revera locum materialem deſertum, & abſconditum in montibus; quia tunc fideles fugientes perſecutionem declinabunt ad loca abſcondita, juxta Chriſti conſilium Matth. 24. datum pro illo tempore. Et nomine Eccleſiæ fugientis intelligunt potiſſime Præſules, & Epiſcopos. Paſtus poſtea, de quo loquitur, eſt exercitium prædicationis, & uſus Sacramentorum, quem frequentabunt fideles. Non nocebit ei quidquam hoſtis; & ideo ſubditur terram abſorbuiſſe flumen aquæ, quod poſt mulierem projecit Draco.

Præter eos tamen, qui in ſolitudinem fugient, dabuntur alii fideles in Civitatibus, unde ſubditur: *Et iratus Draco in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti*. Aretas *in cit. cap.* 12. *Apocalyp.* dicit -- Arripient fugam Eccleſiæ „ Coriphæi, ac præcipui Præſules -- Lactant. *cap. jam cit.* -- Tunc juſti, & Sectatores veritatis ſegregabunt ſe a malis, & fugient in ſolitudines -- Ephrem *Serm. de Antich.* -- Plurimique Sanctorum, qui tunc reperientur, confugient maximo cum ſtudio ad deſerta, & occultabuntur timore percuſſi in ſolitudinibus, & montibus, & ſpeluncis --

Alii Patres locum intelligunt in ſenſu litterali myſtico; & per ſolitudine intelligunt ſecretum cordis, quatenus boni fideles ſeria meditatione perpendent Scripturas, & firmabuntur in fide, & conſtantes ſtabunt contra Antichriſtum; ideo dicitur: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum*. Referunt *duæ alæ* duo Teſtamenta: *Aquilæ magnæ* dicuntur, quia ſicut Aquila nidum ſuum valde firmat, & cuſtodit, ita Eccleſia profunda Scripturarum conſideratione nidum ſuum cuſtodiet contra Draconem, qui ſe convertet ad eos, qui non erunt tam firmi, & ſtudioſi in earum mediatione. Pro duabus alis alii intelligunt Henoch, & Eliam prædicantes. Sic in hunc locum clariſſime S. Thom. Et Hippolytus *Orat. cit.* ait -- At „ multi, qui audient Scripturas Divinas eas „ in manibus habebunt, mente verſabunt, „ impoſturam illius evitabunt &c. -- Sic alii.

85 OBJIC. III. Non ſtat Eccleſia ſublato omni Chriſti cultu, ſed ſub Antichriſto tolletur omnis Chriſti cultus; ergo tolletur Eccleſia. Min. prob. Danielis 12. *Et a tempore cum ablatum fuerit juge Sacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*. Pro jugi Sacrificio cultum Dei intelligunt Hieronymus, Theodoretus, Anſelmus Laudunenſis, Vatablus, D. Thom., & alii. Et revera conſonantia Scripturarum id indicat; nam quando Daniel. 9. prophetat per Titum, & Veſpaſianum deſolationem populi Hebraici, & ablationem totius cultus Moſaici, explicat conſimili phraſi: *Et in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium*.

RESP. neg. min. Ad probationem dico I. locum Scripturæ intelligi ad litteram de ablatione Sacrificii Miſſæ, cujus publicam, & apertam celebrationem impedire ſtudebit Antichriſti perſecutio, quæ violenter Eccleſias, & Altaria diruet. Apertam dixi, nam in locis reconditis ſummo cultu, & ſedulitate incruentum Sacrificium exercebunt, curabuntque fideles, ne ad manus impii perveniat Euchariſtia, ut Majeſtas tanti beneficii a contumeliis vindicetur. Eo verò ſenſu juge dicitur Sacrificium, quia omni die celebratur, & in Sacrario conſervatur nocte, dieque venerabile Sacramentum.

Pietatis opera clanculo exercebantur.

86 Dico II. In jugi Sacrificio intelligitur univerſus cultus Dei, ſumpto principali, & potiori pro toto; non inde tamen ſequitur, ubique, & omne diſtributive ceſſaturum Divinum obſequium, ſed ſolum impedietur apertum, & publicum exercitium, quod modo fit apud Hæreticos. Clemens Alexandrinus, ubi legitur (*A tempore cum ablatum fuerit juge Sacrificium*) reponit *a tempore immutationis perennitatis*. Quia ſicut curabit Antichriſtus auferre cultum veri Dei, ita tentabit ſubſtituere cultum ſui ipſius, qui propterea ibidem dicitur *abominatio*.

DICES. Sancti Patres aſſerunt ceſſaturum univerſaliſſime cultum Dei. S. Ephrem *Serm. de Antichriſto* -- Lugebunt Eccleſiæ Chri„ ſti univerſæ luctu maximo, eo quod am„ plius Deo non offeratur oblatio Divina, & „ Sanctificatio, Sanctorumque Sacerdotum „ jam ceſſet Miniſterium -- Hippolytus *Orat. de conſum. Mundi* -- Lugebunt etiam Eccle„ ſiæ luctu tunc magno, quia nec oblatio, „ nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus, „ ſed & Eccleſiarum ædes Sacræ inſtar tugu„ rii erunt; pretioſumque Corpus, & San„ guis Chriſti non extabit in diebus illis; Li„ turgia extinguetur; pſalmodia ceſſabit --

RESP. Patres id aſſerunt, ut explicent perſecutionis immanitatem; non tamen intelligunt ceſſaturum revera ubique omnem cultum, cum ipſi iidem fateantur, plurimos viros fortiter defenſuros jura Chriſti. Id autem intelligunt pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum, & ſolum ea libertate peragenda negant, qua nunc Chriſtianæ

Perſecutio Antichriſti immanis.

Re-

Religionis officia ſunt in uſu. Adderem Danielem vim facere in ly *juge*, ideſt diuturnum, ſeu quotidianum, ſeniumque eſſe, auferendam frequentiam Divini Sacrificii, Sacrique cultus, non autem abſolute, ſed quandoque etiam publice, & aperte exercebitur.

87 OBJIC. IV. Perſecutio, quæ vaſtabit omnia, & populum Dei delebit, Eccleſiam totaliter everter, ſed hoc faciet Antichriſtus; ergo ſub illo totaliter Eccleſia deficiet. Min. habetur Danielis 8. v. 24. *Et ſupra quam credi poteſt, univerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum Sanctorum ſecundum voluntatem ſuam &c.* Si ergo populus Sanctorum interficietur, non remanebit.

RESP. Nomine populi venit multitudo Chriſtianorum, quam occidet, non autem totum Eccleſiæ corpus: quem locum explicans D. Thom. ait — Sicut Antiochus Machabæos, & Judæos, ſic Antichriſtus populum Sanctorum, veros Cultores Dei, & Chriſtianos, qui ei acquieſcent — ſed Antiochus univerſos non ſuſtulit Judæos; ergo neque Antichriſtus Chriſtianos. Unde Danielis 11. v. 33. habetur: *Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter, & de eruditis ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur uſque ad tempus præfinitum.* Quibus prædicit futuros ſemper fortes fideles, qui alios erudient, & caſuros quidem quoſdam, ſed non omnes. Sic ſuadet illa phraſis: *Et de eruditis ruent.* Sic D. Thom. qui habet — Implebitur tempore „ Antichriſti, cui congregati Sancti parvulo „ reſiſtent auxilio —

Plurimi ſub Antichriſto occidentur.

88 OBJIC. V. Maximæ perſecutioni in Eccleſiam maxima correſpondebit ejuſdem deſolatio; ſed perſecutio Antichriſti maxima erit, ut conſtat Matth. 24., & Danielis 8., & 12.; ergo correſpondebit maxima Eccleſiæ everſio, ſed non erit maxima, niſi fuerit totalis. Tum quia in pleriſque perſecutionum priorum fere tota de medio ſublata eſt Eccleſia. Tum quia id ſignificare videntur modi locutionis Scripturarum, & Sanctorum Patrum. Apocal. 20. dicitur: *Aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum.* Propoſitio eſt univerſalis. S. Cyrillus Jeroſol. *Catecheſi* 15. immaniſſimam hanc perſecutionem fuſe deſcribit verbis graviſſimis, & omnino univerſalibus, exprimentibus defectionem Chriſtianorum. S. Ephrem *Serm. de Antichriſto* adhuc urgentius ſub oculis ponit lugubrem illam tragœdiam. Idem Lactantius *lib. 7. cap. 16., & 17.* Urgentiſſime autem illam proſequitur S. Hippolytus Martyr *Orat. de Conſummatione Mundi*, dicens — Tunc iniquus ille elatus animo Dæ„ mones ſuos congregabit humana facie &c. „ Confeſtim mittet Dæmonum cohortes ad „ montes, ſpeluncas, & cavernas terræ, qui „ ſcrutentur eos, qui ſubduxerunt ſeſe ab o„ culis ejus, & adducent eos ad adorandum „ illum — Dæmonibus uſurum Antichriſtum fatetur etiam Cyrillus ibidem loquens de Martyribus — Nam qui antea præceſſerunt, cum „ hominibus illis tantum certamen erat, qui „ verò tempore Antichriſti patientur, perſo„ naliter cum Satana pugnabunt — Si ergo etiam illi, qui in cavernis latebunt, adducentur ad adorandum Antichriſtum; ubi erit Eccleſia?

RESP. maximæ perſecutioni reſponſuram maximam deſolationem, vel temporalem, vel ſpiritualem, vel mixtam. Deinde neg. min. ſubſumptam. Concedimus perſecutionem Antichriſti futuram majorem alia qualibet. Quod enim Gen. 3. v. 15. habemus: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*, intelligitur de tempore Antichriſti, ſub quo dabitur Diabolo inſidiari, & mordere Eccleſiam; in calcaneo enim ſignificantur extrema, & ultima illa tempora, ut ait Iren. *lib. 5. cap.* 24. Eam differentiam agnoſcit D. Auguſtinus, quæ eſt inter Diabolum ſolutum, & ligatum: non inde tamen tota evertetur Eccleſia; quamvis enim plures mordeat canis ſolutus, quam ligatus, non tamen omnes; quidam enim reſiliunt, alii fugiunt. Plures ſuperſtites futuros oſtendunt, quæ adduximus, & illa phraſis Domini Matth. 24. *Itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*, indicat plures non eſſe caſuros.

Diabolus ſub Antichriſto ſolvetur.

Nec prima probatio evincit. In nulla namque perſecutione viſa eſt prope extinctionem Eccleſia, licet Miniſtri Idolorum id evulgarint, ut alibi ex D. Aug. citavimus, ſed in dies creſcebat, itaut quandoque Conſiliarii Præfectos rogaverint, ut abſtinerent ab occiſione Chriſtianorum, quia inde funera multiplicabantur. Non ſecunda, quia iidem Sancti Doctores docuerunt non ceſſaturam Eccleſiam, immo plurimos futuros, qui exurgent pro Domino, ſe Antichriſto opponentes, licet immanitatem perſecutionis deſcribant illis locutionibus. Ex cavernis aliquos ad perniciem adducturum non negamus, non tamen omnes.

Ex dictis in hac Controverſia ſic arguo contra Hæreticos. Ut patet ex Daniele conatus ſuos diriget Antichriſtus, ut tollat Sacrificii incruenti Myſterium, & publicum pſalmodiæ cultum, ut cap. 8. v. 12. *Robur datum eſt ei contra juge ſacrificium.* Sed Eccleſia Romana per Romanum Pontificem omni niſu promovet cultum externum, & internum Dei, & venerationem Sacrificii incruenti; & ex adverſo Proteſtantes in Miſſam Sacroſanctam invehuntur inſolenter; ergo Paſtor Romanæ Eccleſiæ non eſt Antichriſtus, ſed potius ipſimet Hæretici.

Secundo. Perſecutio Antichriſti in Eccleſiam eſt futura major qualibet alià, ſed indubie a tempore Bonifacii III. uſque ad nos Eccleſia Romana non eſt inſecuta Hæreticos ea ſeveritate, quæ fuit in præteritis Tyrannorum perſecutionibus; ergo non eſt Antichriſtiana. Enumerentur quotquot Hæretici ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis fuerunt puniti, & vix numerari merentur, ſi cum Martyribus noſtris comparentur. Sub uno Diocletiano nocte Natalis Domini mille Martyres conſumpti ſunt flammis, ſicut occidentalia, & orientalia tradunt monumenta. Nicomediæ ſolum (omiſſis aliis Orbis partibus)

decem

decem mille gladio occubuerunt, & Romæ intra unum menſem decem, & ſeptem mille occiſi ſunt. Dicant ubi quidquam ſimile fecit contra Hæreticos Pontifex Romanus.

Si tamen veritati concedendus eſt locus, vera, & graviora mala intulerunt Romanæ Eccleſiæ Hæretici noſtrorum temporum. Quot in Regnis Angliæ, Hollandiæ, Scotiæ, in pluribus Imperialis Germaniæ Provinciis, Poloniæ, Ungariæ bonis deſpoliaverunt? Prodant quid in Galliis fecerint contra Eccleſias, Sanctas Imagines, Divinaque cetera. Prodant, quot morti tradiderunt in Anglia, & alibi &c. Eo clarior patet ſtultitia Adverſariorum, ſi reflectamus ad crudelia, & barbara inſtrumentorum genera, quibus uſi ſunt Tyranni, ſi ad ſævitiem, qua illis utebantur, & comparemus cum iis, quibus paucos punivit rebelles Eccleſia. Sed pudeat immorari.

89 Circa Antichriſtum plura alia eſſent movenda quæſita eruditioni inſervientia, quæ fuſiori proſequitur calamo Malvenda agens de Antichriſto. Verum cum non ſuſceperim de Antichriſto loqui, niſi ſecundum ea, quæ ſpectant ad demonſtrandam Eccleſiam Romanam non eſſe Antichriſtianam; incongrue inſererentur. Si tamen aliquid utile erit, in ſolutionibus objectionum tangam. Ob idem motivum incongruitatis omitto Controverſias ſcitu dignas circa ſigna prævia conſummationi Mundi, & circa modum Adventus Domini ad judicandum genus humanum, quas communiter ſolent Doctores apponere tractatui de Antichriſto.

Quare veniam ad objectiones, quas adverſarii inculcant, ut probent Antichriſtum alium non eſſe a Romano Pontifice. Verum non adducam omnia, quæ conſarcinant Lutherus, Calvinus, Tilmanus, Illyricus, Citræus, Libellus Smalcaldicus, & alii; tum quia ea refert Bellarminus *a cap. 18. uſque ad 23. lib. 3. de Romano Pontifice*; tum quia ſunt adeo pueriliter promota, ut non mereantur transcribi. Ea etiam ſupponunt tanquam vera univerſa ſua impia dogmata, quæ Proteſtantes ſtatuunt contra ritus externos Sacramentorum, Cultum Imaginum, Sanctorum Invocationem, Peccatorum abſolutionem, bonorum Operum neceſſitatem, Purgatorium, Ordinationis conſecrationem, & ſimilia, quæ docet Eccleſia Romana, & ob hoc vocant illam Antichriſtianam. Illa ergo præciſe movebo, ex quorum ſolutione aliquid eruditionis excipi poterit.

SOLVUNTUR ALIA QUÆDAM ARGUMENTA HÆRETICORUM CONTRA PRINCIPALEM CONTROVERSIAM.

90 OBJIC. I. Citræus in 3. Apocal. Cui convenit nomen Antichriſto aſſignatum a Scriptura, ille dicendus eſt Antichriſtus, ſed hoc convenit Papæ; ergo ille eſt Antichriſtus. Min. declaratur Apocal. 13. dicitur: *Qui habet intellectum computet numerum Beſtiæ. Numerus enim hominis eſt; & numerus ejus 666.* ſed nomen *LATINUS*, ſecundum Scriptionem Græcam, & nomen, *ROMANUS* ſecundum Hebræam reddit numerum 666. Cum Papa ergo dominetur in Latio, & Romanus Epiſcopus ſit, ipſi convenit. Quibus accedit Irenæi auctoritas *lib. 5. cap. 24.* probabiliter aſſerentis, nomen Antichriſti perinde eſſe, ac *LATINUS*.

Verum hæc argumentatio eſt omnino putida, ex eaque dilucidius colligitur Lutherum eſſe Antichriſtum; nam ſecundum Genebardum *lib. ultimo Chronolog.* nomen *LUTHERI* eundem numerum efficit, ſicut & *SAXONIUS*. Si ergo, & nomen Patriæ, & nomen proprium conſentiunt, certius ipſi applicatur Scripturæ dictum. Verum in iſtis divinationis luſus eſt; ſiquidem ſecundum dictionem Græcam Sancti Patres, ut Hippolytus, Irenæus, Anſelmus, Beda, Primaſius, Aretas, Andreas &c. in aliis nominibus numerum illum eundem inveniunt, ut in iſtis, *GIGAS, ADVERSARIUS, NEGO, MALUS DUX, BENEDICTUS, VICTOR, AGNUS NOCENS, VERE NOCENS, JAM OLIM INVIDENS*, & in aliis relatis a Malvenda *lib. 8. de Antichriſto cap. 17.* ubi nomina Græca, & numeralem ſupputationem eorum tranſcribit.

Divinationis luſus apud Hæreticos.

Deinde clare deducitur ex Scriptura oppoſitum. Nam Apocal. 13. Numerus ille dicitur: *Numerus hominis eſt*: atqui nullus Papa uſque adhuc vocatus eſt *LATINUS*, & unus tantum vocatus eſt *ROMANUS*, qui præciſe ſupervixit quatuor menſibus, ac proinde Antichriſtus nequit fuiſſe. Ulterius, Nomen *ROMANUS* ex Hebræo non efficit illum numerum propter defectum ultimæ literæ, nec Nomen *LATINUS* ex Græco propter defectum primæ. Irenæus non favet, qui aliis nominibus numerum illum affigit, & præcavet temere nil eſſe aſſerendum. Secundum hebraicam, eundem numerum reddunt, *ALTISSIMUS, SUPREMUS DOMINUS, DEUS SANCTUS, JOANNES CALVINUS, DAVID CITRÆUS*.

Ceterum quid ibi intelligat Evangeliſta, melius id capiunt, qui fatentur ignorantiam ſuam, quam qui firmum aliquid ſtatuere præſumunt; hi enim periculo errandi ſe exponunt, prout advertit Irenæus; & revera aliquarum opinionum producto exemplo evincitur. Bullingerus vult illo numero ſignificari, vel tempus Nativitatis, vel mortis Antichriſti; quod eſt aperte contra textum aſſerentem, eſſe numerum nominis ejus. Lyranus cum pluribus tenet, eſſe tempus mortis Mahometi: at licet *MAHOMETUS* ex Græco numerum illum edat, in nullo tamen Hiſtoriographo Latino, aut Græco invenitur mors ejus 666. Amplior opinio Græcorum aſſignat annum obitus 830. Nec punctum tangunt, qui illis comprehendi volunt tempus durationis ſuæ Sectæ; eſt enim omnino incerta illa duratio, & numerus ille eſt jam diu elapſus. Rupertus in *ſexcenteſimo* intelligit prævaricationem primam Diaboli, qua ipſe lapſus eſt, in *ſexageſimo* prævaricationem, qua idem Diabolus Adam perdidit, in *ſexto* prævaricationem, qua ſub Antichriſto Eccleſiam vaſtabit. Beda in primo numero intelligit Perfectum, in ſecundo Perfectius, in tertio Perfectiſſimum; & datur intelligi Antichriſtum ſibi procuraturum perfectiſ-

Quid referat numerus beſtiæ.

Digitized by Google

ſectiſſimom honoris tributom . Sed hæc myſtica ſunt, non litteralia . A

91 OBJIC. II. Bulling. *in Apocal.* Bibliander *in Chron.* Tob. 10., & Citræus. Pontificii deferunt characterem, quo Antichriſtus ſuos ſignaturus in Scriptura deſcribitur Apocal. 13. Ergo eorum ſupremus Epiſcopus eſt Antichriſtus . Ant. prob. Omnes Chriſtiani innunguntur Chriſmate in frontibus , alii Sacerdotali unctione ſignantur, alii coguntur præſtare juramentum fidelitatis , omnes procumbunt ante ſtatuas , & panem conſecratum , interſunt Miſſis ſunebribus .

Sed hæc conficta omnia ſunt, & ea proferunt abſque aliquo rationis, vel auctoritatis momento ; & ideo contra antiquitatem, contra Scripturam aperte ſtant. Contra antiquitatem , quia ea omnia in uſu fuerunt a primis ſeculis ante Bonifacium III., ut conſtat ex Sanctis Patribus . De Chriſmate mentionem facit Auguſtin. *tract.* 118. *in Joan.* Cyprianus *lib. primo epiſt.* 12. Tertull. *lib. de Reſurrectione carnis &c.* De Sacerdotali unctione Nazianzenus *in Apologetico ad Patrem ſuum, & Orat. de pace*. De adorat. Imaginum Hieron. *in vita Paulæ* . Ambr. *lib.* 3. *de Spiritu Sancto cap.* 12. Aug. *Pſal.* 98. Et ſic de aliis, quæ ſuis Controverſiis fuſe elucidantur. Contra Scripturam ; nam Scriptura unum aſſerit Antichriſti characterem, & Hæretici plures confingunt . In manu dextera , vel in fronte deferendum characterem tradit textus; at aſſignati ab Adverſariis non poſſunt indiſcriminatim deferri in manu dextera , vel fronte ; nam Chriſma in manu deferri nequit , juramentum in ore, vel ſcripto conſiſtit , unctio Sacerdotalis eſt in capite, & digitis utriuſque manus , adoratio non eſt munus frontis, nec manus , ſed capitis , vel totius corporis . Ulterius ſine charactere Antichriſti nemo poterit vendere, vel emere : Pontifex verò non cogit ad hæc . Deinde character Antichriſti erit communis puſillis, & magnis , divitibus, & pauperibus : aſſignata verò ab Hæreticis non ſunt communia , ut evidens eſt ; pauci enim ſunt Sacerdotes , pauci , qui juramentum fidelitatis præſtant, & Chriſmate inunguntur nonniſi certæ ætatis homines .

92 Quid verò ſi futurus ille character Antichriſti , divinando dividuntur Auctores . Ansbertus , Ribera cum aliis volunt eſſe ſignum , in quo compendioſe Chriſti nomen Græcis litteris efformatum referatur. Idem Ribera , Melus cum aliis tradunt eſſe aliquam Imaginem Draconis, quam adorari præcipiet. S. Hippolytus Martyr vult eſſe Elogium, quo inſcribatur: *Nego Jeſum , nego Baptiſma* . Communior Patrum opinio tenet , futurum proprium Antichriſti nomen , litteris integris , vel compendioſis expreſſum , addito numero 666. Nam, licet Chriſto Antichriſtus ſe totaliter opponet , imitabitur tamen (ad diſtinguendos ſuos) exemplum , quod Chriſtus Eccleſiæ inſpiravit, ut ſigno Crucis in fronte munirentur fideles,& uſum formatarum litterarum,quæ fuerunt in uſu primis ſeculis. Verius dicetur æmulaturum legis Moſaicæ præſcriptum , quo præcipiebatur , ut Hebræi in fronte portarum affixam, in manibus, & aliis locis haberent ſummam legis , & præ oculis

Character Antichriſti nomen.

2

eſſet , cum ut Meſſias ſit ab ipſis habendus .

Ad Armigerum ſpectabit cogere aſſeclas Antichriſti ſignum hoc accipere. Hic autem erit Pſeudopropheta inſignis , ut deſcribitur Apocal. 19. Loquetur velut Draco , ſcilicet peſtiferam tradet doctrinam , ni velimus dicere, horribili quaſi ſybilo locuturum , ſicut locutus eſt Serpens primævus, qui Evam decepit . Faciet omnem poteſtatem prioris Beſtiæ, videlicet , genera eadem miraculorum, quæ Antichriſtus patrabit. De eo dicit Joannes Apoc. 13. *Et habebat cornua duo ſimilia agni* , quæ minora eſſe ſolent , ut deſignetur ipſum inferiorem eſſe Antichriſto. Et alii inde colligunt futurum aliquem inſignem Apoſtatam ex Catholicis , & Mitra Epiſcopali infulatum fore , quæ incerta ſunt . Communis ſenſus Patrum , ut Irenæi , Hippolyti , Victorini , Aretæ, Andreæ, & aliorum eſt, quod erit Præcurſor fraudulentus , & ſævus Armiger Antichriſti . Ex quo verò genere , vel quo habitu proceſſurus ſit , ignotum, & obſcurum remanet .

Animus erat proſequi objectiones ex interpretationibus factis a Rege Britannico ſuper 6. 13. 14. 15. 16., & 17. Apocalypſis capita , quæ omnia Antichriſto applicat , & inde Romano Pontifici. Sed animadverti laborem eſſe omnino vacuum ; ſiquidem ſunt omnes accomodationes prorſus arbitrarias , abſque ductu Sanctorum Patrum, contra litteræ conſonantiam , contra apertam veritatem ipſi notam circa ea , quæ Eccleſia Romana docet ; ſequiturque veſtigia ſuorum Proteſtantium inculcantium tanquam ſuperſtitionem , Templorum ornatum, Imaginum cultum , Sacramentorum ritus , & ſimilia .

Pariter animus erat oſtendere quæcumque contra Romanam Eccleſiam ex Notis Antichriſti jaculantur , Sole clarius convenire Luthero, Calvino, Henrico VIII., & eorum ſequacibus . Verum & hoc inane, cum neceſſe ſit iterum repetere nugas toties ventilatas . Videri tamen poterit Sanderus *lib.* 8. *viſibilis Monarchiæ* , & Suarez *contra Regem Angliæ* , ubi Jacobi argutias evertit . Beccanus *in ſuis Opuſculis, & in Manuali fidei* .

93 Duo ſolum placet advertere . Primum, videri omnino falſam opinionem, quam recitat Severus Sulpitius *lib.* 2. *Sacræ hiſtor.* , ſcilicet, multos tenere Antichriſtum fore Neronem, de quo loquitur Paulus 2. Theſſ. 2. in illis verbis: *Jam operatur myſterium iniquitatis*, applicantque id,quod de Beſtia dicitur Apocal. 13.,videlicet plagam accepiſſe, & ab ea poſtea curatam fuiſſe. Duplici porro via id explicant. Quidam dicunt Neronem mortuum eſſe, ſed tunc vitæ reſtituendum . Alii non eſſe mortuum, ſed reſervatum . Quomodocumque explicetur, nihil ex Scripturis habetur. Certum eſt evidentia fidei humanæ ex univerſis hiſtoriis, Neronem mortuum eſſe, & ſeipſum interfeciſſe , ſeditione in ipſum commota . Sic Niceph. *lib.*2. *hiſtor. cap.* 27., *& lib.* 4. *cap.*1. Euſebius *in Chronico ad an.* 90. Oroſius *lib.*7. *hiſt. ad an.* 88. *ab Urbe condita* . Turonenſis *lib. primo cap.*25., *& alii*; adeoque ſecundus modus dicendi nequit ſubſiſtere .

Deinde in Scriptura deſcribitur Antichriſtus una perſona , quæ a nativitate uſque ad

mortem, ipſi a Domino inferendam, durabit. Ulterius illa conſervatio Neronis abſque grandi miraculo admitti non poteſt, ſed miracula non facit Deus, niſi propter fines valde honeſtos; eſt autem valde indecorum, quod Deus tam grande patret miraculum, ut Nero graviori iniquitate proſequatur, & finiat perſecutionem contra Eccleſiam. Quo pariter motivo refellitur primus modus dicendi de Reſurrectione, quæ eſt Divinæ Omnipotentiæ opus. Præterquamquod non apparet in Scripturis Antichriſtum adducendum eſſe modo ſupernaturali. Illud de plaga non favet, tum quia illa dicitur quaſi occiſi in mortem, non autem revera mortui. Et Patres intelligunt Caput unum Beſtiæ vulnerandum eſſe apparenter uſque ad mortem, & ſanitati reſtituendum opere Diaboli, ut oſtendatur Antichriſtum habere poteſtatem miraculorum. Tum quia illud continget ſub tempore ipſo Antichriſti; tunc enim accipiet Beſtia vulnus, & ſanabitur, & admirabitur terra. Tum quia, vi illius prodigioſæ ſanationis plurimi inducentur in errorem, & adorabunt Beſtiam, ad quod Deus nequit miraculis concurrere. Quare illa opinio, quam multorum aſſerit Sulpitius, popularis ſit oportet; nam SS. Patres illud Pauli dictum non intelligunt de Antichriſto in perſona, ſed in typo.

Secundo adverto videri pariter falſam opinionem eorum, qui Mahometum Antichriſtum aſſerunt; nam licet pleraque, quæ profert Scriptura ipſi adaptari poſſint: multo tamen majora applicari nequeunt, ut quæ de Sede Antichriſti dicuntur; de charactere, de brevitate perſecutionis, de everſione Romani Nominis, de modo mortis, de duobus teſtibus Elia, & Henoch, de erroribus, de qualitate miraculorum, & ſimilia. Dicitur quidem Antichriſtus etiam ab aliquibus Deiloquis Patribus, ſed eo ſenſu, quo a Joanne Evangeliſta quilibet Pſeudopropheta, & Hæreſiarcha Antichriſtus dicitur. Qui tamen cuperet hanc quæſtionem examinatam videre, adeat Pererium in Apocalypſim. Sicut qui plura expeteret de Antichriſto, præcitatum Malvendam, & Sanderum conſulat. Quæ diximus noſtro Inſtituto ſufficiunt.

Si quid tamen in toto hoc tractatu de Eccleſia ſecundum omnes ſui partes (ſicut, & in qualibet alia materia) dixi, vel ſcripſi minus fidei principiis congruum, Conciliis, & Sanctis Patribus diſſonum, vel a veritate quomodolibet alienum, libenter & ex corde ſubjicio cenſuræ Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ, nec non Doctiorum judicio, paratus, vel minimum apicem emendare.

Si quid verò boni, vel utilis in iis Controverſiis eluxit, donum Dei eſt, ipſique laus, & gloria, & gratiarum actio debetur; nec non Beatiſſimæ Virgini Mariæ, ſub cujus Patrocinio eas ſum inauguratus, Divoque Angelico Magiſtro, cujus doctrinâ non raro obſcuras difficultates enodavi, ab eoque (in hodierno ejus ſolemnitatis pervigilio) veniam peto, quod in perſcrutanda veritate ſollicitius ejus ſcripta non evolverim.

PARS SECUNDA
TOMI PRIMI
DE FALSO PRÆTENSO CAPITE ECCLESIÆ ANGLICANÆ,
SEU
DE LAICOCEPHALIA ANGLICANA.

POteſtas, quam Supremus Dominus ad Univerſi gubernationem communicavit hominibus, duplex eſt, una civilis, ſeu politica, quæ in humana Republica temporale bonum reſpicit exterioris politiæ, ſpiritualis altera, quæ ſupernaturale animarum bonum dirigit in ordine ad æternam ſalutem. Utramque poteſtatem conatus eſt humani generis hoſtis Satanas evertere, ea propter per Hæreticos plures evulgavit errores, quos in hac ſecunda parte aggredimur. Adverſus politicam poteſtatem hi inſurrexerunt, quos in prima Controverſia dabimus, adverſus ſpiritualem potiſſimum palam arma movit Henricus VIII.

A

Angliæ Rex, qui impietatis ſucceſſores non ſolum habuit filios Eduardum, & Eliſabetham, ſed & Jacobum Mariæ Reginæ Scotiæ Filium, & heredem, qui Angliæ ſceptro potitus Primatum Eccleſiæ per univerſam Britanniam, Eccleſiaſticamque exercuit auctoritatem. Porro Primatum ſuum Sacerdotalem ſcriptis ſtuduit propugnare, cujus deliramenta invictè a Controverſiſtis enervantur. Horum veſtigia ſequentes nos quoque contra ipſum inſurgemus. Attamen, ut rectæ diſtinctionis claritas habeatur, in hac Diſputatione a politica poteſtate exordimur, acturi poſtmodum de ſpirituali; & meritò quidem: Illa quippe ſi ad hanc referatur, jure cenſetur inferior. Sit ergo.

DISPUTATIO PRIMA.
DE POLITICO REGIMINE.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN POLITICA POTESTAS SIT CHRISTIANIS LICITA.

1 REfert Joſephus *lib.* 18. *Antiquitat. cap.* 1., quorundam Judæorum errorem fuiſſe (cujus auctor Judas Galilæus) ſoli Deo ſubjectionem eſſe præſtandam, quolibet politico ablegato gubernio: quos ſecuti ſunt plures Hæretici noſtri temporis. Anabaptiſtæ, Trinitarii, & Miniſtri Tranſilvaniæ hanc doctrinam velut fundamentalem ſtatuunt; inter Chriſtianos nullum licere magiſtratum. Unde *in lib. Antitheſes Chriſti veri, & falſi, edito Alba Julia* 1568. *cap.* 7. habent -- Chriſtus „ falſus admittit in ſua Eccleſia Reges, & „ Principes, non autem Chriſtus verus -- Hunc eundem errorem tuentur Begardi non tamen quoad omnes Chriſtianos, ſed quoad ſolos perfectos. Re idem ſentiunt Lutherani, & Calviniani, quatenus Principes, & Reges lacerant pluribus, gravibuſque injuriis, Miniſtri Calviniani *in lib., cui titulus: Excitatorium matutinum Francorum*, nulli parcunt. Carolum IX. Francorum Regem, Matrem, fratreſque miſerrime deturpant. Matronas Gallicanas appellant -- Mobilia ſcorta, ſan„ guinem infectum, horribiles furias, Sagas,

Novatorum convitia in Principes.

B

„ Brunechildes, Fredegondas, Jezabeles, ſues, „ ipſam improbitatem, irridentes Deum -- Primates Germaniæ vocant -- Vini voragines, „ quorum ſanctiores hoc ſtercore ſunt infe„ cti; canes mutos, ſocios Heli, homines „ ſine diſciplina, obſtreperos, & feroces e„ quos -- Principes Angliæ -- Sunt ſuperbi, „ diſſoluti, infideles, ac inſolentes -- Senatores -- Sunt homines hypocritæ, ficti, ſimu„ lati, aperti hoſtes omnis diſciplinæ &c. -- Eliſabetham Reginam nominant -- Herodia„ dem, imbecillem, degenerem, frigidam, „ fraudibus, ac perjuriis delibutam, Reli„ gionis expertem, pietatis deſpicatricem, „ antiquam Gallorum ruinam &c. -- Reliqui Principes orbis -- Sunt proditores, cum qui-

C

„ bus nulli eſſe poſſunt diritate pares, Tigres, „ Leopardi, inceſtuoſi, leproſi, Blaſphemi, „ Athei, hoſtes humani generis, Antichri„ ſti, Sardanapali, Nerones, Heliogabali, „ potentiſſimi latrones, atque pyratæ, filii „ Dæmonum &c.

Quid dicat Calvinus de Rege Angliæ *in cap.* 1. *Oſea*: de Antonio Borbonio Rege Navarræ *in epiſt. ad Petrum Martyrem*. Quid Beza de eodem Borbonio *in epiſt. ad Calvinum*. Quid Petrus Martyr de trium Regum Matre Regina Galliæ *in epiſt. & ipſe ad Calvinum*. Quid Miconius de Carolo V. *epiſt. ad Calvinum*. Quid poſtea Lutherus de Rege Angliæ *in lib.*

contra eum ſcripto, omittere placet. Sunt enim adeo virulenta, & impia, ut Proteſtantes a Turcis fuerint execrati. Cupientes hi contra Cæſarem auxilium habere a Turcis, dixerunt velle ſe ad eorum Sectam tranſire, hac ducti ratione, ut legere eſt in Epiſt. miſſis ad Patritium Venetum *in lib. de furoribus Gallicis in fine* -- Quia fides Proteſtantium Turcicæ
„ erat quam ſimillima, niſi quod illi in jeju-
„ niis, & eleemoſynis non ita erant ut Tur-
„ cæ certis obſervationibus obſtricti, ſed &
„ in agendo, & in credendo multo libera-
„ liores -- Quibus Turcæ reſponderunt -- Non
„ vult Turcarum Princeps ingratus homines
„ defendere, nec poteſt fidem habere illis,
„ qui proprio Regi fidem datam fallunt --
Eraſmus *in Hyperapiſte fol.* 1216. -- Certe
„ iſtorum multi ad publicam tranquillitatem
„ adeo inutiles ſunt, ut Turca quoque fera-
„ tur Lutheranorum nomen execrari ſedi-
„ tionis odio, cum Chriſtianos toleret ab ipſius
„ dogmatibus alienos -- Ut ergo demus, quæ ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari, hunc errorem debemus impugnare, & ſatisfaciemus Mortono nobis inſultanti *in lib., cui titulus: Propoſitiones Romana*, ubi -- Æque
„ facile inveniri poteſt Æthiops albus, ac in
„ Papiſtica Religione fidelis ſubditus -- Satisfaciemus querelæ Regis Angliæ Jacobi in præfatione ſua conquerentis, quod Romanus Pontifex dominia Principibus debita evertat. Iden.

§. I.

STATUITUR PRIMA CONCLUSIO.

Dico primo. Principatus politicus abſolute acceptus eſt juſtus, & legitimus.

2 PROB. I. Quod laudatur poſitive in Sacra Scriptura tanquam bono publico proficuum, bonum eſt, & juſtum, ſed politicum gubernium poſitive laudatur in Sacra Scriptura, tanquam bono publico proficuum; nam Sapientiæ 6. habetur: *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt*. Proverb. 29. *Rex juſtus erigit terram. Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*; ergo gubernium politicum abſolute acceptum eſt juſtum, & legitimum.

Principatus politicus juſtus.

3 PROB. II. Munus, quod loco, & nomine Dei exercetur, nonniſi juſtum eſſe poteſt, ſed munus politici gubernii ſuſtinetur, & exercetur loco, & nomine Dei. Nam ſecundo Paralip. 19. cum Joſaphat Judices conſtituiſſet in cunctis Civitatibus: *Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*. Deuteronomii 1. Moyſes recitans judicii leges obſervandas a judicibus, habet: *Nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt*. Ergo non poteſt redargui politicus Magiſtratus, niſi munus Dei redarguatur.

4 PROB. III. Quod originaliter ſaltem e Deo derivatur, & deſcendit, non poteſt eſſe injuſtum, ſed poteſtas politici Dominatus a Deo derivatur. Hinc Proverb. 8. *Per me Reges regnant*. Sapientiæ 6. *Audite ergo Reges &c., quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo*. 3. Regum 10. de Salomone. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti; & poſuit te ſuper thronum Iſrael*. Daniel 2. ait Nabuchodonoſor *Deus Cæli Regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi*. Idem Jeremiæ 27.

5 PROB. IV. Homo ex natura ſua eſt animal ſociale, indigens communicabiliter vivere, ſed communitas non poteſt conſervari ſine pace, & juſtitia; & hæc non habentur ſine Gubernatore; ergo neceſſarium eſt gubernium politicum, ſed quod neceſſarium eſt, non eſt injuſtum; ergo. Majorem oſtendit primo politicorum, *cap.* 1., & 2. Ariſtoteles --
„ Nam unus homo indiget alterius adjutorio.
„ Naſcitur enim ut tabula raſa ſibi omnino
„ inſufficiens, manus quidem habet, & pe-
„ des, ſed niſi poſt longum tempus poteſt il-
„ lis uti, quod ſecus accidit in beſtiis. Au-
„ res habet ad audiendum, os ad loquendum;
„ ſi verò ſocietate careret, hæc fruſtra forent
„ conſtituta. Intellectum habet ad diſcen-
„ dum, voluntatem ad amandum; ſine com-
„ municatione ſcientiis non inſtruitur mens,
„ nec voluntas charitatem exercet -- Minor patet; ſocietas enim eſt communitas ordinata, ſed ordo conſiſtit in ſubordinatione inferiorum, & ſuperiorum; ergo dari debent gradus ſubditi, & Gubernantis.

Deinde pax, & juſtitia non habetur, niſi inquieti, & raptores coerceantur: ſed ſine Moderatore habente poteſtatem ſuper alios, non habetur coactio. Unde Proverb. 11. dicitur: *Ubi non eſt Gubernator, populus corruet*. Eccleſiaſt. 10. *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt!* Eo quod non eſt aptus ad gubernium. Et Judicum ultimo datur ratio, & cauſa malorum, quæ tunc accidiſſe narrantur, quia *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Et Iſaiæ 3. in pœnam ſcelerum comminatus Deus: *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*. Quibus conſtat ad conſervationem humanæ naturæ dominationem eſſe neceſſariam; ergo jure naturali debetur politicus Dominatus. Elucidatur exemplo corporis humani, quod conſtat diverſitate organorum, & membrorum, diſcordantia elementorum, humorum inæqualitate, quæ contineri non poſſent, niſi in uno radicarentur, & uno capite regerentur; ita ſocietas humana, conſtans multiplicitate miniſtrorum, perſonarum ordinibus, rerum neceſſitatibus, ſubſiſtere nequit, ſi Gubernatore deſtituatur.

6 PROB. V. Hieronymus *epiſt.* 4. --
„ Etiam muta animalia, & ferarum greges,
„ ductores ſequuntur ſuos. In apibus Princi-
„ pes ſunt, grues unum ſequuntur ordine
„ litterato, Imperator unus, Judex unus Pro-
„ vinciæ -- Iiſdem exemplis utitur Cyprianus *lib. de Idolorum vanitate*. Œcumenius *in Epiſt. Pauli ad Romanos* -- Quia æqualitas in
„ omnibus ſeditioſa res erat, ideo Deus Po-
„ teſtatem adjunxit -- Et ad verba *Pſal.* 148. *Reges terræ, & omnes populi &c.*, dicit --
„ Fuiſſe opus Dei providentiæ in eos, qui
„ Magiſtratus gerunt, & in eos, qui illis pa-
„ rent, Univerſum diviſiſſe -- Theophilus An-

Antioch. *lib.* 1. *ad Amphiloch.* -- Deum, non „ Cæſarem adorabo, ſciens Cæſarem ab ipſo „ eſſe ordinatum -- Auguſtinus *lib.* 5. *de Civitate cap.* 21. -- Non tribuamus dandi Re„ gni, & Imperii poteſtatem, niſi Deo verò -- Epiphanius *hæreſ.* 40. loquens de poteſtate Principis ait -- Non aliunde eſt, ſed ea Deo -- Chryſoſt. *homil.* 23. Origenes *lib.* 9. *in epiſt. ad Roman.* Nazianzenus *Orat.* 17. Peluſiota *lib.* 5. *epiſt.* 206. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 24. Tertullianus ad Scapulam *cap.* 2. Baſilius *in moralibus regul.* 79., & alii.

§. II.

STATUITUR SECUNDA CONCLUSIO.

Dico ſecundo. Chriſtiani non ſolvuntur a ſubjectione politici Ethnicorum Guberni.

7 PROB. I. Jubet Scriptura ſervos ſubdi Dominis Ethnicis, ne blaſphemetur nomen Domini, ut D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 10. *Arg.* 1. Et 1. ad Timoth. 6. *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*: ſed non ſuaderet Ethnicos Dominos honorandos, ſi ad fidem converſi a ſubjectione politici guberni Ethnicorum ſolverentur; ergo non ſolvuntur. Loqui verò de Dominis gentilibus patet ex contextu; ſubdit enim: *Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis ſerviant.* Ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe*: 1. Petri 2. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*: ideſt, infidelibus. Hæc verò inculcabant Apoſtoli tempore, quo nullus erat Magiſtratus politicus Catholicus, & gubernium terrenum totum penès Ethnicos exiſtebat, & occaſione, qua nonnulli Ethnicorum Chriſtianos accuſabant, quod nollent obedire Magiſtratibus; ut hinc ſciamus Chriſtianam Religionem nequaquam ſubjectionem Superioribus Gentilibus debitam refugere.

Chriſtiani ſubditi Ethnicis Principibus.

8 PROB. II. *Arg.* 2. D. Thom. *ibid.* Quicunque ſunt de familia alicujus Principis, ſubſunt ei, ſed tempore Apoſtolorum fideles aliqui erant de familia infidelium Principum, unde dicitur ad Philip. 4. *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem, qui de Cæſaris domo ſunt*, ſcilicet Neronis, qui infidelis erat; ergo Infideles poſſunt fidelibus præeſſe. D. Paulus ad Rom. cap. 13. v. 1., & 2. rem dilucidat. Poteſtas cujuslibet Dominantis a Deo eſt conſtituta; reſiſtere autem Divinæ ordinationi non poteſt eſſe juſtum, adeoque Religio Chriſtiana, quæ ſummam profitetur venerationem Divinis ordinationibus, non poteſt ſolvere per ſe ſubjectionem Dominis gentilibus, aliunde debitam. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim Poteſtas, niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationis reſiſtit.* Deinde, quilibet Princeps, etiam Infidelis eſt miniſter Dei, vindexque mali patrati contra leges; certum autem eſt, quod

Infideles poſſunt fidelibus præeſſe.

converſus ad fidem poteſt malum agere, ac

A

per conſequens correctione indigere, & punitione; ergo Princeps infidelis, ſub cujus ditione manet, poterit eum coercere. Ibid. Paulus v. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit.*

9 PROB. III. *Arg.* 3. D. Thom. *ibidem.* Converſio ad fidem non eximit ipſo facto per ſe a ſubjectione, neque auctoritate ipſorum converſorum (quia nullus poteſt auctoritate privata ſpoliare alium ſuo Dominio, quod habet, vel in res, vel in perſonas; hæc enim eſt manifeſta injuſtitia), nec auctoritate

B

Dei, quia ordo ſupernaturalis gratiæ non deſtruit, ſed perficit jus naturæ, in quo ſenſu benè intelligitur illud Chriſti Matth. 5. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Porro ſubjectio, & Prælatio ſunt juris naturæ, & diſtinctio fidelium, & Infidelium eſt juris gratiæ; ergo prima non amittitur propter ſecundam. Si quis ad fidem converteretur, & haberet debitum pecuniarium erga Principem Ethnicum, ſolveretur ne ab obligatione ea eo, quod ad fidem convertatur? Utique non. Cur ergo ſolvetur a debito perſonali Servitutis? Declaratur. Per converſionem unius infidelis conjugis non ſtatim, & per ſe ſolvitur vinculum, & ſubjectio, & Prælatio conjugalis, ut clare patet ex prima ad Corinth. 7., nec ob aliam rationem, niſi quia vinculum conjugii fundatur in jure naturali, quod non deſtruitur per converſionem.

Gratia naturam perficit.

C

10 PROB. IV. 17. *quæſt.* 4. *Can.* -- Si „ quis alienum Servum occaſione Religionis „ doceat Dominum ſuum contemnere, & ejus „ miniſterium deſtituere, ac non potius doceat „ eum, ſuo Domino bona fide, & cum „ omni honorificentia deſervire, anathema „ ſit -- Ex concilio Gangrenſi *cap.* 3. *ibidem cap. ſequenti* -- Si quis ſervum alienum cauſa „ Religionis doceat contemnere Dominum „ ſuum, & recedere a ſervitio ejus, duriſ„ ſime arguatur in omnibus -- Ex Concilio Martini Papæ *cap.* 47. *in collect. Græcarum Synod. Mart.* t. *Brarar.*

Eccleſia vult ſervos fideles eſſe ſubditos Dominis infidelibus.

D

11 PROB. V. Patrum auctoritate. Juſtinus Martyr *Apologia ſecunda ad Antoninum Pium Imperatorem Ethnicum*, purgat Chriſtianos ab hac calumnia, quod nollent ſubdi magiſtratibus Gentium, aitque -- Tributa verò, „ & cenſus iis, qui a vobis conſtituti ſunt „ ubique in primis conamur pendere, quem„ admodum ab eo inſtituti ſumus -- allatiſque verbis Domini *Reddite quæ ſua ſunt Cæſaris, Cæſari*, ſubdit -- Sub initio hinc Deum ſo„ lum adoramus, vobis autem in aliis rebus „ læti ſervimus: Regeſque vos, & Principes „ hominum eſſe profitemur, rogamuſque, ut „ vos cum Regali poteſtate, ſanam, bonam„ que mentem habere inveniamini -- Optat. Milevit. *lib.* 3. *contra Parmen.* -- Etiamſi talis „ eſſet Imperator, qui gentiliter viveret &c. -- Tertul. *lib. ad Scapulam cap.* 2. -- Chriſtianus „ nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem „ ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut „ ipſum diligat, & revereatur, & honoret, „ & ſalvum eſſe velit -- Idem etiam docet Amb. *lib.* 4. *in cap.* 5. *Lucæ* -- Magnum qui„ dem

E

„ dem, & ſpiritale documentum, quo Chri-
„ ſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docen-
„ tur debere eſſe ſubjecti, ne quis conſtitu-
„ tionem Regis terreni putet eſſe ſolvendam--
Conſentit Auguſt. *de Civit. lib.* 5. *cap.* 21.--
„ Qui dedit (ideſt Deus poteſtatem guber-
„ nativam) Mario, Ipſe & Cæſari; qui Au-
„ guſto, Ipſe & Neroni; qui Veſpaſiano,
„ vel Patri, vel Filio ſuaviſſimis Imperato-
„ ribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo; &
„ ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Con-
„ ſtantino Chriſtiano, ipſa Apoſtatæ Juliano--
se proinde patet habere prælationem etiam
Infideles, quibus obediendum eſt a fidelibus.
Idem habet *lib.* 7. *cap.* 17. ignat. ad Smirn.
epiſt. mihi 7. -- Et poſt hunc honorare opor-
„ tet etiam Regem &c. Si enim quis con-
„ tra Regem inſurgens damnatione dignus eſt,
„ quomodo damnationem evadere poteſt, qui
„ præter Epiſcopum aliquid egerit? -- Ejoſ-
dem labii ſunt reliqui Patres.

Doctrina hæc ſolum valet, cum præexi-
ſtit ad converſionem Prælatio apud Ethnicos;
non verò in caſu, quo ad fideles pertineat
ſibi Principem facere. Tunc enim non poſ-
ſunt ſibi conſtituere Ethnicum, ſed Chriſtia-
num -- Cederet enim (*ait D. Thom.*) hoc in
„ ſcandalum, & in periculum fidei. De fa-
„ cili enim illi, qui ſubjiciuntur aliorum ju-
„ riſdictioni, immutari poſſunt ab eis, qui-
„ bus ſubſunt, ut ſequantur eorum impe-
„ rium, niſi illi, qui ſubſunt, fuerint ma-
„ gnæ virtutis. Et ſimiliter infideles contem-
„ nunt fidem, ſi fidelium defectus cogno-
„ ſcant -- Egregie ſane. Infidelis verò ſub-
ditus Principi Chriſtiano liberatur (diſpo-
ſitione juris) a primæva ſervitute, hoc
ipſo, quod iſte ad fidem convertatur. Sic *cap.*
Nulli Judæo, de Judæis, & Saracenis, ubi --
„ Si ſervus fidelis ab infideli ematur, non
„ ad ſervitutem, ſed ad mercaturam debet
„ vendi alicui fideli intra tres menſes, alio-
„ quin ſervus liber ſine pretio maneat -- Pa-
riter diſponente jure *cap. Majores de Baptiſmo*:
pater infidelis amittit jus Patriæ poteſtatis in
filium, hoc ipſo, quod filius eſt Chriſtianus,
ob periculum perverſionis. Item jura ſtatuunt,
ut Principes Chriſtiani non promoveant infi-
deles ſubditos ad publica officia habentia an-
telationem, & præſidentiam in Chriſtianos.
Sic Innocent. III. *in cap. Cum ſit nimis*, de
Judæis -- Cum ſit nimis abſurdum, ut bla-
„ ſphemus Chriſti in Chriſtianos vim pote-
„ ſtatis exerceat; quod ſuper hoc Toletanum
„ Concilium provide ſtatuit, nos propter
„ tranſgreſſorum audaciam, in hoc Generali
„ Concilio innovamus, prohibentes, ne Ju-
„ dæi publicis officiis præferantur, quoniam
„ ſub tali prætextu Chriſtianis ſunt plurimum
„ infeſti. Si quis autem eis tale officium com-
„ miſerit per Provinciale Concilium (quod
„ ſingulis annis præcipimus celebrari) mo-
„ nitione præmiſſa, diſtrictione, quæ con-
„ venit, compeſcatur. Officiali verò hujuſ-
„ modi tamdiu Chriſtianorum communio in
„ commerciis, & aliis denegetur, donec in
„ uſus pauperum Chriſtianorum (ſecundum
„ providentiam Diocæſani Epiſcopi) conver-
„ tatur, quidquid fuerit a Chriſtianis ade-
„ ptum occaſione officii ſuſcepti; & officium

Chriſtiani non valent Ethnicum in Principem eligere.

„ cum pudore dimittat, quod irreverenter
A „ aſſumpſit. Hoc idem extendimus ad Pa-
„ ganos -- Idem ſtatuit Greg. IX. *in cap. Ex*
ſpeciali, de Judæis, *& cap. Nulla diſt.* 54.,
& cap. Conſtituit diſt. 17. *quæſt.* 4.

§. III.

STATUITUR TERTIA CONCLUSIO.

DIco III. In Eccleſia Chriſti dantur veri
Principes, habentes propriam Poteſta-
tem in ſubditos Chriſtianos.

B 12 PROB. I. Perfectius perſeverant,
& obligant jura moralia in lege gratiæ, quam
in lege veteri, ſed in lege veteri fuerunt veri
Reges fideles, habentes proprium Dominium
poſitivum in Hebræos fideles, ut conſtat de
Moyſe, Joſue, Gedeone, Samuele, & ce-
teris Judicibus: Saule, Davide, Salomone,
& ceteris Regibus, de quibus Sacer Codex
17. Deuteronomii 1., & 13. 2. Paralipom. 19.
in lib. Judicum, & Regum; ergo pariter in
Eccleſia Chriſti dari debent Principes Chri-
ſtiani veram habentes juriſdictionem. Magi-
ſtratus ſiquidem politicus ad judicialia, & le-
galia non pertinebat, ſed ad moralia, & na-
C turalia, nec ad imperfectionem ſtatus illius per-
tinebat, ſed ad perfectionem; ordo enim, qui
conſiſtit in ſubjectione, & ſubordinatione, ad
perfectionem ſpectat Univerſi, & Reipublicæ
humanæ. Hinc videmus inter ipſos Angelos,
quorum ſtatus eſt perfectior, dari ſubordina-
tionem, & Principatum; ſicut Apocalyp. 12. di-
citur: *Michael, & Angeli ejus prœliabantur*
cum Dracone. Et ideo Greg. Magnus *homil.*
34. explicando nomina Angelorum diſtributa
in Hierarchiis, de Principatibus habet -- Prin-
„ cipatus etiam vocantur, qui ipſis quoque
„ bonis Angelorum ſpiritibus præſunt, qui
„ ſubjectis aliis, dum quæque agenda diſpo-
D „ nunt, eis ad explenda Divina miniſteria
„ principantur --

Juriſdictio non repugnat fidei.

13 PROB. II. Canonica Apoſtolorum
doctrina eſt tradita, & fidelibus data ad eru-
diendam Eccleſiam pro qualibet duratione
uſque ad conſummationem ſeculi: ſed do-
ctrina Canonica docet generaliter eſſe obe-
diendum, & præſtandam a fidelibus ſubje-
ctionem Dominantibus; ergo inter fideles veri
Principantes dari poſſunt, debent, & dantur.
Minor autem patet. 1. Petri 2. *Subjecti igitur*
eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive
Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab
eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem
E *verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei &c. Re-*
gem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni
timore Dominis, non tantum bonis, & mode-
ſtis, ſed etiam diſcolis: ubi ſicut in diſcolis
intelliguntur infideles, ita & in bonis fide-
les, cum bonitas vera ſine fide non detur.
Et Paulus 1. ad Tim. 6. *Qui autem fideles ha-*
bent Dominos, non contemnant, quia fratres
ſunt, ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt, &
dilecti, qui beneficii (ideſt fidei) *participes*
ſunt &c. Si quis aliter docet, & non acquie-
ſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chri-
ſti &c. Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens
circa

Vera bonitas ſine fide non eſt.

Digitized by Google

circa quæſtiones &c. Et 2. cap. ejuſdem habetur: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* Quare vult, quod pro iſtis fiat oratio? Ut deſtruantur, & tollantur? Nequaquam: ſed ut veniant ad cognitionem fidei, ſicut ſubdit: *Qui* (idest Deus) *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Stat ergo ſtatus Chriſtiani cum Dominatione, & Prælatione politica. Ad hoc tendunt ceteræ auctoritates ſuperius allatæ, & a fortiori probant; nam magis repugnat libertati Chriſtianorum, & perfectiori ſubjectio Principi Ethnico, quam Catholico, ſed illæ probant ſtare, & deberi ſubjectionem Principibus Ethnicis; ergo multò magis Catholicis Dominantibus.

14 PROB. III. Impoſſibile eſt Reges, & Principes adorare Chriſtum, eique ſervire, niſi efficiantur, & ſint Chriſtiani, ſed Prophetarum oracula prædicunt Reges, Principeſque adoraturos Chriſtum, ut Pſalm. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Iſaiæ 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Non poſſunt ambulare in ſplendore Chriſti, niſi Chriſtiani fiant. Et cap. 49. *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Nutrire porrò Chriſtum, & Chriſti Templa, & Sanctorum ditare, fidemque defendere. Lingere pulverem pedum ejus, eſt reliquias Sanctorum adorare, & venerari, quod in pluribus Principibus evenit, & eveniet. Igitur in ſenſu compoſito fidei, non pugnat ſecundum Prophetas gradus Dominationis.

Chriſtiani in ſplendore Chriſti ambulant.

15 PROB. IV. Si Reges cum fide Chriſti non retinerent veram juriſdictionem, & Dominium in Chriſtianos, non poſſent ad fidem venire, niſi Principatum dimittendo, ſed hoc eſt falſum; nam Regulus, qui credidit in Chriſtum; non eſt juſſus abdicare Principatum, Joan. 4. Proconſul converſus a Paulo non proinde debuit Magiſtratum deponere, Act. 13. Cornelius Centurio cohortis Italicæ Baptizatus eſt, nec proinde dictum eſt illi, ut virgam Rectoris dimitteret, Act. 10. Philemon a Paulo fide eſt imbutus, nec proinde a dominatu in ſervos receſſit, ſed retinuit, cui commendat Apoſtolus Oneſimum, *Epiſt. ad Philemonem.* Nec alia fuit doctrina Chriſti, qui interrogatus a Judæis quaſi ſuſpicantibus, quod inſtitutione novæ Eccleſiæ Dominationem tolleret, reſpondit Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Qui docuit enim Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; & qui diſponit omnia ſuaviter, & efficaciter, impedimentum converſioni Dominorum temporalium non appoſuit, itaut cogeretur ſceptris ſpoliari pro fide ſuſcipienda.

Principatus compatitur cum fide.

Canit ergo benè Eccleſia: *Non eripit mortalia, qui Regna dat cœleſtia.* Quod perpetua confirmatum traditione habemus a primis ſeculis uſque ad nos; plures namque Religione Catholica imbuti vere fuerunt Principes, quibus veram præſtiterunt ſubjectionem fideles, ut videre eſt inter Imperatores Orientales, & Occidentales, quorum plures fuerunt veri Catholici, & non pauci celebres ſanctitate. Inter Reges in Anglia a Lucio uſque ad Henricum VIII. In Hiſpania a Reccaredo uſque ad Carolum II. In Gallia a Clodoveo uſque ad Ludovicum XIV. In Venetiarum ditione a Paulo Anafato uſque ad Moroſinum; In Pannonia a Stephano I. uſque ad Joſephum I. In Sabaudia a Bertoldo I. Comite ad Victorium Amadeum II. In Etruria ab Alexandro I. Medieeo uſque Coſimum; In Ducatu Mediolanenſi a Galeatio I. uſque ad Carolum II. In Mantuano a Lodovico Gonzaga uſque ad præſentem. In Ferrarienſi ab Azzo Marchione Eſtenſi uſque ad Alphunſum II.: & ſic de Regnis Siciliæ, Neapolis, Poloniæ, Sardiniæ &c. Eſt autem ſummæ temeritatis aſſerere, quod per tot ſecula totus Orbis Chriſtianus in omnibus Provinciis fuerit deceptus.

16 PROB. V. Nicenum I. honoravit Conſtantinum Magnum ſedili aureo in medio ſedentem. Chalcedonenſe Martianum, & Valentinianum, quorum decretis ſtabant Patres, quæ faciebant pro pacifica concluſione rerum Eccleſiaſticarum; & ſic de ceteris Conciliis, quæ venerata ſunt auxilium præſtitum a Chriſtianis Imperatoribus, vel in promovenda indictione Conciliorum, vel in cogendo ſubditos ad obſervantiam ſtatutorum ab Epiſcopis, vel in coercendis tumultibus, ut vidimus alibi.

Concilium Toletanum XII. *cap.* 1. declarat ſub excommunicatione Ervigium verum eſſe Regem Hiſpaniæ. Meldenſe *cap.* 15., & 16. anathema dicit iis, qui audent Regibus contradicere. Turonenſe III. hortatur Comites, Judices, ut conſentiant Epiſcopis, & Epiſcopi honorifice ſe habeant ad illos -- Ec„ ſic ſe mutuis ſtudeant ſublevare conſolatio„ nibus -- Leo Magnus *ad Leonem Imperatorem* -- Debes Imperator inconctanter ad„ vertere Regiam poteſtatem tibi, non ſolum „ ad Mundi Regimen, ſed maxime ad Ec„ cleſiæ præſidium eſſe collatam -- Symachus Papa, *Apolog. ad Anaſtaſium Imperatorem* -- „ Nos poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipi„ mus, donec contra Deum ſuas erigant vo„ luntates -- Gelaſius *Epiſt.* 10. *ad Anaſtaſium Imperatorem* ponit duo eſſe -- Quibus princi„ paliter mundus regitur; auctoritas Sacra „ Pontificum, & Regalis Poteſtas -- Gregorius Magnus *lib.* 2. *epiſt.* 62. *indictione* 11. *ad Mauritium Imperatorem* -- Ad hoc enim po„ teſtas Dominorum meorum pietati cœlitus „ data eſt ſuper omnes homines, ut qui bona „ appetunt, adjuventur, ut Cœlorum via „ largius pateat, ut terreſtre Regnum cœle„ ſti Regno famuletur -- Nicolaus I. *ad Michaelem Imperatorem* -- Nec Imperator jura „ Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen „ Imperatorium uſurpavit, quoniam Chriſtus, „ ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtin„ ctis officia Poteſtatis utriuſque diſcrevit --

Principatum apud Chriſtianos fatentur Pontifices.

17 PROB. VI. Vel in Chriſtiano jus Prælationis politicæ repugnat ex natura rei; & hoc non, cum ordo naturæ non deſtruatur per ordinem gratiæ (naturæ verò rei congruit, & eſt neceſſarius Magiſtratus politicus) vel ex Chriſti inſtitutione; & neque hoc, cum nullibi inveniatur talis conſtitutio, ſed oppoſita, ut patet allatis ſcripturis; utrique Chriſtos,

Non repugnat Chriſtianis dominari.

ſtus, etiam in temporalibus benè dirigi Rempublicam Chriſtianam, non modo miraculoſo; ergo mediis ordinariis, quæ ſunt humanæ Dominationes. Neque repugnat ea eſſentiali perfectione Eccleſiæ; hæc enim conſiſtit in fide operante per dilectionem: fides operans per dilectionem compatitur cum juſta, & recta adminiſtratione terrenorum; immo illam præcipit, & imperat. Non ea accidentali perfectione (quæ elucet in illo Chriſti Matth 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*); quia hæc non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio; immo datur occaſio illam heroice exercendi in eo, quod Principes poſſint ſupremas dignitates pro Chriſto dimittere, ut nonnulli fecerunt. Neque etiam repugnat ratione libertatis Religionis Chriſtianæ, quia ejus exemptio ſtat in libera ſervitute per charitatem, quæ Regimini non repugnat, immo promovet; quia ſi deficiat charitas, ſuppletur per coercitionem. Certum enim eſt Chriſtianos indigere communitate politica, directione, & fræno, ſi pacem turbent, vel juſtitiam.

18 PROB. VII. S. Martialis *in Epiſt. ad Toloſanos* 2. *cap.* 8. de quodam Principe Galliæ ad fidem converſo, habet -- Cui obedire debetis in omnibus, quia Princeps vobis a Deo eſt conſtitutus -- Cyrillus Alexandrinus *in lib. de recta fide ad Theodoſium*, quem vocat Chriſtianiſſimum Regem — Vos eſtis ſummarum dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiam; humanæque felicitatis principium, ac origo &c. Tam pii, & præclari veſtri imperii ſummum præſidium eſt Dominus Noſter Jeſus Chriſtus: dixit ſe velle demonſtrare, quod glorioſa in Deum pietas Regiis honoribus immobile ſit fundamentum -- Non ergo ſtatus Chriſtianitatis pugnat cum Dominatu politico. Tertull. *lib. de Idololatria cap.* 15. poſtquam recitavit verba Chriſti: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, ſubdit -- igitur quod attinet ad honores Regum, & Imperatorum, ſatis præſcriptum habemus in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum, Subditos Magiſtratibus, & Principibus, & Poteſtatibus. Sed intra limites diſciplinæ quoadúſque ab Idololatria ſeparemus — Et licet videatur loqui de Principibus Ethnicis, tamen ex doctrina, & verbis generalibus includit etiam Catholicos. Unde *cap.* 17. docet, quod Chriſtiani poterant ab Imperatoribus acceptare dignitates, poteſtates, adminiſtrationem, dummodo Idololatriæ periculum tolleretur.

Sanctus Proſper *lib. Epigrammatum cap.* 34.

Reddendum eſt quidquid mundi bene poſtulat ordo,
Propoſitumque pia non violat fidei.
Militibus, & Sanctis nulla eſt ſpernenda Poteſtas.
Æquum ſervire eſt Regibus, & Dominis,
Ut Chriſti famulis ad verum profit honorem,
Dilexiſſe bonos, & toleraſſe malos.

S. Ambroſius *in epiſt. ad Gratianum Imperatorem*, poſtquam præclara dixit in bonum Dominationis, vocat ipſum: *Chriſtianiſſimum Principem, & Principum Chriſtianiſſimum*. D. Auguſt. *lib. quærund. propoſit. in epiſt. ad Rom. tom.* 4. *propoſitione* 72. *ad illa verba: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, habet -- Rectiſſime admonet, ne quis ex eo, quod a Domino in libertatem vocatus eſt, factus Chriſtianus extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in hujus vitæ itinere ſervandum eſſe ordinem ſuum, ut Poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum &c. Si quis ergo putat, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddendum, aut tributum, aut non eſſe exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant, Poteſtatibus, in magno errore verſatur -- Ecce quam clare docet libertati Chriſtianæ non obeſſe, ſed deberi ſubjectionem; ac proinde minus obeſt Prælatio. Et *lib.* 3. *contra Creſconium cap.* 51. probat inter Chriſtianos eſſe neceſſarium Regum munus, & maxime bonorum. Inter alia habet -- In hoc enim Reges, ſicut eis Divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam, quæ ad Divinam Religionem —

§. IV.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM CONTRA PRÆLATIONEM ETHNICORUM PRINCIPUM.

19 OBJIC. I. Majus eſt vinculum ſubjectionis uxoris ad virum, quam Vaſſalli ad Principem, ſed ſi uxor fiat fidelis ſolvitur a vinculo ſubjectionis, 1. Corinth. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi*; ergo per converſionem Vaſſalli ad fidem liberatur a vinculo ſubjectionis, quam Ethnico Principi prius debebat.

RESP. neg. minor. Oppoſitum expreſsè dicit littera. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo; non dimittat illam, & ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa: non dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem &c.* Non ergo fides illico ſolvit ſubjectionem. Ob privilegium tamen fidei, ſi ad fidem converſus non poſſit cum altero cohabitare ſine contumelia Creatoris, diſſolvitur tunc vinculum; & etiam in caſu, quo infidelis nolit propter fidem ab altero receptam ſtare. Vergeret enim in ignominiam Religionis cogere converſum manere cum volente recedere ex odio a Religione. Et hic eſt ſenſus verborum Pauli, qui etiam cauſalem ſubdit his: *In pace autem vocavit nos Deus*, ideſt, ſi cauſâ fidei oritur diſcordia, non tenet prior ſervitus, ex quo ſolum colligitur, quod Vaſſallus non tenetur ſubjici Ethnico Principi, ubi ſalus, & Religio periclitatur.

Fidelis quando ab Ethnico Principe liberatur.

20 DICES. Ex vi ſolius ſtatus Chriſtiani ſolvitur ſubjectio Vaſſalli, 2. ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?*

Aut

Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus Templo Dei cum Idolis? Quibus declatar es vi terminorum, & ſtatus, ita inter ſe pugnare ſtatum Chriſtiani ſubjectum Ethnicis, ſicut pugnat lux cum tenebris; ergo per converſionem liberatur Vaſſalius.

RESP. neg. ant. Textus Pauli ad litteram loquitur de communicatione in operibus infidelitatis, non verò de communicatione pure in civilibus; ſtat enim communicare plures ſimul in uno genere, & non in altero. Auguſtinus *ad Donatiſtas poſt collationem cap. 6., & cap. 21.* optime explicat hunc locum Pauli de communicatione Hæreticorum, & malorum in eadem Eccleſia, & Sacramentis abſque eo, quod detur communicatio in fructu, & effectibus -- Cum verò mali pacis conſervan-
„ dæ neceſſitate tolerantur, non iniquitatis
„ communicandæ ſocietate appetuntur, ut
„ cum zizaniis triticum ſuavem pluviam pa-
„ riter bibat; ſervet tamen ubertatem ſuam,
„ nec convertatur in zizaniorum ſterilitatem,
„ ſed utrumque ſimul uſque ad meſſem cre-
„ ſcat, ne forte cum colliguntur zizania, era-
„ dicetur ſimul & triticum. Nullam cum
„ bonis habent mali participationem ſalutis,
„ vel perditionis. Quæ enim participatio ju-
„ ſtitiæ ad iniquitatem? Nullum habent cum
„ bonis mali ſocietatem Regni, aut ignis æ-
„ terni. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?
„ Non habent mali cum bonis conſonantiam
„ vitæ, ac voluntatis: Quæ enim conſonan-
„ tia Chriſti ad Belial? Non habent boni cum
„ malis partem, nec in pœna criminis, nec
„ in præmio pietatis. Quæ enim pars fideli
„ cum infideli? Et cum intra eadem retia,
„ donec ad littus proveniant, pariter Divina
„ Sacramenta percipiunt, iſti ſociantur, illi
„ diſſociantur; iſti conſonant, illi diſſonant;
„ iſti habent partem cum miſericordia, illi
„ cum judicio -- Non ergo debent ducere
jugum cum infidelibus Gentilibus: ſecus civiliter, & in Politicis.

Civilis ſocietas Fidelis cum Infideli non eſt vetita.

21 INSTABIS. Qui civiliter ſubditur Principi, poteſt legitime ad eum deferre cauſas civiles, ſed fideles per Apoſtolum non poſſunt deferre legitime cauſas civiles ad Principem Ethnicum; ut 1. ad Corinth. 6. habet: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? &c. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?* Ergo.

RESP. neg. min. Nec hic eſt ſenſus Pauli, ſed quem aſſignat D. Th. in hunc locum -- Itaque iſti reprehenduntur a Paulo, quia
„ in iis, in quibus iſti Corinthii non tene-
„ bantur ſubdi judicio infidelium, pro Judi-
„ cibus in ſuis negotiis infideles eligebant Ju-
„ dices, cum poſſent licite aliorum fidelium
„ judicio judicari. Ex quo non ſequitur, quod
„ infideles Eccleſiæ non ſubditi non habeant
„ veram Prælationem, ſeu Dominium, &
„ judicaturam ſupra fideles, ſed tantum ſe-
„ quitur, quod, dum ipſi licite poſſunt judi-
„ cari a fidelibus, non debeant eligere in ſuis
„ negotiis Judices infideles -- Et ratio eſt, quia infideles contemnunt fidem, ſi fidelium defectus agnoſcant. Et contextus totum hoc manifeſte indicat: *Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Ecce quomodo loquitur in caſu, quo poterant a fidelibus judicari.

Fideles fidelium cauſas judicent.

22 REPLICABIS. Negat Paulus fideles ab infidelibus circa temporalia negotia judicari; nam ponit in ipſis fidelibus activam, & judiciariam Poteſtatem ſupra infideles: *An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis?* Circa idem ergo non ſtat activa, & judiciaria poteſtas infidelium, & paſſiva ab infidelibus.

RESP. neg. ant. Inducit enim illum diſcurſum, ut oſtendat inter ipſos dari ſufficientem auctoritatem, qua poſſent hujuſmodi lites dirimi, ut clarius declarant ſequentia: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis ſecularia? Secularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Scilicet eligite arbitros Judices (de judicio enim arbitro agit), & quidem in caſibus aliqualiter ſcandaloſis, ideſt in litibus fraternis, ex aliquo malo affectu motis. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt?* En omnia clara.

Poteſtas judicandi apud Fideles.

23 SUBSUMES. Paulus loquitur de Chriſtianis, qui ſunt verè liberi; juxta illud Joan. 8. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Sed verè liberi non debent ab infidelibus judicari; ergo Paulus intendit excludere omnem ſubjectionem civilem a fidelibus ad infideles.

RESP. Per ſummam injuriam abutuntur Hæretici doctrinâ Chriſti, qui non loquitur de libertate, & ſervitute civili, & humani convictus, ſed loquitur de ſervitute, & libertate ſpirituali. Cum enim dixiſſet Dominus Evangelizans Hebræis, quod veritas eos liberaſſet, ſi permanſiſſent in ſermone ejus, quaſi contumeliam paſſi responderunt: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam: quomodo tu dicis, liberi eritis?* Quibus Dominus: *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: ſervus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Libertas alia civilis, ſpiritualis alia.

22 DICES. Hoc ipſum eſt, quod Chriſtianos eximit a poteſtate Ethnicorum, quia mors Chriſti ipſos fecit liberos, & Ethnicos ſervos ſecundum ſenſum, & intelligentiam Eccleſiæ, quæ ob hanc rationem non vult, ut filii liberæ ſint ſervi ancillæ; & ideo ſtatuit, quod Judæi non habeant mancipia Chriſtiana, & Judæus ſervus, Chriſtianus ſi fiat, ſtatim a ſervitute liberetur.

RESP. neg. ant. Nec valet diſcurſus inductus quia licet attenderit Eccleſia ad dignitatem ſtatus Chriſtiani, non tamen ſentit vaſſallos, & ſervos vi Religionis ſuſceptæ liberari a ſubjectione, cum ſtatuat in aliis locis; ut ſerviant, & obediant ſuis Dominis, ut vidimus. Loquitur ergo in caſu Judæorum ſubjectorum in temporalibus Eccleſiæ,

Fides non liberat a ſubjectione.

& his præcipit, ne mancipia habeant Chriſtiana, nec hi converſi Chriſtianorum mancipia maneant. De illis verò, qui temporali juriſdictioni Eccleſiæ non ſubjiciuntur, nihil ſtatuit, nec ſtatuere poteſt, niſi prius abdicato ab infidelibus jure Prælationis.

§. V.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM.

25 OBJIC. II. Chriſtus per ſuam mortem liberavit nos a ſervitute peccati, ſed per ſervitutem peccati introducta eſt ſubjectio, & Dominatio unius hominis ad alium. Nam homo natura ſua natus eſt liber; unde Geneſ. 1. dictum eſt Adæ, & Evæ: *Dominamini piſcibus Maris, & volatilibus Cæli.* Non dixit dominamini hominibus; ergo Chriſtus liberavit etiam a ſubjectione unius hominis ad alium.

RESP. neg. min. Lumini enim naturæ conſentanea eſt ſubjectio civilis unius hominis ad alium, & neceſſaria eſt conſervationi humanæ ſocietatis, ad quam natus eſt homo. Unde cum Deus ſolum Adam creaſſet, vidit, quod non erat bonum homini eſſe ſolum. Cum dixit: *Dominamini piſcibus Maris, & volatilibus &c.* Dominium deſpoticum voluit tollere ab hominibus ad homines, ſecus politicum, & rationabiliter directivum.

Dominium civile rationabile.

26 DICES. Subjectio mulieris ad virum eſt politica, & civilis, ſed hæc eſt inducta a peccato, Geneſis 3. *Sub viri poteſtate eris.* Ergo etiam civilis ſubjectio inducta eſt per ſervitutem peccati.

RESP. neg. min. Subjectio mulieris ad virum eſt omnino independens a peccato, conveniens ſtatui hominis perfectæ innocentiæ originalis, & reparatæ. Unde Paulus dixit, virum eſſe caput mulieris, & docet uxores diligere viros ſuos, eiſque ſubjici, ſicut Eccleſia ſubditur, & diligit Chriſtum. Porro omnino naturaliter membra capiti ſubjiciuntur. Illa ergo verba Geneſis non appellant ſupra naturalem ſubjectionem, ſed ſupra accidentalem, ideſt, ſupra quoſdam effectus pœnales, & involuntarios humiliationis, timoris, laboris, verborum, contumeliæ, & verberum, ſicut præmittitur: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Concipere utique non eſt ex peccato, bene verò concipere, & cum dolore parere.

Subjectio mulieris ad virum naturalis.

27 INSTABIS. Naturalis ordo ſequitur naturam propriam hominis, ſed propria hominis natura quamcumque excludit ſubjectionem, & Prælationem ad invicem; ergo non eſt naturalis. Probatur minor. Homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; unde ſicut in linea Deitatis non datur ſubjectio, & Prælatio, ita inter homines; ſicut optime arguit Auguſtinus *lib. 19. de Civit. cap.* 15. his -- Hoc naturalis ordo præſcribit; ita „ Deus hominem condidit. Nam dominetur, „ inquit, piſcibus maris &c. Rationalem fa„ ctum ad imaginem ſuam, noluit, niſi irra„ tionabilibus dominari, non hominem ho„ mini --

A RESP. neg. min. Quæ non evincitur a ratione inducta. In linea Deitatis excluditur quidem ordo prioritatis inducentis imperfectionem, ſecus perfectionem. Unde ſtante æqualitate naturæ, & perſonarum, ſtat originum diſtinctio, quatenus Pater a nullo, Filius a Patre, Spiritus eſt ab utroque. Ex quo ſequitur, Filium, & Spiritum Sanctum poſſe mitti, ſecus Patrem. Ita pariformiter a creatura rationali excluditur Prælatio indecens, quæ eſt deſpotica more brutorum, non verò civilis, quæ eſt modo rationali. Chriſtus ut homo erat ad imaginem Dei, & tamen ſubditus erat Matri, & Nutritio. Argumentatio Auguſtini optima eſt ad intentum ablegandi B ſubjectionem mancipationis, & ſervitutis ſtricte dictæ, ſicut ſequentia manifeſtant -- Conditio quippe ſervitutis jure intelligitur im„ poſita peccatori. Proinde nuſquam ſcriptu„ rarum legimus ſervum, antequam hoc vo„ cabulo Noe juſtus peccatum filii vindica„ ret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, „ non natura -- Probatque exemplo Danielis captivi apud Babylonios, & eorum, quæ accidunt ex bello &c.

Dominium deſpoticum ab homine alienum.

28 URGEBIS. Prælatio regnativa eſt pure politica, ſed hanc declarat Auguſtinus oriri a ſervitute peccati -- Inde primi juſti „ paſtores pecorum magis, quam Reges ho- C „ minum conſtituti ſunt, ut etiam ſic inſi„ nuaret Deus, quid poſtulet ordo creatura„ rum, & quid exigat meritum peccatorum -- Nec ſolus eſt Auguſtinus, ſed etiam Gregorius Magnus *in cap. 31. Job cap. 8.* 10. eodem utitur ratiocinio, ſcilicet, homines natos eſſe natura æquales, ex vitio autem acceſſiſſe inæqualitatem ſubjectionis, & Prælationis.

RESP. neg. min. Loquitur enim Auguſtinus de potentia Regnativa, conjuncta cum violenta coercitione, per quam ſubditi, velut ſervi habeantur, & poſt recitata, habet quæ diximus ſuperius. Et eodem modo ſentit Gregorius, expreſſe ibidem ſuſtinens, dari gubernium, Regimina, & Principes; & D occaſione humilitatis ipſius Job, non dedignari deſcendere in judicium cum ſervis ſuis (addita ratione æqualitatis ex modo naſcendi ab utero, & altera ſubjectionis ad Deum) declarat, quomodo Poteſtates habeant materiam non ſuperbiendi ex his duobus. I. Quia Deo ſubduntur, a quo debent judicari. II. Quia ſecundum naturam, ideſt ſpeciem ſunt æquales cum ceteris. Neceſſe tamen eſſe dicit, ut quodammodo beſtiarum more coerceant malos ſubditos, quia criminibus facti ſunt beſtiis ſimiles, quæ legenti clara ſunt.

Violentia ex peccato eſt.

Deinde dato, quod politica Dominatio E ordinata eſſet ex peccato, non inde ſequitur per mortem Chriſti eſſe ſublatam. Non enim Chriſtus redimendo a ſervitute peccati, omnia pœnalia abrogavit, ut patet. Unde Auguſtinus præcitatus habet ibidem -- Verum & „ pœnalis ſervitus ea lege ordinatur, quæ na„ turalem ordinem conſervari jubet; pertur„ bari vetat, quia ſi contra eam legem nihil „ eſſet factum, nihil eſſet pœnali ſervitute „ coercendum: Ideoque Apoſtolus etiam ſer„ vos monet eſſe ſubditos Dominis -- Et Gregorius *ibidem* -- Ipſa autem diverſitas, quæ „ acceſſit ex vitio, recte eſt Divinis judiciis „ ordi-

Chriſtus ſua paſſione non omnia pœnalia delevit.

„ ordinata, ut, quia omnis homo ſecundum vitæ „ æque non graditur, alter ab altero rega- „ tur &c.--Quare quocumque ſe vertant Hæretici, tenentur admittere Dominatum.

29 Sed ſtatim contra hoc replicabis ex Paulo 1. ad Corinth. 7., ubi prohibet Chriſtianis Corinthiis ſervitutem, quia empti pretio Redemptionis: *Pretiò empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*. Ergo liberatio a ſervitute peccati infert liberationem a ſervitute civili, facitque Redemptori injuriam, qui ablatam tanta ſolutione ſubjectionem vult iterum introducere.

RESP. Paulus ibi potius commendat, quam tollat ſervitutem. Præmittit enim: *Servus vocatus es? Non ſit tibi curæ, ſed etſi potes fieri liber, magis utere*. Ubi vides non ſolum non prohibere, ſed conſulere etiam perſeverantiam in ſervitute, etſi liber fieri poſſet; datque rationem: *Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter, qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti*, Ideſt, ſive ſervus, ſive liber, Domini eſt, & Domino ſervit ad ſalutem, cujus unice ſollicitudinem promovere intendit Apoſtolus. Unde illud: *Nolite fieri ſervi hominum*, appellat ſupra modum operandi, & intentionem, finemque habendi in actionibus noſtris, ſcilicet; quod non ita hominibus ſerviamus, ut iis principaliter placere velimus, prætereundo eos ſervitiu Dei, occupando mentem ſuperſtitionibus, aliiſque ſimilibus, quibus Corinthii afficiebantur, hæc enim ſunt effectui Redemptionis contraria. Hinc optimam præmittit rationem: *Pretio empti eſtis*.

Sive liber, ſive ſervus Domini eſt.

30 SUBSUMES. Apoſtolus hic intelligit veram ſubjectionem excludere, quia ex vi Redemptionis Chriſtianus nihil aliud homini debet, quam dilectionem. Ad Romanos 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; ergo.

RESP. neg. ant. Cujus oppoſitum docet ibidem Paulus; præmittit enim: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*. Porrò tributum, & vectigal debetur Principibus, timor Dominis, honor ſuperioribus: quæ debita vult adeo perfecte a Chriſtianis perſolvi, ut nihil maneat adimplendum: *Nemini quidquam debeatis*, niſi dilectionem; quia natura præcepti dilectionis talis eſt conditionis, ut nunquam extinguatur. Idque propter tria ex Angelico *lect.* 2. *in* 13. *ad Romanos*. I. -- Quia dilectionem „ Domino debemus propter Deum, cui ſuf- „ ficienter recompenſare non poſſumus -- Dicitur enim prima Jo. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*. II. -- Quia cauſa dilectionis ſem- „ per manet, quæ eſt ſimilitudo naturæ, & „ gratiæ -- Eccl. 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi; ſic & omnis homo proximum ſibi*. III. -- Quia charitas in diligendo non deficit, „ ſed proficit -- Ad Philip. 1. *Hoc oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet: ideo dicit, niſi ut invicem diligatis: quia ſcilicet dilectionis debitum, ita ſemel redditur, ut tamen ſemper maneat ſub debito præcepti*. Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*. Quo nihil melius.

Principibus debetur tributum.

31 OBJIC. III. Illud non eſt licitum, quod expreſſe prohibuit Chriſtus, ſed Dominatum inter Chriſtianos prohibuit, Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum &c. Vos autem non ſic*. Et Matth. 20. *Non ita erit inter vos*; ergo in Eccleſia Chriſti non debet eſſe Dominatio politica.

RESP. neg. min. Non enim Chriſtus politicum vetat Dominium, ſed modum, & affectum, ideſt ambitionem. Et patet ex contextu, tum ex fine, quem habuit reprimendi ambitionem contendentium diſcipulorum, tum exemplo ſui, qui licet verè Superior, venit tamen miniſtrare, tum ex eo, quod ordinem admiſit Majoris, & Minoris: *Vos autem non ſic, ſed qui Major eſt in vobis, fiat ſicut Minor*. Quam doctrinam gubernandi, excluſo affectu ambitionis, Epiſcopis, & Presbyteris tradidit Petrus Apoſt. *Epiſt.* 1. *cap.* 5. *Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti Gregis ex animo*. Voluit Chriſtus moderari affectum, non auferre Dominatum debito modo exercitum.

Ambitionem reprobat Chriſtus.

32 DICES. Chriſtus Dominus expreſſe declaravit Chriſtianos eſſe liberos a tributo ſolvendo Principibus; ergo nullum inter Chriſtianos approbat Dominium. Probatur aſſumptum. Cum acceſſiſſent ad Petrum ſuſceptores didrachmatis conquerentes, quod illud Chriſtus non ſolveret, Petro dixit Jeſus Matth. 17. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Jeſus; ergo liberi ſunt filii*. Filii autem hic accipiuntur credentes; ergo &c.

RESP. neg. ant. Quod non evincitur inducta auctoritate; in alio enim capite reſpondit Chriſtus interrogantibus, reddenda eſſe, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, nec aliter eſſe poteſt. Hinc D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104 *art.* 6. ait -- Quod fides eſt juſtitiæ principium, & „ cauſa ſecundum illud Romanorum 3. Ju- „ ſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti. Et ideo „ per fidem Jeſu Chriſti non tollitur ordo ju- „ ſtitiæ, ſed magis firmatur. Ordo autem ju- „ ſtitiæ requirit, ut inferiores ſuis Superiori- „ bus obediant; aliter enim non poſſet huma- „ narum rerum ſtatus conſervari --Primarius porro ſenſus Chriſti Domini appellat ſupra ſeipſum, qui eſt filius naturalis æterni Patris, eſtque filiatio hujuſmodi: Reges a filiis naturalibus non accipiunt tributum; ergo ego, qui ſum filius Regis Regum, liber ſum.

33 INSTABIS. Gloſſa in hunc locum ex Aug. *lib. quæſt. Evangelicarum quæſt.* 23. habet -- Si in quolibet Regno filii filius Regis, „ qui Regno illi præfertur, ſunt liberi; tunc „ filii illius Regis, cui omnia Regna ſubdun- „ tur, in quolibet Regno liberi eſſe debent-- ſed Chriſtiani ſunt filii Regis Chriſti, Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; ergo liberi ſunt in quolibet Regno a tributo, utique terreno, de quo textus.

RESP. Auguſtinum explicare locum in ſenſu myſtico, videlicet, quod Chriſtiani per gratiam a Chriſto ſanati non debent vectigal ſolvere Dæmoni, ſicut filii naturales non ſolvunt tributum. Quia tamen gratia Redemptionis non ſanat perfecte corpus, nec diſſolvit humanum convictum; ideo ſtante libertate ſpiritus, ſtat ſubjectio in corporalibus.

Myſtica fidelium libertas.

In hoc ſenſu locutus eſt etiam Hieronymus -- „ Ille pro nobis, & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis a vectigalibus immunes ſumus -- Qua metaphora explicatur ſolutio a ſervitute illa ſpeciali Dæmonis per peccatum inducta.

34 URGEBIS. Chriſtus clare loquitur in ſenſu terreni tributi, ut patet ex textu, & loquitur de ſeipſo, non ut Deus (de quo non eſt dubium non teneri ſolvere tributum Regno terreno); ergo loquitur de ſeipſo, ut homine donis gratiæ ornato. Nec loquitur de ſeipſo ſolum; ait enim: *Ergo liberi ſunt filii*, in plurali; alios autem non poteſt intelligere, niſi filios Dei per gratiam; ergo &c.

RESP. Locutum eſſe Chriſtum in ſenſu terreni tributi, & de ſeipſo, ut homine. Falſum autem eſt Chriſtum ut hominem, non eſſe verum filium naturalem ratione filiationis Divinæ ſpecialiter, & formaliter per unionem hypoſtaticam copulatæ. Loquitur vero in plurali, quia omnes filii naturales Regum ſunt a vectigalibus immunes in Regno Patrum ſuorum. An vero ex hoc loco deducatur immunitas Eccleſiaſtica a ſecularibus oneribus, infra examinabitur.

35 OBJIC. IV. Si inter Chriſtianos darentur veri Principes, in Eccleſia Dei darentur plures Domini, ſed hoc eſt falſum; nam dicitur Epheſ. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*.

Sed hæc puerilia ſunt. Dominus omnino abſolutus, cui omnia ſerviunt, & qui nulli ſervit, Unus eſt. Dominus verò miniſterialis dependens a Rege Regum, limitatus, & præfinitos habens ſubditos, multiplex eſt. Sicut unum eſt Baptiſma, & baptizans principalis, & tamen ſunt plures Baptizatores miniſteriales. Unus eſt Pater veſter, unus eſt Magiſter veſter, ait eadem Scriptura; nullus ergo alius Pater, nullus ergo alius Magiſter miniſterialis, ſecundarius, ſubordinatus?

36 OBJIC. V. Latronibus non debet præſtari ſubjectio, neque violentiam exercentibus, ſed quid aliud ſunt Regna, niſi magna latrocinia? Ut Auguſt. tribuitur in illis -- „ Quid Reipublicæ magis nocivum, quam Principatus? Ratione enim Principum in omne „ ſcelus corruptorum Gen. 6. venit diluvium -- Et Arrianus *lib. 7.* -- Quis poteſtatem Dominativam invexit, niſi tyrannis? Juſte, cum „ natus eſt Alexander, Epheſi Magi clamitarunt: Peſtem, ac perniciem Aſiæ, proxima nocte natam -- Vare item Seneca *lib. Nat. quaſt.* -- Philippi, & Alexandri victorias, „ latrocinia, & conflagrationes appellavit -- Nec a tramite veritatis recedit reſponſio illius Pyratæ; quam Auguſtinus *lib. 4. de Civit. Dei cap. 4.* approbans refert illis -- Eleganter enim, „ & veraciter Alexandro illo magno, quidam „ comprehenſus Pyrata reſpondit. Nam cum „ idem Rex hominem interrogaſſet, quid ei „ videretur ut mare haberet infeſtum? ille „ libera contumacia, quid tibi, inquit, Orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna „ claſſe, Imperator --

Hæreticorum ſolemne effugium eſt, cum veritate premuntur ad contumelias recurrere. Quia aliqui dignitate abutuntur, non ideo Principatus ex ſui inſtitutione non bonus, & neceſſarius? Quia nonnulli prætextu ſuperioritatis violentias, rapinas exercent; tribunal juſtitiæ adjudicativum ex ſe malum eſt? Nihil tam ſanctum datur, quo quandoque non abutantur homines. Et propter hoc idem neceſſaria eſt poteſtas coercitiva. Calumniæ iſtæ pravitatem perſonalem maiorum Dominantium feriunt, non Dominationem. Sed & malis ſubdi tenemur in his, quæ Deo, juſtitiæque non repugnant: falſo autem tribuitur Auguſtino abſoluta illa propoſitio, loco enim ait. *de Civit. Dei*, ait -- Remota itaque juſtitia, quid „ ſunt Regna, niſi magna latrocinia? -- An verò poteſtas Regum a Deo ſit immediata, an ab hominibus, infra explicabitur. Sufficit, quod in præſenti non loquamur de Dominatu tyrannice uſurpato, ſed de legitimo.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTIANIS PRINCIPIBUS LEGES CONDERE LICEAT.

37 SUb nomine Chriſtianorum Principum intelligere placet in hac Controverſia omnes Prælatos, ſive Eccleſiaſticos, ſive politicos; quia ob eadem motiva libertatis Chriſtianæ diverſæ Hæreticorum ſectæ negant & Eccleſiæ, & Magiſtratui civili Poteſtatem ferendi Leges, quæ humanæ dicuntur. Quare, ne eadem argumenta pluties verſare cogamur, ſub eodem titulo comprehendimus utramque judiciariam Potaſtatem.

In Eccleſia Chriſti non dari facultatem ferendi Leges, nec penes Papam, nec penes Epiſcopos tenuerunt Hæretici Waldenſes ex Divo Antonino *par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 2. ſumma Theol.* Marſilius de Padua *in lib. Defenſor pacis*, Joannes Wicleph. *art. 38. ex damnatis a Martino V.* Joannes Hus *art. 15. ex damnatis in eadem Bulla Martini*. Joannes Weſpalia, cujus doctrina Moguntiæ damnata fuit an. 1475. Lutherus *de Captivit. Babylonica cap. de Baptiſmo. Et lib. de libertate Chriſtiana art. 27. in aſſertionibus in explicatione Viſionis Danielis*. Philippus Melancton *in Confeſſione Auguſtana art.* 28. Calvinus *lib. 4. inſtitut. cap.* 10. 11., *&* 12., qui omnes in eo conveniunt, quod denegent Eccleſiæ, ejuſque Prælatis Poteſtatem condendi veras Leges. Waldenſes autem, & Anabaptiſtæ id negant expreſſe etiam Politicis Principibus, quoad leges Civiles. Contra hos omnes Hæreticos una ſit fidei Catholicæ concluſio.

38 In Eccleſia Dei Principes tam Eccleſiaſtici, quam Politici habent auctoritatem condendi veras leges. Probatur quoad primam partem. I. Majus eſt Sacerdotium Eccleſiæ Chriſti, quam Sacerdotium Synagogæ: ſed Sacerdotium Aaronicum gaudebat vera poteſtate imperandi per leges; ergo etiam Sacerdotium Chriſti. Minor declaratur. Deuteron. 17. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto Judicis, morietur homo ille*,

In Eccleſia jus condendi leges.

Digitized by Google

ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Quibus & poteſtas condendi vera præcepta, & finis legum mirificè explicatur. Cum verò Chriſtus non venerit evacuare, ſed transferre Sacerdotium, & perfectius ſtabilire; nec venerit tumultuantium fovere contumaciam, ſed evellere, non debuit Sacerdotio auferre vim legislativam. Proverb. 6. *Conſerva fili mi præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo*. Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui*. Qui autem ſunt Patres, niſi Superiores? Quæ Mater, niſi Eccleſia? Ideo Pſalmiſta Pſal. 44. prædicens ait; *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*. Ubi adverte Scripturam aſſerere præcepta Patris, legem Matris, Imperium Sacerdotis, ne ad auctoritatem pure exhortandi, & commonendi trahantur.

39 PROB. II. Chriſtus Petro ut Supremo, ceteriſque Apoſtolis, ac proinde eorum Succeſſoribus reliquit poteſtatem gubernandi Eccleſiam, proportionabiliter ſibi a Patre datam: Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. 21. *Paſce oves meas*. Sed Chriſtus in gubernanda Eccleſia habebat veram poteſtatem ſanciendi leges, ut Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*; ergo reliquit etiam Eccleſiæ Paſtoribus. Unde Matth. 18. habetur: *Si autem Eccleſiam non audierit* (ideſt Prælatos) *ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo*. Quibus demonſtratur Eccleſiam habere vim corripiendi per ſuos Prælatos, & admonendi delinquentes, & excommunicandi, & declarandi excommunicatos contumaces, ferendi leges, & ſolvendi ab eis. Generaliter enim locutus eſt Chriſtus: *Quæcunque alligaveritis*; cumque in Sacra Scriptura ligare ſignificet etiam ferre leges, ſecundum illud Matth. 23. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere*, omnino credendum eſt facultatem etiam legislativam eis contuliſſe.

Poteſtas gubernandi a Chriſto colla ta Prælatis Eccleſiæ.

40 PROB. III. Non eſt minor poteſtas in Eccleſia Chriſti nunc, quam fuerit tempore Apoſtolorum, cum eadem ſit perſeveratura uſque in finem, ſed Apoſtolorum ævo Eccleſia habebat poteſtatem condendi veras leges; unde habemus tradidiſſe fidelibus præceptum de abſtinendo a ſuffocato, & ſanguine, Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione*. Porro hanc per modum veri præcepti conſtitutionem fuiſſe latam patet ex his, quæ dicuntur infra ibidem; *Perambulabat autem Syriam &c.* (Paulus) *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum*. Cap. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant in Jeroſolymis*. Et verba illa: *Nihil ultra imponere vobis oneris* ſatis innuunt eos potuiſſe alias leges condere. Prima ad Corinth. 11. *Laudo vos &c. quod præcepta mea tenetis*. 2. ad Theſſalon. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo*. Prima ad Theſſal. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis &c. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis &c.* En Paulo datam a ſpiritu Chriſti legitimam facultatem ſanciendi præcepta.

Apoſtoli leges condidere.

41 PROB. IV. Etiam pro ſecunda parte. Qui verè ſunt Superiores, Epiſcopi, Paſtores, Superintendentes, Principes, neceſſe eſt, ut habeant auctoritatem dirigendi ſubditos per leges; aliter non poterunt efficaciter conſequi finem directionis, & gubernationis. Hinc Plato *lib. 2. de Republica, & lib. 8. de legibus*. Ariſt. *lib. 7. politicorum cap. 6., &* 9. docent Paſtores humani gregis habere jus legislativum, ſed conſtat ex Sacra Scriptura in Eccleſia dari Paſtores, Epiſcopos, Principes; ergo conſtat eos poſſe leges condere. Minor declaratur. Act. 20. habetur: *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Heb. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo; quæ autem ſunt a Deo ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Prima Petri 2. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis*. Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt*. Si ſubditi obedire tenentur; ergo Superiores poſſunt præcipere; ſunt enim hæc eſſentialiter correlativa. Si poteſtati reſiſtendo Deo reſiſtitur; neceſſe eſt quod Poteſtates præceptum aliquod condere poſſint, cui poſſit non obtemperari. Si juſta decernunt Conditores legum auctoritate a Deo collata; ergo juridice ſunt Legislatores.

Ubi ſuperiores, ibi & ſubditi.

42 Lutherus vaferrime non negat obedientiam in Eccleſia, ſed negat dilatari ultra ea, quæ ſunt expreſſa in Scripturis, ideſt vult, quod Superiores poſſint admonere ad obſervantiam legis Divinæ (licet poſtea dicat, nec ad hanc obligari fideles); non autem diverſas, & novas leges indicere. Et Calvinus *lib. 4. inſtit. cap.* 10. §. 21. 22. idem ſentit; & quia premitur argumento tertio deſumpto ex Actis 15. Reſpondet, Apoſtolos non condidiſſe novum præceptum, ſed ſolum Divinum antiquum explicaſſe, ſcilicet de non ſcandalizandis infirmis. Quare non tenebantur Chriſtiani abſtinere ab Idolothytis, ſanguine, & ſuffocato, ſed ad præcavendum ſcandalum. Quo modo Scripturis ceteri quoque reſpondant Hæretici, eas fraudulenter eludendo, & incautos decipiendo.

Verum ſolutionem eſſe extorſionem plura evincunt. Sed prius ſatisfaciamus Calvino. I. Apoſtoli abſolute loquuntur, nulla facta mentione ſcandali. II. Scriptura appellat expreſſe præcepta Apoſtolorum, & non Dei. III. Aliud eſt materia præcepti, aliud finis. Licet finis hujus conſtitutionis eſſet periculum Idololatriæ, & ſuperſtitionis; ac proinde ſcan-

Leges novæ ab Apoſtolis conditæ.

ſcandalum vitandum, nihilominus materia prohibita eſt comeſtio ſuffocati, & ſanguinis, ut patet in omnibus præceptis Divinis, in quibus finis eſt charitas: & tamen præceptum *non furaberis* non obligat ad amandum, ſed ad non accipiendum alienum invito Domino. IV. Chryſoſtomus appellat hoc decretum novam legem ex ceremoniis Moſaicis excerptam: non ergo prohibet ſcandalum, quod cadit ſub præcepto tranſcendente antiquiſſimo.

V. Si vetitum fuiſſet Idolothytum, & ſuffocatum (de quo eſt eadem ratio) propter ſcandalum, fuiſſet licitum, ubi nullum fuiſſet ſcandali periculum: ſed non erat licitum, ut patet, cum Chriſtiani eo non poſſent veſci clam, & tempore neceſſitatis. De hoc præclaram doctrinam habemus apud Auguſtinum *Epiſt.* 154. *ad Publicolam*, ubi proponit hoc dubium: An viator nullum cibum inveniens, quam Idolothytum, & nullus hominum eſſet, potius deberet mori fame, quam illo veſci: & reſpondet -- „Aut certum eſt eſſe Idolothytum, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur. Si autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo in uſum neceſſitatis aſſumitur -- Leo Magnus *Epiſt.* 77. *ad Nitam* dicit pollutos cibis immolatitiis ſubjiciendos eſſe pœnitentiæ -- „Et ſive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cum hujuſmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro Religionis veneratione ſit ſumptus -- Objicientibus Ethnicis, quod Chriſtiani veſcerentur carnibus infantium in occulto, ait Blandina Virgo, & Martyr -- „Multum erratis viri, quod putetis infantium carnibus veſci eos, qui nec mutorum quidem animalium ſanguine utuntur -- Quibus manifeſte apparet; non abſtinuiſſe Chriſtianos ob ſcandalum vitandum, ſed quia revera erant illæ comeſtiones prohibitæ.

VI. Quod eſt prohibitum ratione ſcandali, non coinquinat abſolute acceptum, & præciſive a ſcandalo, ſed comeſtio ſanguinis, & ſuffocati coinquinabat ſecundum ſe, præſcindendo a ſcandalo, ut habet ibidem Tertullianus *cap.* 9. *Apolog. in priori parte propoſitionis*, dicens -- „Ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur; vel intra viſcera ſepulto -- Vides abſolute contaminare Idolothytum, nullo habito reſpectu ad ſcandalum. Cyrillus Jeroſolymit. *Catecheſi* 4. *cap. de cibis* aſſignat pro ratione Apoſtolicæ prohibitionis ſævitiam, & indecentiam -- Multi enim feri homines, & more canum viventes, „ſanguinem quidem ſæviſſimarum belluarum in modum lambebant: ſuffocata vero crudeliter vorabant. Tu vero Chriſti ſervus cum manducas, cum modeſtia quadam manduca -- Hanc pariter rationem addit S. Thomas 1. 2. *quaſt.* 102. *art.* 6. *ad primum*, loquens de prohibitione facta Hebræis -- „Et propter hoc etiam prohibitum eſt eis comedere animalia ſuffocata, vel ſtrangulata, quia ſanguis eorum non ſeparatur a carne, vel quia in tali morte animalia multum affliguntur. Et Dominus voluit eos a crudelitate prohibere, etiam circa animalia bruta, ut per hoc magis recederent a crudelitate hominis habentes exercitium pietatis, etiam circa beſtias -- Præciſive ergo a ſcandalo intelligitur facta prohibitio.

De comeſtione ſuffocata comedentes.

Gangrenſe Concilium *Can.* 2. -- „Si quis, carnem edentem (præter ſanguinem, & Idolis immolatum, & ſuffocatum) cum Religione, & fide condemnat, velut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit -- Ubi habes, diverſo modo ſentire Patres comeſtionem alterius carnis, ac ſanguinis, & ſuffocati; volunt enim primam ſtare cum ſpe ſalutis; ſecus ſecundam, & utique non ratione ſcandali, quia ex Apoſtol. 1. Corinth. 8. Comeſtio cujuſcunque carnis cum ſcandalo eſt mala. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Quare idem decretum fuit etiam decurſu temporis ab Eccleſia renovatum: ut in Concil. Aurelianenſi II. *cit. lib.* 4. *de Rom. Pont. c.* 16. *cap.* 19., *&* 20. *apud Bellarm.* In novella conſtit. 58. Leonis Imperatoris. Et in antiquo Pœnitentiario manuſcripto Theodori extat gravis pœna pro veſcentibus ſuffocato.

43 DICES ex Calvino. Nullus prudens facit decretum contra finem decreti, ſed in ea Conſtitutione finis Apoſtolorum fuit liberare converſos ab onere, & jugo ceremoniarum Moſaicarum; ergo ne imprudenter egiſſe dicamus, aſſerendum eſt noluiſſe novam facere legem, & onus, ſed ſcandalum præcavere.

RESP. Concedo maj., & etiam min.; ſed neg. conſeq. Licet enim intenderint declarare ſolutionem a Moſaicis ceremoniis, quæ in morte Chriſti mortuæ erant; non potuerunt tamen intendere ſolutionem ſubjectionis ab iis, quæ neceſſaria erant pro fide propaganda, & gentibus convertendis. Porro ad hunc finem neceſſariæ erant iſtæ Conſtitutiones, & pro abolenda ſuperſtitione a mente converſorum ex gentilitate, & ad faciliorem unionem utriuſque parietis. Judaici ſcilicet, & Ethnici. Ideo ipſamet Scriptura dicit: *quam hæc neceſſaria*: ideſt, pro illo fine intento. Quare illud decretum non erat latum, ut ex lege Moyſis, ſed ut novum, ratione præſentium circumſtantiarum. Et revera finis idem fuit in prohibitione ſuffocati, ſanguinis, & immolati, ac fornicationis (quæ tamen non fuit prohibita ob ſcandalum, ſed ob propriam malitiam, cui Gentiles maxime adhærebant), cum hac ſola differentia, quod lex fornicationis non fuerat abolita per mortem Chriſti, quia eſt juris naturæ.

44 INSTABIS. Id fuit ſtatutum ab Apoſtolis, quod fuit a Paulo promulgatum, ſed Paulus expreſſe promulgavit ſolam ſcandali evitationem; ut habetur 1. ad Corinth. 8. *Quidam cum conſcientia uſque nunc Idoli, quaſi Idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum, cum ſit infirma, polluitur &c. Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in Idolio recumbentem,*

nonne

nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? Et peribit A *infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* Et cap. 10. *Si quis dixerit, hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare illum, qui indicavit, & propter conſcientiam. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.* Ubi expreſſe docet, non eſſe illicitam comeſtionem, niſi propter ſcandalum; cumque Paulus præſens fuerit, bene novit ſenſum proprium. Epiſtolam porro ſcripſit poſt prædicatum Corinthiis Evangelium; ingreſſus autem Pauli in Corinthum ponitur decimo octavo Actorum, & Concilium Act. decimo quinto.

RESP. Hunc locum non infirmare veritatem Catholicam, quia præceptum ab A- B poſtolis non fuit pro tunc traditum univerſo Orbi, ſed ſolum Provinciis Judææ, Syriæ, atque Ciliciæ, in quibus orta erat contentio, propter quam aſcendit Paulus, & Barnabas Jeroſolymam, in hiſque ob converſos ad Chriſtum Judæos, æmulatores Moſaicarum traditionum, erat neceſſitas legis. Et de facto Epiſtola Synodalis ad has Provincias dirigitur: *Scribentes per manus eorum. Apoſtoli, & Seniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syria, & Cilicia, fratribus ex gentibus ſalutem &c.* Quare præceptum nec erat apud Corinthios publicatum, nec eos obligabat, ac proinde C potuit Paulus permittere, ut Idolothytum comederent ſcandalo ſecluſo Corinthii, qui aliàs valde ſuperſtitioſi erant. Quia tamen ſecundum naturam cibi erat apud aliquos ſuſpicio de illicita comeſtione, docet regiam viam procedendi his regulis.

Prima. Hortatur totis viribus, ut abſtineant a comeſtione immolatorum ob quadruplex motivum. I. Ad vitandam ſocietatem Dæmoniorum: *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris?* II. Ad vitandam calicis Domini excluſionem: *Non poteſt is calicem Domini bibere, & Dæmoniorum.* III. Ad præcavendam Domini indignationem. *An æ-* D *mulamur Dominum?* IV. Ad præcavendam proximi læſionem: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Secunda. Declarat omne genus ciborum eſſe ex natura ſua licitum: *Omne, quod in macello venit, manducate.* Ex quo deducit, quod in conviviis fideles manducent, quidquid apponitur, non interrogantes an immolatum ſit, nec ne. Si verò quis dicat immolatum eſſe, tunc abſtineant propter ſcandalum, etiam illi, qui ſcientiam habent, ideſt, qui ſciunt aliunde eſſe licitum.

Concluſio ergo clara eſt. Quod Corinthii non comedant de immolatis qua talibus, in iis circumſtantiis videlicet, in quibus eſſet E communicatio cum ſacrificiis Deorum. II. Quod comedant de quocunque genere carnis venientis ex macello, etiam ex ſuo genere ſacrificiis deſtinatæ. III. Quod abſtineant ob ſcandalum etiam in conviviis ordinariis, ubi caro non comeditur ut participatio ſacrificii, caſu quo dicatur immolata. In qua doctrina non attendit ad præceptum Apoſtolorum, ſed ad rerum naturas.

Scandalum evitandum.

45 URGEBIS. Nunc illud præceptum non obligat, niſi quia ceſſavit ſcandalum: obligaret autem, ſi fuiſſet vera lex. Sed hoc nihil eſt; ceſſante enim fine in generali, qui eſt anima legis, ceſſat lex. Nunc autem obliterata eſt omnis memoria gentilitatis, & ſuperſtitionis inter Chriſtianos; ideo non obligat.

Deinde generaliter oſtenditur perpetua traditione, tum Principes Eccleſiaſticos, tum civiles plures tradidiſſe leges diſtinctas ab illis præceptis, quæ ſunt expreſſa in Sacra Scriptura. Quinquaginta Canones evulgantur ſub nomine Apoſtolorum. Viginti ex Concilio I. Nicæno, ſeu Sardicenſi. Novem ex Conſtantinopolitano I. Duodecim ex Epheſino. Ex Chalcedonenſi viginti octo. Ex Nicæno II. viginti duo. Ex Conſtantinopolitano VIII. viginti octo. Ex Eliberitino octoginta, & ultra. Ex Arelatenſi I. viginti tres. Ex Ancyrano viginti quatuor. Ex Neocæſarienſi decem, & quatuor. Ex Laodiceno quinquaginta novem. Ex Romano II. viginti. Ex innumeris aliis Conciliis Provincialibus, Nationalibus, Diœceſanis diverſæ hinc inde pro opportunitate temporum, perſonarum, & locorum leges prodierunt.

Concilia plures leges condiderunt.

Plures etiam Decretales Romanorum Pontificum in corpore juris Canonici inſertæ, quas bene noverat Lutherus; & ideo in odium veritatis combuſſit, in quibus plurima ſtatuuntur circa diſciplinam Eccleſiaſticam, Jejunia, Decimas, Paſcha, Dies Feſtos, Parochias, Epiſcopatus, Matrimonia, Ordines, Clericos, Contractus, quorum nec verbum extat in Scriptura. Quoad Principes politicos tot leges extiterunt a piis Imperatoribus uſque ad nos, ut impleta fuerint quatuor volumina Juris civilis. Tot ſunt municipales, quæ omnium Regnorum Curias replent, ut velle de illis dubitare a ratione alienum ſit.

Jus civile Principum leges refert.

46 PROB. V. Chriſtianus eſt pars Reipublicæ Eccleſiaſticæ, & temporalis; ergo debet habere media neceſſaria, quibus perducatur ad finem, & bonum commune utriuſque Reipublicæ, ſed ſine legibus propriis utriuſque Status nequit perduci ad finem proprium, & convenientem; ergo. Minor declaratur. Secundum Ariſtotelem 1. *Politic. cap.* 2. -- Homo ſi perfectus ſit virtute, eſt optimum animalium, ſi ſeparatus ſit a juſtitia, eſt peſſimum omnium -- quia ait S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 95. *art.* 1. -- Habet arma rationis ad explendas concupiſcentias, & ſævitias, quæ non habent alia animalia --

Leges ſunt media ad finē conſequendū.

Quare, ne homo exorbitet a juſtitia, & effrænis erumpat ad explenda ſua deſideria, neceſſaria eſt regula, per quam medium rationis teneat in iis, quæ pertinent ad convictum humanum, & ad cultum Dei. Et licèt habeat Chriſtianus legem naturalem, qua dirigitur in moralibus politicis, & Evangelicam, qua in Divinis, hæ tamen non ſufficiunt; quia ſunt nimis generales, nec poſſunt deſervire ad moderandas actiones humanas adeo diſparatas, & circumſtantiarum diverſitati ſubjectas, niſi per determinationes particulariores applicentur per leges Superiorum: Sicut, quia prima principia in ſpeculabilibus tradunt veritates nimis in univerſali, neceſſariæ ſunt ſcientiæ, quæ ad concluſiones particulares deſcendant.

Dicant Hæretici, cum homo variis re-

rum

rum eventibus victriſe illecebra alliciatur, qualis Dei oblivio, qualis Religioſi cultus inoleſceret torpor, niſi per Eccleſiæ determinationem eſſent ſtatuta tempora, & modi ſe applicandi ad Divina? Dicant Hæretici, ſi hominum arbitrio ſub ſolo lumine naturali, & Evangelico relinquerentur, quot civilia negotia, & politici contractus, qualia incommoda, quales lites, extorſiones, & perturbationes oirentur ob ignorantiam, vel malitiam contrahentium, niſi per Principum ſtatuta limites convenientes forent taxati?

Igitur homo, prout habet convictum cum aliis creaturis ſecundum rationem communem naturæ creatæ, in operationibus liberis regitur a lumine rationis, ut convictum habet ſpecialiorem cum aliis propriæ ſpeciei, in iis, quæ non dictantur a lumine naturæ immediate, ſed quæ de facili deducuntur propter fere claram connexionem, determinatur a jure gentium, ut habet convictum cum ſpiritualiter viventibus in iis, quæ pertinent ad ſalutem æternam, dirigitur per leges Eccleſiaſticas, ut habet convictum cum civiliter viventibus, in iis, quæ ſpectant ad negotia humana non cadentia de facili ſub lumine naturali, regulatur a jure poſitivo, ſeu legibus politicorum Principum.

Legum neceſſitas.

Melius autem eſſe legibus determinari res, quam judicum arbitrio committi, oſtendit Philoſ. *primo Rhetor. cap. 1. 2. Politic. cap. 12., & Ethic. cap. 6.*, cum quo S. Thomas *loc. cit. ad 2.* — Primò, quia facilius eſt invenire „ paucos ſapientes, qui ſufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos, qui requirerentur ad recte judicandum de ſingulis. Secundò, quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore conſiderant, quid lege ferendum ſit, ſed judicia de ſingolaribus factis fiunt ex caſibus ſubito exortis. Facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre, quid rectum ſit, quam ſolum ex uno aliquo facto. Tertiò, quia legislatores judicant in univerſali, & de futuris; ſed homines judiciis præſidentes judicant de præſentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & ſic eorum depravatur judicium. Quia ergo juſtitia animata Judicis non invenitur in multis, & quia flexibilis eſt; ideo neceſſarium fuit, in quibuſcumque eſt poſſibile, legem determinare, quid judicandum ſit, & pauciſſima arbitrio hominum committere — Hæc Doctor Sanctiſſimus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

47 OBJIC. I. Joan. de Weſphal. Id ſolum poſſunt Principes Chriſtiani, quicunque ſint, quod illis conceſſum eſt a Chriſto, ſed Chriſtus ſolum conceſſit exhortari ad obſervantiam eorum, quæ ſunt expreſſa in Scripturis; ut habetur Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes vos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Non dixit, quæ vos mandabitis, ſed quæ ego mandavi. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ideſt, quæ ſcripta ſunt. ergo.

Obedientia ſupponit præceptum.

RESP. Conced. maj., & neg. min. Cujus probatio noſtram evincit veritatem. Nam inter alia præcepta, quæ Dominus dedit, unum eſt de obedientia præſtanda Prælatis. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Quibus colligitur jus præceptivum in Prælatis non eſſe pure humanum, ſed Divinitus collatum. Hinc Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Si facienda ſunt, quæ dicunt Superiores, legitime jubent. Ut vitam æternam habeamus, ſervanda ſunt præcepta Domini; obedientia ergo Præpoſitis noſtris exhibenda.

48 DICES. Id vetitum eſt Chriſtianis propter perfectius Evangelium, & Teſtamentum, quod vetitum eſt Iſraelitis. Sed illis vetitum eſt, ne nova præcepta adderent iis, quæ in veteri Teſtamento erant contenta; ergo multo minus poſſunt addere fideles iis, quæ in novo, ſeu Evangelio continentur. Min. habetur Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Cap. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Quid clarius? Agitque ibi de ceremonialibus, & judicialibus, ut liquet ibidem. Sic Lutherus, Calvinus, Petrus Martyr, qui eſſe bonum argumentum dicunt.

Novæ leges in lege veteri.

RESP. Data majori, minor eſt retorquenda; nam præter ceremonialia, & judicialia, quæ per Moyſem tradiderat Deus, alia addiderunt Iſraelitæ, ut patet ex ſequentibus. Eſther 9. habemus decimamquartam, & decimamquintam Lunam menſis Adar inter dies feſtos enumeratam. *Susceperunt Judæi ſuper ſe, & ſemen ſuum, & ſuper cunctos, qui Religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere.* Judith ultimo, dies victoriæ pariter inter feſtos reponitur: *Dies victoriæ hujus feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore, uſque in præſentem diem.* 1. Machab. 4. v. 59. Dies dedicationis Altaris ſtatuitur recolendus ſingulis annis: *Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis Altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum per dies octo.* Cui feſto interfuit Chriſtus: Joan. 10. 1. Regum 30. David ſtatuit, ut æqualis portio ſpoliorum diſtribueretur pugnantibus, & ſarcinas cuſtodientibus: *Et factum eſt hoc, ex die illa, & deinceps conſtitutum, & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael.* Nec verbum illud *quaſi*, diminuit: tum quia ex Hebræo correſpondet abſoluta phraſis in præceptum, & judicium: tum quia in ſcriptura familiaris eſt ille modus dicendi, pro exprimendo abſoluto conceptu, ut v. g. Joann. 1. *Quaſi Unigeniti a Patre.*

Habemus ergo pro confirmanda veritate catholica, exempla pro poteſtate Sacerdotali, & laicali. Legitimus ſenſus Scripturæ eſt, quod nihil addatur, vel minuatur, quod ſit cor-

Præcepta ſine obliqua interpretatione ſervanda.

corruptivum rei præceptæ, ſcilicet integram, & perfectam obedientiam præcipit; ſicut Deut. cap. 5. v. 32. explicat Scriptura. *Facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis; non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*; ideſt ſine Gloſſa, & ad litteram obſervare mandata.

49 INSTABIS. Quia Achas, & Urias Sacerdotes 4. Regum 16. elevaverant aliud Altare ad ornatum Templi, quod Deus non præceperat, fuerunt reprobati. Quia pariter Manaſſes extruxit 4. Regum 21. aras a Deo non præceptas, peccavit. Quia Babylonii translati in Samariam coluerunt Deum novis ceremoniis 4. Reg. 17. v. 26. a Leonibus lacerantur; ergo Deus non vult ullam additionem præceptis ſuis. Ita ex Calvino.

RESP. Per inſtantiam. 3. Regum 8. Salomon ſanctificavit alium locum præter Altare æneum, quia hoſtiis non ſufficiebat, & de non præcepta in Scripturis ſanctificatione non fuit reprobatus, ſed a Domino laudatus, ut conſtat ex ſequenti cap.; ergo Deo placet, præceptis ſuis addere. Deinde dico eſſe intolerabilem temeritatem Hæreticorum, graviſſimis flagris dignam, quod a ſimilibus arguant. Utique peccavit Achas, quia ſuſtulit Altare æneum Domino ſacratum, aliudque erexit ad ſimilitudinem illius, quod viderat Damaſci pro offerendis Sacrificiis Idolis. Utique peccavit, & Manaſſes contra Deum, erigens aras univerſæ militiæ Cœli, ideſt in honorem ſiderum, in Templum adducens Idolum, quod in luco manebat. Utique Babylonii Samaritæ a Leonibus fuerunt interfecti, quia: *Cum Dominum colerent, Diis quoque ſuis ſerviebant, juxta conſuetudinem gentium, de quibus translati fuerunt Samariam*. Ita ne miſeri incautos decipitis? Ita Scripturas deturpatis?

Hæretici Scripturas torrũpunt.

50 URGEBIS. Non ſolum Deus prohibet additionem earum rerum, quæ ſunt propriæ Idololatrarum, verum etiam cujuſcunque mandati humani, quod non ſit Divinum, ut habetur expreſſe Iſaiæ 29. *Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem ejus longe eſt a me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis*. Quam querelam renovavit Chriſtus Matth. 15. v. 8. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt a me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Ecce quam bene reprobat præcepta humana. Ita ex Calvino.

RESP. Præcepta, quæ hominum dicuntur, duplicis generis ſunt, alia a non habente auctoritatem condita, vel ab habente quidem auctoritatem, ſed inutilia, & inania, alia ſunt & ab habente auctoritatem, & utilia, ideſt conducentia ad majorem obſervantiam legis naturalis, & Evangelicæ, ad conſervationem pacis Reipublicæ, & ad decorem, & reverentiam cultus Religioſi. Deinde hæc ſecunda, vel ita obſervari poſſunt, ut contemnantur graviora præcepta legis, vel ita, quod graviora etiam obſerventur. Deus ergo conqueritur in duobus circa præcepta hominum.

Primo, quia ſpretis præceptis legitimis, ſummo ſtudio coluntur inania quædam ab hominibus ſtatuta. Secundo, quia gravioribus neglectis minora obſervantur, quamvis bona.

Primi generis habemus exempla locis citatis Matth. 15., & 7. Marci, ubi locus Iſaiæ refertur: *Irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis*. Ut enim obſervarent quoddam genus doni, templo oblati, Judæorum conſuetudine, non curabant, quod parentes fame perirent. *Vos autem dicitis, quicunque dixerit Patri, vel Matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit &c.* Adulteria, homicidia pro nihilo habebantur, ſed non manducare niſi lotis manibus, baptiſma calicum, & urceorum ſumma veneratione obſervebantur.

Non tantum humana, ſed & divina ſervanda ſunt præcepta.

Secundi generis exempla habemus Matthæi 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ: qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*. Quibus reprehenduntur illi, qui quædam levia tenaciſſime cuſtodiunt, ſed graviſſima ſine ſcrupulo dimittunt. Porro de his non loquimur, ſed quod leges humanæ rationales, & utiles cuſtodiantur ſimul cum Divinis, quarum exempla præceſſerunt in Scriptura, præter allata ſuperius. Sic Num. 6. de Nazaræis. Jeremiæ 35. de Rechabitis. Pſal. 118. de Regio Propheta, jurata, & Deo voto promiſſa plura leguntur, quæ non erant a Lege Divina præſcripta.

51 REPLICABIS. Hæc non eſt legitima interpretatio; eſt enim contra cauſalem ab Iſaia traditam cap. 33. *Dominus Judex noſter; Dominus legifer noſter; Dominus Rex noſter*. Quam repetit Jacobus cap. 4. ſuæ canonicæ: *Unus eſt Legiſlator, & Judex, qui poteſt perdere, & liberare*; ideſt, nullus eſt alius, qui habeat auctoritatem ferendi leges, niſi Deus. Sic Calvinus.

RESP. Abs re citari Iſaiam, qui ad alium ſenſum loquitur. Ibi enim vult dare cauſam, cur Civitas Sancta Sion timere non debeat hoſtium incurſus, quia ſcilicet in ea habitat Deus ſpecialiter. Deinde plura glorioſa recenſet ibi attributa: *Non tranſibit per eam navis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum. Dominus enim Judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter. Ipſe ſalvabit nos*. Quare ſtultum eſt trahere Scripturam ad tam diſparatum ſenſum. Sed demus non eſſe abs re; non colligitur tamen ex eo excludi Legiſlatores ſecundarios, ſed ſolum ſtatui unum primum Legiſlatorem abſolutum, cujus poteſtate ceteri Conditores legum juſta decernunt. Quo ſenſu etiam intelligendus eſt Jacobus, & ſi conceditur explicare textum Iſaiæ.

Legiſlator alius primarius, ſecundarius alter.

52 SUBSUMES. Ita Jacobus ſtatuit unicum Legiſlatorem, ut tollat omnem ſecundarium. Nullum enim hominem vult conditorem legis, ſed omnes factores. *Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed Judex: unus eſt Legiſlator*.

RESP. neg. ant. Clarus eſt contextus, ſcilicet, quod nullus judicare debeat legem Superioris, ſed omnes teneantur obſervare. Unus enim eſt Legiſlator ita ſupremus, qui nullum alium habet ſupra ſe.

Inferior non debet ſuperioris legem judicare.

53 OBJIC. II. Tranſlatio a ſervitute carnis ad libertatem ſpiritus non ſtat cum

poteſtate ferendi leges ſubjectivas populorum, ſed Chriſtiani tranſlati ſunt a ſervitute carnis ad libertatem ſpiritus; ut 2. ad Corinth. 3. *Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas*; ergo Chriſtiani non poſſunt ligari legibus, ergo non datur legiſlatio.

RESP. neg. maj. Spiritus libertas non tollit ſubjectionem ad leges, ſed perficit. Nec ſpiritus libertas eſt, quæ deſervit pro velamine iniquitatis, ſed abuſus, ut ipſemet Paulus docet ad Galatas 5. *Vos enim in libertatem vocati eſtis Fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervite invicem*. En, quam bene præcavet, ne libertate abutantur; en, quam bene ſervitutem admittit inter fideles, cujus tamen motrix, & regula charitas eſt.

Libertas ſtat cum ſubjectione ad legem.

Petrus Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 2. poſtquam commendavit ſubjectionem Regibus, & Ducibus, admonet, ne titulo libertatis negligamus Prælatis obedientiam. *Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei*. Et iterum ſubdit: *Regem honorificate; ſervi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Quibus expreſſe Hæreticorum noſtrorum argumentum optime ſolvit, non recurrendo ad exemptionem a lege, ſed ad modum exequendi, ideſt, ſpiritu Chriſti, & charitatis, ſervili timore ſecluſo. Item Epiſt. 2. cap. 2. Aperte agens de Hæreticis, & Sectariis, & quidem noſtri temporis, ad unguem deſcribit, & aſſignat inter alia hunc characterem, doctrinam ſcilicet falſæ libertatis. *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis*. Ex quo convincuntur a fide aberrare, qui ſub prætextu libertatis docent ſolutionem a legibus Chriſtianorum Principum.

Falſa libertas prævaricantium.

Textus porro adductus planam habet in littera ſolutionem, cum aperte loquatur de libertate a velamine carnalis ignorantiæ, qua homo impeditur, ne habeat rectam intelligentiam Scripturarum. Hac laborare contendit Hebræos, non percipientes quæ a Prophetis, ceteriſque Scripturis dicta ſunt in ordine ad Chriſtum, utiturque exemplo ad declarandam hanc cæcitatem. Sicut Moyſes non poterat a filiis Iſrael conſpici ob faciei ſplendorem; unde cum eos alloquebatur, velabatur, ita Hebræi ob velamen carnalis ignorantiæ non capiunt ſplendorem luminis Evangelici, & veritatem prædicationis Chriſti. Ab hoc velamine ſumus liberi, quia in ſpiritus intelligentiâ myſteria percipimus. Audi Pauli illationem. *Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem ſpiritus eſt. Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes &c.* Quemadmodum craſſities, hebetudo, cæcitas, ignorantia, obſcuritas Intellectus dicitur ſervitus, & captivitas, qua mens detinetur, ita illuminatio, claritas, & recta intelligentiâ dicitur libertas; quo ſenſu Seneca, Plutarchus, & Ariſtoteles ſolos ſapientes dixerunt eſſe liberos.

54 DICES. Non ſolum ſumus liberi a velamine ignorantiæ, ſed etiam a ſubjectione legum alterius; ad Gal. 4. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit*. Patet autem, quod Ancilla aliorum legibus ſubditur, non Libera: ſi ergo filii Liberæ; non ergo legibus ſubjecti.

RESP. neg. ant. Libertas enim, de qua loquitur ibi Paulus, eſt a ſervitute peccati, & a ſervitute timoris, quo ducebantur Judæi. Unde de primo habet cap. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, ideſt a culpa, & pœna, in quam incidimus ex peccato Adæ, & aliis perſonalibus, a quo maledicto non poterat liberare Lex Moſaica, cum non juſtificaret. De ſecundo cap. 4. verſ. 4. 5. 6. 7. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba Pater. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius.* Iſraelitæ promiſſiones temporalium habebant, & comminationes flagellorum; adeoque motivo timoris ſervilis agebantur. Ab hoc timore ſumus liberi; facti enim filii ducimur ſpiritu dilectionis, & æternorum bonorum promiſſionem habemus. Ceterum libertas hæc fide Chriſti acquiſita non opponitur obſervantiæ legum. Ad Rom. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.*

Libertas a ſervitute peccati.

55 INSTABIS. Non ſolum Paulus intendit ſolutionem a peccato, & timore, ſed etiam a jugo legum, ut explicat cap. 5. ſubjiciens. *State, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.*

Sed a quali lege liberos nos eſſe præcipit? Non ab alia, niſi a ceremonialibus Judaicis. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Quia, cum Chriſtus eas abrogaverit, inutiles factæ ſunt, & qui illis adhæret, evacuat fructum Redemptionis.

Ceremoniæ Judaicæ mortuæ.

56 REPLICABIS. Sed hoc ipſo, quod Deus voluit nos liberos eſſe a Lege Moſaica, evidenter conſtat nos velle liberos a legibus humanis. Ideo enim liberavit a veteri jugo cerimoniarum, quia erat nimis durum, ut habetur Act. 15. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Sed jugum legum humanarum eſt gravius propter multitudinem. Unde longe majora ſunt volumina juris Canonici, & civilis, quam Pentatenchon. Quid profuit a leviore liberari, ut gravaremur duriore? Melius erat leges Divinas antiquas retinere.

RESP. neg. ſubſumptum. Diverſa eſt omnino ratio. Motivum principale, cur abrogata fuerit lex vetus, eſt, quia figura erat novæ Legis; figura autem non ſtat cum veritate præſente: lex vero noſtra veritas eſt. Deinde levius eſt jugum humanarum legum ſupra jugum Moſaicum, tum ex modo, tum ex re, tum ex adjutorio.

Leges noſtræ Moſaicis leviores.

Ex adjutorio, quia alleviamur unctione Sancti Spiritus, & copioſiore interioris gratiæ cumulo, per Chriſtum nobis collato, ſpe uberrimi præmii bonorum æternorum, quibus carebant Hebræi. Hanc doctrinam dant Patres, exponentes illud Chriſti Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, non

ob-

obſtante graviſſima difficultate præceptorum, puta de actibus internis, de poſitivo amore inimicorum.

Ex te; quia leges Eccleſiaſticæ obligantes ſingula individua Chriſtianorum ſunt pauciſſimæ, illæ ſcilicet, quæ in Cathechiſmo evulgantur ſub nomine præceptorum Eccleſiæ. Dantur poſtea aliæ pro ſtatibus particularibus, puta Monachorum, Medicorum, Judicum: quos ſtatus unuſquiſque recipit libere. Ulterius non omnia, quæ ſunt in corpore Juris Canonici, & Civilis ſunt proprie leges, ſed quædam conſtitutiones, & diſpoſitiones pro recto, & ordinato modo agendi. Præterea major pars ſunt explicationes, vel determinationes legis naturalis, & juris Divini, quibus nullum novum jugum Chriſtianis imponitur. Plures leges determinant tempus, locum, modum, quo obligant Divina, & naturalia præcepta. Aliæ exponunt explicite particulariter, quod in aliis continetur, ut pars in toto, vel ut particulare in univerſali. Plurimæ exponunt præciſe qualitatem pœnæ debitæ criminibus; lex enim Divina, & naturalis præcipit puniendos malefactores juxta qualitatem delicti, & Principes aſſignant proportionatam pœnam.

Ex modo. Quia leges humanæ non obligant cum tanto incommodo, quia eſt exceptio ætatis, perſonarum, & cauſarum. V.g. In lege jejunii excipiuntur pueri, ægroti, laborantes, & habentes juſtam cauſam. In celebratione feſtorum ex motivo rationabili excuſamur a ſacri auditione, a ſervilium abſtinentia propter neceſſitatem, poſſumuſque ad victum ſpectantia præparare, ubi in lege veteri, nec ignis accendi permittebatur, nec cibos coquere, in qua innumera erant de delectu ciborum, ſacrificiis, purificationibus &c. quæ ſingulos graviſſime obligabant.

Hinc abutitur Calvinus auctoritate Divi Auguſtini *epiſt.* 119. *cap.* 19. reprehendentis multitudinem legum, & ceremoniarum in ritibus Eccleſiaſticis, & dicentis tolerabiliorem fuiſſe ſarcinam legalium, quam jugum hoc in tempore libertatis. Expreſſe enim loquitur de quibuſdam uſibus ab imperitis, & vulgaribus inductis, ſine motivo rationis, in dies mutatis, non inventis in Scripturis, ab Epiſcopis non ſtatutis, a conſuetudine Eccleſiæ non approbatis. Concedimus quidem Legiſlatores uti debere prudentia in legibus multiplicandis, quia melius paucis obſervatis gubernatur Reſpublica, quam pluribus neglectis, cum ad contemptum ducat multiplicitas. Standum tamen eſt pro Legiſlatore, ubi in dubio ſumus de juſta, vel injuſta pluralitate.

57 OBJIC. III. Ita ſe habet Poteſtas Eccleſiæ ad myſteria fidei, ſicut ad leges ferendas, ſed Eccleſia non poteſt novos articulos fidei condere, ſed ſolum explicare antiquos; ergo neque novas condere leges, ſed explicare traditas.

RESP. neg. maj. Quia Articuli fidei ſunt immobiles pro quacunque circumſtantia, & innituntur immediate Divino teſtimonio, & omnimoda infallibilitate credendi, ideo pro illis ſtabiliendis neceſſaria eſt Divina revelatio, quam non facit Eccleſia, ſed ſupponit in Scripturis: unde ſolum poteſt explicando Scripturas fidei declarare myſteria. Ceterum vis legiſlativa ſequitur auctoritatem gubernativam, quæ attendit varios rerum eventus, & mutabiles, temporum, loci, perſonarum circumſtantias, ac per conſequens de neceſſitate exigit legum novitatem.

Legum variatio quandoque laudabilis.

58 DICES. — Non enim plus habent „ in Poteſtate Prælati Eccleſiæ ligare ſubdi„ tos ad aliqua, quæ non ſunt tradita in „ Lege Evangelica, profeſſa ab omnibus Chri„ ſtianis, quam habeant Abbates ſuper Reli„ gioſos ſuos ad obligandum eos præter Re„ gularum obſervationem -- (Argumentum hoc eſt ex verbis Gerſonii *lect.* 4. *de vita ſpirituali, Corollario* 13. *relato in Alphabeto* 61. *littera R.*) ergo non datur facultas ad novas leges condendas.

RESP. primo neg. ant. Quia Superiores Regulares non habent facultatem a Pontifice conceſſam, niſi ſuper eos, qui voluntarie ſe obligaverunt tali Regulæ, & ad mentem talis Regulæ. Ceterum Poteſtas Eccleſiaſtica (quidquid ſit de Civili) eſt a Deo immediate, non dependens a ſubjectione voluntaria ſubditorum; unde ad alia extendi poteſt ad libitum Superioris, ſecundum quod expedire ipſi videbitur. Secundo Concedo ant., ſed neg. conſeq. Quia ſicut Superiores nequeunt facere leges ſupra, vel contra, aut infra Regulam, ſed eas tantum, quæ conducunt ad conſervationem ſtatus profeſſi: ita Legiſlator Eccleſiaſticus nequit ferre leges, non pertinentes ad bonum ſtatus Eccleſiaſtici, & Civilis ad bonum politicum. Conſervatio autem, & promotio boni Eccleſiaſtici, & civilis exigit novas leges (ut explicatum eſt in probationibus) præter naturalem, & Evangelicam. Ultimo. Retorqueo argumentum. Lex Evangelica, profeſſa ab omnibus Chriſtianis concedit Superioribus auctoritatem verè legiſlativam, ut Scripturis demonſtravimus; ergo.

Rectum gubernium exigit novas leges.

CONTROVERSIA III.

AN LEGES PRINCIPUM CHRISTIANORUM OBLIGENT IN CONSCIENTIA.

59 CAlvinus quamvis *lib.* 4. *cap.* 20. *contra Anabaptiſtas* teneat in Eccleſiis debere dari Judices civiles, & leges, negat tamen poſſe eas obligare in conſcientia, ut *in lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. §. 5. Quod pariter cum ceteris ſuperiori Controverſia enumeratis extendit ad Prælatos Eccleſiaſticos loco ibidem citato. Quare ut evertamus expreſſe errorem hunc, præſentem ponimus Controverſiam; & licet pateat veritas omnibus fundamentis ſuperius adductis, nihilominus pauca addemus. Nec animus eſt tangere, quæcunque ad tractatum de legibus pertinent: hoc enim eſſet a ſcopo declinare. Agemus igitur de his, quæ ad Hæreticos ſpectant. Et quia leges diſtinguuntur in præceptivas, pœnales, & mixtas ex pœnali, & præceptiva, ne ſit æquivocatio, loquimur de legibus præceptivis, etiam mixtis; præſcindendo a pure pœnalibus. Leges Eccleſiaſticas non

obligare in conſcientia videtur etiam ſuſtinere Gerſon. *de vita ſpirituali lect.* 4. Leges civiles Almainus *de Poteſtate Eccleſiaſt. quæſt.* 1. *cap.* 10., contra quos ſit Concluſio fidei.

Dicó. Leges Eccleſiaſticæ, & civiles præceptivæ obligant in conſcientia.

En legis violatione damnatio æterna.

60 PROB. I. Lex, cujus fractione incurritur damnatio coram Deo, obligat in conſcientia, ſed lex humana eſt hujuſmodi; ergo. Min. habetur clare ad Rom. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim Poteſtas niſi a Deo. Quæ autem ſunt a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Sublimioribus Poteſtatibus*, inquit, ut Eccleſiaſtici, & politici Superiores comprehendantur. *Damnationem* (addit) *ſibi acquirunt* non obedientes, tanquam Dei ordinationi reſiſtentes. Porro damnatio oriens ex reſiſtentia ad Divinam voluntatem utique culpa eſt coram Deo. Et ſpecialiter loquens de politica Poteſtate infra verſ. 5. habet: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Ideſt, non ſolum propter pœnam temporalem, propter quam gladium portat ad vindictam malorum, ſed etiam propter culpam, quia maculatur conſcientia.

Calvinus efficaciæ argumenti reſpondet: -- Reſp. primum inter genus, & ſpeciem hic „ eſſe diſtinguendum; nam etſi leges ſingulæ „ conſcientiam non attingant, generali tamen „ præcepto Dei tenemur, quod Magiſtratuum „ auctoritatem nobis commendat: „ atque in hoc cardine verſatur Pauli diſputatio. „ Magiſtratus quoniam a Deo ſint ordinati, „ honore proſequendos eſſe -- Hæc *cap.* 10. §. 5. *lib.* 4. *Inſtitution.*

Verùm; undequaque ſe vertat Calvinus, ſe jugulat. Vel enim vult, quod verè ſingulæ leges humanæ ſint propriæ ſpecies, præceptum autem Divinum eſſe genus, vel ſolum ſpecies vocat, quatenus leges humanæ dependent a Divina tanquam perfectibile a ſuo perfectivo, & cauſa particularis a ſua univerſali. Si primum: manifeſte requiritur quamlibet legem humanam eſſe ſpeciale Dei præceptum, ſed omne ſpeciale Dei præceptum obligat in conſcientia; ergo quælibet lex humana obligat in conſcientia. Aſſumptum declaratur. Nam omnis ſpecies eſt ſuo generi intrinſeca, & genus prædicatur quidditative de ſpecie, ac proinde de lege humana prædicari debet quidditative ratio præcepti Divini commendantis Magiſtratus eſſe honorandos; ergo quælibet lex humana eſt ſpeciale præceptum Dei. Sicut, quia animal ut genus prædicatur de rationali, & hinnibili, ſunt ſpecialia animalia rationale, & hinnibile, & valet dicere rationale eſt eſſentialiter animal; ergo eſſentialiter valebit dicere: lex Eccleſiaſtica, & civilis eſt eſſentialiter præceptum Divinum. Verum tamen eſt, quod falſum ſupponitur nempe legem humanam eſſe ſpeciem, & Divinam eſſe genus.

Genus prædicatur de ſpecie.

Si ſecundum dicatur: ergo lex humana ſuam vim propriam ligandi habet. Licet enim cauſa particularis dependeat ab univerſali, nihilominus cauſa particularis ſuam habet virtutem, qua agit. Deinde expenſione textus

Lex vim ligandi habet.

A refellitur. Ad totum illud refertur ly *Propter conſcientiam*, ad quod refertur ly *Propter iram*, ut patet ex particulis *non ſolum*, & *ſed etiam*, ſed ly *propter iram* refertur ad leges particulares humanas, quia harum fractores pœnis Eccleſiaſticis, vel civilibus a Superioribus puniuntur; ergo ad eas in particulari refertur ly *propter conſcientiam*.

61 PROB. II. Sicut actio, quæ eſt bona ſecundum Deum, eſt bonum conſcientiæ, ita actio mala ſecundum Deum eſt malum conſcientiæ, ſed obſervantia legis humanæ eſt bona ſecundum Deum; ergo fractio legis humanæ eſt mala ſecundum Deum; ergo eſt malum conſcientiæ; ergo obligat in conſcientia.

Violatio legis mala.

B Min. declaratur. 1. Petri 2. dicitur: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi &c. Quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*. Hic etiam locus eſt univerſalis, tam pro Eccleſiaſticis, quam pro laicis Prælatis, licet ſpecialiter deſcendat exemplificando ad Reges, & Duces. Hic docet propter Deum eſſe obediendum, voluntatem Dei eſſe, ut Prælatis obediamus, bene fieri obediendo, quæ phraſes non reſpiciunt exteriorem bonitatem, vel pœnæ evitationem, ſed conſcientiam.

Quod clarius explicat infra, ubi, poſt-
C quam dixit, etiam Dominis diſcolis eſſe obediendum, ſubdit: *Hæc eſt enim gratia; ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte*. Ideſt, ne lædat conſcientiam coram Deo, non faciendo, quæ Domini præcipiunt, etiam cum plus juſto gravant mandatis.

His conſonat Paulus ad Epheſios 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate, ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus*. In
D qua propoſitione ſingula fere verba conſcientiæ ſecretum tangunt. *Obedite*, præceptum eſt, *Cum timore*, ideſt, ut ad Coloſſ. 3 *Timentes Deum* Judicem, qui hujus obedientiæ rationem exiget: *Sicut Chriſto*, cujus perſonam, & auctoritatem repræſentant Domini. *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus*, hoc eſt, non ob timorem temporalis pœnæ, aut ob favorem conciliandum, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; quia Chriſtus vult, ut ſerviatis Dominis. *Servientes ſicut Domino*, qui ſecretum conſcientiæ attendit, & ſcrutatur. *Et non hominibus*, qui, quæ foris ſunt, attendunt; ac proinde inju-
E riam Deo faciunt, qui mandatis Eccleſiaſticis, & civilibus non obediunt. Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. 1. ad Theſſal. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum &c. Itaque qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum*. Porro ſi in conſcientia non obligarent, Deo non fieret injuria.

Violatores legis injuriā Deo faciunt.

Beza reſpondet Dominis eſſe obediendum, quando in gratia Dei ſunt, ſecus ſi peccatores. Sed hæc reſponſio coincidit cum errore Waldenſium aſſerentium per peccatum amitti Poteſtatem dominativam, de quo ſuo loco. Interim recolamus, quæ ſupra diximus

de

Digitized by Google

de obedientia præſtanda Principibus Ethnicis, & pro nunc hoc addo. Omnibus ſervis præcipitur obedientia Dominis ſuis, ſed non omnes ſervi habent donum diſcretionis ſpirituum, quo cognoſcant, quales, & quando Domini ſunt in gratia; ſiquidem diſcretio ſpirituum non datur omnibus ſecundum Paulum; ergo dicendum eſt, quod omnibus Dominis ſit obediendum. Reponatur hic illud: Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite &c.*

62 PROB. III. Implicat legem humanam poſſe obligare ad graviſſimam ſpiritualem, & corporalem pœnam, & non poſſe obligare in conſcientia ad culpam, ſed lex humana poteſt obligare ad pœnam graviſſimam. Nam civilis quandoque ſuas leges condit ſub pœna capitali mortis, & Eccleſiaſtica ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, juxta illud vulgatum Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; ergo &c. Major explicatur. Secundum Auguſtinum *lib. 1. retractationum cap. 9.* -- Omnis pœna, ſi juſta, pœna peccati eſt -- ſed pœna graviſſima juſte imponitur ab humano Legiſlatore; ergo &c. Et revera cum excommunicatio latæ ſententiæ reddat hominem incapacem participandi quæcunque bona Eccleſiæ, ſive Suffragia ſint, ſive Sacramenta, ſtare non poteſt ſine peccato. Et pariter cum mors tollat principium cujuslibet boni, ſcilicet vitam, non componitur juſta inflictio mortis cum carentia peccati. Deinde. Nulli dubium eſt injuſte ſe exponere periculo vitæ peccatum eſſe, ſed qui frangit legem obligantem ſub pœna mortis, exponit ſe periculo vitæ injuſte; ergo peccat; ergo ſi juſta auctoritate poteſt Superior ferre legem obligantem ad pœnam mortis, utique poteſt obligare ad culpam.

Legis fractores pœnâ mulctantur.

63 PROB. IV. Implicat dari veram legem, & non obligare in conſcientia, ſed Principes Chriſtiani, ſive Eccleſiaſtici, ſive Politici poſſunt veram condere legem; ergo etiam obligare in conſcientia. Major explicatur. De intrinſeca ratione legis eſt eſſe Regulam humanorum actuum, ſed de ratione Regulæ ita eſt dirigere, ut receſſus ab ea ſit peccatum; ergo de ratione intrinſeca legis eſt obligare. Id enim facit Regula dirigens in moralibus, quod facit regula dirigens in naturalibus, & artificiatis, ſed receſſus a Regula in naturalibus conſtituit vitium naturæ, & in artificiatis vitium artis; ergo in moralibus conſtituit vitium morale, quod eſt peccatum.

Lex eſt regula humanorum actuum.

Explicatur hoc. Ratio practica (ſecundum omnes) eſt proxima regula moralitatis; porro lex nihil eſt niſi ordinatio, ſeu applicatio ad actiones propoſitionum univerſalium rationis practicæ. Primum autem quod reſpicit ratio, eſt ultimus finis hominis, & hunc primo reſpicit quælibet lex juſta, quamvis una reſpiciat dirigendo bonum commune media Politia civili, altera media Politia Eccleſiaſtica. Sicut quælibet lex Divina reſpicit pro fine charitatem, etſi per unam dirigatur una materia, per aliam altera: ex quo ſequitur deviationem a lege humana eſſe vitium morale contra ultimum finem.

A 64 PROB. V. Quod habet per eſſentiam, & fontaliter lex æterna Dei, habet participative lex humana, ſed lex æterna Dei obligat eſſentialiter in conſcientia; ergo lex humana obligat participative in conſcientia. II. Lex æterna eſſentialiter, & fontaliter obligat, quatenus eſt prima ratio practica directiva ad finem in primo, & independenti Poteſtativo, & Gubernante, ſed lex temporalis ſecundum hanc utramque formalitatem de illa participat; ergo participat vim obligativam. *Non eſt poteſtas niſi a Deo*, Rom. 13. *Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt*, Proverb. 8., & ſimiles aliæ Scri-

Lex æterna obligat in conſcientia.

B pturæ oſtendunt Poteſtatem legiſlativam humanam a Poteſtate Divina dimanare.

Ex D. Thom. -- Lex importat rationem
„ quandam directivam actuum ad finem; in
„ omnibus autem moventibus ordinatis opor-
„ tet, quod virtus ſecundi moventis derive-
„ tur a virtute moventis primi; quia movens
„ ſecundum non movet, niſi in quantum
„ movetur a primo. Unde in omnibus Gu-
„ bernantibus idem videmus, quod ratio gu-
„ bernationis a primo Gubernante ad ſecun-
„ dos derivatur: ſicut ratio eorum, quæ ſunt
„ agenda in Civitate, derivatur a Rege per
„ præceptum in inferiores adminiſtratores.
C „ Et in artificialibus etiam ratio artificialium
„ actuum derivatur ab Architectore ad infe-
„ riores artifices, qui manu operantur. Cum
„ ergo lex æterna, ſit ratio gubernationis in
„ ſupremo Gubernante, neceſſe eſt, quod
„ omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in
„ inferioribus Gubernantibus a lege æterna
„ deriventur. Hujuſmodi autem rationes in-
„ feriorum Gubernantium ſunt quæcunque
„ aliæ leges præter æternam. Unde omnes
„ leges in tantum participant de ratione re-
„ cta, in quantum derivantur a lege æterna --
1. 2. *quæſt. 93. art. 3.* Quibus præclare oſtendit vim rationis in lege humana participari,
D quod prius tradiderat Auguſtinus *lib. 1. de libero arbit. cap. 6.* his -- Videre te arbitror in
„ iſta temporali lege nihil eſſe juſtum, atque
„ legitimum, quod non ex hac æterna ſibi
„ homines derivaverint -- Et iterum *lib. de vera Relig. cap. 31.* -- Conditor legum tem-
„ poralium, ſi ſit vir bonus, & ſapiens, il-
„ lam ipſam conſulit æternam, de qua nulli
„ animæ judicare datum eſt, ut ſecundum
„ ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro
„ tempore jubendum, vetandumque diſcer-
„ nat --

65 PROB. VI Quod lex Divina, & naturalis præcipit eſſe faciendum, id obligat
E in conſcientia, ſed lex Divina, & naturalis præcipit eſſe obediendum legibus humanis; ergo eſt obligatio in conſcientia obediendi legibus humanis; ergo leges humanæ obligant in conſcientia. Major eſt extra controverſiam quoad utramque partem. Quoad Divinam paret ex vulgari definitione peccati tradita ab Auguſtino *lib. 22. contra Fauſtum cap. 27.* --
„ Peccatum eſt dictum, vel factum, vel con-
„ cupitum contra legem æternam Dei -- Quoad legem naturalem, conſtat ex epiſtola Pauli ad Romanos cap. 1., ubi inexcuſabiles vocat Gentiles peccantes contra legem naturalem ſigna-

tam

Digitized by Google

ram ſuper nos. Et cap. 2. *Quicunque enim ſine lege peccaverunt*, (ideſt ſina lege poſitiva) *ſine lege peribunt*. Minor pariter aonſtat. Quoad naturalem, quia principium lumine naturæ notum eſt obediendum aſſe omni legitime præcipienti. Quoad Divinam patet tot adductis Scripturis, quibus declaratur ſubjectio Superioribus. His additur illud 2. Petri 2. *Novit Dominus &c. Iniquos verò in diem judicii reſervare cruciandos: magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt*. Quibus inter peccata, quæ æternis ſuppliciis plectuntur, potiſſime anumerat inobedientiam Superioribus civilibus. Subſumptum conſtat, quia Scripturæ præcipiunt, ut obediamus legibus humanis non utcunque, ſed quia ab humanis ita hæc, val illa res præſcribitur.

Inobedientia ſupplicio plectitur.

Ratio ulterius eſt, quia leges humanæ ſunt intimationes legis naturalis, & Divinæ. Præcipere legis aſt quoddam movere ad agendum modo rationabili, & proprio liberorum: præcipere legis Divinæ, & naturalis eſt movere per modum primorum, ſeu univerſalium moventium. Sicut ergo in neceſſariis cauſæ univerſales ſic movent particulares, ut & ipſæ agant, ita lea naturalis, & Divina movet taliter ad ſubjectionem humanarum legum, ut velint, quod & ipſæ moveant, ſeu obligent.

66 PROB. VII. Patrum auctoritate, præcipue de lege Eccleſiaſtica Jejunii. Baſilius *Orat. 2. de Jejunio* -- Vide ne propter parvam „ eduliorum voluptatem damnum incurras, „ & te ipſum criminis deſertoris reum ſtatuas -- Ambroſius *Serm.* 25. -- Non leve „ peccatum eſt indictam fidelibus quadrageſimam &c. violare; & jejunia conſecrata „ ventris voracitate diſſolvare -- Hieronymus *ad Marcellam* -- Nos unam quadrageſimam „ ſecundum traditionem Apoſtolorum, tempore nobis congruo jejunamus. Non quod „ & par totum annum, excepta Pentecoſte, „ jejunare non liceat, ſed quod alind fit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre -- Chryſoſtomus *hom. 6. ad Antiochen.* -- Adveniente jejunio, etſi millies quis exhortetur, & infinita cruciet, & cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non conceſſum guſtare, omnia quis mallet „ pati, quam prohibitum tangere nutrimentum -- Leo *Serm. 3. de Jejunio* -- Pium eſt „ agere non indictum: impium eſt negligere „ prædicatum -- Auguſtinus *Serm. 62. de tempore* -- Aliis diebus jejunare remedium eſt, „ aut præmium: in Quadrageſima non jejunare peccatum eſt -- Et *in Pſal.* 70. Univerſaliter -- Ubi Pater (*ideſt Prælatus*) hoc „ jubet, contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt quomodo Deus; quia obedire „ Patri juſſit Deus -- Omitto alios innumeros videndos apud Doctores *in explicatione præceptorum Eccleſiæ*, *& de legibus*. Unde oppoſitum damnatum eſt in Bulla Martini V. contra Wicleph., & Hus. In Bulla Leonis X. contra Lutherum. A Tridentino *Seſſ. 7. Can. 8. de Bapt.* -- Si quis dixerit Baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita „ ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua „ ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema „ ſit --

Patres vim legislativam in Eccleſiæ cognoſcunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

67 OBJIC. I. Peccatum tollit gratiam, ſed nemo poteſt alterius gratiam tollere humanâ Poteſtate; ergo nemo humana Poteſtate poteſt obligare ad peccatum. Illius enim aſt gratiam ſubtrahere, cujus aſt conferre, ſed ſolius Dei eſt gratiam conferre; ergo ſolius eſt ſubtrahere; ergo ſolius eſt obligare.

RESP. Latet æquivocatio in argumento. Efficienter ſubtrahere nemo poteſt gratiam alterius, niſi qui poteſt eam conferre; at poteſt demeritorie. Dat Deus homini gratiam, & non homo ſibi; & nihilominus peccando homo ſubtrahit ſibi gratiam: Non enim Legislator aſt, qui ferendo legem gratiam tollat; ipſe enim potius gratiæ conſervationem, & augmentum juſtis legibus intendit promovere, ſed qui legem frangit, gratiam amittit.

Qui legem frangit, gratiam abjicit.

68 DICES. Lea illa ſolum obligare poteſt ſub periculo amiſſionis gratiæ, quæ ſua cognitione attingit finem ſupernaturalem, ſed lea humana non attingit ſua cognitione finem ſupernaturalem; ergo non poteſt obligare ſub periculo amiſſionis gratiæ. Sic Calvinus.

RESP. Minor eſt aperte falſa, loquendo de Poteſtate Eccleſiaſtica, quæ cum ſpiritualis ſit, reſpicit directe animarum ſalutem. Sed etiam Civilis ad eundem finem ſupernaturalem in natura elevata dirigit actus externæ politiæ; & de quacunque vera lege verificatur illud 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas*. Et ratio eſt, quia leges quæcunque hûmanæ juſtæ ſunt rationes practicæ agendorum; ratio autem per ſe primò reſpicit finem Beatitudinis conſonæ ſtatui agentium: porro in hoc ſtatu beatitudo noſtra ſupernaturalis aſt. Sed etiam dato, quod humana lea ſua cognitione non attingat finem ſupernaturalem, tamen qui frangit juſtam legem, æterno ſit dignus ſupplicio, eo quod agit contra rectam rationem, contra quam facere eſt male agere, & pœnam mereri proportionatam.

Ratio practica Beatitudinem reſpicit.

69 INSTABIS. Nullus inferior legislator poteſt inducere obligationem in foro Superioris, ſed forum conſcientiæ ſolius Dei eſt; ergo nulla lea humana, cum ſit inferioris legislatoris, poteſt obligationem inducere in conſcientia.

RESP. Superior ordinis inferioris ſecundum ſe non poteſt etiam ſolvere in foro ſuperiori; & tamen Poteſtas Eccleſiaſtica poteſt ſolvere in foro conſcientiæ tranſgreſſiones legis Divinæ, quia hoc facit ea poteſtate derivata ab ipſomet Deo: cum ergo Poteſtas legislativa humana a Deo derivetur, & Deus velit obedientiam Superioribus humanis, ſequitur, ex ſubordinatione ad ipſum, poſſe obligare in foro ejuſdem Dei. Sed falſum eſt, participative forum conſcientiæ non eſſe forum humanæ Poteſtatis ſecundum aliqua, licet non ſit quoad omnia, & maxime quoad hoc, quod aſt ſcrutari ſecreta cordium.

Poteſtas legislativa a Deo.

70 URGEBIS. Nullus poteſt ferre legem obligantem ſub pœna, quam infligere

non

non poteſt, ſed nulla Poteſtas humana obligare poteſt ad hanc pœnam.

RESP. Diſt. maj. Nullus poteſt ferre legem obligantem ſub pœna, quam nec poteſt infligere, nec alios connotat, qui poſſint infligere, conced. maj. quam non poteſt infligere, ſed alios connotat, qui poſſint, neg. maj. Licet ergo per ſe nequeat Poteſtas humana infligere pœnam æternam, poteſt tamen ſubſtituere materiam, ex cujus violatione incurratur demeritum apud Divinum Judicem, potentem pœna æterna reos punire. Deo diſplicet obedientia cuicunque legitime præcipienti negata: quilibet autem legitime præcipiens poteſt conſtituere materiam circa quam inobedientiæ; ergo poteſt conſtituere materiam, cujus violatio Deo diſpliceat, & plectenda ſit pœna æterna.

Violator legis incurrit pœnam a Deo infligendam.

71 REPLICABIS. Quia Eccleſia neque ex poteſtate Dei judicat de internis, non poteſt præcipere actus internos; ergo quia Eccleſia, vel Princeps politicus nequit infligere pœnam æternam, neque poteſt obligare ſub pœna æterna.

RESP. neg. ſuppoſitum, quod Eccleſia non judicat de internis, videlicet connexis cum exterioribus. In 66. propoſitione Molinistarum damnatur doctrina docens ab Epiſcopo non eſſe dirigendam animam quoad interiora, quia Eccleſia non judicat de occultis. Et in 67. damnatur, non eſſe maniſeſtandum internum Tribunali exteriori Superiorum ſub eadem cauſaii (quia Eccleſia non judicat de internis), & ut temeraria, ac ſchiſmatica proſcribitur.

Actus internus poteſt ab Eccleſia præcipi.

Secundum antiquam, & certam doctrinam, actus interni poſſunt ab Eccleſia præcipi, ſi ſint connexi cum exterioribus, ſi ſint forma exteriorum, ſi ſint per ſe neceſſarii ad integritatem exteriorum: cum ergo Poteſtas humana poſſit præcipere actus exteriores, & legi intrinſecum ſit ligare, poteſt obligationem inducere conſcientiæ. Rurſus, obedire humanæ legi connexum eſt cum placere Deo, & e contra; ergo idem ſequitur &c.

Deinde retorqueo argumentum. Ideo nequit præcipere actus internos, quia nullo modo poteſt judicare, & nulla pœna punire; ſi enim aliqua pœna poſſet punire, poſſet etiam præcipere, ſed Eccleſia ſine dubio aliqua pœna peccatum mortale externum poteſt punire; ergo poterit etiam legem facere ſub illius periculo obligantem. Sufficit ergo, quod poſſit legitime præcipere actus externos, & poteſtate Dei ad eos obligare, ut tranſgreſſor incurrat reatum pœnæ æternæ a Deo infligendæ.

72 SUBSUMES. Ideo lex humana obligat in conſcientia, quia ſubeſt Divinæ legi, ut ex dictis comperium eſt, ſed hoc innuit ſolam legem Divinam, & non humanam obligare; ſicut quia Medici mandatum obligat, ut ſubeſt legi naturali, lex naturalis eſt, quæ ægrotum obligat ad obediendum Medico, non præceptum Medici.

RESP. neg. min. Lex Dei eſt cauſa univerſalis, & remota, & tranſcendens, lex humana eſt cauſa particularis, & proxima. Quare ſicut cauſa univerſalis non ſola agit ad præſentiam cauſæ particularis, ſed etiam ipſa particularis, ita non ſolum lex Divina obligat, ſed etiam humana. Sicut a pari Deus eſt primus ſolvens conſcientiam, & tamen Sacerdos etiam miniſterialiter ſolvit. Deus eſt principaliter docens, & tamen Prælati miniſterialiter docent. Neque urget exemplum Medici; non enim ipſe eſt verus Superior ægroti, ac proinde non habet legitimam auctoritatem præcipiendi, ſed ſolam declarandi jus naturæ.

Lex Divina obligat ſimul cum humana.

73 OBJIC. II. Ex quidem quoad legem civilem. Lex civilis eſt temporalis reſpiciens pacem externam de interioribus non judicans, ſed conſcientia eſt forum internum, & ſpirituale; ergo lex civilis non poteſt obligare in conſcientia. Sic Almainus, & Calvin.

RESP. negando conſequentiam. Solum enim concluditur non poſſe obligare legem civilem ſuo præcepto ad actus internos, & ſpirituales, non autem probat non poſſe præcipere actus exteriores, & civiles: hoc autem ipſo, quod præcipit externos actus, ligat ſubditum, cum omnis lex ſit regula, a qua deviare peccatum eſt; unde omiſſio illorum actuum eſt culpa coram Deo volente civili Poteſtati obedientiam. Ligare conſcientiam non eſt ſpiritualem inducere effectum, ſed imperare legitimè. Objective ergo lex civilis temporalis eſt, quia ejus materia eſt temporalis: ſicut objective lex naturalis eſt naturalis, & tamen violatio legis naturæ eſt vera Dei offenſa. Spiritualiter ergo ſibi nocet, qui legem civilem frangit; quia deviat a recta Regula. Adde, quod lex civilis juſta, cum ſit concluſio legis naturalis, vel etiam modificatio legis Divinæ, quærit pacem externam in ordine ad conſervationem legis naturalis, & Divinæ, intenditque removere prohibens aſſecutionem charitatis Chriſtianæ.

Lex civilis obligat in foro conſcientiæ.

74 DICES. Ligare, & ſolvere ſunt correlativa, ſed Princeps civilis non poteſt ſolvere in foro conſcientiæ; ergo neque ligare.

RESP. neg. maj. Poſſumus nos ipſos ligare votis, & juramentis, & tamen non poſſumus nos ipſos ſolvere. Ut ergo Princeps poſſit ligare, ſufficit, quod Miniſter Chriſti ſit verus, & legitimus Superior, & imperans; nec eſt neceſſe, quod poſſit ſolvere, ſed ſufficit, quod connotet aliam poteſtatem ſolventem, qualis eſt Eccleſiaſtica. In humanis quandoque Princeps Supremus dat facultatem prohibendi aliquid ſub pœna capitis, & tamen reſervat ſibi abſolutionem ab ea. Aliqua ſtatuta Regularium dant facultatem inferioribus Prælatis dandi præcepta ſub pœna carceris, & tamen reſervatur Superioribus Majoribus abſolutio ab illa. Sufficit ergo ad correlationem, quod inadæquate poſſint ſolvere, dimittendo pœnam exteriorem.

Princeps ſecularis ligare poteſt, licet non poſſit ſolvere.

75 OBJIC. III. Injuſtum eſt bis idem crimen punire, ſed ſi Lex civilis obligaret in conſcientia, idem crimen bis puniretur, nempe hic, & in alio ſeculo; ergo Lex civilis non obligat in conſcientia. Sic Almain., & Calvin.

RESP. Argumentum eſſe nullum; nam Deus ipſe quandoque ſcelera punit hic temporalibus pœnis, & in altero ſeculo æternis. His omnibus dignum eſt peccatum lethale. Nullum eſt abſurdum a diverſis Judicibus, in diverſis locis, ob diverſos reſpectus puniri bis,

Crimen bis puniri poteſt, & ſimul in alia vita.

bis, & rer crimen idem. Homicidiom, furtum, & ſimilia Deus prohibens punit æterno ſupplicio, & tamen morte temporali eadem punit Princeps. Ut ergo tranſgreſſio civilis legis eſt perturbativa exterioris, & temporalis politiæ, & pacis, punitur hic ſupplicio temporali, ut verò eſt violativa fori conſcientiæ, punitur a Deo in altero ſeculo.

76 DICES. Lex non obligat niſi ſecundum intentionem Legislatoris, ſed Princeps Civilis non intendit obligare in conſcientia; ergo &c.

Legi intrinſecum eſt obligare.

RESP. Neg. maj. Lex quoad exiſtentiam pendet a voluntate Legislatoris, non autem quoad obligare; hoc enim eſt intrinſecum legi. In libertate Legislatoris eſt velle facere veram legem, ſeu velle vere imperare, vel non, ſed ex ſuppoſitione, quod vere faciat legem, eſſentialiter obligat. Quandoque tamen vult ſolum facere quaſdam directiones, & proviſiones pœnales. quarum plurimæ ſunt etiam in ſtatutis Religioſorum. Ceterum quales, & quando ſint hujuſmodi, attendenda ſunt ſigna, quæ a Moraliſtis aſſignantur.

77 OBJIC. IV. Omittenda eſt graviſſima lex civilis, ut adimpleatur minima lex Divina, v. g. de non mentiendo, ſed minima lex Divina obligat ſolum ſub veniali; ergo maxima lex civilis nullo modo obligat. Sic iidem.

Præcepta quando adimplenda.

RESP. Ridiculum eſt argumentum. Quandoque omittendum eſt præceptum Divinum, v. g. de abſtinendo a ſervilibus die feſto, ut adimpleatur aliud Divinum, v. g. de ſublevando Patre, ſed hoc ſecundum præceptum obligat ſub gravi; ergo illud primum non obligat ſub gravi? Quando ergo concurrunt duo præcepta ſimul incompoſſibilia, pro tunc unum ceſſat, & deſinit obligare. Quale autem debeat cedere, vel non, attendendæ ſunt regulæ morales. Certum eſt Divina fortius, & firmius obligare, quam humana.

78 OBJIC. V. Orig. *tract. 12. in Matth.* explicans illud Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum*, loquens de Principibus Spiritualibus contrapoſitive ad Laicos ait -- „ Principatus eorum in dilectione ſubjecto„ rum debet eſſe poſitus, non in timore tem„ porali -- ergo ſentit non poſſe ferre leges ligativas. Sic idem.

Diſcrimen inter Legiſlatores.

RESP. Diſcrimen in eo eſt, quod Princeps Laicus pro fine immediato, & proximo externam reſpicit politiam, ad quam conſervandam debet uti virga temporalis timoris, qua invitos etiam trahat. Princeps autem Eccleſiaſticus, cum reſpiciat per ſe primo pacem internam, & vitam ſupernaturalem, non debet per ſe cogere timore temporalis pœnæ, ſed potius vinculis charitatis promovere ſubditos. Quandoque tamen tenetur uti brachio ſeculari ad coercendos contumaces. Uno verbo vult ex charitate, & in charitate ferendas eſſe leges Eccleſiaſticas.

79 DICES. Chryſoſtomus *lib. 2. de Sacerdotio ante medium* comparat Prælatum cum Paſtore irrationalium ovium, & cum Principe ſeculari. In prima comparatione dicit non eſſe in poteſtate Prælati curare infirmum, ſicuti Paſtoris curare ovem; in ſecunda aſſerit poſſe ſolum ſuadere, non autem cohibere -- „ Non enim, *ait*, nobis facultas tanta a le-
A „ gibus data ad delinquentes coercendos --

RESP. Aliqui ſentiunt Chryſoſtomum loqui de ovibus erraticis, quæ foris ſunt, quas pro ſuo libito non poteſt Eccleſia emendare; alii dicunt ibi loqui de poteſtate Sacerdotali in foro pœnitentiæ. Sed demus ipſum loqui in Foro externo, & de ovibus non erraticis ab ovili Domini media hæreſi, nihil contra nos. Nimis clare loquitur; vultque dicere, quod non poteſt Prælatus deſpotice ſanare ſubditum, ſicut Paſtor ſanat pecus, ſecando, urendo, ſed neceſſe eſt, quod ſubditus ipſe (ut medicina proſit) libenter adimpleat, quæ præſcribuntur. En verba prioris comparatio-
B nis -- Neque enim homini licet tanta cum „ auctoritate homines curare, cum quanta „ oves Paſtor curat. Hic enim liberum eſt vin„ cire, & a pabulo arcere, & ſecare; cum „ illic medicinæ, & curationis ſuſcipiendæ „ facultas poſita minime ſit in illo, qui me„ dicinam adhibet, ſed in eo tantum qui la„ borat -- Quod eſt veriſſimum, cum mors, & vita ſpiritualis ſit in manu liberi arbitrii, nulli violentiæ ſubjecti. Idem ſentit in ſecunda comparatione, ubi ex diſcrimine externæ pacis, & quietis, quam intendit Princeps civilis, & internæ, & ſpiritualis, quam intendit Eccleſiaſticus, infert poſſe illum con-
C ſequi ſuum finem, invitos etiam frænando flagellis exterioribus, hunc autem non, cum non poſſit voluntatem cogere invitam, ſed ſolum ſuaſionibus emollire ad obſervantiam; ſine enim libero voluntatis affectu non obtinetur pax interior ad æternam coronam ordinata; quando tamen neceſſe ſit, aliis fortioribus mediis utitur -- Chriſtianis minime „ omnium licet peccantium lapſus vi corri„ gere. Exteri quidem Judices, cum faci„ noroſos homines leges tranſgreſſos fuiſſe, „ deprehenderint, magnos ſe præditos au„ ctoritate, ac poteſtate oſtendunt, eoſdem„ que vel invitos ſuos ipſorum mores mutare
D „ cogunt. Hic verò non vim adferre, ſed „ ſuadere tantum oportet, atque hac ratione „ meliorem efficere quem emendandum ſu„ ſceperis. Neque nobis tanta facultas a le„ gibus data ad delinquentes coercendos: ac „ ne ſi dediſſent quidem, haberemus, ubi „ vim hujuſmodi, potentiamque exercere „ poſſemus, cum Chriſtus eos corona æter„ na donet, non qui coacti, ſed qui certo „ animi propoſito a peccato abſtinent -- Quid lucidius? Appellat enim ſupra emendationem interiorem a voluntarietate libera omnino dependentem. Ceterum admittere Chryſoſt. vim etiam coercitivam in Eccleſiaſticis Prælatis
E conſtat *ex Homilia 7. ad Populum, ex Homil. 83. in Matth. alloquendo Diaconum, ex Epiſtola prima ad Innocentium Papam* in cauſa ſuæ expulſionis a Sede, opere Theophili Alexandrini Epiſcopi, & confœderatorum. *Et homil. 61. ad illum locum Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit &c.* habet -- Conſidera, quomodo Publi„ canus ad exemplum ſummæ nequitiæ ſem„ per præſumitur; ergo non obedire præceptis „ Eccleſiæ eſt ſumma nequitia --

Emendatio interior non a lege, ſed a libera voluntate.

80 INSTABIS. Bernardus expreſſe negat Poteſtatem legiſlativam, & judicativam Prælatis Eccleſiaſticis *lib. pr. de conſid. cap. 6.*

-- Non

-- Non moſtrabunt, puro, qui hoc dicent, „ ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum Judex „ ſederit hominum &c. Steriſſe, lego, Apo„ ſtolos judicandos; ſediſſe judicantes non„ lego --

Sed non indiget eapoſitione Sanctus Doctor. Loquitur de Poteſtate immiſcendi ſe ad judicandas cauſas pure civiles, cum per ſe debeant Prælati cauſas Eccleſiaſticas judicare -- Quid ni contemnant judicare de terrenis „ poſſeſſiunculis hominum, qui in Cœleſtibus „ & Angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus Poteſtas veſtra; „ quoniam propter illa, & non propter has „ accepiſtis claves Regni Cœlorum -- Hæc illa.

CONTROVERSIA IV.

AN, UT LEX HUMANA OBLIGET, REQUIRATUR CONSENSUS POPULORUM.

LUtherus *lib. de Captivit. Babylonica, cap. de Baptiſmo* habet -- Quo jure „ Papa ſupernas leges conſtituit? „ Quis ei dedit Poteſtatem captivandæ libertatis noſtræ per Baptiſmum nobis donatæ; cum neque Papa, neque Epiſcopus, neque ullus hominum habeat jus „ unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi fiat ejuſdem conſenſu? „ & quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit -- Quibus manifeſte docet legem humanam non valere, niſi dependenter a conſenſu ſubditorum.

Dominus de Marca *lib. 2. Concordantiæ Sacerdotii, & Imperii cap. 16.* ſentit nullas leges ſive politicas, ſive Eccleſiaſticas habere vim ſine acceptatione, quæ (ipſo Judice) magis neceſſaria eſt pro Eccleſiaſticis, quam pro politicis. Marcam quidam alii ſequuntur; qui & de lege juſta, & de legitimo Legislatore (qui expreſſe non receperit Poteſtatem ſub hac conditione de non condendis legibus ſine ſubditorum conſenſu) ſunt intelligendi, aliàs quæſtio eſſet inanis. Contra quos

Dico. Lex humana ut obliget, non indiget acceptatione Populorum.

Præcipere, & obedire ſunt correlativa.

80 PROB. I. Correlativa ſunt ſimul natura, ſed præcipere, & obedire ſunt eſſentialiter correlativa quantum ad obligationem; ergo ſunt ſimul natura, ſed humani Legislatores ſecundum fidem ſunt legitimi præcipientes; ergo ſecundum eandem fidem ſequitur obedire eſſe legitimum; ergo præcipere infert obedire, ſed ſi obligatio legis dependeret ab acceptatione, præcipere non inferret obedire; ergo vis legis non pendet a conſenſu. Lex humana, quia eſt participatio legis æternæ, eſt juſta; quia derivata ex Divina poteſtate eſt legitima: ergo quia eſt a poteſtate participante ſupremam, eſt independens a conſenſu ſubditorum. Quod enim facit Supremus Dominans per eſſentiam, facit Participans participative, ſed Supremus Præcipiens per eſſentiam infert, & non indiget conſenſu; ergo Participans participative infert, & non indiget acceptatione Subditorum, ut obliget.

Lex infert acceptationem.

81 PROB. II. Cauſa in quolibet genere infert effectum, & ab eo non dependet in vi cauſativa, ſed acceptatio eſt effectus Legis obligantis; ergo Lex infert acceptationem, & non ab ea dependet in vi obligativa. Prob. min. Vis Legis obligantis eſt vis directiva, & gubernativa, ſed acceptatio eſt effectus vis directivæ, & gubernativæ; ergo &c. Explicatur. Vis directiva eſt in eo, qui dirigit, acceptatio eſt in eo, qui dirigitur, ſed dirigi, & gubernari ſunt effectus dirigentis; ergo acceptatio eſt effectus vis directivæ. Aliter ſi penes populi voluntatem eſſet vis obligandi, penes populum eſſet vis directiva; unde etiam paſſivum eſſet activum, contra omnes regulas.

82 PROB. III. Subditus juſtam legem tenetur acceptare, ſed ſi vis obligatoria legis penderet a libero conſenſu populorum, non teneretur acceptare, ut patet, cum teneri ſit illatum ab obligare; ergo. Major eſt evidens ex Scripturis ſuperius datis. *Subjecti eſtote &c. Obedite Præpoſitis veſtris: Quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite. Admone illos, Principibus ſubjectos eſſe &c.*

Legi convenit ligare.

83 PROB. IV. Intrinſecum eſt Legi ligare, ſed intrinſecum, & proprium eſt Poteſtati dominativæ facere Leges; ergo eſt proprium, & intrinſecum Poteſtati legislativæ ligare. Major eſt aperta apud Philoſophos, & Juriſtas, apud quos idem eſt Lex, ac ligamen, ſeu vinculum; & ideo per Legem captivatur libertas humana. Hinc in Scriptura Sacra lex Chriſti vocatur jugum: lex poſitiva Judæorum dicitur onus importabile.

Salvator loquens de Principibus Hebraicis Legem ferentibus ait Matth. 23. *Alligant enim onera gravia*. Ibid. cap. 18. de Præſulibus Eccleſiaſticis: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.* Ad Rom. 7. *Quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit &c. Mulier, vivente viro, alligata eſt legi*. Sic alibi ſæpe. Si ergo per ſe ad Principes, & non ad ſubditos ſpectat Legem ferre, ad eos ſpectat ligare; ac proinde vis obligatoria non dependet ab acceptatione Populorum.

Inferior ſuperiori ſubditur.

84 PROB. V. Ita ſe habet ordo Hierarchicus in rationalibus, id eſt ordo ſuperiorum; & inferiorum, ſicut ordo Hierarchicus in naturalibus (ſalva proportione rationalitatis, & naturalitatis): ſed in naturalibus, propter excellentiam ſuperioritatis, ſuperiora neceſſitate quadam naturali movent inferiora, ut patet inter corpora cœleſtia, & ſublunaria; ergo in rationalibus propter dignitatem ſuperioritatis neceſſitate quadam morali (qualis eſt per leges) ſuperiores debent poſſe movere inferiores. Ita S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5.

Humana poteſtas eſt in ædificationem.

85 PROB. VI. Quælibet poteſtas humana, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis conſtituta eſt in ædificationem, hoc eſt ad bonum publicum efficaciter promovendum, ſed ſi independenter ab acceptatione ſubditorum non poſſet obligare, non poſſet eſſe in ædificationem. Nam, ut ſit in ædificationem, debet poſſe efficaciter conſequi finem, ſcilicet promotionem boni communis, quod nequiret, cum arbitrio inferiorum poſſent Leges reddi inanes, & omnino illuſoria foret Poteſtas legislativa: Per leges autem promovetur

bonum publicum, quatenus his immoderantia affectuum frænatur, licentia ad medium reducitur, contumacia impiorum teritur, Potentiorum cupiditas reprimitur, uno verbo inviti compelluntur viam juſtitiæ ambulare. Notum porro eſt pleroſque ſubditorum pronos eſſe ad cupiditates explendas, & ad privata commoda inclinare: ac proinde effectus legum de facili impedirentur, ſi ab acceptatione Populorum vis obligativa dependeret.

86 PROB. VII. Ideo vis obligatoria legis dependeret ab acceptatione, quia Poteſtas dominationis data eſt a Republica Superioribus; ſed hæc ratio ſuadet oppoſitum; ergo. Explicatur minor. Auctoritas gubernativa eſt æqualiter legislativa in Superioribus, ac ea, quæ in ipſa Republica aditabat ante translationem Poteſtatis, ſed ante translationem erat per ſe obligans; ergo etiam poſt translationem in Principe. Si enim a populorum conſenſu dependet legum auctoritas nunc, ſicut antea, non poteſt dici eſſe tranſlatam auctoritatem legislativam in Principem, nec ſubſiſteret ſtatutum *in l. 2. ff. t. 1. de origine juris* — Igitur conſtituto Principe, datum eſt „ ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet — Eſt enim intrinſecum, & eſſentiale translationi juris ab uno ad alium, ut idem faciat in poſteriori, ac priori, & qui voluntatem ſuam in alium tranſtulit, alterius placito ſtare cogitur, non ſuo.

Omne jus populi in Principem translatum.

87 PROB. VIII. Juxta commune placitum, Præceptum particulare datum uni ſubdito obligat independenter ab ejuſdem acceptatione; ergo Præceptum datum communitati obligat independenter ab acceptatione communitatis. Sicut enim ſe habet Superior particularem perſonam reſpiciens, ita ſe habet Superior Communitatis, communitatem reſpiciens.

EXPLICATUR. Poteſtas Superioris Communitatis imperfectæ obligat in conſcientia independenter a conſenſo ſubditorum, ſed fortius, & majus eſt debitum obediendi Principi Communitatis perfectæ; ergo. Maj. habetur Deuter. 21. Ubi inobediens filius nolens monita Patris, & Matris ſuſcipere damnatur ad mortem. Et in Proverbiis, & in Sapientia, redarguuntur filii nolentes parentibus ſubjici. Ad Eph. 6. dicitur filiis, ut parentibus in Domino obediant. Hinc 1. Regum 14. habemus Jonatham modicum mellis comedentem contra præceptum Saulis Patris ſui de non comedendo uſque ad veſperam, adeo Deo diſplicuiſſe, ut noluerit reſponſa dare. Et ad Eph. 5. præcipitur, ut Mulieres ſubditæ ſint Viris, ſicut Chriſto Eccleſia. Certum autem eſt ab Eccleſiæ acceptatione non dependere vim obligativam legum Chriſti. Min. in aperto eſt, cum bonum commune, ob quod Superioribus præſtatur obedientia, majus & urgentius ſit; univerſalius enim bonum eſt, & Divinius.

Fortior vis in Principe, quam in inferiore.

88 PROB. IX. Acceptatio neceſſaria ad valorem legis vel deberet fieri a ſubditis congregatis ſimul in Concilio, aut Comitiis, vel a tota Eccleſia in ſeipſa, aut Regno, vel a nobiliori portione, Epiſcopis ſcilicet, aut Patriciis, ſed non a ſimul congregatis in Comitiis; quia in his omnes ſubditi realiter non congregantur; ergo cum ſubditi ad unum omnes debeant leges obſervare, ut lex Comitiorum valeat, expectanda erit acceptatio eorum, qui ſunt extra Comitia; non enim aliunde ſubſiſtere poteſt lex ſic lata, niſi vel quia Reſpublica congregata eſt ſuprema Poteſtas gubernativa, vel quia in ea reſidet inferiorum auctoritas translativa. Si primum; ergo Poteſtas ſuprema gubernativa per ſeipſam poteſt ligare. Si ſecundum: cum in Principem Supremum tranſlata ſit voluntas, & poteſtas ſubditorum, neque, ut ejus lex obliget, dependebit a conſenſu ſubditorum, non minus enim, immo melius in capite repræſentantur membra, quam in corpore trunco.

Si neceſſaria eſt ſubditorum omnium acceptatio, omnia erunt confuſa. Primo: quia eſt moraliter fere impoſſibile, ſeu ſaltem admodum difficile cujuslibet particularis explorare conſenſum. Secundo: cum major pars ſit prona ad libertatem, pauci acceptabunt, & bonum commune a lege intentatum corruet. Tertio: quandoque urget neceſſitas, pro qua lex fertur, & ſi expectandus eſt ſingulorum conſenſus, periclitabitur prius bonum commune, antequam remedium ſit paratum. Quarto: Lex bono publico favorabilis, pluribus ſolet eſſe onerosa, & iſti jugum excutiant. Quinto: explicari debet qualis debeat eſſe conſenſus, expreſſus, an tacitus, ſcriptus, an vocalis. Deinde quomodo ab omnibus, & ſingulis ſciri poteſt ſingulorum datus conſenſus. & alia plura, quæ confuſionem parerent difficillime ſuperandam.

Notitia acceptationis populi fere impoſſibilis.

Si nobilioris portionis acceptatio requiritur, aſſignanda eſt ratio congrua, cur nobiliorum conſenſus ſufficiat. Ut dicit D. Paulus membra viliora etiam ſunt partes corporis neceſſariæ, cur contemnenda? Et ſi jugum legis portare debent, cur non debebunt conſentire? Si nobiliorum ſufficit conſenſus, ideo erit, vel quia tanquam in capita translata eſt aliorum Poteſtas; & cum hæc translata ſit in Supremum, nec indigebit ceterorum acceſſu; vel quia ſunt major pars, & hoc eſt falſum, multo enim plures ſunt reliqui de populo, ut patet. Unde non poteſt valere regula illa, major pars trahit poſt ſe minorem, quæ ideo valet, quia in majori parte continetur minor repræſentative; nam etiam in Principe continentur Inferiores; ergo etiam Princeps ſua Poteſtate poterit legem ferre obligativam. Deinde ipſimet nobiles debent etiam legibus a Principe latis obedire: ſi ergo aliorum conſenſus non requiritur, neque nobilium.

89 PROB. X. Ubi dubium eſt de juſtitia legis humanæ contra Divinam, ſtandum eſt pro lege, & Principe ſecundum Patrum doctrinam; ergo a fortiori ubi eſt moralis certitudo; ergo vis obligatoria non dependet a conſenſu ſubditorum. Anteced. eſt D. Auguſtini, relati *in Canone Quid culpatur 23. quæſt. prima* — Vir juſtus, ſi forte etiam ſub „ Rege homine ſacrilego militet, recte po„ teſt illo jubente bellare; ſi vice pacis ordi„ nem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non „ eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, „ vel utrum ſit, certum non eſt: ita ut for„ taſſe reum faciat Regem iniquitas impe„ randi;

„ randi ; innocentem autem militem oſten- „ dat ordo ſerviendi -- D. Gregorius *in cap. 15. lib. primi Regum ad illa verba : Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare*, ait -- Qui re- „ pugnant Prælatorum imperiis, ideo itaque „ repugnant, quia Divinam voluntatem ſe „ ſcire melius æſtimant. Quaſi ergo pecca- „ tum ariolandi eſt, quia velut Divino Al- „ tari contempto ad aras Dæmonum reſponſa „ percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis, ac „ ſuperbis adinventionibus credunt, & ſalu- „ taribus Prælatorum conſiliis contraria ſen- „ tiendo refrænantur --

In dubiis Legislatori obediendum.

Gerſonius, cui de Marca fidit, *de vita ſpirituali lect. 4. coroll.* 8. -- Occurrente du- „ bio de aliqua lege, utrum divina ſit, aut „ Divinæ connexa, ſeu pertinens, tutius eſt „ legem illam pro Divina ſuſcipere, quam „ humanam negligere. Tene certum, & di- „ mitte incertum -- ait ex D. Auguſt. -- Eſt „ itaque regula magiſtralis quod exponens ſe „ diſcrimini peccati mortalis, peccat morta- „ liter, & hanc fundat dictum Sapientis: Qui „ amat periculum, peribit in illo -- Nicolaus Cuſanus alter Pariſienſis, cui de Marca fidit *in epiſt. prima ad Rodericum Archidiaconum Oratorem Regis Caſtellæ in Dieta Francofurdienſi data* 20. *Maji* 1442. -- Si verò dubium „ eſſet, & de mente Sacri Principis non con- „ ſtaret, pro Sacro Principe præſumendum „ eſt, quod rectè credita Poteſtate utatur, & „ ipſi obediendum eſt -- Franciſcus de Victoria, Alumnus Pariſienſis Academiæ *lect.* 4. *propoſit.* 16. -- Non ſpectat ad ſubditos de- „ terminare, aut examinare, quid poſſit Pa- „ pa, aut quid non poſſit, & quomodo te- „ neatur parere, vel non ; quia ſacrilegium „ eſt diſputare de potentia Principis, & præ- „ cipue Papæ -- 17. *quaſt. §. Committitur*, ex quo ſequentia.

Primo. Quia hoc ipſum determinare, quæ ſit Poteſtas ſpiritualis alicujus, eſt juriſdictio, & pars gubernationis, quæ non ſpectat ad ſubditos, ſaltem erga Superiores; ergo hoc non convenit illis.

Secundo. Quia profectò hoc eſſet in perturbationem, & diſſolutionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & Auctoritatis, ſi quilibet poſſet dicere: Papa non poteſt; & hoc modo eximeret ſe a mandatis Papæ, & eſſet palam fovere inobedientiam, & ſchiſmata, & hæreſes -- Immo hinc natæ ſunt hæreſes (*ait ex* „ *Cypriano*) quod Sacerdoti Dei, vel Papæ „ non obeditur, ſed quilibet audet dicere, „ quod Papa malè facit, & quod non poteſt „ facere. Et ideo, etiamſi Papa erraret, me- „ lius eſſet, ut in omnibus illis pareatur, „ quam per hoc, quod unus habeat licen- „ tiam non parendi in uno caſu, forſan ra- „ tionabili, dare occaſionem, ut alii non „ pareant etiam in juſtis, & honeſtis -- Et alii ſimilia. Et ſane talis eſt unicuique ſui inſitus amor, tam altis radicibus infictus cordi hominum tenet libertatis affectus, independentiæ ardor, ita utilitatis propriæ gravi inclinantur pondere mortalium corda, ut ſi dubium ſufficiat ad reddendam licitam legum rejectionem, tota diſſolvenda ſit ſubjectionis vis, & gubernationis robur. Hæ enim privatæ cupiditates ubique dubia, & difficultates progerminant feraciſſimas, & non rarò juſtum ipſum injuſtitiæ crimine carpunt. Firmum ergo ſit leges humanas a ſubditorum acceptatione non dependere.

Quare Alexander VII. jure optimo damnavit 28. propoſitionem hanc -- Populus „ non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non „ recipiat legem a Principe promulgatam -- Et Schola Pariſienſis 1421. *de Conſtitutionibus Eccleſiæ*, ut habetur tom. ultimo Hiſtoriæ Univerſit. ad præcitatum annum, recitatam ſub initio Controverſiæ Lutheranam propoſitionem ſequenti cenſura notavit -- Hæc pro- „ poſitio eſt a debita ſubditorum erga Præla- „ tos, & Superiores ſubjectione, & obedien- „ tia retractativa. Legum poſitivarum ſedi- „ tioſe deſtructiva, ac in fide, & moribus „ erronea, & eſt error damnatus Vvalden- „ ſium, & cum errore Arrianorum conve- „ niens -- Quibus conſonant alia Gallorum teſtimonia tradita Controv. de Roman. Pontiſ., & de Concilio. Quare in præſenti ſufficiet Michaelis Maucleri Pariſienſis Doctoris teſtimonium *lib. 4. par. 2. cap. 3. de Eccleſiaſtica Monarchia*, ubi -- Alligationem inferre po- „ teſt (*idest Papa*) in conſcientia ſervandi „ Leges Canonicas a ſe conditas, & ſuffi- „ cienti promulgatione Orbi Chriſtiano com- „ municatas, ut Alphonſus a Caſtro, Tur- „ recremata, aliique de meliori nota Do- „ ctores crediderunt. Quod adeo verum eſſe „ credo, ut ſecundum fidem negari non poſ- „ ſe, putem. Neque propterea Lex minus „ legis nomine, & honore dignabitur, ſi ju- „ ſta, & ſufficienter promulgata non reci- „ piatur a populo ; nec minus peccabit con- „ tra Dei juſſa, ſi illam ſine cauſa repudiet --

Facultas Pariſienſis vult legem obligare prævie ad acceptationem.

Quod & fatetur Suarez *lib. 4. de Legibus cap.* 20., & ſaniores Doctores. Et candide conſideranti Scripturas Sacras (quibus colligitur dari Magiſtratum politicum, & Prælatos Eccleſiaſticos cum poteſtate ferendi Leges) patebit, non poſſe ullo modo ſubſiſtere doctrinam Lutheri, quæ exigit acceptationem populorum. Nec Dominus de Marca Catholicus, unquam poterit hoc idem ſuſtinere ; nec leviter quidem (niſi Anabaptiſtis, & Lutheranis, Calviniſtiſque conſentiat in negando ordine Hierarchico, & politico Magiſtratus) ſi ex Scripturis, & Patribus agendum eſt. Conſona ergo doctrina teneatur Leges poſitivas humanas, ut obligationem inducant, a ſubditorum acceptatione non pendere.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

90 OBJIC. I. Obligatio Legis eſt ejuſdem firmitas : ſed Legi firmitas advenit ex ſubditorum acceptatione, juxta illud Auguſtini *lib. 1. de vera Religione cap.* 31. *relatum diſt. 4. cap. In iſtis* -- Leges ſtatuun- „ tur, cum promulgantur, firmantur, cum „ moribus approbantur -- ergo Legis obligatio a conſenſu dependet.

RESP. Firmitas duplex eſt, alia actus primi, alia actus ſecundi. Firmitas actus primi eſt vis obligans, ejuſdemque robur, fir-

mitas actus ſecundi eſt continuata obſervantia Legis. Lex Divina de abſtinendo a ſervilibus die feſto eſt firma in actu primo, quatenus ſecundum ſe vere ligat fideles, eſt firma in actu ſecundo, quando obſervatur. Prima firmitas idem eſt, ac obligatio, ſecus ſecunda: hinc ſtat prima ſine ſecunda, ut in caſo allato ſi in aliqua Communitate abſque Juſto motivo in ſervilibus dies feſti inſumerentur. Prima firmitas a ſola auctoritate Legislatoris pendet, cum ſit intrinſeca Legi: ſecunda a populo obſervante. Utramque firmitatem textus allegatus (qui in Auguſtino non reperitur) tangit; Primam pars prior propoſitionis -- Leges ſtatuuntur, cum pro„ mulgantur -- ſola auctoritate Legislatoris conditur Lex, & promulgatur, non expectato conſenſu inferiorum: ſtatuta habet eſſentiam Legis, quæ eſt obligare inferiores, taliter ut, ſi non obſervent, delinquant, & digni pœna ſint. Secundam firmitatem poſterior pars propoſitionis habet -- Firmantur, „ cum moribus utentium approbantur. (Utentium moribus) -- en actus ſecundus obſervantiæ, qua obligatio Legis prius exiſtens corroboratur, conſolidatur practice. Quo ſenſu per frequentem conſuetudinem bene vivendi in aliquo loco dicere ſolemus, ibi fidem eſſe bene fundatam, & conſolidatam; cum certo certius fides obliget independenter ab acceptatione.

Firmitas legis duplex.

91 DICES. Firmitas, qua lex tenet ſubditos, eſt eſſentia ipſius ut obligantis: ſed hæc dependet ab acceptatione, juxta illud Ulpiani *ff. de legibus, lege 32. De quibus* -- „ Ipſæ leges non alia de cauſa nos tenent, „ quam quod judicio populi receptæ ſint -- Ergo firmitas actus primi indiget dependentia conſenſus populorum.

RESP. neg. min. Quæ non evincitur auctoritate inducta; illa enim non procedit universaliter, & abſolute, ſed ſolum in caſu excepto Controverſiæ, ſcilicet quando populus transferendo Poteſtatem ſibi reſervavit libertatem acceptandi legum onera; tunc enim non eſt abſolutum gubernium in Principe, nec integre conceſſa facultas dominativa, & directiva. Hinc definitum eſt *in l. Si res ff. de appellationibus recipiendis*, a lege non dari appellationem, ſicut bene notavit Decius *in cap. Conſuluit 3. de appellationibus*: quod non ſtaret, ſi dependeret ab acceptatione, quia tunc lex regularetur ſcientiâ ſubditorum, & partium. Cur licet a ſententia, & reſcripto, etiam Supremi ſupplicare? Quia reſcriptum oritur ex ſcientia Principis circa rem ſingularem, circa quam decipi poteſt ab altero ex litigatoribus: unde juſtitia naturalis poſtulat, quod aliam partem audiat, reddaturque certior, ut re bene perſpecta, quod convenit æquitati, dictetur. Similiter ſententia fertur ſecundum allegata, & probata ab uno ex litigatoribus, & cum alteri poſſint favere rationes novæ non perpenſæ, conceditur ſupplicatio. Lex verò fertur ex ſcientia univerſali, quam Principes habent, & reſpectu ad bonum commune ex ſuperioribus motivis perpenſo, contra quam ſcientiam, & reſpectum non eſt admittenda ſubditorum ſcientia, & privati boni affectio; & ideo a lege rejicitur appellatio.

Principis Gubernii quandoque conditionatum.

92 INSTABIS. Ex Ariſtotele *lib. 2. politic. cap. 6. verſus finem*. Lex nullam habet vim, ut ſibi pareatur, niſi ex more, ſed habere vim ex more, eſt habere vim per acceptationem; ergo.

Ariſtoteli opponam Platonem *in dialogo politico*: ubi unus interlocutor, ſcilicet hoſpes, ait: Vulgi proverbium eſſe, ut ſi quis leges prioribus meliores invenerit, eas ferat, ſi populo eas perſuaſerit, ſi verò non perſuaſerit, non ferat; nec oportere, quod alioquin violentiæ nomen ſubiret. Plato redarguens reſpondet, demonſtratque ferendas eſſe, irridetque aſſerentem eſſe violentiam, exemplo Medici, qui ægroto præſcribit medicinam ipſo renitente; qui tamen violentiam facere non dicitur, ſed mederi, ſed ſanare.

Ceterum Ariſtoteles ſolet exponi de vi ſolidæ perſeverantiæ, quæ oritur ex uſo continuato, & replicatis actibus: & colligitur ex fine doctrinæ illius; intendit enim declarare, ne de facili mutentur leges, quia illis mutationibus ſubditi aſſueſcunt non obedire Superioribus: facilius porro aſſueſcimus obedire actuum frequentatione. Sic Angelicus Doctor fideliſſimus interpres 1. 2. *quaſt. 97. art. 2. ad 1., & in corpore art.* ad idem habet -- Habet autem ipſa legis mutatio, quan„ tum in ſe eſt detrimentum quoddam com„ munis ſalutis: quia ad obſervantiam legum „ plurimum valet conſuetudo, in tantum „ quod ea, quæ contra communem conſue„ todinem fiunt, etiamſi ſint leviora, de ſe „ graviora videntur. Unde quando mutatur „ lex, diminuitur vis conſtrictiva legis, in„ quantum tollitur conſuetudo; & ideo nun„ quam debet mutari lex humana, niſi ex ali„ qua parte tantum recompenſetur communi „ ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur. „ Quod quidem contingit, vel ex hoc, quod „ aliqua maxima, & evidentiſſima utilitas ex „ novo ſtatu provenit, vel ex eo, quod eſt ma„ xima neceſſitas ex eo, quod lex conſueta, „ aut manifeſtam iniquitatem continet; aut „ ejus obſervatio eſt plurimum nociva. Un„ de dicitur a Juriſperito quod in rebus no„ vis conſtituendis, evidens debet eſſe utili„ tas, ut recte recedatur ab eo jure, quod „ diu æquum viſum eſt -- Quo nil melius.

Rara ſit legum mutatio.

93 REPLICABIS. Nulla lex obligat, niſi ſub conditione promulgationis, ſed promulgatio includit conditionem ſaltem tacitam, ſi acceptetur a populo; ergo, ut lex obliget, neceſſaria eſt conditio acceptationis.

RESP neg. min. Lex enim ideo promulgatur, ut innoteſcat; ignota enim non poteſt culpabiliter violari, nec laudabiliter obſervari. Promulgatio neceſſaria eſt pariter in Lege Divina, & naturali, & tamen nemo dicet includi in ea tacitam conditionem acceptationis, etſi finis promulgationis utrobique ad idem tendat, immo oppoſitum arguitur, cum Legislator præſcribat tempus, quo poſita promulgatione lex incipit obligare, & tranſgreſſores incidunt in pœnam: ſi verò promulgatio includeret conditionem acceptationis, non poſſent hæc apponi, ſed eſſet expectandus conſenſus ſubditorum; ſi enim non eſt in Poteſtate Legislatoris vis obligatoria, nec eſt in ejus Poteſtate cogere ad acceptandum;

Promulgatio neceſſaria ad legem.

dum; quia jam hæc coactio eſſet obligatio.

Deinde ſequitur non peccare particulares perſonas legem frangentes, ſi eam non acceptent, quamvis eſſet a majori parte acceptata; ita enim ſe habet per adverſarios acceptatio ad legis obligationem, ſicut promulgatio, ſed ſi particulari perſonæ non ſit ſacta promulgatio, etſi ſacta ſit toti communitati, obligat quidem, ſed excuſat ab obſervantia ſtante ignorantia inculpabili; ergo pariter ſi a particulari non acceptetur. Si major pars nec trahat, nec includat minorem in caſu promulgationis taliter, quin ſaltem per accidens excuſetur a culpa; cur major pars includet, & trahet ad ſe minorem in caſu acceptationis, ut etiam per accidens non excuſetur?

94 OBJIC. II. Lex debet eſſe Reipublicæ utilis, ſed utilitas dependet a ſubditorum acceptatione; quia ipſi cognoſcunt legis bonitatem, & acceptando utilem fatentur; ergo Principes nolunt, ut robur habeat, niſi acceptata.

Lex ordinatur ad bonum commune.

RESP. concedo maj. Lex enim injuſta, bonoque communi nociva non obligat; quia lex non eſt, nec a legitima auctoritate emanata: Minor eſt evidenter falſa. Utilitas legis in eo ſtat, quod bono communi deſerviat: ſcientiam boni communis habent Superiorentes, non autem particulares, qui ſuis privatis diſtrahuntur affectionibus, quibus a recta ſcientia boni univerſalis impediuntur. Quare ubi evidens non eſt inutilitas legis, vel ob defectum Poteſtatis, vel ob exorbitantiam a lege Divina, aut naturali, ſtandum eſt Legislatori, qui & in abſtracto affectionum particularium conſiderat bonum totius, & prudentum utitur doctrina, & ſpeciali Divinæ prudentiæ lumine dirigitur. Id ipſum Dominus de Marca *loc. cit.* fatetur -- Ad eum „ verò conſenſum adhibendum ſubditos ex „ officio teneri, juxta præſcriptum juris Di„ vini, niſi leges eorum commodis aperte „ officiant. Ab hac regula nunquam diſcedo, „ quando de legibus Eccleſiaſticis agitur -- Commoda autem, de quibus loquitor, communia eſſe debent, & ſpiritualia, non corporalia, ubi de Eccleſiaſticis eſt ſermo; quia aliàs omnia eluderentur: aptamque affert rationem, ſcilicet, quia jure Divino ſtatura eſt vera obedientia, & ſubjectio inferiorum Superioribus, adeoque eorum mandatis ligari poſſunt.

95 DICES. Lex, quæ a communitate non acceptatur, non eſt utilis, ſed damnoſa bono communi, ſed lex bono communi inutilis non obligat; ergo lex non acceptata non obligat.

Bonitas legis non dependet a populo.

RESP. neg. maj. Secundum ſe lex optima eſſe poteſt, & bono communi proficua ſatis: ſit tamen in caſu nociva ex defectu ſubditorum, qui nolunt ſine juſta cauſa ei ſubjici. Univerſis hominibus Chriſti nativitas, & paſſio ſecundum ſe ſalutifera fuit, & tamen in ruinam multorum ceſſit. Per legem, ait Apoſtolus, in mundum maximum malum introductum eſt, ſcilicet peccatum; ergo lex mala? Abſit, idèm Apoſtolus replicat. Non ergo ideo bona, & utilis lex, quia acceptatur, licet non acceptantibus noceat ex defectu ipſorum nolentium debitam præſtare obedientiam Superioribus. Expedit tamen ob ſuavem providentiam, quod prudens Legislator legem retractet, vel mutet, quando videt communiter non acceptari. Expedit etiam quandoque cogere ad acceptandum, ne aſſueſcant inferiores debitæ ſubjectionis jugum excutere, & rebellioni viam aperire. Ubique prudentia optima regula eſt.

96 INSTABIS. Per eaſdem cauſas naſcitur obligatio, per quas diſſolvitur, ſed vis legis diſſolvitur per contrariam conſuetudinem; ergo naſcitur pariter per voluntariam acceptationem eorum, qui conſuetudinem contrariam poſſunt inducere: hi autem ſunt ſubditi; ergo &c.

Conſuetudo ex ſe non abrogat legem.

RESP. Argumentum potius oppoſitum evincere. Conſuetudo non abrogat legem, niſi legitime præſcribens: non præſcribit autem legitime, niſi accedat verus, & non fictus conſenſus Principis, qui legem tulit, vel Succeſſoris ejus. Ex quo ſequitur ab auctoritate Principis pendere vim legis, & poſſet explicari ſic.

Conſuetudo in contrarium non ſolum vim legis abrogat, ſed etiam non rarò omnem legis notitiam: ſi ergo per eaſdem cauſas naſcitur lex, per quas diſſolvitur, ſequitur pariter notitiam legis pendere a ſubditis: & tamen (nemine refragante) promulgatio auctoritative a Principe emanat.

97 OBJIC. III. Mares *loc. cit. cap. 16. n. 6.* Et intendit probare Eccleſiaſticam legem potiori jure indigere acceptatione. Poteſtas Eccleſiaſtica conceptis verbis eſt in ædificationem, & non in deſtructionem, ſed ut talis nihil obtrudendum eſt fidelibus, quod aliquo pacto eos offendere poſſit; ergo lex minus commoda habenda eſt pro non ſcripta. Ex D. namque Chryſoſtomo -- Hæc eſt Chri„ ſtianiſmi regula, & illius exacta definitio; „ hic eſt vertex ſupra omnia eminens, pu„ blicæ utilitati conſulere -- Niſi ergo acceptetur nullum obtinebit robur.

RESP. I. Argumentum hoc male olet: tollit enim omnem obedientiam inferiorum erga Superiores. Unde primo juvat ſciſcitari, an lex civilis ſit in ædificationem, vel in deſtructionem? Hoc non dicetur, niſi ab Anabaptiſta negante legitimitatem Magiſtratus politici. Si eſt ergo in ædificationem, ſequitur, eodem modo diſcurrendum eſſe de civili, & Eccleſiaſtica lege, adeoque & illa, ſi minus commoda fuerit, pro non ſcripta habenda erit.

Lex quælibet oneroſa.

Secundo -- Nihil eſt obtrudendum fide„ libus, quod eos offendere aliquo pacto poſ„ ſit -- ſed quæcumque lex aliquo pacto offendit majorem partem ſubditorum; quælibet enim, cum ſit ligativa, eſt oneroſa privatam libertatem effrænare amantibus: hi autem ſunt major pars hominum, cum infinitus ſit ſtultorum numerus, ideſt impiorum, & malè morigeratorum; ergo nulla lex eſt ferenda, Lutheranaque libertas admittenda.

Tertio. Lex publicæ utilitati debet conſulere, ut teneat, & minus commoda pro non ſcripta eſt habenda, ſed omnis lex eſt multis minus commoda; ergo nulla eſt publicæ utilitati conſulens, ac proinde omnis

eſt

Digitized by Google

eſt pro non ſcripta habenda. Minor eſt evidens. Ut enim bono communi conſulat lex, debet ea neceſſitate majorem partem particularium offendere, & premere (cum lex providet bono communi, quatenus remedia præſcribit ad morbos curandos, & præcavendos): particulares porro, ut plurimum vel morbo inficiuntur, vel ad morbum inclinantur; & illi etiam, qui ſpiritu Dei aguntur, quandoque pondere ſenſualitatis ad malum trahuntur, & indigent fræno.

Quarto. Ex eo, quod Poteſtas ſit in ædificationem, infert arguens, non eſſe pro lege habendum, quod præſcribitur minus commodum, & aliquo pacto offendens, ſed etiam Poteſtas legislativa Dei eſt in ædificationem; ergo &c. Licet enim utendo ſuprema Poteſtate poſſit perdere quamlibet creaturam, tamen, ut juſtus Judex, & Conditor Eccleſiæ non poteſt non ferre legem bono communi proficuam; ergo ſi lex ſit minus commoda, & aliquo pacto offendens, erit habenda pro non data, ſed eſt certò certius legem Dei eſſe minus commodam, & aliquo pacto offendere fideles, cum oneroſa ſit, & libertatem ligans, & contra inclinationem ſenſus tendens; ergo &c. Hæc lex (non concupiſces) ſecundum ſe, eſt ne homini omnino commoda? Lex diligendi inimicum ſuum an nullo pacto offendit fideles? Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex totis viribus tuis, nullum ne prorſus onus imponat? Et revera hoc eodem argumento, ſcilicet ex difficultate horum præceptorum intulerunt Hæretici Lutherus, Calvinus &c. hominem Chriſtianum non teneri ad obſervantiam totius Legis Divinæ.

Lex Divina gravis.

Quinto. Ex doctrina arguentis alibi data. Decreta Conciliorum Œcumenicorum ſubſiſtunt, & habent vim infallibilem in materia fidei; ſed Concilium Œcumenicum Tridentinum *de Baptiſmo num.* 8. decrevit — Si „ quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel „ ſcripta, vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare „ non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illi ſubmittere voluerint, anathema ſit — Ergo independenter ab acceptatione obligant præcepta Eccleſiæ, etiam minus commoda, & aliqua pacto offendentia, qualia ſunt a Concilio recenſita, feſtorum obſervatio, & jejunii, a quo adeo abhorret homo, decimarum ſolutio, confeſſio annualis de omnibus peccatis lethalibus, & ſuis circumſtantiis, quæ adeo turbam populorum premit. Porro, quod de iis dicitur, currit de reliquis, ſive latis a Conciliis, ſive a ſolo Papa. Nam quantum ad hoc eſt eadem ratio ex vi illius principii, quod *Poteſtas ſit in ædificationem*.

Eccleſiæ præcepta obligant præter acceptationem.

Igitur pro commoditate, vel incommoditate, ſeu offenſione intelligitur juſtitia, vel injuſtitia legis, vel onus, vel carentia oneris? Si hoc ſecundum: ſtant ea, quibus diximus nullam dari legem. Si primum: hoc non candide dicit: nam ſemotis terminis æquivocis, non diſſentit a nobis tenentibus legem injuſtam non obligare. Non pertinet tamen ad ſubditos judicare de injuſtitia, ſed ad Principes. Et ſi aliorum etiam judicio eſſet ſtandum, hi boni eſſe debent, qui & pauci ſunt, & juſtis legibus parendum eſſe minime dubitant etiam oneroſis.

Non eſt e ſubditorū arbitrio de lege judicare.

98 DICES. Regio Imperio non ſolæ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſunt, ſed totius Reipublicæ ſalus; Sacerdotali verò miniſterio ſingulorum ſaluti invigilare præcipue commiſſum eſt, ſed ex hoc ſequitur Principum leges magis obligare, & minus Eccleſiaſticas; ergo. Minor explicatur a Marca, illis — Regium imperium a Sacerdotali „ in eo maxime diſtat, quod illi non ſolæ „ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſint, „ ſed totius Reipublicæ ſalus: unde fit ut in „ cives etiam invitos ad fovendum totius Rei„ publicæ corpus jus illi competat, quemad„ modum antea dixi; quod aliter ſe habet „ in Epiſcopali Miniſterio, cui Eccleſiæ ſol„ licitudo ita eſt commiſſa, ut ſingulorum „ ſaluti præcipue invigilare debeat, nec cu„ rare poſſit univerſum corpus aliquorum „ membrorum pernicie, ſed ad exemplum „ Magiſtri nonaginta novem oves deſerendæ „ illi ſunt, ut centeſimam ad caulas repor„ tet —

Ceterum inſtantia non urget. Ubi nam invenire eſt Paſtor Eccleſiaſticus, qui præcipue per ſe primo reſpiciat ſingulorum ſalutem, non autem totius? A quo lumine rationis didicit bonum partis eſſe præferendum bono totius? Nonne Paulus clamat ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego miniſter ſecundum diſpoſitionem Dei*. Ad Epheſ. 4. *Dedit quoſdam Apoſtolos &c. ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*. Nonne Poteſtas omnis, quæ eſt a Deo, ordinata eſt? Juxta Magiſtri effatum ex debito ordine nonne oculus eruendus, vel pes obtruncandus, ne totum corpus pereat? Matth. 5. Credet ne ſapiens pluris Chriſtum facere unam ovem, quam nonaginta novem?

Itaque abſque dubio, tam Eccleſiaſtica, quam civilis poteſtas habet per ſe primo reſpicere bonum commune, & per ſe ſecundo bonum partium; & utraque Poteſtas tenetur, ſi ſit neceſſe, partem perdere ad totum ſalvandum. Utriuſque finis eſt totius bonum curare, nullius perdere, nec prætermittere curam etiam ovium ſingularium. Unde nedum Superior Eccleſiaſticus, verum etiam Politicus injuſtus eſt, & perverſus, ſi perſonam aliquam puniat, non ordinando ab bonum multitudinis, ſed ad privatum finem, vel ad propriam vindictam &c. Nec eſt, qui poſſit de hac veritate ſuſpicari, niſi qui velit admittere, idem eſſe tyrannidem exercere, & dominari, contra S. Thom. *de regimine princip. lib.* 1. *cap.* 1. Utrobique in dubio præſumendum eſt de juſtitia legis, & maxime Eccleſiaſticæ, cujus violatio eſt periculoſior.

Commune bonum a Legiſlatore ſpectandum.

Nec aliquid juvat parabola quæſitæ ovis, nonaginta novem relictis; quia pro centeſima ove apud Patres intelligitur genus humanum, quod venit curare Verbum Dei; nonaginta autem novem ſunt Angeli. Sed demus intelligendum pro peccatore particulari, ut ex contextu patet. Dico loqui Chriſtum de uno errante, comparative ad nonaginta novem in tuto poſitos. Et quis dubitat, quod tunc major

jor aliqua diligentia eſt a Paſtore adhibenda, ut errantem reducat, cum ceteræ oves ſine periculo morantur, nec a terminis ſtatutis egrediuntur?

Concindit Auctor -- Etſi enim dura ſint „ aliquando Regum imperia; ordo ille im„ perandi, & parendi id exigit (hoc eſt urgendi executionem, etiam dubiæ legis, & invitos ad obſequium compellendi) ut ſubditi „ Dominorum mandatis cedant, quemadmo„ dum Apoſtoli diſertiſſime docuerunt --

Sed hæc doctrina a fortiori concludit pro legibus Eccleſiaſticis; quia plures ſunt Apoſtolorum Scripturæ docentes obedientiam, & ſubjectionem Prælatis Spiritualibus; ergo ſi illa ratiocinatione intendit demonſtrare legem Civilem obligare ante acceptationem, vel poſſe ſubditos obligari ad eam acceptandam, urgentius admittere cogitur de Eccleſiaſticis.

99 OBJIC. IV. -- Secunda verò ratio „ hæc eſt, quia Chriſtus ipſe diſcrimen u„ triuſque Poteſtatis in præceptis dandis au„ ctoritate ſua conſtituit. Reges gentium „ dominantur eorum, & qui poteſtatem ha„ bent ſuper eos, benefici vocantur; vos au„ tem non ſic, inquit ille, apud Matthæum, „ & Lucam --

Si locus iſte intelligatur ad mentem Auctoris, ſcilicet de vi legis ferendæ, Anabaptiſmum ſtatuit, & Calviniſmum. Anabaptiſmum dico, quia hi Hæretici ea Scriptura utuntur ad tollendam a Chriſtianis politicam Dominationem, & præcipue coercitivam. Loqui porro etiam de Principibus Chriſtianis tradunt Interpretes, & favere non deſinit particula adverſativa: *Reges gentium*, ideſt Gentilium, *vos autem non ſic*, ideſt in Eccleſia mea. Calviniſmum ſtatuit, quia eodem textu hi arguunt pro abroganda Poteſtate verè legislativa in Eccleſia Chriſti. Tollit etiam in Chriſto vim legislativam; quia ibi Dominus vult, quod ly *vos autem non ſic* ſit accipiendum ad exemplum ſui ipſius. Si ergo textus loquitur ad ſenſum arguentis, nec Chriſtus potuit ullam ferre legem obligativam. Qui veritatem quærit, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinat. Veritas ergo Scripturæ hujus executionem, & modum gubernationis tangit, ſcilicet, quod humilitate, & charitate magis, quam timore ad legum obſervantiam promoveantur ſubditi. Sic Patres, quos dedimus ſuperius.

Eccleſia hac utitur ſuavitate, dum privatos peccatores privatim monet; publice publicos, nec, niſi præmiſſa correptionis dulcedine ad pœnas deſcendit. Ipſemet Chriſtus exemplo, & doctrina ſponſam inſtruxit, qui, & charitate, & increpationibus, & flagellis uſus eſt. Apoſtoli quoque ſeveritatem adhibuerunt. Petrus gladio oris Ananiam, & Saphiram interemit. Paulus inceſtuoſum Corinthium media excommunicatione tradidit Satanæ, qui & 1. ad Corinth. 4. ait: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Nomine virgæ intelligunt Patres Poteſtatem judiciariam, & punitivam, inter quos Chryſoſtomus, Teophilatus, Anſelmus, Ambroſius, Aug. *lib.* 3. *cap.* 1. *contra Epiſt. Parmeniani*, & Hieronymus *epiſt.* 1. *ad Heliodorum*, qui ex hoc textu, & alio *cap.* 5. deducunt auctoritatem excommunicandi.

Verum illud flebile accidit in iis pœnis ſpiritualibus, quod accidit in bonis animæ, quæ licet, Chriſto aſſerente, melior ſit quam eſca; nihilominus minime æſtimantur ab hominibus, dum temporalibus bonis ardentius trahuntur. Graviora incomparabiliter ſunt Eccleſiaſtica, quam Principum flagella; ſicut mors animæ pejor eſt morte corporis, ſed hæc, quia ſenſibilia ſunt, timemus, illa autem, quia ſenſus judicium effugiunt, irridemus. Ceterum ſomnium eſt excogitare, quod Deus arctius velit fidelium conſcientias obſtringere legibus civilibus, quam Eccleſiaſticis.

100 OBJIC. V. Marca *lib.* 2. *cap.* 16. *nu.* 5. Non eſt prudentiæ conſona doctrina, quæ recedit a ſententia celeberrimorum Doctorum, ſed leges Eccleſiaſticas dependere ab acceptatione tenent celeberrimi Doctores -- Hæc eſt (*ait*) non ſolum Gallorum om„ nium, ſed etiam celeberrimorum quorum„ que Doctorum ſententia -- ergo doctrina oppoſita non eſt prudentiæ conſona.

Arguens, quod ratione deſperat evincere, conatur jactabundo clamore extorquere. Sed videamus, an proſint clamores. Gallos id non ſentire; conſtat ex copia Auctorum particularium, & Conciliorum Nationis, quam protulimus in Controverſia de Primatu Romani Pontificis, & de ejus Superioritate ad Concilium. Ad falſificandam autem propoſitionem Adverſarii ſufficit cenſura Scholæ Pariſienſis, relata in ultima noſtra probatione. Quoniam tamen aliquos citat, expendamus, an ad propoſitum loquantur.

De Marca fruſtra ſuffragium quærit ab Auctoribus.

Affert Gratianum *diſt.* 4. *cap.* 3. Cujus verba dedimus object. prima, ibique legitime explicuimus. Verum abſque dubio non ſtabit Gratiano, cum Marcæ videatur in ſua collectione, Romani Pontificis Poteſtatem nimis extollere. Saltem ſuſpicari poſſumus, quod fidet his, quæ dicit in hac diſtinctione, quoniam eum citat. Gratianus itaque *cap.* 5., & *ultimo*, excuſat tranſgreſſores quorumdam Canonum, ex eo quod uſu communi non ſint approbati, & poſtea dicit -- Niſi forte „ quis dicat, hæc non decernendo eſſe ſtatu„ ta, ſed exhortando conſcripta. Decretum „ verò neceſſitatem facit, exhortatio autem „ liberam voluntatem excitat -- Si neceſſitatem facit Decretum ex mente Gratiani, quis excuſabitur?

Adducit Auguſtinum *lib. de vera Relig. cap.* 31. -- An illis temporalibus legibus, „ quanquam de his homines judicent, cum „ eas inſtituunt; tamen cum fuerint inſti„ tutæ, atque firmatæ, non licebit Judici de „ ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas -- Et refertur *diſt.* 4. *cap.* 3.

RESP. Ex citata auctoritate non evincitur legum obligatio pendere ab acceptatione ſubditorum: oppoſitum quidem concluditur.

Primo. Quia de legibus judicant homines: *Cum eas inſtituunt*. Aſt ſubditi non inſtituunt leges, ſed Superiores, quamvis quandoque paucos adhibeant Conſiliarios. Secundo inquit: *Cum fuerint inſtituta, atque*

fir-

firmata; non autem ait, cum fuerint receptæ;
inſtituere autem, & firmare ad auctoritatem
ſpectat, quæ utique eſt in Principe. Tertio:
Non licebit Judici de ipſis judicare, ideſt Mi-
niſtro Legislatoris, ſeu Judici inferiori, ut
Gloſſa ponit; ergo a fortiori non conceditur
inferioribus non Judicibus. Quarto. Recita-
tis immediate ſubdit -- Conditor tamen le-
„ gum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſa-
„ piens, illam ipſam conſulit æternam, de
„ qua nulli animæ judicare datum eſt, ut ſe-
„ cundum ejus incommutabiles regulas, quid
„ ſit pro tempore jubendum, vetandumque
„ diſcernat -- Vide, quam clare afferat ju-
dicium legum ferendarum ad Principem per-
tinere.

Adducit ad marginem Summam Au-
ream, quæ Armilla nuncupatur, cujus Au-
ctor Bartholomæus Fumus Ordinis Prædica-
torum, verbo *lex num.* 11. ubi -- Dicit Gloſ-
„ ſa in cap. quo circa, de conſanguinit., &
„ affinit. Quod tolerantia, & diſſimulatio
„ Principis in actu de jure prohibito inducit
„ diſpenſationem. Quod Dominus Antoninus
„ intelligit, quando conſtitutio Papæ a prin-
„ cipio non recipitur, Papa ſciente, & to-
„ lerante, quo caſu tolerantia excuſat a pec-
„ cato; non autem ſi a principio recepta fuit
„ a majori parte, ſecundum quod limitat Pa-
„ normitanus --

Etiam ex his evidenter conſtat a Prin-
cipe dependere obligationem legis, non ab
acceptatione. Nam idem ipſa non receptio
excuſat a peccato, quia Princeps ſciens tole-
rat; ergo eo non tolerante, peccant non ac-
ceptantes.

Adducit Summam Angelicam, cujus Au-
ctor Angelus de Clavaſio Ordinis Minorum,
verbo Conſtitut. §. 1. ubi -- Utrum conſtitutio
„ Papæ, quæ a principio communiter non
„ recipitur, ipſo ſciente, & tolerante obli-
„ get ad peccatum? -- *Et* §. 10. -- Ex quo
„ per binum actum factum eſt contra Legiſ-
„ latorem ſcientem, & valentem contradi-
„ cere, & non contradicentem &c. --

Neque hac authoritate quidquam evin-
citur. Nam Angelus movet quæſtionem in
caſu, quo lex non acceptata ſit, ſciente, &
tolerante Principe, & tunc reſolvit non obli-
gare; ergo abſque dubio ſupponit obligare,
ſi Princeps velit legem ſubſiſtere; ergo ab
acceptatione ſubditorum non pendet vis obli-
gativa, ſed a Conditore.

Adducit Summam Sylveſtrinam a Sylve-
ſtro *verbo Lex n. 6.* ubi -- Quæritur quæ, &
„ quot requirantur ad hoc, quod lex habeat
„ vim obligativam in ſe, ſive in communi?
„ Et dico, quod multa &c. Quarto, quod
„ per inferiores ſit ſuſcepta, & approbata
„ diſt. 4. in iſtis §. Leges &c. Etſi oppona-
„ tur, quod hoc ſit abſurdum, quia Pote-
„ ſtas condentis legem penderet a ſubdito-
„ rum arbitrio; dico primo, hoc non eſſe
„ inconveniens in Principe Seculari, ideſt
„ Imperatore, quia ut recitat, & ſequi vi-
„ detur Archidiaconus diſt. 3. Lex. Quidam,
„ ut Landulph. dicunt populum poſſe auferre
„ Imperatori auctoritatem, quam in eum
„ tranſtulerat (juxta ff. Sed quod Principi.
„ Inſtit. de jure naturæ, ſicut Judex, qui de-
„ legavit.) Sed omnes Eccleſiæ non poſſunt
A „ auferre auctoritatem a Papa, quia eam
„ habet a Domino. Vide, ſi vis, Archie-
„ piſcopum (*D. Antoninum*) 3. part. tit. 18.
„ cap. unic. col. 3. Eſto tamen, quod illud
„ ſit inconveniens in Imperatore, ſicut in
„ Papa: Dico quod hoc non ſequitur, quia
„ poteſt Princeps deputare executorem com-
„ pellentem ad obſervantiam legis, quo caſu
„ neceſſaria erit ſuſceptio legis ſubditis com-
„ pulſis. Et dato, quod compelli non poſ-
„ ſint, adhuc non ſequitur illud inconve-
„ niens; quia eo caſu, quo Princeps vult
„ compellere, ſed nequit, non Receptio non
„ impedit vim legis, cum eo modo eam im-
B „ pediat, quo conſuetudo tollit, ſcilicet,
„ quia Princeps ſcit, & tolerat -- Quibus
plura habet Marca, unde ſeipſum deſtruat.

Primo. Marca vult Eccleſiaſticas Leges,
magis pendere ab acceptatione, quam civi-
les, Sylveſter tenet primas nullo modo, ſe-
cundas aliqualiter dependere. Secundo. Mar-
ca vult ſingulis Regibus ſpecialiter datam a
Deo immediate Poteſtatem, Sylveſter oppo-
ſitum docet. Tertio. Marca vult, quod ni-
hil fidelibus ſit obtrudendum, quod aliquo
pacto poſſit eos offendere, Sylveſter vult poſſe
compelli ad obſervantiam, & ſuſceptionem
eſſe neceſſariam. Quarto. Marca vult legis
C vim pendere a receptione, Sylveſter aſſerit
non receptionem non impedire vim legis.
Quinto. Marca vult ſine Principis conſenſu
legem non receptam non obligare, & rece-
ptam diſſuetudine abrogari, Sylveſter affir-
mat & diſſuetudinem abrogare, & non re-
ceptionem non obligare dependenter a con-
ſenſu Principis. Ænea ſane frons, quæ pro
ſe citat contradictoria ſtatuentem!

Adducit Nicolaum Cuſanum. Sed pro
nobis ſtare manifeſta auctoritas, quam de-
dimus ſupra ratione decima. Adducit Gerſo-
nium, quem etiam pro nobis ſtare ibidem
vidimus. Videamus nihilominus, an verba,
D quæ citat arguens, contineant vim aliquam
contra nos. Signanter hæc citat *ex tract. de
vita ſpirituali lect. 4. corollario primo* -- Nulla
„ tranſgreſſio legis naturalis, aut humanæ,
„ ut naturalis eſt, vel humana, eſt de facto
„ peccatum mortale: quia lex naturalis, &
„ humana, ut tales ſunt, non poſſunt attin-
„ gere ad cognitionem æternitatis in pœna,
„ vel præmio: non ergo feruntur ad finem
„ talem ſupernaturalem --

In hac propoſitione non eſt verbum ul-
lum tangens ſtatum præſentis Controverſiæ,
& ejus diſcurſus æque currit, ſive lex obli-
gans dependeat ab acceptatione, ſive non.
E Mens ipſius eſt, oſtendere nullam legem obli-
gare, niſi quatenus involvit Legem Divinam,
& non quatenus ab homine dictatur; vel a
ratione naturali, propter defectum attingen-
tiæ finis ſupernaturalis. Porro hunc defectum
includit Lex, ſive acceptata ſit, ſive non; ac-
ceptantes enim homines ſunt. Mentem Do-
ctoris eſſe explicatam patet ex corollario 6.
7., & 4., ex quo ſufficit ſequens clara pro-
poſitio -- Et ita quantum Lex aliqua habet
„ admixtum de Lege Divina præceptiva, tan-
„ tum, & non amplius, eſt ejus tranſgreſſio
„ mortaliter vitioſa -- Ceterum expreſſe ſu-
ſtinet

ſtinet eſſe obediendum cuilibet Legi naturali,
& humanæ, ſi ex Divina ſit. Et *lect.* 2. ad- A
ducit 4. gradus Legis Divinæ, quorum ali-
quo ſtante obligamur; & nulla Lex juſta eſt,
quæ aliquem ex his non contineat.

Primus gradus eſt, quando deducitur a
ſolis veritatibus Divinæ Scripturæ, ſecundus,
quando deduci non poteſt -- ex ſolis verita-
„ tibus Divinæ Scripturæ, deducitur tamen
„ ex iiſdem, conſſumptis quibuſdam veris
„ probabilibus, quæ pie, & rationabiliter
„ negari non poſſunt -- tertius, quando ad
deductionem per Leges Divinas requiruntur
propoſitiones dubiæ -- quæ tamen plus inci-
„ tant, & ædificant ad devotionem, quam
„ oppoſitæ, aut quas tutius eſt concedere, B
„ quam negare. Exempla multa, & quoti-
„ diana ſunt in Canonibus Summorum Pon-
„ tificum, & Decretalibus. Illi quippe Ca-
„ nones, aut epiſtulæ Decretales innituntur
„ Legibus Divinis, utpote talibus univerſa-
„ libus: Qui vos audit, me audit. Obedite
„ Præpoſitis veſtris. Quæ dicunt, facite, &
„ ſimilibus. Poſtremus gradus (*ait*) conti-
„ net Leges, quæ ex Legibus Divinis non
„ plus deduci poſſunt, aut minus, quam op-
„ poſitæ -- Ibique aſſerit, quandoque ad prin-
cipia Divina univerſalia ſubſumi in minori,
& conſequentia propoſitiones omnino certas,
eo quod proficiant obſervantibus, ſed addit -- C
„ Tamen in multis tutius eſt eas concedere,
„ nec pertinaciter impugnare -- Deinde *lect.* 3.
habet -- Diutius ſpe noſtra tenuit nos ſermo
„ de hac Poteſtate Summi Pontificis, quo-
„ niam tempeſtas præſens ad hoc impulit,
„ pro qua magis neceſſe eſt Poteſtatem hanc
„ ad clarum dignoſcere, atque ſecernere,
„ quam olim antea; præſertim ad videndam
„ ſubtractionis factæ (ideſt ab obedientia
„ Benedicti XIII., cui aliquando Gallia pa-
„ ruit ſchiſmate inſtante) juſtificandæ, vel
„ caſſandæ rationem, præſuppoſitis iis, quæ
„ facta ſunt --

Adduximus hæc, ut clare appareat, Ger- D
ſonium non favere Marcæ, ſed nobis; quia
aſſerit eſſe obediendum Legibus Eccleſiaſticis,
& naturalibus, quoties uno aliquo ex quatuor
gradibus Divinæ ſunt; & in dubio ſtandum
eſſe pro Lege, & Legiſlatore. Et cum teneat
æqualitatem Legis humanæ ad naturalem, &
hæc abſque dubio obliget independenter ab
acceptatione, ſeu verius obliget ad acceptan-
dum, ſequitur eodem modo obligare huma-
nam Legem. Inter alia aptam tradit ratio-
nem *corollario* 7., ubi aſſerit obligare ſub
mortali obſervantiam Feſtorum quoad audi-
tionem Sacri, & abſtinentiam a ſervilibus --
„ Quia (*ait*) ſic limitare expediebat pro com- E
„ munitate: & jam homo fit contemptor Di-
„ vini præcepti, & ſuorum Superiorum, qui-
„ bus ſponte ſe ſubmiſit, aut ſubmittere de-
„ buit pro utilitate ſui, & communitatis,
„ cujus eſt pars -- Ideſt, ad Eccleſiæ Pote-
ſtatem (de qua ibi loquitur) pertinet bono
Communitatis providere, & de ratione par-
tis eſt bonum Communitatis ſuo præferre;
adeoque obedire præcipientibus.

Adducit Joannem Majorem 4. *ſent. diſt.*
15. *quæſt.* 4., cujus verba non potui videre,
ſed cum dicat, ſe ſequi ſententiam Univer-
ſitatis Pariſienſis, certi ſumus ſtare pro nobis,
ut apparet ex cenſura poſita ſuperius contra
Lutheranam propoſitionem, & ex cenſuris
latis contra Spalatenſem alibi recitatis.

Adducit Joannem Driedo Profeſſorem
Lovanienſem *lib. de libert. Chriſt. cap.* 9. *docum.*
2. At Doctor iſte expreſſe adverſatur ibidem
menti arguentis. Habet enim -- Ex his ma-
„ nifeſtum eſt falſam eſſe doctrinam eorum,
„ qui dicunt Eccleſiæ Prælatos, Superioreſ-
„ que Poteſtates non plus facere imperando,
„ quam faciunt Magiſtri, aut Doctores Dei
„ Legem, ſeu præcepta docentes; & Præla-
„ tos nihil aliud poſſe facere, quam faciunt
„ Medici, qui ægrotis intimant, quia cibus
„ mortiferus ſit corpori, quia ſalutaris &c.
„ Nam, & ſunt alia innumera Sacræ Scri-
„ pturæ teſtimonia, ex quibus liquidum eſt
„ Prælatorum, & Superiorum Poteſtatum
„ officia eſſe, non ſolum docere, aut inti-
„ mare, quid Deus jubeat, ſed & impera-
„ re, dirigere, & coercere populum. Dein-
„ de & ſcire oportet ſupradictas Scripturas a
„ Sanctis Patribus ſic intellectas eſſe, ut ex
„ illis ſequatur, etiam nos oportere obedire
„ in his, quæ non ſunt ſecundum ſe præce-
„ pta lege Divina; quemadmodum latius de-
„ clarabitur infra, & in ſolutionibus argu-
„ mentorum --

Verum quidem eſt, ibidem docere Le-
gem non obligare in conſcientia, quando non
eſt utentium moribus recepta. Sed Driedo
ſupponit conſenſum Legiſlatoris, non valentis
coercere ſubditorum tumultuantium contuma-
ciam. Sic enim ait -- Tunc enim Lex illa non
„ expedit Reipublicæ ſic diſpoſitæ; cum plus
„ damni, & turbationis, quam boni inde
„ ſequeretur. Neque enim poſſet Lex illa
„ moribus utentium confirmari, dum Prin-
„ ceps non poſſet abſque turbatione Reipu-
„ blicæ punire illius Legis tranſgreſſores, po-
„ pulo Legem illam non acceptante --

Adducit Innocentium Primum *epiſt.* 18.
ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, qua-
tenus ſtatuta quædam circa jus Metropolita-
norum, & rejectionem Arrianorum vult a
Concilio recipi.

Sed non eſt hic ſenſus verborum ejus;
intendit enim, ut ad aliorum Epiſcoporum
notitiam perveniant ſtatuta, vel per Conci-
lium, vel extra ad hoc, ut obſerventur.
Nam ibi ait -- Gravitas itaque tua hæc ad
„ notitiam Coepiſcoporum, vel per Syno-
„ dum, ſi poteſt, vel per harum recitatio-
„ nem, faciat pervenire, ut ea, quæ ipſe
„ tam neceſſario percunctatus eſt, & nos tam
„ elimate reſpondimus, communi omnium
„ conſenſu, ſtudioque ſerventur -- Ubi nam
permittit ſubditorum arbitrio legem acceptare?

Adducit Gelaſium *ad Epiſcopos Darda-
niæ*, quatenus aſſerit decreta Conciliorum
generalium eſſe ex aſſenſu univerſalis Eccleſiæ.

Verum, quantam ille tribuat Romano
Pontifici Poteſtatem ſupra Concilia generalia,
ſuo loco lucide demonſtratum eſt: & aliud
eſt Conciliorum ſtatuta fieri ex aſſenſu uni-
verſalis Eccleſiæ; aliud eorum robur pende-
re ab acceptatione univerſalis Eccleſiæ.

Adducit Diurnum Romanum, ubi re-
citatur juramentum, quo electi Pontifices pro-

mittebant -- Omnia decreta Canonica Præ-
„ deceſſorum Apoſtolicorum Pontificum, quæ-
„ cunque ipſi Synodaliter ſtatuerint, proba-
„ ta erunt, ſicut ab eis ſtatuta ſunt, in ſui
„ vigoris ſtabilitate cuſtodire --

Sed hæc non probant Legum vim ab acceptatione pendere, ſed ſolum id fiebat, ut non de facili, & ſine rationabili motivo diſpenſarent electi Pontifices in Legibus bono communi proficuis, ne ex diſpenſatione infirmarentur.

Adducit Anaſtaſium Bibliothecarium *ad marginem 6. can. ſeptimæ Synodi*, quatenus aſſerit Canones non ubique omnes vigere.

Sed ſolum nomen Anaſtaſii ſufficit pro ſtabilienda Summi Romani Pontificis auctoritate, quam tot, & toties demonſtrat. Nec ex eo, quod alicubi quidam Canones non obſerventur, recte infertur ab acceptatione vim Legis pendere, aliunde enim inobſervatio oriri poteſt, deberque oſtendere non adeſſe Principis conſenſum, quando inobſervatio eſt ſine peccato.

Refert demum Philippum II. Francorum Regem hæc proferentem -- Eccleſia non
„ recipit quamplures Canones, qui per diſ-
„ ſuetudinem abierunt, vel ab initio non
„ fuere recepti --

At nil ad rem. Canones, qui ab initio ab Eccleſia non fuerunt recepti, ſunt Canones quiniſextæ Synodi, a quibuſdam Orientalibus abſque debita auctoritate editi, qui in diſſuetudinem abierunt. Si diſſuetudo eſt legitima, intervenit conſenſus Legiſlatoris, ſeu Superioris, ſi illegitima, abſque peccato non eſt. Copia ergo auctoritatum, quas adduxit Pariſienſis Antiſtes, vel non ſunt ad rem, vel nobis proſunt, nullaque auctoritas ipſi ſuffragatur.

Illud placet breviter adnotare, quantum in moralibus infirma ſit probabilitas extrinſeca, deſumpta ex pluralitate Auctorum. Primo, ex defectu legitimæ mentis, & ſenſus, quo loquuntur Auctores. Secundo, quia iidem non raro citantur ab utraque opinione adverſa, ut in caſu. V. g. Sylveſter, Angelus &c. citantur a Marca pro ſe, a Vaſquez pro ſe, & ab aliis.

Tertio. Sæpe utraque opinio contradictoria ſtatuens dicitur habere pro ſe meliores, & majores Auctores, ut in caſu; ſiquidem Marca ſuam ait eſſe meliorum Doctorum, & Mauclerus alter Pariſienſis ſuam docet (quæ eſt omnino oppoſita) eſſe traditam a melioris Notæ Doctoribus. Quare in his ſervanda eſt regula illa. *Tene certum, dimitte incertum*.

CONTROVERSIA V.

AN JUDICIA SANGUINIS INTER CHRISTIANOS SINT LICITA.

D. Auguſtinus *lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 3.* refert hunc tenuiſſe inter Chriſtianos homines non dari Tribunalia punitiva -- De-
„ dit Deus (ajebat) homini liberum arbi-
„ trium: Magiſtratus igitur non eſt in im-
„ pios animadvertere -- Apud noſtrum Guidonem Carmelitam Waldenſes idem ſentiunt, de quibus ait -- Nullum omnino judicium
„ Sanguinis, aut cujuſcunque Corporalis ſup-
„ plicii ferebant: quia ſcriptum eſt. Nolite
„ judicare -- Id ardentius ſuſtinuerunt Anabaptiſtæ, ut habemus apud Henricum Bullingerum *lib. 1. cap.* 8. Eundem tenuit errorem Joannes Calecus *apud Bernardum Luxemburgenſem*.

Contra hos omnes ſtat veritas Catholica licere Chriſtianis judicia quæcunque, etiam ſanguinis. Unde

Dico. Inter Chriſtianos licet exercere per Poteſtates Laicales judicia etiam ſanguinis, de quibus nunc loquimur.

101 PROB. I. Illud nequit eſſe illicitum, quod Deus præcipit: ſed Deus præcipit Tribunalia judicativa, & punitiva; ergo non ſunt illicita. Min. habetur Exodi cap. 18. v. 21.

Tribunal punitivum a Deo.

Ubi Jethro ad Moyſem. *Conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore &c., & electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael conſtituit eos principes populi &c. qui judicabant plebem omni tempore*. Deuteron. 16. *Judices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulos tribus tuos, ut judicent populum juſto Judicio*. 2. Paralip. 19. Joſaphat Rex Judicibus ait. *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*. Si ergo judicatio a Deo præcipitur, & in nomine Dei exercetur, illicita non eſt.

102 DICES. Probant hæc licere judicium pure civile, non vero punitivum.

Sed contra. Alibi præcipit Dominus juſtas pœnas infligendas eſſe iniquis. Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*. Deuter. 17. *Decreto Judicis morietur homo ille*, ſcilicet Sacerdoti inobediens. Pſalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur*. Et alibi plures leges habemus ſtatuentes pœnas uſque ad mortem pro criminibus; ad quarum normam Sapientiſſimi Principes Moyſes, Joſue, Samuel, David, Salomon, & ſimiles plurima exercuerunt judicia punitiva, quandoque criminoſos mortis etiam ſupplicio afficientes, quorum zelus, & juſtitia in Scriptura laudatur.

103 DICES II. Hæc ſunt legalia conceſſa Hebræis conſtitutis ſub Lege timoris, ac proinde a Chriſto abrogata.

Sed contra. Licet pure legalia ſint per legem gratiæ ſublata, tamen moralia fuerunt confirmata. Porro judicium punitivum non fuit pure legale, ſed morale, mixtum judiciali, & ceremoniali; punitio enim delictorum a lumine rationis præcipitur. Hinc eſt, quod ante legalia habemus Geneſis 9. *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*. Et c. 38. Judas, tanquam familiæ caput, igni adjudicavit Thamar Nurum ſuam propter adulterium, ajens. *Producite eam, ut comburatur*. Et ratio eſt, quia juſtitiæ debitum, ejuſque exercitium non eſt præceptum legale, ſed morale: at judicium punitivum ad debitum juſtitiæ pertinet; ergo injuſtos punire eſt præceptum morale. Sic colli-

Punitio delictorum a lumine rationis.

colligitur ex illo Jerem. 23. *Regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet juſtitiam in terra.* Ex Prov. 8. *Per me Reges Regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam*; ergo iniquos flagellis adjudicare non eſt præceptum legale, ſed morale.

Quod ulterius explicatur. Malum auferre ſpectat ad quemlibet ſtatum Legis, ſive naturæ, ſive circumciſionis, ſive gratiæ; innititur namque univerſali principio, malum eſt fugiendum, bonum eſt faciendum: ſed finis Præceptorum ex veteri Teſtamento eſt auferre malum. Unde Deuter. 17. cum dixit. *Morietur homo ille*; addit; *Et auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*: quam maxime lex nova deteſtatur. Et cap. 21. agens de filio contumaci lapidibus obruendo habet. *Ut auferatis malum de medio veſtri*. Ergo non eſt præceptum pure legale abrogatum, ſed morale confirmatum. Unde dicebat Paulus Corinthiis Epiſt. 1. cap. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis*.

104 PROB. II. Scriptura novi Teſtamenti determinate reſpicit Chriſtianam Rempublicam: ſed in ea traditur licita eſſe judicia punitiva; ergo. Minor habetur 1. ad Corinth. 6. *Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos Sapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Quibus monet Paulus, ut in cauſis ex neceſſitate non deferendis ad forum Gentilium, conſtituant Judicem aliquem ex Sanctis, ideſt, Chriſtianis, ſed non poſſet hoc monere, ſi judicia etiam punitiva in Republica Chriſtiana non licerent; ergo ſignum eſt ea licere. Ad Rom. 13. idem Apoſtolus de Rege loquens habet. *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Quibus item patet datum gladium Principibus ad vindicandos maleficos: ſed non eſſet hoc modo gladius illis conceſſus, ſi non liceret eo uti ad punitionem, quando expedit; ergo &c. His conſonat Petrus epiſt. 1. cap. 2. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum.* Et Lucæ 23. legimus Latronem pœnitentem dicentem criminis ſocio. *Et nos quidem juſte; nam digna factis recipimus*, ideſt, Crucis ſupplicium. Chriſtus Matth. 26. ad Petrum converſus (qui publicam non habens auctoritatem voluit ulciſci injuriam Chriſto illatam) ait: *Qui acceperint gladium, gladio peribunt*: ideſt, qui injuſte alium læſerit, juſte a legitimo Judice punietur. Licent ergo judicia capitalia.

Principibus datus eſt gladius ad punitionem.

105 PROB. III. Ad Roman. 12. Reſpublica Chriſtiana comparatur corpori humano, in quo ſub uno capite ſunt multa membra eundem actum non habentia: ſed in corpore humano licet abſcindere membrum putridum corruptivum aliorum, ne totum corpus pereat; ergo etiam in Republica Chriſtiana licet hominem maleficum interficere, ne ſuo exemplo alios inficiat. Unde prophetans dixit Caiphas Joan. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, ut non tota gens pereat*, non ſolum in ſenſu ſpirituali de Chriſto redimente genus humanum, ſed in ſenſu temporali de quolibet perturbatore Reipublicæ.

Membrum putre abſcindendum.

Omnis pars ordinatur ad totum tanquam imperfectum ad perfectum, cum omnis pars naturaliter ſit propter totum: ſed quælibet perſona particularis ordinatur ad Communitatem, tanquam pars ad totum; ergo eſt tanquam imperfectum ordinata ad Communitatem, tanquam ad perfectum: ſed laudabiliter, & licite tollitur imperfectum, ſi læſivum ſit perfecti, Matth. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Si ergo perſona particularis ſit Communitati nociva, ut de facili evenit in pravis, dicente Apoſt. 1. ad Corinth 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; malum enim ſerpit ut cancer, licite poterit abſcindi, ideſt, morti adjudicari Malefactor.

Tollendum quod officit communitati.

106 PROB. IV. Ideo non licent judicia ſanguinis inter Chriſtianos, quia benigna eſt lex Chriſti: ſed hoc ſtante Petrus Apoſtolus propter defraudatum pretium venditi agri gladio oris occidit Ananiam, & Saphiram, & tunc temporis, quando neceſſe valde erat legis ſuavitatem demonſtrare, ut facilius lex poſſet dilatari inter gentes; ergo cum benignitate legis non pugnat judicium ſanguinis. Sicut ergo cum ſumma miſericordia Dei ſtat juſtitia, ita cum ſuavitate legis ſtat rigor diſciplinæ: & charitas, quæ eſt dos potiſſima Chriſtianæ Religionis, deſponſat ſibi ſicut ceteras virtutes, ita & juſtitiam. Hinc eſt, quod Sancti, & prudentes Principes Catholici diverſis temporibus, & locis exiſtentes condiderunt leges plura vetantes ſub pœna capitis; & non raro ſumma laude latrones, homicidas, rebelles, & ſimiles morti damnarunt.

Lex ſuavis punitionem admittit.

107 PROB. V. Patrum auctoritate. Epiphanius *hæreſi* 40. *contra Archonticos*, commentans locum Pauli ad Rom. 13. -- Et vi-
„ des (*ait*) quod Poteſtas hæc mundana a
„ Deo ordinata eſt, & gladii Poteſtatem ac-
„ cepit: non autem aliunde, ſed ex Deo ad
„ ultionem -- Maximus *Serm. 9. de Magiſtratu* aſſumit illud Petri Apoſt. *Subjecti eſtote &c.*
-- Sive Præſidibus ab eo miſſis ad improbos
„ ſupplicio: bonos autem laude afficiendos --
Baſilius *in Moralibus cap.* 79. -- Quod de-
„ bent, qui Principes aliorum ſunt, vindi-
„ ces eſſe juſtificationum Dei -- Rom. 13. *Nam Principes non ſunt terror bonorum operum, ſed malorum.* Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 38. -- Servum Dei innocen-
„ tem eſſe debere, ne incidat in pœnam
„ ſecularem, in Epiſtola Pauli ad Romanos
„ &c. -- Hieronymus *in cap.* 22. *Jeremiæ* --
„ Homicidas, & ſacrilegos, & venenarios
„ punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed le-
„ gum miniſterium -- Auguſtinus *Epiſt.* 54. *ad Macedonium* -- Nec ideo ſane fruſtra in-
„ ſtitutæ ſunt Poteſtates Regis, jus gladii
„ cognitoris, ungulæ carnificis, arma mili-

 „ tis,

„ tis, & diſciplina Dominantis, ſeveritas „ etiam boni Patris. Habeot iſta omnia, mo„ dos ſuos, cauſas, rationes, utilitates — *Et in expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. propoſit.* 72. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 24. fuſe id probat. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 17. *ad Cives Nazianzenos* — Ut qui tri„ buto pendendo ſimus obnoxii, nec com„ mittamus, ut ob ſcelera, & flagitia noſtra „ legem odio habeamus, ac vindicem gla„ dium expectemus: quin potius id agamus, „ ut per timorem purgati, laudem a Pote„ ſtate conſequamur — Plures omitto, videndos apud Jodocum Coccium *lib.* 7. *de Hierarchia Eccleſiaſtica art.* 1.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

108 OBJIC. I. Quod expreſſe Chriſtus prohibuit, Chriſtianis non licet, ſed Chriſtus prohibuit omne judicium ſub pœna æterni judicii, ut colligitur ex illo Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini*; ergo.

RESP. neg. min. Ibi enim Chriſtus damnat judicium privatum proximi ſui ex levibus motivis, & ex affectu hypocriſis: reprehendit eos, qui ex minimo quolibet defectu fratrem ſuum carpunt, & ſeipſos negligunt gravioribus infectos. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ceterum judicium rectum, & gravi ponderi innixum, & maxime publicum non vetat, ut conſtat Joan. 7. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.*

Privatum judicium a Christo reprobatum.

109 DICES. Sua jura defendere contra injuſte opprimentem coram Judice eſt judicium publicum rectum, ſed hoc eſt prohibitum a Chriſto Matth. 5. *& ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium*; ergo non ſolum judicium privatum leve, ſed publicum, & grave prohibet lex Evangelica.

RESP. neg. min. Locus vero adductus in aliquo ſenſu cadit ſub præcepto, in aliquo ſub conſilio: Cadit ſub præcepto, quoad duo; primum in ordine ad juſtitiam privatam in vindicandis ſibi juribus, de quibus cum alio quis contendit: Secundum in ordine ad affectum, & animi præparationem ad patienter tolerandas injurias; ſub conſilio cadit ipſa ultronea, & ſpontanea ceſſio rei, de qua eſt contentio. Patet ex his, quæ ſequuntur in contextu, & quæ præcedunt, ſcilicet: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: & tamen Dominus percuſſus in maxilla non præbuit alteram; ſed reſpondit: *Quid me cædis*, Jo. 18. *Et quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*, Matth. 5., quod utique non cadit ſub præcepto. Sic textum explicat Greg. Nazianzenus *Orat.* 1. *contra Julianum*, qui ut deterreret Chriſtianos a propulſandis injuriis, has objiciebat Scripturas.

Injuria patienter toleranda.

Aug. totum hoc, quod diximus, comprehendit *Epiſt.* 5. *ad Marcellinum*, aſſumens Chriſti exemplum — Tamen non præbuit per„ cutienti alteram partem, ſed potius pro-
A „ hibuit, ne qui fecerat injuriam, augeret, „ dicens: Si male locutus ſum, teſtimonium „ perhibe de malo, ſi autem bene, cur me „ cædis? Et tamen paratus venit, non ſolum „ in faciem percuti, verum etiam pro his „ quoque, a quibus hæc patiebatur, crucifi„ xus occidi, pro quibus, ait, in cruce pen„ dens: Pater ignoſce illis &c. — Igitur ultio injuriarum prohibetur privata, & animi præparatio præcipitur pro ſuſtinendis patienter injuſtitiis ab aliis illatis. Cum his tamen ſtat, quandoque eſſe neceſſarium per publicam Poteſtatem ſceleſtos reprimere graviſſimis ſuppliciis, ne bonum commune perturbetur, & injuſtitiis repleatur Reſpublica; recte enim ibidem dicebat Auguſtinus — Nam
B „ cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter „ vincitur. Quoniam nihil eſt infelicius fe„ licitate peccantium, qua pœnalis nutritur „ impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis „ interior roboratur — Hæc omnia bene dilucidat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *in reſponſione ad argumenta.*

110 INSTABIS. Si non cadaret ſub præcepto prohibitivo judicium publicum defenſivum ſui juris, non eſſet peccatum illud promovere, ſed eſt peccatum, ut clare tradit Apoſt. 1. ad Corinth. 6. *Jam quidem delictum omnino eſt in vobis, quod judicia habe-*
C *tis inter vos? Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

RESP. neg. min. ſecundum ſe loquendo. Nec locus Pauli officit, cum pro nobis eum ſupra attulerimus; quatenus vult, ut apud Sanctos fiant judicia, & non apud Gentiles. Igitur particula illa *delictum* ſumi poteſt ſecundum interpretationem Theodoreti ex græco pro imperfectione, non pro peccato: & tunc reddit ſenſum; lites, licet malæ non ſint, non eſſe tamen inter opera perfecta computandas. Si vero accipiatur ſecundum interpretationem Ambroſii, & Chryſoſtomi in
D hunc locum, & Auguſtini *in Enchirid. cap.* 78. ſignificat peccatum, non quia ſecundum ſe lites promovere coram legitimo Principe, & Judice ſit peccatum, ſed quia regulariter aliunde immiſcetur peccatum, nempe ratione finis, v. g. propter avaritiam, ratione medii, quia fraudes, & doli aſſumuntur, ratione modi, quia ex odio, invidia, aliove pravo affectu imperatur proſecutio cauſæ, ratione diſpendii, quia pro re parvi momenti conſummuntur patrimonia, ratione ſcandali, quod datur proximo in contemptum ſtatus, vel Religionis, & propter hoc motivum præcipue peccatum erat litigium Corinthiorum.

E 111 OBJIC. II. Chriſti prædicatio preſſius promovit obſervantiam legis poſitivæ Decalogi, ſed in hac lege clariſſime prohibetur quodlibet homicidium. Dicitur namque *Non occides*; ergo judicium ſanguinis non licet.

RESP. neg. min. Illud præceptum non minus obligabat in veteri lege, quam nunc, ſed tunc ita obligabat, quod perſona publica poterat juſtis de cauſis aliquos occidere; ergo etiam nunc. Quare prohibetur in eo homicidium patratum privata auctoritate extra caſum legitimæ defenſionis, non vero publicum pro bono communi conſervando; & ratio eſt,

quia

quia ſpectat ad publicam auctoritatem curam boni communis, ſed pro bono communi expedit malefactores interficere, dictante lumine rationis, quod nocens majori bono tollatur; ergo per Decalogum, qui eſt explicatio legis naturalis, non prohibetur publicæ auctoritati homicidium.

E bono communi eſt malefactores punire.

De hac bene dixit Auguſtinus *lib. 1. de Civitate Dei cap. 21.* -- Nequaquam contra hoc „ præceptum fecerunt (quo dictum eſt, Non „ occides) qui perſonam gerentes publicæ „ Poteſtatis ſceleratos morte punierunt -- Et hac eadem ratione illicitum eſt a perſona privata; quia tradere morti malefactores ideo licitum eſt, quia ordinatur ad ſalutem communitatis, adeoque ad illum ſpectat, qui curam habet communitatis, ſicut ad Medicum, cujus curæ eſt infirmus, pertinet reſecatio membri putridi: Porro curæ Communitatis ad Supremos, & dominium habentes ſpectat. Quare optime dixit Auguſtinus *lib. 1. de Civitate Dei cap. 26.* -- Qui ſine aliqua publica „ adminiſtratione maleficum occiderit, velut „ homicida judicabitur: & tanto amplius, „ quanto ſibi Poteſtatem a Deo non conceſſam „ uſurpare non timuit --

112 DICES. In tantum licet publica auctoritate iniquos ſubjicere judicio ſanguinis, quatenus nomine Dei Principes vigilant communi bono, ſed hoc non convincit; nam Miniſter agere non poteſt in cauſam, quam ſibi reſervavit Princeps: Deus autem judicium vindicativum ſibi reſervavit, ad Rom. 12. *Scriptum eſt enim, mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

RESP. neg. min. Locus adductus non eſt ad rem. Illo dicto Paulus declarat qualitatem Charitatis fraternæ, etiam cum inimicis, a quibus mala accepimus, docetque, quod non debemus ulciſci injurias privato judicio; ſed Deo remittere, qui crimina puniet. Eundem ſenſum habent alia ibid. v. 17. 19. 21. *Nulli malum pro malo reddentes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi; ſed date locum iræ &c. Noli vinci a malo; ſed vince in bono malum.* Omnibus his phraſibus commendat concordiam, & pacem cum inimicis; ideſt quod non iraſcamur, ulciſcamur, male faciamus eis; ſed bene. Cum quo tamen ſtat, quod, qui tenent locum Dei, poſſint, & debeant punire pro merito culpæ iniqua agentes, ut Scripturæ ſibi conſonent.

Privatum judicium reprobatum.

Nec Paulus in ſenſu Hæreticorum hæc obſervavit. A Principe Sacerdotum percuti juſſus, maledixit eum, dicens Act. 23. *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem; & contra legem jubes me percuti?* Et tamen loco cit. ad Rom. ait: *Benedicite, & nolite maledicere:* nec ob aliud, niſi quia vindicta privata, & maledictio eſt omnibus illicita. Quandoque tamen perſonis publicis ad reprimendam inſolentiam male morigeratorum expedit ex affectu majoris boni durius agere; quod in caſu fecit Paulus, inſuper irriſionem addens. Nam cum qui adſtabant dixiſſent: *Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Irridenter*, inquit Auguſtin. *Epiſt. 5. ad Marcellinum*; optime enim Paulus noverat Sacerdotem gentis ſuæ.

Durius agendum cum delinquentibus.

113 INSTABIS. Principes Phariſæorum erant perſonæ publicæ: ſed Chriſtus prædicans Evangelium interdixit iis ſupplicio afficere deprehenſam in adulterio; ergo lex Evangelica reſervat ſoli Deo vindictam etiam publicam.

RESP. neg. min. Chriſtus non prohibuit lapidationem Adulteræ, ſed artificioſe ad eludendam hypocriſim Phariſæorum reſpondit, quod qui abſque peccato erat, primus lapidem in eam jaceret. Quod vero ipſe abſolverit illam, non arguit defectum Poteſtatis publicæ ad occidendos malefactores; nam voluit benignitate Patris dimittere contritione curatam. Non enim Judicis munus voluit exercere, nec tenebatur.

114 URGEBIS. Chriſtus non ſolum facto, ſed verbo docuit excipere legem Evangelicam vindictam per publicam auctoritatem. Matth. 5. dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt: oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo.* Illa lex talionis utique non poterat exerceri auctoritate privata, ſed publica, & tamen Chriſtus docet oppoſitum.

RESP. neg. ant. Nec doctrina Chriſti ad hoc tendit, ut deſtruat legem talionis rectiſſimam, ſed ut abroget inordinatum deſiderium privatæ vindictæ, aut poſtulationis inordinatæ a Tribunali legitimo. Ad cujus majorem intelligentiam ſciendum eſt, Chriſtum eo loci tradere variam perfectionis doctrinam in materia charitatis fraternæ contrapoſitive ad legem veterem, & in aliis quibuſdam materiis; tollitque diſtortas illationes, quas ex mandatis legis veteris deducebant Phariſæi, atque adeo præmittit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Juſtitia Phariſæorum erat, non occidere, non mœchari, non odiſſe amicos. Chriſtus verò docet, malum eſſe etiam fratri iraſci, interiorem concupiſcentiam alterius uxoris, inimicos etiam odio habere, & alia ſimilia; & quia ex lege talionis deducebant, licitum eſſe affectum vindictæ, ideo Chriſtus prohibet hanc inordinationem.

Affectus vindictæ malus.

115 OBJIC. III. In zizaniis mixtis tritico intelliguntur filii nequam nocentes aliis, ſed vetat Chriſtus extirpare zizania Matth. 13.; ergo vetuit occidere peccatores, etiam Poteſtate publica; & ideo uſque ad meſſem, ideſt mortem ſunt relinquendi.

RESP. neg. min. in ſenſu abſoluto. Vult ſolum Dominus, quod tunc non extirpentur zizania, quando imminet periculum damnificandi triticum, hoc eſt, quando iniqui habent multos ſequaces, vel adſunt aliæ circumſtantiæ, ratione quarum majus damnum timetur, quam bonum; & tunc ultio eſt reſervanda omnino Deo. Ceterum quando ex interfectione malorum nullum majus damnum oritur, ſed præſtatur tutela bonis, tunc ultio auctoritativa eſt exercenda.

Quandoque abſtinendum à punitione.

116 OBJIC. IV. Ideo licet Chriſtiano Principi judicium ſanguinis, quia gladium portat, ſed gladius Chriſtianorum non eſt materialis, ſed ſpiritualis, ut ad Epheſ. 6. expli-

explicat Paulus: *Induti loricam juſtitiæ &c. galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei) &c.*; ergo vindicta Principibus conceſſa ſunt preces, quibus a Deo poſtulatur punitio malorum, & gladius eſt admonitio.

RESP. neg. min. Prioeipes ſeculares habent gladium materialem, & de hoe loquitur Paulus ad Rom. 13., & ideo dicit: *Si male feceris, time*: & aſſerit ipſum eſſe vindicem in iram, & non poſtulatorem vindictæ ab alio. Ad Epheſ. verò loquitur expreſſe de pugna ſpirituali, quam habemus cum hoſtibus inviſibilibus: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus*. Non negamus tamen debere uti Principes armis orationis, etiam ad bonum regimen aſſequendum, & gladio correptionis.

Gladius ſpiritualis, & materialis in Principibus.

117 OBJIC. V. Poteſtas judicativa inferiorum debet regulari ad exemplar Superioris, ſed Poteſtas judicativa creata eſt inferior ad judicativam Dei; ergo ad menſuram divinæ debet regulari, ſed Divina reſervat peccatores Ezechielis 18. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus &c.*; ergo.

RESP. Juſtitia Divina erga peccatorum punitionem ſe gerit prout expedit ad ſalutem electorum, quæ quandoque exigit ſtatim peccatores perdere, quandoque ad tempus reſervare. Hanc regulam ſequitur humana juſtitia, quæ malefactores perdere tenetur, cum nocent bono communi, & ad tempus tolerat, cum majus damnum prævidet imminere, & ſive occidat, ſive ſuſtineat, nunquam ex odio, & mala voluntate debet proſequi ſuum munus, ſed ex affectu boni communis, & etiam particularis illius, qui punitur, procurando bonum ſpirituale ſalutis; & hoc eſt velle peccatorem vivere.

Mali non raro tolerandi.

Hinc eſt, quod Judices Chriſtiani ſceleſtiſſimis quibuſvis Sacramentalem Confeſſionem ſerio petentibus tenentur ſub graviſſimo peccato concedere, etiamſi ereptionis periculum timeatur. Non debent tamen abſtinere a punitione propter Rei impœnitentiam, etiam ſignis manifeſtiſſimis cognitam, licet debeant diligentiam adhibere ad emolliendam duritiem cordis. Cum enim per ſe primo intendant bonum commune, debent permittere malum particularis, ut illi ſuccurrant, & tenentur ex officio totàliter peccatores de medio tollere, quod non facientes, præter peccatum, tenentur ad reſtitutionem damnorum, quæ in Republica oriuntur ex debitæ juſtitiæ omiſſione; ad hunc finem etenim officium, & ſtipendium eis conceditur.

Ex dictis habent quidam Scotum non recte ſenſiſſe *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3., ubi dixit non licere Judicibus occidere hominem, niſi in caſibus expreſſe exceptis in lege Divina, puta blaſphemiæ, homicidii, & ſimilium; quia nulli inferiori licet diſpenſare in lege Superioris, ſed Superior Legiſlator Deus prohibuit abſolute *Non occides*; ergo non licet occiſio, niſi in caſibus exceptis. Hinc deducit non licere pro furto mortem dare; nondum enim ſuper hoc, ait, bulla de Cœlo deſcendit: nec adulteris, eo quod Chriſtus indulſit fœminæ adductæ a Phariſæis.

Non recte ſenſiſſe, inquiunt, nam præceptum de non occidendo non cadit ſupra Poteſtatem publicam, quando agit pro conſervando bono publico, ſed ſupra Poteſtatem humanam privatam extra caſum juſtæ defenſionis, quæ, cum ſit juris naturalis, non infirmatur per præceptum poſitivum de non occidendo: at eſt multo magis juris naturalis defenſio, & conſervatio boni communis; ergo, quando expedit, erit licitum ei, cujus eſt cura boni communis, perturbatores interficere. Illæ porro exceptiones poſitæ in lege Divina non ſunt pure legales, ſed ſunt morales, & radicatæ in naturali ratione juſtæ providentiæ boni communis; ac proinde non ſunt limitativæ, ſed doctrinales, & exemplares, ad quarum normam liget agere in aliis caſibus, in quibus viget idem finis, & ratio; quæ utique currit in furibus, qui etſi aggreſſores non ſint, ſunt tamen perturbatores Reipublicæ, ideo ſine nova revelatione poſſunt puniri pœna capitis. Hoc ſimiliter currit de adulterio. Nec Chriſtus indulgendo uni abſtulit auctoritatem publicis Poteſtatibus; aliàs, ſi illatio valeret, deberemus dicere, nec licitum eſſe pœna alia inferiori talia crimina punire, cum Chriſtus omnino impunitam dimiſerit.

Scoti ſententia male auditur.

Poteſtatibus publicis (dixi) non eſſe ademptam auctoritatem; nam privati viri deprehendentes in adulterio uxores non poſſunt licite eas occidere (ut temere fuerat aliquando dictum, ſed ab Apoſtolica Sede fuit prohibitum per primam Bullam Alexandri VII. propoſitione 19.), nec poſſunt ſibi occulta injuriam compenſare in caſu, quo non poſſet adiri, vel obtineri a Judice ſufficiens punitio, eo modo, quo licet in furto; nam flagellatio, ſeu occiſio Adulteræ non eſt injuriæ reparatio, ſed pœna commiſſi criminis, & pœna non datur niſi per ſententiam Judicis. E contra recipere de re alterius quantum debet, eſt ponere æqualitatem rei ad rem.

Eam tamen illationem Scoto injurioſam eſſe contendunt doctiſſimi Scotiſtarum utpote menti ſubtilis diſſonam, quem ſuſtinere a publica auctoritate occidi poſſe crimino ſos alios a tribus caſibus in ſcriptura exceptis, ubi eadem ratio boni communis viget, evincere conantur ex contextu, & ex quadam præallegata D. Aug. doctrina.

CONTROVERSIA VI.

AN PRINCIPES POLITICI AMITTANT DOMINIUM COMMITTENDO PECCATUM MORTALE.

DE Principibus politicis loquimur, non de Miniſtris Eccleſiaſticis; quia non eſt hic locus tractandi celebrem iſtam quæſtionem de valida, vel invalida adminiſtratione Sacramentorum ſine Charitate. De ea namque actum eſt *Tom. III. Diſput. VI. Contr. IV.*

Notus eſt error Waldenſium aſſerentium, nulli eſſe parendum, qui culpa mortali gra-

vatus

Digitized by Google

vatus ſit; quia talis nulla dignitate potiri poteſt. Quam blaſphemiam graviori calamo ſunt proſecuti Wiclephus, & Joannes Hus, quorum primus dicit reum peccati mortalis nec Regem eſſe, nec Comitem, nec Ducem, niſi equivoce, eo modo, quo homo pictus dicitur homo. Sic habet *de civili Dominio cap.* 93. -- Rex, Princeps, vel Dominus, temporale, „ quo eſt in mortali peccato, non ſortitur „ nomen ſui officii, niſi nomine tenue, & ſa„ tis æquivoce -- *Et in articulo* 15. *damnato a Concil. Conſtantienſ*, ait -- Nullus eſt Do„ minus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus „ eſt Epiſcopus in peccato mortali -- D. Bernardus *Serm.* 96. *ſuper Cantica* tribuit hunc errorem Hæreticis quibuſdam ſui temporis tacito nomine. Unde habemus hanc hæreſim eſſe Waldenſibus antiquiorem. Sed quidquid ſit de nominibus priorum Auctorum: contra omnes ſit concluſio.

Dico. Per peccatum mortale Dominus civilis non privatur Dominio temporali.

118 PROB. I. Gentiliter vivens eſt in peccato mortali, ſed ex Sacra Scriptura gentiliter vivens poteſt habere Dominium temporale; ergo peccatum mortale componitur cum Dominio. Explicatur min. Dominus ille eſt, qui ſubditas habet gentes ſervituti obligatas, ſed de Nabuchodonoſor gentiliter vivente dicitur Jeremiæ 27. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſervi mei: inſuper, & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi. Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus, & ipſius, & ſervient ei gentes multæ, & Reges Magni.* Ecce quomodo homo malus dicatur Rex, Miniſter Dei, ſubjectos habens populos. Et Iſaiæ 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.* Vide homini iniquo ſubjecta Regna. Et Sapien. 6. *Data eſt a Domino Poteſtas vobis &c. cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non recte judicaſtis.* Si non recte judicabant, mali erant.

Peccatum componitur cum dominio.

119. DICES. Iſti vocantur Reges æquivoce, & ſolo nomine; ergo &c.

Contra. Homo æquivoce non dicitur, qui in ſe habet vitam hominis, ſed iſti in ſe habent Regna, & Subditas gentes, ut patet ex contextu, & habent pleno jure, quia a Deo. *Ego dedi omnes terras iſtas* dixit. Et Iſa. 45. *Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum &c.* Utique Hypocrita malus eſt, & tamen Job 34. dicitur: *Qui regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi.* Utique Pilatus peccabat Chriſtum morti tradens, & tamen dicitur Jo. 19. *Non haberes Poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Habent ergo Poteſtatem mali Principes, & quidem a Domino: non ergo ſunt æquivoce tantum Dominantes.

Principes etſi mali habent a Deo poteſtatem.

120 INSTABIS. Illa Poteſtas eſt apparens, tyrannica uſurpatione occupata Deo permittente. Verba enim illa: *Ego dedi: ego dabo: qui regnare facit &c.* ſonant permiſſionem, non collationem, & approbationem; ſicut quando dicitur Job 12. v. 24. *Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos, ut fruſtra incedant per invium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet, quaſi ebrios*, & verſ. 17. *Adducit Conſiliarios in ſtultum finem, & Judices in ſtuporem.* Permiſſionem ſignificant, non approbationem.

Contra. Quod Deus permittit, non aſſumit poſitive ut inſtrumentum ſuæ juſtitiæ, & ſapientis providentiæ, ſed Dominatione impiorum utitur poſitive tanquam inſtrumento ſuæ juſtitiæ, & ſapientis providentiæ, ſicut apparet ex textu Iſaiæ, Job; ergo &c. Permiſſive a Deo non eſt, quod exercetur in perſona ipſius, ſed Dominatio impiorum exercetur in perſona Dei; unde hi ſervi, & miniſtri ipſius dicuntur, ſicut apparet ex Jeremiæ teſtimonio; ergo &c. Deinde, non poteſt eſſe æquivoce Princeps & apparenter Deo permittente, pro quo præcipitur vera ſubjectio, & obedientia, ſed pro impiis Principibus præcipitur vera ſubjectio, & obedientia; ergo &c. Tiberius Cæſar ſane carebat fide, & charitate, nihilominus ſcimus Chriſtum dixiſſe Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Peccatis onerati erant Dominantes temporibus Apoſtolorum; & tamen clamat Paulus ad Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Diſcolos non credimus bonos, & nihilominus Petrus Epiſt. 1. cap. 2. habet: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Bonis, & non bonis præſtanda eſt obedientia: boni ergo, & non boni revera retinent Poteſtatem Dominativam.

Malis Principibus obediendum.

Non ergo verba illa *Dabo, dedi &c.* ſenſum faciunt permiſſivum, ſed poſitivum. Nec valet inducta paritas ex cap. 12. Job; nam quando materia, ſupra quam cadit poſitiva locutio, ſignificans concurſum approbativum Dei eſt defectus intellectualis, vel peccatum, tunc ſenſus eſt permiſſivus; certum enim eſt hæc a Deo non eſſe, ſed quando materia non eſt defectus moralis, aut error intellectualis, ſed bonum phyſicum, vel morale, tunc ſenſus non eſt permiſſivus, ſed poſitivus. Dominatio temporalis ſecundum ſe non eſt aliquid malum, ſed bonum etiam per ipſos Hæreticos, & ideo volunt ea privari in pœnam peccati. Quare prædicta non poſſunt accipi permiſſive.

121 PROB. II. Quotieſcunque remanet fundamentum præcipuum juris Dominativi, ſtare poteſt legitima Dominatio, ſed cum peccato ſtat fundamentum præcipuum, ſeu radicale juris Dominativi; nam capacitas fundamentalis non eſt gratia, vel fides, ſed eſt natura intellectualis, qua homo factus eſt ad ſimilitudinem Dei, & ideo dicitur Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris &c.* Porro natura intellectualis non tollitur per peccatum; ergo nec tollitur radicalis titulus Dominationis, nec alii tituli proximi, ut jus hereditatis, vel electionis, ac proinde componitur Dominatio cum ſtatu peccati.

Jus Dominativum ſtat cum peccato.

Hinc

Hinc bene Ambroſius *tom. 2. de Incarnatione Verbi ſub initio* -- Cooverſio (*aut*) „ noſtra ad eos eſt, & Dominantur nobis in „ ſeculo peccatores. Peccator enim Domi„ natur in ſeculo; juſtus in Dei Regno -- Hieronymus *in Commentario Iſaiæ lib. 12.* -- „ Ad ipſum Cyrum Deus apoſtrophem facit: „ Dedi tibi theſauros, & abſconditas opes „ cunctarum Urbium, ut qui prius colebas „ Idola, beneficiis unum ſentires Deum &c. -- Et ceteri Patres communiter.

SOLVUNTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

122 OBJIC. I. Ille non eſt verus Dominus, quem ut talem Deus non agnoſcit, nec ea ipſo regnat, ſed ita eſt de impiis; unde dicitur Oſee 8. *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*; ergo &c.

RESP. neg. min. Nec locus adductus habet prædicatum ſenſum. Conqueritur Deus de Hebræis, quod voluerint habere Regem contra Deum, ideſt, deſpiciendo genus ſpeciale gubernii, quo regebatur populus Divina Ordinatione. Hic ſenſus manifeſtus eſt ex contextu Oſee, ubi dicitur: *In gutture tuo ſit tuba, quaſi Aquila ſuper domum Domini: pro eo quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam prævaricati ſunt. Me invocabunt, Deus meus cognovimus te Iſrael. Projecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum. Ipſi regnaverunt &c.* Voluiſſe enim Regem contra voluntatem Dei eſt prævaricatos fuiſſe contra fœdus; & eſt una cauſa, propter quam traditi ſunt in captivitatem duriſſimam Babylonicam. Patet ex 1. Reg. cap 8., ubi legitur, Hebræos poſtulaiſſe Regem, & Deum dixiſſe Samueli: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et cap. 12., ubi prope mortem Samuel exponit ventura ob hoc crimen. *Scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem.* Igitur exprobrat Dominus inordinatam voluntatem habendi Regem, non autem, quod Regem impium non agnoſcat, & Poteſtatem ei non conferat; aliàs probaret, neque bonum agnoſcere, cum hæc cadant ſuper electionem Saulis eo tempore, quo recte ambulavit coram Domino.

Hebræi increpati, quia Regem petierunt.

123 OBJIC. II. Per peccatum homo amittit ea dona, quorum amiſſio taxatur in pœnam, ſed amiſſio Dominationis taxatur in pœnam peccati; ergo ea ſpoliatur Rex peccans. Min. habetur Eccleſiaſt. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias.*

RESP. Quidquid ſit de veritate majoris (ſunt enim plura taxata in pœnam peccati, quæ non incurruntur ſtatim ab inſtanti peccati) nego minorem, cujus falſitas evincitur, tum ex eo, quod per plures generationes conſervavit Deus regna graviſſimis peccatoribus, ut in exemplo Nabuchodonoſor, cujus filio, & nepoti dedit Deus Sceptrum; tum quia regna translata ſunt a gente iniqua ad iniquam, ut patet de Regno Aſſyriorum, & ſimilium. Senſus ergo legitimus eſt, quod quandoque Deus propter peccata donat victoriam uni contra alium, & unus ſpoliatur Regno, alter ditatur.

Plures iniqui vere regnaverunt.

A

124 OBJIC. III. Wicleph. *cap. 2. de civili Dominio* -- Deus non præſtat alicui, dum „ eſt in peccato mortali, aliquod bonum „ ſuum; ergo nullus exiſtens in peccato mor„ tali habet pro tunc juſte ſimpliciter aliquod „ bonum Dei -- ſed Dominatio eſt bonum Dei; ergo nullus exiſtens in peccato mortali juſte habet Dominationem; ergo nominetenus peccator eſt Dominus, & Rex. Unde *cap. 72.* infert -- Nos non debemus præſtare, „ vel donare aliquid peccatori, dum cogno„ ſcimus ipſum eſſe talem, quia ſic fovere„ mus proditorem Domini noſtri -- indeque deducit eleemoſynam non eſſe faciendam, niſi bonus ſtatus mendicantium ſciatur, ne forte ſint præſciti. Aſſumptum declarat illo Eccleſiaſtis 2. *Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo*: Ideſt bona bonis, & mala malis tantum dat Deus.

B

RESP. Argumentum aſſumit æquivoce nomen boni. Bonum Dei aliud eſt ſimpliciter tale, & abſolute, aliud ſecundum quid, & reſpective bonum abſolute, & ſpecialiter eſt bonum animæ, gratia videlicet gratum faciens; hoc utique bonum ſoli juſto dat Deus. Bonum ſecundum quid & reſpective eſt bonum corporis, & intellectus, ut ſunt ſanitas, divitiæ, potentia, eruditio, vitæ longitudo; & hoc dat Deus bonis, & malis, & ut dicit Auguſtinus *in Pſal. 67.* -- Aliquando „ plura bonis, pauciora malis; aliquando „ plurima malis, nulla bonis -- Job 12. legimus: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum.* Pſal. 135. *Qui dat eſcam omni carni.* Jacob. 1. *Qui dat omnibus affluenter.* Omnibus dixit, ſive bonis, ſive malis. *Receſſerunt, & abierunt. Et non dixerunt in corde ſuo. Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & ſerotinam in tempore ſuo; plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.* Jerem. 5.

Bonum Dei aliud animæ, corporis aliud

C

D

Matth. 6. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, unde Auguſtinus *in Pſal. 67.* rationem innuit, cur bona hæc malis, & bonis concedat Deus -- Quia ſi ſolis bonis ea da„ ret, putarent & mali propter hæc colen„ dum Deum. Rurſus, ſi ea ſolis malis da„ ret, timerent boni infirmi converti, ne „ iſta illis forte deeſſent --

E

Hugo *in expoſitione Eccleſiaſtis* verſans illud Pſalm. *Mentita eſt iniquitas ſibi* acute demonſtrat, Deum bona hæc temporalia dare bonis, & malis; & ſimiliter mala bonis, & malis: additque rationem -- Bonis enim, & „ bona dat, ut foveantur; & mala dat, ut „ exerceantur, & mala malis dat, ut caſti„ gentur; & bona dat, ut ad pietatem pro„ vocentur -- Concludit tamen -- Dat niſi „ bonis vera bona; & vera mala non niſi ma„ lis -- Si ergo dat bona temporalia etiam malis, male concluditur Regnum non dari

pec-

peccatoribus, nec peccatoribus faciendam eſſe eleemoſynam. Scriptum eſt enim Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi*. Ubi Hieron. *apud Vualdenſem* -- Nolite „ negare illud, quod Dominus nulli negat, „ quamvis ſit blaſphemus, & impius; hoc „ enim faciens &c. Ut, cum carbones intel- „ lexerit per tuam indebitam miſericordiam „ congregari, excutiat eos, hoc eſt, conver- „ tatur, & diligat te, quem habuerat ali- „ quando peroſum -- Non ergo fovemus proditorem in proditione, ſed in charitate Chriſti, ut deſinat eſſe proditor.

Nec aſſumptum probatur ex adducto textu Eccleſiaſtis, qui in littera habet planam intelligentiam, ſcilicet, veram ſapientiam dare Deum ſolis juſtis; in vera autem ſapientia ſtat vera quies, & vera boni poſſeſſio: Peccatori verò concedit acquiſitionem bonorum temporalium, in qua non ſunt niſi curæ, & ſolicitudines, & afflictiones; & ideo concludit: *Sed & hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis*. Vera enim ſolicitudo illa eſt, per quam curamus bona ſalutis æternæ, quæ ſunt vera dona Dei ſolis reſervata juſtis.

Vera bona pro juſtis.

125 OBJIC. IV. Poteſtas, quæ eſt a Deo, ordinata eſt, ſed Poteſtas, quæ eſt in peccatore, non eſt ordinata; ſiquidem illud ordinatum non eſt, quod contravenit primæ juſtitiæ, ut accidit in caſu peccati; ergo &c.

RESP. neg. min. Poteſtas, quæ eſt in Dominante peccatore, ordinata manet; quia ſtatuta eſt a Divina providentia ad bonum communitatis, & ad conſequendos fines præintentos per ſuam rectiſſimam voluntatem. Quare diſtinguendum eſt meritum perſonale, & ordo dignitatis. Si attendatur meritum perſonale, Princeps in peccato non eſt ordinatus, nec meretur ullum bonum, ſi attendatur ordo dignitatis, ordinationem dicit, & ei debetur reverentia, & tributum.

Poteſtas ordinatur ad bonum commune.

126 OBJIC. V. Qui poſſidet bonum aliquod ſine licentia Domini, injuſte poſſidet, ſed exiſtens in peccato ſine licentia Dei, qui eſt Dominus, tenet temporalem Dominationem; ergo. Min. prob. Nam dans famulo bonorum adminiſtrationem concedit ſub limitatione non abutendi, ac proinde poſito abuſu jure ſtatim ſpoliatur--Deus limitans omni famulo ſuo con- „ tinuum ſervitium, conſtituit ubique u- „ ſus limites, abuſum penitus interdicens. „ Ideo non eſt dubium quin eo ipſo, quod „ qui abutitur Poteſtate, injuſte occupet bo- „ na Dei ſine licentia ad hoc data; & per „ conſequens Omnipotens eo ipſo ſpoliat ip- „ ſum jure ſuo; quia aliter indubie oporte- „ ret, quod Deus auctorizet abuſum (quem „ Injuſtus continuat) & quidquid facit -- Ita Wicleph. *de Civil. Dom. c. 6.*

RESP. neg. min. Cujus probatio amphibologicum aſſumit principium. Peccans Dominus, vel delinquit in materia propria Poteſtatis v. g. injuſte opprimendo ſubditum, vel in altera materia ceteris communi, v. g. blaſphemando. Si peccat ſecundo modo, proprie loquendo non abutitur ſibi collata auctoritate, nec eſt malus Princeps formaliter, ſed malus homo. Si peccat primo modo, in proprietate eſt malus Rex, & abutitur ordine ſuo. Et dupliciter hoc evenire poteſt: Vel enim excedit quoad modum, ideſt actum aliàs validum exercens, ſed ex malo fine, ut ſi malefactorem plectat ex odio, vel excedit quoad ſubſtantiam, ſcilicet, exercendo actum non contentum intra ſpheram ſuæ juriſdictionis, quo modo actus eſt nullus, & eſt verus abuſus; ſicut cum contra juſtitiam, & bonum commune diſponit. Actus ſecundi generis nullo modo ſunt a Poteſtate a Deo collata. Actus primi ſunt ſecundum validitatem, & ſubſtantiam, non verò ſecundum modum, qui diſparate ſe habet ad influxum principii, ordinis, & dignitatis. Unde Deus nullo modo approbat abuſus, immo ipſi diſplicent.

Rex poteſt eſſe malus homo, & malus Princeps.

Nec inde ſequitur eo ipſo ſpoliari peccantem jure ſuo; ſicut in humanis, non illico Œconomus ſpoliatur adminiſtratione, quia abutitur quandoque auctoritate ſibi conceſſa. Nec fovet abuſum conſervando Poteſtatem, quia permittit peccatum ex malitia alterius, dirigendo validitatem actus ad fines juſtos ſuæ providentiæ.

Ultimis verbis videtur Hæreticus innuere Dominantem in ſtatu peccati mortalis ſemper peccare exercendo ſuum munus, cujus examen relinquo Moraliſtis. Dicerem tamen cum Angelico 2. 2. *quæſt. 60. art. 3.* Peccare, ſi peccatum eſt publicum, unde ſcandalum oriatur, vel parvipenſio auctoritatis, irriſio legum, & judiciorum &c. Non peccare dicerem, ſi peccatum ſit occultum; quia peccatum mortale non contrariatur juriſdictioni requiſitæ ad recte adminiſtrandam juſtitiam, ideſt lumini rationis, aliiſque principiis requiſitis ad bene gubernandum.

127 OBJIC. VI. Rex Saul per mortale peccatum Regiam amiſit juriſdictionem in populum Dei Iſrael; ergo per peccatum mortale amittitur civilis Poteſtas. Conſeq. patet. Antecedens probatur ex lib. 1. Regum cap. 15., ubi habetur, quod ob peccatum inobedientiæ, quo Rex Saul non obedivit præcepto Domini circa deletionem Amalecitarum, fuit ſpoliatus Regia Poteſtate: *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini; abjecit te Dominus, ne ſis Rex*. En quomodo pro ratione expulſionis, ne eſſet Rex, aſſignatur violatio præcepti Domini.

RESP. I. Omiſſo anteced. neg. conſeq. quæ ex hoc caſu ſpeciali non deducitur; eo vel maxime, quod in Sacra Scriptura habeatur oppoſitum de Cyro Rege Perſarum, atque Medorum, & de Nabuchodonoſor Rege Aſſyriorum, de Hazaele Rege Syriæ, de Jehu Rege Iſrael, & de tot aliis impiis Regibus Iſrael. & Juda. Reſp. II. retorquendo argumentum. Sicut Rex Saul violavit præceptum Domini circa deletionem Amalecitarum, ita violavit præceptum Domini circa oblationem Holocauſti, non expectato Samuelis adventu poſt ſpatium ſeptem dierum, ſed per violationem præcepti Domini circa oblationem Holocauſti, non expectato Samuelis adventu, Rex Saul Regiam non amiſit Poteſtatem, ut clare demonſtrat Scriptura, & argumentum ſupponit; ergo neque per violationem præcepti Divini circa deletionem Amalecitarum.

Plures iniqui regnaverunt in Iſrael.

Neque obſtat, ſi dicatur peccatum Saul

circa oblationem Holocauſti non fuiſſe peccatum Regis, ut Regia, ſicuti peccatum, quod commiſit Amalecitas non delendo; quia ſcilicet hoc peccatum fuit in re militari, abutendo Regia Poteſtate, & uſurpando Poteſtatem Sacerdotalem.

Non obſtat (inquam) primo. Quia jam non per omne peccatum mortale deperditur Civilis Poteſtas, atque juriſdictio. Secundo. Per Adverſarium ratio, ob quam Rex Saul per peccatum, quod commiſit non delendo Amalecitas (quidquid ſit, an hoc peccatum fuerit Regis, ut Regis, an non) amiſit Regiam Poteſtatem, eſt, quia abjecit Sermonem Domini, ſed etiam quando peccavit offerendo Holocauſtum abjecit Sermonem Domini, ut patet ex verbis Samuelis relatis cap. 13. lib. 1. Regum, & infra referendis; ergo etiam &c. Et verè non ſolum propter ſecundum peccatum, ſed etiam propter primum Rex Saul abjectus fuit a Deo, ne amplius eſſet Rex ſuper Iſrael, modo infra explicando, ut habetur cap. 13. citato. Et certe peccatum hoc, quod commiſit Rex Saul offerendo Holocauſtum, grande fuit, graviter ſuperno judicio feriendum; non enim tale fecit Oſias Davidici generis de Tribu Juda; tantum ingreſſus Templum Domini adolere voluit incenſum Domini ſuper Altare Thymiamatis: & tamen ſtatim Divina ultio ſuperbiam ejus percuſſit. Orta eſt enim lepra in fronte ejus in domo Domini coram Sacerdotibus, unde & leproſus uſque ad diem mortis ſuæ habitavit in domo ſeparata ſecundum legem leproſi, ut habetur 2. Paralipomenon cap. 26. Quanto magis iſte proiciendus fuit, qui totum ſibi Sacerdotis officium uſurpavit? Futilis eſt ergo diſtinctio illa peccati Regis, ut Regis.

Saul a Deo reprobatur ne regnaret in filiis.

RESP. III. Negando abſolute antecedens ſecundum veritatem Sacræ Hiſtoriæ. Ejus autem probatio ſolum evincit, quod Dominus abjecit Saul, ne eſſet Rex ſuper Iſrael in ſua familia, ſecus autem in ſua perſona. Audiamus verba Samuelis cap. 13., & cap. 28. lib. 1. Regum cap. 13. *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris, quæ præcepit Dominus.* Cap. 28. *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David: quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.*

Audiamus verba Saulis Jonatham filium ſuum alloquentis cap. 20. v. 31. *Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque Regnum tuum.* Audiamus verba Jonathæ ad David cap. 23. *Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael; & ego ero tibi ſecundus; ſed & Saul pater meus ſcit hoc.* Audiamus verba Abner Principis Militiæ Saul, & Isboſeth cap. 3. num. 9. Reg. 2. *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur Regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſrael, & ſuper Judam a Dan uſque Berſabee.* Audiamus, & verba omnium Tribuum Iſrael ad David in Hebron lib. 2. Reg. cap. 5. *Ecce nos, os tuum, & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudius tertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael; & tu eris Dux ſuper Iſrael.* Apparet ergo manifeſte ex Sacra Scriptura, quod Deus abjecerit Saul, ne eſſet Rex ſuper Iſrael in ſua familia, & non in propria perſona -- Ne
„ ſis Rex (*Auguſtinus ſic exponit*) In poſte-
„ ris: quia ſicut pater vivit in filiis; ita re-
„ gnat in filiis --

128 DICES. Ex Sacra Scriptura colligitur, quod Deus abjecerit Saul, ne regnaret ſuper Iſrael non ſolum in ſua familia, ſed etiam in ſua perſona; ergo reſponſio data nequit ſubſiſtere. Prob. antecedens. Ex Sacra Scriptura, ratio ob quam Deus abjecit Saul, ne regnaret ſuper Iſrael, eſt, quia abjecit ſermonem Domini, ſed Saul in ſua propria perſona abjecit ſermonem Domini; ergo etiam in ſua propria perſona abjectus fuit a Deo, ne eſſet Rex ſuper Iſrael. Urgetur argumentum. Secundum ordinem Divinæ juſtitiæ, qui facit peccatum, debet in ſe ſubire pœnam talis peccati, ſed Saul peccavit in propria perſona abjiciendo ſermonem Domini; ergo non ſolum in ſua familia, ſed etiam in propria perſona debuit ſubire pœnam expulſionis a Regia Poteſtate. Explicatur argumentum: Quia privatio juſtitiæ originalis, & rebellio carnis adverſus ſpiritum fuit pœna peccati originalis, non ſolum nos poſteri, ſed etiam Adam; immo, & multo magis ipſe, quia violavit Divinum præceptum de non comedendo de ligno vetito, fuit privatus juſtitia originali, & ſenſit rebellionem partis inferioris adverſus ſuperiorem, ſed expulſio Saul, ne eſſet Rex, fuit pœna violationis Divini præcepti de deletione Amalecitarum, quod ipſe violavit; ergo non ſolum Saul perdidit Regiam Poteſtatem in ſuis poſteris, ſed multò magis in ſua propria perſona.

RESP. neg. antecedens. Ad probationem conceſſa maj., & min. negatur conſeq. Quia ratio ob quam abjectus fuit a Deo, ne regnaret in ſua familia, fuit, quia ipſe abjecit ſermonem Domini, & patet hoc ex verbis Samuelis cap. 28. num. 6. lib. 1. Regum ſupra relatis. Ad primum: concedo totum ſyllogiſmum, nec inde infertur, quod Saul in propria perſona amiſerit Regiam Poteſtatem; ſiquidem pœna perſonalis Saul fuit, quod Regnum ejus in ſua familia ultra non conſurgeret. Maxime cum hoc ei manifeſtatum fuerit per immutabilem Dei voluntatem. Nonne maxime affligeretur Rex Galliæ, vel Luſitaniæ, ſi Regnum ejus ultra non conſurgeret in ſuis filiis, ſed tranſiret ad æmulum ſuum, & ſi id ſciret certitudine Divinæ revelationis? Sed hoc accidit Sauli ob violationem Divini præcepti; ergo. Ad ſecundum. Privatio juſtitiæ originalis, & rebellio carnis adverſus ſpiritum fuit pœna peccati originalis

Saul in propria perſona a Deo punitus.

Ada-

Adami in ſe, & ſuis poſteris; unde nil mirum, ſi ipſe peccans violando Divinum præceptum de non comedendo de ligoo vetito, fuerit privatus juſtitia originali, & ſenſerit rebellionem partis inferioris adverſus ſuperiorem tam in ſe, quam in ſuis poſteris, cum hoc peccatum fuerit peccatum capitis. Expulſio autem Saulis, ne eſſet Rex in ſua familia, fuit pœna perſonalis ipſiuſmet Saulis, ut ſupra explicui, ob violationem Divini præcepti de dejectione Amalecitarum, cum hoc eſſet peccatum perſonale, ac per conſequens non recte infertur, quod non ſolum in ſua familia, ſed etiam in propria perſona abjectus fuerit a Deo, ne eſſet Rex.

Ultra quod Rex Saul fuit etiam punitus in ſua propria perſona ex eo quod Spiritus Domini receſſerit ab eo, & invaſus fuerit a ſpiritu malo; quod occiſus fuerit in prælio; & quod poſt mortem pœna æterna punitus fuerit.

129 INSTABIS. Si non abjeciſſet Dominus Saul, ne eſſet Rex in ſua propria perſona, debuiſſet Samuel reverti cum eo; maxime ab ipſo rogatus, & ut adoraret Dominum, quia debebat ipſi, ut Regi obedire, & multo magis, ut daret exemplum ſubditis circa obedientiam præſtandam Superioribus, ſed Samuel noluit cum Saule reverti: nam eodem capite habetur: *Non revertar tecum, quia projeciſti ſermonem Domini, & projecit te Dominus.* 1. Reg. 15. v. 26.; ergo. Confirmatur ex ſequentibus verbis ejuſdem capitis. *Et converſus eſt Samuel, ut abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: ſcidit Dominus Regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Ponderanda ſunt hæc verba: *Scidit Dominus regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo,* ſcilicet David. Hæc Samuelis verba ſi conferantur cum illis Nathan Prophetæ ad David 2. Reg. 14. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* poſt egregium illum pœnitentiæ actum *Peccavi Domino* manifeſte apparet, David ex tunc temporis conſtitutum fuiſſe verum Regem Iſrael, cum e contra Saul remanſerit ſolum Rex fictitius, chimericus, & tyrannus.

RESP. neg. maj. Siquidem, ut ex eodem capite manifeſte appatet, Samuel, ut reprehendens Saulem, ſe geſſit ut Propheta Domini, zelans honorem ejus, ſed ut Propheta Domini erat Superior ad Saolem; ergo non tenebatur ei obedire. Ad confirmationem reſpondeo: *Scidit Dominus Regnum Iſrael a te hodie*, ideſt a te in tua perſona, nego: a te, ideſt in tua familia, concedo. Et tradidit hodie David in jure promiſſionis, concedo: In jure poſſeſſionis, nego. Tradendum autem erat in jure poſſeſſionis poſt mortem Saulis, ſicut evidenter colligitur ex Scripturis ſupra relatis, & præcipue ex cap. 28. lib. 1. Regum. Et cap. 3., & 5. lib. ſecundi. Et ex hoc patet ſolutio ad inſtantiam. Præterea contritio perfecta, quam David habuit, eſt incompoſſibilis cum peccato mortali, ſecus autem Regia juriſdictio, ut ſupra probatum eſt.

Regnante Saule David erat Rex jure promiſſionis.

130 SUBSUMES. Sed ex contextibus Scripturarum apparet, quod Dominus ſcidit Regnum a Saul adhuc in ſua perſona; & tradidit illud David etiam in jure poſſeſſionis: licet tyrannice illud poſſederit Saul uſque ad diem mortis ſuæ; ergo explicatio data nequit ſubſiſtere. Prob. ſubſumptum ex unctione David in Regem Iſrael, facta a Samuele ex mandato Domini, deſcripta cap. 16. lib. 1. Regum; quod ſic formari poteſt. Sicut ex mandato Domini Samuel prius unxerat Saul in Regem Iſrael, ſic poſtea unxit David, ſed ungendo Saul in Regem Iſrael, Saul conſtitutus fuit verus Rex Iſrael; ergo etiam, & David.

RESP. neg. ſubſumptum. Ad cujus probationem conceſſa maj. diſt. min. Sed ungendo Saul in Regem Iſrael, Saul conſtitutus fuit verus Rex Iſrael in jure promiſſionis, conc. min. Conſtitutus fuit verus Rex Iſrael in jure poſſeſſionis, neg. minorem: In jure autem poſſeſſionis conſtitutus fuit, quando Samuel applicuit omnes Tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper Saul de Tribu Beniamin, & clamavit omnis populus: *Vivat Rex*, ut habetur cap. 10. David autem quando noctus fuit a Samuele clam in domo Patris ſui, neſciente Saule, conſtitutus fuit Rex ſuper Iſrael in jure promiſſionis. in jure autem poſſeſſionis primò ſuper Tribum Juda, quando conſulto Domino aſcendit in Hebron: *Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda*: ut habetur cap. 2. lib. 2. Reg.

Secundo. Quando: *Et venerunt univerſa Tribus Iſrael ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudiuſtertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Dux ſuper Iſrael. Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in Regem ſuper Iſrael*: ut habetur cap. 5. lib. 2. Reg. Ex quo habes ter unctum fuiſſe David in Regem. Primo a Samuele in domo Patris ſui neſciente Saule, & per talem unctionem unctus fuit in Regem in jure promiſſionis. Secundo a viris Juda in Hebron, mortuo Saule, & per talem unctionem fuit unctus Rex in jure poſſeſſionis ſuper Tribum Juda. Tertio a ſenioribus Iſrael adhuc in Hebron, mortuo Isboſeth filio Saulis, & per talem unctionem unctus fuit Rex in jure poſſeſſionis ſuper omnes Tribus Iſrael.

David ter unctus in Regem.

131 URGEBIS. Per primam unctionem David conſtitutus fuit Rex ſuper Iſrael, non ſolum in jure promiſſionis, ſed etiam in jure poſſeſſionis; quia per jus poſſeſſionis intelligitur, quod acceperit Poteſtatem Regiam, quam amiſit Saul; ergo. Prob. antecedens ex eo, quod per talem unctionem: *Directus eſt ſpiritus Domini a die illa in David, & deinceps &c. Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino*, 1. Reg. 16. Ex hoc textu ſic argumentum urgetur. Signum, quod Dominus unxiſſet Saul in Principem ſuper hereditatem ſuam, & illi contuliſſet Regiam Poteſtatem, atque juriſdictionem, fuit quod inſilierit in Saul ſpiritus Domini, ſed per primam unctionem David in Regem ſuper hereditatem

eſt pro non ſcripta habenda. Minor eſt evidens. Ut enim bono communi conſulat lex, debet ex neceſſitate majorem partem particularium offendere, & premere (cum lex provideat bono communi, quatenus remedia præſcribit ad morbos curandos, & præcavendos): particulares porro, ut plurimum, vel morbo inficiuntur, vel ad morbum inclinantur; & illi etiam, qui ſpiritu Dei aguntur, quandoque pondere ſenſualitatis ad malum trahuntur, & indigent fræno.

Quarto. Ex eo, quod Poteſtas ſit in ædificationem, infert arguens, non eſſe pro lege habendum, quod præſcribitur minus commodum, & aliquo pacto offendens, ſed etiam Poteſtas legislativa Dei eſt in ædificationem; ergo &c. Licet enim utendo ſuprema Poteſtate poſſit perdere quamlibet creaturam, tamen, ut juſtus Judex, & Conditor Eccleſiæ non poteſt non ferre legem bono communi proficuam; ergo ſi lex ſit minus commoda, & aliquo pacto offendens, erit habenda pro non data, ſed eſt certò certius legem Dei eſſe minus commodam, & aliquo pacto offendere fideles, cum oneroſa ſit, & libertatem ligans, & contra inclinationem ſenſus tendens; ergo &c. Hæc lex (non concupiſces) ſecundum ſe, eſt ne homini omnino commoda? Lex diligendi inimicum ſuum an nullo pacto offendit fideles? Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex totis viribus tuis, nullum ne prorſus onus importat? Et revera hoc eodem argumento, ſcilicet ex difficultate horum præceptorum intulerunt Hæretici Lutherus, Calvinus &c. hominem Chriſtianum non teneri ad obſervantiam totius Legis Divinæ.

Lex Divina gravis.

Quinto. Ex doctrina arguentis alibi data. Decreta Conciliorum Œcumenicorum ſubſiſtunt, & habent vim infallibilem in materia fidei: ſed Concilium Œcumenicum Tridentinum *de Baptiſmo num.* 8. decrevit -- Si „ quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab om„nibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel „ ſcripta, vel tradita ſunt, itaut ea obſervare „ non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illi ſub„ mittere voluerint, anathema ſit -- Ergo independenter ab acceptatione obligant præcepta Eccleſiæ, etiam minus commoda, & aliqua pacto offendentia, qualia ſunt a Concilio recenſita, feſtorum obſervatio, & jejunii, a quo adeo abhorret homo, decimarum ſolutio, confeſſio annualis de omnibus peccatis lethalibus, & ſuis circumſtantiis, quæ adeo turbam populorum premit. Porro, quod de iis dicitur, currit de reliquis, ſive latis a Conciliis, ſive a ſolo Papa. Nam quantum ad hoc eſt eadem ratio ex vi illius principii, quod *Poteſtas ſit in ædificationem*.

Eccleſiæ præcepta obligant præviè ad acceptationem.

Igitur pro commoditate, vel incommoditate, ſeu offenſione intelligitur juſtitia, vel injuſtitia legis, vel onus, vel carentia oneris? Si hoc ſecundum: ſtant ea, quibus diximus nullam dari legem. Si primum: hoc non candide dicit: nam ſemotis terminis æquivocis, non diſſentit a nobis tenentibus legem injuſtam non obligare. Non pertinet tamen ad ſubditus judicare de injuſtitia, ſed ad Principes. Et ſi aliorum etiam judicio eſſet ſtandum, hi boni eſſe debent, qui & pauci ſunt, & juſtis legibus parendum eſſe minime dubitant etiam oneroſis.

Non eſt ſubditorū arbitrio de lege judicare.

98 DICES. Regio imperio non ſolæ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſunt, ſed totius Reipublicæ ſalus; Sacerdotali verò miniſterio ſingulorum ſaluti invigilare præcipue commiſſum eſt, ſed ex hoc ſequitur Principum leges magis obligare, & minus Eccleſiaſticas; ergo. Minor explicatur a Marca, illis -- Regium imperium a Sacerdotali „ in eo maxime diſtat, quod illi non ſolæ „ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſint, „ ſed totius Reipublicæ ſalus: unde fit ut in „ cives etiam invitos ad fovendum totius Rei„ publicæ corpus jus illi competat, quemad„ modum antea dixi; quod aliter ſe habet „ in Epiſcopali Miniſterio, cui Eccleſiæ ſol„ licitudo ita eſt commiſſa, ut ſingulorum „ ſaluti præcipue invigilare debeat, nec cu„ rare poſſit univerſum corpus aliquorum „ membrorum pernicie, ſed ad exemplum „ Magiſtri nonaginta novem oves deſerendæ „ illi ſunt, ut centeſimam ad caulas repor„ tet --

Ceterum inſtantia non urget. Ubi nam invenire eſt Paſtor Eccleſiaſticus, qui præcipue per ſe primo reſpiciat ſingulorum ſalutem, non autem totius? A quo lumine rationis didicit bonum partis eſſe præferendum bono totius? Nonne Paulus clamat ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego miniſter ſecundum diſpoſitionem Dei*. Ad Epheſ. 4. *Dedit quoſdam Apoſtolos &c. ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*. Nonne Poteſtas omnis, quæ eſt a Deo, ordinata eſt? Juxta Magiſtri effatum ex debito ordine nonne oculus eruendus, vel pes obtruncandus, ne totum corpus pereat? Matth. 5. Credet ne ſapiens pluris Chriſtum facere unam ovem, quam nonaginta novem?

Itaque abſque dubio, tam Eccleſiaſtica, quam civilis poteſtas habet per ſe primo reſpicere bonum commune, & per ſe ſecundo bonum partium; & utraque Poteſtas tenetur, ſi ſit neceſſe, partem perdere ad totum ſalvandum. Utriuſque finis eſt totius bonum curare, ovilius perdere, nec prætermittere curam etiam ovium ſingularium. Unde nedum Superior Eccleſiaſticus, verum etiam Politicus injuſtus eſt, & perverſus, ſi perſonam aliquam puniat, non ordinando ab bonum multitudinis, ſed ad privatum finem, vel ad propriam vindictam &c. Nec eſt, qui poſſit de hac veritate ſuſpicari, niſi qui velit admittere, idem eſſe tyrannidem exercere, & dominari, contra S. Thom. *de regimine princip. lib. 1. cap. 1.* Utrobique in dubio præſumendum eſt de juſtitia legis, & maxime Eccleſiaſticæ, cujus violatio eſt periculoſior.

Commune bonum a Legiſlatore ſpectandum.

Nec aliquid juvat parabola quæſitæ ovis, nonaginta novem relictis; quia pro centeſima ove apud Patres intelligitur genus humanum, quod venit curare Verbum Dei; nonaginta autem novem ſunt Angeli. Sed demus intelligendum pro peccatore particulari, ut ex contextu patet. Dico loqui Chriſtum de uno errante, comparative ad nonaginta novem in tuto poſitos. Et quis dubitat, quod tunc major

Digitized by Google

jor aliqua diligentia eſt a Paſtore adhibenda, ut errantem reducat, cum ceteræ oves ſine periculo morantur, nec a terminis ſtatutis egrediuntur?

Concludit Auctor -- Etſi enim dura ſint „ aliquando Regum imperia; ordo ille im„ perandi, & parendi id exigit (hoc eſt urgendi executionem, etiam dubiæ legis, & invitos ad obſequium compellendi) ut ſubditi „ Dominorum mandatis cedant, quemadmo„ dum Apoſtoli diſertiſſime docuerunt --

Sed hæc doctrina a fortiori concludit pro legibus Eccleſiaſticis; quia plures ſunt Apoſtolorum Scripturæ docentes obedientiam, & ſubjectionem Prælatis Spiritualibus; ergo ſi illa ratiocinatione intendit demonſtrare legem Civilem obligare ante acceptationem, vel poſſe ſubditos obligari ad eam acceptandam, urgentius admittere cogitur de Eccleſiaſticis.

99 OBJIC. IV. -- Secunda verò ratio „ hæc eſt, quia Chriſtus ipſe diſcrimen u„ triuſque Poteſtatis in præceptis dandis au„ ctoritate ſua conſtituit. Reges gentium „ dominantur eorum, & qui poteſtatem ha„ bent ſuper eos, benefici vocantur; vos au„ tem non ſic, inquit ille, apud Matthæum, „ & Lucam --

Si locus iſte intelligatur ad mentem Auctoris, ſcilicet de vi legis ferendæ, Anabaptiſmum ſtatuit, & Calviniſmum. Anabaptiſmum dico, quia hi Hæretici ea Scriptura utuntur ad tollendam a Chriſtianis politicam Dominationem, & præcipue coercitivam. Loqui porro etiam de Principibus Chriſtianis tradunt Interpretes, & favere non deſinit particula adverſativa: *Reges gentium*, id eſt Gentilium, *vos autem non ſic*, id eſt in Eccleſia mea. Calviniſmum ſtatuit, quia eodem textu hi arguunt pro abroganda Poteſtate verè legislativa in Eccleſia Chriſti. Tollit etiam in Chriſto vim legislativam; quia ibi Dominus vult, quod ly *vos autem non ſic* ſit accipiendum ad exemplum ſui ipſius. Si ergo textus loquitur ad ſenſum arguentis, nec Chriſtus potuit ullam ferre legem obligativam. Qui veritatem quærit, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinat. Veritas ergo Scripturæ hujus executionem, & modum gubernationis tangit, ſcilicet, quod humilitate, & charitate magis, quam timore ad legum obſervantiam promoveantur ſubditi. Sic Patres, quos dedimus ſuperius.

Eccleſia hac utitur ſuavitate, dum privatos peccatores privatim monet; publice publicos, nec, niſi præmiſſæ correptionis dulcedine ad pœnas deſcendit. Ipſemet Chriſtus exemplo, & doctrina ſponſam inſtruxit, qui, & charitate, & increpationibus, & flagellis uſus eſt. Apoſtoli quoque ſeveritatem adhibuerunt. Petrus gladio oris Ananiam, & Saphiram interemit. Paulus inceſtuoſum Corinthium media excommunicatione tradidit Satanæ, qui & 1. ad Corinth. 4. ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Nomine virgæ intelligunt Patres Poteſtatem judiciariam, & punitivam, inter quos Chryſoſtomus, Teophilatus, Anſelmus, Ambroſius, Aug. *lib.* 3. *cap.* 1. *contra Epiſt. Parmeniani*, & Hieronymus *epiſt.* 1. *ad Heliodorum*, qui ex hoc textu, & alio *cap.* 5. deducunt auctoritatem excommunicandi.

Verum illud flebile accidit in iis pœnis ſpiritualibus, quod accidit in bonis animæ, quæ licet, Chriſto aſſerente, melior ſit quam eſca; nihilominus minime æſtimantur ab hominibus, dum temporalibus bonis ardentius trahuntur. Graviora incomparabiliter ſunt Eccleſiaſtica, quam Principum flagella; ſicut mors animæ pejor eſt morte corporis, ſed hæc, quia ſenſibilia ſunt, timemus, illa autem, quia ſenſus judicium effugiunt, irridemus. Ceterum ſomnium eſt excogitare, quod Deus arctius velit fidelium conſcientias obſtringere legibus civilibus, quam Eccleſiaſticis.

100 OBJIC. V. Marca *lib.* 2. *cap.* 16. *nu.* 5. Non eſt prudentiæ conſona doctrina, quæ recedit a ſententia celeberrimorum Doctorum, ſed leges Eccleſiaſticas dependere ab acceptatione tenent celeberrimi Doctores -- Hæc eſt (*ait*) non ſolum Gallorum om„ nium, ſed etiam celeberrimorum quorum„ que Doctorum ſententia -- ergo doctrina oppoſita non eſt prudentiæ conſona.

Arguens, quod ratione deſperat evincere, conatur jactabundo clamore extorquere. Sed videamus, an profint clamores. Gallos id non ſentire; conſtat ex copia Auctorum particularium, & Conciliorum Nationis, quam protulimus in Controverſiis de Primatu Romani Pontificis, & de ejus Superioritate ad Concilium. Ad falſificandam autem propoſitionem Adverſarii ſufficit cenſura Scholæ Pariſienſis, relata in ultima noſtra probatione. Quoniam tamen aliquos citat, expendamus, an ad propoſitum loquantur.

De Marca fruſtra ſuffragium quærit ab Auctoribus.

Affert Gratianum *diſt.* 4. *cap.* 3. Cujus verba dedimus object. prima, ibique legitime explicuimus. Verum abſque dubio non ſtabit Gratiano, cum Marcæ videatur in ſua collectione, Romani Pontificis Poteſtatem nimis extollere. Saltem ſuſpicari poſſumus, quod ſidet his, quæ dicit in hac diſtinctione, quoniam eum citat. Gratianus itaque *cap.* 5., *&* *ultimo*, excuſat tranſgreſſores quorumdam Canonum, ex eo quod uſu communi non ſint approbati, & poſtea dicit -- Niſi forte „ quis dicat, hæc non decernendo eſſe ſtatu„ ta, ſed exhortando conſcripta. Decretum „ verò neceſſitatem facit, exhortatio autem „ liberam voluntatem excitat -- Si neceſſitatem facit Decretum ex mente Gratiani, quis excuſabitur?

Adducit Auguſtinum *lib. de vera Relig. cap.* 31. -- An iſtis temporalibus legibus, „ quanquam de his homines judicent, cum „ eas inſtituunt; tamen cum fuerint inſti„ tutæ, atque firmatæ, non licebit Judici de „ ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas -- Et refertur *diſt.* 4. *cap.* 3.

RESP. Ex citata auctoritate non evincitur legum obligatio pendere ab acceptatione ſubditorum: oppoſitum quidem concluditur.

Primo. Quia de legibus judicant homines: *Cum eas inſtituunt*. Aſt ſubditi non inſtituunt leges, ſed Superiores, quamvis quandoque paucos adhibeant Conſiliarios. Secundo inquit: *Cum fuerint inſtituta, atque* fir-

firmata; non autem ait, cum fuerint receptæ; initituere autem, & firmare ad auctoritatem ſpectat, quæ utique eſt in Principe. Tertio: *Non licebit Judici de ipſis judicare*, ideſt Miniſtro Legiſlatoris, ſeu Judici inferiori, ut Gloſſa ponit; ergo a fortiori non conceditur inferioribus non Judicibus. Quarto. Recitatis immediate ſubdit -- Conditor tamen le-
„ gum temporalium, ſi vis bonus eſt, & ſa-
„ piens, illam ipſam conſulit æternam, de
„ qua nulli animæ judicare datum eſt, ut ſe-
„ cundum ejus incommutabiles regulas, quid
„ ſit pro tempore jubendum, vetandumque
„ diſcernat -- Vide, quam clare aſſerat judicium legum ferendarum ad Principem pertinere.

Adducit ad marginem Summam Auream, quæ Armilla nuncupatur, cujus Auctor Bartholomæus Fumus Ordinis Prædicatorum, verbo *lex num.* 11. ubi -- Dicit Gloſ
„ ſa in cap. quo circa, de conſanguinit., &
„ affinit. Quod tolerantia, & diſſimulatio
„ Principis in actu de jure probibito inducit
„ diſpenſationem. Quod Dominus Antonius
„ intelligit, quando conſtitutio Papæ a prin-
„ cipio non recipitur, Papa ſciente, & to-
„ lerante, quo caſu tolerantis excuſat a pec-
„ cato; non autem ſi a principio recepta fuit
„ a majori parte, ſecundum quod limitat Pa-
„ normitanus --

Etiam ex his evidenter conſtat a Principe dependere obligationem legis, non ab acceptatione. Nam ideo ipſa non receptio excuſat a peccato, quia Princeps ſciens tolerat; ergo eo non tolerante, peccant non acceptantes.

Adducit Summam Angelicam, cujus Auctor Angelus de Clavaſio Ordinis Minorum, *verbo Conſtitut.* §. 1. ubi -- Utrum conſtitutio
„ Papæ, quæ a principio communiter non
„ recipitur, ipſo ſciente, & tolerante obli-
„ get ad peccatum? -- *Et* §. 10. -- Ex quo
„ per binum actum factum eſt contra Legiſ-
„ latorem ſcientem, & valentem contradi-
„ cere, & non contradicentem &c. --

Neque hac authoritate quidquam evincitur. Nam Angelus movet quæſtionem in caſu, quo lex non acceptata ſit, ſciente, & tolerante Principe, & tunc reſolvit non obligare; ergo abſque dubio ſupponit obligare, ſi Princeps velit legem ſubſiſtere; ergo ab acceptatione ſubditorum non pendet vis obligativa, ſed a Conditore.

Adducit Summam Sylveſtrinam a Sylveſtro *verbo Lex n. 6.* ubi -- Quæritur quæ, &
„ quot requirantur ad hoc, quod lex habeat
„ vim obligativam in ſe, ſive in communi?
„ Et dico, quod multa &c. Quarto, quod
„ per inferiores ſit ſuſcepta, & approbata
„ diſt. 4. in iſtis §. Leges &c. Etſi oppona-
„ tur, quod hoc ſit abſurdum, quia Pote-
„ ſtas condentis legem penderet a ſubdito-
„ rum arbitrio; dico primo, hoc non eſſe
„ inconveniens in Principe Seculari, ideſt
„ Imperatore, quia ut recitat, & ſequi vi-
„ detur Archidiaconus diſt. 3. Lex. Quidam,
„ ut Landulph. dicunt populum poſſe auferre
„ Imperatori auctoritatem, quam in eum
„ tranſtulerat (juxta ff. Sed quod Principi.
„ Inſtit. de jure naturæ, ſicut Judex, qui de-
„ legavit.) Sed omnes Eccleſiæ non poſſunt
A „ auferre auctoritatem a Papa, quia eam
„ habet a Domino. Vide, ſi vis, Archie-
„ piſcopum (*D. Antoninum*) 3. part. tit. 18.
„ cap. unic. col. 3. Eſto tamen, quod illud
„ ſit inconveniens in Imperatore, ſicut in
„ Papa: Dico quod hoc non ſequitur, quia
„ poteſt Princeps deputare executorem com-
„ pellentem ad obſervantiam legis, quo caſu
„ neceſſaria erit ſuſceptio legis ſubditis com-
„ pulſis. Et dato, quod compelli non poſ-
„ ſint, adhuc non ſequitur illud inconve-
„ niens; quia eo caſu, quo Princeps vult
„ compellere, ſed nequit, non Receptio non
„ impedit vim legis, cum eo modo eam im-
B „ pediat, quo conſuetudo tollit, ſcilicet,
„ quia Princeps ſcit, & tolerat -- Quibus plura habet Marca, unde ſeipſum deſtruat.

Primo. Marca vult Eccleſiaſticas Leges, magis pendere ab acceptatione, quam civiles, Sylveſter tenet primas nullo modo, ſecundas aliqualiter dependere. Secundo. Marca vult ſingulis Regibus ſpecialiter datam a Deo immediate Poteſtatem, Sylveſter oppoſitum docet. Tertio. Marca vult, quod nihil fidelibus ſit obtrudendum, quod aliquo pacto poſſit eos offendere, Sylveſter vult poſſe compelli ad obſervantiam, & ſuſceptionem eſſe neceſſariam. Quarto. Marca vult legis
C vim pendere a receptione, Sylveſter aſſerit non receptionem non impedire vim legis. Quinto. Marca vult ſine Principis conſenſu legem non receptam non obligare, & receptam diſſuetudine abrogari, Sylveſter affirmat & diſſuetudinem abrogare, & non receptionem non obligare dependenter a conſenſu Principis. Ænea ſane frons, quæ pro ſe citat contradictoria ſtatuentem!

Adducit Nicolaum Cuſanum. Sed pro nobis ſtare manifeſtat auctoritas, quam dedimus ſupra ratione decima. Adducit Gerſonium, quem etiam pro nobis ſtare ibidem vidimus. Videamus nihilominus, an verba,
D quæ citat arguens, contineant vim aliquam contra nos. Signanter hæc citat *ex tract. de vita ſpirituali lect. 4. corollario primo* -- Nulla
„ tranſgreſſio legis naturalis, aut humanæ,
„ ut naturalis eſt, vel humana, eſt de facto
„ peccatum mortale: quia lex naturalis, &
„ humana, ut tales ſunt, non poſſunt attin-
„ gere ad cognitionem æternitatis in pœna,
„ vel præmio: non ergo feruntur ad finem
„ talem ſupernaturalem --

In hac propoſitione non eſt verbum ullum tangens ſtatum præſentis Controverſiæ, & ejus diſcurſus æque currit, ſive lex obligans dependeat ab acceptatione, ſive non.
E Mens ipſius eſt, oſtendere nullam legem obligare, niſi quatenus involvit Legem Divinam, & non quatenus ab homine dictatur, vel a ratione naturali, propter defectum attingentiæ finis ſupernaturalis. Porro hunc defectum includit Lex, ſive acceptata ſit, ſive non; acceptantes enim homines ſunt. Mentem Doctoris eſſe explicatam patet ex corollario 6. 7., & 4., ex quo ſufficit ſequens clara propoſitio -- Et ita quantum Lex aliqua habet
„ admixtum de Lege Divina præceptiva, tan-
„ tum, & non amplius, eſt ejus tranſgreſſio
„ mortaliter vitioſa -- Ceterum expreſſe ſu-

ſtinet

ſtinat eſſe obediendum cuilibet Legi naturali,
& humanæ, ſi ea Divina ſit. Et *lect.* 2. ad-
ducit 4. gradus Legis Divinæ, quorum ali-
quo ſtante obligamur; & nulla Lex juſta eſt,
quæ aliquem ex his non contineat.

Primus gradus eſt, quando deducitur a
ſolis veritatibus Divinæ Scripturæ, ſecundus,
quando deduci non poteſt -- ex ſolis verita-
,, tibus Divinæ Scripturæ, deducitur tamen
,, ex iiſdem, adaſſumptis quibuſdam veris
,, probabilibus, quæ pie, & rationabiliter
,, negari non poſſunt -- tertius, quando ad
deductionem per Leges Divinas requiruntur
propoſitiones dubiæ — quæ tamen plus inci-
,, tant, & ædificant ad devotionem, quam
,, oppoſitæ, aut quas tutius eſt concedere,
,, quam negare. Exempla multa, & quoti-
,, diana ſunt in Canonibus Summorum Pon-
,, tificum, & Decretalibus. Illi quippe Ca-
,, nones, aut epiſtolæ Decretales innituntur
,, Legibus Divinis, utpote talibus univerſa-
,, libus: Qui vos audit, me audit. Obedite
,, Præpoſitis veſtris. Quæ dicunt, facite, &
,, ſimilibus. Poſtremus gradus (*ait*) conti-
,, net Leges, quæ ex Legibus Divinis non
,, plus deduci poſſunt, aut minus, quam op-
,, poſitæ -- ibique aſſerit, quandoque ad prin-
cipia Divina univerſalia ſubſumi in minori,
& conſequentia propoſitiones omnino certas,
eo quod proficiant obſervantibus, ſed addit --
,, Tamen in multis tutius eſt eas concedere,
,, nec pertinaciter impugnare -- Deinde *lect.* 3.
habet -- Diutius ſpe noſtra tenuit nos ſermo
,, de hac Poteſtate Summi Pontificis, quo-
,, niam tempeſtas præſens ad hoc impulit,
,, pro qua magis neceſſe eſt Poteſtatem hanc
,, ad clarum dignoſcere, atque ſecernere,
,, quam olim antea; præſertim ad videndam
,, ſubtractionis factæ (Ideſt ab obedientia
,, Benedicti XIII., cui aliquando Gallia pa-
,, ruit ſchiſmate inſtante) juſtificandæ, vel
,, caſſandæ rationem, præſuppoſitis iis, quæ
,, facta ſunt --

Adduximus hæc, ut clare appareat, Ger-
ſonium non favere Marcæ, ſed nobis; quia
aſſerit eſſe obediendum Legibus Eccleſiaſticis,
& naturalibus, quoties uno aliquo ex quatuor
gradibus Divinæ ſunt; & in dubio ſtandum
eſſe pro Lege, & Legislatore. Et cum teneat
æqualitatem Legis humanæ ad naturalem, &
hæc abſque dubio obliget independenter ab
acceptatione, ſeu verius obliget ad acceptan-
dum, ſequitur eodem modo obligare huma-
nam Legem. Inter alia aptam tradit ratio-
nem *corallario* 7., ubi aſſerit obligare ſub
mortali obſervantiam Feſtorum quoad audi-
tionem Sacri, & abſtinentiam a ſervilibus --
,, Quia (*ait*) ſic limitare expediebat pro com-
,, munitate: & jam homo fit contemptor Di-
,, vini præcepti, & ſuorum Superiorum, qui-
,, bus ſponte ſe ſubmiſit, aut ſubmittere de-
,, buit pro utilitate ſui, & communitatis,
,, cujus eſt pars -- Ideſt, ad Eccleſiæ Pote-
ſtatem (de qua ibi loquitur) pertinet bono
Communitatis providere, & de ratione par-
tis eſt bonum Communitatis ſuo præferre;
adeoque obedire præcipientibus.

Adducit Joannem Majorem 4. *ſent. diſt.*
25. *quæſt.* 4., cujus verba non potui videre,
ſed cum dicat, ſe ſequi ſententiam Univer-
ſitatis Pariſienſis, certi ſumus ſtare pro nobis,
ut apparet ex cenſura poſita ſuperius contra
Lutheranam propoſitionem, & ex cenſuris
latis contra Spalatenſem alibi recitatis.

Adducit Joannem Driedo Profeſſorem
Lovanienſem *lib. de libert. Chriſt. cap.* 9. *docum.*
2. At Doctor iſte expreſſe adverſatur ibidem
menti arguentis. Habet enim -- Ex his ma-
,, nifeſtum eſt falſam eſſe doctrinam eorum,
,, qui dicunt Eccleſiæ Prælatos, Superioreſ-
,, que Poteſtates non plus facere imperando,
,, quam faciunt Magiſtri, aut Doctores Dei
,, Legem, ſeu præcepta docentes; & Præla-
,, tos nihil aliud poſſe facere, quam faciunt
,, Medici, qui ægrotis intimant, quis cibus
,, mortiferus ſit corpori, quis ſalutaris &c.
,, Nam, & ſunt alia innumera Sacræ Scri-
,, pturæ teſtimonia, ex quibus liquidum eſt
,, Prælatorum, & Superiorum Poteſtatum
,, officia eſſe, non ſolum docere, aut inti-
,, mare, quid Deus jubeat, ſed & impera-
,, re, dirigere, & coercere populum. Dein-
,, de & ſcire oportet ſupradictas Scripturas a
,, Sanctis Patribus ſic intellectas eſſe, ut ex
,, illis ſequatur, etiam nos oportere obedire
,, in his, quæ non ſunt ſecundum ſe præce-
,, pta lege Divina; quemadmodum latius de-
,, clarabitur infra, & in ſolutionibus argu-
,, mentorum --

Verum quidem eſt, ibidem docere Le-
gem non obligare in conſcientia, quando non
eſt utentium moribus recepta. Sed Driedo
ſupponit conſenſum Legislatoris, non valentis
coercere ſubditorum tumultuantium contuma-
ciam. Sic enim ait -- Tunc enim Lex illa non
,, expedit Reipublicæ ſic diſpoſitæ; cum plus
,, damni, & turbationis, quam boni inde
,, ſequeretur. Neque enim poſſet Lex illa
,, moribus utentium confirmari, dum Prin-
,, ceps non poſſet abſque turbatione Reipu-
,, blicæ punire illius Legis tranſgreſſores, po-
,, pulo Legem illam non acceptante --

Adducit Innocentium Primum *epiſt.* 18.
ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, qua-
tenus ſtatuta quædam circa jus Metropolita-
norum, & rejectionem Arrianorum vult a
Concilio recipi.

Sed non eſt hic ſenſus verborum ejus;
intendit enim, ut ad aliorum Epiſcoporum
notitiam perveniant ſtatuta, vel per Conci-
lium, vel extra ad hoc, ut obſerventur.
Nam ibi ait -- Gravitas itaque tua hæc ad
,, notitiam Coepiſcoporum, vel per Syno-
,, dum, ſi poteſt, vel per harum recitatio-
,, nem, faciat pervenire, ut ea, quæ ipſe
,, tam neceſſario percunctatus eſt, & nos tam
,, animate reſpondimus, communi omnium
,, conſenſu, ſtudioque ſerventur -- Ubi nam
permittit ſubditorum arbitrio legem acceptare?

Adducit Gelaſium *ad Epiſcopos Dardaniæ*, quatenus aſſerit decreta Conciliorum
generalium eſſe ex aſſenſu univerſalis Eccleſiæ.

Verum, quantam ille tribuat Romano
Pontifici Poteſtatem ſupra Concilia generalia,
ſuo loco lucide demonſtratum eſt: & aliud
eſt Conciliorum ſtatuta fieri ex aſſenſu uni-
verſalis Eccleſiæ; aliud eorum robur pende-
re ab acceptatione univerſalis Eccleſiæ.

Adducit Diurnum Romanum, ubi re-
citatur juramentum, quo electi Pontifices pro-

mittebant -- Omnia decreta Canonica Præ-
„ deceſſorum Apoſtolicorum Pontificum, quæ- A
„ cunque ipſi Synodaliter ſtatuerint, proba-
„ ta erunt, ſicut ab eis ſtatuta ſunt, in ſui
„ vigoris ſtabilitate cuſtodire --

Sed hæc non probant Legum vim ab acceptatione pendere, ſed ſolum id fiebat, ut non de facili, & ſine rationabili motivo diſpenſarent ſecuti Pontifices in Legibus bono communi proficuis, ne ex diſpenſatione infirmarentur.

Adducit Anaſtaſium Bibliothecarium *ad marginem 6. can. ſeptima Synodi*, quatenus aſſerit Canones non ubique omnes vigere.

Sed ſolum nomen Anaſtaſii ſufficit pro ſtabillenda Summi Romani Pontificis auctoritate, quam tot, & toties demonſtrat. B Nec ex eo, quod alicubi quidam Canones non obſerventur, recte infertur ab acceptatione vim Legis pendere, aliunde enim inobſervatio oriri poteſt, debetque oſtendere non adeſſe Principis conſenſum, quando inobſervatio eſt ſine peccato.

Refert demum Philippum II. Francorum Regem hæc proferentem -- Eccleſia non
„ recipit quamplures Canones, qui per diſ-
„ ſuetudinem abjerunt, vel ab initio non
„ fuere recepti --

At nil ad rem. Canones, qui ab initio ab Eccleſia non fuerunt recepti, ſunt Canones C quiniſextæ Synodi, a quibuſdam Orientalibus abſque debita auctoritate editi, qui in diſſuetudinem abjerunt. Si diſſuetudo eſt legitima, intervenit conſenſus Legislatoris, ſeu Superioris, ſi illegitima, abſque peccato non eſt. Copia ergo auctoritatum, quas adduxit Pariſienſis Antiſtes, vel non ſunt ad rem, vel nobis proſunt, nullaque auctoritas ipſi ſuffragatur.

Illud placet breviter adnotare, quantum in moralibus infirma ſit probabilitas extrinſeca, deſumpta ex pluralitate Auctorum. Primo, ex defectu legitimæ mentis, & ſenſus, quo loquuntur Auctores. Secundo, quia D iidem non raro citantur ab utraque opinione adverſa, ut in caſu. V. g. Sylveſter, Angelus &c. citantur a Marca pro ſe, a Vaſquez pro ſe, & ab aliis.

Tertio. Sæpe utraque opinio contradictoria ſtatuens dicitur habere pro ſe meliores, & majores Auctores, ut in caſu; ſiquidem Marca ſuam ait eſſe meliorum Doctorum, & Mauclerus alter Pariſienſis ſuam docet (quæ eſt omnino oppoſita) eſſe traditam a melioris Notæ Doctoribus. Quare in his ſervanda eſt regula illa. *Tene certum, dimitte incertum*. E

CONTROVERSIA V.

AN JUDICIA SANGUINIS INTER CHRISTIANOS SINT LICITA.

D. Auguſtinus *lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 3.* refert hunc tenuiſſe inter Chriſtianos homines non dari Tribunalia punitiva -- De-
„ dit Deus (ajebat) homini liberum arbi-
„ trium: Magiſtratus igitur non eſt in im-
„ pios animadvertere -- Apud noſtrum Guidonem Carmelitam Waldenſes idem ſentiunt, de quibus ait -- Nullum omnino judicium
„ Sanguinis, aut cujuſcunque Corporalis ſup-
„ plicii ferebant: quia ſcriptum eſt. Nolite
„ judicare -- Id ardentius ſuſtinuerunt Anabaptiſtæ, ut habetur apud Henricum Bullingerum *lib. 2. cap.* 8. Eundem tenuit errorem Joannes Calecus *apud Bernardum Lunemburgenſem*.

Contra hos omnes ſtat veritas Catholica licere Chriſtianis judicia quæcunque, etiam ſanguinis. Unde

Dico. Inter Chriſtianos licet exercere per Poteſtates Laicales judicia etiam ſanguinis, de quibus nunc loquimur.

101 PROB. I. Illud nequit eſſe illicitum, quod Deus præcipit: ſed Deus præcipit Tribunalia judicativa, & punitiva; ergo non ſunt illicita. Min. habetur Exodi cap. 18. v. 21. *Tribunal punitivum a Deo.*

Ubi Jethro ad Moyſem. *Conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore &c., & electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael conſtituit eos principes populi &c. qui judicabant plebem omni tempore*. Deuteron. 16. *Judices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulos tribus tuas, ut judicent populum juſto Judicio*. 2. Paralip. 19. Joſaphat Rex Judicibus ait. *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*. Si ergo judicatio a Deo præcipitur, ſi in nomine Dei exercetur, illicita non eſt.

102 DICES. Probant hæc licere judicium pure civile, non vero punitivum.

Sed contra. Alibi præcipit Dominus juſtas pœnas infligendas eſſe iniquis. Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*. Deuter. 17. *Decreto Judicis morietur homo ille*, ſcilicet Sacerdoti inobediens. Pſalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur*. Et alibi plures leges habemus ſtatuentes pœnas uſque ad mortem pro criminibus; ad quarum normam Sapientiſſimi Principes Moyſes, Joſue, Samuel, David, Salomon, & ſimiles plurima exercuerunt judicia punitiva, quandoque criminoſos mortis etiam ſupplicio afficientes, quorum zelus, & juſtitia in Scriptura laudatur.

103 DICES II. Hæc ſunt legalia conceſſa Hebræis conſtitutis ſub Lege timoris, ac proinde a Chriſto abrogata.

Sed contra. Licet pure legalia ſint per legem gratiæ ſublata, tamen moralia fuerunt confirmata. Porro judicium punitivum non fuit pure legale, ſed morale, mixtum judiciali, & ceremoniali; punitio enim delictorum a lumine rationis præcipitur. Hinc eſt, quod ante legalia habemus Geneſis 9. *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*. Et c. 38. Judas, tanquam familiæ caput, igni adjudicavit Thamar Nurum ſuam propter adulterium, ajens. *Producite eam, ut comburatur*. Et ratio eſt, quia juſtitiæ debitum, ejuſque exercitium non eſt præceptum legale, ſed morale: at judicium punitivum ad debitum juſtitiæ pertinet; ergo injuſtos punire eſt præceptum morale. Sic colli- *Punitio delictorum a lumine rationis.*

colligitur ex illa Jerem. 23. *Regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet juſtitiam in terra*. Et Prov. 8. *Per me Reges Regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam*; ergo iniquos flagellis adjudicare non eſt præceptum legale, ſed morale.

Quod ulterius explicatur. Malum auferre ſpectet ad quemlibet ſtatum Legis, ſive naturæ, ſive circumciſionis, ſive gratiæ; innititur namque univerſeli principio, malum eſt fugiendum, bonum eſt faciendum: ſed finis Præceptorum ex veteri Teſtamento eſt auferre malum. Unde Deuter. 17. cum dixit. *Morietur homo ille*; addit; *Et auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*: quam maxime lex nova deteſtatur. Et cap. 21. agens de filio contumaci lapidibus obruendo habet. *Ut auferatis malum de medio veſtri*. Ergo non eſt præceptum pure legale ebrogatum, ſed morale confirmatum. Unde dicebat Paulus Corinthiis Epiſt. 1. cap. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis*.

104 PROB. II. Scripturæ novi Teſtamenti determinata reſpicit Chriſtianam Rempublicam: ſed in ea traditur licita eſſe judicia punitive; ergo. Minor habetur 1. ad Corinth. 6. *Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos Sapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Quibus monet Paulus, ut in cauſis ex neceſſitate non deferendis ad forum Gentilium, conſtituant Judicem aliquem ex Sanctis, ideſt, Chriſtianis, ſed non poſſet hoc monere, ſi judicia etiam punitive in Republica Chriſtiana non licerent; ergo ſignum eſt ea licere. Ad Rom. 13. idem Apoſtolus de Rege loquens habet. *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*. Quibus item patet datum gladium Principibus ad vindicandos maleficos: ſed non eſſet hoc modo gladius illis conceſſus, ſi non liceret eo uti ad punitionem, quando expedit; ergo &c. His conſonat Petrus epiſt. 1. cap. 2. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum*. Et Lucæ 23. legimus Latronem pœnitentem dicentem criminis ſocio. *Et nos quidem juſte; nam digna factis recipimus*, ideſt, Crucis ſupplicium. Chriſtus Matth. 26. ad Petrum converſus (qui publicam non habens auctoritatem voluit ulciſci Injuriam Chriſto illatam) ait: *Qui acceperint gladium, gladio peribunt*: ideſt, qui injuſte alium læſerit, juſte a legitimo Judice punietur. Licent ergo judicia capitalia.

Principibus datus eſt gladius ad punitionem.

105 PROB. III. Ad Roman. 12. Reſpublica Chriſtiana comparatur corpori humano, in quo ſub uno capite ſunt multa membra eundem actum non habentia: ſed in corpore humano licet abſcindere membrum putridum corruptivum aliorum, ne totum corpus pereat; ergo etiam in Republica Chriſtiana licet hominem maleficum interficere, ne ſuo exemplo alios inficiat. Unde propheta dixit Caiphas Joan. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, ut non tota gens pereat*, non ſolum in ſenſu ſpirituali de Chriſto redimente genus humanum, ſed in ſenſu temporali de quolibet perturbatore Reipublicæ.

Membrum putre abſcindendum.

Omnis pars ordinatur ad totum tanquam imperfectum ad perfectum, cum omnis pars naturaliter ſit propter totum: ſed quælibet perſona particularis ordinatur ad Communitatem, tanquam pars ad totum; ergo eſt tanquam imperfectum ordinata ad Communitatem, tanquam ad perfectum: ſed laudabiliter, & licite tollitur imperfectum, ſi læſivum ſit perfecti, Matth. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Si ergo perſona particularis ſit Communitati nociva, ut de facili evenit in pravis, dicente Apoſt. 1. ad Corinth 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; malum enim ſerpit ut cancer, licite poterit abſcindi, ideſt, morti adjudicari Malefactor.

Tollendum quod afficit communitati.

106 PROB. IV. Ideo non licent judicia ſanguinis inter Chriſtianos, quia benigna eſt lex Chriſti: ſed hoc ſtante Petrus Apoſtolus propter defraudatum pretium venditi agri gladio oris occidit Ananiam, & Saphiram, & tunc temporis, quando neceſſe valde erat legis ſuavitatem demonſtrare, ut facilius lex poſſet dilatari inter gentes; ergo cum benignitate legis non pugnat judicium ſanguinis. Sicut ergo cum ſumma miſericordia Dei ſtat juſtitia, ita cum ſuavitate legis ſtat rigor diſciplinæ: & charitas, quæ eſt dos potiſſima Chriſtianæ Religionis, deſponſat ſibi ſicut cæteras virtutes, ita & juſtitiam. Hinc eſt, quod Sancti, & prudentes Principes Catholici diverſis temporibus, & locis exiſtentes condiderunt leges plura vetantes ſub pœna capitis; & non raro ſumma laude latrones, homicidas, rebelles, & ſimiles morti damnarunt.

Lex ſuavis punitionem admittit.

107 PROB. V. Patrum auctoritate. Epiphanius *hæreſi* 40. *contra Archonticos*, commentans locum Pauli ad Rom. 13. -- Et vi„des (*ait*) quod Poteſtas hæc mundana a „Deo ordinata eſt, & gladii Poteſtatem ac„cepit: non autem aliunde, ſed a Deo ad „ultionem -- Maximus *Serm. 9. de Magiſtratu* aſſumit illud Petri Apoſt. *Subjecti eſtote &c.* -- Sive Præſidibus ab eo miſſis ad improbos „ſupplicio: bonos autem laude afficiendos -- Baſilius *in Moralibus cap.* 79. -- Quod de„bent; qui Principes aliorum ſunt, vindi„ces eſſe juſtificationum Dei -- Rom. 13. *Nam Principes non ſunt terror bonorum operum, ſed malorum*. Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 38. -- Servum Dei innocen„tem eſſe debere, ne incidat in pœnam „ſecularem, in Epiſtola Pauli ad Romanos „&c. -- Hieronymus *in cap. 22. Jeremiæ* -- „Homicidas, & ſacrilegos, & venenarios „punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed le„gum miniſterium -- Auguſtinus *Epiſt.* 54. *ad Macedonium* -- Nec ideo ſane fruſtra in„ſtitutæ ſunt Poteſtates Regis, jus gladii „cognitoris, ungulæ carnificis, arma mili„tis,

„ tis, & diſciplina Dominantis, ſeveritas „ etiam boni Patris. Habent iſta omnia, mo„ dus ſuos, cauſas, rationes, utilitates -- *Et in expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. propoſit.* 72. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 24. fuſe id probat. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 17. *ad Cives Nazianzenos* -- Ut qui tri„ buto pendendo ſimus obnoxii, nec com„ mittamus, ut ob ſcelera, & flagitia noſtra „ legem odio habeamus, ac vindicem gla„ dium expectemus: quin potius id agamus, „ ut per timorem purgati, laudem a Pote„ ſtate conſequamur -- Plures omitto, videndos apud Jodocum Coccium *lib.* 7. *de Hierarchia Eccleſiaſtica art.* 1.

A

B

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

108 OBJIC. I. Quod expreſſe Chriſtus prohibuit, Chriſtianis non licet, ſed Chriſtus prohibuit omne judicium ſub pœna æterni judicii, ut colligitur ex illo Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini*; ergo.

RESP. neg. min. Ibi enim Chriſtus damnat judicium privatum proximi ſui ex levibus motivis, & ex affectu hypocriſis: reprehendit eos, qui ex minimo quolibet defectu fratrem ſuum carpunt, & ſeipſos negligunt gravioribus infectos. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ceterum judicium rectum, & gravi ponderi innixum, & maxime publicum non vetat, ut conſtat Joan. 7. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.*

Privatum judicium a Chriſto reprobatum.

C

109 DICES. Sua jura defendere contra injuſte opprimentem coram Judice eſt judicium publicum rectum, ſed hoc eſt prohibitum a Chriſto Matth. 5. *& ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium*; ergo non ſolum judicium privatum leve, ſed publicum, & grave prohibet lex Evangelica.

D

RESP. neg. min. Locus verò adductus in aliquo ſenſu cadit ſub præcepto, in aliquo ſub conſilio: Cadit ſub præcepto, quoad duo; primum in ordine ad juſtitiam privatam in vindicandis ſibi juribus, de quibus cum alio quis contendit: Secundum in ordine ad affectum, & animi præparationem ad patienter tolerandas injurias; ſub conſilio cadit ipſa ultronea, & ſpontanea ceſſio rei, de qua eſt contentio. Patet ex his, quæ ſequuntur in contextu, & quæ præcedunt, ſcilicet: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: & tamen Dominus percuſſus in maxilla non præbuit alteram; ſed reſpondit: *Quid me cædis*, Jo. 18. *Et quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*, Matth. 5., quod utique non cadit ſub præcepto. Sic textum explicat Greg. Nazianzenus *Orat.* 1. *contra Julianum*, qui ut deterreret Chriſtianos a propulſandis injuriis, has objiciebat Scripturas.

Injuria patienter toleranda.

E

Aug. tamen hoc, quod diximus, comprehendit *Epiſt.* 5. *ad Marcellinum*, aſſumens Chriſti exemplum -- Tamen non præbuit per„ cutienti alteram partem, ſed potius pro„ hibuit, ne qui fecerat injuriam, augeret, „ dicens: Si male locutus ſum, teſtimonium „ perhibe de malo, ſi autem bene, cur me „ cædis? Et tamen paratus venit, non ſolum „ in faciem percuti, verum etiam pro his „ quoque, a quibus hæc patiebatur, crucifi„ xus occidi, pro quibus, ait, in cruce pen„ dens: Pater ignoſce illis &c. -- Igitur ultio injuriarum prohibetur privata, & animi præparatio præcipitur pro ſuſtinendis patienter injuſtitiis ab aliis illatis. Cum his tamen ſtat, quandoque eſſe neceſſarium per publicam Poteſtatem ſceleſtos reprimere graviſſimis ſuppliciis, ne bonum commune perturbetur, & injuſtitiis repleatur Reſpublica; recte enim ibidem dicebat Auguſtinus -- Nam „ cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter „ vincitur. Quoniam nihil eſt infelicius fe„ licitate peccantium, qua pœnalis nutritur „ impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis „ interior roboratur -- Hæc omnia bene dilucidat D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *in reſponſione ad argumenta.*

110 INSTABIS. Si non caderet ſub præcepto prohibitivo judicium publicum defenſivum ſui juris, non eſſet peccatum illud promovere, ſed eſt peccatum, ut clare tradit Apoſt. 1. ad Corinth. 6. *Jam quidem delictum omnino eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos? Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

RESP. neg. min. ſecundum ſe loquendo. Nec locus Pauli officit, cum pro nobis eum ſupra attulerimus; quatenus vult, ut apud Sanctos fiant judicia, & non apud Gentiles. Igitur particula illa *delictum* ſumi poteſt ſecundum interpretationem Theodoreti ex græco pro imperfectione, non pro peccato: & tunc reddit ſenſum; lites, licet malæ non ſint, non eſſe tamen inter opera perfecta computandas. Si verò accipiatur ſecundum interpretationem Ambroſii, & Chryſoſtomi in hunc locum, & Auguſtini *in Enchirid. cap.* 78. ſignificat peccatum, non quia ſecundum ſe lites promovere coram legitimo Principe, & Judice ſit peccatum, ſed quia regulariter aliunde immiſcetur peccatum, nempe ratione finis, v. g. propter avaritiam, ratione medii, quia fraudes, & doli aſſumuntur, ratione modi, quia ex odio, invidia, alioque pravo affectu imperatur proſecutio cauſæ, ratione diſpendii, quia pro re parvi momenti conſumuntur patrimonia, ratione ſcandali, quod datur proximo in contemptum ſtatus, vel Religionis, & propter hoc motivum præcipue peccatum erat litigium Corinthiorum.

111 OBJIC. II. Chriſti prædicatio preſſius promovit obſervantiam legis poſitivæ Decalogi, ſed in hac lege clariſſime prohibetur quodlibet homicidium. Dicitur namque *Non occides*; ergo judicium ſanguinis non licet.

RESP. neg. min. Illud præceptum non minus obligabat in veteri lege, quam nunc, ſed tunc ita obligabat, quod poteſtas publica poterat juſtis de cauſis aliquos occidere; ergo etiam nunc. Quare prohibetur in eo homicidium patratum privata auctoritate extra caſum legitimæ defenſionis, non verò publicum pro bono communi conſervando; & ratio eſt, quia

quia ſpectat ad publicam auctoritatem cura boni communis, ſed pro bono communi expedit malefactores interficere, dictante lumine rationis, quod nocens majori bono tollatur; ergo per Decalogum, qui eſt explicatio legis naturalis, non prohibetur publicæ auctoritati homicidium.

E bono communi eſt malefactores punire.

De hac bene dixit Auguſtinus *lib. 1. de Civitate Dei cap.* 21. -- Nequaquam contra hoc „ præceptum fecerunt (quo dictum eſt, Non „ occides) qui perſonam gerentes publicæ „ Poteſtatis ſceleratos morte punierunt -- Et hac eadem ratione illicitum eſt a perſona privata; quia tradere morti malefactores ideo licitum eſt, quia ordinatur ad ſalutem communitatis, adeoque ad illum ſpectat, qui curam habet communitatis, ſicut ad Medicum, cujus curæ eſt infirmus, pertinet reſecatio membri putridi: Porro cura Communitatis ad Supremos, & dominium habentes ſpectat. Quare optime dixit Auguſtinus *lib. 1. de Civitate Dei cap.* 26. -- Qui ſine aliqua publica „ adminiſtratione maleficum occiderit, velut „ homicida judicabitur: & tanto amplius, „ quanto ſibi Poteſtatem a Deo non conceſſam „ uſurpare non timuit --

112 DICES. In tantum licet publica auctoritate iniquos ſubjicere judicio ſanguinis, quatenus nomine Dei Principes vigilant communi bono, ſed hoc non convincit; nam Miniſter agere non poteſt in cauſam, quam ſibi reſervavit Princeps: Deus autem judicium vindicativum ſibi reſervavit, ad Rom. 12. *Scriptum eſt enim, mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

RESP. neg. min. Locus adductus non eſt ad rem. Illo dicto Paulus declarat qualitatem Charitatis fraternæ, etiam cum inimicis, a quibus mala accepimus, docetque, quod non debemus ulciſci injurias privato judicio; ſed Deo remittere, qui crimina puniet. Eundem ſenſum habent alia ibid. v. 17. 19. 21. *Nulli malum pro malo reddentes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi; ſed date locum iræ &c. Noli vinci a malo; ſed vince in bono malum.* Omnibus his phraſibus commendat concordiam, & pacem cum inimicis; ideſt quod non iraſcamur, ulciſcamur, male faciamus eis; ſed bene. Cum quo tamen ſtat, quod, qui tenent locum Dei, poſſint, & debeant punire pro merito culpæ iniqua agentes, ut Scripturæ ſibi conſonent.

Privatum judicium reprobatum.

Nec Paulus in ſenſu Hæreticorum hæc obſervavit. A Principe Sacerdotum percuti juſſus, maledixit eum, dicens Act. 23. *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem; & contra legem jubes me percuti?* Et tamen loco cit. ad Rom. ait: *Benedicite, & nolite maledicere:* nec ob aliud, niſi quia vindicta privata, & maledictio eſt omnibus illicita. Quandoque tamen perſonis publicis ad reprimendam inſolentiam male morigeratorum expedit ex affectu majoris boni durius agere; quod in caſu fecit Paulus, inſuper irriſionem addens. Nam cum qui adſtabant dixiſſent: *Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Irridenter*, inquit Auguſtin. *Epiſt. 5. ad Marcellinum*; optime enim Paulus noverat Sacerdotem gentis ſuæ.

Durius agendum cum delinquentibus.

113 INSTABIS. Principes Phariſæorum erant perſonæ publicæ: ſed Chriſtus prædicans Evangelium interdixit iis ſupplicio afficere deprehenſam in adulterio; ergo lex Evangelica reſervat ſoli Deo vindictam etiam publicam.

RESP. neg. min. Chriſtus non prohibuit lapidationem Adulteræ, ſed artificioſe ad eludendam hypocriſim Phariſæorum reſpondit, quod qui abſque peccato erat, primus lapidem in eam jaceret. Quod vero ipſe abſolverit illam, non arguit defectum Poteſtatis publicæ ad occidendos malefactores; nam voluit benignitate Patris dimittere contritione curatam. Non enim Judicis munus voluit exercere, nec tenebatur.

114 URGEBIS. Chriſtus non ſolum facto, ſed verbo docuit excipere legem Evangelicam vindictam per publicam auctoritatem. Matth. 5. dicens: *Audiſtis, quia dictum eſt: oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo.* Illa lex talionis utique non poterat exerceri auctoritate privata, ſed publica, & tamen Chriſtus docet oppoſitum.

RESP. neg. ant. Nec doctrina Chriſti ad hoc tendit, ut deſtruat legem talionis rectiſſimam, ſed ut abroget inordinatum deſiderium privatæ vindictæ, aut poſtulationis inordinatæ a Tribunali legitimo. Ad cujus majorem intelligentiam ſciendum eſt, Chriſtum eo loci tradere variam perfectionis doctrinam in materia charitatis fraternæ contrapoſitive ad legem veterem, & in aliis quibuſdam materiis; tollitque diſtortas illationes, quas ex mandatis legis veteris deducebant Phariſæi, atque adeo præmittit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Juſtitia Phariſæorum erat, non occidere, non mœchari, non odiſſe amicos. Chriſtus vero docet, malum eſſe etiam fratri iraſci, interiorem concupiſcentiam alterius uxoris, inimicos etiam odio habere, & alia ſimilia; & quia ex lege talionis deducebant, licitum eſſe affectum vindictæ, ideo Chriſtus prohibet hanc inordinationem.

Affectus vindictæ malus.

115 OBJIC. III. In zizaniis mixtis tritico intelliguntur filii nequam nocentes aliis, ſed vetat Chriſtus extirpare zizania Matth. 13.; ergo vetuit necidere peccatores, etiam Poteſtate publica; & ideo uſque ad meſſem, ideſt mortem ſunt relinquendi.

RESP. neg. min. in ſenſu abſoluto. Vult ſolum Dominus, quod tunc non extirpentur zizania, quando imminet periculum damnificandi triticum, hoc eſt, quando iniqui habent multos ſequaces, vel adſunt aliæ circumſtantiæ, ratione quarum majus damnum timetur, quam bonum; & tunc ultio eſt reſervanda omnino Deo. Ceterum quando ex interfectione malorum nullum majus damnum oritur, ſed præſtatur tutela bonis, tunc ultio auctoritativa eſt exercenda.

Quandoque abſtinendum a punitione.

116 OBJIC. IV. Ideo licet Chriſtiano Principi judicium ſanguinis, quia gladium portat, ſed gladius Chriſtianorum non eſt materialis, ſed ſpiritualis, ut ad Epheſ. 6. expli-

explicat Paulus: *Induti loricam juſtitiæ &c. galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei) &c.*; ergo vindicta Principibus conceſſa ſunt preces, quibus a Deo poſtulatur punitio malorum, & gladius eſt admonitio.

Gladius ſpiritualis, & materialis in Principibus.

RESP. neg. min. Principes ſeculares habent gladium materialem, & de hoc loquitur Paulus ad Rom. 13., & ideo dicit: *Si male feceris, time*: & aſſerit ipſum eſſe vindicem in iram, & non poſtulatorem vindictæ ab alio. Ad Epheſ. verò loquitur expreſſe de pugna ſpirituali, quam habemus cum hoſtibus inviſibilibus: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli; quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cæleſtibus*. Non negamus tamen debere uti Principes armis orationis, etiam ad bonum regimen aſſequendum, & gladio correptionis.

117 OBJIC. V. Poteſtas judicativa inferiorum debet regulari ad exemplar Superioris, ſed Poteſtas judicativa creata eſt inferior ad judicativam Dei; ergo ad menſuram divinæ debet regulari, ſed Divina reſervat peccatores Ezechielis 18. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus &c.*; ergo.

RESP. Juſtitia Divina erga peccatorum punitionem ſe gerit prout expedit ad ſalutem electorum, quæ quandoque exigit ſtatim peccatores perdere, quandoque ad tempus reſervare. Hanc regulam ſequitur humana juſtitia, quæ maleſactores perdere tenetur, cum nocent bono communi, & ad tempus tolerat, cum majus damnum prævidet imminere, & ſive occidat, ſive ſuſtineat, nunquam ex odio, & mala voluntate debet proſequi ſuum munus, ſed ex affectu boni communis, & etiam particularis illius, qui punitur, procurando bonum ſpirituale ſalutis; & hoc eſt velle peccatorem vivere.

Mali non raro tolerandi.

Hinc eſt, quod Judices Chriſtiani ſceleſtiſſimis quibuſvis Sacramentalem Confeſſionem ſerio petentibus tenentur ſub graviſſimo peccato concedere, etiamſi ereptionis periculum timeatur. Non debent tamen abſtinere a punitione propter Rei impœnitentiam, etiam ſignis manifeſtiſſimis cognitam, licet debeant diligentiam adhibere ad emolliendam duritiem cordis. Cum enim per ſe primo intendant bonum commune, debent permittere malum particularis, ut illi ſuccurrant, & tenentur ex officio totaliter peccatores de medio tollere, quod non facientes, præter peccatum, tenentur ad reſtitutionem damnorum, quæ in Republica oriuntur ex debitæ juſtitiæ omiſſione; ad hunc finem etenim officium, & ſtipendium eis conceditur.

Ex dictis habent quidam Scotum non recte ſenſiſſe *in 4. diſt. 15. quæſt. 3.*, ubi dixit non licere Judicibus occidere hominem, niſi in caſibus expreſſe exceptis in lege Divina, puta blaſphemiæ, homicidii, & ſimilium; quia nulli inferiori licet diſpenſare in lege Superioris, ſed Superior Legislator Deus prohibuit abſolute *Non occides*; ergo non licet occiſio, niſi in caſibus exceptis. Hinc deducit non licere pro furto mortem dare; nondum enim ſuper hoc, ait, bulla de Cœlo deſcendit: nec adulteris, eo quod Chriſtus indulſit fœminæ adductæ a Phariſæis.

Non recte ſenſiſſe, inquiunt, nam præceptum de non occidendo non cadit ſupra Poteſtatem publicam, quando agit pro conſervando bono publico, ſed ſupra Poteſtatem humanam privatam extra caſum juſtæ defenſionis, quæ, cum ſit juris naturalis, non infirmatur per præceptum poſitivum de non occidendo: at eſt multo magis juris naturalis defenſio, & conſervatio boni communis; ergo, quando expedit, erit licitum ei, cujus eſt cura boni communis, perturbatores interficere. Illæ porro exceptiones poſitæ in lege Divina non ſunt pure legales, ſed ſunt morales, & radicatæ in naturali ratione juſtæ providentiæ boni communis; ac proinde non ſunt limitativæ, ſed doctrinales, & exemplares, ad quarum normam liget agere in aliis caſibus, in quibus viget idem finis, & ratio; quæ utique currit in furibus, qui etſi aggreſſores non ſint, ſunt tamen perturbatores Reipublicæ, ideo ſine nova revelatione poſſunt puniri pœna capitis. Hoc ſimiliter currit de adulterio. Nec Chriſtus indulgendo uni abſtulit auctoritatem publicis Poteſtatibus; aliàs, ſi illatio valeret, deberemus dicere, nec licitum eſſe pœna alia inferiori talia crimina punire, cum Chriſtus omnino impunitam dimiſerit.

Scoti ſententia male auditur.

Poteſtatibus publicis (dixi) non eſſe ademptam auctoritatem; nam privati viri deprehendentes in adulterio uxores non poſſunt licite eas occidere (ut temere fuerat aliquando dictum, ſed ab Apoſtolica Sede fuit prohibitum per primam Bullam Alexandri VII. propoſitione 19.), nec poſſunt ſibi occulte injuriam compenſare in caſu, quo non poſſet adiri, vel obtineri a Judice ſufficiens punitio, eo modo, quo licet in furto; nam flagellatio, ſeu occiſio Adulteræ non eſt injuriæ reparatio, ſed pœna commiſſi criminis, & pœna non datur niſi per ſententiam Judicis. E contra recipere de re alterius quantum debet, eſt ponere æqualitatem rei ad rem.

Eam tamen illationem Scoto injurioſam eſſe contendunt doctiſſimi Scotiſtarum utpote menti ſubtilis diſſonam, quem ſuſtinere a publica auctoritate occidi poſſe criminoſos alios a tribus caſibus in ſcriptura exceptis, ubi eadem ratio boni communis viget, evincere conantur ex contextu, & ex quadam præallegata D. Aug. doctrina.

CONTROVERSIA VI.

AN PRINCIPES POLITICI AMITTANT DOMINIUM COMMITTENDO PECCATUM MORTALE.

DE Principibus politicis loquimur, non de Miniſtris Eccleſiaſticis; quia non eſt hic locus tractandi celebrem illam quæſtionem de valida, vel invalida adminiſtratione Sacramentorum ſine Charitate. De ea namque actum eſt *Tom. III. Diſput. VI. Contr. IV.*

Notus eſt error Waldenſium aſſerentium, nulli eſſe parendum, qui culpa mortali gravatus

Digitized by Google

vatus ſit; quia talis nulla dignitate potiri poteſt. Quam blaſphemiam graviori calamo ſunt proſecuti Wicleph., & Joannes Hus, quorum primus dicit reum peccati mortalis nec Regem eſſe, nec Comitem, nec Ducem, niſi equivoce, eo modo, quo homo pictus dicitur homo. Sic habet *de civili Dominio cap. 93.* -- Rex, Princeps, vel Dominus, temporalis, „ quo eſt in mortali peccato, non ſortitur „ nomen ſui officii, niſi nominetenus, & ſa„ tis æquivoce -- *Et in articulo 15. damnato a Concil. Conſtantienſi*, ait -- Nullus eſt Do„ minus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus „ eſt Epiſcopus in peccato mortali -- D. Bernardus *Serm. 96. ſuper Cantica* tribuit hunc errorem Hæreticis quibuſdam ſui temporis tacito nomine. Unde habemus hanc hæreſim eſſe Waldenſibus antiquiorem. Sed quidquid ſit de nominibus priorum Auctorum: contra omnes ſit concluſio.

Dico. Per peccatum mortale Dominus civilis non privatur Dominio temporali.

118 PROB. I. Gentiliter vivens eſt in peccato mortali, ſed ex Sacra Scriptura gentiliter vivens poteſt habere Dominium temporale; ergo peccatum mortale componitur cum Dominio. Explicatur min. Dominus ille eſt, qui ſubditas habet gentes ſervituti obligatas, ſed de Nabuchodonuſor gentiliter vivente dicitur Jeremiæ 27. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſervi mei: inſuper, & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi. Et ſervient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus, & ipſius, & ſervient ei gentes multæ, & Reges Magni.* Ecce quomodo homo malus dicatur Rex, Miniſter Dei, ſubjectos habens populos. Et Iſaiæ 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.* Vide homini iniquo ſubjecta Regna. Et Sapien. 6. *Data eſt a Domino Poteſtas vobis &c. cum eſſetis Miniſtri Regni illius, non recte judicaſtis.* Si non recte judicabant, mali erant.

Peccatum componitur cum dominio.

119. DICES. Iſti vocantur Reges æquivoce, & ſolo nomine; ergo &c.

Contra. Homo æquivoce non dicitur, qui in re habet vitam hominis, ſed iſti in re habent Regna, & Subditas gentes, ut patet ex contextu, & habent pleno jure, quia a Deo. *Ego dedi omnes terras iſtas* dixit. Et Iſa. 45. *Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum &c.* Utique Hypocrita malus eſt, & tamen Job 34. dicitur: *Qui regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi.* Utique Pilatus peccabat Chriſtum morti tradens, & tamen dicitur Jo. 19. *Non haberes Poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Habent ergo Poteſtatem mali Principes, & quidem a Domino: non ergo ſunt æquivoce tantum Dominantes.

Principes etſi mali habent a Deo poteſtatem.

120 INSTABIS. Illa Poteſtas eſt apparens, tyrannica uſurpatione occupata Deo permittente. Verba enim illa: *Ego dedi: ego dabo: qui regnare facit &c.* ſonant permiſſionem, non collationem, & approbationem; ſicut quando dicitur Job 12. v. 24. *Qui immutat cor Principum populi terræ, decipit eos, ut fruſtra incedant per invium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet, quaſi ebrios*, & verſ. 17. *Adducit Conſiliarios in ſtultum finem, & Judices in ſtuporem.* Permiſſionem ſignificant, non approbationem.

Contra. Quod Deus permittit, non aſſumit poſitive ut inſtrumentum ſuæ juſtitiæ, & ſapientis providentiæ, ſed Dominatione impiorum utitur poſitive tanquam inſtrumento ſuæ juſtitiæ, & ſapientis providentiæ, ſicut apparet ex textu Iſaiæ, Job; ergo &c. Permiſſive a Deo non eſt, quod exercetur in perſona ipſius, ſed Dominatio impiorum exercetur in perſona Dei; unde hi ſervi, & miniſtri ipſius dicuntur, ſicut apparet ex Jeremiæ teſtimonio; ergo &c. Deinde, non poteſt eſſe æquivoce Principi & apparenter Deo permittente, pro quo præcipitur vera ſubjectio, & obedientia, ſed pro impiis Principibus præcipitur vera ſubjectio, & obedientia; ergo &c. Tiberius Cæſar ſane carebat fide, & charitate, nihilominus ſcimus Chriſtum dixiſſe Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Peccatis onerati erant Dominantes temporibus Apoſtolorum; & tamen clamat Paulus ad Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Diſcolos non credimus bonos, & nihilominus Petrus Epiſt. 1. cap. 2. habet: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Bonis, & non bonis præſtanda eſt obedientia: boni ergo, & non boni revera retinent Poteſtatem Dominativam.

Malis Principibus obediendum.

Non ergo verba illa *Dabo, dedi &c.* ſenſum faciunt permiſſivum, ſed poſitivum. Nec valet inducta paritas ex cap. 12. Job; nam quando materia, ſupra quam cadit poſitiva locutio, ſignificans concurſum approbativum Dei eſt defectus intellectualis, vel peccatum, tunc ſenſus eſt permiſſivus; certum enim eſt hæc a Deo non eſſe, ſed quando materia non eſt defectus moralis, aut error intellectualis, ſed bonum phyſicum, vel morale, tunc ſenſus non eſt permiſſivus, ſed poſitivus. Dominatio temporalis ſecundum ſe non eſt aliquid malum, ſed bonum etiam per ipſos Hæreticos, & ideo volunt ea privari in pœnam peccati. Quare prædicta non poſſunt accipi permiſſive.

121 PROB. II. Quotieſcunque remanet fundamentum præcipuum juris Dominativi, ſtare poteſt legitima Dominatio, ſed cum peccato ſtat fundamentum præcipuum, ſeu radicale juris Dominativi; nam capacitas fundamentalis non eſt gratia, vel fides, ſed eſt natura intellectualis, qua homo factus eſt ad ſimilitudinem Dei, & ideo dicitur Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris &c.* Porro natura intellectualis non tollitur per peccatum; ergo nec tollitur radicalis titulus Dominationis, nec alii tituli proximi, ut jus hereditatis, vel electionis, ac proinde componitur Dominatio cum ſtatu peccati.

Jus Dominativum ſtat cum peccato.

Hinc

Hinc bene Ambroſius *tom. 2. de Incarnatione Verbi ſub initio* -- Converſio (*ait*) „ noſtra ad eos eſt, & Dominantur nobis in „ ſeculo peccatores. Peccator enim Domi„ natur in ſeculo; juſtus in Dei Regno -- Hieronymus *in Commentario Iſaiæ lib.* 12. -- „ Ad ipſum Cyrum Deus apoſtrophem facit: „ Dedi tibi theſauros, & abſconditas opes „ cunctarum Urbium, ut qui prius colebas „ Idola, beneficiis unum ſentites Deum &c.— Et cæteri Patres communiter.

SOLVUNTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

122 OBJIC. I. Ille non eſt verus Dominus, quem ut talem Deus non agnoſcit, nec ex ipſo regnat, ſed ita eſt de impiis; unde dicitur Oſee 8. *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*; ergo &c.

RESP. neg. min. Nec locus adductus habet prætitatum ſenſum. Conqueritur Deus de Hebræis, quod voluerint habere Regem contra Deum, ideſt, deſpiciendo genus ſpeciale guberuii, quo regebatur populus Divina Ordinatione. Hic ſenſus manifeſtus eſt ex contextu Oſee, ubi dicitur: *In gutture tuo ſit tuba, quaſi Aquila ſuper domum Domini: pro eo quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam prævaricati ſunt. Me invocabunt, Deus meus cognovimus te Iſrael. Projecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum. Ipſi regnaverunt &c.* Voluiſſe enim Regem contra voluntatem Dei ait prævaricatos fuiſſe contra fœdus; & eſt una cauſa, propter quam traditi ſunt in captivitatem duriſſimam Babylonicam. Patet ex 1. Reg. cap. 8., ubi legitur, Hebræos poſtulaſſe Regem, & Deum dixiſſe Samueli: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et cap. 12., ubi prope mortem Samuel expouit ventura ob hoc crimen. *Scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem.* Igitur exprobrat Dominus inordinatam voluntatem habendi Regem, non autem, quod Regem impium non agnoſcat, & Poteſtatem ei non conferat; aliàs probaret, neque bonum agnoſcere, cum hæc cadant ſuper electionem Saulis eo tempore, quo recte ambulavit coram Domino.

Hebræi increpati, quia Regem petierunt.

123 OBJIC. II. Per peccatum homo amittit ea dona, quorum amiſſio taxatur in pœnam, ſed amiſſio Dominationis taxatur in pœnam peccati; ergo ea ſpoliatur Rex peccans. Min. habetur Eccleſiaſt. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias.*

RESP. Quidquid ſit de veritate majoris (ſunt enim plura taxata in pœnam peccati, quæ non incurruntur ſtatim ab inſtanti peccati) nego minorem, cujus falſitas evincitur, tum ex eo, quod per plures generationes conſervavit Deus regna graviſſimis peccatoribus, ut in exemplo Nabuchodunoſor, cujus filio, & nepoti dedit Deus Sceptrum; tum quia regna tranſlata ſunt a gente iniqua ad iniquam, ut patet de Regno Aſſyriorum, & ſimilium. Senſus ergo legitimus eſt, quod quandoque Deus propter peccata donat victoriam uni contra alium, & unus ſpoliatur Regno, alter ditatur.

Plures iniqui vere regnaverunt.

124 OBJIC. III. Wicleph. *cap. 2. de civili Dominio* -- Deus non præſtat alicui, dum „ eſt in peccato mortali, aliquod bonum „ ſuum; ergo nullus exiſtens in peccato mor„ tali habet pro tunc juſte ſimpliciter aliquod „ bonum Dei -- ſed Dominatio eſt bonum Dei; ergo nullus exiſtens in peccato mortali juſte habet Dominationem; ergo nominetenus peccator eſt Dominus, & Rex. Unde *cap.* 72. infert -- Nos non debemus præſtare, „ vel donare aliquid peccatori, dum cogno„ ſcimus ipſum eſſe talem, quia ſic foveremus proditorem Domini noſtri -- indeque deducit eleemoſynam non eſſe faciendam, niſi bonus ſtatus mendicantium ſciatur, ne forte ſint præſciti. Aſſumptum declarat illo Eccleſiaſtis 2. *Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo*: Ideſt bona bonis, & mala malis tantum dat Deus.

RESP. Argumentum aſſumit æquivoce nomen boni. Bonum Dei aliud eſt ſimpliciter tale, & abſolute, aliud ſecundum quid, & reſpective bonum abſolute, & ſpecialiter eſt bonum animæ, gratia videlicet gratum faciens; hoc utique bonum ſoli juſto dat Deus. Bonum ſecundum quid & reſpective eſt bonum corporis, & intellectus, ut ſunt ſanitas, divitiæ, potentia, eruditio, vitæ longitudo; & hoc dat Deus bonis, & malis, & ut dicit Auguſtinus *in Pſal.* 67. -- Aliquando „ plura bonis, pauciora malis; aliquando „ plurima malis, nulla bonis -- Job 12. legimus: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum.* Pſal. 135. *Qui dat eſcam omni carni.* Jacob. 1. *Qui dat omnibus affluenter.* Omnibus dixit, ſive bonis, ſive malis. *Receſſerunt, & abierunt. Et non dixerunt in corde ſuo. Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & ſerotinam in tempore ſuo; plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.* Jerem. 5.

Bonum Dei aliud animæ, corporis aliud.

Matth. 6. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, unde Auguſtinus *in Pſal.* 67. rationem innuit, cur bona hæc malis, & bonis concedat Deus -- Quia ſi ſolis bonis ea da„ ret, putarent & mali propter hæc colen„ dum Deum. Rurſus, ſi ea ſolis malis da„ ret, timerent boni infirmi converti, ne „ iſta illis forte deeſſent --

Hugo *in expoſitione Eccleſiaſtis* verſans illud Pſalm. *Mentita eſt iniquitas ſibi* acute demonſtrat, Deum bona hæc temporalia dare bonis, & malis; & ſimiliter mala bonis, & malis: additque rationem -- Bonis enim, & „ bona dat, ut foveantur; & mala dat, ut „ exerceantur, & mala malis dat, ut caſti„ gentur; & bona dat, ut ad pietatem pro„ vocentur -- Concludit tamen -- Dat niſi „ bonis vera bona; & vera mala non niſi ma„ lis -- Si ergo dat bona temporalia etiam malis, male concluditur Regnum non dari

pec-

Digitized by Google

peccatoribus , nec peccatoribus faciendam eſſe eleemoſynam . Scriptum eſt enim Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus , ciba illum : ſi ſitierit , da ei aquam bibere ; prunas enim congregabis ſuper caput ejus , & Dominus reddet tibi* . Ubi Hieron. *apud Vvaldenſem* -- Nolite
„ negare illud , quod Dominus nulli negat ,
„ quamvis ſit blaſphemus , & impius ; hoc
„ enim faciens &c. Ut , cum carbones intel-
„ lexerit per tuam indebitam miſericordiam
„ congregari , excutiat eos , hoc eſt , conver-
„ tatur , & diligat te , quem habuerat ali-
„ quando peroſum -- Non ergo fovemus proditorem in proditione , ſed in charitate Chriſti , ut deſinat eſſe proditor .

Nec aſſumptum probatur ex adducto textu Eccleſiaſtis , qui in littera habet planam intelligentiam , ſcilicet , veram ſapientiam dare Deum ſolis juſtis ; in vera autem ſapientia ſtat vera quies , & vera boni poſſeſſio : Peccatori verò concedit acquiſitionem bonorum temporalium , in qua non ſunt niſi curæ , & ſolicitudines , & afflictiones ; & ideo concludit · *Sed & hoc vanitas eſt , & caſſa ſolicitudo mentis* . Vera enim ſolicitudo illa eſt, per quam curamus bona ſalutis æternæ , quæ ſunt vera dona Dei ſolis reſervata juſtis .

Vera bona pro juſtis .

125 OBJIC. IV. Poteſtas , quæ eſt a Deo , ordinata eſt , ſed Poteſtas , quæ eſt in peccatore , non eſt ordinata ; ſiquidem illud ordinatum non eſt , quod contravenit primæ juſtitiæ , ut accidit in caſu peccati ; ergo &c.

RESP. neg. min. Poteſtas , quæ eſt in Dominante peccatore , ordinata manet ; quia ſtatuta eſt a Divina providentia ad bonum communitatis , & ad conſequendos fines præintentos per ſuam rectiſſimam voluntatem . Quare diſtinguendum eſt meritum perſonale , & ordo dignitatis . Si attendatur meritum perſonale , Princeps in peccato non eſt ordinatus , nec meretur ullum bonum , ſi attendatur ordo dignitatis , ordinationem dicit , & ei debetur reverentia , & tributum .

Poteſtas ordinatur ad bonum commune .

126 OBJIC. V. Qui poſſidet bonum aliquod ſine licentia Domini , injuſte poſſidet, ſed exiſtens in peccato ſine licentia Dei , qui eſt Dominus , tenet temporalem Dominationem ; ergo . Min. prob. Nam dans famulo bonorum adminiſtrationem concedit ſub limitatione non abutendi , ac proinde poſito abuſu jure ſtatim ſpoliatur -- Deus limitans omni famulo ſuo con-
„ tinuum ſervitium , conſtituit utrobique u-
„ ſos limites , abuſum penitus interdicens .
„ Ideo non eſt dubium quin eo ipſo , quod
„ qui abutitur Poteſtate , injuſte occupet bo-
„ na Dei ſine licentia ad hoc data ; & per
„ conſequens Omnipotens eo ipſo ſpoliat ip-
„ ſum jure ſuo ; quia aliter indubie oporte-
„ ret , quod Deus auctorizet abuſum (quem
„ injuſtus continuat) & quidquid facit -- Ita Wicleph. *de Civil. Dom. c. 6.*

RESP. neg. min. Cujus probatio amphibologicum aſſumit principium . Peccans Dominus , vel delinquit in materia propria Poteſtatis v. g. injuſte opprimendo ſubditum , vel in altera materia ceteris communi , v. g. blaſphemando . Si peccat ſecundo modo , proprie loquendo non abutitur ſibi collata auctoritate , nec eſt malus Princeps formaliter , ſed malus homo . Si peccat primo modo , in

Rex poteſt eſſe malus homo, & malus Princeps .

proprietate eſt malus Rex , & abutitur ordine ſuo . Ex dupliciter hoc evenire poteſt :
A Vel enim excedit quoad modum , ideſt actum aliàs validum exercens , ſed ex malo fine , ut ſi malefactorem plectat ex odio , vel excedit quoad ſubſtantiam , ſcilicet , exercendo actum non contentum intra ſpheram ſuæ juriſdictionis , quo modo actus eſt nullus , & eſt verus abuſus ; ſicut cum contra juſtitiam , & bonum commune diſponit . Actus ſecundi generis nullo modo ſunt a Poteſtate a Deo collata . Actus primi ſunt ſecundum validitatem , & ſubſtantiam , non verò ſecundum modum , qui diſparate ſe habet ad influxum principii , ordinis , & dignitatis . Unde Deus nullo mo-
B do approbat abuſus , immo ipſi diſplicent .

Nec inde ſequitur eo ipſo ſpoliari peccantem jure ſuo ; ſicut in humanis , non illico Œconomus ſpoliatur adminiſtratione , quia abutitur quandoque auctoritate ſibi conceſſa . Nec fovet abuſum conſervando Poteſtatem , quia permittit peccatum ex malitia alterius , dirigendo validitatem actus ad fines juſtos ſuæ providentiæ .

Ultimis verbis videtur Hæreticus innuere Dominantem in ſtatu peccati mortalis ſemper peccare exercendo ſuum munus , cujus examen relinquo Moraliſtis . Dicerem tamen cum Angelico 2. 2. *quæſt. 60. art.* 3. Peccare ,
C ſi peccatum eſt publicum , unde ſcandalum oriatur , vel parvipenſio auctoritatis , irriſio legum , & judiciorum &c. Non peccare dicerem , ſi peccatum ſit occultum ; quia peccatum mortale non contrariatur juriſdictioni requiſitæ ad recte adminiſtrandam juſtitiam , ideſt lumini rationis , aliiſque principiis requiſitis ad bene gubernandum .

127 OBJIC. VI. Rex Saul per mortale peccatum Regiam amiſit juriſdictionem in populum Dei Iſrael ; ergo per peccatum mortale amittitur civilis Poteſtas . Conſeq. patet . Antecedens probatur ex lib. 1. Regum cap. 15. , ubi habetur , quod ob peccatum
D inobedientiæ , quo Rex Saul non obedivit præcepto Domini circa deletionem Amalecitarum , fuit ſpoliatus Regia Poteſtate : *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini ; abjecit te Dominus , ne ſis Rex* . En quomodo pro ratione expulſionis , ne eſſet Rex, aſſignatur violatio præcepti Domini .

RESP. I. Omiſſo anteced. neg. conſeq. quæ ex hoc caſu ſpeciali non deducitur ; eo vel maxime , quod in Sacra Scriptura habeatur oppoſitum de Cyro Rege Perſarum , atque Medorum , & de Nabuchodonoſor Rege Aſſyriorum , de Hazaele Rege Syriæ , de Jehu Rege Iſrael , & de tot aliis impiis Regibus
E Iſrael , & Juda . Reſp. II. retorquendo argumentum . Sicuti Rex Saul violavit præceptum Domini circa deletionem Amalecitarum , ita violavit præceptum Domini circa oblationem Holocauſti , non expectato Samuelis adventu poſt ſpatium ſeptem dierum , ſed per violationem præcepti Domini circa oblationem Holocauſti , non expectato Samuelis adventu, Rex Saul Regiam non amiſit Poteſtatem , ut clare demonſtrat Scriptura , & argumentum ſupponit ; ergo neque per violationem præcepti Divini circa deletionem Amalecitarum .

Plures iniquè regnaverunt in Iſrael .

Neque obſtat , ſi dicatur peccatum Saul

circa oblationem Holocauſti non fuiſſe peccatum Regis, ut Regis, ſicuti peccatum, quod commiſit Amalecitas non delendo; quia ſcilicet hoc peccatum fuit in re militari, abutendo Regia Poteſtate, & uſurpando Poteſtatem Sacerdotalem.

Non obſtat (inquam) primo. Quia jam non per omne peccatum mortale deperditur Civilis Poteſtas, atque juriſdictio. Secundo. Per Adverſarium ratio, ob quam Rex Saul per peccatum, quod commiſit non delendo Amalecitas (quidquid ſit, an hoc peccatum fuerit Regis, ut Regis, an non) amiſit Regiam Poteſtatem, eſt, quia abjecit Sermonem Domini, ſed etiam quando peccavit offerendo Holocauſtum abjecit Sermonem Domini, ut patet ex verbis Samuelis relatis cap. 13. lib. 1. Regum, & infra referendis; ergo etiam &c. Et verè non ſolum propter ſecundum peccatum, ſed etiam propter primum Rex Saul abjectus fuit a Deo, ne amplius eſſet Rex ſuper Iſrael, modo infra explicando, ut habetur cap. 13. citato. Et certe peccatum hoc, quod commiſit Rex Saul offerendo Holocauſtum, grande fuit, graviter ſuperno judicio feriendum; non enim tale fecit Ozias Davidici generis de Tribu Juda; tantum ingreſſus Templum Domini adolere voluit incenſum Domini ſuper Altare Thymiamatis: & tamen ſtatim Divina ultio ſuperbiam ejus percuſſit. Orta eſt enim lepra in fronte ejus in domo Domini coram Sacerdotibus, unde & leproſus uſque ad diem mortis ſuæ habitavit in domo ſeparata ſecundum legem leproſi, ut habetur 2. Paralipomenon cap. 26. Quanto magis iſte proiciendus fuit, qui totum ſibi Sacerdotis officium uſurpavit? Futilis eſt ergo diſtinctio illa peccati Regis, ut Regis.

RESP. III. Negando abſolute antecedens ſecundum veritatem Sacræ Hiſtoriæ. Ejus autem probatio ſolum evincit, quod Dominus abjecit Saul, ne eſſet Rex ſuper Iſrael in ſua familia, ſecus autem in ſua perſona. Audiamus verba Samuelis cap. 13., & cap. 28. lib. 1. Regum cap. 13. *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris, quæ præcepit Dominus.* Cap. 28. *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David: quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.*

Saul a Deo reprobatur ne regnaret in filiis.

Audiamus verba Saulis Jonatham filium ſuum alloquentis cap. 20. v. 31. *Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque Regnum tuum.* Audiamus verba Jonathæ ad David cap. 23. *Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael; & ego ero tibi ſecundus; ſed & Saul pater meus ſcit hoc.* Audiamus verba Abner Principis Militiæ Saul, & Iboſeth cap. 3. num. 9. Reg. 2. *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur Regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſrael, & ſuper Judam a Dan uſque Berſabee.* Audiamus, & verba omnium Tribuum Iſrael ad David in Hebron lib. 2. Reg. cap. 5. *Ecce nos, os tuum, & caro tua ſumus, Sed & heri, & nudius tertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael; & tu eris Dux ſuper Iſrael.* Apparet ergo manifeſte ex Sacra Scriptura, quod Deus abjecerit Saul, ne eſſet Rex ſuper Iſrael in ſua familia, & non in propria perſona -- Ne „ ſis Rex (*Auguſtinus ſic exponit*) In poſte„ ris: quia ſicut pater vivit in filiis; ita re„ gnat in filiis --

128 DICES. Ex Sacra Scriptura colligitur, quod Deus abjecerit Saul, ne regnaret ſuper Iſrael non ſolum in ſua familia, ſed etiam in ſua perſona; ergo reſponſio data nequit ſubſiſtere. Prob. antecedens. Ex Sacra Scriptura, ratio ob quam Deus abjecit Saul, ne regnaret ſuper Iſrael, eſt, quia abjecit ſermonem Domini, ſed Saul in ſua propria perſona abjecit ſermonem Domini; ergo etiam in ſua propria perſona abjectus fuit a Deo, ne eſſet Rex ſuper Iſrael. Urgetur argumentum. Secundum ordinem Divinæ juſtitiæ, qui facit peccatum, debet in ſe ſubire pœnam talis peccati, ſed Saul peccavit in propria perſona abjiciendo ſermonem Domini; ergo non ſolum in ſua familia, ſed etiam in propria perſona debuit ſubire pœnam expulſionis a Regia Poteſtate. Explicatur argumentum: Quia privatio juſtitiæ originalis, & rebellio carnis adverſus ſpiritum fuit pœna peccati originalis, non ſolum nos poſteri, ſed etiam Adam; immo, & multo magis ipſe, quia violavit Divinum præceptum de non comedendo de ligno vetito, fuit privatus juſtitia originali, & ſenſit rebellionem partis inferioris adverſus ſuperiorem, ſed expulſio Saul, ne eſſet Rex, fuit pœna violationis Divini præcepti de deletione Amalecitarum, quod ipſe violavit; ergo non ſolum Saul perdidit Regiam Poteſtatem in ſuis poſteris, ſed multò magis in ſua propria perſona.

RESP. neg. antecedens. Ad probationem conceſſa maj., & min. negatur conſeq. Quia ratio ob quam abjectus fuit a Deo, ne regnaret in ſua familia, fuit, quia ipſe abjecit ſermonem Domini, & patet hoc ex verbis Samuelis cap. 28. num. 6. lib. 1. Regum ſupra relatis. Ad primum: concedo totum ſyllogiſmum, nec inde infertur, quod Saul in propria perſona amiſerit Regiam Poteſtatem; ſiquidem pœna perſonalis Saul fuit, quod Regnum ejus in ſua familia ultra non conſurgeret. Maxime cum hoc ei manifeſtatum fuerit per immutabilem Dei voluntatem. Nonne maxime affligeretur Rex Galliæ, vel Luſitaniæ, ſi Regnum ejus ultra non conſurgeret in ſuis filiis, ſed tranſiret ad æmulum ſuum, & ſi id ſciret certitudine Divinæ revelationis? Sed hoc accidit Sauli ob violationem Divini præcepti; ergo. Ad ſecundum. Privatio juſtitiæ originalis, & rebellio carnis adverſus ſpiritum fuit pœna peccati originalis Ada-

Saul in propria perſona a Deo punitus.

Adami in ſe, & ſuis poſteris; unde nil mirum, ſi ipſe peccans violando Divinum præceptum de non comedendo de ligno vetito, fuerit privatus juſtitia originali, & ſenſerit rebellionem partis inferioris adverſus ſuperiorem tam in ſe, quam in ſuis poſteris, cum hoc peccatum fuerit peccatum capitis. Expulſio autem Saulis, ne eſſet Rex in ſua familia, fuit pœna perſonalis ipſiuſmet Saulis, ut ſupra explicui, ob violationem Divini præcepti de deletione Amalecitarum, cum hoc eſſet peccatum perſonale, ac per conſequens non recte infertur, quod non ſolum in ſua familia, ſed etiam in propria perſona abjectus fuerit a Deo, ne eſſet Rex.

Ultra quod Rex Saul fuit etiam punitus in ſua propria perſona ex eo quod Spiritus Domini receſſerit ab eo, & invaſus fuerit a ſpiritu malo; quod occiſus fuerit in prælio; & quod poſt mortem pœna æterna punitus fuerit.

129 INSTABIS. Si non abjeciſſet Dominus Saul, ne eſſet Rex in ſua propria perſona, debuiſſet Samuel reverti cum eo; maxime ab ipſo rogatus, & ut adoraret Dominum, quia debebat ipſi, ut Regi obedire, & multo magis, ut daret exemplum ſubditis circa obedientiam præſtandam Superioribus, ſed Samuel noluit cum Saule reverti: nam eodem capite habetur: *Non revertar tecum, quia projeciſti ſermonem Domini, & projecit te Dominus*, 1. Reg. 15. v. 26.; ergo. Confirmatur ex ſequentibus verbis ejuſdem capitis. *Et converſus eſt Samuel, ut abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: ſcidit Dominus Regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*. Ponderanda ſunt hæc verba: *Scidit Dominus regnum Iſrael a te hodie, & tradidit illud proximo tuo*, ſcilicet David. Hæc Samuelis verba ſi conferantur cum illis Nathan Prophetæ ad David 2. Reg. 14. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* poſt egregium illum pœnitentiæ actum *Peccavi Domino* manifeſte apparet, David ex tunc temporis conſtitutum fuiſſe verum Regem Iſrael, cum e contra Saul remanſerit ſolum Rex fictitius, chimericus, & tyrannus.

RESP. neg. maj. Siquidem, ut ex eodem capite manifeſte apparet, Samuel, ut reprehendens Saulem, ſe geſſit ut Propheta Domini, zelans honorem ejus, ſed ut Propheta Domini erat Superior ad Saulem; ergo non tenebatur ei obedire. Ad confirmationem reſpondeo: *Scidit Dominus Regnum Iſrael a te hodie*, ideſt a te in tua perſona, nego: a te, ideſt in tua familia, concedo. Et tradidit hodie David in jure promiſſionis, concedo: In jure poſſeſſionis, nego. Tradendum autem erat in jure poſſeſſionis poſt mortem Saulis, ſicut evidenter colligitur ex Scripturis ſupra relatis, & præcipue ex cap. 28. lib. 1. Regum. Et cap. 3., & 5. lib. ſecundi. Et ex hoc patet ſolutio ad inſtantiam. Præterea contritio perfecta, quam David habuit, eſt incompoſſibilis cum peccato mortali, ſecus autem Regia juriſdictio, ut ſupra probatum eſt.

Regnante Saule David erat Rex jure promiſſionis.

130 SUBSUMES. Sed ex contextibus Scripturarum apparet, quod Dominus ſcidit Regnum a Saul adhuc in ſua perſona; & tradidit illud David etiam in jure poſſeſſionis: licet tyrannice illud poſſederit Saul uſque ad diem mortis ſuæ; ergo explicatio data nequit ſubſiſtere. Prob. ſubſumptum ex unctione David in Regem Iſrael, facta a Samuele ex mandato Domini, deſcripta cap. 16. lib. 1. Regum; quod ſic formari poteſt. Sicut ex mandato Domini Samuel prius unxerat Saul in Regem Iſrael, ſic poſtea unxit David, ſed ungendo Saul in Regem Iſrael, Saul conſtitutus fuit verus Rex Iſrael; ergo etiam, & David.

RESP. neg. ſubſumptum. Ad cujus probationem conceſſa maj. diſt. min. Sed ungendo Saul in Regem Iſrael, Saul conſtitutus fuit verus Rex Iſrael in jure promiſſionis, conc. min. Conſtitutus fuit verus Rex Iſrael in jure poſſeſſionis, neg. minorem: in jure autem poſſeſſionis conſtitutus fuit, quando Samuel applicuit omnes Tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper Saul de Tribu Beniamin, & clamavit omnis populus: *Vivat Rex*, ut habetur cap. 10. David autem quando unctus fuit a Samuele clam in domo Patris ſui, neſciente Saule, conſtitutus fuit Rex ſuper Iſrael in jure promiſſionis. In jure autem poſſeſſionis primò ſuper Tribum Juda, quando conſulto Domino aſcendit in Hebron: *Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda*: ut habetur cap. 2. lib. 2. Reg.

Secundo. Quando: *Et venerunt univerſæ Tribus Iſrael ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudiuſtertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Dux ſuper Iſrael. Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in Regem ſuper Iſrael*: ut habetur cap. 5. lib. 2. Reg. Ex quo habes ter unctum fuiſſe David in Regem. Primo a Samuele in domo Patris ſui neſciente Saule, & per talem unctionem unctus fuit in Regem in jure promiſſionis. Secundo a viris Juda in Hebron, mortuo Saule, & per talem unctionem fuit unctus Rex in jure poſſeſſionis ſuper Tribum Juda. Tertio a ſenioribus Iſrael adhuc in Hebron, mortuo Isboſeth filio Saulis, & per talem unctionem unctus fuit Rex in jure poſſeſſionis ſuper omnes Tribus Iſrael.

David ter unctus in Regem.

131 URGEBIS. Per primam unctionem David conſtitutus fuit Rex ſuper Iſrael, non ſolum in jure promiſſionis, ſed etiam in jure poſſeſſionis; quia per jus poſſeſſionis intelligitur, quod acceperit Poteſtatem Regiam, quam amiſit Saul; ergo. Prob. antecedens ex eo, quod per talem unctionem: *Directus eſt ſpiritus Domini a die illa in David, & deinceps &c. Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino*, 1. Reg. 16. Ex hoc textu ſic argumentum urgetur. Signum, quod Dominus unxiſſet Saul in Principem ſuper hereditatem ſuam, & illi contuliſſet Regiam Poteſtatem, atque juriſdictionem, fuit quod inſilierit in Saul ſpiritus Domini, ſed per primam unctionem David in Regem ſuper hereditatem

Domini ſpiritus Domini receſſit a Saul, & directus eſt ad David; ergo per primam unctionem David accepit Poteſtatem, & juriſdictionem Regiam, quam amiſit Saul. Prob. maj. ex cap. 10. lib. 1. Regum: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait. Ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem &c. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem &c. Venies in collem Dei, ubi eſt ſtatio Philiſtinorum: & cum ingreſſus fueris ibi Urbem, obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.*

RESP. neg. antecedens. Ad probationem neg. maj. quoad ſecundam partem, quam textus non probat. Solum enim probat, quod Spiritus Domini, qui inſilijt in Saul, fuerit ſignum Divini beneplaciti, quod unctus fuerit in Principem ſuper hereditatem Domini. Sed per talem unctionem Saul recepit Regiam Poteſtatem in jure promiſſionis; in jure autem poſſeſſionis accepit, quando Samuel applicuit omnes Tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper Saul, & populus clamavit *Vivat Rex*; ſive deinde hæc poteſtas collata fuerit immediate a Deo, ſive mediate. Spiritus autem Domini, qui inſilijt in Saul, poſt unctionem in Principem ſuper hereditatem Domini, qui poſtea receſſit ab eo, & directus eſt ad David, fuit ſpiritus Prophetiæ, & Fortitudinis, ut Sacra enarrat Hiſtoria in perſona utriuſque.

In perſona Saul cap. 10. lib. 2. Regum habetur: *Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis &c. Fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt*. In perſona David expreſſius habetur in Sacra Scriptura. Nam ea tunc, & Pſaltes inclytus factus eſt, prophetans, & citharizans magnalia Domini, Pſalmoſque componens myſteria continentes filii Dei, filii ſui Chriſti. Etiam fortitudine indutus eſt, quemadmodum ipſe teſtatur cap. 17. num. 34. ad Saul: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel Urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum; & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam, & Leonem, & Urſum interfeci ego ſervus tuus. Erit igitur, & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis*.

Directus eſt igitur a die illa Spiritus Domini ad David, quem invenit ſecundum cor ſuum, & receſſit a Saul, cujus cor jam depravatum erat, & exagitabat eum ſpiritus malus dæmoniacus. Porro per unctionem David in Principem, & directionem Spiritus Domini ad ipſum, & receſſum ejuſdem a Saule, nec Saulem perdidiſſe Regiam Poteſtatem, atque juriſdictionem, nec Davidi fuiſſe traditam tunc pro tunc in jure poſſeſſionis, Sole clarius eſt in tota Sacra Scriptura ex ſequentibus.

Primo. Poſt unctionem, & directionem Spiritus Domini David factus eſt Armiger Saulis, ut habetur cap. 16. num. 21. Secundo. David ſervivit Sauli ut Miles. Cap. 18. num. 5. *Poſuitque eum Saul ſuper viros belli*. Ibid. verſ. 13. *Fecit eum Tribunum ſuper mille viros*. Tertio, & urgentius. David profeſſus eſt ſe ſervum Saulis, & cognovit eum ut verum Dominum ſuum, & Regem Iſrael. Cap. 17. num. 32. *Ego ſervus tuus vadam, & pugnabo adverſus Philiſthæum.* Verſ. 34. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem*. Cap. 18. num. 18. *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, ut fiam gener Regis*. Cap. 24. num. 7. *Dixitque ad viros ſuos: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt*. Ibid. verſ. 9. *Porro Saul exurgens de ſpelunca pergebat cœpto itinere. Surrexit autem & David poſt eum, & egreſſus de ſpelunca clamavit poſt tergum Saul dicens: Domine mi Rex. Et reſpexit Saul poſt ſe, & inclinans ſe David pronus in terram adoravit, dixitque Saul &c. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca: & cogitavi ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim: Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt &c. Quem perſequeris Rex Iſrael? Quem perſequeris?*

David poſt primam unctionem ſerviebat Sauli.

Quarto probatur ex tempore, quo regnavit David. Cap. enim 5. lib. 2. Reg. dicitur regnaſſe quadraginta annis, ſeptem, & ſex menſibus in Hebron, & regnare cœpit, quando venerunt viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Juda, ut habetur cap. 2. lib. 2. Reg.: In Jeruſalem autem triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Judam, quando venerunt univerſæ Tribus Iſrael ad David in Hebron, & ſeniores Iſrael, & unxerunt eum in Regem ſuper Iſrael, ut habetur cap. 5. lib. 2. Reg. Evidens ergo eſt, quod poſt directionem Spiritus Domini ad David, & receſſum ejuſdem a Saule, Saul non perdiderit Regiam Poteſtatem.

132 DICES. Sicut cap. 5. lib. 2. habetur, quod David regnaverit quadraginta annis, ita cap. 13. lib. 1. habetur, quod Saul duobus annis regnaverit ſuper Iſrael: ſed quia dicitur in Scriptura David regnaſſe quadraginta annis, ante hoc tempus non habuit Poteſtatem, & juriſdictionem Regiam; ergo etiam Saul poſt duos annos, quibus regnavit ſuper Iſrael, perdidit Poteſtatem, & juriſdictionem Regiam, & ſi remanſit Rex, fuit Rex fictitius, chymericus, & tyrannus.

RESP. Eodem cap. 13. habetur: *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael*: ſed revera non erat puer unius anni cum regnare cœpit; ergo neque duobus ſolum annis regnavit. Vera ergo hujus textus intelligentia ex Scriptura deſumenda eſt. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet*, ideſt humilis erat, & quaſi parvulus. Unde cap. 15. dicitur: *Cum parvulus eſſet in oculis tuis, Caput in Tribubus Iſrael factus es*. Duobus annis regnavit ſuper Iſrael, ideſt retinens morum rectitudinem, & ambulans in viis mandatorum Dei populum rexit: in reliquis vero annis ea rectitudine carens; cum evaſerit ſuperbus, & inobediens præceptis Domini. Vel

Saul quomodo duobus annis regnavit.

(ſicut

(ſicut explicat Rupertus Abbas) Saul innocens erat quando regnare cœpit, ſicut filius unius anni, & in eadem innocentia duobus annis regnaſſe dicitur. Hæc explicatio, quam huic textui dedimus, communis eſt, & expreſſa eſt apud Sanctos Patres; unde eorum auctoritates recenſere abſtinemus.

CONTROVERSIA VII.

AN POLITICUS MAGISTRATUS SIT IMMEDIATE A DEO.

CONtroverſia præſens dogmati nec proficit, nec officit. Licet ea abutatur Jacobus Rex Angliæ cum aliis quibuſdam, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritatem evertat. Verum ultro admiſſa omnimoda immediatione a Deo adhuc nil contra nos urgeret, ut ex infra dicendis compertum fiet.

Quare nos præciſe ad exquirendam veritatem Theologicum hocce corollarium examinabimus, in quo certum ſupponitur Politicam Dominationem eſſe a Deo, prout Scripturæ clamant. Proverb. 8. *Per me Reges regnant*. Sapient. 6. *Audite ergo Reges &c. Quoniam data eſt a Domino Poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo*. Rom. 13. *Non eſt enim Poteſtas, niſi a Deo*. Quare difficultas eſt de modo, quo a Deo eſt, ſcilicet mediate, an immediate in proprietate ſermonis. Ad cujus elucidationem.

Omnis poteſtas a Deo.

133 Notandum eſt I. Deum dici cauſam immediatam alicujus effectus dupliciter: Primo per modum cauſæ Univerſalis, quatenus concurrit ad productionem cujuslibet rei, vel immediatione virtutis, quia omnis cauſa ſecunda operatur per virtutem acceptam a prima: vel immediatione ſuppoſiti, quia Deus per eſſentiam eſt omnibus præſens, & nullo alio principio medio operatur. Et in hoc ſenſu non currit Controverſia, cum iſte modus dependentiæ ſit communis cuicunque creato: Secundo per modum ſolius cauſæ proximæ, ideſt, quando Deus ſolus per ſuam voluntatem eſt cauſa particularis, & proxima conferens virtutem, & producens effectum; & de hac immediatione nunc quæritur.

134 II. Duo ſunt modi, quibus immediate tanquam cauſa proxima per ſuam voluntatem Deus dat creaturis virtutem, ſeu poteſtatem: Primus eſt, quando unum naturaliter, & neceſſario conſequitur ex alio, quod a Deo immediate per ſe producitur; ſic, quia potentia intellectiva, & volitiva conſequuntur ad animam, quæ per ſe a Deo, & immediate creatur, Deus dicitur immediate cauſa tum animæ, tum potentiarum; quia licet hæ emanent, id tamen accidit vi illius actionis, per quam producitur forma: Secundus, quando id quod datur non eſt connexum cum aliqua natura, vel perſona, ſed ſuperadditum. Taliter contingit, quando res ſunt diverſi ordinis, vel rationis, quas Deus concedit ſpeciali motu ſuæ voluntatis: cujuſmodi ſunt gratiæ gratis datæ, quas Paulus enumerat v.g. linguarum, & ſanitatum, & ſimilium.

135 III. Dominatio ſumi poteſt abſtractive, vel concretive. Abſtractive accipitur, ut dicit Poteſtatem regitivam, abſtrahendo a genere regiminis, & perſona, per quam adminiſtratur. Concretive venit dupliciter, penes modum, & penes perſonam. Penes modum, quando determinatur modus Monarchiæ per unum abſolutum, Ariſtocratiæ per Optimates, Democratiæ per totum populum: Modus mixturæ per admixtionem unius, & alterius. Penes perſonam, quando determinatur perſona individua, v. g. Carolus, aut familia aliqua, v. g. Levi.

136 IV. Deus eſt cauſa immediata proxima primo modo Dominationis abſtractive acceptæ; quia, quæ conſequuntur naturam immediate, tribuuntur principio per ſe, & immediato illius naturæ, ſed Poteſtas regitiva abſtractive ſumpta conſequitur ad naturam humanam; ergo tribuitur immediato principio ipſius naturæ. Minor declaratur. Naturæ humanæ naturaliter ſociabili debitum eſt genus aliquod regiminis, quo ad bonum pacis, & injuſtitiæ promoveatur; implicat enim pacifice, & juſte convivere homines, niſi ſub aliquo bono Regulante humanum convictum; lumine enim rationis (ſecluſa quacunque revelatione) dignoſcunt Gentes neceſſariam eſſe æquitati, & conſervationi ſocietatis rationalis Poteſtatem regitivam, ſicut in prima Controverſia demonſtratum eſt. Igitur abſque alio, poſita productione Communitatis humanæ, per modum proprietatis, ſeu ſequelæ, & debiti, reſultat neceſſitas Magiſtratus politici abſtractive.

137 V. Naturali ſequela non debetur humanæ Communitati politica gubernatio concretive. Ratio eſt, quia naturaliter illud tantum debitum eſt Communitati, quod eſt neceſſarium ejus æquitati, & conſervationi, ſed dirigi hoc, vel illo modo, per hanc, vel illam perſonam, vel familiam formaliter non eſt neceſſarium ſocietati naturali; cum utroque modo ſufficienter poſſit regi; ergo quod debeatur Monarchia, vel Ariſtocratia per hanc familiam, vel illam, non eſt eſſentialiter, vel naturaliter naturæ connexum. Non igitur concretive Monarchia, vel Ariſtocratia &c. dictatur poſitive a natura, nec debetur, ſed ſolum negative, quatenus poteſt Communitas aſſumere hoc, vel illud Regimen. Quare hoc modo politicus Magiſtratus non eſt a Deo immediate. Videndum eſt ergo, an poſitive ſit alio modo ſpecialiter a Divina voluntate, & potentia. Unde

Dico. Politicus Magiſtratus concretive acceptus non eſt immediate a Deo poſitive, ſecundum ordinariam providentiam.

138 PROB. Deus non poteſt eſſe poſitivus inſtitutor Magiſtratus immediate, niſi ut auctor naturalis, vel ſupernaturalis, ſed nullo ex his modis Deus hunc, vel illum modum Gubernii in hac, vel illa perſona immediate inſtituit; ergo Deus immediate non eſt Auctor politici Magiſtratus concretive accepti. Minor declaratur. Ut Auctor naturæ, vel eſt cauſa immediata, quia tale genus gubernii poſitive ſequitur ad creationem naturæ ſociabilis; vel quia poſitive conſtituit talem modum in tali perſona, ſed hoc eſt cla-

Magiſtratus non eſt poſitive, & immediate a Deo.

riſſime

riſſime falſum; ergo &c. Minor patet, quia naturæ ſociabili eſt debitum præciſe gubernari, & dirigi abſtractive, ſeu quantum ſufficit, ut ſimul vivant homines, & alter alteri opem ferat; communia pertractent negotia; mutuo conſilio communem hoſtem propulſent, ſed ad hoc ſufficit hic, vel ille modus in hac, vel illa perſona; ergo. Immo Monarchia, vel Ariſtocratia v. g. poſitive accepta, videlicet ſerviliter dominativa pugnat cum ipſa naturali conditione hominum; cum enim omnes nati ſint liberi, & in natura æquales, excluditur poſitiva, hoc eſt ſervilis ſubjectio unius ad alterum. Nullibi deinde habemus in principiis naturæ Deum tale genus Regiminis determinaſſe, talemque perſonam conſtituiſſe Principem ſuper alios; ergo ut Auctor naturæ non eſt immediata cauſa politici Gubernii concretive. Explicatur. Quia naturaliter Pater eſt principium activum generationis, ideo eſt naturaliter caput familiæ, ſed naturaliter Deus nullum ſive in perſona determinata, ſive in Senatu conſtituit Principem, vel Dominum civilis Communitatis, ſed potius oppoſitum; quia Geneſ. 1. homini creato ad imaginem ſuam poſitive ſolum dixit, quod dominaretur piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, item & membris ſuis; ait enim Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus*: ergo naturaliter Deus non inſtituit poſitive Monarchiam, vel Ariſtocratiam; adeoque jure Gentium ſunt hæc introducta.

Multo minus jure ſupernaturali hæc condita ſunt. Acta per Deum ſupernaturaliter agentem conſtant ex revelatis, ſed nullibi habemus revelatum, Deum determinaſſe civile Regimen in Monarchia, vel Ariſtocratia, vel altera ſpecie mixta, ut notum eſt; ergo &c. Declaratur. Jus Divinum, quo ſolus populus electus ducebatur, nonniſi poſt aliqua ſecula mentionem facit Regiæ Dominationis: & tamen plurimæ Gentes non ductæ lumine ſupernaturali jam tunc gubernabantur Regio Magiſtratu, teſte Scriptura; ergo Regia Dominatio non eſt introducta jure Divino ſecundum ſe. Et idem valet de aliis generibus Dominii.

139 PROB. II. Poſitiva hæc inſtitutio per jus naturale, vel Divinum vel eſt una pro omnibus Provinciis, vel diverſa pro diverſis, ſed nullum ex his ſubſiſtit; ergo. Minor declaratur. Si una eſſet pro omnibus, iniquum eſſet eâ non omnes uti; omne enim, quod poſitivo juri naturæ, vel Divino adverſum eſt, injuſtum eſt, ſed eſt certo certius ſine ulla iniquitate diverſas Provincias diverſimode eſſe gubernatas; ergo non fuit pro omnibus una inſtitutio. Si diverſa pro diverſis; ergo immutabiliter aſſignata pro una Provincia, in ea ſervari debuit, ſed ex uſu ab omnibus approbato patet, unam Provinciam modo habuiſſe unum Gubernii genus, modo aliud; ſicut conſtat de Romanis, & Gallis; ergo &c. Deinde deberemus ſaltem habere aliquam revelationem, per quam cognoſceremus Venetis Ariſtocratiam fuiſſe aſſignatam, Hollandis Democratiam, Hiſpanis Monarchiam, aut aliquod principium naturæ aſſignetur, unde hoc colligatur.

Ab hominibus eſt diſcrimen Gubernii.

140 PROB. III. Non minus ſunt a Deo cetera bona temporalia, puta Divitiæ, poſſeſſiones, quam Dominationes, & Principatus, ſed illa non ſunt translata in Dominium privatum, niſi medio jure humano via ordinaria; ergo etiam iſta. Declaratur breviter hoc diſcurſu. A principio omnia bona erant communia, jure tamen gentium, & jure civili conſtituta ſunt privata Dominia, quod iſti poſſiderent hanc portionem, iſti illam, & Deus medio hoc jure gentium, & civili dedit huic, & illi. Quare optime dixit Auguſtinus *tract. 6. in Joan.* relatus *diſt. 8. cap. Quo jure* -- Quo jure defendis villas Ec-
„ cleſiæ? Divino, an humano? Reſpondeant
„ Divinum jus in Scripturis habemus; hu-
„ manum jus in legibus Regum. Unde quiſ-
„ que poſſidet quod poſſidet? Nonne jure
„ humano? Nam jure Divino Domini eſt
„ terra, & plenitudo ejus: Pauperes, & di-
„ vites Deus de uno limo fecit: & pauperes,
„ & divites una terra ſupportat; jure tamen
„ humano dicit: hæc villa mea eſt; hæc do-
„ mus mea &c. -- Sic pariter jure Divino naturali, nullus alteri civiliter ſubditur poſitive: medio tamen jure gentium Deus dedit huic familiæ Regnum, illi Provinciæ Ariſtocratiam &c. iterum bene ſcripſit Aug. *lib. 3. Confeſſ. cap. 8.* -- Generale pactum eſt ſocie-
„ tatis humanæ, obedire Regibus ſuis -- quia ex communi conventione tranſtulerunt jus directionis in unum, vel in plures. Unde intermediatio hominum non eſt pura deſignatio perſonæ, ſed principium proximum collativum juriſdictionis; quia poſita deſignatione perſonæ, jus naturale non transfert dominium ſine conſenſu alterius vere dantis, & conferentis; ratio enim naturalis eſt indifferens huic, & illi.

Jus Gentium rerum dominium tranſtulit.

142 PROB. IV. Per illud Deus conſtituit concretive Dominationem, per quod ſpecificatur, & variatur forma Regiminis: ſed ſpecificatur, variatur, & determinatur per jus, & poteſtatem multitudinis; ergo medio jure communitatis Deus inſtituit Dominatum politicum concretive. Declaratur. Jus Dominationis non eſt æquale in omnibus, nec ſunt æquales proprietates durationis, ſucceſſionis, poteſtatis. Alicubi eſt perfecta Monarchia, alicubi ſimplex Ariſtocratia, alibi Monarchia mixta Ariſtocratiæ, & alibi aliter. In una Provincia electo primo non eliguntur alii, ſed ſuccedunt per hereditatem, quandoque per maſculos, & fœminas, quandoque per ſolos maſculos. In alio ſtatu, mortuo primo alius eligitur de quacunque familia, quandoque cum limitatione ad intraneos; quandoque non excluſis extraneis. Quidam ita dominantur, ut habeant jura abſoluta in omnibus caſibus, alii cum reſervatione. Sæpe acquiruntur Regna, & transferuntur bellica fortuna, ſub qua fiunt conventiones, quibus translatio fieri debet, & conſervari; & pace ſuborta quædam reſtituuntur libera donatione per ceſſionem juris, quædam pactis oneroſis. Eſt autem evidens has limitationes, & inæqualitates oriri ab humano jure, & Gentium beneplacito effectivo, & poteſtativo, non pure deſignativo.

A populo varie tranſlata poteſtas.

143 PROB. V. Juxta conditionem finis eſt etiam conditio inſtitutionis. Stat enim regu-

regula, ſecundum ordinem finium eſt ordo agentium: ſed finis civilis Poteſtatis eſt pacifica cohabitatio hominum; ergo principium, ſeu agens intituens debet eſſe humanum. Hanc rationem affert Franciſcus Victoria *in Relect. 2. de Poteſtat. Eccleſia, ſect. 1. ad primum* -- Quia civilis Poteſtas non ſe extendit, „ niſi ad finem, & affectum naturalem, & „ ſic Poteſtas illa a natura datur. Omne „ autem naturale eſt commune, & primo „ committitur, vel ſpeciei, vel communita- „ ti, ut eſſe morale homini &c. -- ac proinde per communitatem tranſlata eſt Dominatio ad hanc, vel illam ſpeciem Gubernii per hanc, vel illam familiam.

Civilis poteſtas ad pacem ordinata.

144 PROB. VI. Auctoritate juris. L. 3. 2. *Noviſſime ff. de origine juris* habetur -- „ Quia Senatus non omnes Provincias probe „ regere poterat, conſtituto Principe, datum „ eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet ratum eſſet -- *Et l. 1. ff. de conſtit. Princip.* -- Quia lege Re- „ gia, quæ de imperio ejus lata eſt, populus „ ei, & in eum omne ſuum imperium, & „ Poteſtatem tranſtulerit -- Eadem verba Ulpiani habentur apud Juſtinianum reperita in §. *Sed, & quod Principi*. Quibus habemus ex pacto, & conventione populorum tranſlatam eſſe in Principes poteſtatem, & jus Dominationis: lexque Regia dicitur hæc conventio, non quia a Rege data, ſed quia de Regis imperio lata.

Hunc ſenſum habent illæ Scripturæ, quibus Principes civiles dicuntur Principes terræ. Pſalm. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes &c.* Principes mundi. 1. ad Corinth. 2. *Quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit &c.* Quia civilis Magiſtratus non ſolum agit de rebus temporalibus, & mundanis, ſed auctoritatem habet a mundo, hoc eſt ab hominibus. Unde Joann. 18. dicebat Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, hoc eſt acceptum ab humano jure, ſicut ceteri Reges, donatione, electione, vel hereditate, ſed a Patre.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

145 OBJIC. I. Sacra Scriptura accipienda eſt prout ſonat, ubi nullum eſt inconveniens: ſed Sacra Scriptura docet Regiam poteſtatem eſſe a Domino immediate; nam Sapientiæ 6. Regibus dicitur: *Quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo*. Ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi a Deo*. 1. Petri 2. *Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum; ſive Regi tanquam præcellenti &c.* ergo &c. Sic Rex Angliæ *p.* 14. Spalatenſis *lib. 6. de Republica cap.* 2. Elies Dupin. *de Antiqua diſcipl. diſſert. §.* 1.

RESP. Hæc arguendi forma probat omnia eſſe immediate a Deo; quia in Sacra Scriptura pluvia, nix, triticum, ſanitas, poſſeſſiones, filii dicuntur dari omnibus a Deo, prout vult, & quando vult. Præcipit Scriptura ſervari jura, & Dominia proximorum, ſicut obedientiam Superioribus; ac proinde nulla erunt in humanis contractibus jura humana, & influxus operativus, ſed ſola deſignatio perſonarum. Et ut preſſius in materia loquamur. Scriptura Sacra pariter præcipit ſervis, ut ſubditi ſint Dominis ſuis propter Deum, 1. Petri 2., & tamen ſervitus non eſt immediate a Deo. Juſte hoc præceptum obligat ſervum, qui ſponte ſe vendidit: & tamen certum eſt, quod vendens ipſe transfert Poteſtatem ſui in Dominum ſuum.

Igitur tripliciter a Domino eſt Regia Poteſtas ex Almaino Sorbonico *lib. de Poteſt. Eccleſ., & laic. cap.* 1. I. Quoad debitum, ideſt, quia ſecundum dictamen rectum ex naturali judicio hominum debitum eſt eſſe in Republica Poteſtatem Regiam, vel Senatoriam &c., & medio hoc dictamine, cujus Deus eſt auctor, a Deo dicitur eſſe talis Poteſtas. II. Quoad acquiſitionem, & hoc modo non eſt a Deo, ſed ab hominibus. Sed poteſt dici a Deo immediate, quatenus ut cauſa univerſalis conſentit collationi, & etiam concurſu præmotivo determinat. III. Quoad executionem, quatenus media lege Evangelica, vel naturali præcipit ſubditis, ut legitimis Superioribus præſtent obedientiam, & Superioribus, ut adminiſtrent juſtitiam, ac bono publico provideant: quo modo præcipit eſſe unicuique ſervandum jus ſuum, & ſimilia.

Regia poteſtas a Deo tripliciter.

146 DICES. Immediatus Principis Miniſter immediatam accipit ab ipſo Poteſtatem, ſed Reges ſunt Miniſtri immediati Dei, ad Rom. 13. *Dei enim Miniſter eſt*; ergo ab hoc accipiunt Poteſtatem immediate. Si enim medio populo Poteſtatem acciperent, multitudinis dicerentur Miniſtri, non Dei.

RESP. neg. min. Nec ſimiles textus niſi adjuventur aliunde, ſignificant immediationem. Angeli omnes dicuntur *Miniſtri ejus, qui faciunt voluntatem ejus*: Pſal. 102. &c. nihilominus inferiores media virtute, & motione mediorum, & ſupremorum exequuntur juſſa Dei, ut dicit D. Th. 3. *contra gentes cap.* 80. Quandoque auctoritative Senatus conſtituit Officiales inferiores, qui nihilominus dicuntur Officiales Regis: Etſi ergo Reges ſint conſtituti a populo, dici poſſunt Miniſtri Dei; quia jure naturali ſocietas humana exigit habere aliquem Rectorem. Quod ſit hic, vel ille, habetur poſtea jure Gentium, quæ contractu quodam, quem pactum vocat Auguſtinus *lib. 5. Confeſſ. cap.* 8. elegerunt hoc, vel illud gubernii genus; & in hoc ſenſu Rex dicitur Miniſter multitudinis. Alio item ſenſu ſunt immediati Miniſtri Dei, ſcilicet executive, quatenus præcipit Deus, ut juſtitiam adminiſtrent.

Miniſtri inferiores jure dicuntur Miniſtri Regis.

147 INSTABIS. Si a multitudine conſtitueretur Rex, ab inferiori Regi adveniret Poteſtas, ſed deſuper advenit, Joan. 19. *Non haberes Poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; ergo &c.

RESP. neg. min. ad ſenſum Arguentis. Deſuper venit omne bonum, ſanitas, lucrum, mercaturæ, poſſeſſiones, ut Job 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum*. Locus verò Joan. probat contra Arguentem; nam juriſdictio Pilati in Chriſtum ſolum permiſſiva eſt a Deo, ſicut Poteſtas

Omne bonum a Deo.

Digitized by Google

ſtas Dæmonis in Job. Videatur Auguſt. *lib.* 2. *ad Simplic. quæſt.* 1. aliique Interpretes.

148 URGEBIS. Ejuſdem rationis quoad principium collativum Poteſtatis eſt genus gubernii inductum a Domino pro Hebræis, ac ab ipſis petitum 1. Reg. 8., ſed primum erat immediate a Deo, ibidem: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Deus itaque immediate regebat eos; ergo etiam ſecundum.

Inordinata voluntas gubernii reprobata.

RESP. Quidquid ſit de majori, de qua mox, minor non favet argumenti: Potius enim videtur textus aſſerere a Deo non eſſe regitivam Poteſtatem, Deoque diſplicere, ſicut diſplicuit petitio populi; & de facto eo abuſi ſunt Hæretici ad improbandum Magiſtratum. Veritas tamen eſt, quod ibi Deus reprobat inordinatam voluntatem Judæorum innovandi ſtatum, quo per Moyſem, & 70. dirigebantur, qui ſpeciali providentia a Domino erat præceptus. De hoc jam pluries.

149 OBJIC. II. Idem Rea. Pari ratione loquendum eſt de ceteris Regibus, ac de Saule, & David, ſed iſti immediate receperunt a Domino Poteſtatem, ut patet 1. Regum per plura capita; ergo ſimiliter ceteri ab eodem recipiunt.

Saul, & David ſpecialiter in Reges electi.

RESP. I. neg. maj. Quia de David, & Saule eſt ſpecialis revelatio, quæ in ceteris non occurrit. Nec in ipſis conſtituti ſunt ceteri Reges, quorum plures legitime extiterunt ante eorum electionem, & revelationem de ipſorum Regno, & poſt deſtructionem Iſraelitici Imperii. Immo inde firmatur doctrina noſtra, quia exceptio firmat Regulam in contrarium. excipiuntur hi duo ab ordine aliorum: igitur alii a Deo immediate non recipiunt Poteſtatem.

Deſignatio Perſonæ diſcreta a Poteſtatis collatione.

II. Falſa eſt minor ſecundum univerſaliorem interpretationem, & Scripturæ magis conſonam, in qua habemus Deum perſonam deſignaſſe Saulis, & Davidis, & Populum tranſtuliſſe in eos juriſdictionem. Sic Deuter. 17. *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris; conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus*. Ubi habemus ſatis bene diſtinctam deſignationem perſonæ, & collationem Poteſtatis. Prima Deo tribuitur, ſecunda populo. Hoc iterum repetitur cap. 28. *Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem conſtitueris ſuper te, in gentem, quam ignoras*. Verbum illud *Conſtitueris* ſignificat veram Poteſtatem faciendi, & auctorizandi Principem, & abſque dubio illa verba *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus* includunt, & ſupponunt auctoritatem creandi ſibi Principem, ſicut habent ceteræ nationes. Et licet Populi ſit eligere etiam perſonam, ſpeciali tamen privilegio voluit Deus Saulem deſignare.

150 DICES. Saul electus eſt per ſortes: ſed electio per ſortes eſt ſignum manifeſtum Poteſtatis immediate a Deo acceptæ, ſicut in electione Matthiæ patet ex primo Actorum; ergo. Sic Jacobus Rex.

RESP. Ante ſortes habemus inunctum a Samuele Saulem. 1. Reg. 10. *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem*: adeoque per prophetam jam erat deſignata a Domino perſona. Deinde per ſortes facta eſt deſignatio executiva, & publica; & tunc populus in eum Poteſtatem tranſtulit. Elucidatur. Ex eo quod propoſuit Samuel populo perſonam Saulis, & hic acclamaverit: *Vivat Rex*; hac acclamatione tranſtulit auctoritatem: at cum non omnes conſentirent, ut univerſali beneplacito firmaretur, congregavit Samuel populum in Galgala ad innovandum Regnum. Sic cap. 11. *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino*. Quibus verbis exprimitur conſenſus populi confirmativus. Exemplum Matthiæ non urget; Apoſtolatus namque eſt ſupernaturalis ordinis, ac proinde ſpecialiter a Deo.

Supernaturalia immediate a Deo.

151 INSTABIS. Qui dat leges Regi, Regem conſtituit: ſed Deus dedit Sauli leges; ergo eum conſtituit Regem. Min. prob. ex 1. Regum 8. *Hoc erit jus Regis &c.*

RESP. Ibi prædicit Dominus gravamina, quæ erat permiſſurus in pœnam peccati, quod commiſerat populus inordinata Regis poſtulatione. Idem habemus de David, qui 1. Regum 16. ſecreta, & prophetica unctione a Samuele peracta, accepit ſignum Divinæ promiſſionis. Mortuo Saule (quo vivente, & pacifice poſſidente, nullum Regis munus exercuit David, ut habetur lib. 2. cap. 2.) fuit conſtitutive inunctus in Regem a tribu Juda. *Ut regnaret ſuper Domum Juda*. Et David dixit: *Licet mortuus ſit Dominus veſter Saul; tamen me unxit Domus Juda in Regem ſibi*. Quo habemus completam conſenſu populi promiſſionem. In cujus ſignum David noluit regnare ſuper alias Tribus, quæ non conſenſerant, donec cap. 5. *Venerunt ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus in Hebron coram Domino; unxeruntque David in Regem ſuper Iſrael*. Quid pulchrius pro populi conſentientis jure? *Percuſſit fœdus*, ideſt factus eſt contractus tranſlativus Regiæ Poteſtatis.

Jus populi in electione Regis.

152 REPLICABIS. Hæc doctrina rebellionem fovet, quia populus poſſet in Principem inſurgere, ſeque in libertatem vindicare, cum ipſi videretur; nimirum fretus eodem jure, & Poteſtate, quam in Regem tranſtulit.

Nulla poteſtas in populo poſt Regis electionem.

RESP. Facta tranſlatione, & acceptata, non eſt amplius in Poteſtate populi vindicare priſtinam libertatem. Dominium jam ex juſtitia ad Regem ſpectat, ut in ceteris evenit. Solum in caſu, quo abuteretur Rex Poteſtate contra bonum publicum, jus haberet populus ad legitimam defenſionem.

153 OBJIC. III. Spalatenſis. Communitas non habet activam Poteſtatem Regitivam; ergo non poteſt Deus media communitate Principibus auctoritatem præſtare; adeoque Deus ipſe dat immediate. Ant. declaratur. Communitas ſolam dicit paſſivam dirigibilitatem; nec aliud ratio naturalis dictat, niſi exigentiam gubernii, & ſe habet ſicut materia ad formam, fœmina ad maſculum.

RESP. neg. ant. cujus falſitas conſtat tum ex Scriptura Judicum 9. ubi parabola lignorum,

tum, quærentium ſibi conſtituere Regem, oſtenditur in populo vis activa pro Principe conſtituendo. In cujus ſignum ibidem dicitur: *Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſa familia urbis Mello: abieruntque, & conſtituerunt Regem Abimelech*. Tum ea donis Dei. Scientia enim, & Prudentia inclinant in utilitatem aliorum, 1. Petri 4. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*: ſed homini innata eſt inclinatio ad ſcientiam; ergo innatum eſt aliis proficere, & adjuvare. Tum luminæ naturæ. Nam naturaliter inditum eſt unicuique conſervare bonum ſui, & bonum commune; ac proinde inditum eſt regere pro ſalvanda ſocietate, quæ importat mutua officia adjutorii. Quare bene docet D. Thom. 1. *par. quæſt. 96. art.* 4. quod adhuc in ſtatu Innocentiæ fuiſſet Dominatio, quia ut refert ex Auguſtino *de Civit. Dei lib.* 19. *cap.* 14. -- „ Juſti non dominandi cupiditate imperant, „ ſed officio conſulendi -- ſed in ſtatu Innocentiæ fuiſſet Juſtitia; ergo officium conſulendi, & regendi. Concluditque -- Hoc na„ turalis ordo præſcribit: ſic Deus hominem „ condidit -- Quare exempla materiæ, quæ eſt pura potentia, & Mulieris, quæ ſecundum Ariſtotelem præſtat concurſum pure paſſivum, non ſunt ad rem.

In populo regendi poteſtas.

154 DICES. Si multitudo haberet jure naturali vim activam Regitivam, Democratia eſſet connaturalis, quæ nihil aliud eſt, quam Communitas ipſa: ſed hoc eſt falſum ex ſequentibus. I. quia Democratis eſt ſpecies gubernationis, cadens ſub electione, & determinatione; ergo prius eſt, quod eligatur Democratice gubernari, quam quod recipiatur Poteſtas rectiva. II. Deus poſuiſſet omnium peſſimam Regiminis formam, in humana communitate eam facultatem collocando. III. Non poſſet forma illa Regiminis variari, cum eſſet naturalis; quæ enim ſunt de jure naturæ, immutabilia ſunt: ſed hoc eſt falſum, teſte Auguſtino *lib.* 1. *de libero arbitrio, & 3. de Civit. Dei cap.* 21.; ergo. Hæc compendioſe ex Spalatenſi.

RESP. cum diſt. Democratis poſitive accepta, & in actu exercito eſſet connaturalis poſitive, nego: negative, concedo. Democratia poſitive accepta eſt una determinata ſpecies Regiminis poſitivi, ac per conſequens electa ſupponit principium eligens, quod eſt ipſa Communitas nude accepta, & nullo genere Regiminis poſitive veſtita, habens in actu primo Poteſtatem transfuſivam, quam ſi non transferret, remaneret inordinata. Inde non ſequitur Deum poſuiſſe peſſimam formam; quia Democratia poſitive accepta non eſt poſitivum corollarium naturæ ſociabilis, ſed eſt concluſio poſita per jus Gentium, & Civile; adeoque mutari poteſt in aliam formam Regiminis per idem jus Gentium, & Civile; ſolum enim jura naturalia poſitiva, & determinata ſunt invariabilia. Quare jure potuit Auguſtinus *de Civit. Dei loco cit.* laudare Auguſtum, quod tranſtulerit Rempublicam Romanam in Regimen Imperiale.

Gubernium Democraticū quomodo connaturale.

155 INSTABIS ex Spalatenſi. Licet in communitate Poteſtas regitiva ſit, & libere applicabilis huic, vel illi, adſtringitur tamen in genere ad unam formam Regiminis: ſed hoc non impedit, quo minus Poteſtas non ſit immediate in quolibet Rege a Domino: quod probat ſequentibus exemplis. Si Rex per Internuncium tranſmitteret alicui dignitatem aliquam, v. g. Senatoriam, qui hanc acciperet, non ab Internuncio, ſed a Rege haberet inveſtituram. Lumen a Sole eſt effective ſolum, & aer deferens eſt lucis applicativus. Solus ignis ligna comburit, Ancilla applicat. Sic communitas applicat perſonam dignitati, ſed ſolus Deus dat hanc effective, & licet Communitas illam in ſe ſuſcipiat, tamen ſolum defert, & applicat dignitati perſonam, non e contra. Ut cum ſpeculum lumini objectum reflectit radios ad aquam, non lumen ſpeculo, ſed ſpeculum lumini dicitur applicatum. Hoc ſenſu, ait Spalatenſis, intelligendos eſſe Pariſienſes, quando dicunt, Deum dare Regibus poteſtatem medio ſigno ſenſibili pro cognoſcenda electione.

RESP. neg. min. quam non probant inducta exempla. Debet prius probare Rempublicam non eſſe Regitivam, quod non evincet. Nam Reipublicæ congenita eſt ſui conſervatio: conſervari autem non poteſt, niſi dirigatur, & dirigat ſeipſam. Humana natura non eſt ſociabilis, & ſociativa pure paſſive, ſed active; quapropter non eſt capax præciſe perfici, ſed perficere, ac proinde habet congenitam vim Regitivam, & jus activum gubernationis: quod deſcripſit Cicero *lib. de legibus* -- Quod non populorum juſſis, „ Principum decretis, nec ſententiis conſti„ tuitur Judicium, ſed naturæ norma -- Juſtitia eſt virtus inclinans ad dandum unicuique ſuum: Communitatis conſervationi eſt debita juſtitia, ſine qua eſt impoſſibilis conſervatio, ac proinde ab intrinſeco eſt debita Poteſtas. Non ergo Reſpublica ſe habet per modum Internuncii puri, ſed per modum cauſæ ſecundæ operantis. Sicut quando quis ſe vendit in ſervum, vendens non eſt internuncius deferens Domino nomine Dei dominium in ipſum, ſed eſt vera cauſa tranſlativa.

In Republica vis regitiva.

Modus arguendi per recitata exempla, ſi probaret, evinceret omnes contractus, & quæcunque commercia, effectuſque creatos eſſe a Deo immediate, creaturis ſolum applicantibus. Quare Reſpublica vere applicat perſonæ dignitatem, non perſonam dignitati; & ſe habet ut ſpeculum, cui facta eſt communicatio luminis, quo active radios diffundit ad bonum commune, juxta illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Fruſtra etiam Patronos aſſumit Pariſienſes, a quibus fuit ejus doctrina ſolemniter reprobata. Signum enim illud debent ponere, non ſolum ut cognoſcitivum electionis, ſed etiam transfuſionis poteſtatis dominativæ. Uno verbo, concurſus hominum non eſt pure deſignativus perſonæ, ſed etiam influxivus, & effectivus. Quare omitto cetera fuſe ab Apoſtata prolata, quibus ſolam deſignationem tribuit juri gentium, quia revera nihil urgent.

156 REPLICABIS. Si Reſpublica naturaliter haberet Poteſtatem tranſlativam Dominii, poſſet per ſe hanc transferre libere ex vi conſenſus naturalis, ſed non poteſt, quia

conſenſus naturalls, cum ſit a Deo, eſt neceſſarius; ergo per ſe libere non poteſt Reſpublica transferre ſe in Dominium politicum, ſed ſolum per accidens; ut aliqua animi libera electio appareat.

Reſpublica libera in dominii electione.

RESP. neg. min. Libere omnino per ſe Reſpublica eligit hoc, vel illud genus Regiminis, transferendo Poteſtatem; habet enim omnimodam indifferentiam, ut ſubjiciatur Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, vel alterius rationis Dominationi. Ab Auctore naturæ ſolum eſt inclinatio, & exigentia, ut ſe dirigat in genere per aliquam formam Gubernii, eſtque, ut ita dicam, neceſſaria ſola potentia transferendi, non autem actus; ſicut homo naſcitur neceſſariò habens potentiam volitivam, ſed non actum.

157 SUBSUMES. Si Reſpublica haberet activum conſenſum dantem alicui Poteſtatem regitivam non eſſet in ea conſenſus paſſivus naturaliter repugnans ſubjectioni, ſed datur, juxta Hieronym. *epiſt.* 1. -- Rex no-„ lentibus præeſt -- licet hæc repugnantia cedat inclinationi univerſall, cum minor cedat majori; ergo &c. Hinc oritur, quod velit, nolit impellente natura, tenetur ſe ſubjicere Rectori; & ſi aliqua communitas nollet ſupra ſe habere aliquam Poteſtatem, non poſſet ad beneplacitum libera manere, poſſetque pluribus viis invita ſubjici &c.

Natura non adverſatur ſubjectioni.

RESP. neg. aſſumptum. Nulla enim datur repugnantia in natura, ut ſubjiciatur alteri, quando ſubjectio ordinatur ad bonum commune, & per conſequens etiam ad proprium ſubjicientis: eo vel maxime, quando Dominans eſt unus ex communitate, electus libero aliorum conſenſu. Eſt quidem repugnantia, ut ſubjiciatur tanquam ſervus. Hoc ſenſu loquitur Hieronymus, cujus quoque effatum verificatur, quando jam electo Principe, quidam particulares inſoleſcentes, & contumaces ejus imperio frænatur. Verum eſt naturam impellere, ut Minor Majori ſubjiciatur, poſito quod detur Major, & Minor: at cum æqualiter homines nati ſint, non niſi libero gentium jure hic, vel ille factus eſt Major. Communitas porro, quæ nullo vellet Regimine dirigi, nec Democratico, principia juris naturæ non ſequeretur, ſuique conſervationem negligeret, adeoque in pœnam abuſus, cogi poſſet. Sed caſus eſt fictitius; licet enim aliqui particulares nollent, multitudo non conſentiret.

158 OBJIC. IV. Spalat. Unanimis Patrum doctrina eſt, Principum Poteſtatem eſſe Immediate a Deo: ſed doctrina Patrum eſt tenenda; ergo tenendum eſt Principum Poteſtatem eſſe a Deo immediate. Majorem probat Tertullianus *ad Scapulam*. Optatus *lib.* 5. *contra Parmenianum*. Chryſoſtomus *homil.* 2. *ad populum Antiochenum*. Ignatius *ad Smyrnenſes*. Irenæus *lib.* 5. *adverſus hæreſ. cap.* 29. Didymus *in Epiſt. Petri ſecundam*. Oſius *ad Conſtantinum*. Ambroſius *in Epiſt. ad Rom. cap.* 13. Aug. *de Civit. Dei lib.* 4. *cap.* 53. *Tract.* 6. *in Joan. Epiſt.* 54. *ad Macedonium*. Cyrillus Alexand. *lib.* 11. *Joann. cap.* 15. Bernard. *Epiſt.* 243.

His conſentiunt Romani Pontifices, Liberius *apud Athan. contra Conſtans.* Innocentius I. 23. *quæſt.* 4. *cap. Quæſitum*. Joannes Papa *diſt.* 95. *Si Imperator*. Symmachus *ad Anaſtaſium Imperat.* Gelaſius *ad Anaſt. epiſt.* 10. Gregorius *in Pſal.* 5. *pœnit. lib.* 2. *indict.* 11. *epiſt.* 65. *Lib.* 4. *indict.* 13. *epiſt.* 32. Stephanus VI. *ad Baſilium Imperat.* Qui omnes uno ore clamant, Imperatores, Reges a Deo eſſe: utunturque Scripturis illis: *Per me Reges regnant &c.*

RESP. Argumentum nullo modo oſtendit Dominationem concretive acceptam eſſe a Deo immediate, ſed unice evinci a Deo eſſe. Nec verba Patrum aliud ſonant, quæ his dicendi formulis innituntur: Imperatores, Reges a Deo conſtitui, eſſe, dari, habere Poteſtatem, determinari, committi, inſtitui, diſpenſari, accipere Dominium &c. Quod verum eſt, etſi mediet opus juris gentium; quia eodem modo Patres, & Scripturæ aſſerunt cetera bona eſſe a Deo, ut pinguedo terræ, divitiæ, abundantia frumenti, honores, pax, membra corporis &c. *Tu formaſti me*, dicebat Pſalmiſta Pſal. 138. *Pelle, & carnibus veſtiſti me* aſſerebat Job 10., & tamen eſt certo certiùs hæc non eſſe a Deo immediate abſque medio opere effectivo cauſarum ſecundarum. Rationem a priori dedimus ſuperius, quia quæ cadunt ſub Divina Providentia, in executione dependent a cauſis inferioribus; Regna porro, ut docet D. Auguſtinus *epiſt. cit. ad Macedonium* -- Ad diſpenſationem Divinæ Pro-„ videntiæ -- ſpectant, ac proinde operationem effectivam cauſarum ſecundarum non effugiunt.

Quæ ſunt a Deo, cauſas ſecundas non excludunt.

159 DICES. Quod eſt a Deo ſolo, & eo modo quo anima rationalis, eſt a Deo immediate, ſed Patres dicunt hoc modo a Deo eſſe Dominationem: Unde Tertullianus *cap.* 3. *Apolog.* ait -- Sciunt, quis illis dede-„ rit imperium; ſentiunt eum Deum eſſe ſo-„ lum, in cujus ſolius Poteſtate ſunt -- *Illis* dixit in concreto. Et *cap.* 31. -- Inde habere „ Poteſtatem, unde habent ſpiritum -- ergo.

RESP. Neque phraſis hujuſmodi excludit concurſum, & effectionem cauſarum ſecundarum; nam apud Patres, & Scripturam Deus dicitur ceterorum bonorum ſolus Dominus, & diſtributor, ſicut & membrorum corporis, & aliis omiſſis, habemus 2. Machab. cap. 7. ubi mulier filiis fortiter pro lege patientibus, ait: *Neque enim ego ſpiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra, non ego ipſa compegi, ſed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem &c.* Ubique concurſus Patris, & Matris non excluditur, ſed Deo primordialis tribuitur virtus, & ſuper hanc appellat ly *Solum*, & ſimiles termini, & innuit Scriptura citata illis: *Quique omnium invenit originem*.

Vis prima agendi a Deo.

160 INSTABIS. Id Immediate eſt a Deo, inter quod, & Deum nihil mediat, ſed inter Reges, & Deum nihil mediat. Dicunt enim Patres de Regibus -- A quo ſunt ſecun-„ di; poſt quem primi ante omnes -- Sic Tertullianus *cap.* 3. *Apologet.* -- Qui non ha-„ bet parem ullum ſuper terram &c. ſummi-„ tas, & caput omnium ſuper terram homi-„ num -- Sic Chryſoſt. *hom.* 2. *ad populum Antiochenum* -- Nec enim Deo præſtantior eſt,

„ aut

Digitized by Google

„ noi ſimilis ei in rebus creatis -- Sic Ignatius *ad Smyrn.* Si verò a populo jure gentium reciperent Reges Poteſtatem, hæc non verificarentur.

RESP. Principes ad Deum dupliciter conſiderari poſſe, primo in originaria Poteſtate, ſecundo in executione. In originaria Poteſtate mediat jus gentium, & hoc ſenſu falſa eſt minor; nec hoc intendunt dicta Patrum: In executione vera eſt min., quia poſita translatione juris, & dominii, ipſi in ordine Civili Supremam habent Poteſtatem, nec ab alio dependent, aut alio indigent, ut ſuam auctoritatem exerceant, loquendo de Regibus, & Imperatoribus abſolutis, de quibus Patres loquuntur.

Poſt translationem dominii ſuprema eſt in Principe poteſtas.

161 REPLICABIS. Quod ab hominibus non eſt, immediate a Deo eſt, ſed Dominatio concretive ab hominibus non eſt, ut tradunt Patres Concilii Pariſienſis *lib.* 2. -- „ Quod autem non ab hominibus, ſed a Deo „ Regnum terrenum tribuatur, Daniel Pro„ pheta teſtatur dicens. Excelſus in Regno „ hominum, & cuicumque voluerit dabit „ illud &c. Quapropter quiſquis ceteris mor„ talibus temporaliter imperat, non ab ho„ minibus, ſed a Deo ſibi commiſſum Re„ gnum concredat -- Si verò communitas Regibus Poteſtatem tribueret, Regnum ab hominibus eſſet.

RESP. Mens Concilii non eſt, quam fingit Adverſarius; utuntur enim Scripturis pro hac materia, proinde in ſenſu vulgari explicatis. Porro mens ipſorum ea eſt, ut audaciam quorundam Principum coerceant, qui nimis confidebant ſibi propter potentiam, & humanam deſcendentiam, quaſi quod, & fortitudine propria, & propagationis merito, tales eſſent ſupra ceteros, non agnoſcentes his mixtam Divinæ Providentiæ diſpoſitionem, qua non perpenſa elevabantur in ſuperbiam. Quod colligitur ex contextu -- Conſtat er„ go, quia non actu, non voto, neque bra„ chio fortitudinis humanæ, ſed virtute, im„ mo occulto judicio diſpenſationis Divinæ „ Regnum confertur terrenum -- Reprehenditur confidentia nimia in cauſis ſecundis, cum debeat attendi principalior cauſa alias movens.

Divina diſpenſatione Regna conſervantur.

Aliæ auctoritates ex Concilio VII., ubi dicitur Imperatores accipere a Deo gubernacula mundi; & Lugdunenſi, ubi Fridericus declaratur a Deo depoſitus ab Imperio, habent eundem ſenſum hucuſque explicatum, ſcilicet, Deum eſſe ſpecialiter Auctorem Regnorum; jus gentium, aliaque concurrentia pertinere ad ordinem executivum. Unde poſtquam Pontifex declaravit Fridericum depoſitum a Deo, ſubdit, ſe eundem deponere auctoritate Apoſtolica. Sicut, cum declaratur quis excommunicatus, declaratur a Domino projectus & tamen excommunicans vere projicit, & claves vere ligant.

Ceterum, ut ſalventur dicta Scripturæ, & Patrum, ſufficit adnotare quæ profert D. Thom. 3. *contra Gentiles cap.* 70. 76. 77. *Cap.* enim 70. *num.* 3. ait -- Oportet igitur, quod „ actio inferioris agentis non ſolum ſit ab eo „ per virtutem propriam, ſed per virtutem „ omnium Superiorum agentium. Agit enim „ in virtute omnium: Et ſicut agens infimum „ invenitur immediatum activum, ita virtus „ primi agentis invenitur immediata ad pro„ ducendum effectum. Nam virtus infimi „ agentis non habet, quod producat hunc „ effectum ex ſe, ſed ex virtute Superioris „ proximi, & virtus illius ex virtute Superio„ rioris; ſicut virtus Supremi agentis inve„ nitur ex ſe productiva effectus, quaſi cauſa „ immediata: ſicut patet in principiis demon„ ſtrationum, quorum primum eſt immedia„ tum: Sicut igitur non eſt inconveniens, „ quod una actio producatur ex aliquo agen„ te, & ejus virtute, ita non eſt inconve„ niens, quod producatur idem effectus ab „ inferiori agente, & a Deo, ab utroque im„ mediate, licet alio, & alio modo? --

Cap. 76., ubi fuſe oſtendit, Deum ſua providentia attingere ſingula immediate *num.* 4. habet -- Eſt igitur ipſe Deus immediate „ ſuâ providentiâ omnia diſpenſans: quicun„ que verò ſub ipſo proviſores dicuntur, ſunt „ providentiæ ipſius executores -- *Cap.* 77. fuſe explicat Divinam Providentiam in executione uti cauſis ſecundis. Quibus ſatis clare conſtat, quomodo diſtributio Regnorum a Deo ſit, & ab hominibus: quomodo Deus ad libitum regna transferat, genera Regiminis moret, & ſimilia; etſi intermediet opus effectivum humanum: cum nedum dei virtutem, ſed moveat univerſas cauſas ſecundas.

Nemo poteſt agere niſi virtute Dei.

162 OBJIC. V. Spalaten. Pontificatus eſt omnimode a Deo immediate, ut contendunt Pontificii Doctores, ſed omnia, quæ de Pontificatu, de Regia dignitate dicenda ſunt; ergo &c. I., quia id docent Patres. Oſius Cordubenſis *ad Conſtantium* ait -- Tibi „ Deus imperium; nobis, quæ ſunt Eccle„ ſiæ, concredit — Bernardus *epiſt.* 243. — „ Non utriuſque inſtitutor Deus in deſtru„ ctionem ea conjunxit, ſed in ædificatio„ nem -- II., quia ſicut nullus homo poteſt alienare Eccleſias aliquas, licet poſſit eas perdere, ita nullus poteſt alienare partes Imperii. III. Sicut Papa accepit præeſſe omnibus fidelibus ubique diſperſis, ita Imperator, ut patet de Cyro. IV. Interroganti, quo jure claves Papa exerceat; & Imperator gladium? Reſpondetur utrobique; quia a Deo. V. Sicut ad Papæ electionem concurrunt homines, ſpecialiter ab hominibus deputati, ita ad Imperatorem conſtituendum, vel electio, vel ſucceſſio jure humano ſtatuta eſt. Denique. Sicut ſemel poſito Papatu eſt invariabilis, ita ſemel poſita forma aliqua Regiminis eſt invariabilis. Hæc & ſimilia agglomerat Spalatenſis.

RESP. neg. min. Diſparitas ſatis apparet attenta ordinis diverſitate. Certum enim eſt Dominationem terrenam pertinere ad ordinem bonorum naturalium, Papatum autem ad ordinem ſpiritualium, & ſupernaturalium, ac per conſequens, ſicut ex genere ſpiritualia, & ſupernaturalia ſunt ſpecialiori modo a Deo, quam naturalia, ita patet ex genere, ſpecialiori modo Papatus eſt a Deo, quam Dominatio terrena. Deinde accedunt ſpecialia. Nam forma veræ Eccleſiæ Chriſti determinate a Chriſto eſt inſtituta, nec aliter eſſe poteſt; cum autem alibi ſit probatum,

Supernaturalia a Deo immediate, ſecus temporalia.

Eccleſiæ formam eſſe perfectæ Monarchiæ, ſequitur Papatum eſſe immediate a Chriſto inſtitutum; Papa enim eſt Supremum Eccleſiæ caput viſibile, homines verò in ordine politico nati ſunt æquales, nullique ſubordinati, ac proinde politicus Principatus concretive acceptus a Deo immediate nequit eſſe. Omitto alia ſuis locis diſcuſſa. Ceterum id mirum eſt hoſce homines pleno ore fateri ceteros Epiſcopos eſſe immediate a Deo, ſecus Papatum.

Licet non ſit neceſſe allatis reſpondere, tamen dico breviter. Ad I. Utramque poteſtatem dicunt Patres eſſe a Deo, ſed aliter, & aliter; ſicut fatentur gratiam, & gloriam eſſe a Deo, ſed primam nullis præcedentibus meritis, ſecundam iis præſuppoſitis. Ad II. Concedo Papam non poſſe alienare Eccleſias, nec conſentientibus ipſis Eccleſiis; & quia a Paſtore principali accepit jus oves regendi; Imperator verò conſentientibus ſubditis poteſt partes aliquas Imperii alienare, ut toties factum eſt, ac proinde arguitur Poteſtatem ejus non eſſe a Deo independenter a populis. Poſſunt quidem Eccleſiæ aliquæ per injuriam, nec alio modo, ſe ſubtrahere a Papatu, ſed tunc illæ quâcunque formâ aſſumptâ nunquam erunt in ſtatu, qui Deo placeat, & ab eo approbato; cum Eccleſia Chriſti una ſit, & una fides. Partes Imperii verò, & per injuriam, & aliis titulis, ut hereditate, bello &c. poſſunt ab imperio ſeparari, & tranſire ad aliam formam Regiminis vere legitimam, & a Deo A approbatam. Ad III. Apud cæcos notum eſt, imperium non eſſe, nec unquam fuiſſe ſuper omnes fideles, & infideles in toto orbe diſperſos: nec Cyri Regnum tale fuit.

Ad VI. Utrobique reſpondetur illa a Deo eſſe, ſed non eodem modo. Si interrogetur Job, unde abundent tabernacula prædonum? A Deo, reſpondebit. Nunquid ergo in acquiſitione divitiarum humanum jus vere effectivum non intermediat? Ad V. Concedimus ad Papatum intervenire electionem, & ad B imperium ſimiliter, vel ſucceſſionem, ſed in primo caſu electio eſt ſola conditio, in ſecundo, originaliter ſaltem eſt cauſa ſecunda executiva Divinæ providentiæ; adeoque influxiva, & operativa. Ad ultimum patet, Politici Gubernii formam non eſſe invariabilem, & de facto plurimæ Orbis partes modo uno, modo altero gubernii genere fuerunt directæ. Sed, etſi talis forma invariabilis alicubi foret, hoc procederet ex ſtatuto ho- C minum, ſic volentium; non enim gubernantur omnes ſub una forma, ſicut ſub una inſtitutus eſt Chriſtianiſmus. Hæc dicta ſunt pro veritate rei ſecundum ſanam doctrinam. Ceterum, ut initio Controverſiæ prænotavi, etſi teneatur, Dominationem concretive acceptam eſſe a Deo immediate; nihilominus fides indemnis remanet; & ruunt argumenta quæcunque Adverſariorum ex aliis principiis infra ponendis.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE SPIRITUALI POTESTATE.

POſtquam vidimus politicam Poteſtatem Secularibus Principibus convenire, proindeque dedimus Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, videndum ſupereſt, quibus competat ſpiritualis Poteſtas, ut hinc compertum fiat, num incongrue quidquam ſibi adſcribant Principes. Duplex porro eſt ſpiritualis Poteſtas, Ordinis nempe, & juriſdictionis; illa eſt quædam facultas reſpiciens Dei cultum rite, ſancteque exercendum in confectione, Sacramentorumque adminiſtratione: Hanc impetunt Hæretici, ſed adverſus eos ſatis actum eſt in Tractatu de Sacramentis: Poteſtas juriſdictionis dicit Poteſtatem Superioris in ſubditum, & quidem ſive in foro interno, ideſt in Sacramentali Confeſſione, de qua omnia, quæ deſiderari poſſunt, in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ videnda occurrunt, ſive in foro externo, quatenus vim habet gubernandi myſticum Chriſti corpus, ſcilicet Eccleſiam, in iis, quæ ad ſalutem ſpectant, & de hac loquimur impræſentiarum, nonnullis tamen prætermiſſis, quæ abunde dedimus *De Sacramento Ordinis Parte II. Diſp. III.* potiſſimum *in Controverſiis I. II., & III.* Nunc igitur ad examen revocamus, quæ ibi deeſſe poſſent inquirendo.

D CONTROVERSIA I.

AN JUDICATIVA FIDEI, ET RELIGIONIS POTESTAS DIVINO JURE VETERIS TESTAMENTI REGIBUS CONVENIAT.

1 PRæcipue de Laicocephalia Controverſia ea eſt, an Poteſtas judicativa Fidei, & Religionis ſit jus debitum Supremis Principibus temporalibus, ſeu Regibus; quod ſub alio titulo nonnulli Doctores proponunt, nempe, an ſuprema Poteſtas Spiritualis, & politica in Regibus uniatur.

Sozomenus *lib. 5. cap. 5.* ſcribit, Julia- E num Apoſtatam ſub anno 361. Laicocephaliam exercuiſſe, quatenus Leges antiquas conculcans, Clericos Laicorum Curiis ſubjecit. Hujus Apoſtatæ errorem alius Apoſtata tutatus eſt Lutherus *in Epiſtola ad Chriſtianam nobilitatem Germaniæ, in Concione de Sacramento Altaris, & in Conventu Smalchaldico ſub anno* 1537., ubi cum Miniſtris ſancivit -- Judi„ candi de Religione, nedum apud Pontifi„ ces, ſed Reges, & ceteros ordines reſidere „ Poteſtatem -- Brentius ſacrilegum ſecutus Magiſtrum *in Prologomenis* ait -- Ad Reges „ pertinet impiam doctrinam ex animo de„ teſtari, & crudeles Hypocritas ſevere pu„ nire

Digitized by Google

„ nire &c. Quod facere non poſſunt, niſi „ cognoverint, & judicaverint prius, quæ ſit „ pia doctrina &c. -- Cujus ſuaſione Dux Wirtembergenſis Primatum Eccleſiaſticum ſibi arrogavit, deque rebus Fidei judicia exercuit, ſicut conſtat ex Confeſſione Wirtembergenſi.

Sed potiſſimum caput extulit Hæreſis hæc in Anglia ſub Henrico VIII. Annæ Bollenæ capto amore, qui, poſthabitis omnibus juribus Fidei, & Religionis Legibus, Sacerdotum jura ſibi uſurpavit, Caputque Spirituale Eccleſiæ ſe conſtituit. Hanc ſupra modum Laicocephaliam propugnavit non diſſimilis filia Eliſabetha ex Anna Bollena generata.

Huic ſuccedens Jacobus Rex hujus nominis Scotiæ VI., & Angliæ I. a pietate Reginæ Matris Mariæ, & Martyris aberrans, veſtigia ſacrilegæ Eliſabethæ imitatus, praxi, vi, armis Anglicanum Primatum propagavit; libroſque evulgavit, illumque mordicus defendere conatus eſt. Eorum unus inſcribitur: *Baſilicon Doron*. Alter: *Triplici nodo triplex cuneus*. Ultimus: *Apologia ad Principes*. Nec hiv contentus, juramento fidelitatis ſubditos obligavit, in cujus formula *art.* 11., & 12. ſub pœna læſæ Majeſtatis jurandum habetur -- Majeſtas Regia unicus eſt, & ſupre„ mus Gubernator hujus Regni, tam in om„ nibus Spiritualibus, ſive Eccleſiaſticis re„ bus, aut cauſis, quam in temporalibus --

Subſidium, inane licet, Regi præſtitit ejus Eleemoſynarius, & Sacellanus contra Matthæum Tortum *in libro, cui titulus*: *Tortura Torti*, ubi prætenſum jus Regium cum promover, potius infirmat. Eundem adulationis ſcopum habuit Graſerus *in ſuo lib. Plaga Regia*, ſcilicet paſſive, quatenus Reges magnam plagam, ſeu injuriam patiuntur ab hominum improbitate, debita jura negantium. Qualis verò Fidei ſit auctor, duobus verſibus deſcripſit quidam.

Nulli tu veterum credis, nullique tuorum:
Et tibi vis omnes credere? nemo facit.

Ceteris præeminere conatus eſt verſipellis ille Marcus Antonius de Dominis ſub anno 1617. Hic a ſuſcepto poſt Apoſtaſiam Lutheraniſmo diſcedens inexpleta ambitione, in Angliam evolavit, ejerata Acephalia, quam intendebat ſtatuere, Laicocephaliam aſſumpſit propagandam, edito libro ſub nomine Reipublicæ Chriſtianæ, in quo *lib. 6. cap.* 5. habet -- Principes Laici, etiam Infideles ha„ bent ea officio plenam de jure Divino Pote„ ſtatem promovendi cultum Dei; eliminandi „ ſuperſtitiones contrarias &c. -- Sic palpando Regem, Epiſcopatum Cantuarienſem, vel Londinenſem ſuffurari eſt meditatus. Verum ſpe fruſtratus, Spalatenſem infulam, Religionem, Eccleſiam, Deum, oleum, & operam taliter perdidit, ut ab omnibus ejectus, pauper, & mendicus ſiliquas quæreret; donec Romam revertens, ſive ſerio, ſive ficte fidem profeſſus, ſed iterum relapſus in carceribus arcis Sancti Angeli pœnitens mortuus eſt, cujus corpus nihilominus ob relapſum manu carnificis publice combuſtum eſt in acie campi Floræ menſe Decembris anno 1624.

A Quoniam verò Catholica veritas vaſtam eruditionis Provinciam complectitur, claritatis cauſa ſub pluribus titulis examinabimus, & in hac prima Controverſia expendemus fundamenta ex veteri Teſtamento. Ad cujus intelligentiam.

2 Notandum eſt I. Jure naturæ Reges non habere Primatum in rebus Spiritualibus. Nam ſtatus politicus ex natura rei non eſt connexus cum ſtatu Spirituali; ſicut ordo naturalis non eſt connexus cum ordine ſupernaturali: unde ſtatus naturæ puræ fuiſſet in ſuo ordine perfectus, & perfecte gubernatus abſque ulla connexione cum ſtatu elevationis; ergo ex natura rei Tribunal, & judicium politicæ Gubernationis non eſt connexum cum judicio ſpirituali; ac per conſequens neque Rex, qui naſcitur ſupremus in ordine politico, naſcitur ſupremus in ſpirituali: nec a Jacobo Rege hoc negatur.

Status Politicus non connectitur cū ſpirituali.

B

3 II. Ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 99. *artic.* 2., *& ſeq.* divinum jus veteris Teſtamenti totum concluſum eſſe in præceptis Moſaicis, quæ in triplex genus dividuntur, nempe in Moralia, Ceremonialia, & Judicialia, ſicut habemus Deuter. 5., & 6. cap. Et ideo dicebat Apoſt. ad Rom. 7. num. 12. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*. Bonum propter Moralia, juſtum C propter Judicialia, ſanctum propter Ceremonialia. Reſpublica enim bene ordinata Leges habere debet, quarum aliquæ communem Religionem reſpiciant, aliæ communem politiam temporalem, aliæ privatos ſubditorum mores. Neque his debuit carere Hebraica, quæ in populum Dei fuerat electa. Sic habet *quæſt.* 100. *art.* 3. citatus Doctor.

Reſpublica leges habere debet.

Moralia complectitur Decalogus, cujus prima tria præcepta Deum reſpiciunt, ſeptem ſequentia proximos noſtros, ſive conſanguinitate conjunctos, ſive non. Sic *quæſt.* 101. *art.* 1. Ceremonialia Religionem reſpiciunt, ſuntque quædam determinationes D præceptorum Decalogi ad cultum Divinum ſpectantium in materia ſacrificiorum, Sacramentorum, Templorum, & ſimilium. Sic *quæſt.* 104. *art.* 1. Judicialia attendunt politiam temporalem, ſuntque modificationes præceptorum Decalogi proximos tangentium; præſcribuntque modum, & ordinem converſationis inter Dominum, & ſervum, Principem, & populum, inter domeſticos, & extraneos. Præcepta moralia, quæ juris Divini naturalis ſunt, per Chriſtum fuerunt melius explicata: cetera verò, quæ erant Divini juris poſitivi, fuerunt ſublata. Conſtituebant hæc ſpecialiter Legem Moſaicam, quæ, cum eſſet umE bra futurorum, adveniente veritate debuit definere. Hæc habentur Lucæ 16. n. 16. Ad Gal. 3. 24. Ad Col. 2. 18. Ad Hebræos 7. 12., & 18., & 10. 1.

Moſaica quædam præcepta nunc non urgent.

4 III. Nos loqui in præſenti de jure ordinario Regum, qua Regum; ſi enim privilegio ſpeciali cum perſona Regis conjungeretur dignitas Sacerdotalis, vel Prophetæ a Deo electi ad gubernandum modo extraordinario populum ſuum; tunc non diſputaremus, utrum poſſet de rebus Religionis miniſterium exercere: Quia tamen nobis locutus eſt Deus in filio ſuo, & amplius non loqui-

quitur in Prophetia, jam perfectionem lea eſt conſecuta, nec manet amplius ſub pædagogo; A adeoque habet Eccleſia unicum, & determinatum Tribunal Controverſiarum. Et ſi viro alicui conceditur Prophetiæ donum, non reſpicit eſſentialia, & communia Religionis, ſed uſus particulares, & accidentales. Sacerdotium verò cum ſuprema Poteſtate in temporalibus pro ſuis ditionibus conjungitur in perſona Romani Pontificis. His ergo prælibatis

Dico. Jure Divino veteris Teſtamenti non competit Regibus Primatus in Spiritualibus.

5 PROB. I. De ratione Primatus in Spiritualibus eſt proferre judicialiter verita- B tem circa res Divinas, ſed ea jure Divino Reges veteris Teſtamenti non habebant jus proferendi veritatem circa res Divinas; ergo ea jure Divino veteris Teſtamenti non colligitur Primatus Eccleſiaſticus connexus cum Regia Poteſtate. Minor declaratur. Levitici 10. v. 8. legitur: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum teſtimonii &c. Ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum; doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea &c.* Cui hæc dicit Dominus? Regi ne? Nequaquam, ſed C Sacerdoti. Ezechielis 44. *Sacerdotes autem, & Levitæ filii Sadoch &c. Et populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollutum; inter mundum, & immundum oſtendent eis. Et cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt.* Sacerdotes dicit, non Reges. Paralipomen. 2. cap. 19. *Ubicumque quæſtio eſt de Lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus: oſtendite eis:* ideſt Sacerdotibus diſtributis per Civitates. Verſ. 11. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* Ecce inter Sacerdotes conſtitutos ad docendum unus primus eſt, cui ceteri ſubordinan- D tur. Sed non reticeamus ſequentia. Eodem verſ. *Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Videant ergo Reges, ipſis non eſſe mandata negotia Eccleſiaſtica, ſed ſecularia. Videat Britannicus Rex ſe non habere jus in quæſtionibus Fidei.

Reges nequeunt judicialiter agere de rebus Fidei.

Deuter. 17. habetur textus ille alibi expenſus pro Infallibilitate Cathedræ Pontificiæ: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & Judicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit* E *Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Ubi habes Controverſias Legales

Controverſia legis a Sacerdote dirimenda.

inter Judices minores deferendas eſſe ad Sum- A mum Sacerdotem, cui obediendum eſt ſub pœna mortis ſeculari brachio exequendæ. Si verò Rex Primatum haberet in Divinis, ad ipſum non ad Sacerdotem eſſent deferendæ, & ipſi obediendum. Diſcat ergo Acierus, Regium enſem Laicalem eſſe, & famulari Sacerdotalibus juſſionibus.

6 PROB. II. Primatus Eccleſiaſticus debet eſſe inter eos, a quibus requirenda eſt Legis veritas, ſed jure Divino veteris Teſtamenti, Legis veritas non eſt exquirenda a Regibus; ergo inter Reges non eſt Primatus Eccleſiaſticus. Minor declaratur. Aggæi 2. v. 12. dicitur: *Hæc dicit Dominus Exercituum, in-* B *terroga Sacerdotes Legem.* Non dixit, interroga Regem. Malachiæ 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. Labia Sacerdotis*, non Regis. Sacerdos, non Rex, *Angelus Domini eſt*, ideſt Nuncius, & Interpres Divinæ Scientiæ, & voluntatis.

Legis ſenſa a Sacerdotibus exquirenda.

Ipſimet Principes, & Reges ad Sacerdotes confugere debent, ut Divina diſcant. De Juſue conſtituto ad regendam multitudinem dicitur Numer. 27. v. 21. *Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingre-* C *dietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cetera multitudo.* En Supremus in Politia temporali omnino a Sacerdote dependens.

Deuter. 17. Deſcribuntur conditiones, & jura conceſſa a Deo Regibus, nempe, ut primus Rex quoad perſonam deſignetur a Deo: Ut eligatur ex populo Hebræorum: Ut non reducat populum in Ægyptum, & equos non multiplicet: Ut plurimas non habeat uxores, & has non alienigenas: Ut non colligat immenſas divitias: Ut juſtitiam ſectetur: Ut moderate ſe gerat erga alios: Ut legem a Sacerdotibus accipiat, ſubdit namque Scriptura. *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, de-* D *ſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud.* Cur a Sacerdotibus debet exemplar requirere, & accipere? Niſi quia Sacerdotibus eſt commiſſa Divinorum cura, & interpretatio, & judicium. Unde Joſeph *lib. 4. antiquit. cap. 8.* legem Regni deſcribens ait -- Et quiſquis fuerit, plus legibus, & Deo, quam ſuæ ſapientiæ tribuat; nihilque præter Pontificis, ac Senatus (*ſcilicet Sacerdotum*) ſententiam faciat --

Dependentia Regis in Divinis a Sacerdotibus eſt vera cauſa illius legis, non ridi- E cula interpoſita a Brentio neſciente ſolvere argumentum, ideſt, quia Sacerdotes erant Capſarii, & Bibliopolæ. Præcipitur Regi recipere a Sacerdotibus legem, non ut doceat, ſed ut *Diſcat timere Dominum Deum ſuum.* Sacerdotii eſt habere ſcientiam, idem Summus Sacerdos mandato Domini deferebat in Rationali *Urim, & Thummim*, ideſt doctrinam, & veritatem, & eo utebatur, quando ad Dominum ingrediebatur, ut reſponſa referret populo.

7 PROB. III. Ex D. Paulo ad Heb. 7. *Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt a me-*

Digitized by Google

Sacerdotium Regio præva- let dignitati.

a meliore benedicitur, ſed jure Divino Teſtamenti veteris Rex a Sacerdotio benedicitur, & exauctoratur; ergo jure Divino Teſtamenti veteris Rex minor eſt Sacerdotio. Minor explicatur. Geneſis 14. v. 20. legimus Abraham benedici a Melchiſedech Sacerdote huicque offerre, & ſolvere decimas. Samuel inunxit in Regem Saulem, & mandatis Domini inobedientem exauctoravit. Idem conſtituit David Regem per unctionem in locum Saulis. Juſſu Jojadæ Pontificis occiditur Athalia, & Joas ab eodem coronatur.

8 Ubi advertendum unctionem Regum non eſſe Sacramentum, quo tribuatur Poteſtas Regibus adminiſtrandi Eccleſiaſtica; Fidelibus enim ſolis Sacramenta ſunt præparata; & tamen juſſu Domini Elias 3. Regum 19. regreditur in Damaſcum, & ungit Hazael in Regem Syriæ, & Jehu filium Namſi Regem ſuper Iſrael, alterum Ethnicum, alterum Schiſmaticum. Utique Deus non præcipit danda Sacramenta iſtis, aut Eccleſiæ adminiſtrationem: Inungitur ergo Rex non a Rege, ſed a Sacerdote; ergo Sacerdos major eſt Rege.

In diviſione Terræ Sanctæ primæ partes dantur Sacerdoti, deinde Principi. Sic Joſue 19. v. 51. *Hæ ſunt poſſeſſiones, quas ſorte diviſerunt Eleazar, & Joſue filius Nun*. Ubi populus venit ad petendam hereditatem primo loco ponitur Sacerdos. Cap. 17. v. 4. *Veneruntque in conſpectu Eleazari Sacerdotis, & Joſue filii Nun, & Principum*. Ubi agitur de Sacrificio offerendo pro peccatis, primus locus, & melior victima Sacerdoti conceditur, ſecundus Principi: dignius ergo Sacerdotium eſt.

9 PROB. IV. Si jus Divinum veteris Teſtamenti concederet Regibus Primatum in Divinis, non redargueret, nec puniret velut uſurpatores alterius officii Divina miniſtrantes, ſed arguit, & punit; ergo &c. Min. declaratur. 2. Paralip. 26. de Ozia Divinis ſe immiſcente habemus: *Neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſuſque Templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper Altare Thymiamatis. Statimque ingreſſus poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini &c. reſtiterunt Regi, atque dixerunt: Non eſt tui officii Ozia, ut adoleat incenſum Domino, ſed Sacerdotum; hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium. Egredere de Sanctuario*. Cumque nollet Pontifici obedire, iram ultricem Dei expertus eſt: *Statimque orta eſt lepra in fronte ejus &c. (Sacerdotes) feſtinato expulerunt eum*. Non eſt ergo officii veſtri, o Reges, Divina tractare. Pariter 2. Regum 6. quia calcitrantibus bobus Oza (quamvis Levites) extendit manum, & tenuit Arcam, ne caderet: *Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi, juxta Arcam Dei*. Si in his quaſi minimis uſurpatores ſunt Principes, & non Sacerdotes, quid erit in maximis ad Religionem pertinentibus?

Divina a Sacerdotibus tractanda.

10 PROB. V. Vel jus Divinum veteris Teſtamenti tribuens Primatum in ſpiritualibus Regi continetur in præceptis moralibus, vel ceremonialibus, vel judicialibus, ſed in moralibus non continetur hujuſmodi jus, cum moralia ſolius Decalogi comprehendat præcepta, in quibus nulla fit mentio de Primatu hoc Regio. Si in aliis duobus, nihil pro ſe deducere poſſunt Acleritiæ, cum judicialia, & ceremonialia qua talia ſint abrogata in lege nova. Sicut ergo non valet, Sacrificia in veteri Teſtamento erant cruenta; unum erat Templum, in quo omnes adorarent, & in templo unum Altare; ex una tantum Tribu erant Levitæ; ſic nunc Sacrificia debent eſſe cruenta, unum Altare, unum Templum, una familia Sacerdotalis: ita non valet, judicialibus, vel ceremonialibus ſtatutis Reges habebant Primatum Eccleſiæ; ergo etiam nunc. Quocunque ergo ſe vertant, non habent fundamentum ſtatuendi ex veteri jure divino Caput Regium Eccleſiaſticarum rerum pro lege nova. Alia infra dabimus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HETERODOXORUM.

11 OBJIC. I. Moyſes fuit Princeps Laicus (Sacerdos enim primus fuit Aaron in lege veteri): ſed Moyſes jure Divino habebat Primatum in rebus Religionis, ut conſtat Exodi 18. *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum: oſtendaſque populo ceremonias, & ritum colendi*. Hæc, & ſequentia objiciunt Brentius *in Prologom. Spalatenſis lib. 6. de Republica*. Rex Jacobus *in Apolog.* Sacellanus *in defenſione Apologiæ*. Tooker *in duello contra Becanum*.

RESP. Argumentum nobis favet. Moyſes enim fuit figura Chriſti; Aaron primi Sacerdotis a Chriſto conſtituti. Quemadmodum in Chriſto erat dignitas Regis, Prophetæ magni, Sacerdotis, & Inſtitutoris primi Eccleſiæ legis gratiæ; ita in Moyſe erat gradus Principis, Prophetæ, Sacerdotis, & primi Promulgatoris legis Hebraicæ: Unde ſicut Chriſtus qua primus Inſtitutor, qua Propheta, qua Sacerdos jus habebat adminiſtrandi Eccleſiam in Divinis, ita Moyſes qua primus legis Promulgator, qua Propheta, qua Sacerdos jus habuit præſidendi, & regendi in Divinis Synagogam. Sacerdotem fuiſſe Moyſem certo conſtat ex Scriptura Pſal. 98. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Et Exodi 28., & 29. exercet omnia munera Sacerdotalia, ut ſacrificare, docere, conſecrare veſtes Pontificis, & Sacerdotes inungere. Fuiſſe Sacerdotem docent Patres, ut Aug. *lib. 3. de vita Moyſis*. Nazianzenus *in Oratione coram Gregorio Nyſſeno*. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum*, & alii.

Verum tamen eſt, quod Moyſes erat Sacerdos immediate a Deo conſtitutus, & extraordinarius; Aaron verò ex officio, & ordinarius, licet ſubrogatus Moyſi. Hoc idem bene explicat Aug. *loc. cit.* (poſtquam oſtendit utrumque Sacerdotem eſſe) quærens, quis eſſet potior his? Reſp. -- Et ipſe ſummus „ propter veſtem Pontificalem (*ideſt Aaron*) „ ille verò propter excellentius miniſterium „ (*ideſt Moyſes*) -- S. Thom. *in 4. diſt. 19. quæſt.*

Moyſes extraordinarius Sacerdos a Deo conſtitutus.

Digitized by Google

quæſt. 1. *ad* 1. — Quod Moyſes fuit Sacerdos, „ quaſi ſacra dans, quia immediate a Deo „ accepit Sacra, & ea primo dedit populo; „ non verò fuit Sacerdos ex officio offerendi — *Ex officio*, ideſt, jure ordinario. Hoc modo conciliantur illi, qui negant Moyſem fuiſſe Sacerdotem, ideſt ordinaria Inſtitutione. Sed ceſſante etiam Sacerdotio in Moyſe erat alia dignitas, ſcilicet, Prophetalis, qua poterat Divina tractare, & ipſos Reges conſtituere, ut alii Prophetæ fecerunt: ut Ahias, qui inunxit Jeroboam in Regem ſuper Iſrael, ut Eliſeus, qui conſtituit Jehu in Regem, Achabi ſtirpe deleta. Cum ergo Rex Angliæ, nec primus Legislator ſit, nec Sacerdos extraordinarius, nec Propheta, ut Moyſes, non habet quid colligat pro ſuo Primatu Eccleſiæ.

12 OBJIC. II. Joſue erat Dux Laicus; nec tamen formaliter Sacerdos, ſed Joſue jus habebat exercendi acta Religionis, & exercuit. Hinc cap. 3. præſcribit Sacerdotibus, quod portent Arcam fœderis. Cap. 4. explicat myſterium 12. lapidum, quos in tranſitu Jordanis erexit. Cap. 5., & 8. circumcidit filios Iſrael, & ædificavit Altare Domino: populum admonuit, ne iniret fœdus cum Gentibus. Hæc munera non exercuit Eleazarus, qui pro tunc erat Summus Sacerdos; ergo Laici Principes jus habent Divinorum.

RESP. Argumentum ſtat pro nobis; nam Numer. 27. ubi ex præcepto Domini Moyſes inſtituit Joſue Rectorem populi, eique mandata Domini obſervanda expoſuit, præcipitur manifeſte, quod in his, quæ ad Deum, & Religionem pertinent, nihil agat ſine dependentia, & conſilio Summi Sacerdotis. Præcipitur, quod Joſue nihil agat ſine conſilio; non tamen libere amplectendo, vel rejiciendo, ſed de jure ſequendo, ut patet ex Num. 27. v. 21. *Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cetera multitudo*. Unde ſicut Aaron dependebat a Moyſe, ita Joſue ab Eleazaro. Igitur enumerata in objectione exercuit executive, & dependenter a Summo Sacerdote, coram quo dedit Moyſes ipſi Joſue, & replicavit præcepta a Domino.

13 OBJIC. III. Revocare populum ad cultum Dei, conſtituere Levitas, & Sacerdotes, prædicare univerſo populo jejunium, & exhortari ad fidem, ſunt actus proprii Primatum habentis in Divinis, ſed Joſaphat ſimplex Rex Laicus exercuit hæc munia; ergo &c.

Primum habetur 2. Paral. 19. v. 4. *Egreſſus eſt ad populum de Berſabee uſque ad Montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum*. Secundum habetur v. 8. *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas, & Sacerdotes*. Tertium habetur cap. 20. v. 3. *Et prædicavit jejunium univerſo Juda*. Ex quibus arguit defenſor Apologiæ. Mittens eſt Superior miſſo, ſed Rex Joſaphat miſit Levitas, & Sacerdotes pro reformatione Synagogæ; ergo erat Superior Levitis, & Sacerdotibus.

RESP. Hoc quoque argumentum pro nobis eſſe. Ut ſupra vidimus, Joſaphat expreſſe declaravit ad Sacerdotium pertinere res Religionis, ſicut ad Laicos res temporales: immo nullum unquam munus, importans judicium, & ſententiam, in materia fidei exercuit, ſed ſolum adjutorium brachii ſecularis executivum exhibuit. Cum enim propter bella, & diviſionem inter Regem Iſrael, & Juda, & impietatem Dominantium, Religio eſſet fere deperdita, & omnia fere confuſa; Rex viriliter agens, reduxit populum ad priſtina, quantum potuit: immo etiam curavit priſtinarum legum obſervantiam timore gladii, quam reſtitutionem non poterant conſequi ſolis exhortationibus Sacerdotes. Repoſuit Sacerdotes, & Levitas in locis, ubi deficiebant, & Duces in temporalibus, ubi exigebat neceſſitas: non tamen ipſe conſecravit perſonas, cum ex mandato Domini Tribui Levi, eique ſolis eſſet collatum Sacerdotium. Hæc eſt ergo miſſio Joſaphat, ſcilicet adjutorii. Nec eſt verum, quod quilibet mittens qua talis, ſit miſſo Superior rigoroſe: aliàs Pater Æternus eſſet Filio Major; qui modus arguendi Sacellani deſtrueret Trinitatem.

14 DICES. Ubi intervenit præceptum, ibi adeſt vera Superioritas, ſed in hac miſſione adfuit præceptum. *Præcepitque eis, dicens: &c.* ergo fuit vera Superioritas, & non ſolum ſubſidium executivum.

RESP. Illud præceptum nil aliud fuit, quam manifeſtatio obligationis uniuſcujuſque: juſſitque conſtitutis Sacerdotibus ad opus ſuum, quod illud adimplerent, & cauſas Religionis ſibi debitas, rite, & ſedulo pertractarent.

15 INSTABIS. Reſervata Sacerdotibus in illis verbis (*In his, quæ pertinent ad Deum*) intelliguntur ea ſolum, quæ pertinent ad Sacrificia; non verò ea omnia, quæ ſpectant ad Res Divinas, Doctrinam, & Judicium fidei; ergo non excluditur Primatus Regis. Ita defenſor Apologiæ.

RESP. Ant. omnino falſum eſt; non enim aliis verbis commiſſa eſt Moyſi univerſalis, & totalis adminiſtratio Divinorum, ut patet Exodi 4. v. 16. *Aaron &c. erit os tuum; tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent*. Item Exodi 18. *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, oſtendaſque populo ceremonias, & ritum colendi*. Intelliguntur ergo omnia Divina, ſed etiam ad ſola Sacrificia non extendi, patet ex text. 2. Paralip. 19. *Ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus: oſtendite eis*, ideſt, Sacerdotibus ergo &c.

16 URGEBIS. Utrumque ordinem æqualiter conſtituit Rex Sacerdotalem, & Politicum, ut patet ex contrapoſitione; ergo vel neuter, vel uterque dependet ab ejus Poteſtate. Ita defenſor Apolog.

RESP. Rex ibi nullum Magiſtratum conſtituit, ſed tantum reſtituit, explicavitque utriuſque munus. Et cum aperte aſſerat, ad Amariam Sacerdotem pertinere Divinorum curam, & præſidentiam, expreſſe excluſit ſeipſum a judicio Religionis. Nec ſequitur inde Poteſtatem Zabadiæ ab ipſo non dependere, cum certum ſit, in temporalibus Principem ſupremum eſſe; & etiam ſcimus quod Sacer-

Sacerdotalis dignitas non erat in Regum Poteſtate, ſed Divino decreto pertinebat ad generationem Aaron; & Summum Sacerdotium A majori nato ejoſdem familiæ debetur. Duces verò, & Judices Laicales nec erant huic, vel illi Tribui alligati, nec a Deo determinati in ſpecie, ut ex ipſa Scriptura manifeſte patet.

17 REPLICABIS. In codice fontali non extant illa verba: *Quæ ad Regis officium pertinent*, ſed ſolum, *quæ ad res Regis pertinent*, ideſt, quæ ad terrenam politiam; ergo non arguitur ſola Laicalia pertinere ad Regem, ſed ſolum dediſſe Regem Zabadiæ curam ſecularium.

RESP. Per ſummam temeritatem nega- B tur codex, quem legit univerſalis Eccleſia, & Hieronymus, Auguſtinus, & alii Patres tenuerunt, & tradiderunt. Deinde nihil prodeſt ſpeculatio: cum textus aperte ponat particulam contrapoſitivam, ſcilicet, Amariam eſſe in his, quæ pertinent ad Deum; Zabadiam verò in his, quæ ad Regem; explicatque jus Divinum, ſtatutum Deut. 17. ut Vatablus, Pagninus advertunt.

18 OBJIC. IV. David Poteſtate Regia abſtulit a templo claudum, & cæcum, 2. Regum 5. v. 6. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos*; ergo ad David pertinebat auferre abuſus Eccleſiaſticos, cum hi C oriantur, vel ex incuria, quod in officio claudicetur; vel ex inſcitia, qua homines dicuntur cæci. II. Reges reprehenduntur, quod excelſa non abſtulerint, ideſt, abuſus, & corruptelas, nec reprehenderentur, niſi eorum officium foret: Sed ad quos pertinet abuſus Eccleſiaſticos tollere, pertinet etiam Primatus Eccleſiæ; ergo &c. III. 1. Paralip. 13. Imperio David Arca tranſlata eſt ad conſtitutum locum, & 2. Regum 6. v. 14. tranſlata eſt ipſo Rege præeunte, in quo Sacellanus vim facit: *Nam hoc ipſo (ait) ſignificavit ſe Primatum tenere in negotio Arcæ deportandæ*. Saltabat ante arcam præ gaudio Pri- D matus; ſi enim ob humilitatem, retro ſaltaſſet. IV. Rex Laicus David Miniſtros, miniſteria, & officia templi diſpoſuit; ergo erat Caput Eccleſiæ. Ita Apologiſtæ defenſor.

RESP. Argumentum hoc Laicocephaliam tollit: Etenim Apologiſta aſſerit Davidi non fuiſſe conceſſum Arcam tangere, ex quo deducunt, Reges non poſſe ſacra tractare, ſeu Sacrificia, & Sacramenta adminiſtrare; Sacerdotalia ſiquidem ſunt; ergo Rex Angliæ non eſt Caput, nec Primus Divinorum in reliquis. Qui enim eſt Primus, & Caput in uno ordine, omnia poteſt, quæ poſſunt ex ſua Poteſtate ejus ſubditi, ſed ſubditi ipſius, E ideſt, Sacerdotes ejus auctoritate conſtituti poſſunt Sacra tractare; ergo & ipſe. Major eſt evidens inductione. In militaribus Dux exercitus poteſt omnia, quæ ejus Centuriones, aliique Officiales ſubordinati; in Politicis Princeps Reipublicæ poteſt omnia, quæ Proreges, Gubernatores, Judices Civitatum; in ordine Eccleſiaſtico Epiſcopus poteſt, quæ Parochi, Capellani, aliique Sacerdotes: Si ergo ex ſententia Jacobi, Rex non poteſt Sacra tractare, quæ poſſunt Sacerdotes ab ipſo conſtituti, Caput Eccleſiaſticarum rerum non eſt.

Supremus ea poteſt, quæ poſſunt inferiores.

19 RESP. II. Generali reſponſione. Aliud eſt judicare, & decernere de Divinis, v. g. quid ſit hæreſis, & quæ, quid ſit adoratio imaginum, & an ſint adorandæ, aliud eſt (poſito certo judicio, & ſententia illius, qui juſta, & ex officio judicare poteſt, quod hæreſis ſit, vel fides) hæreſim exterminare, & fidem promovere. Primum ad Sacerdotium pertinet, ſecundum ad Reges, ad Duces, ad Patres familiæ, & ſimiles. Si enim jam certò ſit ſtabilitum, commeſtionem ſuffocati eſſe abuſum; Paterfamilias advertens in ſua domum illum vigere, tenetur emendare. Ita pariter, ſi ſtatutum ſit, quod die Sabbati ſit abſtinendum a ſervilibus, tenetur uſum promovere. Hæc autem via executiva, potiſſime in lege veteri ad Principes ſpectabat: Cum enim ſtatus ille ſervorum eſſet, non filiorum, cum timore ducerentur, non amore, & ob duritiem cordis parvipenderent Sacerdotalia monita, neceſſarius erat gladius Principis, ut ad obſervantiam mandatorum pertraherentur.

Gladius Principis legi deſervit.

20 RESP. III. Etiamſi aliquando Sacris ſe immiſcuiſſet David, non tamen hoc fecit Regia auctoritate, ſed ſpiritu prophetali, quo excellebat. Satis autem frequens erat in lege veteri extraordinaria diſpoſitio rerum a Deo per Prophetas, propter ſtatus imperfectionem, & duritiem populi; quæ tamen diſpoſitio nunc adduci non poteſt in exemplum, cum Filius Dei clauſerit ora Prophetarum, & ordinarium conſtituerit magiſterium.

Nunc ad ſingula. Primum non eſt ad rem, quod ut intelligatur, ſciendum eſt, Jebuſæos incoluiſſe tunc temporis Jeruſalem, quam David intellexerat eſſe ſedem Dei, & Templum ejus; unde ut illam poſſideret, applicuit exercitum; poſtulavit deditionem, cui Jebuſæi reſponderunt: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos, dicentes: non ingredietur David huc*. Quid autem veniat nomine cæcorum, & claudorum, multiplex expoſitio eſt, veriorem tamen eligimus, eaque eſt, quæ aſſerit, quod in contemptum Davidis Jebuſæi poſuerint ſuper muros veros claudos, & cæcos, quaſi dicerent: Urbem adeo munitam eſſe, quod claudi, & cæci ſufficerent ad defenſionem. Sic Joſeph *lib. 7. cap. 2. Gloſſa interlinealis*. Theodoretus *quæſt. 16. 17.* Abulenſis *quæſt. 7.*, & alii. Porro hoc nihil ad rem pro Primatu Anglicano.

Ad ſecundum. Ut intelligatur, quid ſit tollere excelſa, diſtinguenda ſunt tria tempora ab exitu ex Ægypto, primum peregrinationis in deſerto, ſecundum ſtationis uſque ad Templi ædificationem, tertium ædificationis Templi: Tempore peregrinationis lege ordinaria offerebant Hebræi ſacrificia, ubi in deſerto conſiſtebat Arca cum Tabernaculo; tempore ſtationis Tabernaculum cum Arca poſuerunt in Silo. Joſue 8. v. 1. Deinde ſeparata eſt Arca a Tabernaculo; Arca manſit ubi bellabant Iſraelitæ, quæ capta a Philiſthæis aſportata eſt in Azotum. Inde reſtituta eſt in Urbem Bethſames; deinde Cariathiarim deducta, & inde in Domum Abinadab in Gabaa. Hæc omnia habentur 1. Reg. 4. 5. 6. 7. Tabernaculum verò ex Silo in Nobe

Digitized by Google

Civitatem Sacerdotalem trauslatum eſt: inde in Gabaon, ubi manſit, donec ſimul cum Arca repoſitum eſt in Templo Salomonis, ut apparet ea Paralipom., & Regum hiſtoria. Tempore Salomonis, poſt ædificatom Templum, lege ordinaria non arat licitum offerre ſacrificia, niſi in Templo. Deuter. 12. v. 13. Lege tamen extraordinaria, ſive ante, ſive poſt ædificationem licebat alibi. Unde Samuel immolavit in Ramatha, 1. Reg. 17. Et cap. 11. in Galgalis. David in area Ornan Jebuſæi. 1. Paralip. 21. Elias in Carmelo. 3. Reg. 18.

His prælibatis conſtat abuſum fuiſſe in eo, quod ſacrificabant in excelſis, ubi non erat Tabernaculum, & ideo reprehendit Dominus Reges, quod hujuſmodi abuſum non abſtulerint, & populum non cohiberent: cum non poſſet ſummus Sacerdos ſuis adhortationibus abuſum eradicare, ut conſtat 3. Reg. 3., & 3. Reg. 22. In hoc autem nulla apparet umbra Primatus Eccleſiaſtici, ſed pura cooperatio adjutorii in extirpandis corruptelis.

Abuſus a Principibus ſunt eradicandi.

Ad tertium dico I. oppoſitum colligi: ex eo enim, quod David præcederet Arcam, infertur, non habuiſſe digniorem locum, adeoque neque Primatum; nam in Proceſſionibus Eccleſiaſticis, maxime ad Euchariſtiam ſpectantibus, cujus figura erat illa, & in inceſſibus Regiis, qui præcedunt, non ſunt digniores, ſed qui comitantur.

II. Argumentum deſtruere Laicocephaliam; nam non ſolus David præcedebat ſaltando, ſed etiam populus, dicente Scriptura 2. Reg. 6. v. 5. *David autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino. David, & omnis domus Iſrael ducebant Arcam teſtamenti Domini in jubilo* v. 15. Idem dicitur de Salomone 3. Reg. 8. *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, qua convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante Arcam*. Si ergo ea quo David ſaltabat ante Arcam, & non retro, arguitur Primatus Eccleſiæ, etiam Primatus erit populo concedendus.

III. Abutitur Adverſarius Scriptura, gaudiom Davidis ex ambitione Primatus explicando, cum expreſſe fuerit in ſignum humilitatis, & ſubjectionis in Divinis. *Vilior fiam, plus quam factus ſum: & ero humilis in oculis meis*. Et ideo præcedebat, declarando ſuam inferioritatem coram Arca, & Sacerdotibus, in actibus Religionis. Deinde quod additur, tranſtuliſſe Arcam ad locum quietum, ita arguit Primatum, ſicut arguit transferre Euchariſtiam per Sacerdotes a loco viliori ad decentiorem. Tantæ item Sanctitatis erat Arca Domini, quod neque Levitis liceret eam tangere. Unde quando ab ipſis erat deferrenda, Sacerdotes velo obvolvebant, & vectes per annulus traſmittebant, ne a Levitis tangeretur.

Humilis David ante Arcam ſaltabat.

Ad quartum. Ea omnia erant minutatim jure Divino diſpoſita, & expreſſa; unde a David non potuerunt conſtitui, nec initiari. Solum ergo curavit promovere executionem; & ſi quid aliud fecit muneris Aaronici, illi permiſſum erat tanquam Prophetæ, non autem ut Regi.

21 OBJIC. V. Qui ædificat, & dedicat templum Deo, & Summum deponit Sacerdotem, habet Primatum Eccleſiæ, ſed Salomon ædificavit, & dedicavit templum Domino, & obtulit Sacrificia, & depoſuit Summum Sacerdotem Abiathar, ut ex 1. Paral. 28. v. 2. Paral. 6. v. 3. Reg. 2.; ergo Salomon habuit Primatum Eccleſiæ.

Quia hoc argumentum magni faciunt Adverſarii, afferenda ſunt ipſorum verba -- „ Salomon Rex templum Dei ædificavit; dicare autem Deo templa actus eſt primarius, „ nec cujuſcumque, niſi cujus in Religione „ partes primæ ſunt -- Et in 3. Reg. 2. cap. -- Unde ad Regem pertinebit, etiam Pontifici jus dicere, eumque exigentibus ejus demeritis, exauctorare hoc exemplo, quod ad „ Primatum Regis confert -- Hæc Apologiſtæ defenſor.

RESP. Argumentum tanti ponderis eſt, ut deſtruat intentum Apologiſtæ. Primo. Ædificationi Salomon contulit ſolam ſupereminentem intendentiam, & expenſionem pecuniæ ad hoc opus collectæ, quia ex præcepto Domini David indicavit Salomoni templi ædificationem, deditque exemplar, partemque pecuniæ reliquit, ut habetur 3. Reg. 18. Fuit ergo Salomon executor operis præintenti a Patre. Secundo. Ædificatio materialiter accepta convenit etiam cæmentariis; nec tamen ipſi habent primatum: formalis verò, ideſt, ſomptibus propriis, & conſilio convenit etiam piis hominibus, qui pecuniam ſubminiſtrant; nec inde Primatum conſequuntur. Centurio Judæis ædificavit Synagogam, nec ob hoc habitus eſt Primus Synagogæ.

Templorum ædificatio pietatis opus.

Deinde. Dedicare idem eſt, ac Deo mancipare, & offerre: ſed Deo, & cultui ejus aliquid offerre non eſt ſignum Primatus: Hinc Exodi 35. Iſraelitæ, tam viri, quam fœminæ de populo dicuntur dedicaſſe Deo byſſum, purpuram, coccum, & pilos caprarum, nec tamen popularibus hominibus conceditur Primatus Religionis; ergo &c.

Ulterius. Offerre Sacrificia ſtat dupliciter, mediate per Sacerdotes, vel immediate per ſeipſum: Si primum concedatur Salomoni, quod verum eſt, nihil evincitur; quia quilibet de plebe offert hoc modo Sacrificium: Si ſecundum, falſum eſt, nec juvat Aclero. Falſum eſt, quia non erat majoris auctoritatis Salomon, qua Rex, quam Saul, ſed Saul non potuit offerre; & quia fecit neceſſitate compulſus, ſtulte egit, & mandata Domini non cuſtodivit, & ob hanc rem fuit in ſua poſteritate ſpoliatus Regali dignitate, ut 1. Reg. 13. habetur; ergo &c. Non juvat Aclero, quia Apologiſta negat poſſe Regem ſacrificare, aut incenſum offerre his: *Nec incenſum adolere ſinimus: nec id facere* (ſcilicet ſacrificare) *cujus typus tunc erat incenſum*. Poſtremo. In ea feſtivitate ſicut dicitur Salomon immolaſſe victimas; ita etiam dicitur, quod hoc fecerit omnis populus; ergo etiam populus habebit Primatum.

Ut tamen res evidentius fiat, videamus ceremonias, quæ interfuerunt in hac dedicatione, & a quibus factæ ſunt. I. Congregati ſunt Iſraelitæ ad Salomonem in Jeruſalem, ædificato Templo. Sic 3. Reg. 8. II. Sacerdotes intulerunt Arcam, Tabernaculum, & Vaſa ſacra. III. Deus implevit Templum ne-

nebula. IV. Salomon gratiis Deo actis precatus eſt multa. V. Victimæ, & oblationes immolatæ ſunt. VI. Sanctificatum eſt medium Atrii. VII. Octavo die dimiſſus eſt populus.

Congregare populum, & dimittere; orare, & gratias Deo agere, tribuuntur Salomoni. Deferre Arcam, Vaſa ſacra, immolare Victimas, & conſecrare medium atrii, immediate exercita fuerunt per Sacerdotes. Intereſſe, gratias agere, lætari, & mediate offerre Victimas populo conceſſum fuit; ſed acta, quæ tribuuntur Salomoni, non arguunt Primatum, cum & ab aliis de plebe exerceri poſſent, ut orare, gratias agere &c.; ergo &c.

Si forte dicas, Salomonem benedixiſſe omnem Eccleſiam; ergo eſt ea ſuperior, cum minor a majore benedicatur; & ego, cum ibidem verſu 66. legatur, populum benedixiſſe Regem, dicam, populum majorem eſſe Rege. Igitur ibi benedicere ſumitur pro gratias agere. Deinde Eccleſia, quam benedixit, eſt populi congregatio ab ipſo facta præciſive a Sacerdotibus. Hæc pro prima parte argumenti.

Seconda pars æque pro nobis militat. I. Non erat majoris auctoritatis Salomon, quam alii Reges, ſed alii poterant deponi a Sacerdotibus; unde Jojada Sacerdos ſummus depoſuit Athaliam, & ſubrogavit Joam. 4. Reg. 11. Ergo dicendum eſt ſummum Sacerdotem eſſe Rege ſuperiorem. II. Probandum eſt ab Apologiſta, quod bene fecerit, & licite Salomon, cum a Catholicis defendatur injuſte factum, nec in Scriptura aliter conſtet. Fuit enim Iſraelitis ſemper perſuaſum Reges nihil poſſe in Sacerdotes. Hinc cum Saul vellet occidere David, & Sacerdotes pro ipſo ſtantes, & præcepiſſet hoc ſervis ſuis Hebræis, illi recuſaverunt, ut habetur 1. Reg. 22. *Noluerunt autem Servi Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*. Quod ſi voluit Rex iniquitatis Miniſtrum, debuit præcipere extraneo Gentili Doeg. Si verò ſervi crediddiſſent Regem poſſe aliquid in Sacerdotes, æquo animo in illos irruiſſent, ſicut in David, cum etiam ipſi nocentes apparerent, ac David, cui patrocinabantur. Fuiſſeque nullam illam depoſitionem patet ex capite 4., ubi enumerantur miniſtri Salomonis temporales, & Miniſtri Templi, inter quos Sacerdos dicitur Abiathar. *Sadoc autem, Abiathar Sacerdotes*. Nec fuit adeo innocens Salomon, ut debeat excuſari ab hoc ſcelere, pejoribus coinquinatus.

Vis nulla in Regibus adverſus Sacerdotes.

III. Data juſta depoſitione Abiathar, negatur hanc fuiſſe a Poteſtate Regia, ſed ex particulari revelatione, & particulari dono prophetiæ ad tollendam dubietatem inter duos Summos Pontifices, quod innuit Scriptura 3. Reg. 2. bis: *Ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper Domum Heli in Silo*. Sed quid inde? De auctoritate Regia quærimus, non de extraordinaria Prophetarum.

Aliter arguat Rex Jacobus. Spiritu prophetico Salomon depoſuit Pontificem; ergo ego Rex ſic poſſum. Tunc & ego arguam. Nathan ſpiritu prophetico redarguit Davidem poteſtative; ergo quilibet ſubditus poteſt auctoritative Regem redarguere.

22 OBJIC. VI. Qui exercet actus Primarios ſacros, & Religionis, habet Primatum, ſed Joſias hos exercuit; ergo &c. Prob. min. ex 4. Reg. 22. -- Legis libro reperto,
„ indixit Rex conventum: in eo jubet reci-
„ tari librum: recitato, fœdus novum iniit
„ cum Domino, populum quoque ad fœdus
„ adjuravit. Tunc præcepit ipſi Pontifici,
„ reliquiſque ſecundi ordinis Sacerdotibus,
„ ut ejicerent de Templo, atque exurerent
„ vaſa omnia, quæ Baali ſacra fuerant, &
„ ut excelſa demolirentur. Mandavit poſt de
„ Paſchate novo faciendo. Denique de reli-
„ gione tota reformanda &c. Hi autem a-
„ ctus ſunt ſacri, & a Rege præcepti; &
„ ubi præcipit Rex, paret Pontifex Regi. Hoc
„ exemplum Joſiæ plurimum certe facit pro
„ Primatu Regia-- Verba ſunt Sacellani defenſoris Apologiæ.

RESP. Hoc pariter argumentum non magis probat, quam alia, nec caret mendaciis. Ad cujus intelligentiam ſciendum eſt, propter impios Reges Judæ populum declinaſſe a lege Moyſis, & ex magna parte Idololatriam fuiſſe amplexatum; erant Divina perturbata, neglecta Sacrificia, Præcepta conculcata, Templum profanatum, deſpectum Sacerdotium; & in hoc ſtatu peſſimo invenit Synagogam Joſias, cum electus fuit Rex. Cum ergo mandaſſet colligere pecuniam Templi pro ſolvendis operariis laborantibus ad reſarcienda ſarta tecta Templi, Helcias Summus Sacerdos invenit librum Legis, videlicet Deuteronomium (Achab enim, & alii impii, vel Idololatræ Reges, curarunt diſperdere omnia volumina Legis). Inventum librum Regi per Scribam miſit, quem a Scriba lectum audiens, territus eſt propter gravia ſupplicia, quæ Deus minabatur prævaricatoribus Legis, & ſcidit veſtimenta. Ne ipſe in Iram Dei incideret, curavit collapſam obſervantiam reparare, exequendo præſcripta, in quo alias partes non egit, niſi adjutricis manus præſtando. Et hoc ſufficit pro ſolutione argumenti. Sed ad ſingula.

Joſias legis reparator.

Ad primum. Falſum eſt ſua auctoritate Regem legiſſe librum. Librum enim a Sacerdote tranſmiſſum, coram Rege legit ſcriba Templi; & in hoc videre eſt dependentia Regis in Divinis a Sacerdote ſecundum legem ejuſdem libri, qui præcipit Regi librum Legis ab illo recipere ad obſervandum. Nondum autem eum receperat Joſias, eo quod non inveniebatur. Si enim recepiſſet, & legiſſet, non fuiſſent illi nova in eo contenta. Ad ſecundum. Miſit Sacerdotem conſulere Propheriſſam (Optime; etenim perterritus noluit ipſe conſulere Dominum; non enim erat ſui officii, ſed Sacerdotum, & Prophetarum). Miſſio autem non fuit præceptiva, ſed debiti convenientiæ, cum munus Pontificis eſſet Deum conſulere. Ad tertium. Congregavit populum, ut librum perlegeret. Optime: etenim ad hunc finem tranſmiſerat Pontifex.

Ad quartum. Legit librum populo. Sed quid pro Primatu? Scriba Templi Saphan prius legit ipſi Regi; ergo ipſe Saphan habebat Primatum? Quid dignitatis in recitatione Bibliæ coram aliis, quod ipſi Angli concedunt Ancillis, & ſtabulariis? Ad quintum.

Fœdus percuſſit cum Domino: promiſit, videlicet, cuſtodire mandata. Nonne tenebatur ad hoc, ſicut alii? Ad ſeatum. Adjuravit populum ad idem fœdus. Nonne tenetur Rex procurare obſervantiam Legis Dei in ſubditis ſuis, ſicut tenetur Paterfamilias in ſuis Domeſticis? Anglicani Miniſtri nonne populum adhortantur ſuum Evangelium cuſtodire? Primatum ergo habent?

Ad ſeptimum. Præcepit Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, ut vaſa ſacrata Baali auferrent. Cur ipſe non fecit? Quia ſui muneris non erat, ſed Sacerdotis: unde non fuit præceptum ſuperioris ad inferiorem, ſed commonitio, & remotio prohibentis. Non poterant enim Sacerdotes antecedenter hoc facere obſtante potentia Regnantium. Ad octavum. Diſſipavit excelſa. Hoc præceptum erat Domini, & ad ipſum ſpectabat manum dare, cum aliqua excelſa Regia eſſent, alia favori Regum innixa. Ad nonum. Occidit Sacerdotes excelſorum. Sed quos? Samariæ Idololatras. Pepercit tamen veris, (licet reis, utpote ſacrificantibus in loco prohibito) propter excellentiam dignitatis. Poterat tamen & hos obtruncare, quia lex certam ſtatuebat pœnam huic delicto. Ad decimum. Præcepit Paſcha. Sed jure merito; nam præceptum Domini diu fuerat intermiſſum. Executionem procuravit, ſicut totius Legis obſervantiam, nec ſine dependentia a Pontifice, qui ut hæc fierent, librum legis tranſmiſit Regi.

23 OBJIC. VII. Defenſor Apologiæ. Ezechias Rex Laicus, Auctor fuit fœderis inter populum, & Deum; nam ſi hoc fecit Nehemias Dux tantum, potuit multo magis Rex; Ingreſſus eſt templum, confregit ſerpentem æneum, qui erat Chriſti figura, quia illi offerebant Hebræi Sacrificia, ſuffitus adhibendo, ut fit Imaginibus a Pontificiis, venerando illum, & thurificantes ratione accepti beneficii &c. Hæc compendioſe ex Adverſario.

RESP. Hinc confirmatur potius Catholica veritas, quam infirmetur; quia ex gloſſa ordinaria, ex ſententia, & doctrina Hebræorum Ezechias nullum horum egit ſine dependentia, & conſilio Sacerdotum. Et revera ſacra non adimplevit, ſicut Templi purificationem, & vaſorum, ſacrificia, & oblationes, niſi per Sacerdotes, quorum munus erat, eoſque honoravit, præcipiens Populo, ut primitias, & decimas ſolveret ſtatutas a Domino.

Deinde Laicocephaliem deſtruit argumentum ex tribus. Primo, exemplo adducto Nehemiæ, qui erat Sacerdos ſecundum Scripturam c. 10. Nehemiæ: *Nehemias, Athersatha &c. Hi Sacerdotes*. Ex hoc ſic arguo. Per te, o Sacellane, inire fœdus cum Domino arguit Primatum: Nehemias Sacerdos iniit fœdus cum Domino; ergo Sacerdos habuit Primatum. II. Tollere excelſa, & profana arguit Primatum, ſed quæ dicta ſunt in argumento, quoad hoc exercuit Populus tempore Ezechiæ 2. Paralip. 39.; ergo Populus habet Primatum. III. Auferre Idololatriam arguit Primatum, ſed Deus mandavit cuilibet de plebe hoc facere in Deuter. 7. v. 5. *Aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite: quia Populus ſanctus es Domino Deo tuo*; ergo quilibet de plebe habet Primatum.

Igitur Ezechias auctor fuit fœderis inter Populum, & Dominum, ideſt, curavit Legis adimpletionem. Quid inde? Fecit quod debuit. Princeps enim non poteſt ferre Leges Divinas, vel Eccleſiaſticas, ſi tamen videat illas inobſervatas, maxime cum hæreſi admixta, poteſt præcipere, & adimpletionem urgere; ultor eſt enim malorum. Ingreſſus eſt Templum. Pro ſolis ne Primatum Eccleſiæ habentibus facta ſunt templa? Cur Sacerdotes ſunt prius ingreſſi, ut illud mundarent? Cur cum ipſo populus? Immo cum ſit ingreſſus nonniſi poſt mundationem Sacerdotalem, quæ eſt functio ſacra, agnovit ſuum non eſſe officiorum Divinorum exercitium.

Princeps legum divinarũ defenſor.

Confregit Serpentem æneum præcepto Domini erectum, typum Chriſti ferentem. Quomodo ergo Regi licuit? Licuit, ſicut cuilibet de populo juxta citatum præceptum Deuteron. Cultus enim in ſuperſtitionem, & Idololatriam tranſierat; illud tamen falſum eſt, quod ſacrificia Serpenti offerrerentur, ſed ſolæ incenſationes fiebant. Etiam minus verum eſt hæc facta in memoriam beneficiorum, cum verior ſit expoſitio Auguſtini *lib. 10. de Civit. cap.* 8. adoratum non fuiſſe ut Deum. Uno verbo, Ezechias præſtitit præciſe adjutorium executionis, non definitionis, adimplendo præcepta Domini, ut expreſſe conſtat 2. Paralip. 29. *Secundum diſpoſitionem David Regis, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ. Siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum*. Idem 4. Regum 18.

24 DICES. Novos ritus inducere, & antiquos diſpenſare Primatum arguit, ſed Ezechias ſua auctoritate novos ritus non præceptos induxit, & antiquos diſpenſavit. Nam juſſit populo, ut voluntarias oblationes Deo faceret, juſſit Levitis, ut juvarent Sacerdotes in extrahendis pellibus holocauſtorum, juſſit Paſcha celebrari tempore non ſuo, ideſt, menſe ſecundo &c. Ita idem Defenſor Apologiæ.

RESP. neg. min. Primo, ut diximus, omnia fecit dependenter a Sacerdotum conſilio. Deinde ob defectum Sacerdotum ſanctificatorum; quia Sacerdotes nondum ſanctificati fuerant, ideo admiſit Levitas in adjutorium Sacerdotum. Paſcha autem translatum eſt in ſecundum menſem propter cauſam aſſignatam a Scriptura. Nam 2. Paralip. 30. *Sacerdotes, qui poſſent ſufficere, ſanctificati non fuerant*. Porro Lex ipſa præcipiebat, quod impediti propter immunditiam a celebratione Paſchæ menſe primo, celebrarent menſe ſecundo. Hic verò erat defectus Sacerdotum ſanctificatorum, ac proinde caſus Legis. Quod verò induxerit populum ad voluntarias oblationes ob ſolemnitatem purificati Templi, & inaugurationis Regni ſui, actum ſupererogationis procuraſſe indicat, & nil aliud. Illatio autem Sacellani, quod liceat nunc Regibus ingredi Templum, & tollere Sacras Imagines, exemplo Ezechiæ Serpentem comminuentis, ſtulta eſt, non enim cultus Imaginum ſuperſtitioſus eſt, ut ſuo loco oſtendemus.

Agere dependente ab aliis nõ arguit inferioritatem.

Ce-

Ceterum ab Anglo Rege Ezechiæ exemplum imitatum non videmus. Ille vaſa Templi purificari fecit, & auxit, Sacerdotibus ſtatuit dandas eſſe Primitias: Hic Templa combuſſit; aurea, & argentea ornamenta ſuſtulit, Eccleſiaſticorum bona ſurripuit, exclamans: *Quam pinguis eſt panis Chriſti*. Ubi imitatio? Ex his patet reſponſio argumento, quod poſſet fieri ex 2. Paral. 2. de Aſa Rege, qui ſimile pactum reſtauravit, & Idola ſuſtulit. Placet tamen adnotare debitum ſpeciale Regum fuiſſe, reſtituere Deo ablatum honorem a pravis Prædeceſſoribus. Quod mali Principes furantur, boni debent reddere.

25 OBJIC. VIII. Quod facere poteſt cuſtos Regis, poteſt facere ipſe Rex, ſed Jojadas Sacerdos, ut cuſtos Joas ſeptennis fœdus iniit inter Deum, & populum; ergo &c. Sic iterum defenſor Apolog.

RESP. Nulla mentio fit in Scriptura, quod Jojadas eſſet pueri Regis Procurator, ſed ſolum, quod abſconditum in Templo puerum ſubtractum a gladio Athaliæ interficientis omne ſemen Regium, reſervaverit. Ceterum, quæ fecit, non potuit exercere auctoritate Regia, quam nec habebat a jure, nec collatam a Rege, qui nondum Rex erat. Procurator enim Regis (etiamſi hoc daremus argumenti) non habet Poteſtatem Regis. Athaliæ occiſionem præcipere, & Joas ſubſtituere, & coronare in Regem, & adſtringere populum juramento fidelitatis, & Regem adjuratione obligare ad Legis obſervantiam, & reliqua, quæ in Scriptura, & a Joſepho *lib. 9. antiquit. cap. 7.* deſcribuntur, principalitatem ſonant; & hæc omnia exercuit Jojadas.

26 OBJIC. IX. Titulus filii Altiſſimi, Dei, uncti Domini, in ſolio Dei ſedentis, ſimuli Dei, Angeli Dei, facti juxta cor Dei, luminis Iſraelis, Nutritii Eccleſiæ, Primatum Eccleſiæ important, ſed vetus Teſtamentum hæc tribuit Regibus; ergo Reges habent Primatum Eccleſiæ. Sic Rex, Defenſor Apolog., & Spalaten.

RESP. Nos poſſe de facili aliud argumentum, & oppoſitum, & Regiæ Majeſtati contumelioſum formare ex titulis familiaribus tributis in Scriptura Regibus impiis Iſraelis, ſi a particularibus nomenclaturis licet conſimiliter arguere. Sed omittamus, & admiſſa majori Adverſariorum, ſubdamus hanc minorem, ſed Scriptura hos titulos tribuit aliis a Rege; ergo alii a Rege habent Primatum; ergo vel vi horum titulorum non arguitur Primatus, vel arguitur in Rege, & aliis a Rege. Min. declaro. Reges dicuntur filii, 2. Reg. 7. v. 14. *Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*: ſed 1. Joannis 3. de juſtis omnibus dicitur: *Qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus*; ergo quilibet juſtus habet Primatum Eccleſiæ, ſed Angli fidei certitudine credunt ſe juſtos, adeoque filios Dei; ergo omnes Angli Primatu gaudent. Deinde, de Regibus improbis non verificatur filii Dei nomenclatura.

Fideles nominantur filii Dei.

Reges vocantur Dii, Pſal. 81. *Ego dixi Dii eſtis*. Exod. 22. v. 8. *Si latet fur, Dominus Domus applicabitur ad Deos*, ſed Judices etiam vocantur Dii, ut patet ex ſecundo loco citato, qui appellat ſopra Judices, vivente Moyſe, qui abſque dubio erat caput Eccleſiæ; ſicut etiam legitur: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat*. Rurſus aperte Chriſtus Deus appellat Prophetas: Joan. 10. v. 34. *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt &c.* Immo hinc colliges Reges non dici Deos; quia uterque Textus aliis applicatur, & non Regibus. Reges vocantur uncti Domini, 1. Reg. 24. verſ. 11. *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt*: ſed Sacerdotes veteris Legis multo magis ſunt uncti Domini: Dicitur enim Levit. 4. v. 3. *Si Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit &c.* Et Exodi 29. *Oleum unctionis fundes ſuper caput ejus; atque hoc ritu conſecrabitur*. Idem Levit. 8. v. 12. Numer. 3. v. 2. Machab. 1. Deinde 3. Reg. 19. æqualiter dicitur ab Elia unctus in Regem Jehu, ac Eliſeus in Prophetam; ergo vel æque Sacerdotes ſunt Primates, vel Reges ratione hujus non habent Primatum.

Judices vocantur Dii.

Sed melius. Reges unguntur a Sacerdotibus, & non a Regibus, nec Sacerdotes ab ipſis: vel ergo Rex unctus a Sacerdote aliquam recipit Poteſtatem, vel non: Si nullam; unctio nil refert: ſi aliquam; ergo a Sacerdotibus eam accipit. Deinde. Nunc aliter inunguntur Reges, aliter Sacerdotes, illi inunguntur in brachio, iſti in capite. Ratio eſt, quia Poteſtas Regis eſt ſolius brachii auxiliatoris, Epiſcopi, & Pontificis eſt Primatum habentis. Hoc argumentum eſt Innoc. III. *cap. Cum veniſſet*: De ſacra unctione.

Reges a Sacerdotibus unguntur.

Reges iidem dicuntur ſedere in ſolio Dei, 2. Paralip. 9. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, Regem Domini Dei tui*. Sed Regnum Dei aliud eſt ſpirituale, aliud temporale; ergo videndum eſt, de quo throno, & Regno loquatur Scriptura; ſi de temporali, nihil ad rem; ſi de ſpirituali, etiam Epiſcopi (quibus data eſt cura Eccleſiæ, Act. 20.) ſedent in ſolio Dei. Ulterius. Hi ſedent in throno ſpirituali, qui ſunt conſeſſori cum Chriſto in Judicio, ſed hoc non eſt conceſſum Regibus, ſed Apoſtolis. Nam Matth. 19. dicitur: *Cum ſederit Filius hominis in Sede Majeſtatis ſuæ; ſedebitis & vos ſuper Sedes duodecim, Judicantes duodecim Tribus Iſrael*. In duodecim Tribubus Iſrael intelligitur Univerſitas Laicalis.

Regnum aliud ſpirituale, temporale aliud.

Reges dicuntur ſervi Dei, 2. Paralip. 6. v. 15. *Qui præſtitiſti ſervo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei*. Sed Apoſtoli, & Epiſcopi dicuntur ſervi. *Et nunc Domine &c. da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*: Act 4. Et iterum Act. 16. v. 17., & ad Rom. primo. Rurſus. Omnes pii Chriſtiani ſunt ſervi Dei, ut ad Roman. 6. v. 22. habetur: *Nunc autem liberati a peccato; ſervi autem facti Deo*. Si per quandam eminentiam dicis hoc Regibus competere; explicanda eſt hæc eminentia, vel quia magis pii, vel quia in gradu ſuperiori ſunt. Utrumque eſt falſum; quia non ſemper ſunt magis pii, & aliàs Sacerdotes nos ſuperiores volumus, qui nedum ſervi, ſed amici vocantur, Joan. 15. *Et diſpenſatores myſteriorum Dei* dicuntur 1. ad Corinth. 4. Eliſeus, Elias, Abraham, Iſaac,

Juſti dicuntur Servi Dei.

Digitized by Google

Iſaac, aliique plures ſervi Dei vocantur. Immo quælibet creatura Deo obediens, juxta illud: *Cui omnia ſerviunt, & faciunt verbum illius*.

Reges dicuntur Angeli 2. Regum 14. v. 20. *Tu autem Domine mi Rex, ſapiens es, ſicut habet Sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram* (Sic mulier Thecuitis alloquens David). Sed Sacerdotes ſunt Angeli Dei, Malach. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Et 1. Corinth. 11. Apocal. 2., & 3. Eſt tamen differentia, quod Sacerdotes vocantur Angeli, a quibus requirenda eſt Lex, quod de Regibus non dicitur. Et cum Sacellanus arguat ex titulo Cherubim tributo Cyro; ſic arguo. Reges Ethnici vocantur Cherubim, ſed Reges Ethnici non ſunt caput Eccleſiæ, nec membra; ergo ſi eo quo Ethnici vocentur Angeli, arguit Chriſtianos Reges ſic vocandos; & propter hunc titulum vocandi erunt non membra Eccleſiæ. Titulus ergo Angeli abſolute acceptus non arguit Primatum.

Nomenclatura Angeli non innuit Primatum.

Reges dicuntur ſecundum cor Dei, 1. Reg. 13. *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum*: ſed omnes, qui faciunt voluntatem Dei ſunt viri ſecundum cor Dei; ergo. Sed ulterius cupimus ſcire, quomodo hoc Davidi dictum conveniat Jeroboam, Manaſſi, Achab peſſimis viris.

At diſtinguenda eſt dignitas, inquis, a perſona. Ratione officii dicuntur juxta cor Dei, etſi perſona mala ſit.

Sed Saul habebat dignitatem Regiam, & tamen non erat ſecundum cor Dei; & ideo contrapoſitive abjecto Saule dicit Scriptura Deum quæſiviſſe virum ſecundum cor ſuum, ut regnaret pro eo: ergo &c. Deinde. Regia dignitas dicitur ſecundum cor Dei, quia a Domino conſtituta, ſed dignitas Sacerdotalis Aaronica eſt a Deo conſtituta per ſe, & prius ac Regia, quam Deus conceſſit Hebræis, iiſdem ante Regem expoſcentibus.

Reges vocantur lucernæ Iſraelis 2. Reg. 21. v. 17. *Tunc juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael*. Sed Apoſtoli vocantur lux mundi Matth. 5. Epiſcopi ſtellæ vocantur Apocalypſ. 1., ergo Epiſcopis competit Primatus, & eo magis, quo lux, & ſtellæ præcellunt lucernæ: & lucerna vocatus eſt Joannes Baptiſta.

Reges demum vocantur nutritii Eccleſiæ Iſaiæ 49. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ*. Et cap. 60. v. 16. de Eccleſia ſcribitur: *Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis*. Sed primum oppoſitum probat. Id enim dicitur de ſubjectione ad Eccleſiam, ut verba ſequentia ejuſdem verſus declarant: *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*. Et hoc ſenſu Patres interpretantur; locus alter probat pariter Gentiles habere Primatum, cum dicat prius. *Suges lac gentium*. Uterque ergo textus explicatur de divitiis, quas Eccleſiæ tradiderunt Reges ad fidem converſi. Quare, an Rex Angliæ, qui Eccleſias expoliavit, ſit nutritius, ipſe Defenſor dicat.

27 OBJIC. X. Verbis Spalatenſis--Re„ges enim Pſal. 2. ad hujuſmodi opera ani„mantur, cum dicitur: Et nunc Reges in„telligite: erudimini, qui judicatis terram. „Et poſtea: Apprehendite diſciplinam: Et „iterum in Pſal. 137. Confiteantur tibi om„nes Reges terræ; quod & ſuo David præ„ſtitit exemplo, dicens Pſal. 138. Perfecto „odio oderam illos, impiam doctrinam de„teſtando, & hypocritas, & viros ſangui„num odio habendo. Non eſt ergo Princi„pibus laicis neganda Poteſtas cultus, & di„ſciplinæ, & inſtaurationis eorum, quæ ad „Religionem pertinent, & etiam de doctri„na judicium ferre -- Idem Brentius, & alii citati.

RESP. Non eſt mirum, quod ut edentulus ſenex fuerit a puellis Anglicanis irriſus, & ejectus Marcus Antonius de Dominis, cum adeo turpiter conſarcinator contra literam Pſalmos extorſerit. Ubi eſt verbum aliquod in locis adductis, ex quo inſerta colligantur? Terrenorum Judices vocat Propheta in iſtis: *Qui judicatis terram*; & ipſe Judices Cœleſtium intelligit. Adhortatur Scriptura Principes, ut erudiantur, & Deo ſerviant in timore; ipſe autem deducit, ut præcipiant in Divinis. Reges & ipſi ſcire tenentur Dei legem, & obſervare, & ideo dicitur: *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*.

Spalatenſis male Scripturas detorquet.

Optat pius Rex, quod Reges omnes Deum laudent. Deo autem confiteri, eſt ſecundum Spalatenſis grammaticam præeſſe in ſpiritualibus Poteſtative. Cur, ſi ita eſt, quoslibet de populo non conſtituit Primates Religionis, cum dicat idem Pſal. *Confiteantur tibi populi omnes*? Peccatores odio habet David, legiſque Divinæ prævaricatores. Sed hoc per noſtrum logicum eſt judicium de doctrina ferre, & de Religione ſententiam dicere. Viri pii deteſtantur peccata, quod eſt perfecto odio odiſſe impios, ſcilicet, crimina, & non perſonas execrari: Viri ergo pii judiciariam Poteſtatem habebunt Divinorum? His ergo locis nihil aliud intenditur, ut patet, niſi ſeria, & fidelis obſervantia legis Divinæ a Regibus præſtanda.

Ex dictis igitur patet vetus Teſtamentum uſurpationi Anglicanæ non favere, ſed antiquæ Eccleſiæ Catholicæ veritati. Et ſi quid videtur Regibus attributum, id ſolum importat ſubſidium miniſterialis executionis. Cum omnia fere in veteri lege eſſent determinata quaſi individualiter, majus opus indigentiæ ad promovendam executionem pertinebat; aliunde leges illæ pœnales in foro humano erant inflictivæ pœnarum temporalium, adeoque a ſeculari poteſtate actualiter, ſeu executive infligendæ.

CON-

CONTROVERSIA II.

AN JUDICIARIA POTESTAS FIDEI JURE DIVINO NOVI TESTAMENTI CONVENIAT REGIBUS.

CUm infallibilis ſit propoſitio illa Pauli 1. ad Corint. 8. *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*, ſequitur non aliunde melius poſſe deſumi certitudinem veritatis fidei, quam ab iis, quæ Chriſtus docuit. Ut ergo undequaque corroboremus Doctrinam Catholicam, & ſatisfaciamus Regi, qui toto niſu conatur errorem ſuum propugnare; videndum eſt, an jure Divino novi Teſtamenti conveniat Regibus judiciaria Poteſtas Divinorum. Circa hoc tamen breves erimus, quia plura fuſe dedimus de Romano Pontifice.

Dico. Jure Divino novi Teſtamenti non convenit Regibus Poteſtas judiciaria Religionis.

28 PROB. I. Ad illos pertinet judiciaria fidei Poteſtas ſupra quos ædificavit Chriſtus Eccleſiam; qui enim Primatum habet in aliquo ordine, fundamentum eſt, cui innititur talis ordo, ſed Chriſtus non ædificavit Eccleſiam ſupra Reges, ſed ſuper Apoſtolos; ergo non Regibus, ſed Apoſtolis convenit judiciaria Poteſtas Religionis. Apoſtolus erat, non Rex, cui dixit Chriſtus Matth. 16. v. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Sive Petro dixerit repræſentanti ceteros Apoſtolos, ſive non, tamen Reges non ſunt, de quibus dicitur ad Epheſ. 2. v. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto Jeſu*. Reges non ſunt, de quibus dicitur ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Ergo Reges non ſunt fundamentum Eccleſiæ, vel ſi ſunt, proferant unum textum, ubi dicatur ſuper Reges ædificatam Eccleſiam.

Non eſt ſupra Reges fundata Eccleſia.

29 PROB. II. Illis convenit Poteſtas directiva Religionis, quibus Chriſtus dedit claves, auctoritatem ligandi, & ſolvendi, & quibus ſuas commiſit oves: ſed hæc non conceſſit Regibus, ſed ordini Sacerdotali; ergo ad Reges non pertinet, ſed ad ordinem Sacerdotalem Poteſtas directiva Religionis. Maj. non habet difficultatem. In clavibus, & in Poteſtate ligandi, & in debito paſcendi oves, conſiſtit Auctoritas directiva Catholicæ Religionis, ut de Pontifice oſtendimus. Min. eſt etiam clara. Non erant Reges, quibus dictum eſt Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcunque ſolveris ſuper terram &c.* Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.* Joan. 21. *Paſce oves meas.* Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei &c.* 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt Gregem Dei &c. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Jo. 20. v. 22., & 23. Non ergo Teſtamentum novum concedit Regibus gubernationem Divinorum.

Sacerdotibus credita ſunt oves.

30 PROB. III. Qui habet Primatum in aliquo ordine, gaudet potiſſimam Poteſtatem illius ordinis, ſed Regibus non eſt conceſſa a jure Divino novi Teſtamenti potiſſima Eccleſiaſtica Poteſtas; ergo non eſt conceſſus Primatus. Min. declaratur. Potiſſima Eccleſiaſtica Poteſtas verſatur in diſpenſatione miniſtrorum Dei, & magiſterium, ſed hæc non conceduntur Regibus. Non enim dixit Chriſtus Pilato, Herodi, Tiberio, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*. Marci 16. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, 1. Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. 2. Corint. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur*. Non ergo Pilatus, non ergo Herodes, non ergo Cæſar Auguſtus, aut alii conſtituti ſunt caput, & Primates Eccleſiæ.

Miniſteria Eccleſiæ Principibus non congruunt.

31 PROB. IV. Qui non habet auctoritatem ſpiritualem in reale Chriſti Corpus, non habet auctoritatem in Corpus myſticum ejuſdem, ſed Reges non habent auctoritatem in reale Chriſti Corpus; ergo non habent auctoritatem ſpiritualem in Corpus myſticum. Ut docet Divus Thomas, Poteſtas ſpiritualis in Corpus myſticum Chriſti oritur ex Poteſtate in Corpus Chriſti reale; ex Poteſtate enim in principale oritur Poteſtas in minus principale: unde videmus in civilibus, quod qui non habet Poteſtatem in Gubernatorem alicujus Provinciæ, neque habet Poteſtatem in Provinciam, ſed Reges non habent Poteſtatem in Corpus reale Chriſti; quia non poſſunt conficere Corpus Chriſti Sacramentaliter; non enim dixit illis Chriſtus Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et Paulus optime dicit ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Et Apologiſta, & Aclerus concedunt, non poſſe Reges conficere Euchariſtiam, & cetera Sacramenta, nec ea diſtribuere; ergo non habent Poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum; ergo multo minus capaces ſunt Primatus. Quare ſic arguimus.

Non eſt e Regia Poteſtate Sacramenta conficere.

Ridicula eſſet illa inſtitutio, in qua Rex aliquem ex Primatibus præficeret exercitui, & ei prohiberet ſub pœna capitis, immo incapacem efficeret, ne aciem inſtrueret, ne teſſeram militibus daret, ne excubias diſponeret, ne verba faceret ad milites, ſed ſolum hæc ab aliis effici præciperet, ſed per te, o Aclere, Primatus tuus non poteſt ſacra tractare, non evangelizare, non miniſtrare Sacramenta, ſed ſolum præcipere, ut alii faciant; ergo ridicula eſt hæc inſtitutio: non eſt ergo a Chriſto. Opera Dei perfecta ſunt; unde non poteſt fieri, ut prohibeatur ſummo capiti ea fieri, quæ ſummo capiti conveniunt. Sane videtur Imperceptibile, quod concedatur adminiſtratio Eccleſiæ in ſummo gradu Regi, & Rex non poſſit adminiſtrare Sacramenta, quæ eo tendunt, & ut myſteria Incarnationis, & paſſionis Domini noſtri Eccleſiæ ſignificent, & tanta beneficia impertiant; cum Chriſtus ſeipſum tradiderit, ut Eccleſiam mundaret lavacro aquæ in verbo vitæ.

Dein-

Deinde. Finis omnium Sacramentorum eſt ſanctificatio Eccleſiæ, quam potiſſime ſibi Deus in collatione Sacramentorum proponit. Conjunctio viri, & mulieris magnum Sacramentum eſt in Chriſto, & in Eccleſia, teſte Paulo. Poteſt Rex hoc magnum Sacramentum tractare ſumma auctoritate, & non poteſt minimum de aliis Sacramentis ad hoc ordinatis pertractare. Quis capiet poſſe ingredi in cubiculum Regis illum, qui arcetur ab atriis Palatii?

32 PROB. V. Eccleſia ſub temporibus Apoſtolorum ita fuit perfecte inſtituta, ut nulla re ipſi neceſſaria careret, ſed poteſtas gubernativa eſt neceſſaria Eccleſiæ; ergo hac non caruit, ſed ſub primordiis Eccleſiæ nullus Imperator erat Chriſtianus, immo perſecutores erant Chriſtianorum; ergo Imperatores non conſtituit Chriſtus Primates Eccleſiæ. Si enim voluiſſet Principes, & Reges Primates, effeciſſet, ut primi crederent, primi baptizarentur, primi inſtruerentur, tam de Judæis, quam de Gentibus; primi prædicarent Evangelium, primi paſcerent populum dogmatibus, ſed nihil horum factum eſt: non ergo Reges elegit Chriſtus: Quin immo oppoſitam ſtatuit doctrinam.

Nuſquam caruit Poteſtate Eccleſia.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

33 OBJIC. I. Ille Primatum habet, cui omnes obedire debent, ſed omnes obedire debent Regibus, ad Rom. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Omnis anima*, dicit Scriptura. Porro qui omnes includit, nullum excipit; ergo Reges Primatum habent in Eccleſia. Sic arguit Rex Jacobus.

RESP. retorquendo argumentum. Paulus loquitur de ſubjectione etiam Principibus Ethnicis exhibenda: at Principes Ethnici non habent Primatum; cum neque ſint membra Eccleſiæ; ergo nec alii Principes. Senſus Scripturæ eſt, quod omnis homo, qui habet ſuperiorem, tenetur illi obedire in iis, in quibus ſuperior eſt; & quia qui ſunt membra alicujus Reipublicæ politicæ Superiorem habent; ideo in politicis ei obedire debent. Reſtat poſtea Regi oſtendere, unde ex hoc textu deducatur in Regibus ſuperioritas in ſpiritualibus; cum Scriptura nihil hac ſuper re ſonuat.

Superioribus obtemperandum eſt.

34 DICES. Poteſtas Regum a Deo eſt; ergo ſe extendit ad omnia, quæ ad Deum pertinent, ut miniſteria ſacra, Evangelium, & reliqua: Cum enim Divina ſint, hæc Poteſtate Divinitus data diriguntur.

RESP. Etiam Poteſtas Balthaſaris, Sultani, & reliquorum barbarorum a Deo eſt; ergo habent Primatum Religionis? Etiam Poteſtas Patrisfamilias in ſuos Domeſticos, Ducis in ſuam cohortem, Gubernatoris in ſuam Provinciam, Epiſcopi in ſuam Diœceſim eſt a Deo, quia omnis Poteſtas a Domino eſt: ergo omnes hi habent Primatum Religionis? Senſus ergo eſt omnem Poteſtatem in eo genere, in quo eſt, eſſe a Deo, non autem omnia, quæ a Deo ſunt, cujuslibet generis ſint, ſubdi cuilibet Poteſtati, quæ a Deo eſt. Aliunde probare debet arguens Regiam Poteſtatem a Deo eſſe circa Divina, & miniſteria Religionis. Nos quidem clare oſtendimus oppoſitum ex Paulo clamante ad Heb. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quibus expreſſe loquitur de ſpiritualibus, & ad animam pertinentibus, in quibus Epiſcopis, & ceteris Superioribus præcipit eſſe obediendum, non Regibus.

Omnis Poteſtas a Deo.

35 INSTABIS. Subjectio in iis, quæ pertinent ad conſcientiam, Religionis ordinem tangit, ſed tenentur populi ſubjici Regibus in iis, quæ pertinent ad conſcientiam; ergo etiam in iis, quæ pertinent ad Religionem. Min. habetur ibidem ad Rom. 13. *Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

RESP. neg. min. Nec hic ſenſus eſt illorum verborum. Solum enim ſignificant obediendum eſſe Regibus in politicis, non tantum propter timorem pœnæ temporalis, ſed etiam propter conſcientiam, quæ læditur inobediendo; cum etiam civiles leges obligent, & Deus in iis præcipiat obedientiam. Unde abſurda eſt interpretatio, qua deducitur ſubjectio directionis, judicationis, definitionis in Spiritualibus apud Reges; quod ſi iterum replicabis. Ejuſdem eſt definitiva Poteſtas, & gubernativa, cujus eſt coactiva in contumaces, ſed Poteſtas Regia eſt coactiva in contumaces, ibidem v. 4. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum facit.* Ergo Poteſtas Regia eſt etiam definitive judicativa.

RESP. I. Regem eſſe miniſtrum Dei in politicis, gladium portare, ut perturbatores pacis caſtiget. II. Poteſtas coactiva executionis non arguit Poteſtatem judicationis. Poteſtas Regia, & gladii eſt ſolius executionis in his, quæ pertinent ad Divina. Brachium enim ſeculare in adjutorium deſervit Eccleſiæ, cujus Prælatis dictum eſt Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo*: ubi vera juriſdictio ſpiritualis exprimitur.

Reges adjutores Eccleſiæ.

36 OBJIC. II. Juriſdictio, cujus finis eſt pietatis promotio, & conſervatio, ſpiritualis eſt, ſed juriſdictio Regia eſt hujuſmodi, & ideo præcipue pro illis eſt orandum: *Ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.* 1. Tim. 2. Ergo juriſdictio Regum ſpiritualis eſt.

RESP. ibi loquitur Paulus de Principibus Infidelibus, pro quibus orandum eſt, ut ad fidem convertantur, & eodem modo loquitur de omnibus, & propter idem motivum, quia vult Deus omnium ſalutem. Accipe verba Pauli 1. ad Tim. 2. v. 1. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore Noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, & unus mediator*

Orandum pro omnibus.

Dei

Digitized by Google

Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit Redemptionem ſemetipſam pro omnibus. Ecce quomodo pro omnibus vult eſſe orandum, quia Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, quia vult omnes ſalvare. Nec eſt in textu illud verbum *Præcipue pro Regibus*, quod interſerit Rex: immo oppoſitum habetur, cum primo loco enumeret populos, dum dicit *Pro omnibus*, deinde Reges,

37 OBJIC. III. Illi, quibus ut miniſtris Dei reddendum eſt non ſolum tributum, ſed & amor, & honor, & timor, Primatum habent in Eccleſia, ſed hujuſmodi ſunt Reges, ad Rom. 13. *Miniſtri enim ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*, cui additur illud Chriſti Matth. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Ergo &c. Hæc Apologiſta Sacellanus.

RESP. Honor debetur parentibus, timor Dominis, tributum Feudatariis: parentes ergo, Domini, ludi magiſtri, ferulâ timorem incutientes puerulis, & Feudatarii erunt Primates Religionis? *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, clamat Paulus 1. ad Tim. 5. Subdemus ergo nos, Presbyterium habet Primatum Eccleſiaſticum.

Ut patet, textus nil aliud intendit, niſi quod reddamus unicuique reſpective, quod debemus. Et ſimiliter illud: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, nihil aliud importat, niſi ſolutionem eorum, quæ debemus Principibus. Quæ autem hæc ſint, Divina, an humana, caſus declarat, & quæſtio propoſita, an liceat *cenſum dare Cæſari*, quæ ad temporalia limitatur. Spiritualia enim excluduntur ſequentibus: *Et quæ ſunt Dei, Deo.* Sicut ergo non valet; Chriſtiani ſub ditione Turcica degentes tributum ſolvunt Turcico Principi; ergo illum agnoſcunt Primatem in Divinis, ita non valet, Chriſtus juſſit Cæſari tributum reddi; ergo conſtituit Cæſarem Primatem in iis, quæ ad Religionem ſpectant.

Unicuique debemus, quod ſuum eſt.

38 OBJIC. IV. Joann. 18. v. 36. dicit Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et Lucæ 12. v. 14. *Quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem ſuper vos?* Ergo Reges habent Primatum in ſpiritualibus.

Verum, quo medio deducatur hæc conſequentia, libenter audiremus. Oppoſitum inferri clare conſpicimus. Quia Chriſtus eſt Rex ſpiritualis, non adminiſtrat Regnum temporale, ita quia Britannus Rex eſt temporalis, non debet adminiſtrare Regnum ſpirituale. Audi ergo Jacobe Rex: Chriſtus in cauſa temporali dixit: *Quis conſtituit me Judicem ſuper vos?* Et tu in cauſa ſpirituali dic: *Quis me conſtituit Judicem ſuper vos?* Et recte argumentaberis.

Nutanti Regis argumento fert ſuppetias Sacellanus *in Tortura pag.* 35., *&* 36. his verbis -- Chriſtus enim, cujus hic vicem obtendis, non ſic præfuit, dum in terris fuit. „ Regnum, quod de mundo fuit, non habuit: Regni, quod non habuit, vices non commiſit &c. .... Eſt quidem ille Rex Regum, ſed quia Rex Regum eſt, immortalis eſt; mortalem nullum Proregem habet. Papa mortalis ipſe, non aliter Chriſti Vicarius, quam qua mortalis Chriſtus--.

Optimum ſubſidium, quod ſpoliat Regem ſuum etiam temporali Regno evidenti demonſtratione. Vel Britannus Rex habet Regnum temporale, ut Vicarius temporalis Dei immortalis, vel ut Vicarius Chriſti qua mortalis. Non primum, quia, ut fateris, Deus ut immortalis nullum habet Vicarium: non ſecundum, quia Chriſtus ut mortalis non habet Regnum temporale, ergo non habet Britannus Rex Regnum temporale, nec ut Vicarius Dei immortalis, nec ut Chriſti qua mortalis: aut ergo Regno caret, aut nomine alterius a Deo, & Chriſto habet. Solum igitur argumentatio infert, Papam non eſſe Regem temporalem, quod nunc non examinamus: quinimmo ſolide hinc a Regno ſpiritualis Primatus tollitur. Dicit enim *pag.* 177. --Quamdiu enim duo hæc Regna civilis, & „ ſpiritualis Reipublicæ duo manent, & diviſa, duos habent: poſtquam in unum coaleſcunt, non ut in duobus duo, ſed ut in „ uno unus primus eſt -- at in lege nova manent duo; ſiquidem tempore Chriſti, qui legem novam inſtituit, duo erant, nec in unum coaluerunt; aliàs, vel Chriſtus fuiſſet ſimul Rex temporalis, quod negat Adverſus, vel Chriſtus non fuiſſet Rex, ſeu Primas ſpiritualis, quod negat Scriptura, & Fides ipſa Britanni. Ulterius adhuc cogimur inferre Britannum uſurpatorem eſſe; verum enim eſt quod Sacellanus ejus ſcripſit *pag.* 363. -- Exemplum inde nobis ſumendum eſt (*a veteri ſcilicet lege*) cum in Teſtamento novo nullum habeamus. Nuſquam ibi in unum coaluerunt Eccleſia & Imperium &c.-- Cum ergo in unum coaleſcere cœperit in Anglia, evidens eſt eſſe uſurpationem.

39 OBJIC. V. Tooker. Ille Primatum habet, cui etiam ſucceſſores Chriſti tenentur reddere rationem doctrinæ ſuæ, ſed Regibus tenentur reddere rationem doctrinæ ſuæ, ergo &c. Min. explicatur duobus exemplis Chriſti Domini. Cum dictum eſſet Chriſto, quod Herodes eum quæreret ad mortem, miſit reddere rationem ſui operis dicens Lucæ 13. *Ite, & dicite vulpi illi, ecce ejicio Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* Joan. 18. pariter coram Pilato faſſus eſt ſe eſſe veritatem.

Ergo nedum Apoſtolos, & Epiſcopos ſubdis Regibus, ſed & Chriſtum? Cur ergo Paulus toties clamat, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ? Sed quid dico Paulus? Rex tuus cur toties negat Pontificem Romanum eſſe viſibile Caput Eccleſiæ, quia unum eſt Caput, & ſufficit, Chriſtus Jeſus? Verum: non miror, te Sanctorum calcare doctrinam, qui Chriſtum calcas. Si Pilato, & Herodi ut Primatibus reddidit doctrinæ rationem, non ſolum fideles, ſed & infideles erunt Eccleſiæ membra, & præcipua. Igitur Chriſtus non reddidit rationem ſuæ doctrinæ Herodi, quem potius irriſit, & contempſit, ſed miſit teſtes ſuorum operum, & miraculorum, ut eum ad ſanitatem reduceret. Sed nec Pilato, cui ex libera ſua diſpenſatione, ut impleret myſterium Crucis, ſe ſubmiſit in judicio,

Chriſtus nemini ſubditus.

R r nec

nec inter vincula deſiit evangelizare , & veritatis teſtimonium perhibere . Abeant ergo adeo abſurda argumenta .

CONTROVERSIA III.

AN JURE HUMANO JUDICIARIA POTESTAS FIDEI CONVENIAT REGIBUS .

SUb humano jure comprehendimus decreta Canonum , Statuta civilia , Conſtitutiones Conciliorum , praxim Antiquitatis , & ſimilia .

In hoc tamen argumento pertractando breves erimus , quia plura congeſſimus de Romano Pontifice , penes quem oſtendimus adeſſe Cathedram Magiſterii . Quare delibabimus aliqua tantum , quæ ſpecialiter præſentem tangunt materiam .

Dico . Jure humano non convenit Regibus judiciaria Poteſtas Fidei .

40 PROB. I. ex Canonibus . Iis non convenit judiciaria Poteſtas Fidei jure humano , apud quos nullam in cauſis Eccleſiaſticis Poteſtatem agnoſcunt Canones , ſed in Regibus nullam Poteſtatem agnoſcunt Canones circa negotia Religionis ; ergo Regibus non convenit judiciaria Poteſtas Fidei . Minor explicatur : ex Nazianz. *ad Imperat. diſt.* 10. *cap.* 7. habetur -- Libenter accipitis , quod lex Chri„ ſti ſacerdotali vos ſubjicit Poteſtati , atque „ iſtis tribunalibus ſubdit . Dedit enim & no„ bis Poteſtatem : dedit & Principatum mul„ to perfectiorem Principatibus veſtris -- Ubi diſcimus Imperatores ſubjici Sacerdotio : hujus Principatum eſſe eorum Principatu meliorem ; & hoc ex ordinatione Chriſti . Quid amplius deſideramus ?

Principatus Sacerdotio ſubditur .

Ex Adriano II. *diſt.* 63. *cap.* 1. -- Nul„ lus Laicorum Principum ſe inſerat electio„ ni , aut promotioni Patriarchæ , Metropo„ litæ , aut cujuslibet Epiſcopi , ne videlicet , „ & incongrua fiat electio , vel confuſio , vel „ contentio ; præſertim cum nullam in tali„ bus poteſtatem quenquam poteſtativorum , „ vel ceterorum Laicorum habere conveniat -- Ex quo tria pariter diſcimus . Primum Principes Laicos non debere ſe ingerere electioni Epiſcoporum . Secundum hujuſmodi electionem inordinatam eſſe ; tertium nullam in his Principes poteſtatem habere : Unde ſic arguimus . Minus eſt ſe ingerere electioni Epiſcoporum , quam præſidere in Divinis , ſed Princeps non debet ſe immiſcere in promotione Epiſcoporum ; ergo multo minus præeſſe Divinis . Rurſus . Nullam habens Poteſtatem in Eccleſiaſticos , non habet Primatum , ſed ex Can. cit. Princeps nullam habet Poteſtatem in Eccleſiaſticos ; ergo non habet Primatum .

Quæ Principum poteſtas in Eccleſiaſticos .

Gregorius VII. *ad Metenſem Epiſcop. Hermanum diſt.* 96. *cap.* 9. -- Quis dubitet Sa„ cerdotes Chriſti Regum , & Principum , „ omniumque fidelium patres , & magiſtros „ cenſeri ? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe co„ gnoſcitur , ſi filius patrem , diſcipulus ma„ giſtrum ſibi conetur ſubjugare , & iniquis „ obligationibus illum ſuæ Poteſtati ſubjicere , „ a quo credit non ſolum in terra , ſed etiam „ in cœlis ſe ligari poſſe , & ſolvi ? -- Tria & hic diſcimus , primum , Sacerdotes eſſe Patres Principum , & magiſtros , ſecundum , a Sacerdotibus poſſe ligari , tertium , iniquum , & inſanum eſſe , Sacerdotes velle ſubdere Principum Poteſtati . Unde ſic . Ille non habet Primatum Eccleſiæ , qui poteſt ab alio ligari , & edoceri debet ab alio , tanquam a Patre , & ſuperiori , ſed ex Can. cit. hæc conveniunt Regibus ; ergo ex canone non habent Primatum .

Princeps a Sacerdote edoceri debet .

Gelaſ. I. *ad Anaſt. Imp. diſt.* 96 *cap.* 10. -- Duo ſunt Imperator Auguſte , quibus prin„ cipaliter hic mundus regitur , auctoritas „ Sacra Pontificum , & regalis poteſtas , in „ quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdo„ tum , quanto etiam pro ipſis Regibus ho„ minum , in divino reddituri ſunt examine „ rationem . Noſti etenim fili clementiſſime , „ quod licet præſideas humano generi digni„ tate rerum terrenarum , tamen Præſulibus „ Divinarum rerum devotus colla ſubmittis , „ atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis , in„ que ſumendis cœleſtibus Sacramentis , eiſ„ que (ut competit) diſponendis ſubdi te „ debere cognoſcis religionis ordine , potius , „ quam præeſſe . Noſti itaque inter hæc ex „ illorum te pendere judicio , non illos ad „ tuam velle redigi voluntatem -- Ubi diſcimus , primò Imperatorem præeſſe humanis , ſecundò in Divinis ſubeſſe Pontificibus , tertiò in his pendere a Sacerdotum judicio , ſed hæc non componuntur cum dignitate Primatus ; ergo .

Jura Principum diſcreta .

Joannes VIII. *diſt.* 96. *cap.* 11. -- Si Im„ perator Catholicus eſt : filius eſt , non Præ„ ſul Eccleſiæ . Quod ad Religionem com„ petit , diſcere ei convenit , non docere &c. „ Ad Sacerdotes enim Deus voluit , quæ Ec„ cleſiæ diſponenda ſunt , pertinere , non ad „ ſeculi Poteſtates , quas , ſi fideles ſunt , Ec„ cleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubje„ ctas &c. Imperatores Chriſtiani ſubdere „ debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præ„ ſulibus , non præferre -- Hic tria item habemus , primo , Imperatorem non docere , ſed diſcere , ſecundo ſubjici Sacerdotibus , tertio ſubdere ſuas executiones Præſulibus Eccleſiaſticis : Quæ omnia ex diametro pugnant cum poteſtate Primatus .

Imperator non Præſul , ſed filius eſt Eccleſiæ .

Nicolaus I. *ad Michaelem Imp. diſt.* 96. *cap.* 5. 6. , *&* 7. pluribus oſtendit , Principibus nullo modo convenire adminiſtrationem Divinorum , & hoc ex ordinatione Chriſti , qui ſecundum genera actionum diſtinxit officia poteſtatis , ſecularibus ſecularia , ſacra Sacerdotibus -- Quatenus &c. ideo militans „ Deo minime ſe negotiis ſecularibus impli„ caret , ac viciſſim non ille rebus Divinis „ præſidere videretur , qui eſſet negotiis ſe„ cularibus implicatus -- Alia videri poſſunt in hac diſt.

Marcellus I. *Cauſa* 11. *quæſt.* 1. *cap.* 3. -- Clericum cujuslibet ordinis abſque Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat ad ſecula„ rem Judicem attrahere : nec Laico quem„ libet Clericum liceat accuſare -- Sed ſi Rex haberet Primatum in Eccleſiaſticis , liceret Clericum trahere ad ejus Tribunal ; ergo &c.

Clericus apud Eccleſiaſticos cauſam dicere debet .

Omiſ-

Omiſſis iis, quos ex aliis locis Decretalium ſumere poſſemus rem abſolvamus diſcurſu Innocentii III. *De majoritate, & obedientia cap. 6.* -- Non negamus quin præcellat „ Imperator in temporalibus illos duntaxat, „ qui ab illo accipiunt temporalia, ſed Pontifex in ſpiritualibus excellit, quæ tanto „ ſunt temporalibus digniora, quanto anima „ præfertur corpori &c. Noſcere debueras, „ quod fecit Deus duo magna Luminaria in „ Firmamento Cœli, Luminare majus, ut „ præeſſet diei, & Luminare minus, ut præeſſet nocti, utrumque magnum, ſed alterum majus. Ad firmamentum igitur Cœli, „ hoc eſt univerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo „ Luminaria magna, ideſt, duas inſtituit „ dignitates, quæ ſunt, Pontificalis authoritas, & Regalis Poteſtas, ſed illa, quæ præeſt „ diebus, ideſt, ſpiritualibus, major eſt, „ quæ verò carnalibus, minor; ut quanta „ eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter „ Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur --

Princeps in temporalibus præeſt.

41 PROB. II. ex Conciliis. Non melius videtur expreſſum jus humanum, quam in Conciliis, ſed in Conciliis non habetur expreſſum, conceſſum Regibus fuiſſe Primatum Religionis; ergo jure humano non convenit Regibus. Min. declaratur exponendo aliqua ex Conciliis, primo Generalibus, deinde Provincialibus.

Conſtantinus Magnus in primo Concilio Nicæno, ut refert Rufin. *lib. 1. Hiſt. cap. cap. 2.* Sozomenus *lib. 1. cap. 16.* dixit -- Vos „ a Deo nobis dati eſtis Dii, & conveniens „ non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille „ ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in „ Synagoga Deorum, in medio autem Deus „ diſcernit, & ideo his omiſſis, illa, quæ ad „ fidem Dei pertinent, abſque ulla animorum contentione diſtinguite. Cum hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos „ juſſit exuri, ne innoteſceret ulli &c. -- Quibus Laicus Princeps cauſas fidei ad Præſules Eccleſiaſticos pertinere faſſus eſt. Hoc exemplo, & doctrina utitur Greg. Magnus *lib. 4. Epiſtolarum, Epiſt* 75. Nicolaus I. *Epiſt. ad Michaelem Imperatorem*, Greg. VII. *lib. 7. Epiſt.* 21.

Spiritualia ad Eccleſiaſticos ſpectant.

In Concil. Ephеſino Theodoſius, & Valentinianus Impp. *in Epiſt. ad Patres Synodi* habent -- Igitur Candidianum præclariſſimum „ Religioſorum, domeſticum Comitem ad „ ſacram veſtram Synodum abire juſſimus; „ ſed ea lege, & conditione, ut cum quæſtionibus, & controverſiis, quæ circa fidei „ dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim eſt, qui Sanctorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus „ non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis, & „ conſultationibus ſe immiſcere -- Judicio ergo Imperatorum Laici Principes carent Poteſtate judicandi res fidei.

Irrident argumentum Spalatenſis *lib. 6. de Repub. cap. 7. num. 71.*, & Apologiſta dicentes -- Currente rota, ex Amphora Urceus „ exit -- dum nos a Comite arguimus ad Regem. Sed vis non conſiſtit in *Comite*, ſed in dicto univerſali illo -- Nefas enim eſt, qui „ Sanctorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt &c. -- Sed nec Comes, nec „ Rex Laicus adſcriptus eſt Catalogo Epiſcoporum; ergo & Comiti, & Regi nefas eſt ſacris ſeſe immiſcere.

In Concil. Chalcedonenſi Marcianus Imperator *in oratione habita ad Concilium*, fatetur clare ſe nullam habere Poteſtatem circa controverſias fidei, ſed ſolam protectionem pro removendis impedimentis, & promovenda decretorum executione, ut refertur *diſt. 96. Can.* -- Nos ad fidem confirmandam non „ ad aliquam potentiam oſtendendam, exemplo Religioſiſſimi Principis Conſtantini Synodo intereſſe volumus, ut inventa veritate non ultra multitudo pravis doctrinis „ attracta diſcordet &c. Non ad oſtendendam potentiam -- ideſt, fateor me non habere aliquam auctoritatem, ſed ut auxilio meo Synodus non exturbetur. Et in eodem Concilio Vicarii Imperatoris petunt inſtrui, non inſtruere in rebus fidei -- Quod placet „ Reverendo Concilio de Sancta Fide, ipſum „ nos doceat -- Si vero Imperator haberet Poteſtatem Primatus, ejus Vicarii jus habuiſſent judicandi cum aliis, ut patet de Vicariis Papæ.

Principes in Conciliis ad fidem promovendam.

In Concil. Nicæno II. *Act.* 2. relata *diſt. 63. Can.* 7. dicitur -- Omnis electio Epiſcopi „ a Principibus facta irrita maneat ſecundum „ regulam, quæ dicit: Si quis Epiſcopus ſecularibus Poteſtatibus uſus, Eccleſiam per „ ipſos obtinuerit, deponatur; & ſegregentur ab Eccleſia omnes, qui illi communicant -- Act. 3. in litteris Monachorum habetur diſtinctio utriuſque auctoritatis, Sacerdotalis, & Regiæ -- Secundas Eccleſiæ „ partes portant Imperatores; nam primum „ in Eccleſia locum Sacerdotes poſſident. Sacerdotium enim Imperii ſanctificatio eſt, „ & conſtitutio; & Imperium Sacerdotis fortitudo eſt, & fundamentum; de quibus „ quidem ſapiens Princeps, & in SS. Regibus „ Beatiſſimus, ait Maximus, donum Deus „ hominibus præſtitit, Sacerdotium, & Imperium: illud quidem adorans, & regens „ cœleſtia; hoc vero gubernans iſta terreſtria. --

Imperium Sacerdotii fortitudo.

Concilio VIII. interfuit Baſilius Imperator, qui rotundis verbis in oratione habita ad Patres fatetur, ſe nullam habere partem in iis, quæ ad Religionem pertinent, immo hæc ad Sacerdotium ſpectare. Occaſione namque Photianorum Hæreticorum dicit -- Hæc „ autem inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui „ regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi, & ſolvendi Poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, ac cœleſtes adepti ſunt claves; non noſtrum, qui „ paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligamento ſolvi egemus. Quantumcunque enim Religionis, & ſapientiæ „ Laicus exiſtat, vel etiamſi univerſa virtute „ interius polleat; donec Laicus eſt, ovis „ vocari non deſinet &c. Quæ ergo ratio eſt „ in ordine ovium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitate diſcutiendi & ea, quæ „ ſupra nos ſunt, quærendi, & ambigendi „ habent --

Quia diſcurſus Baſilii ſecurim ad radicem Laicocephaliæ applicat, Apologiſtæ di-

ſplicet, curatque infirmare dicens Baſilium
non eſſe multæ auctoritatis; occidit enim Mi-
chaelem Imperatorem, cujus Imperium inva-
ſit. Deinde, ſolum aſſerit non eſſe Laico-
rum myſteria fidei -- Inveſtigare, quod non
„ negamus, ſed illud durum eſt, quod ſic
„ alligetur dictum Imperatoris, ut nullo mo-
„ do Laico liceat movere ſermonem de re-
„ bus Eccleſiaſticis: ſic enim nullæ partes
„ Principum forent -- Verba ſunt Apologiſtæ.

Michaelem occidit Baſilius, non diffi-
temur, ſed juſte, utpote injuſtum ſui inva-
ſorem. Nullius ergo erunt roboris Davidica
dicta, quia injuſte Uriam occidit? Imperium
non invaſit Baſilius, ſed recta via per varios
videlicet Magiſtratus gradus, quos diligen-
ter, & prudenter exercuit, teſtimonio vete-
rum, & recentiorum Hiſtoricorum, ut Zo-
naræ, Cedreni, Curopalatis, Anaſtaſii Bi-
bliothecarii. Nolentis intelligere, ut non
bene agat, eſt illud, quod ſubditur, ſcilicet,
ſolum Laicorum non eſſe myſteria Fidei in-
veſtigare; cum contentos cetera comprehen-
dat. Dicit enim Sacerdotium habere regi-
men, Claves Eccleſiaſticas, Poteſtatem li-
gandi, atque ſolvendi: Laicos oves eſſe, non
Paſtores, audire debere; Sacerdotes autem
eſſe miniſtros Dei &c.

Laici non ſunt Paſtores.

Hæc de Œcumenicis Conciliis ſufficiant;
& cum hæc antiqua ſint, & Græcorum, An-
glo Regi non poſſunt eſſe ſuſpecta. Particu-
laria aliqua ſubdamus pariter ex primis ſecu-
lis; ultimorum enim ſeculorum Conciliis pa-
rum fidunt Novatores.

In Romano I. celebrato anno 320. ſub
Silveſtro Papa *cap.* 4. declaratur Laicos in Ec-
cleſiaſticos nullam habere Poteſtatem -- Sil-
„ veſter Epiſcopus dixit, nulli omnino Cle-
„ ricos licere cauſam quamlibet in publico
„ examinare, nec ullum Clericum ante Ju-
„ dicem ſtare. Et dixerunt omnes Epiſcopi,
„ placet -- In Rom. II. ſub eodem an. 325.
cap. 16. -- Nemo Clericus, aut Præsbyter
„ propter cauſam ſuam quamlibet intret in
„ Curiam: quoniam omnis Curia a cruore
„ dicitur, & immolatio ſimulachrorum eſt,
„ quoniam ſi quis Clericus in Curiam introie-
„ rit, anathema ſuſcipiat, nunquam rediens
„ ad matrem Eccleſiam -- Si vero Primas eſ-
ſet Rex in Divinis, ab Eccleſia nequiret ex-
pelli Clericos Regia tribunalia adeundo.

In Antiocheno an. 340. *cap.* 11. Si quis
„ Epiſcopus, vel Præsbyter, vel quicunque
„ Clericus, & omnis omnino, qui eſt ſub
„ Eccleſiaſtica Regula conſtitutus præter Con-
„ cilium, vel litteras eorum Epiſcoporum,
„ qui ſunt intra Provinciam, & maxime Me-
„ tropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc
„ abdicari, & ejici, non ſolum de commu-
„ nione debere, ſed etiam propria dignitate
„ privari; tanquam moleſtum, & importu-
„ num Imperialibus auribus contra Eccleſia-
„ ſtica inſtituta -- Severius *cap.* 12. loquitur
-- Hujuſmodi nullam veniam habeat, nec
„ locum unius aſſertionis ſuæ, nec ſpem re-
„ cipiendi gradus habeat in futurum -- Sed
quomodo non liceret Clerico ad Imperato-
rem appellare, & appellans, leges Eccleſia-
ſticas violaret, & puniendus eſſet ſine ul[la]
ſpe, ſi Imperator haberet Primatum, ſi ejus

Clericus ad Epiſcopum confugere debet.

auctoritate conditæ eſſent leges, haberetque
ſolvendi a pœnis, & ligandi Poteſtatem?

In Concil. Veneto an. 460. *cap.* 9. -- Cle-
„ rico, niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui, ſervo-
„ rum ſuorum ſecularia judicia adire non li-
„ ceat, ſed ſi fortaſſe Epiſcopi ſui judicium
„ cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de pro-
„ prietate aliqua adverſus ipſum Epiſcopum
„ fuerit nota contentio; aliorum Epiſcopo-
„ rum audientiam, non ſecularium Poteſta-
„ tum, debebit ambire: aliter a communio-
„ ne habeatur alienus.

In Concil. Romano III. an. 501. cum
Theodoricus uſurpaſſet injuſte judicium in
Symmachum Sacerdotem, audiens Epiſcopos
clamantes non poſſe ab eo compelli, ut ſu-
periorem ab inferiori, ſubdit -- In Synodali
„ eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda
„ præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reve-
„ rentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertine-
„ re: committens etiam Poteſtati Pontifi-
„ cum, ut ſive propoſitum velint audire ne-
„ gotium, ſive nollent, quod magis puta-
„ rent utile, deliberarent, dummodo vene-
„ randi proviſione Concilii in Civitate Ro-
„ mana Chriſtiana pax redderetur -- Diſcat
Anglus Rex a Theodorico in cauſis Eccleſia-
ſticis non alias habere partes, quam illas re-
vereri. In Concil. Rom. IV. an. 502. ſub
eodem Symmacho *cap.* 3. -- Laicis quamvis
„ Religioſis nulla de Eccleſiaſticis facultati-
„ bus legitur unquam diſponendi aliquid at-
„ tributa facultas --.

Laici de Eccleſiaſticis nō diſponant.

Similia habent Agathenſe an. 506. *cap.*
32. Matiſconenſe an. 581. *cap.* 8. Epaonenſe
cap. 11. Aurelianenſe III. *cap.* 31. Antiſiodo-
renſe *cap.* 35. Vernenſe *cap.* 18. Toletanum III.
cap. 23. Tolet. IV. *cap.* 46. Mogunt. *cap.* 6.
Wormatienſe *cap.* 50. Lateran. ſub Innoc. III.
cap. 36. &c. Ex quibus ſic arguo. Jus hu-
manum non concedit Regi Angliæ, quod a-
perte negat, ſed negat Poteſtatem judicandi,
& exercendi cauſas Eccleſiaſticas; ergo &c.

42 PROB. III. Licet juribus, non fa-
ctis res probandæ ſint, tamen ubi facta juri-
bus concordant, magnum veritati pondus adji-
ciunt, ſed facta non tribuunt Regibus Prima-
tum Religionis, ergo jure humano (quod
factis humanis declaratur, & confirmatur)
non convenit Regibus Divinorum Regimen.
Min. abunde probavimus de Romano Ponti-
fice, ubi oſtendimus morem fuiſſe in Contro-
verſiis fidei ad Romanam Eccleſiam, non ad
Curiam ſecularium Principum appellare. Ibi
vidimus recentes ad fidem converſos Reges,
non ab aliis Catholicis Regibus expoſtulaſſe
myſteriorum explanationem, & Imperatores
Orientis recenter inauguratos fidei formulam
Apoſtolico Throno tranſmiſiſſe. Hæc enim
evidentiſſime demonſtrant non penes Regnum
temporale, ſed penes Sacerdotium reperiri
Primatum Eccleſiaſticum. Ne tamen jejuni
omnino ſimus, pauca ſubdam ex geſtis Prin-
cipum ſecularium, ſive in cauſa fidei, ſive
perſonarum Eccleſiaſticarum. Aliqua jam te-
tigimus de Conſtantino, Marciano, Juſtinia-
no, Theodoſio, Baſilio; ſed nova percur-
ramus.

Regimen Divinorum Regibus non convenit.

Primus Imperator Chriſtianus fuit Phi-
lippus. Hunc propter quædam peccata a com-
mu-

Principes in Prælatis ſpiritualem noverunt Poteſtatem.

munione excluſit Fabianus Papa die Paſchatis, nec admiſit, niſi peccatis pœnitentia purgatis, ut refert Euſebius *lib.* 6. *cap.* 27. *Hiſtor.* Theodoſius ſenior prohibitus eſt Eccleſiam ingredi a Sancto Ambroſio, donec pœnitentiâ publica crimina expurgaſſet, & admiſſus in Eccleſiam, cum ad loca Sacerdotum aſcenderet, ut ſederet, juſſit Sanctus Antiſtes recedere, quod libenti animo adimplevit. Sic Theodoret. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 77. Si Primas fuiſſet Religionis Theodoſius, nonne potuiſſet inter Clericos ſedere? Maximus Imperator in convivio ſedens juſſit Martino Epiſcopo primùm dari ad bibendum, quod non recuſavit, & poſtquam bibit, ſuo Sacerdoti poculum tradidit tanquam digniori. Hanc porro non eſſent paſſi injuriam Proceres proxime ſedentes cum Rege, niſi Sacerdotium creditum eſſet excellentius. Hæc Sulpitius *in vita S. Martini*.

Valentinianus Imperator petentibus Epiſcopis -- Ut ſibi de doctrina fidei recte con-
„ ſtituenda in unum convenire permitteren-
„ tur &c. Reſpondit: Sibi qui unus è Laico-
„ rum numero eſſet, non licere hujuſmodi
„ negotiis ſe interponere; & ideo, inquit,
„ SACERDOTES, ET EPISCOPI, qui-
„ bus hæc jure ſunt, per ſe, ubicumque li-
„ bitum fuerit, in unum conveniant. Quo
„ reſponſo &c. -- Verba ſunt Sozomeni *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 7.

43 DICES cum Apologiſta. Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 3. aliam refert dediſſe rationem, ſcilicet, ſibi facile non eſſe, curis Reipublicæ diſtento. At vanum hoc eſt. Idem enim alteram etiam rationem affert, dixiſſe videlicet -- Nec fas eſt manum admovere -- Fas enim idem eſt, ac jus: agnovit ergo nullum ſe jus habere in Eccleſiaſticos.

44 INSTABIS. Reſponſio Imperatoria fuit extra rem. Petunt Epiſcopi de loco, & ipſe reſpondit: fas non eſſe ſibi curioſius hæc perſcrutari.

Sed extra chorum inſtantia eſt: Rectiſſime enim reſpondit. Quærebant locum Epiſcopi pro cauſa fidei. Quocumque vellent, convenirent dixit, rationem aſſignans intrinſecam; ſuæ curæ non eſſe hujuſmodi fidei negotia, ſed EPISCOPORUM, & hoc, quia Laicus erat. Sic certe non eſſet reſponſurus, ſi civilium cauſarum futurus fuiſſet Conventus.

45 REPLICABIS. In hoc elucet Primatus, cum de fide acturi Epiſcopi licentiam ab Imperatore petunt.

Verum licentiam non petunt, ſed ſecuritatem. Cum enim plurimi vigerent Pagani, ſtatuta Juliani ſequentes, graviſſima paſſi eſſent impedimenta; ideo quod Patres neceſſitate poſtulaverant, induſſit Princeps, Religionis leges ſecutus. Alias rationes circa loca Conciliorum dedimus de Conciliis.

Conſtantius inter Epiſcopos ſedens Eccleſiis præſcripſit, plaudentibus Epiſcopis, Leontio Tripolis Epiſcopo excepto -- Quem
„ cum rogaret Imperator: quid tu ſolus om-
„ nium taces? Miror, inquit, quomodo fiat,
„ ut aliis curandis deſtinatus alia tractes; qui
„ cum rei militari, & Reipublicæ præſis,
„ EPISCOPIS ea præſcribas, quæ ad ſolos
„ pertinent EPISCOPOS. Imperator itaque
„ verecundatus, ab hujuſmodi edictis Impo-
„ ſterum abſtinuiſſe fertur -- Ita Suidas *in vita Leontii*. Paſſus eſt tamen exilium pro veritate.

Aurelianus Imperator, confugientibus ad ipſum Epiſcopis pro reprimenda audacia Pauli Samoſateni, qui nolebat exire ab Eccleſia, damnationem ab Epiſcopis illatam contemnens, reſpondit; id eſſe faciendum, quod Epiſcopus Romanus cum ſuis ſentiret. Sic Euſebius *lib.* 7. *cap.* 16. Nicephorus *lib.* 6. *cap.* 29. Hinc Romani Pontificis decreto Hæreticus per ſummam ignominiam fuit ab Eccleſiæ domo pulſus.

Honorius Imperator cum reſciviſſet Archadium Orientis Principem ſe Eccleſiaſticis immiſcuiſſe, & vim Sacerdotibus feciſſe, vehementer conqueſtus eſt in Epiſtola ad ipſum directa, idque vocat funeſta, & execrabilia commiſſa, Divinam vindictam provocantia: datque rationem -- Cum ſi quid de cauſa
„ Religionis inter Antiſtites ageretur, EPI-
„ SCOPALE OPORTUERIT ESSE JU-
„ DICIUM. Ad illos enim Divinarum re-
„ rum interpretatio; ad nos Religionis ſpe-
„ ctat obſequium -- En profligata Laicocephalia.

Atbalaricus Rex, Arrianorum patronus, cum ſimiliter reſciviſſet, Sajum Urbis Præfectum vim intuliſſe Clericis, quorum aliquos carceribus tradiderat, conquerentibus ipſis reſcripſit -- Quod nobis pro ingenita reve-
„ rentia, quam noſtro debemus auctori, di-
„ ſpliculiſſe profitemur, ut qui pridem ſacris
„ meruerant inſervire miniſteriis, conven-
„ tionibus irreverenter nefariis expoſiti, in-
„ juriis ſubjacerent. Iden conſiderantes &c. -- Diſplicuit Arriano Principi Eccleſiaſticos fuiſſe vexatos a Laico Præfecto, & juſſit miniſtris, ne amplius ſe miſcerent in cauſis Eccleſiaſticis.

Hunnericus Rex Arrianus Wandalus præcepit Eugenio Epiſcopo Carthaginenſi, ut cum Arrianis circularìter diſputaret de fide, cui Præſul reſpondit: ſine Univerſitatis conſenſu non poſſe. Poſtea Regem interrogavit -- Num vellet ipſe eſſe Judex talis di-
„ ſputationis? -- Rex reſpondit: Non -- CUM
„ NON POSSET ECCLESIASTICA SIBI
„ USURPARE JUDICIA -- Cum iterum replicaret Eugenius -- Quis ergo erit cogni-
„ tor? Quis examinator? Notarius Regis ſubdit -- PATRIARCHA CYRILLUS -- En quomodo Rex fatetur, ſe auctoritatem non habere in judiciis Religionis; & quomodo cauſa Epiſcopo Catholico fuerit delata? Hæc refert Iſidorus in Chronico, Victor Uticenſis *lib.* 2. *de perſecutione Vuandalica*.

Si forte Apologiſta his duobus ultimis reſpondeat (quod adjecit exemplo allato ex Rege Theodorico *in IV. Concilio Romano in cauſa Symachi*) ſcilicet, ex teſtimonio Hæreticorum, & Barbarorum nos labenti Pontifici ſuccurrere. Replicamus, argumentum eſſe a fortiori. Si enim Barbari, & Hæretici inſoleſcentes contra fidem, a ſe Primatum Religionis rejiciunt, quanto magis eundem Catholici rejicere debent? Potuit Paulus teſtimonium poetæ gentilis aſſumere ad

pro-

probandam Dei exiſtentiam ; cur non poſſe-
A mus uti teſtimonio Barbarorum pro convin-
cenda uſurpatione Anglicanæ ſuperbiæ ?

Sed ad Catholicos redeamus , & omiſ-
ſis pluribus antiquioribus Hiſpaniarum , Gal-
liarum , Germaniæ , aliarumque Provincia-
rum , paucos recentiores ſummatim recen-
ſeamus .

Carolus Magnus *lib.* 5. *leg. Francic. cap.*
167. habet -- Principaliter totius Sanctæ Dei
„ Eccleſiæ corpus in duas eximias perſonas, in
„ Sacerdotalem videlicet , & Regalem divi-
„ ſum eſſe novimus , de qua re Gelaſius Ro-
„ manæ Sedis venerabilis Epiſcopus ad Ana-
„ ſtaſium Imperatorem ita ſcribit : Duæ ſunt
B „ Imperatrices Auguſtæ , quibus principali-
„ ter mundus hic regitur , AUCTORITAS
„ SACRATA PONTIFICUM , ET RE-
„ GALIS POTESTAS , in quibus tanto gra-
„ vius pondus eſt Sacerdotum , quanto etiam
„ pro ipſis Regibus , hominibuſque in Divi-
„ no reddituri ſunt examine rationem --
Fulgentius quoque *in libro de veritate præde-
ſtinationis* , ita ſcribit -- Quantum pertinet ,
„ inquit , ad hujus temporis vitam , in Ec-
„ cleſia NEMO PONTIFICE POTIOR ,
„ & in ſeculo Chriſtiano Imperatore nemo
„ celſior invenitur -- Quam bene Rex jura
ſpiritualis , & politicæ juriſdictionis diſtribuit.

C Ludovicus , & Lotharius *in Epiſtola ad Eu-
genium Pontific. an.* 826. ſic ſcribunt -- Quia vera-
„ citer debitores eſſe cognoſcimus , ut iis , qui-
„ bus Regimen Eccleſiarum , & ovium Domi-
„ nicarum cura commiſſa eſt , in omnibus cauſis
„ ad Divinum cultum pertinentibus opem , at-
„ que auxilium , pro qualitate virium noſtra-
„ rum , & intellectus noſtri capacitate fera-
„ mus &c. -- Rogant etiam , ut Pontifex ſua
doctrina , & admonitione curam habeat , ad
unitatem , & concordiam revocandi diſcor-
des &c.

Lotharius *in Epiſt. ad Adrianum II. anno*
868. dicit -- Quia DEUS OMNIPOTENS
D „ PRINCEPS PASTORUM in illa Sancta
„ Sede VESTRI PONTIFICATUS API-
„ CEM SUBLIMAVIT ; veſtrum multipli-
„ citer deſideramus conſpectum -- Non in
Rege , ſed in Pontifice agnoſcit apicem Prin-
cipatus Eccleſiaſtici. Carolus Calvus Rex Fran-
ciæ anno 870. *in Epiſt. ad eundem Adrianum II.*
ſe filium ſpiritualiter Romani Pontificis fate-
tur , quem Patrem , & univerſalem Pontifi-
cem appellat . Omitto verba , quia clara .

Leo Imp. Græcorum loquens de S. Pe-
tro Laicocephaliam Anglicanam evertit -- Tu
„ me ſequere : hoc eſt , ſequere me baculo
„ paſtorali , & ſicut ego (cum eram vobi-
E „ ſcum) ſervabam vos ut pater veſter , &
„ caput , & magiſter vigilans pro vobis , ſic
„ & tu eſto meo loco , & ſequere me Prin-
„ cipatu , & Poteſtate . Ita fratres tuos con-
„ firmans , te volo eſſe meo loco : unde ma-
„ net uſque in hodiernum diem PETRUS
„ SEQUENS CHRISTUM IN SUO SUC-
„ CESSORE -- Quid clarius ? Apud Igna-
tium Fiumi *lect.* 5. *contra Laicocephaliam* .

Hugo Rex Franciæ anno 990. *in Epiſt.
ad Joannem XV.* , quem invitat Gratianopo-
lim , ſuis ſumptibus morantem , & redeun-
tem , & debitis obſequiis excipiendum , ſic
ait -- Hoc ex integro affectu dicimus , ut in-
„ telligatis , & cognoſcatis nos , & noſtros ,
„ VESTRA NOLLE DECLINARE JU-
„ DICIA &c -- Non habet ipſe Primatum ,
ſi alterius judicio vult ſtare ex integro affectu.

Fridericus I. Imp. anno 1150. *in Epiſt.
ad Emanuelem Imp. Græcorum* ita loquitur --
„ Sicut ille Rex Regum , a quo omnis Pote-
„ ſtas , Romanum Imperium caput totius
„ Orbis conſtituit : ita etiam Romanam Ec-
„ cleſiam omnium Eccleſiarum UNICAM
„ MATREM , DOMINAM , ET MAGI-
„ STRAM ORDINAVIT . Quod utique
„ duorum gladiorum numero figuravit , quos
„ etiam ſufficere perhibuit Auctor fidei no-
„ ſtræ . Quapropter tuam prudentiam com-
„ monemus , quatenus nobis , & Romano
„ Imperio honorem debitum impendas ; ET
„ SUMMO PONTIFICI , quem nominete-
„ nus ſanctum appellas , DEBITAM OBE-
„ DIENTIAM EXHIBEAS , ET HONO-
„ REM -- Quam bene diſtinguit utriuſque
ordinis Poteſtatem ; & quam bene ſuadet o-
bedientiam Pontifici !

Ludovicus VI. Rex Francorum *ad Ale-
xandrum III.* anno 1160. in cauſa occiſionis
S. Thomæ Cantuarienſis , poſt filiale obſe-
quium , hæc habet -- Ab humanæ pietatis lege
„ recedit filius , qui matrem deturpat ; ne-
„ que Creatoris beneficiis reminiſcitur , qui
„ de Sanctæ Sedi Apoſtolicæ illata turpitudi-
„ ne non contriſtatur -- Poſtea enarrato caſu
occiſionis S. Antiſtitis hæc ſubdit -- Exerce-
„ tetur ergo exquiſitæ genus juſtitiæ ; DE-
„ NUDETUR GLADIUS PETRI in ul-
„ tionem Cantuarienſis Martyris ; quia ſan-
„ guis exclamat pro univerſali Eccleſia -- Ad
quid denudari gladium Petri contra Regem
Homicidam , ſi ipſe ſpiritualis juriſdictionis
eſt caput ?

Alexius Imperator Græcorum *ad Inno-
centium III.* anno 1200. hæc ſcribit -- IN-
„ NOCENTIO . SANCTISSIMO PAPÆ
„ ROMANO honorem condecentem , &
„ Patri Spirituali -- Ecce Filius eſt Impera-
tor , Pater Pontifex .

Leo Armenorum Rex *in Epiſtola ad eun-
dem Innocentium* ; quem Papam univerſalem
appellat ipſum cognoſcit Primatem Divino-
rum : Hinc aſſerit ſe velle procurare revoca-
tionem totius ſui Regni , & ſubditorum ad
unitatem Eccleſiæ Romanæ .

Anno 1200. Reginaldus Rex Inſularum,
pariter obedientiam filialem in oſculo pedum
præſtat Honorio III. apud ſuperius citatum
Fiumi. Anno 1220. Fridericus II. Imp. glo-
riatur recepiſſe Diadema Imperii ab Hono-
rio III. *in conſtitut. de ſtatutis , & conſuetud.*
ipſumque Patrem ſuum vocat .

Carolus Rex Siciliæ anno 1266. *in Epiſt.
ad Clementem IV.* habet -- Sanctiſſimo in
„ CHRISTO Patri , ac Domino ſuo CLE-
„ MENTI , Divina Providentia Sacroſanctæ,
„ & univerſalis Eccleſiæ SUMMO PONTI-
„ FICI CAROLUS DEI gratia Rex Siciliæ
„ cum omni reverentia , & honore poſt pe-
„ dum oſcula beatorum --

Ludovicus IX. Rex Franciæ , Sanctorum
albo celebris , inter monita , quæ filio dedit ,
morti proximus anno 1270. hoc habet -- Sis
„ de-

„ devotus, & obediens Matri noſtræ Roma-
„ næ Eccleſiæ, & Summo Pontifici, tanqoam
„ Patri ſpirituali -- Sic refert Gulielmus Nan-
gius *lib. de geſtis ejuſdem*.

Michael Paleologus Græcorum Imp. anno 1274. *in Epiſt. ad Greg. X.* habet -- San-
„ ctiſſimo, ac Beatiſſimo PATRI, ET SUM-
„ MO PONTIFICI, Apoſtolicæ Sedis UNI-
„ VERSALI PAPÆ, & communi Principi
„ Chriſtianorum omnium Venerabili Patri
„ Imperii noſtri D.GREGORIO MICHAEL,
„ A CHRISTO DEO Fideliter Rex, & Im-
„ perator, & Moderator Græcorum, DU-
„ CAS ANGELUS COMNENUS PALEO-
„ LOGUS, & ſpiritualis filius magnæ ſan-
„ ctitatis veſtræ, decentem honorem, & re-
„ verentiam, cum ſincera, & pura affectio-
„ ne, & poſtulatione --

Andronicus Imp. Græcorum, an. 1320. *in Epiſt. græce ſcripta apud Bibliothecam Palatinam* habet -- Hæc Sacroſancta Romana Ec-
„ cleſia ſupremum; abſolutumque Principa-
„ tum, poteſtatemque ſuper univerſam Ca-
„ tholicam Eccleſiam habet. Quam quidem
„ Poteſtatem in ſe ipſa jure, & humiliter a-
„ gnoſcit eſſe, atqoe accepiſſe cum plena
„ auctoritate ab ipſo Domino in Beatiſſimo
„ Petro Apoſtolorum Principe, ac vertice,
„ cujus ROMANUS PONTIFEX EST
„ SUCCESSOR. Et quemadmodum præter
„ alias Eccleſias habet Poteſtatem de fide ju-
„ dicandi, ſic, & quæ de fide ſubortæ ſint
„ quæſtiones, hujus judicio diſſolvendæ ſunt.
„ Ad hanc unuſquiſque vexatus provocare
„ poteſt, & in omnibus cauſis, quæ ad exa-
„ men Eccleſiaſticum ſpectant, ad hujus ju-
„ dicium poteſt quiſque recurrere, ET
„ HUIC OMNES ECCLESIÆ SUNT SU-
„ BJECTÆ --

Henricus Dux Helviæ anno 1324. *in Epiſt. ad Joannem XXII.* Uladislaus Rex Poloniæ 1327. *in Epiſt. ad eundem Joannem* Patrem ſuum appellant Romanorum Pontificem, ſeipſos vero filios.

Ladislaus Rex Hungariæ, & Bohemiæ anno 1452. *in Oratione habita ad Nicolaum V. coram Purpuratorum Senatu*, poſtquam a principio dixit, Romanum Pontificem gerere vices Omnipotentis Dei, ait -- Unde initium
„ ſumam orationis, quibus verbis te UNI-
„ CUM CHRISTIANORUM PRINCI-
„ PEM, te Regum Regem, atque in ter-
„ ris Deum adorem: non facile conſtituere
„ poſſum -- Sic apud Coclæum *Hiſt. Huſſitarum lib.* 11.

Ludovicus XI. Rex Galliæ anno 1464. *in Epiſt. ad Pium II.* præclara hæc ſcribit --
„ Beatiſſimo Patri Noſtro PIO PAPÆ Se-
„ cundo obedientiam filialem.

„ Te Vicarium Dei viventis ea venera-
„ tione proſequimur, ut ſacra (præſertim
„ in Eccleſiaſticis rebus) tua monita, velut
„ vocem Paſtoris audire, iſtiſque parere
„ prompta mente velimus. TE PRINCI-
„ PEM TOTIUS ECCLESIÆ, ANTI-
„ STITEM SACRORUM; Te Dominici
„ gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus;
„ Teque jubentem ſequimur; tibi, & Bea-
„ tiſſimæ Petri Cathedræ conſentimus. Ita-
„ que, ſicut mandaſti, pragmaticam ſanctio-
„ nem (tuæ ſedi infenſam, utpote quæ ſchiſ-
A „ matis tempore, atque per ſeditionem nata
„ ſit) a Regno noſtro, noſtroque Viennenſi
„ Delphinatu, & omni ditione noſtra per
„ præſentes pellimus, dejicimus, ſtirpitúſque
„ abrogamus --

Sigiſmundos I. Rex Poloniæ anno 1513. *in Epiſt. ad Concil. Lateranenſe* -- Deſignamus
„ Oratores noſtros, dantes illis poteſtatem
„ coram ſanctitate Leonis Decimi Papæ com-
„ parendi, ibidemque obedientiam, juxta
„ majorum meorum conſuetudinem, præ-
„ ſtandi, & recognoſcendi eundem eſſe VE-
„ RUM, UNICUM, ET INDUBITA-
„ TUM PONTIFICEM, ET DOMINICI
B „ GREGIS PASTOREM --

David Rex Æthiopiæ anno 1524. *in Epiſt. 1. ad Romanum Pontificem* -- Pax tibi ſit
„ JUSTE DOMINE, PATER SANCTE,
„ Potens, Pure, Sacrate; Qui es CAPUT
„ Pontificum omnium, & neminem metuis;
„ cum tibi nemo poſſit maledicere: O fœlix
„ SANCTE PATER! ego tibi reverenter
„ obedio, cum ſis pax omnium, & cun-
„ cta bona merearis, & ita æquum eſt, ut
„ OMNES TIBI OBEDIENTIAM PRÆ-
„ STENT, ſicut Sancti Apoſtoli præcipiunt
„ apud Deum --

Claudius Imperator Æthiopum an. 1549. C recipiens Joannem Epiſcopum, ad ejus imperium miſſum a Paulo III., multiores vocat Pontificem, PATREM. Deinde inter alia habet -- Audi nos PATER NOSTER PAU-
„ LE Princeps Patrum Romæ, cui ſubjicion-
„ tur ſeptem Reges Chriſtianorum. Oblivi-
„ ſcitur ne conſanguineus ſanguinis ſui? --

Franciſcus Rex Bungi in Japonia anno 1582. agens gratias Deo de prædicatione fidei per Patres Societatis peracta in ſuis ditionibus, præſtat obedientiam Romano Pontifici, quem interpellat his verbis -- O Sanctiſſime
„ totius Chriſtiani populi Parens! -- Inſuper exoptat perſonaliter deoſculari pedes ejuſdem,
D & illis caput ſuum ſubmittere. Deinde habet -- A veſtra Sanctitate magni beneficii ac-
„ cipiam loco, ſi PRO EA, QUA FUN-
„ GITUR DEI IN TERRIS VICE, ME,
„ & Chriſtianum hunc gregem, uti facit,
„ fovere, & adjuvare perrexerit -- *Epiſt. ad Gregorium XIII.*

Bartholomæus Princeps Omurraoorum *Epiſt. ad Gregorium XIII.* -- Rudem hanc epi-
„ ſtolam offero Sanctitati veſtræ, quæ cum
„ in terris locum obtineat Dei, ac ſimul ex
„ ipſius doctrina, & magiſterio Chriſtianus
„ POPULUS PENDEAT UNIVERSUS,
„ æquum ſane fuerat memet maris traſmit-
E „ tere, ipſumque ad veſtram Sanctitatem in-
„ viſendam venire, ſacroſque ejus pedes,
„ poſt pia illorum oſcula, ſuper meum ca-
„ put imponere --

Sigiſmundus III. Rex Poloniæ an. 1590. *in Epiſt. ad Sixtum V.* (quæ extat apud Severinum Cracovienſem pro Canoniſatione Sancti Hyacinthi) obedientiam præſtat Romano Pontifici, quem vocat UNIVERSALIS ECCLESIÆ PONTIFICEM MAXIMUM: oſcula pedum petit: confiteturque ſuorum prædeceſſorum morem fuiſſe hunc, ſubjectionem exhibendi Romano Pontifici.

Cre-

Crederem hæc Principum ſufficere exempla. Nec nobis objiciat Toohkerus contra Beccanum illud Poetæ.

Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.

Et illud

Pauperis eſt numerare pecus.

Sunt enim hi ex omni ſeculo, ex omni natione, potentes, prudentes; & nihilominus unanimi conſenſu agnoſcunt, ſeipſos non habere Primatum in iis, quæ pertinent ad Religionem, ſed eſſe penes Paſtorem Romanæ Eccleſiæ. Hunc Patrem Spiritualem ſuum fatentur, eique in rebus Divinis obedientiam præſtant, quem Vicarium Dei in terris, & Chriſti agnoſcunt, Principatum habentem ſuper omnes, Primatum in Epiſcopatu Divinæ fidei poſſidentem: immo teneri omnium Eccleſiarum ſtatum cuſtodire; Regimen Eccleſiarum, & ovium Dominicarum coram commiſſam gerere, tanquam caput, & magiſtrum, unicæ Matris, Magiſtræ, Dominæ Eccleſiarum, Romanæ Sedis Paſtorem; Eccleſiæ Chriſti Præſidentem; univerſalis Eccleſiæ Pontificem; communem Principem Chriſtianorum omnium; ſupremum, abſolutumque Principatum, poteſtatemque ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam habentem; unicum Chriſtianorum Principem; Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, caput Pontificum omnium; totius Populi Chriſtiani Parentem (a cujus doctrina, & magiſterio pendet Populus Chriſtianus univerſus) vocerantur mox laudati Principes.

Traditione ſeculorū patet Rom. Pontificis excellentia.

Uſurpatio ergo eſt manifeſta Primatus Anglicanus, quem omnium nationum, & ſeculorum Dominantes laici nonquam admiſerunt; niſi velimus dicere uſque ad tempora Henrici VIII. non fuiſſe agnitum caput Religionis; ſepultum fuiſſe lumen fidei veritatem adeo neceſſariam manifeſtantis; vel defides omnino, ſuique muneris oblivioſos fuiſſe in graviſſimam Chriſtianitatis perniciem Principes univerſos tot gratiæ, & naturæ dotibus commendatos.

46 PROB. IV. Ideo Regius Primatus Anglicano Principi competit jure humano, quia competit legibus uſucapionis; ut habet *Apolog. pag.* 30., & 34., ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Min. declaratur. Contra jus Divinum nulla prorſus prævalere poteſt civilis, & humana præſcriptio (aliàs Imperator Turcarum, & quilibet Princeps Idololatra juſte, & licite poſſet vivere in iſto Idololatriæ titulo longæ præſcriptionis: Uſuræ exercitium eſſet juſtum Hebræis, legibus uſucapionis): ſed eſt certò certius Primatum Eccleſiaſticum, ſeu Regimen Religionis eſſe Divini juris; cum Eccleſiam immediate Chriſtus inſtituerit, & fundaverit, pertineatque ad ordinem ſupernaturalem; ergo contra Primatum Eccleſiæ nequit prævalere jus præſcriptionis; ergo legibus præſcriptionis non poteſt Britannus Rex Primatum Eccleſiæ poſſidere.

Contra jus Divinū nulla præſcriptio.

Ideo favet lex præſcriptionis, quia Jacobus cum ſuo Aclero ait ſe ſequi exempla ſuorum Prædeceſſorum, qui Religioni Primatum exercuerunt: ſed multo plura, & meliora ſunt exempla Prædeceſſorum, qui Primatum

hunc non ſibi, ſed Romano Pontifici conceſ-
A ſum a Dominum profeſſi ſunt, & venerati; ergo lex uſucapionis non favet. Min. nota eſt. Verum aliqua prælibemus majoris elucidationis cauſa. Lucium primum Regem Britanniæ ad fidem converſum omittamus cum aliis uſque ad tempora Edelberti, ex quibus licet non deſint monumenta pro nobis, tamen a notioribus exordiri nervoſius eſt.

Certum eſt, & ipſiſmet Proteſtantibus notum, Britannos in Idololatriam prolapſos, ad fidem ex integro converſos fuiſſe ſub temporibus Gregorii Magni: ſed tunc fuerunt imbuti fide Eccleſiæ Romanæ, & in ejus gremio permanſerunt uſque ad Henricum VIII.; ergo
B Prædeceſſores Reges cognoverunt magiſterium Religionis ſupremum reſidere penes Romanum Pontificem, non penes ipſos. Hæc enim ſemper fuit fides Romanæ Eccleſiæ. Utraque propoſitio habetur apud Bedam *lib.* 2. *Hiſt. Anglic. cap.* 1. -- Beatus Papa Gregorius, cum „ primum in toto orbe gereret Pontificatum, „ & converſis jam dudum ad fidem veritatis „ Gentibus eſſet Prælatus Eccleſiis Anglorum, „ gentem eatenus idolis mancipatam, Chriſti „ fecit Eccleſiam -- Idem tradit Liconienſis Cooperus *in ſuo Chronico fol.* 146. Idem Foxius Proteſtans *in ſuis actis, editis* 1576. Et Edelbertus Rex converſus, fidei Romanæ pro-
C pagationem in ſuo Regno adjuvit, hoſtibus noſtris fatentibus. Balæus *in actis Rom. Pontificis* Baſileæ editis anno 1588. *Centuria prima* hæc habet -- Auguſtinus a Gregorio miſ- „ ſus, Angluſaxones fide papiſtica imbuendos „ curavit. Et Edelbertus Rex maxime „ eum adjuvit, qui anno 21. poſt ſuſceptum „ Baptiſmum mortuus eſt --

Non Rex converſus, ſed Gregorius Magnus Epiſcopatus diſpoſuit; duodecim ſubjecit Londinenſi, quem pallium a Sede Apoſtolica recipere ordinavit; duodecim Eboracenſi, & ſuo Legato Auguſtino univerſos Sacerdotes Britanniæ ſubditos voluit, ut ipſe
D Gregor. *in Regiſt. lib.* 12. *cap.* 15. habet ...

Oſuvius Nordan-Humbrorum Rex, & Egbertus Rex Cantuariorum, cum accepiſſent Romanam Eccleſiam, Catholicam, & Apoſtolicam eſſe, miſerunt Romam Wighardum -- Ut accepto gradu Archiepiſcopatus „ Catholicis Anglorum Eccleſiis ordinare „ poſſet Antiſtites -- ex Beda *lib.* 3. *cap.* 29. Si ergo apud ſe agnoſcebant Primatum, cur Romam miſerunt?

Circa obſervantiam Paſchatis diſſidebat Colmanus Epiſcopus, & Wilfridus. Primus urgebat traditionem Joannis Evangeliſtæ, & Sancti Columbæ, ſecundus traditionem San-
E cti Petri, & ſequentibus urgebat -- Tu au- „ tem (Colmane), & ſocii tui audita de- „ creta Sedis Apoſtolicæ; immo & univer- „ ſalis Eccleſiæ, & hæc ſactis litteris confir- „ mata, ſequi contemnitis; abſque ulla du- „ bietate peccatis -- Miſcebatque dictum Chriſti: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Tunc Oſuvius interrogavit, an uterque conſentiret, hæc dicta principaliter Petro, & reſpondentibus, etiam utrique; ſubdit Rex -- „ Et ego vobis dico, quia hic eſt Oſtiarius „ ille, cui ego contradicere nolo; ſed in „ quantum novi, vel valeo, hujus cupio in

„ om-

„ omnibus obedire ſtatutis, ne forte me advenienie ad fores Regni Cælorum, non „ ſit, qui reſerat, averſo illo, qui claves te„ nere probatur -- Videat nunc Aclerus, an Rex agnoſceret ſe primatum habere.

Ex eodem Beda, regnante Egfrido fuit pulſus ab Epiſcopatu Wilfridus, qui Romam ivit cauſam dicturus, ubi a Papa in Concilio centum viginti quinque Epiſcoporum fuit abſolutus, & ſedi reſtitutus., in eoque Concilio pro omnibus Aquilonaris Britanniæ, & Hiberniæ inſulis fidem Catholicam confeſſus eſt. Cumque iterum Epiſcopatu pelleretur, Joannes Papa ſcripſit Edilredo, & Aldfrido Regibus, ut in Epiſcopatum ſuum Wilfridus reciperetur. Si ergo a Rege datur appellatio ad Tribunal Sedis Apoſtolicæ, non ille, ſed hoc ſuperius eſt.

Inas Angliæ Rex circa annum 740., pietate ductus eſt erga Sedem Apoſtolicam, eidem vectigal Regnum fecit, ſingulis denariis argenteis per ſingulas domus ſolvendis ſtatutis: cujus exemplum ſecutus eſt Offa, & Aculphus, qui tributum auxit. Reges Angliæ hi ſiquidem fuerunt.

Audiamus Polydorum Virgilium *Hiſt. Angl. de Ina* -- Officia Regis pietatis plena, in„ finita panduntur, & illud imprimis: quod „ Regnum ſuum Romani Pontificis vecti„ gale fecerit, ſingulis argenteis nummis, „ quos denarios vocant, in ſingulas domos „ impoſitis. Idem fecit ejus exemplo, qui „ non multo poſt id tempus regnavit, Offa, „ qui fuit anno ſalutis 740. circiter. Hoc „ vectigal prout quidam ſcribunt, auxit po„ ſtea Aculphus Rex, qui, ut proximo libro „ demonſtrabitur, totius fere Inſulæ impe„ rium tenuit -- At quomodo regnum pietatis cauſa Romanæ Sedi feciſſent vectigal etiam in temporalibus, ſi Primatum Religionis ſe habere credidiſſent.

Gedoaldus Rex Anglorum ad Chriſtum converſus Romam properavit, ubi a Papa Sergio Baptizatus, ad Cœlum tranſiit, ut refert Paulus Diaconus *lib. 6. de geſtis Longobardorum cap.* 41.

Kenulphus Rex Merciorum apud Anglos, obedientiam præſtitit Romano Pontifici *in Epiſt. ad Leonem III.* circa annum 800., in qua Pontificem, Gregis Dominici paſtorem vocat, Leonis exaltationem ad Sedem Apoſtolicam, ſuam dicit ſalutem, hac cauſali addita -- Quia unde tibi Apoſtolica dignitas; „ inde nobis fidei veritas innotuit.... Qua„ propter opportunam arbitror tuis Sanctis „ juſſionibus aurem obedientiæ noſtræ humi„ liter inclinari, & quæ tuæ pietati rite no„ bis ſequenda videantur, toto nixu implen„ da; quæ rationi contraria inventa fuerint, „ citius declinanda, ac interim nobis omni„ no reſecanda -- Proſequiturque petendo ejus benedictionem, poſtulans, ut in filium ſe velit recipere, & ipſum velut Patrem agnoſcere fatetur; & amplectitur, his verbis -- Totis „ obedientiæ viribus ſemper amplector -- Quid religioſius erga Sedem Apoſtolicam?

Ælferdus, ſeu ut alii vocant, Alvredus a Leone IV. Pontifice Maximo inauguratus quid de Regia poteſtate ſenſerit audiamus ex Willelmo Malmesburienſi *lib. 2. de geſtis Regum Anglorum cap. 4.* -- Quod nunc raro in-
A „ venitur in terris, illam maximam credidit „ dignitatem, nullam in Eccleſiis Chriſti ha„ bere Poteſtatem -- & apud Ailreldum Abbatem Rievallis *lib. de Genealogia Regum Anglorum* de eodem legitur -- illa regnandi di„ gnitas, ſi ſe in Regno Chriſti, quæ eſt Ec„ cleſia, non Regem, ſed civem cognoſcat; „ ſi non in Sacerdotes legibus dominetur, „ ſed Chriſti legibus, quas promulgaverunt „ Sacerdotes, humiliter ſubjiciatur --

Sub Edgardo Rege, cum Clerici irreligioſe viverent, celebratum fuit Concilium pro reformatione Cleri. Hoc in Concilio Orationem Rex habuit, qua zelans zelum legis --
B „ Ego, loquit, Conſtantini, vos Petri gladium „ habetis in manibus. Jungamus dexteras, „ gladium gladio copulemus, ut ejiciantur „ extra caſtra leproſi, ut purgetur Sanctua„ rium Domini &c. -- Obſervantiam erga Romanam Eccleſiam palam fecit ea renovata lege denarii Pontifici ſolvendi, deſignato ſolutionis tempore, pœnaque impoſita contrafacientibus -- Denarius in Domus ſingulas im„ poſitus, ante Feſtum D. Petri reddito, „ Qui tum non ſolverit, denarium illum, ac „ alios præterea triginta Romam comporta„ to &c. --

Eduardus obedientiam Summo Pontifici
C magna veneratione profitetur *in Epiſt. ad Nicolaum II.*, ubi habet -- Summo univerſali „ Eccleſiæ Patri, NICOLAO: Eduardus Dei „ gratia Anglorum Rex debitam & ſubjectio„ nem, & obedientiam &c. -- Deinde in proſecutione epiſtolæ dicit -- Quapropter ju„ ſtum judicavimus apud vos, velut ad ſoli„ dam petram accurrere, & probare omnes „ bonas actiones noſtras &c. --

Deinde petit confirmationem privilegiorum ſibi a ſuo Prædeceſſore conceſſorum, viciſſimque ratificat vectigalis ſolutionem debitam. Quomodo hæc componuntur cum Primatu Eccleſiaſtico?

D Narrat Polydorus *lib. 6.* quod, cum ob paucitatem, & negligentiam Epiſcoporum pietas Chriſtiana frigeſceret, Papa Joannes X. Regem admonuit. Sed quia culpa non tam in Rege, quam in Cantuarienſi Archiepiſcopo erat; hic, conſtitutis Epiſcopis in Synodo, emendatque incuria Romam venit, cauſam ſuam purgaturus. Cur apud Regem non egit cauſam, ſi ille ſupremus?

Henricus II., ut refert Petrus Bleſſenſis *Epiſt.* 136. Romano Pontifici obedientiam ſpondet *in Epiſt. ad Alexandrum III.* -- Ve„ ſtræ magnitudini promitto, me veſtræ di„ ſpoſitioni in omnibus pariturum; & Deus
E „ exaltit vos in eminentiam officii Paſtoralis „ ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus -- Deinde fatetur Regnum vectigal eſſe Sedis Apoſtolicæ.

Apud eundem Petrum Bleſſenſem *Epiſt.* 144. Eleonora Angliæ Regina, prædicti Henrici uxor mirifice Romani Pontificis auctoritatem eſt profeſſa *in Epiſt. ad Papam*, in qua miſerrimum Clericorum ſtatum deſcribit, imploratque ſubſidium ab eo -- Quem con„ ſtituit Deus ſuper gentes, & Regna in „ omni plenitudine Poteſtatis &c. Cum ſis „ Vicarius Chriſti, ſucceſſor Petri, Sacerdos

„ Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam Pha-
„ raonis &c. (Scriptum eſt enim qui vos
„ ſpernit, me ſpernit &c.) NON REX,
„ NON IMPERATOR A VESTRÆ JU-
„ RISDICTIONIS JUGO EXIMITUR &c.
„ *Et in Epiſt.* 146. -- Pulchre equidem Chri-
„ ſti crux antecellit Cæſaria Aquilas; Gladius
„ Petri gladium Conſtantini, & APOSTO-
„ LICA SEDES PRÆJUDICAT IMPE-
„ RATORIÆ POTESTATI.

Laudatus Henricus videns a ſuis fuiſſe occiſum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, Romam miſit, qui facinus purgarent. Quoniam verò, verbis indignationis impetu prolatis, occaſionem dedit facinori, Cardinales Legati a Pontifice miſſi pœnam injunxerunt, quam religioſe adimpleturum promiſit. Hæc ſane Primatum in ſpiritualibus non innuunt.

Cumque in Hiberniam duxiſſet exercitum, audiens imperium illius Inſulæ ab accepta fide eſſe penes Pontificem, noluit ſibi titulum aſſumere, niſi a Romano Pontifice Alexandro, ſeu, ut alii dicunt, ab Adriano IV. conceſſum. Unde ortam inter Cantuarienſem, & Eboracenſem Præſules controverſiam non ipſe diremit, ſed Hugo Romani Pontificis Legatus. Ita Polydorus *lib.* 12.

Omitto Eduardum, qui temporibus Clementis VI. ut Eccleſiaſticæ libertatis jura ſarta tecta forent, diplomate evulgavit neminem ex Eccleſiaſticis apud Laicum Judicem teneri cauſam dicere, ſed ſtatim ac diceret *ſe membrum Eccleſiæ Sanctæ eſſe*; ad Eccleſiaſticum forum remittendum; ſicut & Henricum VII. petiit a Romano Pontifice diſpenſationem legis Eccleſiaſticæ prohibentis nuptias inter uxorem demortui fratris, & ſuperſtitem.

Hinc venio ad Henricum VIII., nondum Annæ Bolenæ amore obcæcatum. Hic exorgente Luthero in Sedem Apoſtolicam, pietate non minus, quam eruditione plenum edidit libellum de ſeptem Sacramentis, ubi *art.* 2. mirabiliter Primatum Romani Pontificis probat -- Negare Lutherus non poteſt,
„ quin omnis Eccleſia fidelium SACROSAN-
„ CTAM ROMANAM, VELUT MA-
„ TREM, PRIMATEMQUE RECO-
„ GNOSCAT, AC VENERETUR, quæ-
„ cunque ſaltem neque locorum diſtantia,
„ neque periculis interjacentibus prohibetur
„ acceſſu. Quanquam (ſi vera dicunt, qui
„ ex India quoque veniunt huc) Indi etiam
„ ipſi tot terrarum, tot marium, tot ſolitu-
„ dinum plagis disjuncti, Romano tamen
„ Pontifici ſe ſubmittunt. Ergo ſi tantam,
„ & tam late fuſam Poteſtatem, neque Dei
„ juſſu Pontifex, neque hominum voluntate
„ conſecutus eſt, ſed ſua vi vendicavit; di-
„ cat, velim, Lutherus, quando in tantæ
„ ditionis erupit poſſeſſionem ---

Deinde progreditur oſtendendo a primordiis Eccleſiæ fuiſſe, ut talem agnitam, eamque cæteras moderaſſe Eccleſias -- Quin
„ Græciam ipſam, quanquam ad ipſam commigraſſet Imperium; reperiemus tamen,
„ quod ad Romanæ Eccleſiæ PRIMATUM
„ pertinebat, præterquam dum ſchiſmate la-
„ borabat, Romanæ Eccleſiæ ceſſiſſe -- In
hac doctrina perſeveravit uſque ad vigeſimum

tertium annum Regni ſui, donec mutavit u-
A xorem, altera vivente, tunc enim mutavit & fidem, mutavit & ſententiam.

His prælibatis patet, titulum præſcriptionis obeſſe juri Primatus Anglicani, cum a primordiis converſionis ad fidem, & notius ab anno 700. uſque ad nos, Reges Britanni agnoverint Primatum Eccleſiaſticum intra ordinem Sacerdotalem, & non laicalem eſſe conſtitutum. Contra jus humanum ergo & Divinum uſurpatio eſt.

B

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

47 APologiſta defenſor, Spalatenſis, & alii ſubſidiarii Laicocephaliæ, plura ex Conciliis proferunt; & ſunt ea omnia, quæ Mornæus in deſtructionem veritatis Catholicæ de Eccleſia Romana collegit in ſuo myſterio iniquitatis. Quia tamen plura dedimus *De Ordine Part. III. Controv. I. §. III.*, ubi invicte probatum eſt non ad Principes, ſed ad Pontificem ſpectare Concilia congregare, quæ ad rem præſentem faciunt, diſſolvenda ſubjicimus.

48 OBJIC. I. Is, a quo Patres Con-
C ciliaria acta petunt emendari, habet Primatum: ſed Patres Concilii Arelatenſis petunt a Carolo Magno Statuta Conciliaria emendari, *Can. ult.* -- Ut ſi quid minus eſt, ejus
„ prudentia ſuppleatur: ſi quid ſecus, quam
„ ratio habeat, ejus judicio emendetur: ſi
„ quid rationabiliter taxatum eſt, ejus adju-
„ torio Divina opitulante clementia perfi-
„ ciatur -- Ergo Carolus Magnus habitus eſt ut Primas in Divinis.

Similiter alia Concilia, ut Turonenſe, Moguntinum, Rhemenſe, Francofordienſe ſe Carolo ſubjecerunt; & alteri Congregationi Francofordienſi ipſe Carolus aſtitit, au-
D divit Sacerdotes, locutus eſt, diſtribuit loca, & ſedes Epiſcopis: primum dedit Romano Pontifici, ſecundum Italiæ Epiſcopis, tertium Germanis, quartum Gallis; decrevitque quid eſſet ſentiendum in cauſa Fidei contra Epiphanium Toletanum; ergo &c. Ita Mornæus *Op.* 18. *pag.* 317., & defenſor Apologiæ *pag.* 26., *&* 27.

RESP. a meridie emendicare tenebras Apologiſtam. Notum eſt, & alibi vidimus, & infra, quantum Romano Pontifici detulerit Carolus Magnus, videbimus. Nunc ſufficiat afferre capitulum 301. *mihi lib.* 6., ubi hæc -- Conſtantinus imperator de accuſatio-
E „ nibus Epiſcoporum, ait: Hæ quidem ac-
„ cuſationes tempus habebunt proprium, ideſt
„ diem magni judicii; Judicem verò, eum
„ qui tunc futurus eſt judicare omnes. Mihi
„ ergo homini conſtituto de hujuſmodi rebus
„ auditorium habere non licet, Sacerdotum
„ videlicet accuſantium, & accuſatorum ſta-
„ tui; quos minime convenit talea debere
„ monſtrari, quod judicentur ab aliis. Im-
„ perator quoque Valentinianus de Epiſco-
„ porum cauſis ſic ait: Supra nos eſt veſtrum
„ negotium, & ideo vos de veſtris cauſis in-
„ ter vos agite; quia ſupra nos eſtis -- Vi-
deatur

deatur etiam Cabaſſutius ad Seculum IX. Videat Apologiſta qualiter Carolus Magnus agnoverit ad ſe non pertinere cauſas Eccleſiaſticas, & Sacerdotalem ordinem ſuperiorem eſſe. Non ergo ipſi Carolo enarrata Concilia ſe ſubmiſerunt, tanquam Judici, & Primati Divinorum. Miniſteriales egit igitur Carolus partes in procuranda reſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ; & ideo quinque ſimul Concilia Provincialia curavit celebrari, in quibus tamen omnia per Sacerdotes diſponi voluit, ut Rhegino oſtendit ad annum 813. Authenticam tamen convocationem ad Romanum Pontificem pertinere ipſemet docuit, & ſuo loco verba dedimus.

Carolus Magnus Eccleſiæ addictiſſimus.

Ceterum, quia in Arelatenſi Concilio plura decreta civilem ut ſic dicamus moralitatem etiam laicos afficientem continebantur (ut quod laici non ejiciant Præsbyteros a ſuis Eccleſiis; ut laici non exigant munera a Præsbyteris propter commendationem Eccleſiæ; ut pax, & concordia ſit inter Epiſcopos, & Comites; ut Judices munera non recipiant pro judicio; ut quilibet ſuos tempore famis gubernet; ut pondera, & menſuræ ubique æqualia ſint, & juſta; ut diebus Dominicis publica non fiant mercata; ut placita publica, & ſecularia non fiant in atriis Baſilicarum; ut Comites, & Judices res pauperum non emant, vel per vim tollant; ut publice convicti de crimine publicam agant pœnitentiam): ideo ab Imperatore poſtulant Patres, ut ſuâ prudentiâ emendet, ſi quid non bene fuerit diſpoſitum: & aliqua pariter civilia, quæ Principis auxilio indigebant, cetera Concilia recitata tetigerunt. Decretum porro fidei contra Toletanum Concilium in Francofordienſi Synodo cuſum, jam alibi oſtendimus fuiſſe ex dependentia Romani Pontificis, quem expreſſe conſuluit.

Forte Apologiſta propugnabit agnitum in Conciliis Primatum, quia hæc commendant orandum pro Imperatore, eique obediendum. Sed hæc non concludunt, ut ſupra vidimus; & aliàs cum 13. Canone Arelatenſi dicatur -- ut comites, ſeu reliquus „ populus obedientes ſint Epiſcopo -- ſicut & 33. Turonenſi, ſequitur Sacerdotalem ordinem agnitum fuiſſe ad laicam Poteſtatem ſuperiorem.

49 OBJIC. II. Patres Concilii Chalcedonenſis *cap.* 14. *tom.* 4. petunt ſupplices ab Imperatore, ut definita in Concilio robur habeant. Patres pariter Concilii CP. ſub Menna *in Libello Epiſtolarum ad Juſtinianum Imp. act.* 1. clare oſtendunt plenitudinem diſcretionis in Hæreticos eſſe penes Imperialem poteſtatem, apud Cabre -- Et verò cognovimus, „ quod magnificavit Dominus ſacrum, & ju„ ſtum Imperium veſtrum; & omnes veſtros „ adverſantes veſtræ potentiæ ſuppoſuit, cum „ Sanctam immaculatam fidem defendentes „ purum fermentum, hoc eſt recta dogma„ ta, ſicut incenſum offertis ſuæ bonitati; „ paleas autem igne inextinguibili combori„ tis -- Sed preſſius *act.* 4. dum flagitant Patres Hæreticos feriri anathemate, reſpondit Menna -- Nihil eorum, quæ moventur in „ Eccleſia convenit fieri, præter Principem, „ & jus pii Imperatoris. Itaque rogamus ve„ ſtram charitatem in præſentiarum quieſce„ re, ut tempus accipiamus adducere ad pias „ aures, quæ a nobis acclamata ſunt -- Jus ergo habet Imperator in cauſas Religionis.

RESP. Marcianum agnoviſſe Romanum Pontificem caput auctoritativum Eccleſiæ Catholicæ claret ex pluribus, quæ attulimus loco cit. ex Concilio Chalcedunenſi, ubi partes ſolum adjutrices, & executrices habere Principem acta demonſtrant, Patreſque ipſi *cap.* 16. docent, quatenus dicunt Imperatores ceteris Synodis paruiſſe, legibuſque ſuis obſervantiam promoviſſe. Ceterum ſe Primatum Religionis non habere ipſe Imperator faſſus eſt, alloquens Leonem Pontificem *in reſponſione ad Epiſt. Leonis ſcriptam Theodoſio*, quem defunctum invenit, his verbis -- Tuam ſanctitatem „ Principatum in Epiſcopatu Divinæ fidei „ poſſidentem, ſacris litteris in principio juſ„ ſum credimus eſſe alloquendum -- Si Principatum Divinæ fidei agnoſcit apud Romanum Pontificem: non ergo ſe Primatem credidit.

Principum auxilium in rebus fidei.

Quæ verò ex Concilio CP. ſub Menna proferuntur, poſſemus parvi pendere, quatenus, ut alibi vidimus, Concilium illud non erat legitimum, quandu illa facta ſunt; donec poſt celebrationem acceſſit confirmatio Sedis Apoſtolicæ. Sed his non indigemus, cum & Juſtinianus *Novella* 42. infra citanda manus ſolum adjutrices habere in cauſis Eccleſiaſticis fateatur; & Menna ipſe apud Romanum Pontificem in iis tribunal ſupremum admittat; unde addit -- Nos enim (ſicut ſcit „ charitas veſtra) Apoſtolicam Sedem ſequi„ mur; & ei obedimus -- Erat autem valde neceſſarium adjutorium brachii ſecularis cum Hæretici ſuæ cauſæ fiderent, innixi patrocinio curialium perſonarum.

50 OBJIC. III. Fugitivos Sacerdotes revocare, & Eccleſiis reſtituere; inhibere Monachis, Præsbyteris, & Clericis ne palatium adeant; Abbates, Canonicos, & Regulares in officio continere circa regularem obſervantiam actiones ſunt juriſdictionis Eccleſiaſticæ: ſed in has jus habere Principem agnoſcit Concilium Pariſienſe, quatenus rogat Ludovicum, & Lotharium, ut horum, & aliorum diſciplinæ Eccleſiaſticæ curam habeant, ut conſtat *ex lib.* 3. *cap.* 13. 14., *&* 18.; ergo. Ita Spalat. *num.* 113.

RESP. neg. min. Non enim agnoſcunt Patres jus penes Imperatorem, ſed petunt præciſe adjutorium miniſteriale, eo quod diſciplina Eccleſiaſtica ſuum non habebat vigorem defectu appretiationis legum Eccleſiaſticarum, quas diſſoluti parvi faciunt, ſæpe ſæpius conſiſi ſecularium auxilio. Ceterum, quæ Reges Galliæ Carolus, Ludovicus, Lotharius, & alii pro diſciplina Eccleſiaſtica ſtatuerant, collecta ſunt a Benedicto Levita, & Anſegiſo Abbate in celebri Summa Capitularium Gallicanorum. Porro advertit auctor hæc fuiſſe corroborata auctoritate Apoſtolica; unde *in præfatione ad librum quintum* legitur -- Et a„ gnoſcant omnes: hæc prædictorum Prin„ cipum capitula maxime Apoſtolica aucto„ ritate eſſe firmata -- Et Ludovicus *lib.* 6. *cap.* 267. habet -- Ita unanimes Divinis, & „ Apoſtolicis conſtitutionibus ſerviatis, ut in

Capitularia Regum Galliæ a Pontifice confirmata.

 „ nullo

„ nollo patiamini pia canonum decreta vio-
A „ lari, ut nulli fas ſit ſine ſtatus ſui pericu-
„ lo, vel Divinas conſtitutiones, vel Apoſto-
„ licæ Sedis decreta temerare -- Vide reve-
rentiam, & obedientiam præſtitam Romani
Pontificis decretis a Ludovico. Idem aſſer-
tum habetur *lib. 7. cap.* 265. Carolinorum;
& in eodem lib. 7. cap. 187., ubi majores cau-
ſas eſſe deferendas ad Sedem Apoſtolicam; &
ideo in his Conciliis cum gravis aliqua orie-
batur quæſtio, Romani Pontificis oraculum
expoſcebatur.

51 OBJIC. IV. Spalat. *num.* 152., &
Mornæus *Opp.* 20. -- Ea quæ ſunt cœleſtia
„ cogitare; populos ab errore revocare, &
B „ veritatem eis ſerenæ lucis oſtendere -- ſunt
actus proprii juridictionis Eccleſiaſticæ; ſicut
auctoritative præcipere ſymboli recitationem,
quod eſt formula fidei: ſed hæc omnia faſſus
eſt ad ſuam Poteſtatem pertinere Reccaredus
Rex *in Concilio Toletano III. cap. ultimo*. Et
in cap. 2. mandatur legibus Regis, & juſſis
eſſe obediendum. Pariter Gundemanus in al-
tero Concilio Toletano dedit legem Religio-
nis, & Innocentiæ; ergo juriſdictio Eccleſia-
ſtica eſt penes Reges in gradu ſupremo.

RESP. Reccaredi pietas nota eſt ex Gre-
gorio Magno *lib. 7. indict. 2. Epiſt.* 126. Nul-
lum peregit ſua auctoritate decretum, ſed Se-
C dis Apoſtolicæ conſilio, ad quem Legatum *Reccaredi pietas.*
miſiſſe tradunt Hiſtoriæ. Decretis Concilii
paruit Rex, ſed *cap. primo* dicitur -- Maneant
„ in ſuo vigore Conciliorum omnium con-
„ ſtituta ſimul, & ſynodicæ SS. Præſulum
„ Romanorum Epiſtolæ -- Porro in his tra-
ditur majores cauſas, Conciliorum robur, &
Decretorum, ad Sedem Apoſtolicam pertine-
re; ergo non ſua firmavit auctoritate.

Præterea, qui ſubjicit alterius examini
ſtatutum ſuum, ut robur accipiat, non habet
ipſe poteſtatem ſufficientem pro ſtatuto fir-
mando: ſed Reccaredus, quæ deliberaverat,
ſubjecit examini Conciliari: unde dicitur --
D „ Relegatur ergo in medio veſtri, & in ju-
„ dicio Synodali examinata per omne ſucceſ-
„ ſionis tempus gloria noſtra ejuſdem fidei
„ teſtimonio declarata clareſcat -- Et *Can.* 2.
-- Petitione Reccaredi Regis conſtituit ſyno-
„ dus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, &
„ Galliæ ſymbolum fidei recitetur -- Quare
nec robur habuit decretum, nec rationem de-
creti Rex juſſit habere, niſi firmatum aſſenſu,
& ſubſcriptione Patrum: Verum quidem eſt,
ſuo civili ſtatuto, actis Concilii dediſſe mu-
nimen, & in unum colligi curaſſe; ſed hæc
miniſteriale, & executionis officium inclu-
dunt, quale & Gundemanus exercuit pro-
E movendo legem innocentiæ, & Religionis.

52 OBJIC. V. Spalat. *n.* 154. -- Cu-
„ rare, & intendere, quæ reſpiciunt ad uti-
„ litatem noſtræ Reipublicæ, & præcipue,
„ quæ feruntur ad immaculatam noſtram fi-
„ dem -- primarium jus ſonant, ſed hæc ad
ſuam curam pertinere aſſerit Imperator Con-
ſtans in proœmio ſui typi pro Monothelitis;
eamque poteſtatem illi tribuunt Patres Con-
cilii Romani *conſult.* 2. ſub Martino I., cum
præſidium implorent -- ut turbo diabolicæ
„ fraudis, ſuæ clementiæ rigore valeat com-
„ primi -- Et licet abuſus ſit ſua poteſtate

pro Hæreſi ſtabilienda; quæ tamen de ſuo
munere dixit, vera ſunt.

RESP. Ea peragere miniſterialiter e mu-
nere Principis eſt, non verò definitive, &
legislative; & ideo, quia fraudibus Hæreti-
corum voluit errorem ſuo decreto corroborare
Conſtans Imperator, lapſus eſt in hæreſim;
& ipſe, & illa Decreta damnata ſunt a Mar-
tino I. in Concilio Romano, & Numidienſi,
& Bizaceno; & quia in typo edendo exceſſit
terminos ſuæ poteſtatis -- Imperialem typum
„ ſacrilego auſu totius plenum perfidiæ -- vo-
cat Martinus *in Epiſtola ad Amandum*. Porro
non agnoſcere Patres in Principe illo hujuſ-
modi definitivam auctoritatem ex eo conſtat,
quod ipſi dogmata definierunt, & ut definita *Eccleſia ſæpe*
executioni mandarentur, præſidium ſeculare *ſeculare præ-*
implorarunt (maxime tunc neceſſarium, cum *ſidium petit.*
totum robur Hæreticorum in aulica potentia
conſiſteret) -- Pietas veſtra Divinitatis amo-
„ re inſtructa pro pace Eccleſiarum Dei Re-
„ gale præcipiat largiri præſidium -- Deinde
-- Ut ſui Regni mereatur protectorem inve-
„ nire eum, cujus cauſa flagitari dignoſcitur --
Subdit Martinus. Præſidium protectionis pe-
tiit Concilium; & hoc, & non aliud ſo-
nare debent verba Imperatoris, ut Catholica
ſint.

53 OBJIC. VI. Spalat. *num.* 156. Is,
cui convenit prius diſponere, quæ Dei ſunt,
deinde quæ civium, habet Primatum in Di-
vinis, & humanis: ſed Principi duo hæc com-
petunt, ut faſſus eſt Clodovæus Rex in Con-
cilio Clypiacenſi apud Aimoinum *lib. 4. cap.*
41. -- Prius nobis convenit ea, quæ Dei, &
„ Sanctorum ejus ſunt diſponere, ut poſtmo-
„ dum ea, quæ noſtra ſunt (Deo dante) ex
„ ſententia cedant -- ergo Princeps habet
„ Primatum Eccleſiæ.

RESP. Diſpoſitio Clodovæi ſolum mini-
ſterialis, & executionis fuit, non verò defi- *Principes*
nitionis, & judicii. Pietas, obſequia, obe- *quoad divina*
dientia erga Romanam Sedem tanti Principis *miniſtri ſunt.*
nota ſunt ex tot bellis, quæ ſuſcepit, ut ho-
ſtes Romanæ Eccleſiæ profligaret, eique ſub-
deret: ex oblatione diadematis, & paluda-
menti Regii, quod illi donavit Anaſtaſius
Imperator: ex facto altari Sancti Petri pro
gratiarum actione victoriarum: ex profeſſio-
ne Apoſtolicæ fidei: ex Elogio, quod in ejus
laudem cudit S. Remigius poſt ejus obitum.
Et utinam Principem hunc imitaretur Angli-
canus!

54 OBJIC. VII. Is, cujus voluntas poſt
illam Dei in Eccleſiaſticis eſt adimplenda,
Primatum habet Religionis: ſed Concilium
Rhemenſe *in Can.* 23. præcipit, quod poſt
Dei voluntatem, adimpleatur voluntas Im-
peratoris dicens -- Ut Dei voluntas, & Do-
„ mini imperatoris impleatur -- & quidem
circa Eccleſiaſtica, ideſt, circa veſtitum, ci-
bum, & conſervationem Abbatum; ergo Im-
perator habet Primatum. Hæc Spalat. *n.* 159.

RESP. decretum illud cuſum eſſe tem-
poribus Caroli Magni erga Sedem Apoſtoli-
cam obſequentiſſimi: unde non poteſt extor-
queri pro intento Adverſarii. Utique voluntas
Imperatoris adimplenda eſt, quando recta.
Porro voluntas Imperatoris in hoc caſu opti-
ma fuit; quia per Epiſcopos conciliariter con-
gre-

gregatos hæc Decreta condidit, non per ſeipſum; niſi exhortatorie, & protectrices ad id tribuendo manus.

Placet occaſione objectionis explicare finem Canonis citati: ad cujus intelligentiam notandum eſt, feliciſſimis veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ temporibus quatuor genera Seminariorum propter bonam educationem Clericorum fuiſſe, primum genus erat in ædibus Epiſcopalibus, ſecundum intra clauſtra monaſtica, tertium in communibus Canonicorum habitaculis, quartum in ſeparatis contuberniis intra Civitates: Primum regulariter deſerviebat pro explorandis moribus ordinandorum, & pro informando circa mores Parochos, alioſque Sacerdotes ſalutaribus monitis, & doctrinis, ad quas domos tormatim accurrebant per hebdomadas ſecundum diſpoſitionem Epiſcopi; ſecundum deſerviebat, non ſolum ad efformandos juvenes pro monaſtica diſciplina, verum etiam pro militia Eccleſiaſtica in bonis moribus, & doctrinis; tertium pro ſuſtentatione Canonicorum deſervientium Eccleſiæ; quartum deſtinabatur ad præparandos Clericos in miniſterio Divini cultus, ſcholarum exercitiis, & virtutum. In omnibus vita communis erat ſub quibuſdam certis regulis, communis menſæ uſus, unius dormitorii inhabitatio, ab uno Præfecto dependentia, Epiſcopis neceſſaria victui, & veſtitui ſuppeditantibus. Fere nihil differebat modus iſte vivendi a clauſtrali.

Antiquitus plura Clericorum Seminaria.

Hujuſmodi diſciplina viguit in Italia, ut conſtat ex Concilio Romano ſub Nicolao II. *Can.* 4. ex Leone IV. relato 22. *cap. Neceſſaria*. Ex alio Concilio Romano ſub Eugenio II. *Can.* 7 In Gallia, ut apparet ex Concil. Moguntino *Can.* 9. Ex Turonenſi III. *Can.* 23., *&* 24. Ex Vernenſi Concilio ſub Pipino *Can.* 21. Ex *lib.* 1. *cap.* Caroli Magni *cap.* 163. In Germania, ut concluditur ex Antelianenſi Concil. II. *Can.* 9., & ex Aquiſgranenſi ſub Lodovico Pio *Can.* 121. 122. 134. 235. In Hiſpania, ut demonſtratur ex Toletano IV. *Can.* 24., & Toletano II. *Can.* 1. In Africa, inſtitutore Auguſtino, ſicut ſcribit Poſſidius *in ejus vita cap.* 52. Quia ergo tepuerat charitas, maxime circa alimoniam; ideo decreta renovantes præcipiunt Patres, quod iis, qui degunt in ædibus Epiſcopalibus, vel prope, provideat Epiſcopus; degentibus intra clauſtra Abbates. Et hæc reficere ſtatuta curavit Carolus Magnus Concilio citato ab Arguenta.

55 OBJIC. VIII. Is, qui curam neceſſariam habet Eccleſiæ, in ea pacem promovendi, invigilandi, ut tam Clerici, quam Laici bene vivant, & indicendi diſcuſſionem dogmatum, Primatum habet Religionis: ſed Patres Concilii Epheſini agnoſcunt Poteſtatem ad hoc in Principe laico; ergo &c. Min. explicatur. Patres admittunt Epiſtolam Theodoſii junioris ad Cyrillum in actis relectam: ſed in ea poſtquam dixit Eccleſias, & Regnum eſſe conjuncta, habet -- Quam quidem „ pietatis doctrinam in ſacra Synodo in u„ tramque partem ventilatam eatenus obti„ nere volumus, quatenus veritati, & ra„ tioni conſentaneum videbitur &c. Nos ſane „ Civitates ſimul, & Eccleſias conturbari ne„ quaquam ſinemus --

In Epiſt. ad eundem Cyrillum 17. In actis ejuſdem Concilii habetur Rempublicam, & quæ ad Deum pertinent, eſſe cognata, hæc ad invicem pendere. Imperatorem contendere indivulſam conſervationem pietatis, & Imperii in ſubditis. Eundem curare, ut univerſi in Repoblica pie, & religioſe verſentur, potiſſimam navare operam, ut Eccleſiaſticus ſtatus ejuſmodi ſit, qui & Deum deceat, ut Eccleſiaſticarum Controeerſiarum liber ſtatus exiſtat, procurare, demum ut Clerici, & Sacerdotes omni nævo, & culpa vacare ſtudeant. In condemnatione Neſtorii in iiſdem actis legitur -- Et ſi noſtrum erga Rempublicam ſtu„ dium perſpicuum eſt: haud minoris tamen „ nobis curæ eſt, ut ſacroſancta quoque Religio „ recte conſtituatur -- Adducit Arguent aliud teſtimonium Theodoſii ad Dioſcorum *Act.* 1. *ejuſdem Concil.* -- Imperium ergo Divino au„ ctore ſortiti ſubditis proprietate, manſuetu„ dine ſimiliter, plurimam ſollicitudinem „ impertimur, quoteous. & vera Religio, „ & noſtra Reſpublica cultu Dei puriſſimo, „ & pietate firmata perfulgeat -- Ergo Principes commendatam a Deo habent Eccleſiam. Sic argum. Spalatenſis *n.* 49., *&* 145.

Verum nihil hæc probant adverſus Catholicam veritatem. Ut ſuperius vidimus, Theodoſius *in Epiſt. ad Synodum*, Candidiano Comiti expreſſe præcipit, ne Eccleſiaſticis ſe cauſis immiſceat, quia hoc nefas eſt homini Laico, & numero Epiſcoporum non adſcripto, & *in Epiſt. citata ad Cyrillum*, poſtquam dixit, ſe non paſſurum injudicatam cauſam, ſubdit -- Cui dijudicandæ eos præfici oportet, qui „ Sacerdotiis ubivis gentium præſident, per „ quos. & nos quoque in veritatis ſententia „ ſtabilimur, & magis identidem ſtabilie„ mur - Quibus expreſſe intra ordinem Sacerdotalem agnoſcit tribunal judicativum, & ſe ſubjectum ei fatetur: Aliàs Cyrillus nomine Cœleſtini Pontificis præſedit Concilio, teſte etiam Photio *in Nomo-canone tom.* 9. *cap.* 1., & ipſemet petiit a Theodoſio Concilium -- „ Ut Neſtorii res certo in apertum profer„ rentur -- ut tradit Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 33. Nec ſua auctoritate petit, ſed ex mandato Cœleſtini, cujus erat Legatus. Hinc Patres fatentur *cap.* 10. ad ſententiam contra Neſtorium eſſe compulſos a Cœleſtino. Sic enim ajunt -- Sanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ „ Epiſcopi Cœleſtini Patris Noſtri litteris, „ lacrymis ſuffuſi, & pene inviti ad lugubrem „ hanc ſententiam urgemor --

Ceterum libenter fatemur, quæ laborioſe probat Marcus Antonius, ſcilicet, Eccleſiam, & Imperium ad invicem pendere, felicitatem Regni auſpicari ab iis, quæ ad Deum ſpectant; ad Principes pertinere curam Eccleſiarum; ſed hæc omnia ſalvantur opere miniſteriali, & adjutorio, quo tunc maxime opus eſt, cum turbatio Eccleſiæ provenit ex patrocinio ſecularium: & hoc erat in caſu noſtro. Neſtorius enim nimis fidebat potentiæ Procerum; immo ipſius Imperatoris, propter quod non dubitavit & ipſe eum rogare pro Concilio procurando; & de facto medio Comite, & aliis Principibus turbavit Concilii pacem, & acta ſubvertit; Theodoſiumque provocavit in Cyrillum; & ideo Sanctus Iſidorus Peluſiota

ſiona admonuit eum, ut ſi vellet patrocinium Dei in gubernatione Imperii, cohiberet ſuos Miniſtros. Sic enim ait -- Huic autem malo „ remedium attuleris, ſi Miniſtros tuos a „ dogmatum præſcriptione removeas &c. -- Curam defenſionis, exhortationis, miniſterialitatis, executionis concedat nobiſcum Spalatenſis cum ſubordinatione ad Sacerdotalem, judiciariam, definitivam, & regitivam Poteſtatem, & lis ceſſabit.

Perſtat Laicis Eccleſia ſubordinata.

56 OBJIC. IX. Spalatenſis, & Mornæus *oppoſitione* 21. Qui eſt petra, & fundamentum Eccleſiæ, Eccleſiaſticas leges, & orthodoxa diſponens jura, Primatus dignitate gaudeat neceſſe eſt, ſed hæc tribuuntur Leoni Imp. per Conc. Chalcedonenſe ab Epiſcopis Armeniæ -- Cujus caput, videlicet, Ec„ cleſiæ eſt Chriſtus: vos autem robur, & „ fundamentum imitantes immobilem Chriſti „ petram, ſuper quam omnium Creator Ec„ cleſiam ſuam ædificans, pietatis requiem „ condonavit -- Epiſcopi Dardaniæ dicunt ejus pietati Religionem eſſe commiſſam. Epiſcopi Corinthii ajunt -- quod ſit docta (ideſt Eccle„ ſia Corinthiorum) pariter Eccleſiaſticas, „ & proprias leges; & per utraſque, tam „ orthodoxam fidem, quam Reipublicæ jura „ diſponens -- ergo Leo Imp. agnitus eſt primatum habens Religionis.

RESP. Honorifica hæc appellant ſupra laudabilem zelum, quem Imperator habuit defendendi Eccleſiam, eamque protegendi, & promovendi executionem decretorum Chalcedonenſium, quod & ipſi Centuriatores faſſi ſunt *Centuria* 5. *cap.* 3. -- Leonem Imperatorem „ non minori ſollicitudine, quam Marcia„ num, Eccleſiarum curam geſſiſſe, & ſin„ gularem Patronum fuiſſe -- Hoc patet ex eo, quod Clerus Alexandrinus ad Leonem confugit, ut oppreſſiones factas per Timotheum Elurum ſignificaret Pontifici. Sic enim habet *Epiſt. poſt Concil. Chalced.* -- Scri„ bere dignemini Sanctiſſimo Romanæ Urbis „ Epiſcopo, quatenus hæc ei a veſtra tran„ quillitate nota fiant -- Non ergo Primatum agnoſcunt penes Imperatorem, ſed penes Papam. Patet pariter ex eo, quod ipſe Leo Auguſtus ſcribit Leoni Papæ, ut ad ipſum mittat aliquos, qui veram doceant fidei Catholicæ formulam, & Sedis Apoſtolicæ Regulam: ſicut conſtat ex *Epiſt. mihi* 66. *Leonis Papæ ad Leonem Auguſtum*. Si verò Imperator eſſet petra fundamentalis Eccleſiæ, & immobilis, ab ipſo petenda eſſet Regula credendorum.

Laudantur a Conciliis Principes.

Poſt argumenta ex Conciliis emendicata, alia occurrunt ex Eccleſiaſticis monumentis deſumpta; brevitatis cauſa, omittimus ea, quæ alibi delibavimus *in Tract. de Ordine*, ut judicium Conſtantini I. in cauſa Ceciliani, & Athanaſii, ut depoſitionem quorundam Pontificum opere Imperatorio, ut intentatam Philippi pulcri, & aliorum appellationem a Papa ad Concilium, ut Doctrinam Sorbonicam, & Gerſonianam infirmantem Papalem auctoritatem, & ſimilia. Addamus ergo, quæ ex profeſſo non fuerunt diſcuſſa.

57 OBJIC. ergo I. Is, cui præſtat obedientiam Primus de ordine Sacerdotali, ſupremum gradum auctoritatis habet in Eccleſiæ Regimine, ſed Imperatoribus paruit primus Sacerdos, Romanus Pontifex uſque ad tempora Phochæ, a quo habuit Primatum; ut patet ex Beda de temporibus Phochæ -- „ Hic rogante Papa Bonifacio ſtatuit Sedem „ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe „ omnium Eccleſiarum; quia Eccleſia Con„ ſtantinopolitana prima ſe omnium ſcribe„ bat -- Ita Paulus Diaconus *lib.* 4. *de geſtis Longobardorum cap.* 11. Anaſtaſius Bibliothecarius *in ſua Hiſtoria*. Hæc objicit Rex *in præfat. pag.* 60., *& in Apol. contra Bellarminum pag.* 16. Hanc objectionem ebibit Rex ex Proteſtantium Lacunis, volentium Primatum Romanum ab Imperatoribus ortum, licet non eodem modo diſcurrant. Alii a Phoca conceſſum dicunt; Magdeburgenſes *centur.* 6. a Juſtino Imp. Papam habuiſſe Patriarchatum volunt: Alii a Conſtantino IV. quatenus Platina in Benedicto II. dicit -- „ Conſtantinum Benedicti ſanctitate permo„ tum ad illum ſanctionem miſiſſe, ut ille, „ quem Clerus, populus, exercituſque Ro„ manus Pontificem delegiſſet, eundem ſta„ tim verum Chriſti Vicarium eſſe omnes „ crederent, ulla, vel Conſtantinopolitani „ Principis, vel Exarchi Italiæ expectata au„ ctoritate, ut ante fieri conſueverat --

Alii a Conſtantino I. *in Edicto relato diſt.* 96. *cap. penultimo*, ubi habetur -- Conſtan„ tinus Imperator quarta die ſui Baptiſmi pri„ vilegium Romanæ Eccleſiæ Pontifici con„ tulit, ut in toto orbe Romano Sacerdotes „ Ita hunc caput habeant, ſicut Judices Re„ gem -- Hoc refertur *tom.* 1. *Conciliorum in Epiſt. Leon. IX. ad Michaelem*; alii a Nicæna Synodo conceſſum aſſerunt, quatenus Leo IX. ad Michaelem dicit, Pontificem a nemine judicari -- Beatiſſimo, & Apoſtolico Silveſtro „ decernente, & Conſtantino Auguſto ſpiri„ tuali ejus filio cum univerſa Synodo appro„ bante -- Tandem ab Apoſtolis alii volunt derivatum, quatenus ipſi libere volentes in primatem elegerunt Petrum, ejuſque Succeſſores.

RESP. Argumentum abunde ſolutum habes, ubi de Primatu Romani Pontificis; & facile oſtenditur falſitas: ſiquidem primatus Eccleſiæ eſt a Chriſto inſtitutus, ſicut ipſa Eccleſia, ad cujus eſſentiam neceſſaria eſt forma Regiminis: quæ autem ſunt a Domino conſtituta, non poſſunt ab hominibus minui, aut mutari; aliàs Regimen Eccleſiæ antiquius eſt omnibus Imperatoribus Catholicis; & quidem agnitum apud Sedem Apoſtolicam, ut fuſe appellationes, recurſus, Concilia, auctoritates Patrum, & alia plura alibi data demonſtrant, quæ repetere ſuperfluum eſt. Dicta ergo Patrum, Conciliorum, Principum allegata, & quæ allegari poſſunt, non faciunt ſenſum de collatione conſtituente, ſed declarante, ſed defendente, ſed conſervante.

Eccleſiæ Primatus prævius ad Principes Catholicos.

Eccleſiam Romanam primatum habuiſſe ante Phocam in aperto eſt, ceterum ut unum, vel aliud innuam, annis circiter quinque ad Imperium Phochæ Gregorius Magnus *lib.* 7. *Epiſt.* 63. *ad Joannem Syracuſanum* ait -- De Sede CP., quis dubitat, eam Apoſto„ licæ Sedi eſſe ſubjectam? quod & Dominus „ piiſſimus Imperator, & frater meus Euſe„ bius ejuſdem Civitatis Epiſcopus aſſidue „ pro-

„ profitentur -- Juſtinianus ſenior 70. annis ante Phocam *in Epiſtola ad Joannem II.* Valentinianus, qui 140. annis præceſſit, *in Epiſt. ad Theodoſium* (aliis omiſſis) aſſerunt, Romanam Eccleſiam eſſe caput omnium Eccleſiarum ; Romanum Pontificem ſuper omnes Sacerdotii Principatum habere.

Phoca Epiſc. CP. uſurpationem repreſſit.

Cauſa, cur Phocas declarativum illud decretum ediderit, eſt, quia CP. Præſules uſurpabant ſibi ambitioſam nomenclaturam Epiſcopi univerſalis ; non quia negarent ſubjectionem Sedi Apoſtolicæ, ſed propter excellentiam Urbis, & Epiſcopatus. Cum tamen titulus periculoſus appareret Romanis Pontificibus, ne tandem gravi ſchiſmate prætextu tituli auctoritatem etiam uſurparent, (ut evenit poſt aliqua ſecula) Pelagius, & Gregorius curaverunt ſuperbiam illam moderari; & cum parvipenderentur in ſuis monitis, ope ſunt uſi Imperiali, & obtinuerunt ſpecioſi tituli abrogationem, Phoca declarante, Romanum Pontificem Primatum habere ſuper omnes Eccleſias, ut dicit Beda *loco cit. in objeƈt.* Platina in Bonifacio III. Genebrardus in Chronico.

A Juſtino primatum non accepiſſe, patet pro omne ex actis Chalcedonenſis Concilii, ubi caput, & univerſalis Papa appellatur; ac proinde multo minus accepit a Conſtantino IV. qui ducentis poſt annis regnavit. Nec Platina allegatus id aſſerit ; ſed ſolum ait Imperatorem remiſiſſe uſum inductum, & ad majora mala evitanda tunc permiſſum, expectandi nempe ad perfectam conſummationem electionis Pontificis conſenſum Imperatoris, aut Exarchi.

Nec a Conſtantino I. habuiſſe Primatum, ex eo dignoſcitur, quod ante ipſum agnoſcebatur Romana Eccleſia caput aliarum ; unde ad ipſam fiebant appellationes, ſicut conſtat de Dionyſio Alexandrino, qui ad Sedem fuit accuſatus, & libenter admiſit delationem. Et in ſuo edicto fatetur Conſtantinus relatus *diſt. 96. Can. Conſtantinus*, Salvatorem Petro contuliſſe poteſtatem : Petrum, & Pontifices judicat conſtitutos Vicarios Filii Dei : immo vocat Imperium terrenam potentiam, & terrenum thronum ; Pontificatum verò Sacroſanctum, & Sedem Sacratiſſimam Beati Petri.

Conſtantinus agnovit ſpiritualem poteſtatem terrena majorē.

Nec a Niceno Concilio Primatum habuiſſe ex iiſdem conſtat, & ex Can. ſexto ejuſdem, relato in Concilio Chalcedonenſi *Act.* 16. ubi -- Eccleſia Romana ſemper habuit Pri„ matum -- Et ideo Nicolaus I. ad Michaelem Imp. ſcribit -- Privilegia huic Sanctæ Ec„ cleſiæ a Chriſto ſunt donata : a Synodis non „ donata, ſed celebrata, & honorata -- Joan. II. *in Epiſt. ad Juſtinianum Imp.* dicit. -- Ro„ manæ Sedis Reverentiam conſervatis, & „ ei cuncta ſubjicitis, & ad ejus deducitis „ unitatem, ad cujus auctorem (hoc eſt A„ poſtolorum primum) Domino loquente „ præceptum eſt : Paſce oves meas., quam „ eſſe omnium Eccleſiarum caput, & Patrum „ Regulæ, & Principum ſtatuta declarant, „ & pietatis veſtræ Reverendiſſimi teſtantur „ affectus -- Ubi habetur, quid Chriſto, quid Patribus, quid Principibus tribuatur in Conſtitutione Primatus Romani. Chriſto collatio poteſtatis, Patribus declaratio, Principibus recognitio expreſſe ibi tribuitur.

58 OBJIC. II. Rex *in Apol. contra Bellar. pag.* 26., *&* 27. Ille, a cujus jure pendet primi Sacerdotis electio, Primatum videtur habere Eccleſiaſticum, ſed a jure Imperatoris pendet ; & longo annorum decurſu Imperatoris conſenſus intervenit ; ergo &c. Hæc ſunt verba ipſius -- Sed & per ætates quamplurimas certum jus, & inviolatum apud Imperatores manſit, Romanos Pontifices creandi -- Proſequiturque plura dicens. Adducit in teſtem Adrianum Papam, qui in Concilio 153. Epiſcoporum contulit privilegium Carolo Magno eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apoſtolicam. Addit certam ſummam pecuniæ datam aliquando a Pontificibus pro confirmatione obtinenda.

RESP. Jus hoc uſurpatum fuit a primis Imperatoribus, qui eo ſunt uſi, & permiſſum a Sede Apoſtolica ad evitanda majora mala. A Chriſto uſque ad Conſtantinum Magnum per trecentos, & ultra annos, & a Conſtantino, uſque ad Juſtinianum ſeniorem per alios ducentos, electio Romani Pontificis exercita eſt abſque ulla dependentia ab Imperatoribus. Juſtinianus fuit primus, qui hoc ſibi arrogavit. Nam cum auctoritate Vigilii Papæ de Gothorum manibus Italia recuperata eſſet opera Narſetis ; Juſtinianus timens ne Pontificum potentia, & induſtria, ipſo abſente ab Italia, Urbs, & Italia deficeret ab Imperio CP., ſtatuit, quod nullus Pontifex electus agnoſceretur, niſi accederet approbatio Imperialis : & de facto proſcripſit Sylverium falſis informationibus ductus, quod Romam Gothis prodere voluiſſet. Videndus eſt Onufrius ad vitam Pelag. II. Duravit hæc uſurpatio uſque ad Conſtantinum IV. qui Benedicto II. uſurpatum jus remiſit.

Jus in Rom. Pontificem ab Impp. uſurpatum.

Hanc injuſtam uſurpationem Simoniacam hæreſim appellat Greg. *in Pſal. 5. pænit.* quia vi, & ex avaritia ſumma pecuniæ capiebatur, & quaſi in pretium venditionis Papatus ; cum a Pontificibus daretur ad redimendam vexationem, & præcavenda damna Schiſmatum, quæ inde forent exorta, ſi forte alius eligeretur.

Quantum ad illud Caroli Magni : ab eruditis negatur Adrianum conceſſiſſe privilegium creandi Pontificem. Creditur potius inventum Sigeberti, qui tranſierat ad partes Henrici Imperatoris Schiſmatici vendicantis ſibi inveſtituras, ut ei adularetur, finxit & ſimile conceſſum fuiſſe Carolo Magno. Gratianus ex falſis Hiſtoriis videtur ſumpſiſſe *cap. Adrianus II., & cap. In Synodo diſt.* 63. quod patet ex eo, quod auctores, qui diligentiſſime res Caroli ſcripſerunt, nullum verbum habent de re tanti momenti : immo contrarium ducent. Dicunt enim capto Ticino, non Romam, ſed ſtatim in Galliam advolaſſe pro comprimendis rebellibus Saxonibus, Gratianus verò vult Romam ſe contuliſſe, & ibi celebratum fuiſſe ab Adriano Concilium. Ulterius in decreto Gratiani mentio fit inveſtituræ, nomen inauditum temporibus Caroli. Nec unquam ſibi Carolus arrogavit Epiſcoporum electiones ; ſed liberas decrevit eſſe faciendas ſecundum Canones *lib.* 1. *cap.* 84.

Sed quidquid ſit de hoc : conceſſerit Sedes

des Apoſtolica Carolo Magno privilegium, quod renunciavit Ludovicus ejus filius *cap. Cum ego Ludovicus diſt.* 63. Conceſſerit Othoni I. (quod renunciavit *Can. Conſtitutio*, eadem diſtinctione) propter eorum egregia merita, & acta pro bono Eccleſiæ; ut confirmarentur in zelo pellendi, & comprimendi Hæreticos veſanies Sedem; ut reprimeretur temeritas Comitum Romanæ ditionis turbantium electionem Summi Paſtoris: non inde Pontifex efficitur inferior Imperatore, qui non niſi ex ejus auctoritate, & privilegio id eſt conſecutus. Dedit Alexander III. Cardinalibus jus electivum; nunquid Pontifex electus, minor eſt Cardinalibus? Uno verbo: confirmatio Imperialis vi uſurpata nulli patrocinatur; ex privilegio habita Pontifici favet.

59 OBJIC. III. Spalat. *n.* 106., *&* 107. Niſi Principes jus legitimum in Divinis exercendis haberent, non laudarentur a Romanis Pontificibus, nec ad eos recurrerent in cauſis Eccleſiaſticis, ſed hoc faciunt. Anaſtaſius enim Papa *Epiſt. 1. ad Joannem Jeroſolymitanum* laudat Honorium, & Arcadium, quod ſententialiter prohibuerint lectionem librorum Origenis. Leo Magnus Theodoſium juniorem commendat *Epiſtol.* 7. pro cura, & ſollicitudine ſuſcepta Chriſtianæ Religionis, in eoque Sacerdotalem animum ineſſe gaudet. *Epiſt.* 25 *ad Pulcheriam Auguſtam* rogat, ut laboret pro repellendis blaſphemiis contra Sacramentum Incarnationis. *Epiſt.* 4. Precatur Marcianum Imperatorem; ut in Synodo Chalcedonenſi non patiatur in dubium fidem revocari ab Apoſtolis traditam. *Epiſt.* 63. Aſſerit præcipuo Marciani opere in Concilio damnatos fuiſſe errores; eundem fidei ſummo vigilantiæ ſtudio teneri, ejus auctoritate ab hæreſi revocatos Monachos, precaturque, ut omnes hæreſis reliquias deleat. *Epiſt.* 77. Totale confugium reponit in eodem in cauſa Anatolii, privilegia æqualia cum Romanis obtinere a Concilio nitentis. Non ne hoc eſt agnoſcere ſupremum jus Eccleſiaſticorum in Principe?

RESP. Exercitium executivum, & miniſteriale non arguit Primatum in Eccleſiaſticis. Porro pro hoc tantum laudantur Principes ſupremi. Honorius in cauſa librorum Origenis ſequitur ſententiam Anaſtaſii Pontificis illos proſcribentis. Hinc dum Ruffinus laudaret Origenem, acriter invehitur Hieronymus in librum Periarchon Origenis ab Anaſtaſio damnati. Accuſatus Origenes, ut ſuſpectus in quibuſdam opuſculis a Demetrio Alexandrino, ſua eſſe negavit, & coram Fabiano Pontifice purgari voluit, non coram Imperatore. Hic fuit mos antiquus, quod Hæreticorum libri prius a Sede Apoſtolica damnarentur, deinde Laicali ſententia executio urgebatur; & ideo poſtquam Patres Epheſini anathema tulerunt in Epiſtolas Neſtorii, Theodoſius ſuo decreto executionem ſtabilivit *cap. Theodoſius lib. ultimo de Hæret.* 1. *num.* 1.

Executio decretorum Pontificum laudabilis in Principe.

DICES ex eodem Spalat. *num.* 120. Honorius *ad Aurelium Carthagin. contra Pelag.* cogit Eccleſiaſticos ſubſcribere definitionibus fidei; & privantur contumaces dignitate, & communione — Ut quicunque damnationi „ ſupra memoratorum, quo pateat mens pura, ſubſcribere impia obſtinatione neglexerint, Epiſcopatus amiſſione mulctati, „ interdicta in perpetuum, expulſi Civitatibus, communione priventur —

RESP. Honorius per Imperialem legem obſervari mandavit ſtatutas leges a Conciliis Provincialibus, confirmatis a Papa. Bonifacius ad præcavenda futura mala in electione Pontificis rogavit per Epiſt. Honorium, ut conſuleret ſtatutis univerſalis Eccleſiæ: quod promiſit ſe facturum in reſponſ. ad Papam; & aliquas leges condidit contra Schiſmaticas electiones. Ex quo patet hujuſmodi factis in cauſis Eccleſiaſticis non eſſe uſum juſſu Imperiali, ſed hoc egiſſe rogatu Cleri indigentis ſæculari poteſtate. At ſupra Honorii dedimus teſtimonium pro Catholica veritate.

Laudatur Theodoſius pro exercitiis defenſionis, & præſidii officiis erga Catholicam fidem, & bonum Eccleſiæ; habuitque animum Sacerdotalem, quia Sacerdotio obſequioſus, non munere Sacerdotali præditus. Ab eo Leo Magnus *in Epiſt. Synodali* 2. gladium defenſionis poſtulat, dicens — Date „ defendendæ fidei libertatem, quam ſalva „ clementiæ veſtræ reverentiâ nulla vis, nul„ lus poterit mundanus terror auferre. De„ fendite contra Hæreticos inconcuſſum Ec„ cleſiæ ſtatum, ut & veſtrum Chriſtus de„ fendat Imperium — Ipſe Theodoſius ſuis legibus declaravit, Tribunal cauſarum Eccleſiaſticarum ſpectare ad Romanum Pontificem, ut apparet ex ſuo *C. Theodoſian. tit.* 2. *de Epiſcopis*, infra recitando.

60 DICES. Theodoſius plurimas leges pro fide condidit, ſed condere leges eſt proprium Primatum habentis; ergo &c.

Utique leges condidit; nonniſi tamen ordinatas ad Synodalium decretorum executionem. Prius enim Synodus decreverat definitiones, quas in ſuo codice Theodoſiano videre poſſumus. Deinde quædam ſtatuta civilia cudit, ut executioni mandarentur, nempe, ut aberrantes a fide Catholica non haberent poteſtatem docendi de fide, ſed pellerentur; ut nulla cum civibus potirentur auctoritate communi; ut omnes ſuo Imperio ſubditi eandem ſententiam de Deo tenerent. Porro hoc modo leges ferre pro fide non arguit Primatum, ſed auxiliarem Eccleſiæ ſubjectionem.

Theodoſii Imp. facta dilucidantur.

61 INSTABIS ex eodem Spalat. *n.* 21. Annuentibus Patribus ſummam exercuit poteſtatem in Concilio Epheſino, itune irritaverit decreta conciliaria contra Neſtorium; voluerit redintegrari cauſam, & examen; prohibuerit ne ullus Epiſcopus ad ſuas Eccleſias remearet, ſed ſi legitime hæc non feciſſet, fuiſſet a Synodo ligatus vinculo cenſurarum; ergo legitime talia peregit.

Sed hæc nulla ſunt. Hæc tentavit Theodoſius cum a Neſtorianis deceptus credidit violenter, & injuſte actum in condemnatione Neſtorii, præcipitanter diſcuſſâ cauſâ. Unde patrocinium ſuſcipiens putavit ſe obſequium præſtare Deo, & Cæleſtino volenti, ut legitimum celebraretur Concilium, & omnis fraus, & violentia abeſſet; quamvis culpa

non

non vacaverit, cum nimium credulus fuerit relatis ab Aulicis, & Neſtorianis. Immo viſus eſt nutare circa fidem; ſed certior factus veritatis in priſtinum quæque reſtituit; & Apologia Sancti Cyrilli, & ſuaſionibus Pulcheriæ Auguſtæ caligantes oculos circa duas in Chriſto Perſonas aperuit. Quapropter non erant proclamandæ excommunicationes in eum ex facti errore deceptum. Capax fuiſſet, ſi bene conſcius, & monitus, contumax permanſiſſet.

Ceterum qualis fuerit mens ejus circa Primatum, præter dicta conſtat ex ipſius verbis, recitatis in Synodo Epheſina -- Nec quid„ quam ex propinqua Divinitate nobis arro„ gamus -- Ab altari ſecedebat; commune atrium ingrediebatur Templi; ingreſſus arma, & diadema deponebat, & conſilium adimplens, & preces Cœleſtini Pontificis ad ipſum ſcribentis -- Major vobis fidei debet eſſe cau„ ſa, quam Regni: ampliuſquè pro pace Ec„ cleſiarum clementia veſtra, quam pro om„ nium ſecuritate terrarum &c. -- Neſtorianorum ſcripta, aliorumque Hæreticorum comburi mandavit. Neſtorianos, ſi Clerici forent, expellendos, ſi Laici, feriendos anathemate ſtatuit, ideſt, ut vim haberent Synodalia decreta hujuſmodi pœnas Hæreticis infligentia.

62 URGEBIS. Peracto Concilio, & plene inſtructus prohibuit executioni mandari depoſitionem Joannis Antiocheni; & Nicomediam evocatis Cyrillo, & Joanne, curavit invicem reconciliari, ejurata Hæreſi a Joanne, ſed hi ſunt actus graves juriſdictionis Primariæ Eccleſiaſticæ: ergo. Idem Spalatenſis *num.* 122. hæc replicat.

Sed in hoc, quid ſane pro Primatu? Non enim ſententialiter voluit impedire executionem depoſitionis, ſed officioſè pro evitandis gravioribus diſcordiis, interponere voluit ſua pietatis officia, ut diſſenſiones, & jurgia de medio tollerentur. Contumacia Joannis in patrocinando Neſtorio erat diſſidii cauſa cum Cyrillo fidei defenſore, & crimen depoſitione puniendum. Curat Imperator ſuaſionibus emollire cor Joannis ad ejurandam Hæreſim, ut contigit, qua ejurata ceſſat pœnæ executionis cauſa, & habetur reſtauratio fœderis cum Cyrillo. Suaſionibus conciliare amicitiam, & alium movere ad deſerendam contumaciam, non importat juriſdictionem.

63 REPLICABIS. Indicta nova Synodo, propria auctoritate Dioſcorum conſtituit Præſidem; delegit, qui excludendi, qui includendi; damnavit Flavianum CP. Epiſcopum; Theodoretum, quem ſuſpectum habebat, Antiochiâ expulit, & Cyrenſem Eccleſiam recipere coegit; Irenæum Epiſcopum Tyri Sacerdotio deponendum ſtatuit. Allegat idem Spalat. editionem Pelianam *tom.* 1. *cap.* 29., ubi hæc contineri aſſerit; exultatque dicens -- Hæc eſt eruditio, quam Regibus „ jam fidelibus dat Spiritus Sanctus in Pſal„ mis: Servite Domino in timore &c. -- Hæc habet *num.* 122., *&* 124.

Hoc argumentum inſtruit nos ad ſerviendum Deo in timore, & tremore, conſpicientes, quod, qui videbantur columnæ fidei, adeo faciliter lapſi ſint, & miſerrime, Theodoſius ad partes Eutychetis digreſſus, factus eſt hæreſis patronus.

Erravit Theodoſius, gloriamque nominis ſuo partam denigravit Latrocinale Epheſinum II. ſua auctoritate indicens; omniaque prædicta male agens, Eutychetis, & Dioſcori blaſphemiam defendens: quamvis aliqualiter excuſandus, quia deceptus fuit a Chryſaphio Eunucho, & impulſus ab Eudoxia conjuge, totam volventibus Eutychianis. Multa mala paſſus eſt propter tale crimen circa Imperium aliàs florentiſſimum. Exhortationibus tandem Pulcheriæ Auguſtæ ſororis ad Chriſtum rediit; & detecta fraude Aulicorum, furorem totum convertit in Chryſaphium, deditque manus Pontifici pro legitima Synodo Chalcedonenſi, pro extirpatione Eutychianiſmi.

Ceterum ex eadem Synodo habemus argumenta pro nobis. Leo Papa ſtatim ea reprobavit, & ejus ſententiæ ſtetit totus Orbis. Flavianus damnatus ad Sedem Apoſtolicam appellavit; & quia parvipendit appellationem Dioſcorus, Patres Chalcedonenſes injurioſum eſſe clamaverunt, *Epiſt.* 24., *&* 25. *ad Theodoſ.*, *&* 26. *ad Pulcheriam*. Theodoretus pariter appellavit ad Leonem Epiſt. quæ incipit: *Paulus Claudenſ.* -- Ante omnia rogo, ut ſciam „ a vobis, an in injuſta hac depoſitione de„ beam acquieſcere; an non? Veſtram enim „ expecto ſententiam, & ſi judicatis me ſtare „ aſſertis, ſtabo -- Et Synodus Chalcedonenſis noluit cauſam examinare, ſed ſtetit ſententiæ Leonis; ait enim -- Theodoretus di„ gnus eſt Sede Eccleſiæ. Archiepiſcopo Leo„ ni multos annos: poſt Deum Leo judica„ vit --

Hæc, & alia plurima dedimus, ubi egimus de Primatu Sedis Apoſtolicæ. Aliæ ſimiliter depoſitiones Epiſcoporum tentatæ in Latrocinali Concilio Epheſino, reſtitutæ ſunt opere Leonis, & Chalcedonenſis Concilii. Deberet tamen Marcus Antonius colligere priora non fuiſſe ex legitima poteſtate competente ipſi Imperatori ex pœnitentia, quam egit Imperator, & ex juſtitia, quam exercuit in conjugem, pellendo eam ab aula, & in Chryſaphium, quem ſpoliatione honorum, & exilio mulctavit; quique, dum abiret, demerſus interiit.

64 SUBSUMES. Idem Auguſtus Theodoſius fidei curam ſuſcepit, ut liquet ex ejus Epiſt. act. 1. Chalcedonenſi recitata, ubi dicit ſe cogitare de ſanctis Dei Eccleſiis, & de fide Catholica; nec non velle cuſtodiri rectam fidem prædicatam a Sanctis Patribus Nicænis, & Epheſinis; & de Florentio Patricio habet -- Probatum in recta fide volumus ipſum in„ tereſſe audientiæ Synodali; quoniam ſer„ mo de fide eſt -- Et ſtatim ſecutæ ſunt Synodi acclamationes; non exceſſit ergo limites ſuæ poteſtatis.

RESP. Utique in hoc non eſt limites prætergreſſus; quia nonniſi patrocinium exhibuit, & exercuit. Utique debuit ſartam tectam velle fidem; quia tenebatur promovere executionem Statutorum Synodalium, & removere impedimenta, ad hoc, ut libere poſſent Sacerdotes dogmata examinare; debuit cogitare de Eccleſiis, quarum erat defenſor, & cuſtos, ſuumque voluit Miniſtrum Synodali intereſſe audientiæ, quia neceſſarii erant

diſpoſitores loci, ut pacifice omnia fierent. Ceterum notum eſt, Patres Chalcedonenſes pluries clamaſſe -- Superfluos mitte foras; „ Laicos mitte foras: Epiſcoporum Concilium eſt --

65 ADDES. Theodoſius, Romano Pontifice poſtulante, Romam cum proficiſceretur Flavianus, cum Evagrio contendens audita ejus oratione (qua ſpondebat ſe ceſſurum Epiſcopatui Antiocheno pro bono pacis; non tamen ceſſurum indiſcuſſis calumniis, quibus onerabatur) juſſit eum reverti in ſuam Sedem; etiam contra decretum Synodi Capuanæ; & aliam Synodum indixit (Hic de Magno Theodoſio ſermo eſt.)

RESP. Ex Theodoreto *lib.* 5. *cap.* 23. pro nobis ſtare caſum. (Licet non ſit omnino excuſandus Imperator) qui agnovit Sedem Apoſtolicam unicum, & legitimum Tribunal Eccleſiaſticorum; & ideo Imperator tenens partes Flaviani, rogavit Papam, ut mortuo Paulino ſufficeret Flavianum, licet Evagrius eſſet deſignatus Epiſcopus. Si autem Imperatorii juris eſſet Primatus fruſtra fuiſſet recurſus ad Apoſtolicam Sedem. Deinde. Primum voluit, ut Romam pergeret Flavianus pro tollendo Antiocheno ſchiſmate, deditque litteras adjutorii Epiſcopis Orientalibus, a Romano Pontifice invitatis ad Concilium: At Flavianus conſcientia accuſante perditam prævidens ſuam cauſam, peroravit coram Imperatore, & vaniloquiis induxit, ut non permitteret ipſum Romam ire, & Synodum in Oriente procuraret. Quod tentatum eſt; in quo Auguſtus defecit, cedens motivis artificioſis perorantis, & longa itinera exagerantis, & ſuſpicionem judicii Occidentalis inſimulantis.

Artificioſe autem hæc feciſſe conſtat ex *Epiſt.* 78. S. Ambroſii Præſidis Concilii Capuani, qui de Flaviano habet -- Qui nec Imperiali- „ bus decretis, nec Sacerdotum conventui „ præſentiam faciet ſui -- Ubi pariter S. Doctor recurſum Flaviani ad Imperatorem reprobavit -- Iterum ad hujus ſeculi judicium „ recurrendum, iterum reſcripta &c. -- Judicium ſeculi habet Imperator: non ergo Divinorum. Igitur quod deceptus Theodoſius fecit, nullum robur obtinet probationis. Theodoretus excuſat Flavianum, ut paratum cedere pro bono pacis, ſed ſubdole id peregiſſe facto comprobatur.

Laudatur Pulcheria Auguſta (& ſatisfit ſecundæ parti objectionis) propter zelum Religionis, & adjutorium miniſteriale præſtitum ad comprimendos contumaces contra Sacramentum Incarnationis. Quantum verò ad Marcianum ſatis ſuperque diximus: quare breviſſime addo. Dedit Leo *Epiſt.* 45. Imperatori, rogans, non ut quæſtiones dirimat, vel de fide edat decreta, ſed ut jam diſcuſſa, & approbata dogmata Chalcedonenſia non permittat revocari in diſputationem a contentioſis Eutychianis. Et revera edictum Imperiale nonniſi executorium ſonat miniſterium Synodalium decretorum, ut patet -- Nulli con- „ tra venerabilem Chalcedonenſem Synodum „ liceat aliquid, vel dictare, vel ſcribere, „ edere, vel emittere &c. -- *In Epiſt.* 63. Conjungit Leo Regiam potentiam cum Sacerdotali induſtria; non quia munus Sacerdotale in Marciano agnoſcat, ſed zelum, & affectum in promovendo miniſterialiter, quæ pertinent definitive ad Sacerdotium. Ait enim ejus præcipuo opere per Concilium vires amiſiſſe errorum defenſores; quia removens impedimenta, executionem promovit. Ceterum ipſe Auguſtus auctorem Concilii agnoſcit Leonem *in Epiſt. ad eundem*. Aſſerit Leo ibidem Marcianum Rectorem, ſed expreſſe in rebus humanis; qui tamen fidei ſtudet miniſterialiter, Reipublicæ auctoritative. Gratias eidem reddit pro Monachis ad ſanitatem revocatis, ſed propter opus exhortatorium, & miniſterialis executionis. *Epiſt.* 77. in cauſa Anatholii ſe commendat; ſed ut comprimat Antiſtitis ſuperbiam, & ſervari curet illæſa Romanæ Eccleſiæ privilegia, utendo gladio ſecularis poteſtatis.

65 OBJIC. IV. Spalat. *p.* 109., *&* 125. Mornæus *in myſt.* 12. Auctoritativa Canonum Conciliorum generalium diſpenſatio, exigere ab Epiſcopis fidei formulam, ut Orthodoxi ab Hæreticis dignoſcantur, legem ferre Epiſcopis Simoniam vetantem argumenta ſunt Summi juris Eccleſiaſtici, ſed Zeno Imperator hæc omnia fecit, ut videre eſt apud Evagrium *lib.* 3. *cap.* 2., & apud Nicephor. *lib.* 15. *cap.* 28. Primum, cum occiſo Stephano Antiocheno Epiſcopo contra Canones Nicænos juſſit Antiochenum novum Præſulem ordinari a Conſtantinopolitano, cum jus eſſet penes Syriæ Epiſcopos. Secundum, cum juſſit, ut Epiſcopi omnes Orientales ad ipſum formulam fidei tranſmitterent, ut dignoſceret lupos a Paſtoribus. Tertium, ex eo, quod habetur in Epiſtola Epiſcoporum Ægypti poſt Concilium Chalcedonenſe. Hæc porro legitime feciſſe ex eo apparet, quod Simplicius Papa eum laudavit circa primum, *Epiſt.* 13. -- Un- „ de, quæ a vobis amore quietis, ſancte, „ & religioſe ſunt ordinata, reprobare non „ poſſumus -- Et ſic de ceteris, ut ex eadem Epiſtola conſtat.

RESP. In Zenone duo diſtinguenda ſunt tempora, primum defectionis a Deo, & a fide, ſecundum converſionis. Auſpicatus eſt Imperium ab iniquitate, & hæreſi, favens Eutychianis, unde ejecto Martyrio Catholico Epiſcopo a Sede Antiochena, Petrum Fullonem ſubſtituit ab exilio revocatum, qui Chalcedonenſem Synodum anathemate percuſſit: Pariter Timotheum Eutychianum a Leone in exilium demandatum Eccleſiæ Alexandrinæ reſtituit, qui velut triumphans Conſtantinopolim pergens, Eccleſiam totam hæreſi inficere tentavit. Sed Deus ulciſci non diſtulit Auguſtum, Simplicii Pontificis monita parvipendentem; nam a Baſiliſco ejectus ab Imperio, profugus inter loca deſerta Iſaurica, ad mortem quæſitus, pane deficiente, herbis vitam ſuſtentare coactus fuit; donec expiatis criminibus, & melior effectus, prodiens ab antris, exercitum comparavit. Tunc Baſiliſcum aggreſſus victoriam reportavit, captumque Baſiliſcum ad Templum confugientem miſit in Cappadociam, quem cum uxore, & filiis hyemis tempore cibo, & veſtiariis juſſit deſtitui; unde brevi collacrymantes conſumpti ſunt ærumnis.

Im-

Imperio potius Zeno melior viſus eſt; quare Hæreticos Epiſcopos ejecit, Catholicos revocavit, Synodum Chalcedonenſem promovit, Eutychianos repreſſit, & plurima exercuit pro Eccleſia; ex ſententia tamen Romani Pontificis, cui ſtatim a recuperatione Regni epiſtolam ſcripſit, quem agnovit Summum Paſtorem, & Eccleſiarum caput, a quo hortatoriam recepit epiſtolam. His ergo prælibatis.

Zeno Imp. Pontificem ut Eccleſiæ caput agnovit.

Quæ Zeno fecit primis annis Imperii, peſſima ſunt, & Hæretici hominis: Sed formula fidei, quam exegit, eo tendit, ut Catholicos ab Hæreticis dignoſceret, quos poſſet Eccleſiis reſtituere, adimplens mandata Simplicii. Lex contra Simoniacos executionis eſt: Verùm quoad ordinationem tentatam Antiocheni Præſulis per Conſtantinopolitanum perperam egit, & male eum feciſſe dicit Simplicius ad ipſum reſcribens, qui electionem illam reparavit, ratam habens; prohibens ne in futuro ſimile quid amplius fiat.

Forte tamen Zeno eſt excuſabilis; tum quia fuit ab artificiis Acacii CP. deceptus, qui occaſiones venabatur extendendi juriſdictionem circa Eccleſias Orientales, ut foveret in eos Primatum, quem meditabatur; tum quia motus eſt, ut evitaret turbulentias, quas prævidit futuras, ſi electio Antiocheni fieret more ſolito; tum quia credidit fore ſecundum mentem Simplicii, a quo fuerat monitus de removendis Eccleſiarum diſſidiis; cujus optimum ſignum eſt, quod illi ſcripſit totum, quod fecerat. Ex his argumentum nobis prodeſt, obeſt Adverſariis, cum Zeno ſubordinationem in his habuerit Romano Præſuli.

66 OBJIC. V. Qui poteſt pœnis coercere contumaces Epiſcopos, & ad quem pertinent negotia fidei, jura primatus habere convincitur, ſed Anaſtaſio, & Juſtino hæc convenire agnovit Sacerdotum primus Hormiſdas. Nam cum vellet emendatum Nicopolitanum Epiſcopum Sedi ſuæ reſtituere, Theſſalonicenſis obſtitit Epiſcopus; quem ut reprimeret, Imperialem opem implorat, rogans, ut iniqua molientibus obviet, moleſtias removeat, correctum foveat. Idem Hormiſdas *Epiſt.* 8., & epiſt. alia commendat Juſtino imperatori fidei negotium; ad hunc finem addens a Deo ad Imperium eum fuiſſe promotum. Sic arguit Spalat. *pag.* 110.

RESP. Sub Hormiſda, & Anaſtaſio plura elucent argumenta Primatus Apoſtolicæ Sedis, quem iteratis legationibus agnovit Oriens. Anaſtaſius ergo Catholicus apparere volebat, ſed non eſſe; unde Hæreticos fovebat, cauſamque fidei evertebat, Catholicos Epiſcopos ejiciens, Hæreticos promovens; propter quod Deus contra ipſum movit Vitalianum Scytham, qui exercitu ſuo militum Romanorum, Imperii plurimis partibus occupatis, Conſtantinopolim acceſſit; quem timens Imperator legationem miſit pro pace, ſub conditionibus expetitis a Vitaliano, celebrandi Concilium pro bono Eccleſiæ, & reſtituendi ad ſuas Sedes Epiſcopos Catholicos. Quare ſcripſit Romano Pontifici, ut illud indiceret, cum pertineret ad jus ſuum. Papa per Legatos reſpondit, aſſignando capita tractanda in Synodo.

Anaſtaſius Imp. fictusCatholicus.

[A] Sed cum Anaſtaſius ſincere non ageret; ſed ſimulationibus uteretur ad captandum Catholicorum animos, longo tempore detinuit Legatos, quos emendicato titulo remiſit ad Hormiſdam. Interim captata Conſtantinopolitanorum benevolentia inſurrexit in Vitalianum, quem vicit, & militari ſpoliavit Præfectura, ruitque in pejus uſque ad contemptum Sedis Legatorum, donec ultus eſt Deus impium ictu fulminis, cujus mortis genus ſibi prædictum acceperat; quodque, ut evitaret, media induſtria Procli mathematici ædificavit ædificium dictum *Totulum*, ſed fruſtra. Ex quibus claret pro nobis eſſe argumentum; ſiquidem ut Hæretici nominis notam refugeret, [B] pallio obedientiæ præſtandæ Romano Pontifici ſe tegebat Anaſtaſius; cui quidem Hormiſdas commendavit compreſſionem Theſſalonicenſis, poteſtate utens ſeculari contra legum Canonicarum refractarios.

Ad Juſtinum vanum eſt confugere, cum ſub ipſo cœperit fides floreſcere; quique auſpicatus eſt Imperium ab obedientia Romani Pontificis, cui litteras dedit; quem agnovit Judicem Controverſiarum fidei, ut conſtat ex *Epiſt.* 64. *Hormiſdæ*. Hoc idem fuſſus eſt Juſtinianus Comes *Epiſt.* 62. -- Hoc credimus „ eſſe Catholicum, quod veſtro Religioſo „ reſponſo nobis fuerit intimatum -- Romanæ Eccleſiæ, & fidei hoſtes adeo eſt inſecu- [C] tus Juſtinus, ut non timuerit Theodorici Regis Arriani potentiam, a quo Baſilicas abſtulit. Tam ſollicito ergo defenſori Eccleſiæ, & Hæreticorum malleo commendat Hormiſdas, ut opera pietatis, quæ alibi exercuit, exerceat etiam Antiochiæ, & Alexandriæ, eas Sedes purgando ejectione Hæreticorum Epiſcoporum -- Supereſt nobis adhuc Alexan„ driæ, atque Antiochiæ, & aliarum Eccle„ ſiarum nullo modo negligenda correctio; „ in qua, ſi ſuam curam clementia veſtra im„ miſerit, ſpes eſt, quo auctore bona cuncta „ credimus incipi, eodem celeriter auxilia- [D] „ tore compleri -- Et maxime neceſſarium erat robur ſecularis poteſtatis in tot Eccleſiarum calamitatibus, Hæreticorum potentia cæcitatis.

Juſtinus Imp. favet Eccleſiæ.

67 OBJIC. VI. Spal. *num.* 126. 148. 152. Juſtinianus præcepit aboleri libros Origenis, cujus dogmata anathematizavit: juſſit non ordinari Epiſcopos Monaſteriorum Hegumeni, niſi prius anathematizarent Hæreticos in ſuo libello expreſſos. *Collat.* 1. Synodi V. docet datam imperatoribus poteſtatem amputandi inſurgentes hæreſes medio Epiſcoporum cœtu; quod repetit *Novella* 6. *Et Novella* 137. docet eorundem eſſe curam [E] Canonum cuſtodiendorum contra quoſdam Eccleſiaſticos non viventes ſecundum Canones, & ſanctæ oblationis, & Bapriſmi orationem neſcientes. *Novella* 43. diſponit de ſepulturis. *Novella* 77. imponit omnibus, ut bene vivant. *Novella* 133. diſponit de honeſtate, & ornatu Monaſtico: ſed hæc ſunt propria ſupremæ juriſdictionis Eccleſiaſticæ; ergo Juſtinianus agnovit ſuprema ſibi jura competere Sacrorum.

RESP. Juſtiniani exempla ſunt juxta diverſitatem fidei, quam profeſſus eſt Imperator perpendenda. Optimum Imperio ſuo de-

dit initium a pietate, a fide, ab Hæreticorum vexatione, Templorum reſtauratione; quo tempore obedientiam præſtitit Romano Pontifici, agnovitque eum legitimum Judicem Controverſiarum; unde ortam quæſtionem unius de Trinitate paſſi detulit Joanni II. Papæ; eique ſuæ fidei formulam expoſuit; quam iterum ſucceſſori Agapito tranſmiſit; ſed cum eam particularibus verbis efformaſſet (omiſſis phraſibus communis formulæ) fuit modeſte admonitus -- Firmamus, laudamus, „ amplectimur; non quia in laicis auctori„ tatem prædicationis admittimus; ſed quia „ ſtudium fidei veſtræ Patrum Noſtrorum re„ gulis conveniens confirmamus, robora„ mus --

Quo monitu iterum fidem ſuam communi formula expreſſam tranſmiſit; ab eodem Agapito quædam poſtulat privilegia pro Africanis Eccleſiis, quæ non obtinuit, nec pallium pro Epiſcopo primæ Juſtinianæ. Sub hoc eodem ſtatu ſcripſit ad Mennam, ut libros Origenis proſcriberet, quæ epiſtola fuit a Romano Pontifice approbata, teſte Liberato *in ſuo Breviario cap.* 23. Sed ſua epiſtola non fuit niſi cooperatoris pro bono pacis.

Ceterum proſcriptio facta eſt a Menna, & Pelagio II. tunc Legatis Apoſtolicæ Sedis. Verùm plus juſto fraudulentis conſiliis Theodoræ Auguſtæ conjugis fidens, præceps ruit. Mortuo Epiphanio Antimum Eutychianum ſubſtituit CP. Sedi; Alexandrinæ, defuncto Timotheo, Theodoſium pariter Hæreticum ſuffecit, aliaque in præjudicium fidei uſque ad violentias contra Romanum Pontificem recuſantem petitiones ejus adimplere excogitavit. Reſipuit tandem, & Vigilio ſe reconciliavit; ſed ex Hæreticorum converſatione in pejora lapſus eſt. Sic Evagrius, Liberatus, Nicephorus.

Duplex tunc Secta exorta vigebat; Gajanitarum a Severo, Incorruptibilium ab Epiſcopo Halicarnaſſæo Juliano. Imperator ſibi Judicis nomen arrogans in rebus fidei, quid eſſet a fidelibus credendum definivit, peculiari quodam edicto Sectam Incorruptibilium confirmans: docuitque. Corpus Domini noſtri non fuiſſe obnoxium internecioni, naturalium affectionum haud particeps, eodem modo ante, & poſt paſſionem comediſſe, nullam converſionem, vel mutationem factam, ex formatione, vel naturalibus affectionibus, accepiſſe. Contradicentes Catholicos exagitavit ejiciendo a Sedibus, exilio plectendo; *Juſtinianus Imp. Eccleſiæ hoſtis.* donec ſentiens Divinam ultionem, poſt plurima Imperii damna, miſere interiit, ad tartara deductus; quamvis contra communem ſenſum Nicephorus teneat reſipuiſſe ante mortem, quam ob cauſam non ſit nomen ejus deletum e ſacris tabulis. Ex quibus apparet, quæ patravit in hæreſim lapſus vim non habere pro Laicocephalia.

Quantum verò ad leges, quas in ſuis Novellis conſtituit, plurimæ civiles ſunt adhuc in ſuo robore inſertæ corpori juris Cæſarei: Eccleſiaſticæ nonnullæ ſunt emendatæ; aliæ ſunt receptæ, illæ videlicet, quas decrevit (ut ipſe fatetur) ſecundum Canones; adeoque non ſunt, niſi in ſubſidium obſervantiæ Regularum Sanctorum Patrum.

68 OBJIC. VII. idem Spalat. *n.* 130. 131. 132. Carolus Magnus in reformatione ſui Cleri partes egit omnino ſupremas; conſtituit Epiſcopos, & Archiepiſcopos: juſſit quotannis congregari Concilia; miſit Legatos ad corrigenda, quæ corrigenda erant; hoc ſe facere debita auctoritate probavit ex facto Joſiæ, qui ſimilia fecit; filio Ludovico præcipuum monitum dedit, ut in omnibus Eccleſiam Dei gubernet, & defendat a pravis hominibus. Ludovicus Patris ſecutus doctrinam capitularia edidit pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtauranda, & pro pace, & unitate univerſalis Eccleſiæ: collectionem ſelectorum hominum indixit pro temperanda quæſtione circa cultum imaginum inter Occidentales, & Orientales, ut patet ex libello Synodi Pariſienſis. Carolus Calvus Ludovici filius, ut refertur a Baronio *fol.* 859. conſtituit Viſitatores pro Monaſteriis Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium cum auctoritate corrigendi, diſponendi, reformandi mores, reditus, veſtitum, victum, & cetera diſciplinæ regularis: ut reſerant Monaſteria, Abbatias dirutas, conſenſu populi reædificandas, ut referant, qualiter ſuis mandatis Prælati obedientiam præſtiterint; ut inquirant de capellis, & ædibus Dei in Beneficium datis propter inveſtituram accipiendam. Verum, quia Rex præcipit, Clericos, & luminaria ſecundum qualitatem inſtaurari, digreditur Marcus Antonius fuſo, ac acri ſtylo in Curiam Romanam, apud quam dirutæ Eccleſiæ ſine luminaribus, ſine Clericis in deriſum vergunt, quia ſumptus impenduntur non Divino cultui, ſed luxui &c. Sic idem Spalat. *num.* 113. 134., & Mornæus *cap.* 2. §. 29.

Spalatenſis cauſam, quam ratione nequit vincere, verbis involvit. Qui fuerint laudati Principes, toties audivit, ſed alia addamus. Carolus Magnus nullam novam condidit legem, ſed veteres reſarciri curavit pluribus Provincialibus Conciliis, & auctoritate Epiſcoporum, ut fatetur Ivo Carnotenſis *lib.* 2. *Hiſtoria Rhemenſis cap.* 16. Et ſi quando interfuit Rex, id evenit propter leges politicas, *Francorum Regũ pietas, & cultus erga Apoſtolicam Sedem.* ut pacifice omnia fierent: ideo ſuaſorio modo alloquitur Patres *in præfat. capitulorum* -- „ Placuit nobis veſtram rogare ſolertiam, ó „ Paſtores Eccleſiarum Chriſti -- Ideo legum illarum promulgationem vocat, non præſumptionem, ſed pietatis admonitionem. Ideo exemplo Joſiæ utitur, qui Sacerdotalia non uſurpavit munia, ſed Divina curavit adimplere præcepta. Ideo Romanæ Eccleſiæ *Defenſorem, & Humilem adjutorem* ſe appellat. Ideo Saxoniam a ſe devictam Sancto Petro conſecravit, collectam annuam Eccleſiæ Romanæ in Galliis indixit, a tyrannide Græcorum electionem Romani Pontificis liberavit, quater Romam venit Sedem Apoſtolicam veneraturus, muneribus ornaturus, defenſurus ab hoſtibus.

Sed quoniam vim facit Spalat. in electionibus Epiſcoporum, audiamus Carnotenſem *epiſt.* 47. qui ait -- Non licet Regibus (ſicut „ ſanxit octava Synodus, quam Romana Ec„ cleſia commendat, & veneratur) electio„ nibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel ali„ qua eas ratione impedire. Francorum enim „ Re-

„ Reges Carolus, & Ludovicus electiones E-
„ piſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, & in
„ Conciliis Provincialibus ſanciri permiſe-
„ runt -- Hac gravi auctoritate ſatisſit incu-
lenter dictis; eo vel maxime ſi addantur ſe-
quentia verba -- Habeat ergo Deus in Eccle-
„ ſia ſua principaliter quod ſuum eſt. Habeat
„ Rex poſteriori ordine poſt Deum, quod
„ ſibi a Deo conceſſum eſt -- quibus docet
poteſtatem non habere Reges circa Eccleſia-
ſtica negotia.

Si ea Tegano *de geſtis Ludovici cap.* 16.
Ludovicus patris exempla eſt ſecutus, deſtru-
xit, non ſovit Laicocephaliam. Ita plane:
unde Stephani V. ad pedes ter devolutus cla-
mavit -- Benedictus, qui venit in nomine
„ Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis --
Donationes a Carolo Sedi Apoſtolicæ factas
confirmavit *diſt.* 63. *cap. Ego Ludovicus*. Lo-
thario filio exempla Caroli propoſuit circa
deſenſionem Eccleſiæ Romanæ, eumque re-
darguit, cum ambitioſo æſtu raptus tentavit
eam vexare. Sua capitularia pro reſtauranda
diſciplina Eccleſiaſtica ſubdidit idem prius
Rex pro robore confirmationi Pontificis, ſicut
colligitur ex collectore Levita Benedicto *cap.*
96. -- Apoſtolica auctoritate, & ſynodali ſan-
„ ctione -- Occaſione legationis tranſmiſſæ a
Michaele Imperatore Græcorum circa cultum
Imaginum pro congregatione Doctorum in-
dicenda (non Synodo, ut ignoranter aſſerit
objectator cum Mornæo) conſuluit Eugenium
Papam. Porro libellus ille, qui inſcribitur
Synodus Pariſienſis de Imaginibus anno Chriſti
824. *in vetuſtiſſimo codice deſcripta, & in lu-
cem edita*, opus eſt Hæreticorum Francoſurti
editum anno 1546. Quod tale ſit, evincit
confuſa omnium rerum involuta congeries.
Uno verbo totus Rex iſte in Divinum cultum
erat affectus -- & Sanctæ Eccleſiæ exaltatio-
„ nem, itaut non modo Regem; ſed ipſius
„ opera cum vociferarentur Sacerdotem -- ut
ſcribit Aymon *lib.* 5. *cap.* 8.

Fatetur argumentator Carolum Calvum
preſſiſſe veſtigia Caroli Magni, & Ludovici:
concludat ergo Laicocephaliam abhorruiſſe,
ſubjectionemque exercuiſſe erga Sedem Apo-
ſtolicam. Hinc ad Nicolaum I. ſcribens, Ro-
manam Eccleſiam -- omnium Eccleſiarum
„ Matrem, atque Magiſtram -- vocat, ei-
demque filialem venerationem exhibet, tali-
ter ut admiratus Nicolaus reſcripſerit -- Im-
„ pletum videmus, quod Sanctus Job de Do-
„ mino loquitur, dicens: ſub quo curvan-
„ tur, qui portant orbem -- Ex obedientia
ejuſdem Nicolai ſovit cauſam Rhemenſium
Clericorum ab Hincmaro depoſitorum, eoſ-
que curavit ſuo gradui reſtitui. Cum objice-
ret Baſilius, Imperium illegitime tranſlatum
in Francus, quia novum: reſpondit non eſſe
uſurpatum, quod -- Dei nutu, & Eccleſiæ
„ judicio, ſummique Pontificis per impoſi-
„ tionem, unctionem manus obtinuit, ſicut
„ in codicibus ſuis invenire facile poteris --
Et cum inſtaret Orientalium Imperator, ut
a ſe titulum imperialem acciperet, ſubdit --
„ Quod a Deo per Summum Pontificem ac-
„ cepimus, ab homine profano, & laico ac-
„ cipere nolumus --

Quid hæc cum Laicocephalia? Capitula
verò illa ſucceſſione habita, non ſunt cuſa ab
ipſo Carolo Calvo auctore, Sacerdotibus aſſi-
dentibus, ſed ex Sacerdotio emanarunt, con-
ſiliante, adhortante, adjuvante Imperatore,
quæ Sedis poteſtati fuerunt ſubjecta; unde
acta illa, non ſolum ab Hincmaro, ſed dein-
de a ceteris Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam
fuerunt tranſmiſſa, poſtulata quoque ab ea-
dem Sede confirmatione. Nec valet ſi dicat,
quod poſtulatio confirmationis a Papa non
tollit, quo minus ſint Regia; nam vis cau-
ſalis ſtat in eo, quod agnoverint Patres ſubje-
ctionem Romano Pontifici debitam quoad va-
lorem legum Eccleſiaſticarum.

Minus item valet, quod Synodos Ro-
mana III. ſub Symmaco ſtuduit totis viribus,
ut Baſilius Imp. deleret legem adeo Eccleſiæ
proficuam, ne laicus haberet quidquam ſta-
tuendi facultatem; & tamen capitularia ho-
rum Principum laicali poteſtate edita, Papa
approbaverit. Non valet, quia & inde ar-
guitur primatus in Pontifice, qui abraſit le-
gem imperialem; & ideo non conſenſit Ba-
ſilio, quia hic ſuo auſu voluit illam legem
cum aliis Eccleſiaſticis facere, & ſuæ aucto-
ritati adſcribere: ſed non ſic Carolus, & duo
alii prædicti Principes. Quoad illam verò di-
greſſionem: nihil aliud dicendum eſt, niſi
quod proprium eſt canis lapidem mordere,
cum non poſſit ejaculatorem; & mulieircu-
larum conviciis inſurgere, & aggredi ſuorum
defectuum reprehenſores. Aliquorum crimi-
na communitatem non damnant; nec culpa-
bilis eſt veritas, quia veritatem nonnulli con-
culcant. Optime ad Ruſticum ſcribit Hiero-
nymus -- Non culpa eſt Chriſtiani nominis,
„ ſi ſimulator Religionis in vitio ſit; quin-
„ immo confuſio gentilium, cum ea vident
„ Eccleſiis diſplicere, quæ omnibus bonis non
„ placent &c. Ne conſideres, quid alii mali
„ faciant, ſed quid boni tu facere debeas --

69 OBJIC. VIII. Mornæus *oppoſitione*
40., & Spalatenſis *n.* 140. Henricus II. re-
darguit Epiſcoporum avaritiam, diſpenſat-
que, ut quod male acceperunt, retineant.
Theodorus Balſamon aſſerit ſe poſſe Epiſco-
patus in Metropolim erigere, a ſuis Metro-
politis alienare, novos Epiſcopos conſtituere,
apud Glabrum *lib.* 5. *cap.* 2., quia nec cano-
nibus, nec legibus ſubjicitur. Ad *Can.* 16.
Concil. Carthaginenſis, ea interpretatione
Trullanæ Synodi dicit ordinem Eccleſiaſticum
conſequi juſſa imperatoris; idem dicit ad *Can.*
12. Chalcedon. Hinc Andreas Nicopolitanus
juſſione principali, ideſt imperiali, ut loqui-
tur Greg *lib.* 12. *epiſt.* 2. judicavit cauſam,
ad quam Metropolim pertineret Eccleſia Ca-
ſtri Caſſiopl. Alexius Imperator *conſtitut.* 8.
fuſe hæc eadem aſſerit, ſibique omnia hæc
tribuit circa Epiſcopatus, etiam contra Ca-
nones. Item in ſuis conſtitutionibus *cap.* 8.
Angelus Imperator ſibi a Deo traditum in ita
jus ſtatuit.

RESP. Edictum Henrici executivum eſt
ſacrorum Canonum, quibus a ſacro miniſte-
rio arcentur ſimoniaca labe maculati -- Id-
„ circo quicumque veſtrum hujuſce ſe norunt
„ contaminatos, ſecundum diſpoſitionem ca-
„ nonicam arceantur -- Nec ipſe diſpenſavit
cum Simoniacis, ſed admonuit, ut ſibi de-
bito

bito modo conſulerent circa male acceptos gradus -- Ite, & quod illicite accepiſtis, be-
„ ne diſponere ſatagite, ac pro anima Patris
„ mei, qui hac noxa reus tenetur, attentius
„ intercedere ſatagite -- In tribus aliis exemplis agreditur controverſiam alio loco diſcutiendam, ad quem ſcilicet, vel ad quos pertineat Epiſcopatus electio, translatio, & Metropolitanurum conſtitutio, quæ cum ſine digreſſione nimis fuſa nonc tractari nequeant, ſummis labiis reſpondebimus allatis. Unum ſufficiat, ſecundum Canones ad Sacerdotium ſpectare.

Balſamonis auctoritas non premit, quia hic adverſus Romanam Sedem conſurgens, ut Conſtantinopolitanam eveheret, canonibus obedientiam negavit, Sedemque Apoſtolicam juribus ſuis ſpoliavit. Ex Croniate non eſt de Alexio curandum, ſi factus fidei hoſtis canones conculcavit. Qui Deum deſeruverat libidini ſerviens, & injuſtis oppreſſionibus ſubditorum, neceſſe erat, ut obedientiam ſubtraheret Eccleſiæ Matri. Ab Angelo in Dæmonem converſo, a Tyrannu Tracio quid capectandum, niſi uſurpationes? Epiſcupos e ſuis Sedibus legitimis dejecit pro libito, utque violationem canonum palliaret, uſus eſt artificio. Theodorum Balſamonem celebrem Juriſconſultum honorandi ſpecie ad Regiam evocavit, illique ſuaſit, ut id licere demonſtraret, quod & fecit, inducens ad ſubſcribendum Epiſcopos, qui deceptos ſe videntes in violatione Canonum, reclamaverunt, vocatique ab Imperatore ad thronum, invaſorem pronunciarunt. Sed qui alios ſpoliavit ſuo jure, Deo ulciſcente, Carcere incluſus fuit Imperio ſpoliatus, & vita.

His exemplis, velit, nolit, fatetur argumentator, non eſſe penes laicalem Poteſtatem Epiſcopatuum erectionem, translationem &c. cum nonniſi fractis Sacerdotalis ordinis canonibus hæc præſtitiſſe aſſerat prædictos Principes, Chriſto rebelles. Nec mirum, ſi ad Hæreticos confugiat; ſimile enim conſimili gaudet. Acuta ſane illatio: quia Schiſmatici Canones non recipiunt; ergo Canonibus non eſt obediendum. Dicamus & nos: quia Mahometanus non recipit Evangelium; ergo Evangelio non eſt obediendum: abſit. Quod interſerit de Andrea Nicopolitano, ipſum ferit; nam ex eodem Gregorio ibidem citato, juſſio imperialis ſolum adnitens erat; vera autem poteſtas a Papa fuerat, cui etiam confirmanda tranſmiſſa eſt ſententia. Obtruncavit verba Blaſphemus, ut obtruncaret veritatem.

70 DICES *idem* 136. 137. Valentinianus, Bamba, Otho III. Philippus Francorum Rex non fuerunt Hæretici, aut Schiſmatici, ſed iſti ſua auctoritate diſpoſuerunt de Epiſcopatibus; ergo &c. Prob. min. Valentinianus, ut Rubeus recenſet, Ravennatum Eccleſiam conſtituit Metropolim Æmiliæ, illique pallium Eccleſiaſticum donavit a ſuo Patriarcha recipiendum. Ex Actis *Act.* 5. Chalcedon. ex Græco Codice, Tyrenſis facta eſt Metropolis opere Imperatoris, & hoc clypeo ſe defendit contra Berytenſem. Tyro idem Concilium conſervavit jus, ut non eſſent duo Metropolitæ in eadem Provincia de conſenſu Marciani. Et ratio eſt, quia quas Urbes primates
A in politicis conſtituebat Imperator, eaſdem in Metropolitanas Eccleſias erigebat. Bambam laudat Baronius, quia diviſit Epiſcopatum Toletanum an. 680. Otho Gneſnenſem Eccleſiam in Polonia primam fecit quondam Epiſcoporum. *Epiſt.* 126. *ad Lucium* conqueritur Philippus, quod Papæ diſpoſitione in Britannia minori Dolenſis Epiſcopus factus ſit Archiepiſcopus contra jura Turonſis, doletque privari ſuo jure. Idem ſcribit Tornacenſi *Epiſt.* 127., *&* 159. Similes Epiſtolas dedit Regina Pontifici.

His curſim reſpondeo. Falſum eſt Ravennatum Eccleſiam ab Imperatore conſtitutam
B fuiſſe Primatialem Æmiliæ; quia a Gregorio Magno agnoſcit ſua privilegia, a quo & pallium accepit, quod non datur ſine honore Archiepiſcopatus; & ideo conſtituens Londinenſem, & Eboracenſem Metropolitas, in Angliam tranſmiſit pallium, ut conſtat *lib.* 12. *epiſt.* 25., & ex erroneo fonte deſumpſit Rubeus, qui citatur ab arguente.

Adulterinos partus pro legitimis ſupponit, affirmans Chalcedonenſem Synodum, ut legitimam approbaſſe diviſionem Tyrenſis, & Berytenſis Provinciæ, ut legitimo decreto Marciani conſtitutam, cum oppoſitum evenerit. Nam Tyrenſis exhibuit libellum que-
C relæ Marciano, qui deinde ad Synodum pervenit. Interrogant Judices, an ea lis terminanda ſit Sanctionibus Imperialibus, an Canonibus? Reſpondent Patres contra Canones -- Nihil pragmaticum valebit: Regulæ
„ Patrum teneantur -- Definitur ſecundum Canones, ſubſcribunt Epiſcopi, approbant Judices, præit obediendo Imperator. Falſum pariter eſt, eminentioribus Urbibus in politicis eminentiores Epiſcopatus fuiſſe conceſſos, ut plurima produnt monumenta, & ubi accidit, non fuit neceſſitas, ſed occaſio.

Quid credat graves Conciliorum fregiſſe leges Bambam illum, qui toties pro bono Ec-
D cleſiæ ſurrexit contra hoſtes, in ipſa regali unctione illuſtratus miraculo. Qui lethali potione ebibita extra ſenſum raptus, creditus moriturus ſecundom morem Hiſpaniæ, declaratum *cap.* 2. Concilii Toletani XII., induitur pœnitentiæ ſacco, videlicet Monaſtico habitu, quem ſenſibus reſtitutus noluit dimittere, vale dicens Regno, & declarans Regni ſucceſſorem, veneni propinatorem. Quare illius partitionis ſolum poſtulator, hortatur, proponens, & adjuvans fuit.

Ceterum Toletanum XI. *Canon.* 2. ſanxit legem, cui ſoli Epiſcopi ſubſcribunt, Abbates, & Subdiaconus unus · ubi nulla Regis
E ſubſcriptio. Hinc Concil. Toletano XII. *cap.* 4. (cum fretus potentia Principis Stephanus quidam vellet novam fieri ordinationem Epiſcopalis honoris, alludens cuidam Bambæ Edicto) Patres propter hoc, quia conſtitutionem contra Canones in medium protulit, jubent, ut ille Princeps humi proſtratus veniam petat: & quia in villulis, & vicis, levitatis conſilio aliqua diſpoſuerat, ut licentiam illam (quam inſolentem vocant) extirpent, adducunt Canones, & ſecundum illos contra prædictum dicunt ſententiam; unde habemus judicia fuiſſe Sacerdotalia. Quia

tamen

Digitized by Google

tamen nimis de facili aſſenſum præbuerant Patres petitioni Bambæ circa Toletanam Sedem in re, quæ videbatur injuſta, nunc ſeveritatem Canonum ſatagunt cuſtodire. Similiter in eodem Concilio Toletano XII. cum optaret Ervigius Rex reſtaurationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, obtulit libellum Patribus, & diſceſſit, ut liberum eſſet Synodo ſtatuere congruentia, ut patet ex ejus verbis -- Sana „ verborum examinatione diſcutite, ſaniori„ que judicio comprobate, ut collatarum ha„ bita prius deliberatione cauſarum diſcreta „ veſtri ordinis condatur probitas titulorum -- Unde *cap.* 1. habetur -- Annuente Principe „ noſtro Ervigio neceſſariò hoc Sanctum Con„ cilium definivit -- Patribus tribuitur definitio, Regi conſenſus, & poſtulatio; licet infra dicant Regis juſſu eſſe congregatos, quod intelligitur pro nutu, poſtulatione, & rogatione.

Erectionem Archiepiſcopatus Gneſnenſis ſua auctoritate non tentavit Otho, ſed poteſtate Legati Romani Pontificis (ut bene probat Baronius) quod deducitur ex *Epiſt.* 73. Gregorii VII., qui ſcribens Duci Poloniæ ait in ejus ditione nullum eſſe Archiepiſcopatum. Ut Spalatenſis vim ſolutionis enervet, dicit, factum Othonis plenum non habuiſſe effectum, nihilominus feciſſe quod poterat, & licebat. Verum inſtantia ferit arguentem. Quare non habuit effectum, ſi Otho habebat plenam auctoritatem diſponendi? Non aliunde fuit, niſi quia abſque ſufficienti licentia, & auctoritate fuerat inductus Legatus, unde obſtitit Sedes Apoſtolica.

Quoad Philippum aliqua habemus imitatione digna, aliqua toleranda. Tolerandum, quod aſſumpta Cruce proficiſcens Palæſtinam exactionibus gravaverit Eccleſias, de quo conqueritur Petrus Bleſſenſis ad Epiſcopum Aurelianenſem, & ad Decanum Rotbomagenſem. Sub Clemente III. decimas ab Eccleſiaſticis exegit; minante Legato Apoſtolico interdictum, niſi ſe componeret cum Rege Angliæ, ſprevit Pontificis auctoritatem. Cum Cæleſtinus III. ſuppoſuiſſet Regnum Interdicto propter repudium Gerbergæ Sororis Regis Daniæ, vexavit Epiſcopos, & Clericos, qui interdictum obſervabant, exilio, & ſpoliatione bonorum. Quare nil mirum, quod ſuboffenſus ſcripſerit Lucio III. in cauſa erectionis prædictæ Dolenſis Archiepiſcopatus. Imitandum habemus emendationem: nam cum Rege Angliæ ſe compoſuit, Gerbergam revocavit, ſuperato Othone ſpoliis ditavit Eccleſias; conquerentibus Magiſtratibus, augeri jura Sacerdotum, minus ſancte ſervata, unde potius erant minuenda, reſpondit, ſe nihil Eccleſiis poſſe negare propter aperta beneficia Dei, & manus victrices, ac proinde eorum jura ſervavit poſtmodum indemnia. Hæreticis Galliam purgavit, & Honorio monente, ſe, ſuumque Regnum Clientelæ Sedis Apoſtolicæ ſubmiſit, a qua benigne ſuſceptus eſt.

71 OBJIC. IX. Rex Jacob. *Apol. pag.* 28. Ludovicus IX. Sanctorum albo adſcriptus -- publica ſanctione, quam pragmaticam ap„ pellant, omnes Curiæ Papalis exactiones „ intra Regnum ſuum prohibuit -- Philippus Pulcher *in litteris Bonifacio VIII. datis* -- poſt „ ridiculam ſalutationem, initium in hæc „ verba concepit. Sciat tua maxima fatuitas, „ nos in temporalibus alicui non ſubeſſe -- non agnoverunt ergo hi Principes Primatum in Romano Pontifice. Sigiſmundus Imperator protectorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Conciliorum ſe appellat, & quod dixit, executus eſt. Cardinalis Cuſanus *de concord. cath. lib.* 7. *cap.* 40. docet, inſtitutione Divina poſſe Principes ſupremos providere de iis, quæ pertinent ad cultum Dei. Carolus V. Trevirenſi Synodo dedit formulam reformationis, quam ut rectam acceptaverunt Patres; & Trevirenſis Epiſcopus hæc habet -- „ Eam reformationis formulam juxta Cæſaris „ mandatum publicari, & perlegi omnibus „ vobis curavimus -- Idem ſtatuit, quod *interim* permitteretur Proteſtantibus communicari ſub utraque ſpecie, & uxores retinere. Porro *interim* fuiſſe legitimum conſtat, cum tres Archiepiſcopi electores, & Auguſtanus publice eum laudaverint. Ita Spalat. *n.* 135.

RESP. Nomen Ludovici IX. ſufficeret ad eliminandam quamcumque ſuſpicionem minus rectam in Romanum Pontificem, quem, ut ſalutaret, Lugdunum ſe contulit, cui contra Fridericum, ceteroſque fidei hoſtes ſua omnia obtulit; & cum aliud ſub Gregorio IX. Romæ foret indictum Concilium contra eundem Fridericum, ſuos libenter tranſmiſit Epiſcopos, & graviter indoluit contra Imperatorem, quod intercepiſſet, quos Pontifex evocaverat. *In tomo 6. Bibliothecæ Sanctorum Patrum in fine* legitur ſanctio quædam ejuſdem Regis, favens ſatis juriſdictioni Eccleſiaſticæ, & liberæ proviſioni beneficiorum ſecundum Canonum obſervantiam. Cum ejus Legatus ſponte impetraſſet a Papa Eccleſiarum Cathedralium Bullam proviſionis, Rex in ignem eam projecit, dicens -- Gratias non „ agimus tibi de his, quæ in periculum ani„ marum noſtrarum impetraſti, videlicet, ut „ Eccleſiis provideamus -- Sic refert Rebuff. *in concordatis, in proœmio* §. *Quadam nobis, verbo Optamus*. Procul ergo aberat ab uſurpatione ſpiritualis Poteſtatis, qui impetratam a legitimo Capite recuſavit. Nec evulgata ſanctio exactiones abſolute prohibet, ſed -- „ exactiones, & onera graviſſima &c. col„ ligi nullatenus volumus, niſi pro ratio„ nabili, pia, & urgentiſſima, & inevitabili „ neceſſitate -- Quæ non ſunt contra voluntatem Papæ, cui diſplicent oneroſæ exactiones. Unde cum Gualo Legatus Innocentii III. eſſet accuſatus, propter avaritiam collegiſſe ſummam pecuniæ gravem ab Eccleſiaſticis Angliæ, & Scotiæ, Romam vocatus, a Pontifice punitus eſt.

Novimus turbulentias interfuiſſe inter Philippum, & Bonifacium VIII., quæ calamum acuerunt: verum nunquam receſſit ab obedientia in ſpiritualibus; & propoſitio allata exceptionem expreſſe temporalium facit; & cum manus fuiſſent injectæ in Bonifacium, non bene ſenſit, nec auctor agnoſci voluit. A Benedicto XI. ſucceſſore Bonifacii abſolutionem petiit a cenſuris, præmiſſa prius cognitione cauſæ. Genebrardus *in Chronolog.* cum aliis quibuſdam Gallicanis Scriptoribus,

a vio-

a violentia Bonifacio facta nunquam deinceps Regem proſpere ſe habuiſſe, aſſerit, ſicut a quodam Epiſcopo fuerat prædictum.

Sigiſmundum admittimos Protectorem Eccleſiæ, & Conciliorum, & Primom, quia ſupremus inter Principes; at ſi Protector: non ergo principalis, non Primas, cui conveniat juriſdictio Eccleſiaſticæ Poteſtatis. Quod diait, eaercuit procurando Concilium Conſtantienſe pro reprimendis Hæreticis Boemis, & pro tollendo ſchiſmate trium Pontificum, quod in perniciem extremam Eccleſiæ vergebat. Nihil attamen in hoc facto eſt, quod Primariam auctoritatem ſpiritualem indicet.

Cardinalis Cuſanus ea illis eſt, qui ſcribebant tempore ſchiſmatis Conſtantienſis, & quæ cum aliquo ardore dicta videntur, appellant ad caſum illum. In aliquibus eſt reprobatus; at in omnibus ſubmiſit ſcripta ſua aliorum judicio. Ait enim -- Nihil de meis „ conceptibus adeo firmum aſſero, quin pe„ ritioribus dicam potius acquieſcendum -- *lib. 2. cap. ultimo*.

Simile patrocinium, & miniſteriale opus ſignificavit Conſtantinus Pogonatus, ubi ait *Epiſt. ad Donum in Epiſt. Leonis* -- Præci„ pue verò nobis curæ eſt Sanctarum Dei Ec„ cleſiarum ordo, aſſidueque hoc proſpici„ mus, ut unitatem fidei conciliemus -- & ideo Dono Pontifici Romano ſcripſit, ut ſua auctoritate remedium poneret hæreſi Monothelitarum.

Formula Trevirenſi Concilio eahibita per Carolum V. non declarat, aut probat Supremitatem juriſdictionis ſpiritualis, ſed procurationis, & defenſionis, ne res Eccleſiæ totaliter ruerent; quod verbis rotundis ipſe faſſus eſt in edicto Wormatienſi -- Ad tute„ lam, & protectionem Eccleſiæ Romanæ „ omnes noſtras vires, & facultates, Impe„ rium, Regna, Dominium, vitam denique, „ & animam ipſam eaponere parati ſumus -- Dum *interim* evulgavit paſſus eſt humanitatis conditionem, & abſque dubio defecit, non quia uſurpare voluerit, vel crediderit, ſe habere auctoritatem ſpiritualem, ſed quia conditiones illas non debebat admittere pro tempore, quo Concilium expectabatur, quod verum erat Tribunal fidei ſub præſidentia Papæ. Omitto cetera Spalatenſis *a num.* 162. *ad* 174.

72 OBJIC. X. Et ſunt momenta, quæ preſſius favere videntur Jacobi Regi Angliæ. Henricus I. Epiſcopatum Wintonienſem Willelmo Gifford conceſſit, de redditibus ad Epiſcopatum ſpectantibus eum inveſtivit, dedit Radulpho Cantuarienſem Sedem, eumque per anulum, & baculum inveſtivit, deſtinavit Epiſcopos quoſdam ſui Regni ad Concilium Rhemis, quod tenebat Papa Caliſtus. Turſtanus Eboracenſis Paſtor electus, licentia a Rege impetrata, ſub conditione, quod a Concilio non acciperet benedictionem, ad Concilium ivit, & cum a Papa fuiſſet conſecratus, a Rege ſua ditione expellitur: agnovit ergo juriſdictionem Eccleſiaſticam penes ſeipſum. Ita Apolog. *pag.* 31.

Licet juribus, non exemplis ſit ferendum de veritate judicium, & ratio ſit exemplis præponenda, Auguſtino teſte *lib.* 1. *de Civit. cap.* 23. tamen, quia hæc vulgares homines efficacius movent, ne decipiatur plebs, placet objectis reſpondere, præmittendo, quod ſi Jacobo licet ex quatuor Regum exemplis tutam ſuam eſſe cauſam, nobis ex pluribus licebit concludere noſtram eſſe omnino certam. Nec dicere juvat eos fuiſſe impotentes ad reſiſtendum. Cum enim validos comparaverint exercitus contra exteros Reges, optime poterant contra Papam ſtare, armis non aſſuetum, ſolis ſpiritualibus armatum. Nec quos enumerat, viribus temporalibus Sedi Apoſtolicæ reſtiterunt. Suos vero Prædeceſſores vocare cæcos, & ignorantes, nihil aliud eſt, quam aſſerere ſibi ſoli affulſiſſe fidei lucem, novoſque Puritanos electos eſſe Prophetas, & Apoſtolos Evangelii, quod latuit pauperculos illos fideles ab Auguſtino Baptizatos, qui tanto labore fidem Catholicam ſtuduerunt propagare.

Vere novi Donatiſtæ ex paucorum exemplis, qui defecerunt ſalva unitate Eccleſiæ, arguunt contra Eccleſiam ipſam Catholicam. Cyprianum inculcabant illi docentem rebaptizandos eſſe lavatos ab Hæreticis: unitatem Cypriani cum Eccleſia inculcabat Auguſtinus, quam ipſi dilacerabant. Objicit trium, vel quatuor forte errantium facta Apologiſta, ſed illos errantes cum unitate Eccleſiæ Romanæ, quam Caput agnoſcebant, conjunctos opponimus ipſi, qui omni modo eam diſſolvit, & lacerat. Sed directe argumento ſatisfaciamus ex Rogerio de Honeden. *pag.* 2. *Annal. in Henrico I.* Uſurpat quidem inveſtituram Eccleſiarum Henricus, ſed obſtat forti pectore Cantuarienſis Præſul Anſelmus, recuſatque communicare cum electis a Rege.

Gerardus Eboracenſis mandato Regis obediens accedit ordinare Giffordum, & Rogerium, ſed Willelmus Giffordus contemnit Eboracenſis unctionem, unde exilium patitur, aliis inconſecratis remanentibus. Quare hiſtoriæ corruptor deprehenditur argumentator. Sed reſpuit Rex, ſtatuitque in Synodo Londinenſi, ut ex tunc nullos in Anglia per Regem, aut laicam manum inveſtiretur, & ipſe Giffordus, & alii fuerunt ab Anſelmo conſecrati.

Radulphus Rege annuente communi ſuffragio electus fuit, non obſtante, quod Farinum propoſuiſſet eligere: Radulpho ex Apoſtolica Sede pallium attulit Anſelmus Legatus, nepos Anſelmi Archiepiſcopi. Romam ante hæc miſit Rex, ut inveſtituræ concederentur, cui Pontifex conceſſit ab electis homagia excipere, non autem inveſtire per baculum, & anulum. Ita Willelm. Malpes 6. *lib.* 1. *de geſtis Anglorum Pontificum*. Concilium, ad quod Epiſcopos miſit, Caliſtus indixerat, in quo quarumlibet Eccleſiaſticarum poſſeſſionum inveſtitura fuit prohibita, per manum laicalem facienda. Laicus quicumque deinceps inveſtiens anathemate ligatur; inveſtitus gradu accepto privatur.

Ex Rogerio *cit. pag.* 2. Pergente Turſtano ad Concilium, prævenit Rex Papam Legato ſuo, rogans, ne ipſum conſecraret, vel non ab alio conſecrari permitteret, quam a Cantuarienſi. Sed cum Caliſtus, ut nulli faceret injuriam, conſecraſſet Turſtanum,

com-

commotus Henricus ejecit e ſuo dominatu conſecratum. Charitative admonitus a Papa, ut exulem reduceret, recuſavit. Tunc præcepit, ut abſque mora eum reſtitueret; & cum differret reſpondere, ſubjecit interdicto Cantuarienſem, & Eboracenſem Eccleſiam, permittens ſolum parvulorum Baptiſma, niſi a menſe acceptarum litterarum abſque ulla vexatione ſuam reciperet Eccleſiam Turſtanus, & Pontifex. Rege obediente, libertati donavit Eboracenſem. Hic videmus Regem obedire Papæ, non autem e contra.

73 OBJIC XI. Eduardus I. præcepit Abbati de Waltham, & Decano Eccleſiæ S. Pauli, ne decimas cujuslibet bonorum colligerent pro bello Jeroſolymitano, etiamſi ter id Papa præcepiſſet, & Decanos mortuo Abbate promiſit ſe facturum, quod præcipiebat Rex: triumphatque arguens, quia tenere ſe aſſerit hominem Eccleſiaſticum Pontifici non obedientem, ſed Regi. Cum Abbas de Walden Romam citaſſet Abbatem Sancti Albani, ab Eduardo II. vocatur ad dicendam cauſam, & vinculis oneratur. Sic Rex *in Apolog. pag.* 31., *&* 32.

RESP. Si ex rebellione, ſi ex inobedientia unius, vel alterius valet argumentum pro negando in Superiore jus debitæ juriſdictionis, actum eſt de Regno temporali Angliæ, in quo toties contra Regem inſurrexerunt ſubditi: quinimo actum eſt de quolibet Principe Seculari, & Eccleſiaſtico; quia nullus uſque adhuc extitit adeo felix, quin aliquem habuerit ſubditum, ſuis legibus non obedientem. Abſque dubio pro providenda Paleſtina poterat Summus Pontifex decimas ab Anglis exigere, & debebat Rex ſolvere, ut toties fecerunt alii Principes. Sed liceat inobedientis Regis exemplo, obedientis opponere factum.

Cum Bonifacius VIII. legem tuliſſet, ne Principes gravarent Eccleſiaſticos oneribus tributorum; & Eduardus Sacerdotibus quædam impoſuiſſet, hi reſtiterunt, dicentes, licitum non eſſe, & contra legem Papæ. Inter hos eluxit fortitudo, & virtus Roberti Cantuarienſis uſque ad injurias, & bonorum amiſſionem; & taliter Regi reſtitit, quod conſtantiam admiratus Rex in amicitiam receperit Robertum, & ipſi curam Regni reliquerit, in Flandriam profecturus.

Sub Stephano Rege, qui Eduardum præceſſit, celebratum eſt Londini Concilium pro immunitate Eccleſiæ, in quo inter alia ſtatutum eſt, quod violentas manus injiciens in Clericum non abſolveretur, niſi a Papa, & non ab alio, ex Rogerio citato *pag.* 1. *in Stephan. Reg.* Quibus exemplis fortioribus iis, quæ Jacobus objicit, nullum habuiſſe jus Britannos Reges circa Eccleſiaſtica conſtat. Eduardi II. auctoritas non urget, vel æque eſt contra poteſtatem politicam. Æque enim iſte Princeps pernicioſus fuit Eccleſiæ, & Regno, propter quæ a ſuis pulſus fuit a Regno.

74 OBJIC. XII. Eduardus III., Prædeceſſorum ſuorum premens veſtigia, ſtatuit legem, ne quis impoſterum obtineat Sacerdotia a Romano Pontifice, niſi per appellationem ad eum ea deferret, tulitque pœnam in tranſgreſſores.

Pariter Riehardus II. tulit decretum,
A quo cavetur, ne quis beneficium a Pontifice Romano impetraret ſub pœna amittendæ Regis tutelæ, concluditque arguens -- Paucis „ hiſce exemplis, ſatis, ut opinor, apparet, „ me omni calumnia liberatum, neque ambitione, aut novandarum rerum ſtudio quidquam eſſe molitum, quo aliquid Pontifici „ debitum ſubtraherem -- Idem Rex *pag.* 33., *&* 34.

RESP. Legem Eduardi III. eſſe quidem injuſtæ uſurpationis, non tamen excludit a Primatu Romanum Pontificem, ſed eum aſſerit, cum per appellationem ipſi cauſas deferendas eſſe agnoſcat; a minori enim ad
B majus Tribunal datur appellatio. Huic auſui ſe oppoſuit Gregorius XI., & cum Eduardo egit de abrogatione. Sed orto ſchiſmate trium Pontificum, nullus fuit Papa, qui inſiſteret, donec Martinus V. de hoc negotio Henrico IV. efficacius dedit litteras. Ceterum Edoardus III. plurimi fecit dignitatem Pontificiam. Nam cum Bavarus Imperator Ludovicus ipſum Vicarium Imperii elegiſſet, honorem hunc recuſavit, ne diſpliceret Benedicto XII., qui cum Bavaro non bene ſe habebat. Cum fœdus ſtatuiſſet cum Rege Galliæ jurejurando ſancitum, voluit Pontificia auctoritate confirmari. In Concilio Londinenſi juramento
C ſe obligavit Sacerdotibus ſe curaturum conceſſionem Romani Pontificis, ut ipſis liberum eſſet habere, quos vellent Epiſcopos, & Præfectos.

Richardus II. non debet adduci in exemplum, cum fuerit publicus Eccleſiaſticæ Immunitatis profanator; nec vindictam Divini Judicis aufugit, qui adeo vexatus fuit, ut maximum beneficium duxerit abdicare ſe Regno: & tandem fame necatus eſt, ut refert Pollidor. Virg. in Richardo II.

Verum datis ultro hiſce exemplis, a calumnia non dicetur Jacobus immunis, quia nullus ex ſuis Prædeceſſoribus ante Henricum
D VIII. ad eam pervenit temeritatem, ut in ſuo Regno ſpiritualis juriſdictionis Primatum habere præſumpſerit, & ſuos ſubditos coegerit jurare, Regem unicum, & ſupremum Gubernatorem eſſe tum in politicis, tum in ſpiritualibus, ſicut ipſe auſus eſt.

Deinde *pagina* 39. proſequens Rex conqueritur ſe a Bellarmino vocatum Hæreticum, ſpondetque, ſi privatæ perſonæ cauſam teneret, quod non convinceretur in Conclavi Cardinalium, ſi ex noſtris antiquis Canonibus judicium foret exercendum, aſſeritque, ſe non eſſe Apoſtatam, cum nunquam deſeruerit fidem ab incunabulis ſuſceptam, quæ fuit Pa-
E tris, Avique paterni: & cum in noſtra Eccleſia nunquam fuerit, ex noſtris regulis proprie Hæreticus dici non poteſt.

Verum ſi antiquis decretis ſtare vellet, de facili convinceretur Hæreticus. *Diſt.* 22. *cap. Omnes*, dicitur, Eccleſiam Romanam inſtituiſſe quaſcumque aliarum Eccleſiarum dignitates primarias, ipſam verò a Domino fundatam: deinde ſubditur -- Unde non eſt dubium, quin quiſquis cuilibet Eccleſiæ jus „ ſuum detrahit, injuſtitiam facit: qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo „ ſummo omnium Eccleſiarum capite tradi-

„ tum auferre conatur, hic proculdubio in
„ hæreſim labitur; & cum ille vocetur inju-
„ ſtus, hic eſt proculdubio dicendus Hære-
„ ticus. Fidem quippe violat, qui adverſus
„ illum agit, quæ Mater eſt fidei; & illi con-
„ tumax invenitur, qui eam cunctis Eccle-
„ ſiis prætuliſſe cognoſcitur -- Sed privilegium hoc Romanæ Eccleſiæ conceſſum non ſolum negat, ſed ſibi arrogat in ſuo Regno Rex Jacobus; ergo convincitur Hæreticus.

Non ſalvatur ab Apoſtaſia, etiamſi concedatur, non deſeruiſſe fidem, quam ab incunabulis didicit. Nam Apoſtaſia importat retroceſſionem a Deo, & Apoſtaſia a fide retroceſſionem a Religione, quam profeſſus eſt per Baptiſmum, & a Duce, cui ſubmiſit ſe per lavacrum in verbo vitæ, ſed Jacobus retroceſſit a Religione, & a Duce, quem eſt profeſſus per Baptiſmum; qui regenerat Matri Eccleſiæ Romanæ; ergo. Si verò negat ſe eſſe Apoſtatam, quia nomen Chriſtiani non dimiſit, quæſtio erit de nomine. Volunt enim aliqui ad veram Apoſtaſiam requiri tranſitum totalem a Chriſtianitate, idest, quod aliquis fiat Gentilis, Turca, vel Hebræus.

Alii tamen hoc negant, ſed ſufficere aſſerunt tranſitum a profeſſa Religione, eſſeque circumſtantiam aggravantem peccatum hæreſis, addentem præciſe pluralitatem aliquam errorum ſupra ſimplicem hæreſim: & de facto in jure videntur puniri eiſdem pœnis Hæretici, & Apoſtatæ, ut habetur *cap. Contra Chriſtianos, de Hæreticis in 6.* Crediderim utroque modo dici veraciter Apoſtatam a fide; ſicut veraciter dicitur Monachus Apoſtata, ſive deſerat profeſſam regulam dimittendo habitum, & contra vota ducendo uxorem; ſive deſerat retinendo habitum, & ſervando caſtitatem; licet inæqualibus pœnis puniatur. Qui aſſerunt eſſe ſpeciem diſtinctam ab Hæreſi, Judaiſmo, & Paganiſmo, volunt qualitatem Apoſtaſiæ eſſe de neceſſitate exprimendam in confeſſione; qui aſſerunt eſſe circumſtantiam ſolum aggravantem additam Hæreſi, Paganiſmo, vel Hebraiſmo, negant eſſe de neceſſitate exprimendam in confeſſione. Hoc ſecundum tenet D. Thom. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *ad* 3.

Procedit ulterius Rex *pag.* 36. ut hæreſis calumniam diſſolvat, aſſerens Mariam Matrem ſuam, licet vixerit in ea fide, in qua fuit ab infantia enutrita, nihilominus abhorruiſſe a craſſioribus Papiſtarum ſuperſtitionibus, & nuperis Jeſuitarum; unde noluit, quod Archiepiſcopus ipſum Baptizans uteretur ſaliva; & fuiſſe ab Eliſabetha per Legatum a fonte ſuſceptum. Addit, ſe a ſua Matre tot acceptis litteris nunquam fuiſſe ad Pontificiam Religionem adhortatum.

Has perſolvit grates Matri ſuæ vipetina progenies. Hæreticam vult mundo declarare, cujus fidei puritatem totus mundus admiratus eſt, quam publico ſupplicio pro Pontificia fide mori conſpexit. Superſtitiones, & nuperas vocat ſacras Baptiſmatis ceremonias, quas venerata eſt Antiquitas, totque myſteriis plenas Patres demonſtraverunt.

Matrem ſuam totis viribus ſtuduiſſe, ut ab hæreſi ipſum evocaret, declarant repetitæ epiſtolæ Romam tranſmiſſæ, & aſſervatæ, in quibus exprimit deſiderium ſummum revocandi Regnum, & filium ab hæreſi; & quæ noverat ſui muneris non eſſe Archiepiſcopum docere, ſacrarum ceremoniarum venerabunda, nec cogitavit de admonendo Epiſcopo. Quod Jacobus epiſtolas exhortatorias non receperit, non eſt, quia non dederit Mater, ſed cum carcere detineretur ab impia Eliſabetha, ſimiles epiſtolæ intercipiebantur, & forte aliæ ab Hæreticis confictæ nomine Matris ſignatæ tradebantur. Nil mirum deinde, eum in hæreſi fuiſſe enutritum, qui a Patrino Hæretico; a quo eruditus eſt, fuit ſuſceptus.

Progreditur iterum, dicens, Matrem ſuam ultima verba ſibi dediſſe per nobilem virum Scotum (quo utebatur pro legationibus tranſmittendis) quibus ei aſſerebat, nolle vehementius adhortari ad ſua ſacra, niſi mutationem illam conſcientiæ ſecreta vis perſuaderet. Deinde addit, ſi probe viveret in ſua fide, bene ſibi agendum; ſe non eſſe Hæreticum, cum ſit eodem ablutus fonte in nomine Trinitatis; credat in tria Symbola; admittat quatuor prima Concilia &c. Sed contra:

Mater, quæ conſtantiſſima vixit, & obiit in vera Chriſti fide, ultimo mandato verba illa non dedit; credidiſſet enim fidem Catholicam non eſſe filio neceſſariam ad ſalutem. Deinde ſincera mortis ejus relatio Pariſiis edita oppoſitum docet. In ea enim apparet, eam ſummopere deſideraſſe ultimis ſuſpiriis educationem filii in Religione Catholica. Elvinus, qui erat Internuntius, Hæreticus erat, qui tunc fortaſſe apud Reginam fidem ſimulabat, pervertebatque mandata Dominæ ſuæ, ut apparet ex eo, quod dictaverit doctrinam vere Calvinianam, ſcilicet, regulam credendorum eſſe conſcientiam; quod alibi jam impugnavimus.

Vivat quomodo velit; ſi extra Chriſti Eccleſiam, ſemper ſibi male aget. Qui extra Arcam Noe ambulat, non ſalvatur a Diluvio. Qui panem comedit extra hanc domum, profanus eſt: nec Patrem agnoſcit Deum, qui Matrem Eccleſiam neſcit: nec Baptiſmi ſuſceptio ab hæreſi excuſat, qui myſteria ab Eccleſia tradita, cujus janua eſt Baptiſmus, conculcat. Lutherani, quos Hæreticos vocant Calviniſtæ, pluresque veteres Hæretici, ab ipſo Jacobo damnati, abluti fuerunt in nomine Trinitatis, nec tamen Catholici. In tria Symbola non credit, qui unam Sanctam Eccleſiam non admittit, qui fidei unitatem tollit, communionem Sanctorum ignorat, qui Sanctorum cultum ſpernit. Quatuor prima Concilia Anglicano Primatui obeſſe, ſatis ſuperque eſt demonſtratum.

CON-

CONTROVERSIA IV.

AN PATRUM AUCTORITATE JUDICIARIA FIDEI POTESTAS CONVENIAT REGIBUS,

SEreniſſimus Apologiſta *pag.* 38. aſſerit, ſe Patribus ſtare, & nullo modo eos audere reprehendere, Sic enim ait -- „ Patribus autem eam venerationem exhibeo, qua nec ipſi majorem optarent; nec „ Jeſuitæ parem umquam detulerunt. Quidquid enim quadringentis poſt Chriſtum annis noanimi conſenſu Patres ad æternam ſalutem eſſe neceſſarium ſtatuerunt, aut cum iis ita eſſe ſentiam, aut modeſto ſilentio obmoteſcam: reprehendere certe non audeo --

Ur ergo ad evidentiam de Lalcocepalia uſurpata Rex convincatur, in hac controverſia aſſeremus Patrum auctoritates primorum ſeculorum; quamvis labor ſit inutilis pro evincendis Hæreticis contra lucem contumacibus; quia cum premi ſe vident, ſpernunt Patres, ut patet in Kemnitio *de lectione Patrum*, in Beza *cap.* 23. *Actorum Apoſtolorum*, in Luthero contra Henricum VIII., & in aliis Hæreticis. Ipſe Rex Jacobus *pagina* 39. fatetur, nolle ſe adſtringi privatis Patrum auctoritatibus, cum & ipſi Patres pugnent ſententiis contradictoriis; excipitque ſe velle uti cautione Auguſtini circa ſcripta Patrum, ut cum ſcribunt congrue ad ſcripturam, libenter audiat; reſpuat, cum non congruunt. Hoc eſt diabolicum inventum ad eludendam, & vim Patrum, & vim Scripturæ, quam non admittunt, niſi prout ipſis placet, niſi ſuo modo explicatam. Nihilominus ſi non prodeſt ſtudium pro adjuvandis aberrantibus ob eorum culpam, proderit nobis, cum videamus communem Patrum conſenſum pro fide noſtra, immo Eccleſiæ approbationem, quæ eſt cautio Auguſtini. Unde

75 Dico. Patrum quatuor primorum ſeculorum unanimi conſenſu judiciaria fidei Poteſtas non convenit Regibus. Prob. Induct. præcipuorum; Anno 71. Ignatius Martyr *Epiſtola 7. ad Smyrnenſes* docet, primum honorem deberi Deo, ſecundum Epiſcopo, tertium Regi.

Anno 340. Athanaſius *ad ſolitariam vitam agentes*, contra Conſtantium in favorem Arrianorum judicia Eccleſiaſtica uſurpantem ſcribit -- Nam ſi iſtud eſt judicium Epiſcoporum, quid cum eo commune habet Imperator? Sin contra, iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando a condito ævo auditum eſt? Quando judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando unquam hoc pro judicio agnitum? &c. Paulus habebat amicos in Cæſaris familia, & per eos in litteris ſalutabat Philippenſes; non tamen in judicio eos ſocios aſſumpſit. Nunc autem novum ſpectaculum ab Arriana hæreſi editur &c. Quis videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non merito dicat, illum, eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ a Daniele prædicta eſt -- Quid melius pro uſurpato Primatu Britannico?

Nec valet reſponſio Regii Apologiſtæ contra Athanaſium inſurgentis contumeliis, cum dicit eum loqui de intrinſeca auctoritate Eccleſiaſtica Sacerdotum, non autem de extrinſeca, quæ abſque dubio a Cæſare eſt. Scimus enim morem eſſe male litigantium, inſurgere maledictis in Judicem, a quo juſte damnantur. Ceterum verba Athanaſii ſunt clara, & externam Poteſtatem manifeſte tangunt. Præſidere Epiſcopis, convocare Concilia, judicare cauſas Epiſcoporum, definire res fidei &c. utique in principiis Sereniſſimi, exterioris juriſdictionis acta ſunt; & de iis ſermonem facit Sanctus Doctor: quare fictitium eſt effugium.

Anno 350. Hoſius (ut recenſetur inter epiſt. Athanaſii) Columna fidei adeo celebris in tot Synodicis congreſſibus, in Epiſtola ad Conſtantium, veritatem noſtram egregie propugnat. Inſurgit item contra Imperatorem ſe immiſcentem Eccleſiaſticis, exemplo Conſtantis, & Valentis, qui nunquam judiciis Eccleſiaſticis interſuerunt timore Divini judicii, Scripturæ doctrinâ dicente: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari &c.* ſubdens -- Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit --

Voluntaria eſt Regis reſponſio, reprehendi Conſtantium jure merito propter injuſtitiam commiſſam, compellendo Epiſcopos ad confirmandam hæreſim Arrianam, & condemnando Athanaſium abſentem, & inauditum, quem præſentem abſolverat: non autem redargui Conſtantium, quod Eccleſiaſtica judicia tractet, quod optime poteſt. Textus clarus eſt; nulla ibi mentio de injuſtitia, bene verò legitur ad Laicum non pertinere ſe immiſcere Eccleſiaſticis tractatibus.

Anno 370. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſi* 17. habet -- Ad hodiernam uſque diem cernimus, mundanos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis -- Si Eccleſiaſtici regunt Reges in Spiritualibus; ſunt Reges ergo ſubditi, inferioreſque in illis.

Anno 380. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 17. ad Cives ſuos, & Præfectum, quem libere redarguit, ita ait -- Nam vos quoque Imperio meo, ac Throno lex Chriſti ſubjecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo, etiam præſtantius, ac perfectius; niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere -- *Oratione 6.* idem aſſerit.

Eccleſiaſticum Imperium præſtantius Seculari.

Anno 398. Chryſoſtomus *hom.* 4. *de verbis Iſaiæ* ſcribit -- Alii ſunt termini Regni; alii termini Sacerdotii. Hoc Regnum illo majus eſt; neque enim ex his, quæ videntur hic, declaratur Rex: neque e gemmis illi affixis; neque ex auro, quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea, quæ ſunt in terris, ſortitus erat adminiſtranda: ceterum Sacerdotii jus a ſupernis deſcendit. Quæcunque ligaveritis &c. Regi ea

Jus ſacerdotii aliud à jure regio.

„ quæ ſunt hic, commiſſa ſunt, mihi cæle-
„ ſtia. Mihi, cum dico, Sacerdotem intel- A
„ ligo &c. Major hic Principatus: propterea
„ Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis -- *&*
lib. 3. de Sacerdotio -- Habent & terreſtres
„ Principes vinculi poteſtatem, ſed corporum
„ ſolum. Id autem, quod dico, Sacerdotum
„ vinculum Ipſam etiam animam continet,
„ atque ad Cœlos uſque pervadit &c. -- Idem
habet *Hom. 83. in Matth.*

Anno 430. Cum Valentis Præfectus vellet ſe cuidam tractatui Eccleſiaſtico immiſcere, ſuaviter quidem, ſed efficaciter redarguitur ab Eulogio Epiſcopo his verbis -- Num-
„ quid Valens cum Imperio eſt etiam Sacer-
„ dotii dignitatem conſecutus? -- Quorum B
ſenſum Intelligens Præfectus, offenſus addit --
„ Non iſtud dixit, o ſtupide, ſed vos, uti
„ quibus cum communicat Imperator, cum
„ iiſdem communicetis, adhortatus ſum --
Refertur a Theodoreto *lib. 4. Hiſtoria Eccleſiaſtica cap. 16.*

Anno 250. Cyprianus *lib. 1. epiſt. 3.* hæreſum radicem innuens dicit -- Neque enim
„ aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt
„ ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei
„ non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad
„ tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice
„ Chriſti cogitatur -- Et ideo, quia Judicem hunc in Eccleſiaſticis cauſis non cogitat C
Anglia penes Sacerdotium, hæreſim fovet, & ſchiſma contra veram Chriſti Eccleſiam.

Anno 355. Hilarius *lib. adverſus Conſtantium Imp.* ita loquitur -- Prohibeat elementia
„ tua, ut omnes ſe ubique Judices, quibus
„ provinciarum adminiſtrationes ſunt creditæ,
„ ad quos ſola cura, & ſollicitudo publico-
„ rum negotiorum pertinere debet, a Reli-
„ gioſa obſervantia ſe abſtineant -- ſubdens
„ Recognoſce fidem, quam olim optime,
„ & elegantiſſime Imperator ab Epiſcopis o-
„ ptas audire, & non audis -- Secularia negotia a Principibus tractantur, ab Epiſcopis, D
quæ ad fidem ſpectant.

Secularia ad Principes, ſpiritualia ad Epiſcopos.

Anno 350. Lucifer Caralitanus *lib. 1. ad eundem Conſtantinum in cauſa Athanaſii* habet -- Probate ſuper nos factum Judicem? Pro-
„ bate ad hoc conſtitutum Imperatorem, ut
„ nos armis tuis ad omnem implendam vo-
„ luntatem amici tui Diaboli perduceres?
„ cum probare non poſſis: quia præceptum
„ tibi ſit, non ſolùm non dominari Epiſco-
„ pis, ſed ita eorum obedire ſtatutis, ut ſi
„ ſubvertere eorum decreta tentaveris, ſi
„ fueris in ſuperbia comprehenſus, morte
„ mori juſſus ſis, nolens ſcilicet obedire Sa-
„ cerdotis Imperio -- Alludit ad locum Deuteron. 17. clareque Laicocephaliam evertit G
Anglicanam.

Anno 374. Ambroſius *Epiſt. 32. ad Valentinianum Imp.* uſurpationem Britannicam evertit. Cum quidam Tribunus, Dalmatius nomine, Sancto Antiſtiti reſcripſiſſet, ut ex mandato Imperatoris futuram concertationem in cauſa Eccleſiaſtica ageret, arbitro Judice Valentiniano, pluribus de hoc eum redarguit. Primo, exemplo Patris ipſius, qui verbo, exemplo, & lege confirmavit ad Laicos Principes non pertinere de fide, & de Eccleſiaſticis judicia. Secundo, exemplo traditionis antiquæ. Tertio, ſcripturarum ſerie, miſcetque hæc verba -- Quando audiſti clementiſſi-
„ me Imperator, in cauſa fidei Laicos de
„ Epiſcopo judicaſſe? Ita ergo quadam adu-
„ latione curvamur, ut Sacerdotalis juris ſi-
„ mus immemores; & quod Deus donavit
„ mihi, hoc ipſum aliis putem eſſe creden-
„ dum? &c. Quis eſt qui abnuat, in cauſa
„ fidei, in cauſa, in qua Epiſcopos ſolere de
„ Imperatoribus Chriſtianis, non Imperato-
„ res de Epiſcopis judicare? &c. Si confe-
„ rendum de fide: Sacerdotum debet eſſe
„ iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtan-
„ tino Auguſtæ memoriæ -- In quibus, cum deneget jus definiendi res fidei, judicandi de Epiſcopis, tractandi negotia Eccleſiaſtica, remanet eluſa diſtinctio ab Apologiſta hic repoſita de intrinſeca, & extrinſeca Poteſtate.

Omnis poteſtas Fidei ad Epiſcopos.

Omitto Hieronymum *Epiſt. 142.* commentantem factum Oziæ, & addo Auguſtinum an. 400., quem plurimi facit Rex. Hic *Epiſt. 166.* Donatiſtas corripiens dicit -- Pri-
„ mi majores veſtri cauſam Cæciliani ad Im-
„ peratorem Conſtantinum detulerunt. Exi-
„ gite hoc a nobis; & ſi non probaverimus:
„ facite de nobis quidquid potueritis. Sed
„ quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa
„ Epiſcopi judicare: eam diſcutiendam, at-
„ que finiendam Epiſcopis delegavit. Quod
„ & factum eſt in Urbe Roma, præſidente
Melchiade -- Ubi habemus, Cæſarem non fuiſſe Judicem competentem.

Apologiſta reponit ſenſum Auguſtini eundem eſſe, quem habent *Can. 6.* Conſtantinop. Concil. *Can. 11., & 12.* Antiocheni: *Can. 107.* Carthagin. ſcilicet, Imperatorem adeundum non eſſe, niſi poſt judicium Epiſcoporum.

Sed hoc ferit arguentem. Nam in 6., & 107. Canone citatis nihil prorſus habetur hac de re: & in Antiocheno expreſſe habetur oppoſitum ex *Can. 12.*, quem ſuperius attulimus, inabilitatque abſque ſpe veniæ accedentem ad Imperatorem poſt judicium Epiſcopale, & Auguſtinus clare aſſerit Conſtantinum cauſam rejeciſſe.

Cumque reponit Auguſtinum cum Concilio Primatum Cæſari detuliſſe in cauſa Primiani Epiſcopi: turpius errat, nolens totum textum videre; ubi habemus Imperatorem noluiſſe cauſam, & appellationem admittere, ſed ſuo Judici competenti remiſit, ideſt Concilio eidem Cartag., a quo citatus Primianus non amplius comparuit.

Cumque iterum ſobdat, tandem Conſtantinum tuliſſe ſententiam in Donatiſtas, ſeipſum confodit; nam terrenorum ſe Judicem agnovit Cæſar, appellantes reprehendens his verbis -- Petitis me judicem ſeculi? -- Pluribuſque vicibus repulſam dedit, exclamans --
„ O rabida furoris audacia! Sicut in cauſis
„ Gentilium fieri ſolet, appellationes inter-
poſuerunt -- Sic Auguſt. *Epiſt. 162.* Optatus Milevit. *lib. 2. contr. Parmenian.* Ad majus malum evitandum, innixus Epiſcoporum conſultationi, veniam ab Epiſcopis petiturus, facta proteſtatione, quod non tranſiret in exemplum, miniſterialem tulit idem Imperator ſententiam in eos, qui nulli ſtabant judi-

judicio: qui nec Conſtantino ſteterunt, indigentes vi maxima brachii ſecularis coerceri.

Concludamus facto S. Martini Epiſcopi, relato a Sulpitio *lib.* 2. *Hiſt. Sac.* -- Martinus „ vir plane Apoſtolis conferendus, ſatis, ſuperque ſufficere dicebat, ut Epiſcopali ſententia Hæretici Priſcillianiſtæ judicati, Eccleſiis pellerentur. Novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſecularis judicaret -- Primis ergo ſeculis nefas erat, Laicum ſe Eccleſiaſticis implicare negotiis.

Regius Apologiſta, ut refugiat Martini auctoritatem tria dicit. Primum, Maximum non fuiſſe legitimum Imperatorem. Secundum -- Quæ appellatio, etſi Martino diſpli„ cuit, placuit tamen Leoni Romano Pon„ tifici, *epiſt.* 63. Tertium, Maximum congregaſſe Concilium Trevirenſe, in quo Ithachius fuit abſolutus.

Sed hæc non urgent. Primum: quia ſententia S. Martini non cadit, nec alludit ad legitimitatem Imperatoriæ electionis, ſed ad jus Laicum idque, dum ſe Eccleſiaſticis immiſcet, nefas proclamat. Secundum: quia appellatio, quæ diſplicuit Martino, diſplicuit Leoni, ſcilicet, ad Laicale præſidium cucurriſſe Priſcillianiſtas. Placuit tamen, quatenus brachii ſecularis robore fuerunt compreſſi Hæretici. Tertium: quia Ithacius legitime damnatus a Theognoſto Epiſcopo ob procuratam Hæreticis mortem, ope Imperiali fuit abſolutus, ut innocens a Synodo ſchiſmatica Epiſcoporum faventium Ithacio, adulantium Imperatori, qui in cauſa fuit Concilii, & abſolutionis. Illud tunc accidit, quod, cum Catholici Epiſcopi non communicarent cum Ithacianis, inter quos S. Ambroſius, & S. Martinus, qui cum ſæpe negaſſet communicare, excandeſcens Imperator poſtulata negavit, & miſit occidere omnes Hæreticos Priſcillianiſtas. Timens Turonenſis Antiſtes, ne ſimul Catholici paterentur, ad momentum communicavit: ſed toto tempore, quo vixit, ſexdecim, ſcilicet, annorum ſpatio culpam illam deflevit; gratia miraculorum ex parte a Domino in pœnam ſpoliatus. Vide Sulpitium *lib. dialogorum*, *dial.* 3. Hæc ſufficiant ex primis Patribus.

Quibus placet addere pauca ex Gentilitate, ut undequaque diſcat erubeſcere Apologiſta. *Lib.* 4. *de dictis*, *& factis Socratis*, regula Xenophontis eſt -- Quod omnes gentes „ obſervant, illud nonniſi a Deo profluxiſſe „ credendum eſt -- medio, ſcilicet, lumine naturæ, ſed omnes gentes agnoſcunt, & obſervant cauſas Religionis ad Sacerdotes pertinere; ergo ex Deo eſt; ergo ſecundum lumen naturæ. Minor paucis declaratur. Apud Ægyptios -- Judices iidem, qui & Sa„ cerdotes: in his Princeps erat maximus na„ tu, & in omnes ſtatuendi jus habebat -- Sic Aelia. *lib.* 14. *variarum Hiſtoriarum cap.* 34. Galli -- Druidas de omnibus controver„ ſiis publicis, & privatis conſtituebant -- teſtibus Cæſ. *de bello Gallico lib.* 6. Stephano *lib. de veteri Gallorum Religione*, Joſepho *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 16. Sacerdotes Germani jus habebant imponendi, & indicendi ſilentium, ſic Tacitus *lib. de moribus Germanorum*. In

Cauſæ Religionis apud quaslibet gentes ad Sacerdotes ſpectant.

Æthiopia Sacerdotes Meroæ, ea pollebant poteſtate, ut cum eis placeret, imponebant Regi, ut mortem ſubiret, & Regnum deſereret, ſic Strabo *lib.* 17. *Geographia*, Diod. Siculus *lib.* 4. *cap.* 1. Apud Perſas in magno honore habiti, publica omnia adminiſtrabant, ſic Agathias *lib.* 2. *Hiſt. de Romanis Sacerdotibus* -- Maximum autem, & præſtantiſſimum in „ Republica jus eſt Augurum -- Et Cicero 2. de legibus idem aſſerit.

Apud Slavos -- Sacerdotes majores ſunt „ Regibus -- Helmodius *lib.* 2. *cap.* 12. Pontifex Maximus -- Omnium Sacerdotum Judex „ eſt, & Arbiter rerum Divinarum, & Hu„ manarum -- apud Feſtum Pompejum *lib. de verborum ſignificatione* -- Poſthumius Conſul ceſſit Metello Summo Sacerdoti. Titus Livius *lib.* 29. Imperatores, timentes Sacerdotum poteſtatem, ſacris inaugurari voluerunt, ſic Dio Caſſius *lib.* 53.

Alia plura videri poſſunt apud Auctores circa hanc materiam; extat libellus, qui *Hercules fidei* inſcribitur, in quo ex eruditione ſola Gentilitatis demonſtratur, Regimen Divinorum ad ordinem Sacerdotalem pertinere. Doctiſſimi ergo Angli ſerio advertant, qualiter lumen rationis impugnent, dum ſtabilire conantur apud Principes Primatum.

76 Quoniam ardor ambitionis rationis lumen etiam abſorbet; aggrediamur Adverſarium domeſticorum doctrinis, Proteſtantium videlicet; a proximioribus enim inflicta vulnera ſenſibiliora ſunt. Incipiamus a duobus primariis Pſeudoprophetis Proteſtantium, quorum doctrinis ſatis tribuunt Angli.

Lutherus, qui ordinem Eccleſiaſticum, ſacraque judicia ſubjecerat Laicali Poteſtati, aſſerta retractat *lib. de bello adverſus Turcas* -- Salutet Deus vos infideles Principes veſtro„ rum ſubditorum. Quis Diabolorum vobis „ in mandatis dedit tam vehementer non „ commiſſa Eccleſiaſtica negotia peragere, „ quæ ad Deum, & conſcientiam ſpectant? -- *Tomo* 2. *contra articulos Lovanienſes* -- Non „ eſt Regum, & Principum veram doctri„ nam confirmare, ſed Eccleſiæ ſubjici, & „ ſervire. *Lib. de ſeculari Poteſtate* -- Si quan„ do ſecularis tuus Princeps tibi mandat hoc, „ vel illo modo credere, aut jubet libros abji„ cere, ſic dices: Non decet Luciferum ſedem „ ſuam juxta Altiſſimum ponere. Benevole „ Princeps, omnem corporis, & fortunæ o„ bedientiam tibi dabo. Manda mihi pro „ ea, quam in terris obtines poteſtate, & ſe„ quar te. Si quid, aut præcepta de fide, „ aut libris ablegandis, non tibi dicto audiens „ ero. In his tyrannum te præbes, modum „ excedis, atque ea præcipis, in quibus nul„ lam Poteſtatem obtines -- Idem *in Comment. Pſal.* 102. -- Audite nobiliſſimi Angli, qualis „ veſtri Regis Primatus ſit ex mente Lutheri: „ Luciferinum tentatum, Diaboli magiſte„ rium, Tyrannis uſurpatio --

Proteſtantes Laicocephaliæ adverſantur.

Calvinus idem ſentit *in Comment. cap.* 2. *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 11. 43. laudat Ambroſium, quod vocatus ad conferendum de fide coram Imperatore recuſaverit, & *cap.* 20. aſſertive ſtatuit -- Apoſtolicum munus Regi non con„ venire -- *Cap.* 11. 15. -- Si ſcriptura, & „ vetera exempla intueamur, quis eſt, qui

„ non

„ non aſtruat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere „ de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare -- *In cap. 11. prima ad Corinth.* ſuſius debacchatur, arguens etiam ex malis effectibus ortis in Germania ex hac doctrina.

Joannes Knoxius Calvini diſcipulus ab eodem laudatus *in epiſt. impreſſa Genevæ* 1558., *& reſponſis epiſt.* 305. natione Scotus in exhortatione ad nobiles Scotiæ, contra ſuum Regem inſurgit -- Non ſanguinis propinqui„ tas, aut a Regibus naſci ſat eſt, ut quis „ ſuper populum, Chriſtum Jeſum, & illius „ æternam veritatem profitentem, Regnum, „ & Imperium obtineat, ſed in electione „ Judicum inferiorum Deus ſtabilivit, ob„ ſervari debet -- Ubi ſuadet contra Dei ordinationem eſſe Reges ſibi ſpirituale Regimen ſupra Chriſtianos populos attribuere.

Antonius Gilboy diſcipulus Schuiæ Genevenſis in ordinatione ſua impreſſa Genevæ per Joannem Criſpinum 1558. ad Anglos, & Scotos mira acri ſtylo conſcribit adverſus Anglicanum Primatum, ejuſque adhærentes. Monſtrum vocat Henricum VIII., & Tyrannum: hac mutatione factam confuſionem legum, & Religionis, Aprum, ait, iſtum infremuiſſe contra Chriſtum, contra Deum, contra Diabolum, contra Antichriſtum. Hunc Regem, a ſuis factum Deum (quem ipſe beſtiam vocat) qui mandavit ſub pœna capitis, ut Caput Eccleſiæ ſe eſſe inſcriberent.

Deodatus Lucenſis Calviniſta *in ſcholis ad cap.* Deuter. 17. v. 12. *Qui autem ſuperbierit &c.* optime diſtinguit munera ordinis Sacerdotalis, & Principum -- Sacerdotes tan„ quam Interpretes Divinæ legis, in rebus, „ quæ per illos judicari poterant, pronuncia„ bant ſententiam finalem. Rectores politici „ ſupremi dabant ſententiam definitivam in „ rebus pertinentibus ad ordinationes, & le„ ges civiles. Illi declarabant, quid eſſet „ æquum, nempe Sacerdotes: iſti erant exe„ cutores legis -- Burhilius Anglus proteſtans *in reſponſione pro tortura Torti pag.* 113. denegat ſuo Regi prætenſam dignitatem -- „ Nec Primatem quidem omnino Regem no„ ſtrum dicimus; multò minus Primatem „ Eccleſiaſticum -- *& pag.* 224. -- Rex An„ gliæ non habet juriſdictionem Eccleſiaſti„ cam, nec interiorem, nec exteriorem -- Item in quendam aſſurgens ait -- Quidam „ petulcus, & audaculus Regem, Caput, „ Paſtorem, & Primatem Epiſcoporum ap„ pellat --

Richardus Thomſonius *in Elencho refutationis tortura Torti*, nomine omnium repellit Anglicanum Primatum *pag.* 44. -- Om„ nes fatemur Reges excommunicandi pote„ ſtatem nullam habere; potius eos excom„ municari poſſe -- Carent ergo juriſdictione Eccleſiaſtica.

Tookerus *pag.* 3., *& 6. in duello contra Becanum* de ſuo Rege ait -- Nec Primatem „ eum vocamus, & multo minus Primatem „ Eccleſiaſticum -- & infra -- Primas vocari „ non poteſt Rex Angliæ, nec Primatum il„ lum prætendere -- Nomine ergo, & re, juriſdictione Eccleſiaſtica caret ſuprema Britannus Princeps Jacobus. Idem *pag.* 15., *& in tortura Torti pag.* 351. cum aliis Anglo-Calviniſtis aſſerit Regem Jacobum in tali ſtatu fuiſſe, ut nullam habere crederetur poteſtatem ſacra tractandi, ordines conferendi, decreta Eccleſiaſtica ſanciendi, excommunicandi: immo addit Burhilius *in reſponſione pro tortura Torti*, in tali ſtatu fuiſſe Jacobum, ut eſſet ſuorum Epiſcoporum ſubditus, qui ab ipſis excommunicari poſſit, & ab Eccleſia ejici; eratque in Anglia ſpirituale tribunal altius Regia Poteſtate.

Concludamus auctoritate Centuriatorum, *in præf. centuria* 7., ubi Laicali poteſtati ſupremæ Eccleſiaſticam denegant -- Sint ſane, „ & ipſi Magiſtratus membra, & partes, & „ cives Eccleſiæ, immo ut ex toto corde ſint, „ omnes precari decet. Flagrent ipſi zelo pie„ tatis, ſed non ſint Capita Eccleſiæ, quia „ ipſis non competit ille Primatus -- Ecce habemus ex ore hoſtium Romanæ Eccleſiæ a Primatu Fidei excludi Reges.

Cum, teſte Tookero *pag.* 311. -- Rex „ Jacobus non habeat quidquam antiquius, „ & honorificentius, quam quod cum Valen„ tiniano filium ſe Eccleſiæ profiteatur; & „ cum Theodorico Italiæ Rege, ſe Alumnum „ Eccleſiæ, & diſcipulum Archiepiſcoporum „ ſuorum, & Epiſcoporum recognoſcat -- ſequitur, nullum habere jus ad Primatum Eccleſiaſticum; & quod ſtare debeat auctoritatibus prædeceſſorum Principum, quorum exempla ſe ſequi proteſtatur in ſua Apologia.

Argumenta ab auctoritate Patrum non afferunt Apologiſta, & Subſellarii, niſi ea, quæ attulimus Controverſia VII. de politico Magiſtratu: ſcilicet, an a Deo ſit immediate: quæ non vacat repetere; ſicut ea quæ adducta ſunt pro confirmatione textus Divi Pauli præcipientis omnem animam ſubjectam eſſe ſublimioribus Poteſtatibus. Quare duo, vel tria teſtimonia reſtant afferenda.

77 Primum eſt Chryſoſtomi *hom.* 23., ubi habet -- Oſtendens, quod iſta imperen„ tur omnibus, & Sacerdotibus, & Mona„ chis; non ſolum ſecularibus, id quod ſta„ tim in ipſo exordio declarat, cum dicit: „ Omnis anima poteſtatibus ſupereminenti„ bus ſubdita ſit; etiam ſi Apoſtolus ſit, ſi „ Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſque tan„ dem fuerit -- En quomodo clare ſubjicit ordinem Sacerdotalem Laicali Poteſtati ſupremæ. Apud Theodoretum *lib.* 4. *cap.* 7. legimus ex Valentiniano Imperat. *in epiſt. ad Epiſcopos Aſiæ* -- Probos Epiſcopos, non ſo„ lum Deo, ſed etiam Regum legibus ob„ temperare -- Hinc Symmachus *in Apologet. ad Anaſtaſium Imp. tom.* 1. *Epiſt. decret. parte* 3. in hæc verba prorumpit -- Tuas quidem „ poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, „ donec contra Deum ſuas non erigant vo„ luntates --

RESP. Senſum præcepti Pauli ſuperius dedimus, ſcilicet obedientiam præcipi Principibus in ſuo genere; ferit enim locus ille Libertinorum hæreſim, qui, ex quo Chriſtiani eſſent, nullis ſubjici ſe Principibus aſſerebant. Aliud tamen eſt, Principes ferre leges Eccleſiaſticas, & judicia Religionis exercere, aliud Eccleſiaſticos ſubjici legibus civilibus ad bonum publicum pertinentibus. Jus Principum

Principum munia ſecularia.

pum eſt conſtituere terminos in his, quæ pertinent ad convictum univerſalem Reipublicæ; ſtatuere pretia rerum, firmare conditiones contractuum, & ſimilia. Conſcientia poſtmodum, & lex naturalis obligant quoslibet ad æquitatem, & juſtitiam; & ideo Eccleſiaſtici illis ſubjiciuntur, non quia a Principibus ſecularibus habentibus ſuperioritatem in Clerum, ſed quia lex Dei præcipit ſervandam eſſe juſtitiam. Et in hoc ſenſu loquitur Valentinianus, & Chryſoſtomus, cujus tamen propoſitio includit ſenſum diſtributionis accomodæ, videlicet, quilibet ſuis Poteſtatibus ſupereminentibus, ideſt, Superioribus obedire tenetur in eo genere, in quo ſubjicitur.

Dictum Symmachi eo ipſo, quod humanas vocat Imperatoris Poteſtates, ſignificat non habere ſpiritualem juriſdictionem; humanis nihilominus Poteſtatibus, quæ æquitatem ſtatuunt pro bono communi, præſtat obedientiam modo dicto. Et in dicto Symmachi advertenda eſt illa locutio *ſuo loco ſuſcipimus*; indicat enim limitatum ordinem rerum, non omnium.

78 Secundum eſt Auguſtini *Epiſt.* 166., ubi redarguit Donatiſtas non agnoſcentes Poteſtatem in Regibus circa Religionem, mittendi prædicatores, prohibendi ſacrilegia -- „ Si juſſiones Regum non pertinent ad prædicandam Religionem, & ſacrilegia prohibenda; quare ad Edictum Regis talia „ jubentis etiam ipſi vos ſignatis? An ignoratis verba Regis eſſe? --

Verum Auguſtinus ſatis clare ibi ſuperiorem agnoſcit Eccleſiaſticam Poteſtatem. Præmittit enim -- Si vos privata veſtra audacia tam violenter cogitis homines, aut ire „ in errorem, aut permanere in errore; quanto magis non debemus per ordinatiſſimas „ Poteſtates, quas Deus ſecundum ſuam prophetiam ſubdit Chriſto, reſiſtere furoribus „ veſtris? -- Et adducto textu *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*: ſubdit -- Et ideo hac Poteſtate nitimur, quam „ ei Dominus promiſit, & dedit -- Quibus habemus, dari Poteſtatem Eccleſiaſticam penes Epiſcopos, & ſecularem penes Principes. Has poteſtates eſſe ordinatiſſimas, & Regiam Chriſto ſubjici, ideſt, Eccleſiæ, ejuſque Miniſtris. Habemus Eccleſiam per Epiſcopos uti civili Principum Poteſtate ad hæreſes exterminandas.

Poteſtas Eccleſiaſtica, & ſecularis ordinata.

Per Auguſtinum ergo ſecularis auctoritas miniſtra eſt Eccleſiæ, & ſubauſiliaris. Præcedit judicium Eccleſiæ circa Fidei, & Religionis negotia, ſequitur Principis juſſio, ut promoveat executionem, comprimat contumaces, & in ordine contineat rebelles, qui ſpernunt ſpiritualia, & ſalutares admonitiones. Hoc totum facto Honorii demonſtrat Poſſidius *in vita Auguſtini cap.* 18. -- Et hoc tale de illis „ Eccleſiæ Catholicæ prolatum judicium etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens, „ ac ſequens, ſuis etiam legibus damnatos „ inter Hæreticos haberi debere conſtituit -- Damnat prius Eccleſia, dein executionem ſollicitat Princeps.

CONTROVERSIA V.

AN MOMENTIS PROBETUR CONVENIRE REGIBUS JUDICIARIA FIDEI POTESTAS.

Subſellarii Sereniſſimi Regis momentis utuntur ad ſtatuendum Primatum Anglicanum. Ne ergo deficiat ex hac parte veritas Catholica, ipſorum methodum ſequemur, aliquas proferendo rationes, quæ, ut validæ ſint, radicari debent, vel in certis fidei veritatibus, vel in datis per Adverſarios principiis. Voluntariæ enim ratiocinationes in his materiis nihil valent. Unde

Dico. Ratione non convenit Regibus judiciaria Poteſtas fidei.

79 PROB. I. Eccleſia ex triplici ſymbolo admiſſo a Proteſtantibus eſt una unitate corporis myſtici, ſed non eſſet una unitate corporis myſtici, ſi ſpiritualis Poteſtas eſſet conjuncta cum Regibus; ergo. Min. explic. Si conjungitur cum Regibus, in Eccleſia tot ſunt Supremi ſpirituales, quot Reges, ſed hoc ipſo non habetur unitas corporis myſtici. Item neceſſe eſt, quod Eccleſiæ particulares Regnorum ſint partes Eccleſiæ univerſalis, ſaltem ſub uno capite Chriſto; non poſſunt autem eſſe hoc ipſo, quod ſint plures Supremi. Sicut, licet ſub uno Deo ſint omnia Regna mundi, tamen non ſe habent ut partes unius Reipublicæ in mundo, nec ob aliam rationem, niſi quia ſunt plures Supremi in temporalibus ad invicem non ſubordinati. Hac ratione pariter non eſt unus exercitus, exercitus maritimus, & exercitus non maritimus, ſi Duces inter ſe ſint non ſubordinati, licet uni Imperatori ſubjiciantur.

Ubi non eſt ſubordinatio, non eſt unitas.

80 Elucidatur argumentum. Non poteſt dari unitas corporis Eccleſiæ, niſi detur unitas fidei, ſed hæc dari non poteſt prudenti, & ſuavi providentia, ſtante pluralitate Supremorum ſpiritualium; ergo. Min. prob. Ut ſervetur unitas fidei, neceſſe eſt in controverſiis dogmatum dirimendis, idipſum ſentire omnes, ſed hoc eſt impoſſibile ſecluſo extraordinario ſatis miraculo. Nam vel judicium v. g. controverſiæ exortæ profertur a ſolo Rege Angliæ, vel ab omnibus Regibus in Comitiis generalibus congregatis. Non primum: quia definitum ab ipſo non ſuſcipitur ab altero Rege, in quem non habet ſuperioritatem, nec vim præceptivam: ſicut in politicis ad bonum Reipublicæ leges latæ ab uno Rege non obligant ſubditos alterius; etiamſi concedatur, legem illam proficuam ſecundum ſe eſſe alteri Regno. Ut ergo ad unitatem ſenſus, & fidei reducantur, neceſſe eſt recognoſcant unum Superiorem, a quo omnes accipiant eandem ſententiam.

DICES. Singulos in ſuo Regno definire. Verum dum unus definit in ſuo Regno, unde cogitur alius definire in ſuo? Si controverſia ſit inter unum, & alterum Regnum: quomodo ambo ſupremi idem definient? Si Eccleſiæ, vel ſecundum corpus, vel ſecundum caput promiſſa eſt infallibilitas, non membris,

bris, & partibus, quomodo omnes Supremi in ſuo Regno gaudebunt Spiritus Sancti aſſiſtentia? Porro ſi diſſentiunt in fidei articulis, non poſſunt eſſe, neque ſub Chriſto partialia capita; cum Chriſto non poſſint uniri, niſi per fidem, quæ eſt una.

Non ſecundum; cum enim antecedenter ad Comitia nullus ſit ſuperior, nullus eſt, qui poſſit convocationem indicere, & repugnantes cogere; ut a ſimili in temporalibus patet, ſi omnes Supremi eſſent convocandi. Deinde, quis, ut dirigeret, præſideret, ſi inter non ſubordinatos non reperitur, qui alteri cedat; immo ſecundum principia Aceri aſſerentis propriam uniuscujuſque conſcientiam eſſe fundamentum ſuæ fidei, qui diverſa ſentiet, non tenebitur cedere. Deinde implicat ſingulos Reges eſſe ſupremos in ſuo Regno, & dependere ab aliis. Si Supremi, quomodo ſubjecti? Si ſubjecti, quomodo Supremi?

71 PROB. II. Qua ratione Supremo politico convenit Superioritas ſpiritualis, ea pariter ſubordinato politico convenit ſubordinata ſpiritualitas, ſed inferiori Præfecto politico non convenit ſubordinata ſpiritualis poteſtas; ergo neque Supremo ſuprema. Maj. explic. Jus naturæ non magis tribuit uni ſpiritualem Poteſtatem, quam alteri; quia nulli tribuit, licet præcipiat utrique proportionabiliter obediendum in eo genere, in quo conceditur ſuperioritas: Scriptura autem ſecundum principia Adverſariorum non magis dat uni, quam alteri. Nam ideo dat ſupremo Præfecto, quia præcipit ei obedientiam: *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ad Rom. 13. Sed ſimiliter præcipit obedientiam Præfectis inferioribus: *Sive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis*, 1. Petri 2. Ergo illis pariter dat ſpiritualem Poteſtatem.

Nunc min. declaratur. Admittit Rex, & Acerus convicti Scripturis aliquam Hierarchiam Eccleſiaſticam quoad regimen caterius: ſed hæc tota evertitur ex illa doctrina. Nam, quia Rex eſt Supremus in ſpiritualibus, excluditur Papa, ne ſit ſupremus in ſuo Regno; ergo, quia Præfectus inferior eſt ſimul judex in ſpiritualibus, excluditur Epiſcopus. Si enim, Aceri, ex ſimultate utriuſque Poteſtatis in primo, excluditis alium primum; cur ex ſimultate utriuſque in inferiori politico non excluditis alium inferiorem Eccleſiaſticum? Aut ſi diviſam agnoſcitis in Præfecto inferiori politicam a ſpirituali, unde habetis unitam in Supremo? Et cum contra Bellarminum *in præf. pag.* 54. dicat Rex, Epiſcopos immediate a Deo accepiſſe Poteſtatem, nequit reſpondere, poteſtate, & voluntate Regis dividi in inferioribus, quod dividi nequit in ſuperioribus ubi utraque ex natura rei unitur, niſi velimus dicere Regem poſſe in jus Divinum, aſſumendo ſibi liberam facultatem dandi, vel Epiſcopis, vel Præfectis juriſdictionem ſpiritualem.

72 PROB. III. Non minus perfecta eſt politica Poteſtas in ſupremo Principe Ethnico, nec minus præcipit Scriptura illi obediendum, quam Chriſtiano; ſed in Ethnico Poteſtas ſpiritualis non conjungitur; non enim Caput Eccleſiæ eſſe poteſt, qui membrum Eccleſiæ non eſt; ergo neque conjungitur in Chriſtiano Principe.

Explico exemplo. Vel Conſtantinus, antequam fieret Catholicus, erat Primas in ſpiritualibus ſupra Catholicos in ſua ditione commorantes, vel non. Si erat; ergo Turcis, & infidelibus convenit Primatus ſpiritualis. Si non; ergo erat penes alium, vel alios: Utique in Eccleſia erat, quæ eadem, ac noſtra ab eodem Chriſto inſtituta; & quidem jure, propter eandem rationem: nec alius excogitari poteſt, quam Silveſter. Poſtquam verò factus eſt Chriſtianus; quomodo, a quo, unde facta eſt hujuſmodi translatio a Silveſtro legitimo poſſeſſore ad Conſtantinum? Certe non per Baptiſmum; hic enim æqualis eſt in omnibus, & æquales proinde efficit effectus; in Eccleſiam introducit, & oves Chriſti facit æqualiter omnes: & ſicut Chriſtianiſmus non eximit a jugo ſervitutis, ut patet de Oneſimo ſervo Philemonis a D. Paulo baptizato, ita non evehit ad ſupremam dignitatem ſpiritualitatis. Retinuit ergo Conſtantinus ſolam politicam Poteſtatem, & hanc ſolam ſuis Succeſſoribus reliquit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

73 OBJIC. I. ex Ariſtotele *lib. 6. Politicorum*. Qui cogit, ſummam Poteſtatem habere debet in Republica: ſed per eundem, Principatus (inter omnes ſpecies politiæ principaliſſimus) cogit; ergo habet ſummam Poteſtatem in Republica: ſed Principes habent vim coactivam, etiam in cauſis fidei; ergo habent ſummam Poteſtatem in materia Religionis. Eo vel maxime, quod Petrus dicit de Epiſcopis, Epiſt. 1. cap. 5. *Neque ut dominantes in Cleris; ſed forma facti gregis.*

RESP. Ariſtotelem optime diſcurrere in ordine civili, de quo agit. Vis coactiva, quæ Regibus conceditur in cauſis Religionis, eſt defenſionis, & ſupponit judicium prius Sacerdotale exercitum; hoc enim proprium eſt defenſionis, ſupponere rem defendendam. Epiſcopis negatur dominatio deſpotica, & gentilitia; non autem ſuperioritatis, & auctoritativæ directionis cum benignitate conjunctæ. Sed ſimilia jam ſolvimus. *Dominatio quæ convenit Epiſcopis.*

74 OBJIC. II. Religio lumine naturali, & gentium introducta eſt: ſed lumine naturali, & gentium moderatio pertinet ad Principes; ergo Religionis directio ad eoſdem ſpectat: Cujus enim eſt inſtitutio, ejus eſt moderatio: ſi ergo juris naturalis eſt inſtitutio, ejus eſt pariter gubernatio. Porro, quæ ſunt juris naturæ ad politiam politicam pertinent.

RESP. lumen naturæ dictare in genere cultum veri Dei, ſed in particulari nequit dictare proprias ceremonias cultus veri Dei, quas Deus ipſe ſpecialiter revelavit. Ordo enim ſupernaturalis excedit ſpheram naturalis luminis, ut habetur ex D. Auguſt. *lib. de conſenſu Evang. cap.* 1., & D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. 2., *&* 3. Totum hoc nobis maxime favet, conſtat enim ex eo ſublimiora eſſe

munia

Sacerdotalia munia præſtant regalibus.

munia Sacerdotalia, quam Regalia, & propter hanc cauſam gentiles Principes curabant fieri Sacerdotes, ut docet Iſidurus *Ethimol.* 7. Sic fecir Numa, Galba, Timegiſtus, qui ter maximus ſapiens, Rex, & Sacerdos dictus eſt ea Ficino.

75 DICES. Jure naturæ etiam Poteſtas ſpiritualis cultus determinati veri Dei conjuncta eſt cum Regia: ſed lex Chriſti non tollit legem naturæ; ergo non tollit hanc conjunctionem. Prob. maj. Ab Adam uſque ad Moyſem erat cultus proprius veri Dei: ſed tunc omnes Reges erant Sacerdotes, ut apparet in Melchiſedech, Abraham, Iſaac, & Jacob. Unde ea Doctrina Hebræorum Hieronymus *in quæſt. Hebraicis ſupra Geneſim* omnes primogenitos Noe aſſerit ſimul Principes, & Sacerdotes; ergo &c.

In lege naturæ erant quædam ſupernaturalia præcepta.

RESP. neg. maj. Lex naturæ non dicitur talis per contrapoſitionem ad legem ſupernaturalem, ſed ad legem ſcriptam. Certum enim eſt data tunc fuiſſe aliqua præcepta ſupernaturalia, ut Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis; & ſigna Sacramentalia, & Sacrificia, quæ tunc exrabant, erant proteſtativa Chriſti futuri. Unde lumen naturæ non poterat pertingere ad has ceremonias determinatas Divini cultus. Emanarunt igitur a Deo, ſpecialiter movente per quoſdam particulari ſpiritu Prophetico gaudentes; non tamen omnino determinate, ſed magis in univerſali, ſeu, ut vocant, in ſpecie. Particulariorem determinationem reliquit in Poteſtate Eccleſiæ motæ interiori afflatu, & Inſpiratione. Quare determinatio individualis (ut ita dicam) eſt a Deo media Republica, per quam etiam facta eſt applicatio dignitatis Sacerdotalis cum Poteſtate politica, & hoc propter ſtatus imperfectionem.

Accedente lege Moyſis, ſeparavit Deus Sacerdotium a ſuprema dignitate laicali, & peculiarem ordinem conſtituit; quia modus colendi Deum erat ſpecialiter determinatus a Domino per legem poſitivam, ac proinde excellentioris perfectionis.

Cum autem ſtatus legis Chriſti, ejuſque Religio longe perfectior ſit, multo magis confirmanda eſt ſeparatio; & ideo ſpecialioribus a Domino traditis ceremoniis conſecratur Sacerdotium, & Sacramenta ſunt excellentiſſima, ubi priora dicuntur ab Apoſtolo egena elementa. Quare propter hanc excellentiam Poteſtas Eccleſiaſtica eſt omnino ſpiritualis, nec poteſt ab hominibus emanare, nec a Republica, & per conſequens communicari Principibus.

76 DICES. Licet homines qua tales non potuerint communicare Principibus Poteſtatem ſpiritualem; tamen qua Chriſtiani, ſeu componentes unam Rempublicam Chriſtianam potuerunt. Sicut enim Communitas Chriſtiana fundatur in Religione ſupernaturali, ita ab eadem habet Poteſtatem altiorem circa res Divini cultus; ergo potuit Regibus communicare talem Poteſtatem.

RESP. Superius ſatis oſtendimus inſtitutionem Communitatis Chriſtianæ immediatione ſpecialiſſima eſſe a Chriſto. Quod inſuper ex eo liquet; quia inſtituit Eccleſiam, quæ, ut diffuſa per totum orbem una eſſet, & indefectibilis, ad cujus conſervationem determinatum Regimen eſt neceſſarium. Hæc autem univerſalis Poteſtas regitiva ſuper univerſum mundum non potuit ab hominibus, & ubique diſperſis communicari, & multo minus uniti ſupremæ dignitati politicæ, quæ multiplicatur ad multiplicationem Regnorum.

Univerſalis poteſtas a Deo.

77 OBJIC. III. Omnis legiſlatio ſubditos reſpicit: ſed ſubditi Regum ſunt partes Regni, non autem Eccleſiæ, quia antequam fierent de Eccleſia, erant ſubditi Regum; & ſi exeant ab Eccleſia, manent ſubditi; ergo eos reſpicit conſtitutio Regis. Ita Brentius, & Spalatenſis.

Populi in ſpiritualibus non ſubduntur Regibus.

RESP. Irregularibus propoſitionibus, & illationibus conſtat argumentum. Igitur ſubditi qua tales in politicis ſunt partes Regni, ſed in ſpiritualibus nequaquam: & eodem modo min. diſtinguitur. Nam legiſlatio temporalis reſpicit ſubditos in civilibus; legiſlatio vero in ſpiritualibus reſpicit ſubditos in Divinis: & quia Chriſtianus ordinatur qua Civis ad bonum civile ſuæ Communitatis, ſubditur ſuæ Poteſtati ſupremæ in hoc ordine; ſic qua fide imbutus, & ordinatus ad bonum ſupernaturalis Beatitudinis ſubditur in hoc alio ordine alteri Poteſtati ſpirituali.

78 OBJIC. IV. -- Illæ duæ politiæ
„ quamdiu duæ manent, duo capita efficiunt, & cum in unum coaleſcunt, non ut in duobus duo, ſed ut in uno unus Primatus eſt: Æquum ergo eſt, ut unus, & idem, qui Rex eſt, & Sanctorum Miniſter -- Sic Brentius.

Ex duabus Poteſtatibus duo Capita.

RESP. Duæ Poteſtates duo efficiunt capita, unum in civilibus, aliud in Divinis, recto ordine ſervato, ut ſicut ſpiritualia præcedunt, & excedunt corporalia, & illorum finis eſt horum eminentior, ita Poteſtas ſpiritualis excellentior ſit temporali, ac proinde caput in ſpiritualibus ſuperius ſit capite in temporalibus. Quod ſi contingat in uno uniri, temporalis trahetur, & perficietur a ſpirituali, non autem ex adverſo.

79 OBJIC. V. Illud genus gubernii admitti debet, quod conducit ad Schiſmata evitanda: ſed unire Poteſtatem ſpiritualem cum Regia conducit ad Schiſmata evitanda, ut patet exemplo Synagogæ, in qua ex ſeparatione utriuſque nata ſunt Schiſmata; ergo &c.

Schiſma unde oritur.

RESP. Neg maj. Schiſmata enim facit, qui ſolvit unitatem, & diſpoſitionem ſtatutam a Chriſto, qui docuit dandum eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ Dei. Schiſmata oriuntur, cum unus uſurpat alterius miniſterium; quod tunc evenit, quando qui ovis eſt, Paſtor vult eſſe.

In Synagoga Schiſma ortum eſt in Regno contra Regnum, non autem cum Sacerdotio, cui poſt ſciſſuras Tribuum ſubjectum manſit Regnum. Ait enim Auguſt. *lib. de unit. Eccleſ. cap.* 12. -- Deus enim eaſdem
„ Tribus juſſit ſeparari, non ut Religio, ſed
„ ut Regnum divideretur, & hoc modo vin-
„ dicaretur in Regnum Juda -- In utraque ergo Eccleſia præcipuum eſt Sacerdotium: unde in Synagoga dicebatur *Regnum Sacerdotale*; quia -- Regnum erat præcipuum, formatum
„ Sacerdotio ad offerendum uni Deo -- ut ait Cajetanus ad illud: *Vos autem genus electum,*

regale Sacerdotium &c. 1. Petri 2. forma autem eſt ſubjecto præſtantior. In novo dicitur *Regale Sacerdotium* -- quia Sacerdotium præ„ cipuum eſt, quo Chriſtus obtulit ſeipſum; „ Regnum verò ſpirituale eſt -- quia Regno æternæ Beatitudinis, ad quod ordinatur Sacerdotium, informatur.

CONTROVERSIA VI.

AN POTESTAS JUDICIARIA FIDEI REGINIS CONVENIAT.

NOn ſat fuit Anglicanæ iniquitati ſuum Regem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præficere; niſi etiam ad ſupremam dignitatem Religionis eveheret Eliſabetham Annæ Bollenæ filiam ex Henrico VIII., quæ & Regni, & hæreſis heres in rebus Divinis ſibi imperium vendicavit: licet non omnium una vox eſſet in explicando muliebre hoc dominium.

Dicebant quidam Reginæ ſolum exterioris juriſdictionis munia convenire, non interioris. Alii utriuſque acta concedebant. Tertii volebant exteriorem ei juriſdictionem deberi, excepta facultate excommunicandi; quæ difformitas in ſentiendo indicat, nec Anglos ſcire, quid credant. Illud certum eſt, plus ſui juramenti formula ſibi arrogaſſe Eliſabetham, quam Henricum; cum omnem ſpiritualem Poteſtatem etiam in Sacramentis ſibi jurari voluerit; quamvis explicuerit nil aliud ſibi attribuere verbis illis, quam quod Pater ejus, & frater intellexerant ſub nomine capitis Eccleſiæ: quem titulum pudibunda rejecit, contenta illo Gubernatricis.

Hoc exemplo ab orco revocatos vidimus Quintilianos, Pepuzianoſque Hæreticos -- Qui „ mulieribus aſſignabant dominari, & ſacra „ miniſtrare -- ut habetur ex Damaſceno *her.* 100. Item excumulatos Gnoſticorum diſcipulos, de quorum mulieribus ſcribit Tertullianus *de præſcriptionibus cap.* 41. -- Quæ audeant „ docere, exorciſmos agere, curationes re„ promittere, forſitan & tingere -- Innovatos pariter invenimus Collyridianos *apud Epiphanium hæreſi* 79. -- Si mulieribus præ„ ceptum eſſet ſacrificare Deo, aut regulare „ quidquam operari in Eccleſia, oportebat „ magis ipſam Mariam Sacrificium, perfice„ re -- Ut vel hinc agnoſcamus apertum hunc eſſe errorem, quem priſcis temporibus damnavit Eccleſia.

Heretici quidam ex veteribus qui ad ſacra deputabant Mulieres.

Dicendum igitur, quod Reginis non competit judiciaria fidei Poteſtas. Quidquid diximus contra Primatum Regis, militat æquo paſſu contra Primatum Reginæ: unde ſpecialia quædam præciſe tangemus.

80 PROB. I. Lex gratiæ non deſtruit primarium poſitivum jus naturale: ſed Dominatio in fæminis non eſt juxta primarium jus naturale; ergo non ſuſtulit jus hujuſmodi gratia; ergo non evexit eas ad Thronum Dominationis ſpiritualis. Min. explicatur. Major eſt politica gubernatio Civitatis regimine domus, etiam jure naturæ: ſed in domeſtico regimine jure naturali poſitivo mulieri non

convenit vis gubernativa, ſed viro: ſicut do-
A docet Ariſtoteles *primo politic.*, & Homerus, qui ait -- Vir uxori, & filiis legem tradet, „ ut Rex Civitati -- Datque rationem a priori Ariſtoteles; quia ſecundum primariam intentionem naturæ non producitur fæmina; ſed in viri adjutorium, propter quod *Mas occaſionatus* appellatur; ergo fæminis non convenit &c.

Mulier non eſt nata ad gubernium

Jus hoc naturale roboratur ex iis, quæ Sacra Scriptura docet: nam Adam prius creatus eſt, ipſique tanquam capiti collatus eſt Principatus orbis, & generationis principium, ut ex excellentia ſexus dominaretur mulieri pro Statu Innocentiæ; etiamſi nullum extitiſſet peccatum. Hæc enim ſubjectio neceſſa-
B ria eſt ad bonum ordinis in humana multitudine; unde -- Ex tali ſubjectione natura„ liter fæmina ſubjecta eſt viro; quia natu„ raliter in homine magis abundat diſcretio „ rationis: nec inæqualitas hominis exclu„ ditur per innocentiæ ſtatum -- Sic D. Thomas 1. *p. q.* 92. *art.* 1. *ad* 2. Concluditque egregie Angelicus, ex quo ordo naturalis attenditur per ea, quæ ſunt per ſe, & non per accidens: ſed per ſe diſcretio rationis, quæ neceſſaria eſt ad gubernium, magis abundat in maſculo, quam in fæmina: ergo in hoc conſtituit natura jus præſidendi.

Jus præſidentiæ in viro.

C 81 Porro ſubjectio iſta multo magis competit poſt peccatum mulieri, dicente Domino: *Sub viri Poteſtate eris*. Prius ſubjectio erat ſuavis per modum ſociæ, & erat dilectionis; nunc pœnalis eſt, & odioſa, ut fert Auguſt. *lib.* 11. *de Geneſi ad litteram cap.* 37. concludens -- Quod tamen, niſi ſervetur, de„ pravabitur amplius natura, & augebitur „ culpa -- Vere aucta eſt ad ſummum culpa, peſſimeque depravata eſt natura, & gratia, ubi etiam in Divinis Anglia dominantem conſtituit fæmineum ſexum. In hoc inventum diabolicum clare detegitur: ſicut enim ſerpens, ut Adam ſeduceret, & univer-
D ſum ordinem perverteret, magiſtram erudivit Evam, cui Divini præcepti ſubdolam intelligentiam ſuppoſuit, pomique naturam explicuit, ut id Adamo dictaret, ita ordinem pervertens Eliſabeth curavit ſe prædicare magiſtram fidei ad perdenda Britannica Regna.

82 PROB. II. Ex D. Thom. 1. *p. q.* 93. *art.* 4. *ad* 1. Qui principatur in alterum, hoc habet ex participio Divinæ Poteſtatis: ſed mulier non habet participium Divinæ Poteſtatis; ergo non principatur. Prob. min. 1. Corinth. 11. v. 7. *Vir imago, & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt*. Sed quare? an mulier caret parte intellectuali, ſecundum quam
E homo factus eſt ad imaginem Dei? Nequaquam; ſed quia datur aliquod prædicatum in viro, quod non eſt in muliere. Vir enim eſt principium, & finis mulieris, ſicut Deus eſt principium totius Creaturæ, & ideo ſubditur v. 8. *Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*. Sed ex quo Deus eſt principium, & finis Creaturæ, habet Poteſtatem ſuper eam; ergo ex quo mulier non habet rationem finis, & initium viri, caret Dei Poteſtatis participio in viros. Sic Eſtius in hunc locum. Hinc gloria Dei

Mulier a viro regenda in divinis.

eſt

eſt vir, qui ſub ſolius Dei Principatu immediate ſubjectus exiſtit: gloria viri mulier; quia nonniſi mediante viro ſubjicitur Deo; ac proinde eſt immediate a viro regenda.

Confirmatur. Aſſumi ad moderandas res divinas nihil aliud eſt, quam ex divina electione ſegregari a ceteris, ut in iis, quæ ad Dei cultum ſpectant, munus mediatoris exerceatur inter Deum, & homines. Ad hanc vocationem inepta eſt mulier hoc ipſo, quod inter ipſam, & Deum ex lege Dei mediationem exercet homo, dum ſubjecta viro fæmina Deo ſubjicitur; ergo turpiſſima eſt inordinatio naturæ, & gratiæ, mulierem præficere viris in rebus Divinis, & Eccleſiaſticis.

83 PROB. III. Qui debet omnino ſubjici in Divinis, nec docere, ſed diſcere, nullo modo capax eſt dominationis, & adminiſtrationis Divinorum, ſed mulier eſt hujuſmodi; ergo &c. Declaratur min. 1. Corinth. 14. v. 24. *Mulieres in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui; ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit*: illa ſcilicet, quæ dicit Geneſis 3. v. 16. *Sub viri Poteſtate eris; & ipſe dominabitur tui*: quæ intelligitur tum in Politicis, tum in Divinis. Quod ulterius ſequentibus verbis declaratur: *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* De rebus Divinis fæmina a viris diſcere debet, non docere. De Eccleſiaſticis ſummum ſilentium convenit ei propter omnimodam ſubjectionem; unde ex doctrina Pauli ortum eſt illud apud Sapientes -- Domi mulier eſt cum aliqua, ſed in „ Eccleſiis cum omni ſubjectione -- In politicis ergo ſubjicitur mulier, & in Eccleſiaſticis multo magis, ut eam vir nullo modo præponere poſſit, & ideo -- In Eccleſiis cum „ omni ſubjectione --

Hoc idem expreſſit Paulus 1. ad Timot. 2. v. 11. ſic dicens: *Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto; neque dominari in virum; ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva; & Adam non eſt ſeductus; mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Dicto loco aſſignatur duplex cauſa ſubjectionis mulieris in rebus Eccleſiaſticis, de quibus utique ſermo eſt. Prima naturalis, qua per naturam mulier fuit viro ſubjecta. Secunda pœnalis, qua in pœnam peccati ſubjectio aucta eſt; quæ enim in cauſa Divini præcepti viro inconſulto dux fuit, & magiſtra ad peccatum, juſte in perpetuum Primatus Eccleſiaſtici capacitate privatur.

84 PROB. IV. Si aliqua mulier capax fuiſſet præſidendi, & adminiſtrandi Divina, ea foret Beata Virgo Maria: ſed hæc nullam partem in his habuit; ergo omnis fæminilis Poteſtas in Eccleſiaſticis rejicienda. Maj. eſt evidens. Nulla enim eſt, ut omnes fateri debent, cui magis in gradu excellentiſſimo conceſſæ fuerint dotes tanto muneri neceſſariæ, quam Deiparæ, niſi ſexus obſtaret conditio. Minor patet totius antiquitatis teſtimonio, quo conſtat nunquam Deiparam auctoritativum actum juriſdictionis exterioris, aut interioris exercuiſſe; & ſacra ipſa pagina docet, quod ſubditus erat Chriſtus Virgini in iis, quæ materni juris ſunt, ſecus in iis,

In Virgine nulla ſpiritualis poteſtas.

quæ Patris. Unde cum ſine licentia ad diſputandum iviſſet, interrogatus, Lucæ 2. v. 48., & 49. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Reſpondit: *Neſciebatis quia in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Ubi optime diſtinxit cauſas pertinentes ad Matrem, eidemque extraneas.

Confirmatur I. Cum in ultima cœna Chriſtus novum Teſtamentum, novum Sacerdotium inſtituit, Matrem ad menſam non aſſumpſit, ſed ſolos Apoſtolos, & tanto privavit ſolatio, & pignore amoris dilectiſſimam Genitricem. Niſi myſterium incapacitatis muliebris obſtaret, ut aſſerit Epiphanius *hæreſi* 70. quis melius, & congruentius Sacrificium perfeciſſet, quam illa, cujus uterus Templum, & Domicilium Domini Dei factus eſt.

II. Poſt Chriſti aſcenſionem non duxit Agmen naſcentis Eccleſiæ, ſed inter fratres ultimum locum cuſtodiens orationibus inſtitit Act. 1. ſi ergo tali Matri, tali mulieri, benedictæ inter ceteras, adminiſtratio Divinorum denegatur; qua temeritate concedetur ſchiſmaticæ mulieri?

Omitto Patrum auctoritates, quibus reprobatur muliebris adminiſtratio Divinorum. Videri tamen poterunt Origenes *hom.* 12. *in cap. primum Exodi*. Hieronymus *ad Demetriadem*. Tertullianus *de præſcript. cap.* 41. Pamelius *in eundem locum de præſcriptionibus*. Waldenſis *lib.* 2. *doctrinal. tit.* 1. *art.* 3., & alii primorum ſeculorum. Omitto pariter varias damnationes factas pro ſimilibus doctrinis in Conciliis; quibus addi poteſt decretum Urbani VIII. anno 1630. editum, quo extinxit Jeſuitiſſas, quæ ædificatis Collegiis, & quædam vota elicientes, clauſuræ legibus non adſtrictæ, ſub ſpecie ſalutis animarum promovendæ, & alia opera fæmineum ſexum excedentia exercere attentaverant. Illud non omittendum cenſeo, quod cum quidam Arderius apud Baronium an. 1053. attentaſſet in Hibernia puellas Clericali corona donare, ab illa pia, & Catholica Inſula fuit ut Hæreticus damnatus, utpote contra Scripturas, & traditionem dogmatizans.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

85 OBJIC. I. Licet mulier ſubjiciatur viro in politicis, tamen in Divinis jus habet æquale, ad Galatas 3. v. 28. *In Chriſto Jeſu non eſt maſculus, neque fæmina*. Ergo non excludenda a ſacrorum adminiſtratione, ſicut non excluditur homo. Argumentum Acleri.

RESP. Paulum loqui expreſſe de ſuſceptione juſtitiæ per Chriſtum, & vocatione ad fidem, ſecluſa quacumque acceptatione perſonarum; non autem de miniſteriali propagatione myſteriorum Divinorum. Hæc enim convenit præelectis ex ordine virili, quibus dictum eſt Marci 16. v. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19., a quibus muneribus, ut incapaces excluduntur mulieres.

Omnes vocantur ad fidem.

Digitized by Google

Reſponder Aclerus : Euchariſtiam non adminiſtrat Regina mea · non ergo conſtituenda eſt caput Eccleſiæ ſuh Chriſto .

REPLICAMUS (quamvis ægre ferat, nos talia aſſerere) . Major poteſtas , quæ eſt in Chriſto, cujus vices gerit Regins, eſt Pontificalis , ſed Reginæ tribuitur major Chriſti poteſtas ſpiritualis ; ergo ipſa eſt Pontifca ; ergo Epiſcopiſſa ; ergo Euchariſtiæ adminiſtratria . Nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen , quod Chriſtus adeptus eſt , quale eſt ? Pontificis . *Nam didicit ex iis , qua paſſus eſt , obedientiam , & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis aterna, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech* , ait Paulus ad Hebtæos 5. v. 8. Et cap. 8. v. 1. replicat : *Talem habemus Pontificem , qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis , ſanctorum miniſter , tabernaculi veri , quod fixit Dominus , & non homo* . Si ergo vices Chriſti gerit Regina tua, Aclere ; ergo Pontifex eſt , Pontificalique Chriſti gaudet Poteſtatc . Cur igitur negas ipſi Euchariſtiam adminiſtrare ? Deinde , Mediat Regina inter Chriſtum Pontificem , & inferiores Epiſcopos , quibus præeſt : participat ergo dignitatem extremorum (medium enim extremis ſemper congruit) Sed per Reginam Chriſtus Summus Pontifca influit in inferiores Pontifices in cauſis Eccleſiaſticis , & Sacris ; ergo Eccleſiaſticum caput eſt ; ergo inferiores ordines Hierarchicos ad ſe trahit tanquam Hierarchiæ Princeps .

ULTERIUS . Regina auctoritatem aſſumpſit nominandi , inveſtiendi, eligendi Epiſcopos: novum modum, & formulam ſacra faciendi tradidit , & baptizandi , eâque uti Epiſcopos juſſit , cui nolens obedire Carlioleuſis Præſul multa ob hoc paſſus eſt . Præfecit in diverſis Provinciis ſuæ confictæ Monarchiæ ſpiritualis auxiliarios intendentes, & inſtrumenta adminiſtratoria, ſed omnis Philoſophia clamat principaliter exerceri a cauſa principali , quæ inſtrumentaliter ab inſtrumentali exercentur . Magis enim effectus tribuitur imperanti , quam exequenti : ſic Uriæ homicidium David patraſſe dicitur , quia præcepit ; ſi ergo Regina imperat Sacerdotibus munera Sacerdotalia , Ipſi tribuuntur tanquam cauſæ principali : negari ergo non poteſt , quod Epiſcopiſſa ſit .

86 DICES . Verbum Dei minime enunciat Regina mea ; ac proinde nec exercuit Sacerdotale munus .

Multis modis Evangelium anunciatur .

Sed contra . Annunciat Regina Verbum Dei . Non enim uno modo annunciatur Verbum Dei, ſed pluribus , nempe Verbo, ſcripto, & miniſterio annunciatur . In modo non conſiſtit , ſed in re . Porro vera Evangelizatio in eo ſita eſt, ut Verbum Dei dicatur , & quod proponitur , cum auctoritate , velut in perſona Chriſti proponatur , ſed hæc omnia peregit Eliſabeth . Dixit enim ſe ad hoc miſſam a Deo , ut ſecundum Chriſtum gubernaret Eccleſiam . Dixit illud eſſe Verbum Dei , quod in ſuis legibus de fide , & Religione proponeret populis . Sacras tulit leges de cauſis fidei ſuh pœnis . Clamat enim -- „ Si quis auſus fuerit Sacrificio Miſſæ intereſſe , prima vice fiſco meo ducentos au„ reos , ſecunda quadringentos pendat , ter„ tia fortunas omnes amittat . & perpetuo „ carceri tradatur . Si quis autem tertio po„ ſtulatus recuſaverit Pontificis Romani Pri„ matum abjurare , vita privetur --

Ubi controverſia circa fidem oritur : ad domum Eliſabeth aſcenditur pro ſententia . Hæc Parlamentum indixit Epiſcopis mixtum, & Laicis , quod Eccleſia vocatum eſt ab Anglis , ut ibi agatur de præcipuis articulis fidei , de votis Monaſticis , de Cœlihatu , de Sacrificio Miſſæ , de Tranſubſtantiatione , & ſimilibus . In hac Eccleſia mulier hæc nedum loquitur , ſed imperat . Contradicunt quidem boni Epiſcopi reclamantibus aliis Laicis imperitis , & numero vincente totum ad Reginam defertur . In ejus poteſtate , & arbitrio eſt fidem innovare ; vim dare legibus , quæ tandem auctoritative tulit ſententiam contra fidem Catholicam , ſectam approbando Calvinianam .

87 OBJIC. II. Ideo mulieri non convenit ſuprema adminiſtratio Divinorum , quia vir eſt Caput mulieris per naturam ſemper, & in omnibus cauſis , ſed conſtat inter Catholicos mulierem in cauſis politicis alicubi Viro præeſſe legitime : ergo poterit modus excogitari , ut etiam in Dei cauſis viro præſit . Ita Aclerus diſcurrit .

RESP. Vim regitivam conceſſam fœminis pendere a virorum conſenſu , & poteſtate . Nam non jure naturæ, ſed jure humano omnino libero , velut per accidens inductum eſt , quod fœmina alicubi politice regnaret . Nec Lex eſt ubique communis; Romani enim a Principatu fœminas excluſerunt . Sic tota fere Græcia , ſic Gallia , & aliæ Nationes : & ubi viget lex, non eadem in omnibus . Apud aliquas Provincias limitatior , apud alias conditionata , & ſemper cum ea conditione , quod fœmina , etſi prior nativitate , maſculo poſterius nato cedat . Hæc omnia ſolo humano conſenſu virorum ſunt ſtabilita ad turbulentias evitandas pro caſibus , in quibus deficit linea virilis . Ceterum poteſtas ſpiritualis ab hominum arbitrio non pendet , juris enim eſt ſupernaturalis , ſphæram excedentis humanæ , & naturalis facultatis .

Fœmina regit conſenſu virorum .

88 DICES . Poſſet Deus permittere viris , ut ſibi præficiant fœminam in ſacris , ſicut in profanis . Sic ex eodem Aclero .

Argumentum eſt de potentia ad actum . Potuit Deus facere, ut Virgo Maria conciperetur ex Spiritu Sancto ; fecit ergo ? Potuit facere, ut Chriſtus aſſumeret naturam impaſſibilem ; fecit ergo ? Audi Aclere , Tertullianum *cap. 10. contra Praxeam* -- Sed ſi tam „ abrupte in præſumptionibus noſtris hac ſen„ tentia utamur ; quidquid de Deo confin„ gere poterimus, quaſi fecerit , quia facere „ potuerit . Non autem , quia omnia poteſt „ facere , ideoque credendum eſt , illum fe„ ciſſe , etiam quod non fecerit , ſed an fe„ cerit requirendum . Potuit, ſi voluiſſet (ita „ ſalvus ſim) Deus pennis hominem ad vo„ landum inſtruxiſſe , quod & Milvis præſti„ tit ; non tamen quia potuit , ſtatim & fe„ cit . Potuit & Praxeam , & omnes pariter „ Hæreticos extinxiſſe ; non tamen, quia po„ tuit ,

Non omnia quæ potuit , fecit Deus .

„ tuit, extinxit. Oportebat enim & Milvos „ eſſe, & Hæreticos -- Quidquid enim Deus poteſt, & vult; vult. & poteſt ſecundum ordinem Divinæ Sapientiæ. Porro contra ordinem Divinæ Sapientiæ eſt, quod fœmina viris præſideat in Sacrorum adminiſtratione.

89 OBJIC. III. Numer. 27. v. 8. habetur: *Cum homo mortuus fuerit ſine filio, ad filiam tranſibit hereditas* -- ſed hæc lex non eſt abrogata per gratiam; ergo &c. Hinc Judicum 4. v. 5. de Debbora dicitur: *Et aſcendebant ad eam filii Iſrael ad omne judicium*. Athalia ſeptem annis præfuit 4. Regum 11. Alexandra ſecundum Joſephum ſeptem annis, & ſimilia exempla habemus in novo Teſtamento.

RESP. Argumentum ad ſummum probat, poſſe mulierem in Regno Angliæ aſcendere Thronum gubernationis politicæ, quod non negamus, ſi habeat Anglia leges municipales in favorem muliebris ſexus. Ceterum res eſt de Præſidentia, & adminiſtratione Sacrorum. Hæc enim Poteſtas non ſequitur jus humanum, ſed jus Divinum immediate inſtitutivum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, quod eſt omnino invariabile. Mulieres, de quibus in argumento dicitur, non habebant Religionis adminiſtrationem, ſed Sacerdotio ſubdebantur, & Athalia a Sacerdote fuit privata Regno.

Non repugnat Regia poteſtas in fœminis.

90 DICES. In introductione hujus Primatus magna pars Cleri juravit obedientiam.

Sed contra: an recte juraverit, quæritur, & etiam an libere. Minæ intentatæ ſunt, vitæ, bonorumque ſpoliatio. Nec æqualiter omnes præſtiterunt obedientiam. Quidam abſolute, quidam conditionate, quidam homagium etiam in ſpiritualibus dederunt, ſed jurare noluerunt; & alii fortes perſtiterunt in confeſſione veræ fidei. Hi porro licet pauciores conſtantiâ ſuperant, & vincunt plurimorum lapſum. Clericatus non minuit naturæ infirmitatem: unde & de Clero potuerunt aliqui paſſionibus agitari, & in errorem prolabi.

Juramentum iniquum revocandum.

91 OBJIC. IV. Debbora fuit ſuprema gubernatrix in Synagoga; ergo & Mulier in Eccleſia Dei eſſe poteſt. Conſeq. patet ex paritate. Prob. ant. Jud. 4. habetur v. 4. *Erat Autem Debbora Prophetes, uxor Lapidoth, qua judicabat populum in illo tempore*; ergo &c.

RESP. I. Diſtinguitur antecedens: judicabat populum in politicis concedo, in Spiritualibus nego antecedens; quia eo tempore in Iſrael erant Sacerdotes, ad quos pertinebat judicium Divinorum, ut habetur Deuter. 17., & alibi, ut ſupra expendimus.

Debbora judicium in politicis.

RESP. II. Judicabat populum ex aliqua juriſdictione, quam habebat ſuper populum, nego: ex prophetia tantum, concedo. Sciendum ergo eſt, quod Abulenſis, Arias, Genebrard. Cajetan. Serarius, Cornelius, & Rabbini cenſent, Debboram proprie non fuiſſe Judicem, & Principem Populi Iſrael, ſed abuſive, quatenus indicabat populo lites, quas componebat ex prophetia, qua pollebat; non autem juridice: & ex ſententia D. Auguſt. *lib.* 18. *Civitatis cap.* 15., ubi ait — Judicabat „ apud Hebræos fœmina Debbora; ſed per „ illam Dei ſpiritus id agebat; nam & pro-

„ pheteſſa erat -- Et ſic explicandi ſunt Patres, & præcipue Ambroſius, & Hieronymus, quando dicunt eam judicaſſe, rexiſſe, populumque gubernaſſe. Nec mirum: nam Dejoces initio, antequam Rex fieret, ex ſola Sapientia Judicem apud Medos egit, ut narrat *lib.* 1. *Herodotus*. Et Samuel, quia Propheta Domini, de occultis, dubiiſque rebus, iis, qui eum conſulerent, reſpondebat.

92 INSTABIS. Debbora non ſolum judicabat populum in politicis, ſed etiam in Divinis; ergo prima ſolutio nequit ſubſiſtere. Prob. antecedens. Debbora *eodem cap. verſ.* 5. dicitur, quod ſedebat in domo Dei, & in excelſis: *Et ſedebat ſub palma, qua nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel*. Rama, ſecundum Gloſſam interlinealem, Origenem, & alios interpretatur *excelſa*; Bethel, *domus Dei*; ergo etiam judicabat populum in Divinis. Prob. conſeq. Quia Romanus Pontifex dicitur ſedere in Cathedra D. Petri, gaudet poteſtate, & juriſdictione in Spiritualibus; ergo pariter, quia Debbora dicitur ſedere in Domo Dei, pollebat poteſtate judicandi de Divinis.

RESP. neg. antecedens. Quod non probat textus allatus. Primo, quia ſenſus litteralis eſt: *Sedebat inter Rama, & Bethel*, ideſt habitabat, ut legunt interpretes, inter Rama, & Bethel, hoc eſt, domus, in qua habitabat ſita erat inter Rama, & Bethel. Secundo, etiam ſi textus accipiatur in ſenſu arguentis, nihil concluditur; quia non dicit Scriptura: *Sedebat in excelſis, in Domo Dei*, ſed *inter excelſa, & Domum Dei*. Romanus autem Pontifex dicitur ſedere, ſicut de facto ſedet, in Cathedra D. Petri. Tertio. Reſidebat inter excelſa, & Domum Dei ratione ſpiritualis juriſdictionis, negatur: ratione prophetiæ, conceditur. Solutio iſta eſt Origenis *hom.* 5., ubi ait -- Videte in quibus locis reſidere di„ citur propheteſſa: inter excelſa, & domum „ Dei. Propheteſſa, quæ nunc in Debbora de„ ſcribitur, inter excelſa, & Domum Dei „ dicitur habitare --

93 URGEBIS. Si Debbora præter Judiciariam poteſtatem civilem, & politicam, non habuiſſet etiam ſpiritualem, non potuiſſet recurrere ad eam populus Iſrael in omne judicium: ſed recurrebat, ut habetur eodem cap. citato, dicente: *Aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium*; ergo &c.

Confirmatur argumentum. Quia Joan. 5. habetur: *Pater omne judicium dedit filio*: in Chriſto utraque poteſtas datur; ergo pariter, quia Judic. 4. habetur, quod aſcendebant ad Debboram filii Iſrael in omne judicium, dabatur etiam ſpiritualis judiciaria Poteſtas.

RESP. neg. major. Neque illa probatio evincit; quia aſcendebant filii Iſrael in omne judicium in illo ordine, in quo erat Judex; cumque ſolum eſſet Judex in civilibus, ſecus in ſpiritualibus (cum in hoc ordine ſoli Sacerdotes a Domino conſtituti ſint; ut innumeris Scripturis ſupra probatum eſt, & præcipue Deuter. 17.) ex hoc ſequitur manifeſte, quod Debbora non erat ſuprema Gubernatrix Synagogæ in ſpiritualibus. Unde, cum habeatur pluribus in locis Sacræ Scripturæ, Chri-

ſto

ſto datam utramque poteſtatem (præſertim Matth. ultimo, ubi dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo , & in Terra*) Sic & ei omne judicium ſpiritualium, & temporalium datum fuit , licet vivens in terris judiciariam Poteſtatem exercere noluerit ſuper res temporales , quia venerat homines ad Divina transferre , ut inquit Angelicus ; & per hoc patet reſponſio ad confirmationem .

94 ADDES . Debbora intimavit præceptum Domini Barac , ut habetur verſ. 6. *Quæ miſit , & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali: dixitque ad eum : præcepit tibi* A *Dominus Deus Iſrael , vade , & duc exercitum in Montem Thabor* ; ergo utramque Poteſtatem habebat .

RESP. neg. conſequen. Non enim intimavit Debbora præceptum Domini Barac propter Poteſtatem , & juriſdictionem ſpiritualem , ſed quia Prophetiſſa erat . Siquidem in Scriptura ſolum habetur , quod Deus ipſi conceſſerit Propheſiæ donum , ſecus ſpiritualem Poteſtatem, quæ per ſe connectitur cum Sacerdotali dignitate , ut ſupra probatum eſt.

DISPUTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM LICITIS, VEL ILLICITIS IN PERSECUTIONE ANGLICANA ADVERSUS CATHOLICOS.

POſtquam Angliæ Regnum a Fide defecit , gravis inde exorta eſt adverſus Catholicos perſecutio , quæ eos, pluribus editis decretis , adeo divexavit , ut non tantum fideles Incolæ , ſed & Evangelici Miniſtri in maximas devenerint anxietates , atque dubitationes circa modum quoſdam exercendi ritus juxta Catholicæ Fidei leges ; quinimmo incauti non defuere Conſiliarii , qui falſis doctrinis illaquearunt conſcientias ; ea propter e re nica viſum eſt ſpeciales Controverſias ad praxim perſecutionis tempore ſpectantes ad examen revocare , ut hine ex earundem dilucidatione quibuſdam Miſſionariis , qui id exoptarunt , fiat ſatis .

CONTROVERSIA I.

AN ANGLI SINE PECCATO JURARE POTUERINT FORMULAM A JACOBO REGE EXHIBITAM .

NOn poſſumus apte præſentem Controverſiam examinare , niſi aliqua præmittamus pro ſtatu quæſtionis dilucidando . Indubium eſt licere Principibus exigere juramentum fidelitatis a ſuis vaſſallis in iis, quæ ad ſuam pertinent juriſdictionem . Cum enim, ut habetur ad Rom. 13., & jus naturæ , & jus gratiæ præcipiant obediendum eſſe legitimis Superioribus in ſuo ordine , certum eſt materiam juramenti eſſe honeſtam , & pro majori ſecuritate , aut alio convenienti motivo poſſe expeti a Principe . Univerſaliter tamen non eſt in uſu : confidunt enim de fidelitate ſubditorum .

Henricus VIII. cum a fide apoſtataverit , petiit in publicis Comitiis ab omnibus Regni ordinibus , ſibi eam præſtari , & promitti obedientiam , quæ antea præſtabatur Romano Pontifici . At ſub initio a ſolis Eccleſiaſticis, nec ab omnibus , ſed ab iis tantum , qui partes habebant in Comitiis , quod cum aliqua B limitatione illi eſt præſtitum : poſtremo in ea latitudine , quam exoptabat .

Succedens Eduardo Eliſabeth , ſub primordiis Regni , ab omnibus , exceptis quibuſdam Primatibus Laicis , in Parlamento juſſit novam formam juramenti ſolemniter profiteri , quæ habetur ex Sandero *lib. 1. de Schiſmate Anglicano* -- Ego A. B prorſus teſtificor , & declaro in conſcientia mea ,
„ Reginam eſſe ſolam Gubernatricem Su-
„ premam, & iſtius Regni Angliæ , & a-
C „ liorum omnium ſuæ Majeſtatis dominio-
„ rum , & Regionum , non minus in omni-
„ bus ſpiritualibus, atque Eccleſiaſticis rebus,
„ vel cauſis , quam temporalibus ; & quod
„ nemo externus Princeps , Perſona , Præla-
„ tus , Status , vel Potentatus , aut facto , aut
„ jure habeat aliquam juriſdictionem , Pote-
„ ſtatem , Superioritatem , Præeminentiam ,
„ vel auctoritatem Eccleſiaſticam , aut Spiri-
„ tualem in hoc Regno ; ideoque plane re-
„ nuncio , & repudio omnes externas juriſ-
„ dictiones , Poteſtates , Superioritates , at-
D „ que Auctoritates --

Jacobus Rex hanc eandem formam renovavit , quæ eſt quædam proteſtatio primarii Articuli Anglicanæ ſectæ: & addit ſpecialem promiſſionem ſervandi fidelitatem Regi , cujus exemplar inſerit ſuæ Apologiæ , & ad heredes extendit. Occaſione autem molitæ proditionis , exequendæ artificio bellici pulveris contra ejus perſonam, & publicos Regni ordines , ſimul in unum conventuros , novam juramenti formam compoſuit , & edidit paulo fuſiorem, publicoque edicto firmavit , & ob-E ſervari voluit , ut tutiorem impoſterum ſe conſtitueret, & reſiduos intentati criminis detegeret . Exemplar jurandæ formulæ inſeritur de verbo ad verbum in Brevi Pauli V. dato an. 1606. 10. Kalendas Octobris .

Evulgato edicto non una fuit vox inter Catholicos Anglos . Aliqui conſtanter docebant non poſſe admitti tale juramentum, quia turpe , & contra fidem : negari in eo obedientiam debitam Romano Pontifici , tribuique Principi privilegium unicum Sedis Apoſto-

Digitized by Google

ſtolicæ. Alii aſſerebant, non eſſe iniquum illi aſſentiri, quia exteriora verba ſonabant ſolam obedientiam in civilibus, licet implicatum myſterium ſubintelligeretur a Rege. Quare, qui ſincero corde vellet ei ſolam ſubjectionem in politicis jurare, poſſet ei adhærere; non enim ad intentionem eſt attendendum, ſed ad litteram. Quod ſi ex facto aliis ſcandalum oritur, Ignorantiæ tribuendum eſſe, purgarique poſſe, facta proteſtatione coram Catholicis.

In tanta nube, & periculo nullum aliud apparebat lumen, & remedium, quam illud Sedis Apoſtolicæ, quæ materna ſollicitudine præſto fuit medio ſupracitato Brevi Pauli V.: quo laudatur conſtantia Catholicorum, declaratur juramentum eſſe iniquum, adeoque abſolvuntur ab hoc præſtando. In eo pariter declaratur, non poſſe Catholicos adire Templa, & Conciones Hæreticorum, etiam graviſſimis pœnis compulſos.

Non defuit tamen homo, qui zizania ſuperſeminaret. Vulgatum eſt ad incautos decipiendos Diploma non eſſe legitimum, ſed confictum: quod reſciens Romanus Præſul, ſecundum Breve dedit 10. Kalendas Octobris 1607., quo fidem facit primum Diploma ſuum eſſe, & legitimum, illique ſtandum. Cardinalis Bellarminus in epiſtola utrumque Breve tranſmiſit Archipresbytero Angliæ, cui olim fuerat amicitia conjunctus.

Hæc videns Rex excanduit, calamoque accepto Apologiam, ſeu libellum conſcripſit contra utrumque Breve, & Epiſtolam: conatusque defendere ſecundam hanc formulam juramenti, oſtendens ſe nullam aliam præter civilem in eo obedientiam exquirere, quæ a nemine negari poteſt, pluraque permiſcet *pag. 13. præf., & pag. 24. Apol.*

Apologiæ Regiæ, cauſam Dei, & ſuam defenſurus reſpondit Bellarminus, & ipſe alio uſus nomine; demonſtravitque non eſſe ſolius civilis obedientiæ juramentum, verum etiam ſpiritualis. In iſtum inſurgens Rex Jacobus ſecundam editionem Apologiæ fecit, nihil aliud addens, falſo tamen, poſt convicia, & injurias, niſi quod nunquam Bellarminus ad id, in quo cardo vertitur cauſæ, directe reſpondiſſet. Ne ergo eodem redarguamur vitio, aperiendus eſt clarus controverſiæ ſenſus.

Controverſia ergo facti eſt, & non juris. De jure concedimus juramentum civilis obedientiæ licitum, & debitum eſſe Principibus. Unde *pagina 25. Apolog.* extra chorum fuſam adducit Scripturarum, Patrum, & Conciliorum eruditionem ad hoc probandum, nec aliud ſuadet dicta congeries.

Certum pariter eſt ad rem præſentem, illicitum eſſe juramentum Eccleſiaſticæ obedientiæ Regibus præſtandum, ſive ſolitarie ſpiritualis hæc exigatur, ſive mixta cum politica, ſive expreſſe fiat mentio, ſive palliate. Quamvis Sereniſſimus Rex diſputet, & teneat Regibus deberi utramque, quia in utroque ordine eos aſſerit Supremos, nihilominus de hoc non contendit, ſciens a Catholicis minime præſtandum; propter quam cauſam fatetur ſe formulam mutaſſe. Quare quæſtio eſt, an revera ſecunda formula expreſſe, vel palliate contineat obedientiam etiam in ſpiritualibus, & non ſolum in civilibus, ac proinde excuſari poſſint a peccato Angli, qui juraverunt. Rex enim dicit — Nihil in eo juramento contineri, niſi quod ad obedientiam mere civilem, ac temporalem ſpectat qualis ſummis Principibus a ſubditis debetur — Unde.

1 Dico primo. Formula juramenti ab ipſo Rege exigiti includit præter obedientiam civilem, etiam Spiritualem, & Eccleſiaſticam. Prob. diſcurrendo per partes diſtributas in Regis juramento contento in ſequentibus §§.

§. I. *Ego A. B. vere, & ſincere agnoſco, & profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea, coram Deo, & mundo, quod ſupremus Dominus noſter Rex Jacobus eſt legitimus, & verus Rex.*

Ex hac propoſitione ſic arguo. Si in ly *Supremus* intelligatur Præeminentia etiam in Spiritualibus, formula includit plus quam civilem obedientiam, ſed revera terminus ille ſupponit etiam ſpiritualem Præeminentiam; ergo. Explico. Ille terminus ſupponit ſecundum intentionem loquentis, expreſſam per circumſtantias, quæ vim verborum manifeſtant: ſed hæc ſine dubio appellant ſupra ſpiritualitatem. Nam in altera forma nunquam retractata vox *Supremus* explicatur in utroque ordine. Etenim in ſenſu utriuſque Apologiæ, ſcriptis notis evulgavit, defendit, profeſſione, & exercitio ſic intelligit, & practicat; & in hoc ſenſu communiter intelligitur explicari; ergo quamvis præciſive verba accepta videantur rectum habere ſenſum, nihilominus concretive malum habent; nec a ſtatu concreto ſeparari poſſunt, cum non poſſint divelli ab his circumſtantiis. *Perpenditur juramentum Regis Angliæ.*

§. II. *Et quod Papa nec per ſeipſum, nec per ullam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, nec per ulla media, cum quibuſcumque aliis aliquam Poteſtatem, nec auctoritatem habeat deponendi Regem.*

Ex hoc ſic. Tractare de Poteſtate Papæ auctoritative ut ejeranda certo certius excedit limites civilis obedientiæ: ſed hic proponit Poteſtatem Papæ auctoritative ut ejerandam; ergo excedit limites civilis obedientiæ; ergo miſcet ſpiritualem Poteſtatem. Deinde. Exigere profeſſionem erroris contra doctrinam Eccleſiæ, non continetur intra ſphæram pure civilem, ſed hoc facit in dictis verbis. Nam vult, quod in Eccleſia non detur poteſtas deponendi Regem pro quolibet caſu, etiam hæreſis, fidei, & Eccleſiæ damnoſæ; & vult, quod hoc profiteantur ſubditi; ergo includit præter obedientiam civilem, etiam ſpiritualem, & Eccleſiaſticam. Porro hoc eſt erroneum; ea ſiquidem Poteſtate, qua Eccleſia contumaces Hæreticos privatos ſpoliare poteſt bonis, poteſt & Principem: non enim minus Dominus ſuorum bonorum eſt privatus, quam ſit Supremus. Ulterius vult, quod Papa nequeat uti armis per alios Principes ad coercendum Principem rebellem Eccleſiæ, illiuſque everſionem intentantem: ac proinde exigit ejerari Poteſtatem, quam habet Papa ad defendendam Eccleſiam, cujus eſt caput, & ad defen-

dendos

dendos fideles, quorum eſt Pater: ac proinde negare oportet, bene feciſſe Eccleſiam, cum A ſimilia tentavit, ut cum in Concilio Lugdunenſi Fridericum depoſuit, arma ſua offerente Ludovico IX. Galliarum Rege Sanctiſſimo.

§. III. *Vel ullos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Majeſtatis obedientia, & ſubjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Majeſtati ſuæ, Perſonæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis intra ſua Dominia offerendi.*

3 Ex hoc ſic arguo. Profeſſio ejerans Poteſtatem relaxandi juramenta ex juſta cauſa B in Pontifice, non eſt juriſdictionis pure politicæ, ſed hic exigitur Profeſſio ejerans Poteſtatem in Papa relaxandi juramenta ex juſta cauſa; ergo.

Deinde, ut conſtat ex verbis adductis, ſupponit contra praxim Eccleſiæ, & doctrinam Conciliorum, & Claves Petro datas ſolvendi, atque ligandi, nempe, non poſſe Papam ſolvere juramentum præſtitum a populo, vel quoad omnes, vel quoad aliquos: ſed hæc doctrina contra omne jus eſt; ſemper enim juramenta involvunt conditionem duplicem. Prima eſt, ut non teneat obligatio promiſſi, ſi ſine gravi, mutante notabiliter ſtatum rei, C promittentis damno temporali, vel ſpirituali non poſſit adimpleri. Secunda, ut ſemper intelligatur reſervatum jus Superioris; ſed accidere poteſt, quod juramentum præſtitum Regi non poſſit obſervari ſine damno graviſſimo maxime ſpirituali, ut accidit, cum Rex eſt Hæreticus, inſequens Eccleſiam, quod facilius, & frequentius accidere poteſt, ſi agamus non de toto populo, ſed de aliquibus ex populo. Inſuper in hoc §. vult, quod Papa in nullum ex ſuis ſubditis, vel per ſe, vel per alium in quolibet caſo poſſit violentia uti corporali, quod eſt velle Papam non poſſe Anglum Hæreticum, vel Apoſtatam contumacem punire, ac proinde expreſſe ſentit, ſo- D lum ſe ipſum habere in ſuos ſubditos etiam in cauſa hæreſis, ſeu in ſpiritualibus Poteſtatem Supremam.

§. IV. *Item juro ex corde, quod non obſtante aliqua declaratione, vel ſententia excommunicationis, aut deprivationis facta, vel conceſſa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel Succeſſores ſuos &c. Fidelitatem tamen, veram obedientiam ſuæ Majeſtati, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo.*

4 Fuſius in hoc §. exprimit Profeſſionem jurandam contra auctoritatem Papæ circa Regis Hæretici, & inſidiatoris Eccleſiæ depoſitionem; & circa abſolutionem ſubdito- E rum a juramento præſtito, etiam pro caſu, quo Princeps eſt contumax, & fidei injurius: quæ duo, ut diximus, tangunt materiam nullo modo pure civilem. Sed tantummodo perpendere juvat particulam excommunicationis: Vel ſententia per excommunicationem ſupponitur juſta, vel injuſta. Si juſta; ergo obligare intendit ſubditos ad rem iniquam, & ad contemptum Eccleſiaſticæ cenſuræ, cum velit a ſubdito præſtari etiam poſt ſententiam excommunicationis id, quod per excommunicationem vetatur. Si injuſta: ex nullo capite procedit, niſi ex eo, quod cre- A dit Rex in nullo ſe eſſe ſubjectum juriſdictioni Papali Eccleſiaſticæ, qualis eſt Poteſtas ferendi cenſuras: Non enim defectus oriri poteſt ex materia, cum poſſit dari in Principe hæreſis publice contumax poſt cauſam auditam, & ſufficienter examinatam. Tota ergo ratio, cur injuſtam credit ſententiam excommunicationis, non alia eſt, niſi quia ſupra ſe nullam agnoſcit ſpiritualem Poteſtatem in altera perſona; adeoque vult credi Supremus a ſuis vaſſallis in utroque ordine, & ideo tot utitur circumlocutionibus.

§. V. *Omnemque opem impendam, revelare, & Majeſtati ſuæ, heredibus, & ſuc- B ceſſoribus ſuis, manifeſtum facere omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditum meum pervenerint.*

5 Hæc promiſſio ſecundum explicitum verborum ſonum nihil mali continet. Proditio enim crimen eſt graviſſimum læſæ Majeſtatis, vergens in damnum Reipublicæ, quod & ex lege obſervantiæ, & ex fidelitatis jure, & charitatis, tenentur ſubditi impedire; unde & manifeſtare tenentur, & hoc ſine peccato.

Ex contextu tamen non eſt ſincera, ſed fraudulenta propter duo, I. quia nomine pro- C ditionis ſubintelligit omnem actionem exercitam a Romano Pontifice circa perſonam Regis, & ſubditorum: quod evidenter conſtat ex periodo immediate præcedenti, dicente --
„ Et ipſos totis meis viribus contra omnes
„ conſpirationes, & attentata quæcunque, quæ
„ contra perſonam illius, vel illorum, eo-
„ rumque coronam, & dignitatem, ratione,
„ vel colore alicujus ſententiæ, vel declara-
„ tionis, aut alias facta fuerit, defendam--
Ubi nomine *ſententiæ, & declarationis* venit Papalis abſolutio a juramento, & pariter excommunicatio, & declaratio criminis, qua poſita incurritur pœna deſpoliationis.

D II. quia intelligit proditionem, ſolius confeſſionis Sacramentalis notitiâ habitam: quod plane evincitur, tum ex doctrina, quam tradit *in præfatione pag.* 147. irridens Scholaſticos docentes ſigillum confeſſionis in nullo caſu, etiam proditionis Patriæ frangi poſſe; aſſeritque eſſe novum dogma Reipublicæ periculoſum, antiquoſque Doctores oppoſitum tradidiſſe. Tum ex facto, quia accuſat Henricum Garnetum de crimine non revelatæ proditionis, allata excuſatione ſigilli Sacramentalis: licet conatus ſit demonſtrare, aliunde Garnetum habuiſſe cognitionem. Igitur hæc etiam promiſſio fraudulenta eſt, & injurioſa E Sacramento, & excedens limites juriſdictionis pure civilis.

§. VI. *Præterea juro, quod ex corde abhorreo, & abjuro tanquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propoſitionem, quod principes per Papam excommunicati, vel deprivati poſſint per ſuos ſubditos, vel alios quoſcunque deponi, & occidi.*

6 Hic vulpes remordente conſcientia ſemper ſuo capiti timens gladium, exit magis aperte a cavea: quod ſic demonſtratur. Declarare aliquam propoſitionem Hæreticam, & velle ut talem jurari, nondum ab Eccleſia

clare

clare damnatam, eſt ſupra Poteſtatem pure laicalem, & civilem: ſed Rex hoc facit in parte hac juramenti; ergo. Min. explicatur. Vel ſupponit præſentem propoſitionem eſſe damnatam alicubi, vel illam ſua auctoritate hæreticam declarat. Non primum, quia in ſuis principiis nihil eſt de fide, quod in Sacra Scriptura non contineatur, ſed in Sacra Scriptura nullibi habetur illa propoſitio: *Principes excommunicati per Papam non poſſunt per ſubditos privari, aut occidi*. Eſt quidem in Scriptura obediendum eſſe Principibus in civilibus, ſed nihil de privatis, & depoſitis per Sedem Apoſtolicam invenitur. Eadem proportionalis ratio currit de Principibus, ac de Dominis, quibus præcipit Scriptura obedientiam exhibendam a ſervis, nec tamen eſt falſum, & multo minus Hæreticum, poſſe Dominum per Papam depoſitum, & privatum a ſervo contemni.

In Conciliis antiquis (modernis enim non credit) nullibi ſimilis doctrina reperitur, nec locum afferre poteſt. Si enim in noſtris principiis arguit, nihil aliud adducere poteſt, niſi articulum Wiclephi, & Joannis Hus in Concilio Conſtantienſi damnatum, qui eſt ſequens -- Tyrannus poteſt, debet licite, & me„ ritorie occidi per quemcumque vaſſallum „ ſuum, & ſubditum, etiam per clanculares „ inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adula„ tiones; non obſtante quocumque juramen„ to, ſeu confœderatione facta cum eo, non „ ſpectata ſententia, vel mandato Judicis cu„ juſcumque -- Sed in hoc articulo nihil continetur ad propoſitum: nam ibi damnatur occiſio Tyranni, facta ſola auctoritate omnino privata: propoſitio autem Jacobi expreſſe loquitur, ſuppoſita etiam ſententia Papæ excommunicantis, & deprivantis, quo caſu, qui procederet ad occidendum, non procederet nulla ſuppoſita ſententia Judicis cujuſcumque. Diverſa eſt toto Cœlo Wiclephi propoſitio ab illa Jacobi. Si enim ſua auctoritate illam hæreticam facit: quis non videt uſurpare Poteſtatem Eccleſiaſticam? Velle jurari propoſitionem, ut hæreticam, nullibi clare damnatam ab Eccleſia; velle præferri ſententiam ſuam ſententiæ Papæ, etiam ubi de excommunicatione agitur, cæcis conſtat, ingredi ſphæram juriſdictionis alterius ordinis a pura civili, & politica.

§. VII. *Et ulterius credo, & in conſcientia mea reſolvo, quod nec Papa, nec alius quicunque Poteſtatem habet me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte abſolvendi.*

7 Hic replicatur juramentum ſupra impotentiam Papalis auctoritatis circa abſolutionem a juramento pro quolibet caſu, quod omnino iniquum eſt. Obſervatio juramenti cedere poteſt in grave damnum Eccleſiæ, & Reipublicæ: & quomodo non poterit declarari, non tenere? Erit ergo juramentum Regi præſtitum, Chriſti Sponſæ damnificum? Uſus, qui præceſſit, Eccleſiæ Canones, qui ſtatuunt ſubditos remanere abſolutos a juramento fidelitatis, ſi Dominus ſit publica ſententia denunciatus Hæreticus, ut *cap. ult. de Hæreticis*, *cap. ult.* 15. *q.* 6. *cap. Nos Sanctorum*, *ibidem cap. Venerabilem de electione*, & *alibi*, Poteſtas denique ligandi, atque ſolvendi data Præſulibus Eccleſiæ a Chriſto, aperte demonſtrant juramenti hujus iniquitatem.

§. VIII. *Quod juramentum agnoſco recta, ac plena auctoritate eſſe mihi legitime miniſtratum, omnibuſque indulgentiis, ac diſpenſationibus in contrarium renuncio.*

8 In hoc §. eſt duplex error, primus in his continetur clare *plena auctoritate*, ſecundus *diſpenſationibus renuncio*. Nam dicere ſe habere Supremam Poteſtatem in nullo ordine alteri ſubordinatam error eſt: ſed hoc ſignificat terminus ille æquipollens *plena Poteſtate*, ideſt, tali Poteſtate, quæ a nullo alio inter homines eſt impedibilis, & taliter juramentum firmans, quod ſit inauferibile. Hoc enim eſt Poteſtatem eſſe plenam, & cum juramentum tendat contra Papam, ly *plena Poteſtas* ſignat Papalem Poteſtatem non eſſe ei ſuperiorem, ſed ipſum Regem habere æqualem; quod eſt intentum Anglicani Primatus in utroque ordine. Renunciare indulgentiæ, & diſpenſationi, quæ poteſt eſſe neceſſaria majori Reipublicæ bono, & in ſpiritualibus renuncianti damnoſa, eſt error alter, ſed hoc ſignificat verbum illud *renuncio*; cum ſervare obedientiam perſecutori Eccleſiæ perniciosum eſſe poſſit Reipublicæ, & ſervire Principi Hæretico, & Hæretico moleſtanti, damnoſum poſſit eſſe ſubdito; ergo ſequitur indulgentiam eſſe neceſſariam bono communi, ac proinde non poteſt ſine errore renunciari.

§. IX. *Hæc quæ omnia plane, ac ſincere agnoſco, & juro, juxta expreſſa verba per me hic prolata, & juxta planum, ac communem ſenſum, & intellectum eorundem verborum, abſque ulla æquivocatione, aut mentali evaſione, vel ſecreta reſervatione quacumque. Hancque recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntarie, & vere in vera fide Chriſtiani viri. Sic me Deus adjuvet.*

9 In hoc etiam §. non deficit iniquitas. Vult, quod accipiantur verba in eo ſenſu, quem habent abſtractive accepta, ſine reflexione ad ſignificationem, quam habent ex circumſtantiis, quæ ſolent eſſe determinationes locutionis. Grammaticalem exigit ſinceritatem, ubi ipſe fraudulenter tot involvit palliaturas. Quid enim hoc eſt, niſi tanquam agnos ducere ſubditos ad occiſionem? *Apolog. pag.* 5. ſe declarat velle, quod jurent, voluntariæ hæc omnia ſpondeant, ubi ipſe minis cogit ad jurandum; libere non ſpondet, qui terroribus ad promiſſa impellitur. Non continetur ergo intra limites civilis obedientiæ ejus juramentum, ſed ultra pertranſit.

10 Dico II. Angli Catholici non excuſantur a peccato, admittentes hujuſmodi juramentum.

Probatur faciliime. Scienter jurans aliquid contra fidem, & bonos mores non poteſt excuſari a peccato: ſed Catholici Angli in hac formula jurant aliquid contra fidem, & bonos mores, ut commentando formulam demonſtravimus; & hoc ſcienter, quia in Anglis notum eſt odium, quo Romanum Pontificem proſequuntur Rex, & Conſiliarii; & cum ad omne verbum ſit aliquid contra Romanum Pontificem, eo fine dictatum, ut

Y y ſtabi-

Digitized by Google

ſtabiliatur Primatus in utroque genere Poteſtatis, ſequitur, quod non ſolum docti, qui verba, & ſenſum intelligunt, ſed etiam indocti inexcuſabiles fiant de fraude, & ad minus incidant in ſuſpicionem, ac per conſequens teneantur veritatem inquirere a doctis, ne temere jurent in re adeo gravi, & periculoſa, quæ cedit in contemptum Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ, & in præjudicium fidei.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

11 OBJIC. I. Quilibet poteſt jurare ſine peccato, quod non eſt ab intrinſeco malum ad evitandam magnam jacturam bonorum, & ſatis evidens mortis periculum, ſed hoc juramentum non eſt ab intrinſeco malum; ergo. Min. prob. Principale, quod in eo continetur, eſt abnegatio Papalis Poteſtatis in cauſa deponendi Reges: ſed hoc dogma non videtur eſſe de fide; ergo nihil negatur contra fidem; & ſi quid aliud eſt, non videtur eſſe talis malitiæ, quin ob gravem adeo cauſam non poſſit a malitia eximi; ergo &c.

RESP. neg. min. Ad probationem, demus (quod nunc non examinamus) veritatem illam non eſſe de fide; nihilominus aſſumitur tanquam medium pro ſtabiliendo primario articulo Anglicanæ hæreſis; & omnes conatus illuc reſpiciunt, ut ſub colore Impotentiæ deponendi Reges totalis ſubjectio Sedi Apoſtolicæ abjiciatur. Tendit etiam ad tollendam unitatem Eccleſiæ per ſeparationem ab ejus Capite; ergo juratur aliquid intrinſece malum. Deinde præter hanc doctrinam negantur alia omnino pertinentia ad directam Poteſtatem ſpiritualem, inter quæ diſpenſatio juramenti non infimum locum habet.

Juramentum Anglicanum tollit Eccleſiæ unitatem.

12 DICES. Jurans, ſi urgetur gravi cauſa, non tenetur conformari pravæ intentioni exigentis juramentum, ſi verba ſint capacia alicujus bonæ interpretationis, ſed verba hujus juramenti ſunt hujuſmodi, & aliàs Catholici urgentur gravi cauſa; ergo non tenentur attendere ad pravam intentionem exigentis juramentum. Min. explicatur. Verbum illud *Supremus* poteſt intelligi de Dominio ſolum temporali, verbum *non poſſe Regem deponere* explicari poteſt de depoſitione omnino arbitraria: reliqua etiam interpretari licebit in meliorem partem, ſcilicet, ut ea Papa non poſſit ſine cauſa legitima.

RESP. I. Majorem eſſe veram, ſi verba rectum habeant ſenſum tam abſtractive, quam concretive; quia verba ſignificant, ut modificata per adjacentia. II. Vera eſt major, ſi jurans non adimat ſibi jus debitis utendi interpretationibus. In hoc porro juramento adimit ſibi jurans Poteſtatem utendi ſubintellectis ſenſibus, ſicut conſtat ex ultima clauſula. III. Vera eſt major, ſi aliunde non adſit periculum majoris mali eo, quod timetur. Hoc in noſtro caſu accidit, ſequitur enim ex hac profeſſione ſcandalum publicum, & datur occaſio Hæreticis magis, ac magis irridendi Poteſtatem Supremam Eccleſiaſticam, contra quam tot oblocutionibus tendit formula. IV. Vera eſt major, ſi exterius jurans det aliquod ſignum, ex quo prudentialiter audiens cognoſcere poſſit, quo ſenſu profeſſatur juramentum. Nam reſtrictio pure mentalis ſemper fuit ab intrinſeco mala; eſt enim ſpecies mendacii convictui rationali adverſa.

Deinde, minor eſt plusquam falſa: nam Jacobus nunquam locutus eſt de depoſitione, abſolutione, & excommunicatione injuſta, & ſine cauſa, niſi ad ſenſum ſuum, videlicet, omnia in quolibet caſu eſſe injuſta ex defectu Poteſtatis in Pontifice; quia ſibi debitam agnoſcit omnem Supremam Juriſdictionem ſpiritualem. Deinde, evidenter varietas circumlocutionis, & phraſis declarat, loqui de quacunque actione, ut liquet ex illis verbis — „ Quod Papa nec per ſeipſum, nec per ullam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel Sedis „ Romanæ, vel per ulla media, cum quibuſ„ cunque aliis, aliquam Poteſtatem, nec Au„ ctoritatem habeat &c. Quod non obſtante „ aliqua declaratione, vel ſententia excom„ municationis, aut deprivationis facta, aut „ conceſſa; facienda, aut concedenda per „ Papam, vel Succeſſores ſuos, vel per quam„ cumque Auctoritatem derivatam, aut de„ rivari prætenſam ab illo, ſeu a Sede ſua &c.— Et ſimilibus, quæ aperte cadunt ſupra Poteſtatem ipſam abſolute acceptam. Aliunde certum eſt has præcautiones fieri propter timorem ortum ex hæreſi, & ſchiſmate: hæc vero eſt cauſa, & motivum juſtiſſimum.

13 INSTABIS. Ex ſenſu vulgari principalis propoſitionis licet aſſentiri ceteris ſub eadem modificatione: ſed ſenſus vulgaris principalis dicti habet modificationem pro caſu injuſtitiæ. Nam propoſitio illa eſt, qua dicit, Hæreticum eſſe dicere, excommunicatos Principes a Papa, a ſubditis poſſe interfici: ſed in vernacula lingua Anglicana, qua cuſum eſt juramentum, habetur *Murderari*, quod ſonat injuſte interficere; ergo modificatione eâdem cetera poterunt intelligi.

RESP. Hoc effugium inane eſt. I., quia in illo contextu datur alia pars propoſitionis disjunctiva, non copulativa, cui non poteſt applicari terminus ille. Dicit enim non ſolum eſſe hæreticum dicere, poſſe interfici, ſed etiam *Aut deponi*. Porro in propoſitione Wiclephi, in qua fundatur dictum, non habetur altera disjunctiva *Aut deponi*; ac per conſequens ſua Auctoritate illam facit hæreticam. II., quia ly *Murderari* ponitur adhuc poſita ſententia Papæ, ſed poſita hac ſententia Papæ non eſt amplius hæretica propoſitio Wiclephi, ſicut ſupra expendimus; ergo oportet, quod ſupponat ſententiam Papæ eſſe injuſtam; quod in verbis abſolutis ejuſdem propoſitionis Wiclephi non continetur, ſed oppoſitum; ergo ratio cur reprobet Papæ propoſitionem, eſt, quia nullam ſentit in Papa ſupra ſe poteſtatem. III., nequit fieri extenſio ad totum juramentum, in quo continentur alia diverſæ materiæ, & diverſi generis, ut vidimus. IV., nec in eadem materia; quia in aliis §§. utitur verbis univerſalibus, & abſolutis, non cadentibus ſupra modum, ſed ſupra auctoritatem.

14 URGEBIS. Pro evitando gravi

damno

Digitized by Google

damnu liceat ſequi ſententiam probabilem, ſed probabiliter videtur eſſe honeſtum, juramentum illud admittere. Nam plurium auctoritate, & variis propoſitionum commentariis videtur tranſiiſſe in ſententiam probabilem; ergo poterunt excuſari Chriſtiani Angli.

RESP. Si loquimur ante Breve Pauli V., ſimpliciores, & ruſticiores propter ignorantiam invincibilem potuerunt excuſari, ſi conſulentes ſuos Paſtores, quos bonos, & doctos credebant, dictum illis ſit juramentum non eſſe inhoneſtum, & licere. Docti tamen, & qui poterant formulam expendere, nullum probabilitatis momentum habere potuerunt; quia verba ſunt nimis clara, multiplicia, & repetita, variis modis approbationem ſchiſmatis obvolventia. Poſt Breve autem nulli patet excuſatio, nec doctis, nec indoctis, cum fuerit res valde nota, & omnibus ſit præferendum Pontificis Diploma.

15 OBJIC. II. Si Breve non ſubſiſtit, videtur licere juramentum ſaltem ſimplicioribus, ſed videtur non ſubſiſtere; ergo. Min. explicatur exponendo querelas Regis contra Breve ex tribus capitibus deſumptas, ſic. *In princip. præfat.* hæc habentur -- Cum indi-
„ ctum bellum non ſit, negari non poteſt,
„ quin fecerit contra bonos mores, & con-
„ ſuetudinem Principum maxime Chriſtiano-
„ rum, quod me inauditum condemnaverit --
Deinde ſic proſequitur -- Pontifex, ſi exiſti-
„ mat ſe meum Judicem, quod dici ſolet,
„ competentem, cur me in dicta cauſa con-
„ demnat? Sin aliter ſe res habet; & ſi ni-
„ hil Papæ mecum eſt negotii (quod eſt ve-
„ riſſimum) quare ſe immiſcet operi non
„ ſuo, & falcem mittit in meſſem alienam,
„ in re præſertim civili, & quæ ad eum nul-
„ latenus ſpectat? Eos in miſeras anguſtias
„ conjicit, ut aut cum diſcrimine vitæ, &
„ jactura fortunarum fidelitati erga Princi-
„ pem renuncient, aut cum Catholicæ fidei
„ detrimento animarum ſuarum ſalutem,
„ ut obtendit Pontifex, in periculum addu-
„ cant -- Ulterius dicit -- Quia multam (ſci-
„ licet Pontifex) inſumit operam, integram
„ juris jurandi formulam ad verbum recen-
„ ſendo; poſtea verò uno generali verbo to-
„ tum juramentum proſcribit --

Antequam has querelas brevibus diluam (plura enim ſuperflua ſunt) adverto, in his propoſitionibus admiſceri aliqua, quibus confirmatur iniquitas juramenti. In ſecunda aſſerit, Papam nihil negotii cum ipſo habere, quod eſt dicere in nullo Papam agnoſcere, & redarguit, quaſi in alienam meſſem falcem mittat damnando juramentum. Ex hoc colligimus, juramentum ad id tendere, ut ſtabiliatur Anglicanus Primatus. In tertia propoſitione dicit Papam ſuos Aſſeclas conjeciſſe in eas anguſtias, ut vel jacturam facerent vitæ, vel fidei, fatetur ergo ſe vim facere Catholicis, ut jurent; ergo impellit ad manifeſtam iniquitatem, quando vult, ut jurent, & voluntarie illa promittant. Sed his omiſſis.

Juramentum firmat Primatum Anglicanum.

Certum eſt, Papam potuiſſe, & debuiſſe juramentum proſcribere, quia juramentum, ejuſque vinculum eſt res omnino ſpiritualis, eadem directe ſub Poteſtate ſpirituali, quæ velut in Summo Capite reſidet in Papa; ergo ad ipſum pertinet judicare de veritate, vel

A falſitate, ſolubilitate, & vi obligativa. Certum eſt pariter pertinere ad Papam, defendere jura Vicariatus Chriſti, ſed juramentum in pluribus tangit jura Vicariatus Chriſti; ergo poterat defendere. Inſuper certum eſt ad ſpiritualem Poteſtatem ſpectare, corrigere leges civiles, quando exorbitant a juſto, & cedunt in præjudicium animarum, ut patet ex antiqua Eccleſiæ praxi, quæ modum poſuit pluribus legibus civilibus Imperatorum, & Regum: ſed illud juramentum, etſi civile dicatur; exorbitat a juſto, eſtque periculoſum animabus; ergo poteſt corrigi, & emendari ab eo, qui primas partes obtinet in ju-

B riſdictione ſpirituali.

Ad illud de bello indicto; dicimus, bellum ſpirituale (materiale enim non eſt ad rem pro Controverſiis moralibus) jam diù indictum fuiſſe inter Regem Anglicanum, & Sedem Apoſtolicam, totique Orbi notum. Cauſa abunde audita eſt, cum publice, & non in angulis loqueretur formula juramenti, cujus doctrina damnatur Brevis Decreto.

Immerito conqueritur ſe damnatum fuiſſe. Nullum enim verbum eſt contra perſonam Regis, nullaque ſententia. Sola iniquitas juramenti proſcribitur a legitimo, & competenti Judice Chriſtianorum Anglicano-

C rum, qui vera fide credunt in Romanum Pontificem, qui ipſius Regis competens Judex eſt in ſpiritualibus, cum medio Baptiſmo renatus ſit Eccleſiæ, & factus ovis Chriſti.

Immerito pariter conqueritur, quod adnumeretur inter perſecutores Eccleſiæ. Nihil de hoc dicit Pontifex, ſed ſequitur indirecte ex reprobatione juramenti, publica fama, & effectibus promulgati nomine Regis.

Hinc abs re æquiparat ſententiæ Pii V. in Eliſabetham Decretum Pauli V. Nam Pius tulit ſententiam in ipſam Reginam, & pœnam indixit graviſſimam: Paulus nihil agit contra Perſonam Jacobi, ſed ſolam juramenti

D pravitatem damnat. Dein male dicit Paulum denegaſſe obſervantiam civilis obedientiæ Regi debitam, de quo neque ſomniavit. Damnavit ſolum formulam hujus juramenti; quia non eſt pure civile, ſed excedens limites laicalis Poteſtatis; & aliunde iniquum eſt.

Ad ſecundum: dici debet Jacobo, quod Elias dixit Achab 3. Reg. 18. v. 18. *Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui.* Iniquitas juramenti cauſa eſt anguſtiarum Catholicorum, quos ad iniqua cogebat: detegere autem veritatem, & falſitatem damnare, nulli nocivum eſſe poteſt: & poſita vi a Rege illata, tenebatur Paſtor bonus providere ovi-

E bus ſuis.

Ad tertium tandem reſp. Ad quid terere tempus in aſſignandis rationibus, quibus damnabat juramentum; ſingulas clauſulas examinatas exponere; & quid ſit ſentiendum de quolibet puncto, inferere; ſi totum eſt falſum, & erroneum? Ideo uno generali verbo totum juramentum proſcripſit; quia ut Legislator ſe geſſit, brevibus verbis juſtum dictans decretum. Inſeruit poſtea juramentum de verbo ad verbum, ut innoteſceret, ſe nihil confinxiſſe, nec falſis fuiſſe rumoribus ductum, ſed illud examinaſſe, & ut tale il-

lud eſpoſuiſſe, nt pateret unicuique ejus iniquitas.

16 OBJIC. III. Si jutamentum eſt ſolius civilis obedientiæ, honeſtum eſt: ſed nonniſi civilem cootinet obedientiam; ergo. Min. declaratur. Verbo Regio credendum eſt, ſed Rex pluribus in locis aſſerit, ſe nihil aliud intendere; etenim *pag. 4. Apolog.* fatetur illud edidiſſe, ut eſſet ſecorus, quod propter conſcientiam ſaltem non violaſſent ſubditi, quæ ipſi præſtare tenebuntor. In principio pariter Apolog. habet -- Non „ in aliunı finem conſtitutum eſſe hoc jura- „ mentum, quam, ut, non modo infideles „ ſubditos, & perfidos proditores, ſed etiam „ inter ipſos Pontificios, qui fidelitatem Re- „ gi ſervandam eſſe crederent, & eos, qui „ prætextu diſparis Religionis contra Regem „ conjurare licitum eſſe arbitrarentur, di- „ ſcrimen aliquod extaret -- Ulterius *in præf. pagina* 11. 12. 13., & 14. id aſſerit, & probare conatur; invehitque in Bellarminum, quia -- Evincere nititur, hoc fidelitatis ju- „ ramentum nihil eſſe, præter antiquum il- „ lud Primatus juramentum, nunc recens „ verbis obſcurioribus, & per ambages cir- „ cumlocutionom formatum -- Ergo hooeſtum eſt juramentum.

RESP. Hæc abs re aſſeruotur. Formula ipſa loquitur, mentemque veram Apologiſtæ aperit. In ea ſiquidem poſterioribus his dictis contrarium continetur. Cum ſe detectum in fraude videat, hæc addit effugia.

Vana Jacobi effugia.

Sed cum convincamus ex adjectis. In edicto, quo formula eſt promulgata, habetur, ut conſtat ex Bellarmino *in Apolog. pag. mihi* 258. *Ad detegendos, & reprimendos Papiſtas*; ex quo ſic. Nomine Papiſtarum veniunt Catholici, qui Papæ obediunt, & confitentur apud ipſum eſſe Primatum Eccleſiaſticum; ergo juramentum datur ad dignoſcendos Catholicos a Proteſtantibus, ſed obedientia civilis non eſt ſignum diſtinctivum Catholicorum a Sectariis, quia obedientia civilis eſt communis omnibus; nec eam prohibet, ſed præcipit Pontificiorum Religio; ergo hæc ibi non intenditur; ſed id quod intenditur, eſt fideles ab obedientia Summi Pontificis evocare.

Secundo. Finem intrinſecum juramenti declarat ſuperſcriptio, ſed ſuperſcriptio reſpicit abnegationem Pontificiæ Poteſtatis; ergo. Tertio. In altero edicto duplex erat juramentum. Unius ſic erat inſcriptio: *De Primatu Regis in ſpiritualibus*; alterius verò: *Contra Poteſtatem Pontificis in Principes Chriſtianos*. Hoc ſecundum illud eſt, quod appellat juramentum fidelitatis: quod tamen patet principaliter reſpicere abjurationem ſpiritualis juriſdictionis Sedis Apoſtolicæ.

Latet anguis in herba ſub verbo illo: *civilis fidelitatis*. Civilis fidelitas, de qua loquitur, ſecoodum connexa ipſius ea eſt, quæ nullum ſibi recognoſcit Superiorem, ſive directe, ſive indirecte, ſed ſuprema hæc civilis fidelitas non ſtat ſine abjuratione Poteſtatis Pontificiæ, quæ ſola poteſt eſſe ſuperior, & debet eſſe, cum ad ordinem Chriſtianitatis pertioeat, & ordo temporalis ſubordinetur ſpirituali, & eſſe hominem, & Principem temporalem ſubordinetur eſſe Chriſtiano; & per cooſequens Chriſtiana fidelitas debet A includere ſubjectionem Poteſtati ſpirituali. Qui dixit: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*; dixit etiam: *Quæ ſunt Dei, Deo*; ac proinde eiuſdem Vicario: non poteſt ergo a fidelitate civili apud fideles rejici obedientia Paſtori ſuo. Eo vel maxime, quod ubi Homo, & Deus concurrunt, magis eſt Deo obediendum, quam homioibus, ut Act. 4., & 5. habemus.

In alio conſimili verbo alter anguis abſconditur. In præfatione aſſerit ſe exigere illam civilem obedientiam -- Quam natura ipſa „ omnibus ſub Regno naſcentibus præſcribit -- Sub quo modo loquendi intelligit duo, Pri- B mum hoc eſſe iodependenter ab omni ſubjectione Pontificis, ſecundum, eo modo, quo in Ethnicis; quod evincitur *ex præf. p.* 24., obi contra Bellarminom, aſſerentem eum Juliano Apoſtatæ ſimilem, habet hæc verba -- „ Extra cauſam, gregemque Pontificium eſſe „ putet, neceſſe eſt. Eodem itaque jure Eth- „ nicis Principibus cenſendus ſum, in quos „ ipſe, nihil poſſe Pontificem, fatetur -- adeoque ſentit ex hoc capite juris naturæ ſe excludi a ſubjectione Poteſtatis Pontificiæ, ſicut Ethnicus.

Utrumqoe tamen dictum eſt falſum. Primum; quia nonniſi jure gentium Poteſtas re- C girIva eſt a natura in Dominantibus, ea ſemper reſervatione, ut poſſit Reſpublica eum deponere, & obedientiam negare, quoties inſurgere reotat tyrannica gubernatione contra bonum commune. Secundum, quia natura ſubditur gratiæ, corpus animæ, terra cœlo: unde in renato per Baptiſma obedientia civilis ablegare non poteſt ſpiritualem; & cum ipſe Jacobus fateatur ſe Sacro Fonte lavatum, nequit exigere eam civilem independentiam, quæ datur Ethnicis, nullo jure intra Eccleſiam exiſtentibus.

17 DICES. Si non intelligeretur ſola civilis obedientia, non eſſet ablata a jura- D mento particula, qua negabatur Poteſtas excommunicandi Regem; & tamen eſt ſublata: unde *in præfat. locis ſupra citatis* ſic diſcurrit -- Cum Parlamentum inferioris domus inſeruiſſet clauſulam -- Qua Pontifici excom- „ municandi mei Poteſtas adimebatur, illam „ prorſus deleri volui &c. Quanta ſollicitu- „ dine cavebam, ne quidquam hoc jure ju- „ rando contineretur, præter fidelitatis il- „ lius, civiliſque, & temporalis obedientiæ „ profeſſiooem, qoam ipſa natura omnibus „ ſub Regno naſcentibus præſcribit? --

Formalia, & expreſſiora verba ademit, ne illico pateret iniquitas, ſed ſenſum invol- E vere non ſemel voluit, & firmare. Quid ſonant illa verba: *Vel ſententia excommunicationis?* Quid illa alia: *Principes per Papam excommunicati?* Quid illa toties reperta: *Per quamcunque auctoritatem ſuam, vel Eccleſiæ &c.* His adimitur quælibet Poteſtas deponendi Reges, & abſolvendi ſubditos pro ſemper, vel ad tempus. Porro eſt effectus intrinſecus excommunicationis auferre pro toto tempore, quo durat, communicationem, etiam civilem inter excommunicatum, & ſubditos, paucis caſibus exceptis. Unde cum Rex pro nullo caſu, & pro nullo tempore admittat hanc

ſpe-

ſpeciem civilis depoſitionis, ſeu melius, abſolutionis a vinculo fidelitatis, ſequitur, Poteſtatem etiam excommunicandi, revera adimere. Eo vel maxime, quod reclamat. quod dictum commercium civile -- Excommuni-
„ cationis, quæ ſpiritualis cenſura eſt, fines
„ longe, lateque excedat -- Sed immerito, needum contra Canones antiquos, & uſum Eccleſiæ, ſed & contra Scripturam. Nam 2. Joan. 1. v. 10. de iis dicitur: *Nec ave ei dixeritis*. Ad Titum 3. v. 10. *Poteſt unam, & ſecundam correptionem, devita*. 1. ad Corinth. 5. v. 11. *Cum ejuſmodi nec cibum ſumere*.

Excommunicatio dicitur ſpiritualis ratione materiæ primariæ, ſed ſecundario ad temporalem extenditur. Duplicemque rationem tangit Paulus; prima, ut contumax in temporalibus affligatur, quæ ſenſibilius movent, ut duritiem cordis deponat, & ſanetur in ſpiritu, vexatus in corpore. Sic enim ait 1. Corinth. 5. v. 5. *Jam judicavi &c. tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Secunda, ut tollatur periculum perverſionis in ſubditis propter communicationem in civilibus cum Domino. Qui enim *tangit picem, coinquinabitur ab ea*; ideo *devita*.

Ubi verò Rea ait, jus hoc -- Nullo le-
„ gitimo modo eſt Pontifici acquiſitum, ſed
„ per Papatus injuſtam uſurpationem, &
„ violentiam ſecularem vendicatum -- haſque Controverſias nullo Concilio eſſe finitas, & circa eas inter Scholaſticos eſſe diſſidia inexplicabilia: remittendus eſt ad ea, quibus probatur a nobis Supremitas Pontificis in Eccleſia.

Illud indubium eſt, quod immerito conqueritur de Bellarmino, eo quod dixerit juramentum hoc idem eſſe cum primo, ſed occultatum variis circumlocutionibus. Revera enim unum virtute aliud continet.

Ultimo loco Rea quatuordecim propoſitiones infert, & colligit ex denegatione juramenti, ut abſurditatem oſtendat. Verum eas non vacat expendere, quia evacuantur ſine ulla difficultate ex commento, quod fecimus ad formulam juramenti; & inde confirmamur in noſtro ſenſu; quia ex quatuordecim una tantum pertinet ad perſonam Regiam; aliæ verò tredecim tangunt Pontificem. Concludimus ergo eum, dum voluit, ut dicit, diſcernere proditores a fidelibus, reſpexiſſe finem non malum, ſed uſurpaſſe medium everſivum unitatis Eccleſiæ, quod peſſimum eſt.

CONTROVERSIA II.

AN CATHOLICI ANGLI AD EVITANDAS PŒNAS ADIRE POSSINT TEMPLA HÆRETICORUM.

PAulus V. in Decreto, quo juramenti formulam irritavit, laudatâ conſtantiâ Catholicorum in perferendis vexationibus pro fide Chriſti, admonet, ut caveant adire Templa, & audire Conciones Hæreticorum, declarans, hoc eſſe illicitum -- Nihilominus zelo Paſtoralis officii no-
„ ſtri impulſi, & pro paterna ſollicitudine,
„ qua pro ſalute animarum veſtrarum aſſidue
„ laboramus, cogimur monere vos, & ob-
„ teſtari, ut nullo pacto ad Hæreticorum
„ Templa accedatis, aut eorum Conciones
„ audiatis, vel cum ipſis in ritibus commu-
„ nicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim
„ licet vobis hæc facere ſine detrimento Di-
„ vini cultus, ac veſtræ ſalutis -- Quare pro complemento explicationis formulæ juramenti, & pro defenſione Brevis Apoſtolici contra impugnatorem Regem e re noſtra eſt reſolvere præſentem Controverſiam.

Sciendum eſt ergo hæc tria eſſe diverſa, confiteri fidem exterius, negare fidem, & ſimulare fidem. Confiteri fidem eſt talia dicere, vel facere coram aliis, ex quibus colligatur eſſe Chriſtianum: Negare fidem eſt talia ſigna, vel dicta exhibere, quibus dignoſcatur non credere, ſed diſſentire iis, quæ Catholica Religio proponit: Simulare fidem eſt negative ſe habere ad confeſſionem fidei, & negationem, id eſt, talia agere, vel loqui, ut fidem ſuam occultet.

Suppono nunc pro certo confeſſionem fidei exteriorem aliquando cadere ſub præcepto, ad Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Ubi eandem neceſſitatem ſtatuit confeſſionis fidei pro ſalute, ac interioris aſſenſus pro juſtificatione acquirenda. Rationem dat D. Auguſtin. *Sermone* 181. *de tempore, alias* 59. Quia illud cadit ſub præcepto, quod eſt neceſſarium ad conſervandam unitatem Eccleſiæ: ſed confeſſio exterior fidei eſt neceſſaria pro conſervanda unitate fidei: Si enim quod in corde geritur, ſignis vocum ad aliorum corda non tranſmitteretur, unus non poſſet ab alio diſcere, nec alius alium docere; & cum fides ſit omnium bonorum fundamentum, totam viſibilis Religionis fabricam ſuſtentat; ac proinde quandoque eſt exterioribus ſignis explicanda, & firmanda. Auguſtino conſonat Sanctus Thomas dicens Fidem inclinare per ſe ad reddendum honorem Deo veraciter loquenti. Porro ſubtraheretur honor debitus Deo veraciter loquenti pluries, ſi confeſſio fidei non caderet ſub præcepto. Nam propter omiſſionem confeſſionis infideles, & Hæretici, vel mali homines ſuſpicarentur non eſſe verum, quod Chriſtiana profeſſio docet.

19 Multò certius eſt illicitum eſſe fidem negare exterius, ut contra Elceſaitas, alioſque Hæreticos ſuis locis demonſtrant Controverſiſtæ, eſtque apertum in Scripturis: tum Matth. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: tum 2. ad Tim. 2. v. 12. *Si negaverimus; & ille negabit nos*. Pœna verò adeo gravis; qualis eſt negari a Chriſto coram Patre, non ſtat, niſi gravis culpa committatur, & præceptum grave violetur. Et ratio evidens eſt: quia, qui negat exterius fidem, negat eſſe verum, quod Deus dixit: ſed hoc eſt mendacium in re graviſſima; ergo graviſſime peccat.

20 Simulare verò fidem poteſt eſſe honeſtum, & inhoneſtum. Honeſtum, ſi adſit motivum rationabile occultandi fidem, & utilitas fidelium (ex ſe enim fidem occultare,

non

non eſt illam negare, nec eſt illam confiteri) cum ergo præceptum confitendi fidem affirmativum ſit, non obligat pro ſemper, adeoque licebit aliquando eam tegere. inhoneſtum, ſi occultetur eo tempore, quo confeſſionis præceptum urget, & ſimulatio accipiatur pro negatione fidei, aut ſi ſcandalum infirmis oriatur: Tunc enim omiſſio eſt privativa, & non ſolum pure negativa.

His prælibatis, quæ de fide fuſius tradantur in propriis locis, ſtatus præſentis Controverſiæ eſt: An adire Templa Hæreticorum Anglorum, Conciones eorum audire, preces cum eis fundere, in aliiſque eorum ritibus communicare ad evitandas graviſſimas pœnas, ſub quibus a Principe, & Magiſtratu iſta ſubditis ſuis præcipiuntur, ſint ſimulatio fidei negativa, an verò privativa. Sit ergo concluſio.

Dico, Catholicis Angliæ non licet adire tempore Sacrorum Templa ad evitandas pœnas.

Non eſt licita communicatio in ſacris cum Hæreticis.

21 PROB. I. Communicatio cum infidelibus, & Hæreticis in Sacris eſt per ſe illicitum: ſed adire Templa, audire Conciones, fundere preces, aſſiſtere menſæ Eucharitticæ eſt communicare cum Hæreticis in Sacris; ergo eſt illicitum. Major eſt expreſſa pluribus locis in Scriptura. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis. Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt; ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium*: ait Paulus ad Rom. 16. v. 17. *Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*: 1. ad Corinth. 10. v. 20. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus Templo Dei cum Idolis? Vos enim eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus &c. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis*. 2. ad Corinth. 6. v. 14. *Nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis*: ſic 2. Joannis v. 11. Sed Templa Hæreticorum, conciones, preces, cœna, aliique ritus ſunt opera maligna, tenebræ, menſa, calices dæmoniorum, juga infidelium; ergo Catholicus menſæ Domini, lucis, & juſtitiæ particeps non poteſt cum illis ſe immiſcere ea impotentia, quæ eſt inter Chriſtum, & Belial, quæ eſt omnino ab intrinſeco.

Patrum Sententia.

22 PROB. II. ex Patribus. Irenæus *lib. 1. contra Hæreſes cap.* 13. ita loquitur -- „ Exſufflantes, & anathematizantes, oportet „ alicubi, & longe fugere ab eis -- *Et lib.* 3. *cap.* 3. ait: Apoſtolos, & eorum Diſcipulos adeo timuiſſe cum Hæreticis communicare -- „ Ut ne verbo tenus communicarent alicui „ eorum, qui adulteraverunt veritatem --

Tertullianus *lib. de Spectaculis cap.* 13. -- Ab idololatria abſtinemus, nec minus Tem„ pla, quam monimenta deſpicimus, non „ ſacrificamus, nec de ſacrificato edimus &c. „ oculos, & aures ab idolothytis abſtine„ mus -- Pariter *lib. de Idololatria cap.* 13. de infidelium functionibus loquens dicit -- „ Hoc loco retractari oportet de feſtis die„ bus, & aliis extraordinariis ſolemnitatibus, „ quas interdum laſcivis, interdum timidi„ tate noſtra ſubſcribimus adverſus fidei di„ ſciplinam, communicantes nationibus in „ Idolicis rebus -- Deinde proponit hanc quæſtionem -- An cum ipſis nationibus commu„ nicare in his ſervus Dei debeat, ſive habi„ tu, ſive victu -- & reſpondet -- Nihil com„ munionis eſt luminis, & tenebris, vitæ, & morti -- Et loquitur de illis actionibus factis cauſa Religionis.

Cyprianus *Epiſt.* 55. *ad Cornelium* -- De„ clinent de cetero fortiter, & evitent dile„ ctiſſimi fratres noſtri verba, & eloquia eo„ rum, quorum ſermo; ut cancer ſerpit &c. „ Hoc Beatus Apoſtolus non tantum monet, „ ſed etiam jubet a talibus, ut recedatur. „ Præcipimus (*inquit*) vobis in nomine Do„ mini noſtri Jeſu Chriſti, ut recedatis ab „ omnibus fratribus ambulantibus inordina„ te, & non ſecundum traditionem, quam „ acceperunt a nobis -- *Lib. de lapſis* ſcribit -- „ Chriſtus in præceptis ſuis dicit: Qui con„ fuſus me fuerit coram hominibus, con„ fundet eum filius hominis: & Chriſtia„ num ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confun„ ditur, aut veretur? Quomodo poteſt eſſe „ cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere, „ aut erubeſcit, aut metuit? &c. -- in eodem libro de illis, qui quidem idolis non ſacrificaverunt, ſed libellos ſubmiſſionis obtulerunt: poſtquam dixit, male feciſſe, & defeciſſe a fide propter hoc ſubdit -- Com„ que ſcriptum ſit: Non poteſtis duobus Do„ minis ſervire, Servivit ſeculari Domino, „ obtemperavit ejus edicto, magiſque obe„ divit humano imperio, quam Deo -- Clerum Romanus *ad Cyprianum epiſt.* 31. *inter epiſtolas Cypriani* in eadem cauſa ita loquitur -- „ Non eſt immunis a ſcelere, qui vult videri „ propoſitis adverſus Evangelium, vel edi„ ctis, vel legibus ſatisfeciſſe: nam hoc ipſo „ jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit --

Hilarius *Can.* 10. *in Matth.* ad verba illa: *In viam gentium ne abieritis &c.* dicit -- Non „ quod non etiam ad ſalutem gentium non „ mitterentur; ſed ut opere, & vita genti„ lis ignorantiæ abſtinerent; & quod Civita„ tes Samaritanorum non adeant, admonen„ tur --

Auguſtinus *Serm. 6. de verbis Domini*, verſans illud ad Rom. 13. v. 2. *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, interrogat -- „ Sed quid? ſi illud jubeat, quod non de„ beas facere? -- & reſpondet -- Hic ſane „ contemne Poteſtatem, timendo Poteſta„ tem -- infra pariter habet -- Si imperator „ jubet, eſto mihi in obſequium. Recte; „ ſed non in Idolio. in Idolio prohibet ma„ jor Poteſtas. Da veniam; tu carcerem, „ ille gehennam minatur -- Item *epiſt.* 162. *lib. 2. retract. cap.* 62. oſtendit, non eſſe fidem ſimulandam, & cavendum a communicatione Hæreticorum, excepto caſu, in quo de eorum converſione agitur. Omitto alios in re

tam

tam clara prioribus ſeculis noſtram doctrinam confirmantes.

Fides nec formaliter, nec virtualiter neganda.

23 PROB. III. Quotieſcunque quis vel formaliter, utpote nominatim vocatus, ſeu ad Tribunal deductus, vel virtualiter per exigentiam determinati operis, & conſtitutionem certarum ceremoniarum interrogatur de ſua fide Catholica, & obedientia Romano Pontifici, vel de approbando ritu alieno a Religione vera per publicam auctoritatem publici Perſecutoris fidei, tenetur non negare fidem; quæ propoſitio indubia eſt: Tunc enim urget neceſſitas honorandi Deum, & tuendi Religionem. Sed qui in Anglia per publicum Edictum impelluntur adire Templa, audire conciones, preces fundere, cœnæ intereſſe, & ſimilibus, interrogantur publice virtualiter de fide, & obedientia Romano Pontifici, & de approbatione ritus alieni a Chriſto; ergo tenetur poſitive fidem non negare, quæ negatur exequendo præſcripta. Min. declaratur. Ideo enim ſub graviſſimis pœnis coguntur ad prædicta, ut oſtendant, an Papæ obediant, & an Calvinum deteſtentur: immo non datur libertas ad utrumque, ſed taliter comprimuntur, ut caterius non poſſint, niſi ſe Calviniſtas oſtendere.

Profiteri falſum malum eſt.

24 PROB. IV. Profeſſio ſuperſtitioſæ Religionis eſt ab intrinſeco mala, nullo timore humano excuſabilis, ſed communicatio cum Hæreticis in caſu controverſiæ eſt profeſſio ſuperſtitioſæ Religionis; ergo eſt ab intrinſeco mala nullo timore humano excuſabilis. Maj. certa eſt cum profeſſio falſitatis, & maxime in materia Divini cultus eſſentialiter ſit mala. Min. exponitur. Vel enim aſſiſtunt Fideles animo colendi Deum ritibus illis Hæreticis; & jam eſt formalis profeſſio ſectæ Calvinianæ, & abnegatio Pontificiæ Religionis, vel ſola præſentia externa, animo ſecrete colendi Deum recto ritu, & proprio: & tunc eſt virtualis profeſſio exterior falſi cultus; quia aſſumitur ut determinatum ſignum expreſſivum illius ſecundum uſum communem loci, ubi ad hunc finem illa exhibetur, & ad hoc proteſtandum fiunt illi cœtus, & functiones.

Confirmatur. Verbis approbare falſam Religionem pro vera, etſi corde credatur oppoſitum, eſt eſſentialiter malum contra fidem; ergo etiam illam eandem approbare factis: ſed qui ſe immiſcet prædictis actionibus Hæreticis approbat factis exterioribus falſum cultum pro vero; quia illæ actiones aſſumuntur propter aliquam ſignificationem; nec aliam hic, & nunc habent, quam ſignum cultus falſi; & eſt omnino inſeparabilis hæc ſignificatio ab his actionibus in hac materia, videlicet, Religionis. Igitur communicatio in iſtis exercitiis eſt participatio ſuperſtitionis:

Affirmatio erroris eſt negatio veritatis.

nam participatio eſt quædam approbatio: porro approbatio falſæ Religionis eſt negatio veræ; affirmatio enim erroris eſt negatio veritatis. Quare illa ſimulatio eſt exterior negatio noſtræ fidei; nullo autem motivo fides noſtra negari licite poteſt.

25 PROB. V. Ex D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. Non confiteri exterius fidem, quando urget præceptum poſitivæ confeſſionis, eſt ita ab intrinſeco malum, ut nullo fine ſit excuſabile. Lucæ enim 9. v. 26. ait Dominus: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in Majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum:* ſed tempore prætenſæ diſſimulationis, urgente Edicto, adire Templa &c. initat præceptum poſitivæ confeſſionis fidei; ergo tenetur fidelis illam confiteri. Prob. min. Tunc urget poſitivæ confeſſionis obligatio, quando ea diſſimulatione obfirmantur Hæretici in ſua ſuperſtitione, & infirmantur fideles in vera fide (Hic enim eſt caſus ab omnibus admiſſus, & per ſe notus, cum cedat in præjudicium Religionis, & Dei) ſed per adimpletionem Edicti Principis magis obdureſcunt Hæretici in ſuo errore, videntes fragilitatem Catholicorum, & fideles infirmi aliorum exemplo de facili pertrahuntur, & in dies creſcit numerus aberrantium; & maxime tunc, quando majores, doctiores, & dignioris gradus, puta Sacerdotalis deficiunt a fortitudine, ut in caſu teſtatur Sanderus *lib.* 3. *Hiſtoria Anglicana*, qui ait, urgente præcepto Reginæ multos ex noſtris defeciſſe, ex gradu etiam Sacerdotali -- Et Hæretici gau-
„ debant non mediocriter, Valet hic illud
„ Pauli prima ad Corinth. 28. de comeſtio-
„ ne immolatorum: Nolite manducare pro-
„ pter illum, qui indicavit, & propter con-
„ ſcientiam. Conſcientiam autem dico, non
„ tuam, ſed alterius -- idest Hæreticorum
(qui inſoleſcunt, & irrident) & fidelium, qui labuntur.

Honor Dei omnibus præferendus.

Deinde, non eſt dubium, quin illud Edictum ſit in contemptum veræ Religionis; ſed ex nullo motivo licet aſſentiri, & obedire in his, quæ fiunt in contemptum fidei: honor enim Dei eſt omnibus præferendus; ergo &c. Poſtremo. Certum pariter eſt in acceſſu ad conventicula Hæreticorum, ubi de erroribus agitur, vel factis, vel verbis adeſſe intrinſecum periculum perverſionis; & pauci ſunt, qui poſſint eos impugnare, & plures, qui de facili credunt, & decipiuntur, ſed non licet ſubire periculum ſubverſionis intrinſecum per ſe tale; quia licet quoad unum, vel alterum tale periculum forte non ſubſit, ex toto tamen ſubeſt, ac per conſequens ab omnibus vitandum. Non enim ceſſante fine in particulari ceſſat lex.

Quare ſapienter docet Chryſoſtomus *Orat. 2. de provid., & fato* magis eſſe fugiendos cœtus, & conciones, quæ peſtilentibus opinionibus repletæ ſunt, quam a luis contagioſis, & infectis; quia hæc corporibus, illa animabus nocent -- Ne ſteteris, reſili, ne
„ tardaveris, vel breviſſimam hic metuas mo-
„ ram. Hæc dicimus non ſtabilitatem illarum
„ opinionum veriti, ſed imbecillitatem ve-
„ ſtram metuentes -- Similia paſſim Patres habent. Fides eſt enim ſperandarum ſubſtantia rerum: unde periculum deficiendi in ea; eſt ſolicitius præcavendum; quia gravioris damni; totum enim amittitur illa deficiente.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

26 OBJIC. I. Exercere opus ex natura ſua indifferens motivo evadendi graviſſima damna, non eſt illicitum, ſed adire Templa, audire Conciones Hæreticorum, fun-

fundere cum ipſis preces, ſunt opera ex natura ſua indifferentia; ergo non ſunt Catholicis Anglis illicita pro evitandis graviſſimis pœnis. Min. declaratur. Adire Templum non eſt intrinſece malum: unde paſſim Catholici ingrediuntur fana Gentilium, nec audire conciones pravæ doctrinæ; poſſunt enim audiri, vel ut refellantur, vel ut irrideantur, vel ut habeatur delectatio de modo dicendi, neque intereſſe precibus; quia poteſt quis adeſſe, ſecretò orans coram Deo ſincere, vel ut irrideat; vel ut diſcat modum, quo fiunt; nec iſtæ actiones variant naturam ſuam; quia his Hæretici abutuntur; ergo &c.

Actiones quædam concretive illicitæ.

RESP. neg. min. Licet enim hæc abſtractive, & præciſive accepta videantur indifferentia, præſertim adire Templa, & audire Conciones; nihilominus accepta in ſingulari, & concretive, & moraliter ſub iſtis circumſtantiis ad obediendum Principi præcipienti, & aliis explicatis, non ſunt indifferentia, ſed determinata ad cultum ſuperſtitioſum. Sicut, phyſice loquendo, incenſum comburere eſt indifferens, ſi tamen fiat quando a circumſtantibus accipitur, & exercetur tanquam ritus Religioſus idolo exhibitus, eſt intrinſece malum. Dixi præſertim &c. Quia in adſtando precibus, & participationi cœnæ Euchariſticæ, longe minor excogitari poteſt indifferentia, cum hæ functiones ſint immediatius, & proximius cultus Religionis, & ſigna ſacra: nec AngloCalviniſtæ habeant aliquid cœna Euchariſtica deteſtabilius.

27 DICES. Quod eſt alicui actui accidentarium poteſt ab illo ſeparari, motivo rectæ intentionis, & præcavendi damni, ſed iſtis actionibus eſt accidentarium ſignificare fidem, & cultum Religionis. In tantum enim ſignificant, quia ſic judicant iſti, vel illi; ergo ſi Catholici ducantur bona fide, poſſunt illa judicia permittere: nec proinde fidem negant, vel falſam profitentur.

Actus ſunt Religioſi ex uſu communi.

RESP. Sicut verbis, ita & actionibus non eſt accidentarium illud, quod ſignificant ex communi impoſitione, & uſu: ſed iſti actus ex uſu, & impoſitione communi ſunt actus Religioſi, & Religionem ſignificant; ergo non eſt illis accidentaria ſignificatio. Prob. min. Nam iſti actus in ſingulari uſurpati, in conſuetudine cum Hæreticis, & ut indicti a tali Principe ſchiſmatico ſignificant talem Religionem; ac proinde, qui in illis communicat, in tali Religione communicat. Quia enim ex communi uſu, & impoſitione Gentilium deferre in veſtibus talem imaginem eſt ſignum proteſtativum falſæ Religionis, non eſt ullo modo licitum veſtes illas deferre, etſi phyſice ſint indifferentes, & poſſit quis illis uti ad ſecurius furandum, vel ad comœdiam exercendam. Ita in noſtro caſu, nec recta intentio evacuat hujuſmodi ſignificationem.

28 INSTABIS. Licet Catholico baptizari ab Hæretico utenti ſubſtantiali ritu Baptiſmi, additis ceremoniis accidentalibus ſuperſtitioſis, & alienæ Religionis, paſſive ad illas ſe habendo; ergo licet Anglis adire Templa, vel menſam participare, permiſſive ſe habendo ad ſignificationem pravam.

RESP. Verum eſſe ant. Quando Catholicus eſt in extrema neceſſitate ſalutis, nec poteſt vitare ceremonias ſuperſtitioſas, nec cooperatur, nec intervenit contemptus Religionis: in iſtis circumſtantiis paſſive ſe habet: Secus accidit in caſu noſtro: nam non eſt extrema neceſſitas ſalutis: intervenit contemptus Religionis: cooperatur illi actioni, accipiens ut Sacramentum Chriſti, quod non eſt, & exercet ritum ut Religioſum, qui vere non eſt.

29 URGEBIS. Cum Hæreticis toleratis non eſt illicita communicatio in ſacris, ſi adſit motivum rationabile, ſed Hæretici Angli ſunt tolerati, cum non ſint nominatim denunciati; ergo &c.

Quando cum Hæreticis licita eſt communicatio.

RESP. minori non conceſſa, ſed permiſſa, majorem eſſe veram, quando ſacra adminiſtrantur ritu Catholico nulla interveniente ceremonia, & ritu Hæretico: quando nulla eſt interrogatio de fide: quando nullum eſt decretum Principis compellens in contemptum Religionis: quæ omnia adſunt in caſu noſtro.

30 REPLICABIS. Sicut verbis, ita actionibus licite utimur, ſi ex circumſtantiis exuant pravam ſignificationem, ſed in caſu noſtro exuunt. Nam ſcitur communiter, Principem his vexationibus exigere potius pecuniam, quam Religionem; ideo mulctas pecuniarias imponit frequentius: ſcitur communiter a Catholicis non exerceri ex animo, ſed pro evitandis pœnis: præmittitur publica confeſſio fidei, ſub his circumſtantiis illa exercitia non habent malum ſenſum, nec pariunt ſcandalum; ergo licent.

In actionibus finis operis ſpectandus.

RESP. neg. ant. Nam in iſtis actionibus non debet attendi intentio extrinſeca operantis, ſed intrinſeca operis; finis enim operis eſt objectum ſpecificativum; ſed finis intrinſecus eſt cultus ſuperſtitioſus; quia ad hunc ſunt determinatæ illæ ceremoniæ a Miniſtris, & Eccleſia Calviniana. ergo non poſſunt exuere hanc malitiam per fidei profeſſionem, vel aliud privatæ intentionis motivum.

31 OBJIC. II. Ideo non eſt licitum obedire Regis Edicto; quia illas actiones exercere eſt ſimulare fidem, ſed ſimulare fidem non eſt ab intrinſeco malum, & quod non eſt ab intrinſeco malum, malum ſolum eſſe poteſt, quia prohibitum: quod verò malum ſolum eſt, quia prohibitum, excuſari poteſt ex legitima cauſa evitandi graviſſimas vexationes; ergo. Maj. explicatur. Non minus exercitium legalium eſt fidei ſimulatio, quam audire conciones Hæreticorum, & preces cum ipſis fundere, ſed Petrus, & Paulus prudenter ſimulate exercuerunt legalia. Nam Petrus Antiochiæ edebat cum Gentibus, antequam venirent miſſi a Jacobo: quando autem illi venerunt ſegregavit ſe, ad Gal. 2. v. 13. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi*. Hoc autem laudabiliter fecit teſte Hieronym. *Epiſt.* 8. Paulus Act. 16. v. 3. circumcidit Timotheum propter Judæos. Act. 18. v. 18. totondit ſibi in cenchris caput. Act. 21. v. 26. purificatus ingreſſus eſt Judæorum Templum: *annuncians expletionem dierum purgationis*. 4. Regum 5. v. 19. Naaman converſus ad fidem, cum petiiſſet ab Eliſeo, an poſſet cum Domino Templum ingredi, adorare, genuflectere: Reſpondit Eliſeus: *Vade*

in

Digitized by Google

in pace. 4. Regum 10. v. 18. Jehu, ut poſſet Sacerdotes Baal occidere; finxit ſe velle cum illis Sacrificium offerre.

RESP. Simulare fidem eſſe duplicis rationis, negative, & privative. Negative accepta improprie dicitur ſimulatio, ſed potius eſt quædam occultatio fidei, quæ tunc laudabiliter exercetur, quando aſſumitur ſignum, nullam habens adjunctam circumſtantiam, per quam referatur ad cultum Sacrum, privative accepta eſt proprie ſimulatio, & ab intrinſeco mala, eſtque ſpecies mendacii, & tunc evenit, quando aſſumitur ſignum, relationem habens ad cultum falſum, vel ex natura rei, vel ex uſu, vel ex circumſtantiis. Unde licet lavare corpus ſit res indifferens, & utilis naturaliter homini; facta tamen modo, quo fit a Mahometanis, & cum ipſis, vel coram ipſis, eſt peccatum grave, & proteſtatio Mahometiſmi; & ideo miſeri Apoſtatæ toties peccant, quoties ſe lavant. In caſu autem noſtro eſt ſimulatio privativa, ut conſtat ex dictis.

Simulatio fidei privativa intrinſece mala.

Ad probationem de Petro, & Paulo, dicendum eſt ambos prudenter, & laudabiliter feciſſe. Legalia tunc temporis, licet eſſent mortua; non erant tamen mortifera: unde ex cauſa honeſta licebat iis uti. Boni Paſtoris munus exercens Petrus timuit, ne perderet, ſcandalo faciles, Hebræos; ideo receſſit a Gentilibus: quamvis inopinato dederit Gentibus occaſionem judaizandi. An verò reprehenſio Pauli vera fuerit; an ex condicto: lis adhuc pendet inter Auguſt., & Hieronymum. Nec ſequendo Auguſt. cogimur dicere, Petrum peccaſſe venialiter (graviori enim culpa non poterat peccare) nam ideo dicitur reprehenſibilis; quia ex prudenti ſuo actu præter intentionem ſecuta erat aliqualis Gentilium judaizatio.

Paulus verò circumcidit Timotheum, ut ex Doctrina Auguſtini habemus, ne Hebræi crederent, ſic Gentes deteſtari circumciſionem, ſicut Idololatriam, cum illa a Deo fuerit præcepta, hæc a Dæmone inducta. Non circumcidit autem Titum, ut confunderet eos, qui dicebant, ſine circumciſione non dari ſalutem. Cetera ſerio peregit, ut lucrifaceret Hebræos, cum legalia non eſſent mortifera. Non ſimulaſſe probat Auguſt. *Epiſt.* 19. -- Si Paulus propterea illa Sacra-
„ menta celebravit; quia ſimulavit ſe Judæum,
„ ut illos lucrifaceret: cur non etiam ſacri-
„ ficavit cum Gentibus, quia & iis, qui ſine
„ lege erant, tamquam ſine lege factus eſt,
„ ut eos quoque lucrifaceret? -- Quo oſtendit licere etiam ſimulatorie Diis ſacrificare, ſi ſimulatio eſſet licita.

Ad factum Naaman dicendum eſt illas actiones eſſe puri famulatus. Non enim poterat ſe incurvare Dominus, qui innitebatur, niſi ſe incurvaret famulus. Secus eſſet dicendum in aliis caſibus ſi ſtaret Dominus, & famulus ſocians ſe incurvaret Idolo. Si genuflectente, & adorante Domino, genuflecteret, & adoraret famulus, tunc illa actio dirigeretur ad cultum. Jehu non indigemus excuſare, cum eſſet Idololatra; laudatur tamen propter zelum, non propter actionem.

32 OBJIC. VI. In Anglia non minus

A eſt ſignum proteſtationis libertatis Evangelicæ carnis comeſtio, & ejus abſtinentia diebus vetitis teſſera Catholicæ fidei, quam Templa adire &c., ſed ad occultandam fidem ex gravi motivo licet carnem comedere; ergo etiam adire Templa, Conciones audire.

Ut hæc objectio clarius ſolvatur, noto I. abſtinentiam a carnibus eſſe præceptum Eccleſiaſticum, & ſi magnæ venerationis, & antiquitatis; adeoque facilius ejus obligatio ſolvitur, nec obligat per ſe cum eo incommodo, quo obligant præcepta non Eccleſiaſtica.

Præcepta Eccleſiaſtica nõ ſemper urgent.

II. Quando timetur ſolius irriſionis periculum, ut ſolet accidere inter Hæreticos,
B maxime Hollandos, non licet comedere; nam illa irriſio a Catholico eſt ad honorem.

III. Si famulus Chriſtianus prævideat ſe male tractandum notabiliter a Domino ſuo, non in contemptum fidei, ſed quia illi diſplicet diverſitas menſæ, vel eſt illi incommodum parare piſces, aut ova, poterit licite carnes edere in diebus quadrageſimalibus.

IV. Quando circumſtantibus eſt evidens neceſſitas infirmitatis, qua urgetur pro comedendis carnibus, nulla præmiſſa proteſtatione licite comedere poſſum, quia apparet clare motivum diſparatum a fide. Si verò neceſſitas adeſt revera, ſed non eſt evidens, & pru-
C dentialiter prævidetur comeſtionem judicandam eſſe, vel ſaltem ſuſpicandum eſſe factam more Hæreticorum contra vetitum ab Eccleſia, tunc præmittenda eſt profeſſio, ſeu proteſtatio, quod ipſe veneratur Eccleſiaſtica præcepta, & quod comedit ex neceſſitate. Si verò in præmittenda proteſtatione timetur grave notabiliter damnum, omitti poteſt, niſi ſequatur ſcandalum in fidelibus, ſcandalum, quod ſit contra Religionem, ideſt, quia putabitur factum in contemptum Religionis, vel quod ipſe deficiat a fide. Si verò ſcandalum ſit in alia materia pure paſſivum, quatenus creditur peccaſſe peccato gulæ: poterit forte
D permitti, attenta gravitate mali imminentis.

V. Si a Principe præcipitur in particulari comeſtio carnium in contemptum Religionis, vel in ſignum proteſtativum ſuperſtitioſæ Religionis, ſive habeas neceſſitatem infirmitatis, ſive careas aliis cibis, nec præmiſſa proteſtatione poteſ comedere; quia tunc comeſtio aſſumitur ut ſignum contemptivum Religionis, & proteſtativum falſæ; ac per conſequens comeſtio fit ab intrinſeco illicita, & tu teneris ore, & facto fidem confiteri. Facto autem negas, cum aſſumis ſignum hic, & nunc determinatum contra fidem; & revera adhuc præmiſſa tali proteſtatione crederent
E prudenter adſtantes, te comedere ad evitandam mortem comminatam.

VI. Si cum Hæreticis in convivio Principis ſint mixti Catholici, ſintque carnes, piſces, & ova, & indigeas carnibus: Princeps tamen nihil minetur, neque prohibeat, ſed præciſe ſuadeat comeſtionem Catholicis, ut dicitur eveniſſe Conſtantinop. ubi Legatus Angliæ dixit ad Catholicos -- Domini, co-
„ medite ex hoc carnium ferculo: non enim
„ quod intrat in os coinquinat hominem --
tunc præmiſſa proteſtatione poteris comedere. Melius tamen facies patiendo mortem natu-

ralem.

ralem. Non præmiſſa proteſtatione non potes: quia honor fidei exigit oſtenſionem tuæ reverentiæ erga Eccleſiam.

VII. Si in conviviis a ſodalibus fiat mutua invitatio ad comedendas carnes in contemptum Religionis, vel ad detegendos Catholicos, an occultent fidem, ſi adſtantes plures ſint, tenentur Catholici, vel abſtinere, vel proteſtari: quia illa eſt quædam interrogatio particularis publica de fide, & inſuper adeſt contemptus Religionis. Si verò una, vel altera adſit perſona, tenentur interrogationem eludere, ne ſequatur irriſio fidei, & Eccleſiæ, non tamen tenentur abſtinere, vel expreſſe proteſtari. Sunt tamen dicentes eſſe neceſſariam confeſſionem, etiam quando quis interrogatur a perſona privata.

His notatis: Si urget neceſſitas occultandi fidem ſub gravi motivo, licet comeſtio carnis ſecluſo ſcandalo, aliiſque circumſtantiis deturpantibus. Comeſtio enim ſecundum ſe non obligat cum gravi incommodo, nec eſt aſſumpta ab Eccleſia ad proteſtandam fidem, nec urget præceptum confitendi, adeoque nullum eſt caput inficiens. Si potes tamen ſub altero prætextu v. g. ſtomachi, vel infirmitatis eundem effectum habere, teneris abſtinere.

CONTROVERSIA III.

AN ANGLI IN PERSECUTIONE LICITE FUGAM ARRIPUERINT A REGNO.

Slent non deſuit, qui malam cauſam defenderet, docens non obſtante Brevi Apoſtolico, licere adire Templa, ita non deſuit plus juſto delicatior ſcrupulus ſuadens, in illis circumſtantiis non eſſe licitum exire a Regno pro evitandis pœnis; cum videatur non minus negari fides vera fugiendo, quam falſa approbari, ſacris Hæreticorum intereſſendo.

Diabolus omne medium tentat, ut perdat, vel ſaltem terreat conſtantes fidei ſectatores, modo ad unum, modo ad aliud declinans extremum. Ut ergo, quantum poſſumus, occurramus erroribus, & ſuccurramus Catholicis noſtris, breviter hanc Controverſiam expediam, hic compilando aliqua, quæ in Controverſiis de fide producuntur contra errorem Tertulliani *in libro De fuga in perſecutione* docentis, non eſſe licitum fugere ea imminente. Unde

Dicendum eſt licite fugam potuiſſe Anglos arripere clam exeundo a Regno, inſtante perſecutione.

Perſecutionis tempore licitū eſt fugere.

33 PROB. I. Illud eſt licitum, quod eſt juxta Doctrinam Chriſti, ſed fuga in perſecutione contra fidem, eſt juxta Doctrinam Chriſti; ergo eſt licita. Min. habetur Matth. 10. v. 23., ubi dicitur: *Cum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam.* Loqui verò Chriſtum de perſecutione contra fidem patet ex ipſomet contextu. Prædicit enim ibi mala, quæ erant paſſuri Apoſtoli in prædicatione Evangelii; & ideo verſiculo præcedente dixerat: *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Quod ſi Apoſtolis licebat fugere, qui erant univerſales, & ſpeciales Prædicatores veritatis, multo magis licebit particularibus. Erudiebat Chriſtus in Apoſtolis infirmos, ut ſuæ infirmitati conſulerent, erudiebat etiam fortes, ne temere periculis ſe miſcerent. Audi Auguſt. apud D. Thom. *in Catena aurea* -- Neque
„ tamen ſalvator, quia non poterat tueri
„ diſcipulos ſuos, ideo fugere præcipit, &
„ hujus rei prior exemplum præbuit, ſed in-
„ ſtruebat hominis infirmitatem, ne Deum
„ tentare audeat, quando habet quid faciat,
„ ut quod cavere oportet, evadat -- S. Th.
pariter in hunc locum habet -- Et hoc in-
„ firmis expedit, ne incaute ſe exponentes,
„ deficiant -- Prov. 14. v. 15., & 16. *Aſtutus conſiderat greſſus ſuos, ſtultus tranſilit, & confidit.*

Chriſtus quandoque perſecutores declinavit.

34 PROB. II. Quod Chriſtus ſuo exemplo firmavit, nequit eſſe illicitum; Chriſtus enim neque errare, nec fallere poteſt, & omnis ejus actio eſt eruditio noſtra, ſed Chriſtus ſepe fugit, & declinavit inſidias, quas machinabantur Judæi adverſus ipſum, & quidem motivo fidei, quam inſtanter prædicabat; ergo. Ab ipſa enim infantia perſequentis Herodis iram eluſit fugiendo in Ægyptum; & hoc quidem propter exemplum futurorum fidelium, ut D. Thom. *in* 10. *Matth.* advertit -- Iſtud autem oſtendit Dominus, quan-
„ do propter Herodem fugit in Ægyptum --

Joannis 7. v. 1. habemus expreſſe, quod declinabat Judæos quærentes ipſum ad mortem -- Poſt hæc autem ambulabat Jeſus in
„ Galilæam. Non enim volebat in Judæam
„ ambulare; quia quærebant Judæi eum in-
„ terficere -- Ubi Auguſt. ſic diſcurrit --
„ Quando ergo latuit, ut homo, non po-
„ tentiam perdidiſſe putandus eſt, ſed exem-
„ plum infirmitati præbuiſſe. Ille enim quan-
„ do voluit, detentus eſt; quando voluit,
„ occiſus eſt. Sed quoniam futura erant mem-
„ bra ejus, ideſt, fideles ejus, qui non ha-
„ berent illam poteſtatem, quam habebat ipſe
„ Deus noſter; quod latebat, quod ſe tan-
„ quam ne occideretur, occultabat, hoc in-
„ dicabat factura eſſe membra ſua, in qui-
„ bus utique membris ſuis ipſe erat --

Cap. 11. Joan. v. 54. deſcribitur Chriſtus recedens a Judæis ad evitandas inſidias: *Jeſus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos: ſed abiit in Regionem juxta deſertum in Civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum Diſcipulis ſuis* -- In quo receſſu inter alia motiva illud fuit, velle oſtendere, fugam eſſe licitam urgente perſecutione contra fidem. Ubi D. Thom. -- Sed hoc fecit
„ non propter defectum potentiæ, ſed ut e-
„ xemplum Diſcipulis demonſtraret. In quo
„ apparet, non eſſe peccatum, ſi fideles ejus
„ oculis perſequentium ſe ſubtraherent, &
„ furorem ſceleratorum latendo potius cura-
„ rent, quam ſe oſtendendo eis, magis ac-
„ cenderent &c. --

Quandoque Sancti perſecutionem declinarunt.

35 PROB. III. Quod laudabiliter ad praxim deduxerunt viri Dei, licitum eſt, ſed laudabiliter viri Dei per fugam declinaverunt perſecutiones in materia fidei; ergo eſt licita. Min. habetur 3. Reg. 19. v. 3., ubi Elias

vir

vir ſanctiſſimus fugit perſequentem Achab, & Jezabelem. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas.* Perſecutioni cauſam dabat prædicatio veritatis facta a Propheta; nullibi autem timor iſte culpabilis reprehenditur, immo a Domino miraculis comprobatur, dum per Angelum ei panem mittit, quo conſortatus reliquum itineris ſpatium peragere valeat. Act. 8. v. 1. Poſtquam B. Stephanus martyrio fuit coronatus, ingraveſcente tribulatione contra credentes in Chriſtum diſperſi ſunt fideles. *Facta eſt autem illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis; & omnes diſperſi ſunt per Regiones Judææ, & Samariæ præter Apoſtolos.*

2. ad Corinth. 11. v. 32. Apoſtolus artificio uſus eſt, ut e manu Regis Aretæ aufugeret, videlicet, per feneſtram dimiſſus eſt: *Damaſci præpoſitus, gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat Civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.* In hac fuga certe non peccavit, cum jam eſſet in gratia confirmatus: Ubi Auguſt. *ex tract. 46. in Joan. Matth.* 10. -- Sic dimiſſus eſt,
„ ut manus perſequentis evaderet. Non ergo
„ illi cura fuit de ovibus, quas lupo venienti
„ deſerebat? Fuit plane, ſed eas Paſtori in
„ Cœlo ſedenti orationibus commendabat, ſe
„ autem utilitati earum fugiendo ſervabat --
His addi poſſent exempla deſumpta ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis, quæ plura ſunt, ut de Sancto Athanaſio, Blaſio, Cæſario &c. Sed Scripturalia abunde ſufficiunt.

36 PROB. IV. Ut fuga eſſet illicita, deberet eſſe contraria fidei, ideſt, ſpecies aliqua negans fidem; ſed non eſt ullo modo fidei contraria; ergo neque eſt illicita. Declaratur min. Virtualis fidei profeſſio non eſt fidei contraria; ſed fuga pro illis circumſtantiis eſt virtualis profeſſio fidei; ergo non eſt fidei contraria. Oſtenditur minor. Qui pro fide patitur, & mala tolerat, facto confitetur fidem, ſed qui fugit imminente perſecutione contra fidem, patitur, & mala ſuſtinet; privatur namque commodis Patriæ, ſuſtinens velut pœnam exilii. Subit etiam incommoda plurima, quæ ſolent occurrere Advenis, & Hoſpitibus, in aliena Patria minime notis. Deinde. Qui fidem vult negare, non fugit, ſed ſtat; & tunc maxime, quando ſtanti præmia promittuntur, & fugienti comminatio fit ſuppliciorum, ſicut priſtinis temporibus eveniebat, & in perſecutionibus durioribus Anglicanorum Principum aliquando auditum eſt.

Fugiendo virtualiter profitetur fides.

37 PROB. V. Patrum auctoritate. S. Athanaſius *in Apolog. de fuga ſua* ante medium, poſtquam probavit in lege veteri datas eſſe Civitates refugii: poſtquam oſtendit duplici textu, Chriſtum dediſſe præceptum de fugienda perſecutione, habet -- Hæc cum
„ ſcirent Sancti, tenuerunt ejuſmodi ſuæ con-
„ verſationis inſtitutum. Quæ enim nunc præ-
„ cepit Dominus, eadem quoque ante ſuum
„ in carne adventum locutus eſt in Sanctis,
„ hoc inſtitutum ad perfectionem duxit. Nam
„ quod Deus juſſerit, id omnino faciendum
„ eſt. Ideoque & ipſum Verbum propter nos
„ homo factum, non indignum putavit, cum
„ quæreretur, quemadmodum, & nos, ab-
„ ſcondere ſe, & cum perſecutionem pate-
„ retur, fugere, & inſidias declinare. Cum
„ autem a ſe definitum tempus ipſe adduxiſ-
„ ſet, in quo corporaliter pro omnibus pati
„ volebat, ultro ſeipſum tradidit inſidianti-
„ bus: At verò ſancti homines, cum hanc
„ quoque formam a Salvatore didiciſſent (ab
„ ipſo enim & antea, & ſemper omnes do-
„ cebantur) adverſus perſecutores, ut legi-
„ time certarent, fugiebant, & ab illis quæ-
„ ſiti ſe abſcondebant &c. --

Cyprianus *in libro de lapſis* -- Idcirco fi-
„ delis receſſit, quia non erat negaturus --
S. Hieronymus *in cap. 6. Danielis* -- Ex hoc
„ loco diſcimus, ne temere nos offeramus pe-
„ riculis, ſed quantum in nobis eſt, inſidias
„ declinemus -- S. Auguſt. *lib. contra Gaudentium cap.* 16. -- Quomodo enim es audi-
„ tor Chriſti, cum ille ſuis auditoribus, hoc
„ eſt ſectatoribus promittat, uſque in finem
„ ſæculi non defuturas, ad quas confugiat,
„ Civitates, quandocumque perſecutionem
„ paſſi fuerint, dicens: Cum autem perſe-
„ quentur vos in Civitate iſta, fugite in a-
„ liam -- Alia ſimilia.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

38 OBJIC. I. Eodem motivo non licuit Anglis exire a Regno, quo non licuit adire Templum cum Hæreticis poſt Breve Apoſtolicum: nam non eſt minus malum non profiteri expreſſe fidem veram, quam communicare falſæ, ſed fugiens non profitetur expreſſe fidem; ergo non bene agit.

RESP. I. Nego quod fugiens neget fidem, ſed dicimus eam facto ipſo confiteri; ſicut eam non negavit Paulus dimiſſus per ſportam. Deinde. Confeſſio fidei ad præceptum affirmativum pertinet, communicatio autem cum falſa fide ad negativum attinet; quia nunquam poſſumus falſitatem ſectari. Præceptum affirmativum non ſemper obligat, ſecus negativum. Affirmativum obligat aliquando, ſtatuto videlicet tempore. Quare confiteri fidem non ſemper tenemur, ſed ubi, & quando urget neceſſitas, quæ non ſemper adeſt, ac proinde datur locus aliquando declinandi pericula per fugam. Secus accidit in profeſſione falſæ Religionis, quam nunquam poſſumus ſectari, ac proinde nunquam Angli adire potuerunt Templa Hæreticorum, cum eſſet communicare in ritibus falſis.

Præceptum aliud negativum, aliud affirmativū.

39 DICES. Secundum ſe non erat illicitum Anglis fidelibus communicare cum Hæreticis materialiter; poterant enim adire Templa, ut eorum ceremonias viderent, & conciones audirent ad illudendum, vel contemnendum; tamen ſtante decreto Regio, ut cum aliis Templa adirent, non erat eis licitum; ergo pariter, licet ſecundum ſe fugere in perſecutione non videatur forte illicitum, ſtante tamen prohibitione, ut nullus exeat e Regno, non eſt licitum fugere. Utrobique enim finis Decreti eſt idem, videlicet impel-

lere ad falſam Religionem. Sicut apud Svecos datur lex, ut nullus Nobilis exeat a Regno, niſi ex conſenſu Regis ſub determinatis conditionibus, non ob aliud, niſi ob conſervationem hæreſis in ſubditorum animis.

RESP. neg. conſeq. Et diſparitas eſt, quia adire Templa ſub illis circumſtantiis, eſt proteſtatio falſæ Religionis, & pro tali accipitur a Rege, & ab Aſſeclis ſuis Heterodoxis. Apparet etiam in Catholicis, qui Templa Satanæ ingrediuntur, infirmitas animi; quoniam, ut pœnas non patiantur, cum Hæreticis actualiter communicant in ritibus. Secus accidit in fuga. Ibi nulla eſt communicatio cum Baal, ſed ſeparatio, nec fuga accipitur pro proteſtatione, quia eſt receſſus a malo; aliunde etiam elucet fortitudo animi; quia potius privationem Patriæ, & bonorum ſubire paratus eſt Catholicus, quam ibi perſiſtere, ubi vexatione pulſus prolabi poteſt. Decretum utique Regium intendit omnes detinere in Regno, ut omnes tandem perdere conetur, ſed fidelis ſibi conſulens aufugit periculum.

Fuga innuit ſecretionem ab Hæreticis.

40 INSTABIS. Illicitum eſt erubeſcere Chriſtum, Lucæ 9. v. 26. *Nam, qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in Majeſtate ſua &c.* Sed fugere imminente perſecutione eſt Chriſtum erubeſcere: ſi enim non erubeſceret, ſtaret; ergo &c.

RESP. neg. min. Locus Scripturæ intelligitur dupliciter. Primo de negatione per mores, ideſt, quando quis Chriſtum quidem confitetur, ſed moribus negat, quia actus ſuos non componit ſecundum Chriſti doctrinam, ut docet D. Greg. *homil.* 32. explicans hunc locum: Secundo de negatione per fidem, ideſt, quando quis Chriſto non credit; unde Chriſtum erubeſcere eſt Chriſti fidem negare; ſicut Chriſtus dixit Matth. 10. Erubeſcere tamen non eſt ſimpliciter negare, ſed negare deſpiciendo, quaſi vilem negligere, & parvipendere: & e contra non erubeſcere, & audacter Chriſtum prædicare. Hoc modo Apoſtolus Rom. 1. v. 16. dicebat: *Non erubeſco Evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti: Judæo primum, & Græco.* Erubeſcebant Judæi, quibus Chriſtus ſcandalum erat. Erubeſcebant Gentiles, quibus erat ſtultitia: neutro autem modo Chriſtum erubeſcit, qui fugit tempore perſecutionis; nam doctrinæ Chriſti fugam præcipienti conformatur, & prudentiam ſerpentis commendatam imitatur, declinando pericula.

E viro prudenti eſt declinare pericula.

41 OBJIC. II. Nullo titulo effici poteſt licita inconſtantia in fide: ſed fuga, imminente perſecutione contra fidem, includit inconſtantiam in fide; ergo nullo prætextu effici poteſt licita. Sic Tertullianus.

RESP. neg. univerſaliter min. Non enim ſemper fuga oritur ab inconſtantia, ſed ab aliis motivis. Chriſtus aufugit aliquando, nec tamen paſſus eſt inconſtantiam. Oritur fuga ab aliis motivis. Fugere poſſumus, ut meliori tempori nos reſervemus, ut perſequentium impediamus peccata, ut temere vitam non projiciamus. Deinde, inconſtantia alia eſt de præſenti, alia de futuro. Inconſtantia de præſenti eſt omnino illicita, & qui eā reus eſt, male facit. Inconſtantia de futuro ea eſt, quam ſibi quis jure timet; ubi in medio malorum reperietur. Sunt enim, qui de præſenti firmiſſime proponunt aliquod bonum opus ſe facturos, qui accedente occaſione facillime labuntur, ut accidit D. Petro parato mori, quam Chriſtum negare, & tamen ad vocem Ancillæ defecit. Inconſtantiam de futuro tenemur præcavere; præcavemus autem, ſi a periculis nos ſubtrahimus, quod fit per fugam.

Fuga non ſemper ab inconſtantia.

42 DICES. Tenemur inconſtantiam futuram evitare, ſed abſque injuria Creatoris: fit autem injuria Creatori fugiendo; quia non ſufficienter confidit in Domino, qui declinat perſecutionem.

Solvit hanc inſtantiam Auguſt. *Epiſt.* 180. *ad Honoratum* ſimile argumentum proponentem -- Sed hoc conſilium tibi propterea non ſufficit (*ſcilicet confidendi in Deum*) ut ſcri„ bis, ne contra Domini præceptum, vel
„ exemplum facere nitamur, ubi fugiendum
„ eſſe de Civitate in Civitatem monet. Re„ colamus etiam verba dicentis: Cum autem
„ perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in
„ aliam -- Hinc tradit regulas, quando Paſtoribus liceat fugere, quando non: quando liceat ovibus, quando non. Audiamus etiam D. Thom. ſolventem eandem inſtantiam *in cap.* 11. 2. *ad Corinth. lect.* 6. -- Reſpondeo: di„ cendum eſt, quod quamdiu adeſt auxilium
„ humanum, homo non debet confugere ad
„ Divinum auxilium; quia hoc eſſet tentare
„ Deum, ſed debet illo uti auxilio, quantum
„ poteſt: Apoſtolo autem nondum deerat
„ humanum auxilium --

Non eſt licitum tentare Deum.

43 OBJIC. III. Stante ſolum indirecta perſecutione contra fidem, non eſt licita fuga, ut patet in fuga Apoſtolorum in Paſſione Domini, & tamen illa perſecutio ſolum indirecte erat contra Diſcipulatum Domini; ergo multo magis erit illicita fuga, quando perſecutio erit directe contra fidem, ut in caſo Anglicanæ perſecutionis indictæ a Jacobo, Eliſabeth, & aliis Principibus.

RESP. Antecedens non evincitur inducta probatione. Nam non eſt certum Apoſtolos ea fuga peccaſſe, ſaltem mortaliter; nec expreſſe invenitur apud Patres, loquendo de peccato contra fidem. Forte enim peccaverunt venialiter ob nimiam puſillanimitatem, & defectum in promiſſione, quo ſenſu videtur loqui Remigius *in catena aurea*. Ceterum Rabanus *ibidem in Catena* prudenter egiſſe declarat -- Myſtice autem ſicut Petrus,
„ qui culpam negationis pœnitentiæ lacrymis
„ abluit, recuperationem eorum oſtendit,
„ qui in martyrio labuntur, ita ceteri Diſci„ puli fugientes, cautelam fugiendi docent
„ eos, qui ſe minus idoneos ad toleranda
„ ſupplicia ſentiunt --

Fuga in perſecutione aliquando laudabilis.

Sed dato anteced. nego conſeq. Nam ſi peccaverunt directe, vel indirecte contra fidem, ideo fuit, vel quia aliquam dubietatem admiſerunt in fide nutantes circa Chriſti perſonam, ejuſque Divinitatem, vel quia grave ſcandalum pepererunt in Judæia, qui ea eorum fuga confirmati ſunt in prava opinione de Chriſto, & ob hoc eum magis, ac magis Pſeudoprophetam crediderunt. At non ſem-

ſemper reperiuntur hujuſmodi circumſtantiæ in fugientibus. A Abunde concedimus fugam non eſſe licitam, ubi quis in fide dubitat, ubi pariter rationabiliter ſcandalum, ubi periclitantur infirmi, & alia motiva majoris boni occurrunt; quæ in caſu Anglicanæ perſecutionis non ſemper occurrerunt.

44 OBJIC. IV. Eadem eſt proportionalis ratio de ovibus particularibus, ac de Paſtoribus in caſu perſecutionis, & in materia fidei: atqui Anglicanis Paſtoribus non licuit fugere, Joan. 10. v. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: Mercenarius autem &c. videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit &c.* Ergo neque licet ovibus B particularibus; eo intercedente diſcrimine oves inter, & Paſtorem, quod Paſtor ex officio non poteſt fugere, oves autem ex charitate.

S. Thom. *in cap.* 11. 2. *ad Corinth.*, & *in cap.* 10. Joan. reſpondet objectioni, & poſtquam oſtendit etiam Paſtoribus aliquando licere fugam, ſic diſſerit -- Contingit enim „ aliquando, quod quæritur perſona Prælati, aliquando totus grex. Manifeſtum „ eſt autem, quod ſi quæratur ſola perſona Prælati, poſſunt alii loco ſui ad Gregis cuſtodiam deputari, qui vice ſui conſolentur, „ & gubernent gregem: unde ſi ſic fugiat, C „ non dicitur dimittere oves; & hoc modo „ in caſu fugere licet. Si autem quæratur „ totus Grex; aut oportet, quod Paſtores „ omnes ſimul ſint cum ovibus, aut oportet „ quod aliqui ex eis cum ovibus remaneant, „ & aliqui recedant: Si autem totaliter deſerant gregem, tunc eis competit, quod „ hic dicitur: Vidit lupum venientem, & „ dimittit oves. --

Quando Paſtoribus licet fugere.

Quid autem faciendum ſit, quando dubium oritur, quinam ex Paſtoribus debeant fugere, & quibus magis expediat remanere: reſolvit Auguſt. *Epiſt.* 180. *ad Honoratum*, & ait, quod non licet cuilibet ex electione ſui D arbitrii fugere, ſed orationibus ſolvenda eſt cauſa, & ſortes a Domino poſtulandæ ſunt. Igitur attendendum eſt penſatis omnibus, quis ſit magis neceſſarius, & utilis, ut reſervetur pro majori bono promovendo in futurum, & quis magis idoneus reperiatur hic, & nunc, ut remaneat ad ſuſtinendum ictum perſecutionis, & ad retinendas oves ne deficiant. Præmiſſa diligentia, & facta electione, committenda eſt cauſa Deo, in ejuſque auxilio ſperandum eſt: non enim Deus deſtituit cum ſincero corde quærentes.

Quantum ad particulares oves non eſt tanta obligatio perſiſtendi, & permanendi, E quia ex officio non eſt eis commiſſa aliorum cura. Quia tamen unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, ideo aliquando accidit, quod aliquæ oves permanere teneantur, quia poſſunt eſſe neceſſariæ ad aliarum conſervationem, vel ratione auctoritatis, vel ratione doctrinæ, vel ratione ſanctitatis.

45 OBJIC. V. Non eſt licitum ire contra Divinam diſpoſitionem, ſed qui fugit in perſecutione reſiſtit Divinæ ordinationi; Deus enim diſponit hæc omnia, ut qui probati ſunt, agnoſcantur; ergo &c.

Hoc argumento perperam utebatur Lutherus, ut probaret a Catholicis non eſſe A capienda arma adverſus Turcas, quia bellum a Deo diſponitur ad probandos fideles, ad eos purgandos a peccatis, atque puniendos, ſiquidem Deus idem diſpoſuit media pro malis evitandis: Permittit Deus, & diſponit venena, & morbos, diſponit & medicinas: Permittit famem, & ſitim, calorem, & frigus, & quidem in pœnam peccati, ſaltem originalis, diſponit & cibum, & potum, & veſtes, quibus illa mala congruenter reparemus. Sed plura alibi circa hanc inſtantiam.

Malis præſto ſunt remedia.

46 OBJIC. VI. Non licet poſt captivitatem fugere de manibus perſequentium; hoc enim videtur negare Chriſtum. ergo neB que licet fugere extra captivitatem, ſtante, & urgente perſecutione. Videtur namque utriuſque caſus eadem ratio.

RESP. negando antecedens in ſua generalitate, cujus falſitas patet exemplo Pauli, qui per feneſtram dimiſſus eſt a Domo Præpoſiti Damaſcenorum. Patet exemplo Petri, qui per Angelum fuit e carcere liberatus, quo miraculo Deus declaravit, licere aliquando fidelibus etiam e carceribus fugere in cauſa fidei. Si ergo adſint convenientia, & rationabilia motiva, quæ inter probandam veritatem fidei tetigimus, licite Catholicus Anglus, & quilibet alius poſt captivitatem fuC gere poterit. Puta ſi timeat de propria inconſtantia in tormentis: quod melius ſit omnibus penſatis reſervare ſe opportuniori tempori: ſi ex perſiſtentia nullus ſperetur fructus: ſi major prævideatur concitatio infidelium, & ſimiles cauſæ occurrant.

A carcere licita eſt fuga.

Nec obeſt, quod ſequatur forte mors cuſtodum: non enim intercedit cooperatio ad occidentium peccatum, vel ad occiſorum damnum; eſt namque per accidens illa occiſio, & præter intentionem fugientis. Secundum tamen Origenem relatum a D. Thom. *in cap.* 10. *Matth.* laudabilius faceret captivus, ſi non aufugeret, & quilibet fidelis, ſi D perſiſteret imminente perſecutione, ſi nulla per ipſum data cauſa, ad mortem pro Chriſto ſe trahi permitteret, prudentialiter confidens de conſtantia, opus heroicum faceret: dummodo cetera eſſent paria. Tamen bene omnia penſanda, ne temere in re tam gravi quis ſe periculo exponat.

47 OBJIC. VII. Non licet Catholico interrogato de fide a publica Poteſtate abſque peccato tacere, ut habemus in Decreto Innocentii XI. *propoſitione* 18., atqui Edictum Regis vim habet publicæ interrogationis; ergo non licet tacere, hoc eſt, ſe occultare, E quod fit per fugam. Tacemus lingua, cum interrogati non reſpondemus; tacemus opere, cum interrogati abſcondimur.

RESP. Majorem eſſe veram de propria, & directa interrogatione: tunc enim ſilentium per ſe eſt ſignum negationis fidei; tacere namque quando inſtat proxime timor pœnæ, timori attribuitur. Tunc valet illud Tertulliani *lib. de Idolol.* circa finem, ubi habet -- Negat, quicunque diſſimulat; in quacunque cauſa pro ethnico habitus -- Dixi per ſe, nam per accidens tacere non erit peccatum, puta ſi Tyranno interrogante fidelis taceat, ſed ſigna irriſionis oſtendat: ſi hilari

Non ſemper ſilentio fides negatur.

vultu

vultu collum laqueo offerat, & corpus flagellis: ſi unus pro alio reſpondeat, illo annuente. Negatur tamen min. Edictum generale Regis non eſt proprie interrogatio illa, de qua propoſitio damnata: quia neminem nominatim interrogat, quod requiritur ad eam interrogationem; & hinc eſt, quod proceſſus judiciales non fiunt, niſi ubi interceſſit denunciatio particularis, vel captivitas: aliunde per fugam declinatur circumſtantia, in qua viget turpitudo Decreti.

DICES. Non minus obligat lex generalis Principis, quam particularis perſonæ privatæ, & nominatim intimata; ergo non minus obligat ad non tacendum, adeoque ad non ſe occultandum Edictum generale Regis, quam interrogatio nominatim.

RESP. neg. conſeq. Quia tam lex generalis, quam præceptum particulare habet veram rationem legis. Lex generalis ſupponitur juſta, quoties obligat, & favorabilis bono communi. Edictum Regis contra fidem non habet veram rationem interrogationis. Eſt ſiquidem contra juſtitiam, & æquitatem, eſt præjudiciale bono communi; ac proinde comparatio ad legem univerſalem non tenet. Quare niſi ex adjunctis aliis circumſtantiis tacere, vel fugere ſit peccaminoſum, ex vi præciſe Edicti non vitiatur.

CONTROVERSIA IV.

AN ANGLIS CATHOLICIS IMMINENTE PERSECUTIONE LICUERIT NEGARE EXTERIUS FIDEM ROMANAM.

IN Angliam inducti ſunt Calviniſtæ, ex quibus, & Puritanis, & Henricianis multiplicatæ ſunt, & ſubortæ variæ Sectæ Pſeudomagiſtrorum: inter quas una vocatur Libertinorum, quæ nunc maxime viget, & dilatatur apud Acatholicos noſtri temporis. Porro dogma unum Libertinorum eſt licere fidem exterius negare, eâ in corde retentâ. Romam venit nobilis quidam Anglus, qui occaſione obſidionis Namurcenſis hæreſim abjuravit. Iſte confeſſus eſt ſe habuiſſe Magiſtrum, qui docebat, omnino licere exterius negare fidem toto tempore vitæ, eâ tamen in corde retentâ; & quod ſufficiebat ad ſalutem eam confiteri in extremo vitæ. Magiſter autem ille circa illas Regiones Hollandiæ, & Britanniæ inſignis habitus eſt. Cumque aliqui ex ejus Diſcipulis abſque dubio Magiſterium ſuſceperint, ſemper in dies creſcet evulgatio hujuſmodi doctrinæ. Hoc idem ſentiunt plerique Calviniſtarum; qua etiam doctrina practice uſi ſunt in Galliis ſub Henrico III. Hoc idem admittunt Anabaptiſtæ in Tranſylvania, illi, qui dicti ſunt Clancularii. Aſſerunt hi ſatis eſſe clam tenere fidem, & licitum eſſe palam eam negare, prout refert in ſua introductione ad lecturam Theologiæ Pater Antonius ab Introduco ex Florimondo *lib. 2. cap. 15.*

Libertinorū hæreſis in Anglia.

Nova hinc inſurrexerunt zizania. Cum evulgaretur quorumdam doctrina docentium, licere uti reſtrictionibus mentalibus in caſu gravi, & iſte graviſſimus propter comminationem pœnarum adverſus Catholicos cenſeretur, inde murmur obortum eſt, an fas eſſet doctrinam hanc adoptare ad periculum perſecutionis evacuandum exterius Romanam Eccleſiam negare, & interius addere -- Ut „ tibi dicam, ut pœnas Edicti Regii effu- „ giam -- firmiter tamen interius retinendo confeſſionem ejuſdem Romanæ Eccleſiæ. Quare ut huic errori occurram, & Miſſionariis ſatisfaciam, hanc etiam controverſiam reſolvere opportunum exiſtimavi. Hæc eſt enim ſummæ neceſſitatis, ne Catholici colore ſalutis pereant. Sed brevibus eam reſolvam, cum plura hac ſuper re habeantur apud Moraliſtas.

Dicendum eſt Catholicis Anglis, Hollandis, Hibernenſibus, & aliis nullo prætextu licere fidem exterius negare, eâ in corde retentâ.

48 PROB. I. Si liceret fidem exterius negare, ea in corde retenta, non poſſet negans a Deo puniri, ſed a Deo punitur; ergo. Minor habetur Matth. 10. v. 32., & 33. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt.* Negari a Chriſto coram Patre, eſt reprobari; & hæc reprobatio datur pro fide exterius negata; ideo dicitur *coram hominibus.* Ubi advertendum eſt hoc Chriſtum dixiſſe Apoſtolis, poſtquam docuit non debere timere homines, qui occidunt corpus, ſed Deum, qui poteſt perdere in Gehennam, ad hoc ut conſtanter fidem prædicarent. Et ut confirmet hanc obligationem, oſtendit ex præmio, quod præparatur confitenti, & ex pœna, quæ deſtinatur neganti. Porro hoc dictum eſt omnibus de Eccleſia, ſicut advertit Chryſoſt. *in Catena D. Thom.* -- Hæc verba ad univerſos loquitur, „ & neque perſona Apoſtolorum utitur ſo- „ lum &c. -- Ibidem Remigius concludit -- „ Confeſſio hæc autem hic illa intelligenda „ eſt, de qua dicit Apoſtolus: Corde credi- „ tur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalu- „ tem. Ne ergo aliquis putaret, ſe abſque „ oris confeſſione poſſe ſalvari, non ſolum „ ait: Qui me confeſſus fuerit; ſed addit, „ coram hominibus: & iterum addit, qui „ autem negaverit me coram hominibus -- D. Thom. *in cap. Matth.* -- Et elidit errorem „ cujuſdam, qui dicebat, non eſſe neceſſa- „ rium confiteri fidem, niſi coram Deo in „ corde, non autem coram hominibus, quod „ hic patet falſum; quia corde creditur ad „ juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalu- „ tem --

Fides exterius confitenda.

Hoc idem docuit Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 2. *Si negaverimus, & ille negabit nos: Si non credimus, ille fidelis permanet; negare ſeipſum non poteſt.* Ubi optime diſtinguit externam negationem a fide interiori. Audiendus eſt ibid. D. Thom. -- Deinde cum „ dicit: Si negaverimus: oſtendit conſequen- „ tiam quantum ad pœnam. Dupliciter au- „ tem peccare poteſt aliquis contra fidem. „ Primo exterius negando. Secundo interius „ eam deponendo. Quantum ad primum, „ dicit, ſi negaverimus, ſcilicet, coram aliis,

„ ipſe

„ ipſe negabit nos in judicio. *Matth.* 25. Amen dico vobis : neſcio vos. Negare, eſt „ non cognoſcere eos eſſe de ovibus ſuis. „ Quantum ad ſecundum dicit : Si non credimus, ideſt : Si fidem a corde abjiciamus : ille fidelis permanet, ideſt, ipſe fidem ſuam tenet -- ideſt, Chriſtus, qui eſt ipſa veritas.

Exterior fidei negatio illicita.

49 PROB. II. Nullo titulo fieri poteſt licitum, quod ab intrinſeco eſt omnino illicitum, ſed negatio exterior fidei eſt omnino illicita ab intrinſeco; ergo nullo titulo effici poteſt licita. Explicatur min. Negare fidem exterius, ea in corde retenta, eſt mendacium in re graviſſima. Nam mendacium eſt ire contra mentem : at qui fidem veram ſentit in corde, & eam negat exterius, it contra mentem. Fidem eſſe graviſſimam nemo dubitabit niſi Paganus. Radix enim eſt, & fundamentum totius ſalutis, ſine qua impoſſibile eſt hominem ſalvum fieri. Item mendacium eſt ab intrinſeco malum nullimode excuſabile; & in re graviſſima peſſimum eſt. Quare ſicut non datur res gravior fide, ita nullum eſt excogitabile bonum, aut malum, propter quod fieri poſſit eligibilis negatio fidei.

Illuſtratur. Non poteſt non eſſe ab intrinſeco illicitum, quod ex ſuo conceptu, & ex ſua natura opponitur pluribus virtutibus, ſed negatio fidei ex ſuo conceptu opponitur pluribus virtutibus, ergo &c. Opponitur negatio fidei ipſi virtuti fidei, quæ ſicut de primario inclinat in actum interiorem, ita de ſecundario inclinat in actum exteriorem. Unde dicit Apoſt. ad Rom. 10. v. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & corde credideris, quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis : ſalvus eris.* Ecce utrumque actum comprehendit neceſſarium ad ſalutem : Opponitur fortitudini, ſiquidem honeſtati ſummæ præponit humanum timorem, quare in re magna eſt perverſio : Opponitur juſtitiæ legali, per quam Eccleſiæ obſtringitur, cui illa negatio eſt omnino injurioſa : Opponitur Religioni, quia debitus honor ſubtrahitur Deo veraciſſimo teſtificanti, dum magis poteſtas hominis timetur, quam ejus veracitas exiſtimetur : Opponitur veracitati, cum, ut dictum eſt, ſit mendacium. Quare nullo titulo Catholicus negare poteſt fidem abſque peccato. Aliud eſt præceptum confitendi fidem affirmativum, aliud eſt præceptum negativum de non neganda fide. Illud primum obligat ſemper, ſed non pro ſemper : hoc vero obligat ſemper, & pro ſemper.

50 PROB. III. Illud eſt illicitum, quod pro conſequenda ſalute, pœnitentiâ expiandum eſt : atqui exterior negatio fidei tempore perſecutionis pro conſequenda ſalute per pœnitentiam expianda eſt; ergo non eſt licita. Min. prob. exemplo Petri, qui trinam Chriſti negationem flevit amare; & tamen Petrus corde retinuit fidem, ut Patres communiter docent.

Exterior fidei negatio ſemper mulctata graviſſimis.

Sed quam grave crimen creditum fuerit negare exterius fidem, demonſtrat ſeveriſſima diſciplina Eccleſiaſtica primorum ſeculorum, quæ graviſſimis pœnis ſubjiciebat negantes exterius fidem : ſicut conſtat ex tot antiquis Conciliis celebratis pro hac cauſa. Pro re nata ſufficiant, quæ de Libellaticis habentur *Tom. IV. Diſp. ultima in Synopſi Hiſtorica.*

51 PROB. IV. Patrum auctoritate. S. Auguſt. *in lib. de Fide, & Symbolo cap.* 1. -- Fides officium a nobis exigit, & cordis, „ & linguæ. Ait enim Apoſt. corde creditur &c. oportet nos eſſe memores, & juſtitiæ, & ſalutis. Quandoquidem in ſempiterna juſtitia regnaturi, a præſenti ſeculo „ maligno ſalvi fieri non poſſumus, niſi, & „ nos ad ſalutem proximorum nitentes, ore „ etiam profiteamur fidem, quam corde geſtamus -- *Lib. contra mendacium cap.* 2. oſtendit, quod ſi liceret mentiri exterius, veritate in corde retenta, liceret etiam tempore perſecutionis negare exterius fidem, hac tamen in corde retenta : quod affirmat reprobatum, & inter alia habet -- Quid enim eis „ obeſſet ſecundum egregiam doctrinam Mendaciloquorum, ſi Diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus ſervabatur in corde? Sed non ſic intellexerunt Apoſtolum Martyres veri, Martyres „ Sancti. Viderunt quippe, tenueruntque, „ quod ſcriptum eſt : Corde creditur ad juſtitiam; ore confeſſio fit ad ſalutem -- Chryſoſtomus *homil.* 25. -- Confeſſionis radix, fides eſt cordis; confeſſio autem fidei, eſt „ fructus -- Nazianzenus *Oratione in nonam Dominicam* præmonet -- Non eſſe in fide utroque poplite claudicandum, nec diſpenſatione utendum -- Sic alii Patres communiter.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

52 OBJIC. I. Non poſſe Catholicos in perſecutione negare exterius fidem idem eſt, ac obligari ad ſubeundum martyrium : atqui hoc non exigit Chriſtus a nobis; ergo neque illud primum. Min. oſtenditur. Chriſtus pro nobis ſemel mortuus eſt; ergo non indiget noſtra morte. Ulterius. Non exquirit a nobis ſanguinem Hircorum, & Taurorum; ergo multo minus ſanguinem hominum. Sic arguebant Gnoſtici apud Tertullianum *in Carpacio*; & quidem ad regulam Heterodoxorum noſtri temporis, qui omnia in Chriſti meritum refundunt.

RESP. Sicut Chriſtus mortuus eſt pro nobis, ita etiam obediens factus eſt pro nobis, & humiliatus; nec indiget noſtra charitate, noſtra obedientia, noſtra humilitate, qua propter ex vi argumenti Deus non exigeret a nobis obedientiam, humilitatem (uno verbo) nihil : quia honorum noſtrorum non indiget, *qui propter nos, & noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis.* At vere a nobis propter nos exigit mandatorum obſervantiam, ſed multo magis propter ſe ipſum, non quia indigeat, ſed quia ea debetur propter ſummam ejus excellentiam, dignitatem, charitatem, & quia eſt eſſentialiter finis, & principium omnium rerum. Quare, licet abſolute a nobis non exigat martyrium; exigit tamen hoc data occaſione, & neceſſitate ſalvandi ejus honorem. Ideo dixit Joan. 12. v. 25. *Qui amat*

Martyrium quandoque præceptum.

ani-

animam ſuam perdet eam. Amat autem animam ſuam pluſquam Deum, qui, ne corpus ſuum perdat, Deum veracem eſſe negat. Ideo dixit Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in Gehennam*: at, qui ut evitet tormenta temporalia, Chriſtum negat, magis hominem timet, quam Deum; & in hoc eſt maxima inordinatio; proinde grave peccatum.

DICES. Mori pro Chriſto eſt ſummæ ſignum dilectionis Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: ſed non tenemur diligere Chriſtum ſumma dilectione, ut communiter docetur; ergo non tenemur mori pro Chriſto.

Poſſet dici, quod Scriptura aſſerit, animam ponere pro amicis, non autem pro Chriſto, adeoque non concludere. Poſſet etiam dici, quod Scriptura loquitur de Chriſto, qui pro nobis inimicis, ut ſuos faceret amicos, animam dedit; & hoc abſque dubio eſt ſupremum dilectionis ſignum, quod tam infinita Majeſtas humilietur pro creaturis uſque ad mortem. Sed his, licet vera ſint, non indigemus. Dare vitam pro Chriſto dicitur ſummum dilectionis: quia vita inter bona noſtra temporalia eſt majus; ſed hanc tenemur, data occaſione, dare pro ipſo Chriſto, quia ipſe eſt infinite majus bonum, & ordinate agendo majus bonum præferendum eſt minori. Ob hanc rationem etiam tenemur vitam temporalem dare pro ſalute animæ, dicente Chriſto, Matth. 6. v. 25. *Nonne anima plus eſt, quam eſca?* Et cap. 16. v. 26. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur; anima verò ſua detrimentum patiatur?* Ad ſummam ergo dilectionem intenſive non tenemur, ſecus appretiative.

53 OBJIC. II. Ad eam fidei profeſſionem tenemur, qua plene Deo ſatisfacimus: atqui plene Deo ſatisfacimus per internum aſſenſum; quia in corde fidei perfectio conſummatur; & Deus in ſpiritu adoratur; ergo ſolum tenemur retinere fidem in corde. Nam exterior fidei confeſſio ſolum eſt neceſſaria propter proximos, ſed non tenemur proximorum utilitati poſtponere bonum noſtri corporis; ergo non tenemur fidem confiteri; ergo poſſumus abſque culpa eam negare. Ita arguebant Elceſeitæ.

Deus adorandus in ſpiritu, & veritate.

RESP. neg. min. Non ſatisfacimus plene Deo per ſolum aſſenſum interiorem; quia toto homine colendus eſt Deus, cum totius hominis finis ſit, atque principium; ac proinde ſacrificium cordis, & corporis ei debetur. Deinde adorandus eſt Deus in ſpiritu, & veritate, non adoratur autem in veritate, ſi eum erubeſcimus confiteri, qui eſt prima veritas, non adoratur in veritate, ſi non adoratur juxta fidei naturam, quæ de primario in aſſenſum internum inclinat, & de ſecundario in actum exteriorem, non adoratur in veritate, ſi non adoratur integre, non adoratur integre, niſi ei loquenti præbeamus aſſenſum, & ejus honorem tueamur. Quare confeſſio exterior non eſt ſolum neceſſaria propter proximos, ſed etiam propter Deum ipſum, cujus auctoritatem debemus defendere ab injuriis. Deinde. Falſum eſt, quod propter utilitatem ſpiritualem proximi non teneamur dare corpus noſtrum. Hic enim eſt ordo legitimus charitatis: unde docet nos Joan. 1. epiſt. cap. 3. v. 16. *Quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit* (ideſt Chriſtus) *& nos debemus pro fratribus animas ponere.*

54 OBJIC. III. Non tenemur fidem confiteri coram profanis, dicente Apoſt. ad Epheſ. 4. v. 25. *Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo*: atqui perſequentes fidem ſunt profani, ſunt extranei, utpote Hæretici, vel infideles. Matth. 7. v. 6. *Nolite dare ſanctum canibus*, hoc eſt, non expedit ſacra myſteria Religionis profanis exponere. Sic Priſcillianiſtæ arguebant.

RESP. neg. maj. Cujus falſitas patet ex doctrina Chriſti, qui præcepit prædicari Evangelium omni creaturæ, ideſt, omni generi hominum, ſcilicet, Judæis, & Græcis; Barbaris, & Scythis. Qui enim venit ſalvare omnes, omnibus voluit denunciari myſteria ſalutis. Deus ſiquidem omnium gentium Dominus eſt, ac proinde coram omnibus propugnanda eſt ejus dignitas. Apoſtolus non reſtringit ſuum dictum ad ſolos proximos intraneos, ideſt, Catholicos, ſed docens Epheſios docet omnes fideles, ut deponentes omne mendacium loquantur veritatem coram omni proximo ſuo, qui eſt omnis homo. Deinde, Chriſtus ipſe docuit extraneos etiam eſſe proximum parabola illius, qui vulneratus fuerat a latronibus, & curatus fuit a Samaritano: Samaritani autem apud Judæos habebantur pro Hæreticis. Nec cauſalis ab Apoſtolo inducta, videlicet, quia ſumus invicem membra, eſt reſtrictiva, nam in Epheſiis ſubintelliguntur omnes alii, qui, etſi omnes non ſint membra corporis Eccleſiæ actu, ſunt tamen in potentia, & aliunde ſunt actu membra Reipublicæ humanæ ſub Deo creatore. Deinde, confitemur fidem coram extraneis, ut fiant intranei; ſicut Chriſtus dilexit inimicos, ut faceret amicos.

Coram omnibus propugnanda fides.

Textus *Nolite dare ſanctum canibus*, non eſt ad rem. Intelligitur enim a Patribus, quod Sacramenta non ſint adminiſtranda Hæreticis, & indignis. Sic D. Thom. *in Catena ex doctrina S. Chryſoſt.* -- Non eſt ergo ſanctum dandum canibus, quia Baptiſmus, & alia Sacramenta non ſunt danda, niſi fidem habentibus -- Quod ſi quis intelligere velit de fide, ſenſus eſt, quod non ſemper expedit coram Hæreticis agere de myſteriis fidei, quia temere poſſunt exponi irriſioni; at nunquam licet ea negare. Pulchre Auguſt. *de Serm. Domini in monte*, relatus in Catena -- Quia poteſt aliquos per nomen ſimplicitatis, ad quam per ſuperiora induxerat, decipere, ut ſic putent, vitioſum eſſe aliquando verum occultare, quomodo vitioſum eſt falſum dicere, recte ſubjungit: Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos -- Videatur D. Thom. *in Comment. hujus loci.*

55 OBJIC. IV. Exterior ſimulatio falſæ Religionis æquivalet exteriori negationi fidei, & ſimulatio ſpecies eſt mendacii: atqui licet ſimulare falſam Religionem; ergo licebit negare veram exterius. Min. ſolet declarari

rari exemplo, Jehu, 4. Reg. 10. v. 30., qui ſimulavit cultum falſum cum Sacerdotibus, ut eos occideret, & fuit a Domino laudatus illis: *Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat.* Sic arguunt iidem Priſcillianiſtæ apud D. Auguſt. *lib. contra mendacium cap. 2.*

RESP. conc. maj. Loquendo de vera ſimulatione. Scriptum eſt enim 1. ad Corinthios 10. v. 20. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: & ſi quis autem dixerit, hoc immolatum Idolis eſt: Nolite manducare.* Dicit 2. ad Corinth. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Ad Epheſ. 5. v. 11. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Cum hac doctrina non ſtat ſimulatio falſæ Religionis. Jam eâ bibitur calix Dæmoniorum, immolatum manducatur, jugum ducitur cum infidelibus, communicatur operibus infructuoſis tenebrarum; quia exterius exercentur ritus falſi cultus.

Simulatio falſæ Religionis nunquam licita.

Hæc fuit antiqua Patrum doctrina, quod non liceret in exteriori cultu communicare cum infidelibus, & Hæreticis. Hinc Irenæus *lib. primo de hæreſ. cap.* 1. inter alia reprehendit Novatianos, quod in externo actu veſcendi idolothytis, & in celebratione quorundam feſtorum communicarent cum Gentilibus -- E-
„ tenim Idolothyta indifferenter manducant,
„ nihil inquinari ab iis putantes; & in om-
„ nem diem feſtum Ethnicorum pro volun-
„ tate in honore eorum factum primi conve-
„ niunt -- Celſus objurgabat Chriſtianos, quod ſuperſtitioſe abſtinerent a cultu externo Gentilium in epulo, ſacrificio, & aliis: cui reſpondet Origenes *lib. 8. contra Celſum*, non
„ licere -- Etiamſi nihil ſint Idola, tamen
„ grave piaculum eſt eorum intereſſe epu-
„ lo &c. Non debemus eorum ſacrorum fieri
„ participes, cum ſciamus differentiam in-
„ ter menſam Domini, & menſam Dæmo-
„ niorum -- Tertullianus *lib. de Idololatria* inſtituit quæſtionem, an liceat communicare cum Gentilibus in ritibus veſtitus, cibi, & familiæ: & diſtinguens inter ea, quæ ſunt naturæ, & Religionis de primis concedit, de ſecundis negat -- Convivamus cum om-
„ nibus; collætemur ex communione natu-
„ ræ, non ſuperſtitionis. Pares animâ ſu-
„ mus, non diſciplina: compoſſeſſores mun-
„ di, non erroris -- Cyprianus *ſermone de lapſis*, & alii Patres Concilii Ancyrani a primo uſque ad ſeptimum Canonem variis pœnis ſubjiciunt eos, qui coacti idolis ſacrificaverunt, vel cum Idololatris communicaverunt, non præmiſſa expreſſa fidei confeſſione.

Ad exemplum Jehu reſpondet Auguſt. *loco cit.* poſt multa his verbis -- Illum verò
„ Jehu mendacio impio, & ſacrificio ſacri-
„ lego occidendos impios, & ſacrilegos in-
„ quirentem, non imitaremur, nec ſi de il-
„ lo, qualis fuiſſet, eadem Scriptura tacuiſ-
„ ſet. Cum verò ſcriptum ſit, eum rectum
„ cor non habuiſſe cum Deo, quid ei pro-
„ fuit, quod pro nonnulla obedientia, quam
„ de domo Achab omnino delenda, pro cu-
„ piditate ſuæ dominationis exhibuit, ali-
„ quantam mercedem tranſitoriam Regni
„ temporalis accepit? Ad ſententiam potius
„ veridicam Martyrum defendendam te fra-
„ ter exhortor, ut ſis adverſus mendaces,
„ non mendacii Doctor, ſed veritatis aſſer-
„ tor &c. -- Hunc ſequitur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 2. laudat quandoque Scriptura intentionem, licet in medio aſſumendo aberretur.

56 OBJIC. V. Potiſſime juxta dicta tenetur Chriſtianus confiteri Chriſtum, quando nominatim interrogatur, ſed hoc eſt falſum. Nam quoties Judex eſt illegitime interrogans, non habet jus ad veritatem ſciendam: unde poteſt interrogatus judicem eludere, & ſic reus poteſt mentiri in judicio illegitime interrogatus, ſed quilibet Princeps perſequens Eccleſiam in materia fidei illegitime interrogat; ergo Catholicus poteſt mentiri, negando exterius fidem.

RESP. Major propoſitio falſa eſt. Nunquam licitum eſt mentiri, cum ſit ab intrinſeco malum: unde ſive juſte, ſive injuſte interrogatus homo ſit, nequit mentiendo ſatisfacere interrogationi: & multo minus poteſt id facere Catholicus in caſu Controverſiæ, ubi agitur de cauſa Eccleſiæ. Chriſtum inſequitur, qui Catholicos perſequitur, & ideo *Saule Saule* (dixit) *quid me perſequeris?* Eccleſiam invadit, qui fideles exagitat quo ad fidem: quapropter quilibet fidelis tenetur eam defendere cum præjudicio vitæ temporalis, Catholicus tunc interrogatus, teſtis pro Chriſto ſtat, ac per conſequens pro veritate, quam nec diſſimulare poteſt, neque negare. Miſit Dominus Apoſtolos teſtes in omnem gentem, ut etiam ſiſterentur coram Tribunalibus, & veritatem dicerent, ideo præmonuit, ut non timerent, & promiſit Spiritum Sanctum, qui daret, quod loquerentur. In Apoſtolis totam Eccleſiam inſtruxit, & ſingula ejus membra, ut intelligerent, quod debent loqui coram Judicibus, & quidem non verba mendacii, ſed veritatis.

Nunquam licitum eſt mendacium.

RESOLVUNTUR ALIQUA DUBIA PRACTICA.

CUm in Anglia, Hibernia, Hollandia non permittatur liberum Miſſionis exercitium, occurrunt in praxi aliqui caſus, in quibus dubitant, quid agere debeant noſtri Miſſionarii, qui ibi morantur. Ne conſcientiam ſuam offenſis Dei commaculent, reſolutionem libenter deſiderant, & ideo aliqua dubia opportunum duxi hic inſerere ad inſtructionem eorum, qui præparantur pro Miſſionibus. Sit primum.

57 N. N. Anno integro converſatus cum Hæreticis Guilelmi Principis exercitus Anglorum, & Regis, negavit exterius fidem, ſed conſtanter eam in corde retinuit. Namurco capto, adivit Confeſſarium, ab eo petiit abſolutionem, quam negavit adjudicans pœnitentem reſervatione Papali ligatum. Quæritur, an potuerit illum abſolvere.

RESP. Hæreſis ob cenſuram reſervatur Romano Pontifici. Hæreſis autem proprie non datur, ubi non datur error in intellectu: atqui in caſu propoſito non adfuit error in intellectu, cum firmiter omnia toto illo tempore crediderit, quæ docet Romana Eccleſia;

Sola exterior fidei negatio non eſt reſervata.

ergo non inciderat in cenſuras, ac proinde neque in reſervationem. Alii probant ex eo, quod cenſuræ ſint ſtricti juris, & per conſequens interpretandæ ſunt de peccato perfecto, & conſummato, quale hoc non fuit, cum defuerit negatio interior fidei, immo adfuit oppoſita confeſſio interior.

Scio Eccleſiam iſtos punire, & abſolvere a cenſuris in Tribunali Inquiſitionis, ſed id oritur ex eo, quod non judicat de occultis, & ſuſpicatur de aliquo etiam errore intellectus, & negatione interiori. Ceterum Forum confeſſionis credit pœnitenti ſincere, & candide contra ſeipſum, vel pro ſe ipſo teſtificanti; ac proinde hoc ipſo, quod abſque ſuo deponit ſe nunquam aſſenſum præſtitiſſe interiorem contra fidem; hoc ipſo certificatur Confeſſarius eum non fuiſſe Hæreticum in proprietate, ac proinde capacem eſſe abſolutionis.

58 N. N. didicerat pulſare organa. Profectus ad Miſſiones, ut celaret ſe, & ſuam fidem, acceptavit munus pulſandi organa in Hæreticorum Templis, ubi mos eſt pulſandi hujuſmodi inſtrumenta, dum aliquos Pſalmos canunt, vel cœnam celebrant, ſed ipſe nec Pſalmus recitabat, nec de cœna participabat, dubitatum eſt ab aliis Miſſionariis, qui in iiſdem partibus morabantur, an licite id fieri poſſet.

Pulſatio organi in feſtis Hæreticorum illicita.

RESP. Nullo modo eſt licitum. Ratio clara eſt. Illa Pſalmodia eſt publicus ritus Hæreticorum; unde qui ad illam actualiter concurrit, approbat ſaltem ritum, & falſam Religionem profitetur, ſed abſque dubio pulſans organa actu concurrit ad illam Pſalmodiam; ergo actu communicat in ritu publico ſuperſtitioſo. Si recitaret cum Hæreticis Pſalmos alternative: utique inexcuſabilis eſſet. Porro illa pulſatio eſt quædam velut pars illius Pſalmodiæ: Mixtura enim cantus, & ſoni componitur. Pulſatio organorum materialiter, & phyſice eſt res indifferens, ſed in his circumſtantiis formaliter, & moraliter determinatur ad ritum pravum. Sicut deferre ſcalam ad aſcendendum feneſtram phyſice eſt res indifferens, ſed in circumſtantiis, quibus herus vult aſcendere ad ſtuprandam Virginem, determinatur ad uſum malum. Ut quis excuſetur a peccato per uſum rei indifferentis, neceſſe eſt, quod in ordine morali remaneat indifferentia, in quo ſolo ordine datur capacitas bonitatis, & malitiæ. Defectu hujus regulæ orti ſunt plurimi abuſus opinionum, quas debuit Eccleſia proſcribere.

59 N. N. Religioſus Sacerdos in Hollandia ſub habitu ſeculari incedens, ut moris eſt, cum adverteret quoſdam Hæreticos ſupra ipſum invigilare, ut eum dignoſceret, an eſſet Sacerdos Pontificius; & cum proderent occaſione cujuſdam edicti Magiſtratus, ad eos eludendos convenit cum muliere occulte Catholica, ut in eadem domo habitaret, & illi hæc deſerviret in pertinentibus ad domeſticos uſus familiæ, puta culinæ, & ſimilium. Ita factum eſt. Porro in converſationibus ſtudioſe ſolebat eam commendare coram Hæreticis, & vocabat Dominam ſuam -- „ Domina mea (*dicebat*) hac mane delica„ tum juſculum in prandio dedit. Domina „ mea acu egregie laborat -- & alia id generis, utens æquivoco illo verbo *Domina*, quo uxores ſuas familiariter vocant conjuges, & videbatur indicare eſſe ſuam uxorem. Hoc reſciens illius Religionis Superior, rem adjudicans illicitam, a Miſſionibus revocavit. Quæritur ergo, an jure?

60 Dico nullam in eo artificio adfuiſſe veræ fidei negationem, nec falſæ profeſſionem. Probatur clare. Ad ſummum innuebat ſe non eſſe Sacerdotem, cum videretur habere uxorem: ſed hoc nullo modo eſt fidem negare; etiam ſi mentiendo aperte diceret, ſe non eſſe Sacerdotem; quia optime ſtat, quod aliquis ſit Catholicus, & non ſit Sacerdos, ut patet de Laicis: Solum ergo negaret conditionem particularem ſtatus proprii quem in Eccleſia Catholica haberet; non autem negaret profeſſionem Catholicæ fidei, quæ paritur in Laicos, & Sacerdotes. Addo in caſu, quod illud artificium neque ſufficienter negat conditionem Sacerdotis; quia ille terminus *Domina mea* non eſt ita determinatus ad ſignificandam propriam uxorem, quin etiam bene, & ſatis frequenter accipiatur ad ſignificandas mulieres honeſtas deſervientes; maxime quando in proprietate non ſunt conductæ pro ancillis; ac proinde eſt in vulgari loquendi modo terminus indifferens, vel ſaltem æquivocus ratione duplicis ſignificationis.

61 N. N. Miſſionarius didicerat minutatim acta, mores, & vitam Calvini, ejuſque hæreſis propagationem. Occaſione ſubortæ procellæ in Anglia contra Regem Jacobum Secundum ejectum a Regno, ſibi timens, ut ſe occultaret, hac utebatur arte. In converſationibus, & in conviviis miſcebat data occaſione hiſtoricas narrationes de vita Calvini; aliquando de ejus ingenio; aliquando de itineribus ab ipſo factis, & de ſimilibus. Attamen de doctrina altum ſervabat ſilentium; & quando alii eam referebant, nihil dicebat, vel ad ſummum, quod v. g. prima vice de tali puncto diſputaverit Calvinus Genevæ, vel ſimilia ſimpliciter hiſtorialia. Quæſitum eſt an bene faceret, vel potius fidem negaret.

Caſus difficultatem involvit, & poteſt ei ſubeſſe periculum. Attendendo ad principia generalia hoc non videtur illicitum, nec contra fidem. Quia cognitio vitæ, & morum Calvini nihil mali continet; pertinet enim ad eruditionem. Diſcurſus ſimpliciter hiſtorialis, etiam coram Hæreticis Sectæ Calvinianæ non eſt malus, nec eſt approbativus Sectæ Calvinianæ, ſed ſolum eſt indicativus eruditionis, quam quis habet de geſtis Calvini. Nos Itali quandoque etiam coram Gallis ſermonem inſtituimus de geſtis a Rege Galliæ; neque inde ſequitur, quod nos ſimus Galli; neque etiam, quod approbemus illa, ſi pure hiſtorialiter narrentur. Ipſimet Calviniſtæ diſcurrunt de geſtis Lutheri, nec intendunt ejus Sectam approbare.

In praxi tamen hunc Miſſionarium credo non bene agere, ſi ſaltem frequenter id faciat: quia indicat illa frequentia affectum erga Calvini geſta; & habemus argumentum in exemplo allato de Italis loquentibus de geſtis a Rege Galliarum. Hi enim, qui frequenter de his loquuntur, ſolent ordinarie eſſe ex affe-

affectu Galli. Dixi *frequenter*: aliquando enim licet incidenter aliqua narrare hiſtorialiter, quod nihil mali præſefert, & naturæ converſationis politicæ id poſtulat; niſi alia circumſtantia vitians accedat. Itidem facile eſt, quod Calviniſtæ audientes illum pronum ad referendas res Calvini, accipiant id pro approbatione doctrinæ, & Sectæ Calvinianæ. Quamvis autem liceat tegere fidem noſtram; non tamen licet exhibere ſigna, quæ accipiantur ratione circumſtantiarum pro approbatione falſæ Religionis. Deinde in caſu eſt facile periculum tangendi doctrinalia ob connexionem cum hiſtorialibus; & cum poſitive ea non reprobet Miſſionarius, ſi hoc enim faceret, ſtatim detegeretur, videtur ea admittere.

62 N. N. In Anglia interrogatus de Religione in familiaribus converſationibus ab Heterodoxis, maxima promptitudine, & expedite reſpondebat -- Sum ex Religione S. Pauli, „ qui cum Judæis, Judæus erat, & cum Gentilibus Gentilis -- & indicabat velle dicere cum Calviniſtis Calviniſta, cum Porretanis Porretanus: & aliquando etiam celeri, & expedito ſermone expreſſe id proferebat, adjiciens omnia factus omnibus: & intendebat id in ſenſu Pauli in corde ſuo, videlicet, ad lucrandas animas; & eo utebatur artificio, ut occaſiones facilius inveniret inſtruendi deceptos in fide, ſuos Catholicos conſolandi, & magis, ac magis confirmandi. Ductus quibuſdam exemplis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſine ſcrupulo id faciebat. Quæritur an liceat, & nihil præjudicii involvatur contra Fidem.

Aperte dico non poſſe fieri, & graviter lædi Fidem Catholicam. Et prob. Qui ore affirmat ſe Calviniſtam, ore negat ſe eſſe Catholicum, ſed illa locutione affirmat Miſſionarius ſe eſſe Calviniſtam cum Calviniſtis, cum Porretanis Porretanum; ergo negat ſe eſſe Catholicum. Major declaratur. Verbum illud *Calviniſta* ex ſua principali, & vulgari ſignificatione appellat ſupra ſectam Calvinianam, ac per conſequens, qui Calviniſtam ſe dicit, ſe fatetur profeſſorem ſectæ Calvinianæ. Porro hæc eſt eſſentialiter excluſiva Religionis veræ Catholicæ, & omnino incompoſſibilis, ac proinde affirmatio illius eſt negatio illius. Min. patet ex facto, in quo tranſeunter, ut interrogationem eluderet, dicebat -- Se Judæum eſſe cum Judæis, hoc eſt, „ Calviniſtam cum Calvinianis --

63 Reſolutio hæc habetur expreſſe apud Auguſt. *lib. contra mendacium*, a quo ſequentia profero. Ideo ſalvatur illud artificium, quia momentaneo motu linguæ profertur eludendi cauſa reſponſionem, ſed hoc non excuſat a crimine: nam pro minimo inſtanti non eſt neganda Catholica veritas, dicente Auguſtino *cap. 6. lib. cit.* -- Semper cum „ timore recolendum eſt: Quicunque nega- „ verit me coram hominibus, negabo eum „ coram Patre meo. An verò Chriſtum co- „ ram hominibus non negat, qui eum co- „ ram Priſcillianiſtis negat? ut eos latentes „ blaſphemo mendacio nudet, & capiat? -- Ideo ſalvatur illud artificium a crimine, quia intendit arripere occaſionem eruendi ab errore deceptos, ſed ex hoc non purificatur a

A labe; ſiquidem non licet blaſphemando Blaſphemum corrigere. Auguſt. *cap. 6.* -- Abſit „ Blaſphemias ignorantium, ſcienter blaſphe- „ mando vincamus -- *Cap. 21.* -- Abſit, ergo, „ ut Chriſtianus neget, & blaſphemet Chri- „ ſtum, quo poſſit alium facere Chriſtianum -- His oſtendit inductive, ſicut non licet adulteros adulterio, homicidas homicidio, maleficos maleficio, mendaces mendacio revocare, ita nec licet blaſphemos blaſphemiis, incredulos incredulitate quærere. Videatur etiam *cap. 5.*

64 Ideo ſalvatur illud artificium, quia ſperatur fructus converſionis deceptorum, & confirmationis conventorum, ſed hoc non

B purgat malitiam; quia fructus & futurus eſt, & incertus, damnum autem eſt præſens: nam propoſitio ſecundum ſe prolata confirmat audientes in errore, & nocet proferenti. Auguſtinus *cap. 3.*, ubi ait -- Si Priſcillianiſtas „ nos eſſe mentimur, quia eorum tanquam „ noſtra ſumus dogmata laudaturi, quiſquis „ ea crediderit, aut confirmabitur apud eos, „ aut transferetur ad eos interim ſtatim. „ Quid autem hora ſuperventura pariat, u- „ trum, inde poſtea liberentur vera dicenti- „ bus nobis, qui decepti ſunt fallentibus no- „ bis, & utrum audire velint docentem, „ quem ſic experti ſunt mentientem, quis „ noverit certum? Quis hoc eſſe ignoret in-

C „ certum? -- Apud omnes recepta eſt Regula, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona: unde non eſt ad breve tempus neganda Fides Catholica, nec ad modicum affirmanda falſa, ut aliorum procuretur ſalus. Dicimus cum Auguſt. *cap. primo* -- Nunquìd & nos „ dicturi ſumus: faciamus mala, ut veniant „ bona? An aliquando bonum eſt menda- „ cium, vel aliquando mendacium non eſt „ malum? -- Non poteſt hæc doctrina Auguſtini ſolidior reperiri. Nihilominus plura ſunt pro parte oppoſita, quæ oportet ſolvere, & inſimul evertere Priſcillianiſtarum errorem,

D aſſerentium licitam exteriorem fidei negationem.

Omitto argumentum ab exemplo Jehu ſuperius ſolutum. & objic. I. Mater Sanctorum Martyrum Machabæorum promiſit Tyranno ſe perſuaſuram filio ſuo adoleſcentiori, ut patriam fidem negaret. 2. Machab. v. 26. *Cum autem multis eam verbis eſſet hortatus; promiſit ſe ſuaſuram filio ſuo*: ſed hæc mulier laudatur ab Eccleſia: non ergo male egit, & hoc niſi, quia tantum oretenus dixit, nempe, motivo habendi occaſionem alloquendi filium, ut eum magis confirmaret; ergo licet oretenus fidem negare ad lucrandas ani-

E mas.

RESP. neg. maj. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 1. docet ex D. Auguſt. non omne, quod fingitur eſſe mendacium, vel ſimulationem, ut accidit in locutionibus figurativis, & multo magis in tropicis. Inter tropicas autem locutiones Ironica adnumeratur: unde fictio, quæ in ea reperitur, non eſt mendax ſimulatio. Sancta autem Mater Machabæorum ironice promiſit ſuaſuram filio deſerere patrias leges; ac proinde nihil mali fecit. Ironice locutam patet ex contextu, quia oppoſitum ſtatim fecit; & ſeipſam etiam

martyrio coronavit. Omnes Catholici dicunt non eſſe negationem fidei irridere Tyrannos vexantes pro fide. In caſu autem noſtro locutio non eſt ironica, ſed poſitiva, & aſſertiva, nec ſtatim ſequuntur ſigna demonſtrativa oppoſiti, ut accidit in Machabæa fœmina.

65 OBJIC. II. Non eſt illicitum ad lucrandas animas uſurpare locutionem Spiritus Sancti, ſed Spiritus Sanctus aſſumit locutiones, quæ videntur ex modo dicendi falſum profiteri. Hoc explicatur. Eccleſiaſtis 3. v. 19. dicitur: *Unus eſt interitus hominis, & jumentorum, & aqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur*, v. 21. *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendant ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Hic loquitur Canonicus Scriptor in perſona voluptuoſi negantis animæ immortalitatem: ſed ita artificioſe, ut videatur in propria perſona negare immortalitatem animæ; ergo licebunt hujuſmodi apparentes locutiones negantes oretenus dogmata fidei ob alium finem honeſtum.

Quilibet Hæreſiarcha ſuos errores conatus eſt Scriptoris comprobare, ſed caſſo irritoque labore. Non eſt dubium, quod ſæpe Canonicus Scriba loquatur in perſona aliorum, modo bonorum, modo malorum, & ſæpe loquatur in perſona propria. Nulli etiam dubium eſt, quod ſi ea, quæ dicuntur in perſona aliorum, uſurpentur dicta in perſona propria, ſequentur deceptiones. Sed nec apparentem occaſionem præbet Scriptura, quia contextus omnia bene declarat, ſed fallacia procedit ex non ſufficienti attentione, & lumine intelligentiæ. Quod *loco cit. in object.* agat in perſona alterius negantis animæ immortalitatem elucidat cap. 6. v. 8., ubi affirmat animæ immortalitatem: *Quid habet amplius ſapiens ſtulto, niſi ut pergat illuc, ubi eſt via?* Et cap. 9. v. 10. *Nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Voluptuoſum alloquitur. In caſu autem noſtro res aliter ſe habet: Non enim alia ſubjungit verba Miſſionarius, indicantia ſe non ſerio, aut ironice loqui.

66 OBJIC. III. Potuit Chriſtus ob certitudinem futuræ reſurrectionis affirmare, verum mortuum dormire, Matth. 9. v. 24. *Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit*; ergo ob ſpem lucrandi animas licebit Miſſionario illo artificio oretenus negare fidem.

RESP. neg. conſeq. Lata eſt diſparitas inter Chriſti exemplum, & Miſſionarii. Chriſtum nec mentitum, neque æquivoce locutum oſtendi poſſet ex doctrina D. Auguſt., & D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *ad* 1., ubi docet, quod fictio figuralis eſt veritas. Sicut, quando Chriſtus cum Diſcipulis euntibus in Emaus finxit ſe longius ire, figurabat aſcenſionem ad Patrem. In caſu autem noſtro, tam mors, quam dormitio accepta eſt a Chriſto figuraliter, ut ex Patrum doctrina habemus; & revera Chriſtus operabatur ſemper cum myſterio. Oſtendi hoc poſſet ex modo loquendi, quem Chriſtus ſuperius adhibuit. Intendebat enim ibi demonſtrare ſuam Divinitatem, cui æque facile eſt mortuum excitare ad vitam, ac dormientem a ſomno evigilare. Hoc confirmat Rabanus *in Catena D. Thom.* -- Unis mortua eſt; Deo autem, qui ſuſcitare
„ poteſt, dormit, tam in anima, quam in
„ corpore -- Quæ phraſis pertinet ad elegantiam locutionis, quando res ipſo facto comprobatur. Eſt ſimilis dictio, cum viri robuſti experientiam facere volunt ſuarum virium; ad præſentiam magni, & gravis ponderis dicunt -- Sinite: nihil eſt hoc; non ponderat:
„ leve eſt -- & ſtatim mira facilitate elevant.

Sed his omiſſis, quæ vera ſunt, pono principalem intentionem textus. Illa locutio continet elegantiam ſermonis, qui dicitur ſuggeſtivus, & exploratívus. Solebant Judæi miracula Chriſti detorquere. Ut ergo Chriſtus induceret Judæos ad prius confitendam mortem puellæ, ut evidentiam miraculi ſine gloſſis poſſent admittere, ſuggeſtive loquitur, dicens: *Recedite: non eſt enim mortua Puella; ſed dormit*: En contextus. *Et deridebant eum*: En confitentur mortuam. Chriſoſt. *in homil. relatus in Catena aurea* -- Non autem (*dicit*) increpavit deriſionem, ut & ipſa deriſio, & tibiæ, & alia univerſa, demonſtratio fiant mortis. Quia enim multoties, poſtquam facta ſunt miracula, non credunt homines; antea eos convincit propriis reſponſionibus: quod & in Lazaro fecit, cum dixit: ubi poſuiſtis eum? Ut qui dixerunt (Veni, & vide; & quoniam fœtet, quatriduanus enim eſt) non amplius poſſint non credere, quoniam mortuum ſuſcitavit -- S. Th. *in comment. in hunc locum Matth.* idem habet. In caſu autem Miſſionarii non eſt iſta ſermonis elegantia, ſed abſolute pronunciat, Judæum ſe eſſe cum Judæis; nec aliud verbis, vel facto ſubdit explicativum.

67 OBJIC. IV. Non eſt illicitum Miſſionario ſequi œconomiam D. Pauli in prædicatione Evangelii: atqui D. Paulus ſimulabat apparenter diverſam Religionem, 1. Corinth. 9. v. 20. *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. Hoc dicto maxime movebatur Miſſionarius.

Verum qualis ſit ſenſus D. Pauli, accipiamus ex D. Auguſtino *Epiſtola* 9. *cap.* 4. -- Et
„ cetera, quæ ibi dicuntur compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus, qui miniſtrat ægroto: non cum febres habere mentitur, ſed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum ſibi miniſtrari vellet, ſi ipſe ægrotaret. Non utique Judæus erat; Chriſtianus autem factus, non Judæorum Sacramenta reliquerat, quæ convenienter ille populus, & legitimo tempore, quo oportebat, acceperat. Ideoque ſuſceperat ea celebranda, cum jam Chriſti eſſet Apoſtolos, ut doceret, non eſſe pernicioſa iis, qui ea vellent (ſicut a parentibus per legem acceperant) cuſtodire, etiam cum Chriſto credidiſſent: non tamen in eis jam conſtituerent ſpem ſalutis, quoniam per Dominum Jeſum ſalus illa, quæ illis Sacramentis ſignificabatur, advenerat &c. Nam ſi propterea illa Sacramenta celebravit, quia ſimulavit ſe Judæum, ut illos lucrifaceret: cur non etiam ſacrificavit cum gentibus: quia & iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege factus eſt, ut eos quoque lucrifaceret? Niſi quia & illud fecit natura Judæus,

„ dæus ; & hoc dixit, non ut fallaciter ſe fin-
„ geret eſſe , quod non erat , ſed ut miſeri- A
„ corditer eis ita ſubveniendum eſſe ſentiret,
„ ac ſi ipſe in eodem errore laboraret , non
„ ſcilicet mentientis actu , ſed compatientis
„ affectu . Sicut , eo ipſo loco generaliter in-
„ ſulit : Factus ſum infirmus infirmis , ut in-
„ firmos lucrifacerem : ut ſequens concluſio
„ (omnibus omnia factus ſum, ut omnes lu-
„ crifacerem) ad hoc referenda intelligatur ,
„ ut cujuſque infirmitatem , tanquam in ſeipſo
„ miſeratus appareat . Non enim & cum di-
„ ceret : Quis infirmatur ; & ego non infir-
„ mor ? infirmitatem alterius ſimulaſſe po-
„ tius; quam condoluiſſe, volebat intelligi --

Illud ſolum advertere placet cum eodem B
Auguſtino *ibidem cap.* 3. eſſe exactiſſime cavendum , ne in Sacra Scriptura minimum mendacium , vel ſimulatio etiam officioſa admittatur, aliàs fides noſtra tota corruit . Accipe ejus verba -- In expoſitione quoque epiſt.
„ Pauli ad Galatas invenimus aliquid , quod
„ nos multum moveat . Si enim ad Scriptu-
„ ras Sanctas admiſſa fuerint officioſa men-
„ dacia , quid in eis remanebit auctoritatis ?
„ Quæ tandem de Scripturis illis ſententia
„ proferetur , cujus pondere contentioſæ fal-
„ ſitatis ſubruatur improbitas ? --

In Scriptura nullum admittendum mendacium.

68 OBJIC. V. Quæ proferuntur a Sanctis Martyribus in actu martyrii non poſſunt C
eſſe illicita , dicente Domino : *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* : ad quæ alludens S. Cyprianus *epiſt.* 83. ait -- Quodcun-
„ que ſub illo confeſſionis momento confeſ-
„ ſor Epiſcopus loquitur, aſpirante Deo, ore
„ omnium loquitur -- Sed plerique Martyrum oretenus negaverunt fidem , ut lucrifacerent incredulos ; ergo hoc artificium licet. Min. declaratur quibuſdam Eccleſiaſticis monumentis .

S. Julianus Martyr finxit ſe velle Diis ſacrificare , ut oratione ſua , ſecundum quod præviderat, omnia Idola comminueret, & Sacerdotes Idololatras occideret ſub Templi rui- D
na. Ut ipſum induceret ad Sacrificium , Imperator juſſit omni pompa parare Templum cum omnibus Idolis ex auro, & argento , & advocato a ſe Juliano dixit , quod jam tempus eſſet , ut conſequeretur ſuam ſalutem , Deos Sacrificiis honorando . Cui S. Julianus
-- Quia tempus illud advenit , quod tu ipſe
„ dixiſti , quo nos ſalutem conſequamur, ut
„ numina a nobis honorentur: fac omnes Sa-
„ cerdotes Deorum intus adeſſe , ut cogno-
„ ſcant quale Sacificium offeramus . Præſes
„ dixit : Bene ſit tibi : optime locutus es --
Et credidit Præſes, quod vellet revera ſacri- E
ficare . Sic apud Surium 9. Januarii .

Septem mulieres Chriſtianæ colligentes ſanguinem S. Blaſii Martyris , depræhenſæ a Miniſtris Idolorum, ductæ ad Præſidem, qui eas promiſſione honorum adhortabatur ad ſacrificia Deorum : reſpondentes ei dixerunt --
„ Si vis o Præſes , ut Diis tuis ſacrificemus,
„ eamus prope lacum ; & tu quidem immitte
„ Deos tuos in ſaccum , & eus plumbo ob-
„ ſigna : nos autem cum abluerimus vultus
„ noſtros in lacu , accedemus, & iis ſacrifi-
„ cabimus . His lætatus Præſes , ad eas ad-
„ duxit Deos ſuos . Illæ autem cum eos ac-
„ cepiſſent , dejecerunt , & demerſerunt in
„ profundo lacus -- Ecce qualiter oretenus
negaverunt fidem Catholicam ex motivo perdendi Idola . Hæc apud laudatum Surium *in vita S. Blaſii* .

S. Iſaac Monachus Martyr his Judicem eſt allocutus -- Vellem Judex . cultor Maho-
„ meranæ fidei ſtrenuus fieri , ſi modo tu non
„ differas , ordinem , rationemque ejus mihi
„ exponere -- Refert hoc S. Eulogius Martyr *lib.* 1. *memorialis Sanctorum* in præfatione.

Illud fortiſſimum eſt de S. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo , qui ſe finxit Hæreticum Arrianum, ut nomen S Dionyſii Epiſcopi Mediolanenſis deleret de Catalogo Hæreticorum, cui ſubſcripſerat . Audiamus rem totam a S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo in Sermone ad populum habito , & eſt *Sermo 69. apud D. Ambroſium* . Ait ergo -- Illud autem ta-
„ cendum omnino non arbitror , quod cum
„ Arrianorum deteſtanda perfidia totam cum
„ univerſo mundo Italiam perturbaſſet , at-
„ que ejuſdem peſtilentiæ Sacerdotes ſimpli-
„ citatem S. Dionyſii Martyris, captivaſſent,
„ ita ut ſubſcriptionis ejus vinculum retine-
„ rent; qua illum e manibus eorum ſapientia
„ liberavit ? Sicut enim ait Sanctus Paulus :
„ Factus ſum Judæis tanquam Judæus , ut
„ Judæos lucrifacerem, ita Euſebius Hæreti-
„ cis Hæreticum ſe eſſe mentitus eſt, ut de
„ hæreſi filium liberaret . Dixit enim eorum
„ ſe conſentire perfidiæ ; hoc ſibi placere ,
„ quod illis: ſed quod ſibi filium Dionyſium
„ in ſubſcribendo præponerent , graviter ſe
„ moveri . Vos enim (*inquit*) qui dicitis ,
„ Filium Dei Patri Deo æqualem eſſe non
„ poſſe , cur mihi filium prætuliſtis ? Qua illi
„ ratione permoti ſtatim Sancti Dionyſii Chi-
„ rographum deleverunt , priorem locum de-
„ ſcribendi Beato Euſebio deferentes . Quos
„ ille increpans , & irridens , ait : Neque
„ ego me veſtris ſceleribus polluo , neque fi-
„ lium meum vobiſcum participare permitto .
„ Unde cum dicat Evangelium : in hac ge-
„ neratione prudentiores filios tenebrarum
„ eſſe , quam lucis , ecce hic ipſis tenebris
„ prudentior filius lucis inventus eſt -- Ecce
qualiter S. Maximus affirmat S. Euſebium , ſe Hæreticum mentitum eſſe , & dicit quod in hoc facto prudenter egerit .

Reſpondent quidam S. Julianum , & ſeptem illas mulieres illud egiſſe ſpeciali motione Spiritus Sancti , quæ motio ſpecialis liberavit a labe actiones illas : hæc tamen imitanda non proponuntur , cum ordinarias agendi leges prætergrediantur . Et explicant exemplo . Eccleſia colit tanquam Martyres quaſdam fœminas , quæ ne violarentur , ſeipſas in ignem projecerunt , vel aquas . Seipſum occidere abſque dubio peccatum eſt : ſed quia Eccleſia adjudicavit id feciſſe motione Sancti Spiritus ſpeciali , ideo inter choros Sanctorum adnumerat . Nec tamen inde regula deſumi poteſt pro menſurandis noſtris actionibus .

Hæc via eſſet expedita , ſi omnia eſſent paria . Occiſio non eſt ita ab intrinſeco mala , quod non poſſit a labe purgari , ut patet in occiſione ob juſtam defenſionem , vel per publicam auctoritatem : unde cum Deus ſit

magis

magis Dominus vitæ noſtræ, quam auctoritas publica, ſequitur, quod ex motione Divina reddi poteſt licita occiſio ſui. Mendacium autem eſt ita ab intrinſeco malum, quod non poteſt purgari a labe: unde ex Divina motione non potuerunt mendacium proferre Sancti Martyres. Hæc aliorum judicio remitto.

Mendacium ab intrinſeco malum.

70 Dicendum videtur, in his caſibus nullum fuiſſe mendacium, nullam fidei falſæ ſimulationem: quod explico prænotando I., quod ſicut datur ſcandalum paſſivum ſine activo, ut patet de Phariſæis, qui ſcandalizabantur ex eo, quod Sabbato Chriſtus curabat Infirmos; ita datur deceptio paſſiva abſque activa, ut quando aliquis profert, quæ rectam habent intelligentiam, ſed vel ex non ſufficienti applicatione, vel ex malo affectu ab audiente in malum detorquetur ſenſum.

71 II. In locutionibus dantur quidam artificioſi modi ſæpe neceſſarii, vel ad jucunditatem ſermonis, vel ad efficaciam perſuaſionis, vel ad diſpoſitionem audientium, vel ad alios ſimiles effectus; & hi modi a Rhetoricis dicuntur tropi, vel figuræ, ut figura Ironiæ, figura conceſſionis, figura interrogationis, figura ſuſpenſionis, & ſimiles, in quorum uſu illud accidit, quod non ſtatim ab initio adæquate intelligitur veritas diſcurſus, qui procedens ſub illis tropis videtur ad alia declinare, ex quo apud incautos, vel non ſufficienter attendentes, vel ſtatim præcipitantes aſſenſum, oriuntur deceptiones. Quare non oportet judicare de re, niſi toto diſcurſu peracto: & ſi quis decipiatur, non eſt in cauſa loquens, ſeu orator, ſed qui audit. V. g. Orator utitur figura Sinecdoche, accipiens totum pro parte, vel e contra. Si audiens decipiatur, accipiens dictum pro toto, quod eſt tantum pro parte, deceptio eſt pure paſſiva abſque activa.

Ad hoc genus reducitur doctrina D. Auguſt. *lib. contra mendacium cap.* 12. -- Mendacium eſt quippe falſa ſignificatio cum voluntate fallendi: non eſt autem falſa ſignificatio, ubi etſi unum ex alio ſignificatur, verum eſt tamen quod ſignificatur, ſi recte intelligatur -- Non ſufficienter intelligitur ſæpe una periodus, niſi aliquid aliud ſubdatur, per quod explicetur: unde, ex quo quis decipiatur, quia ad illud primum attendit ſecundo non expectato, non falſum dicit, qui loquitur. Quomodo excuſantur nugæ, & quidam feſtivi diſcurſus, ac fictitii, introducti ad infirmorum levamen, in quibus ſub initio videntur ſerio res narratæ, ſed in decurſu detegitur eſſe fictitias ex his, quæ miſcentur, & concluduntur; & concluſio potiſſimum rem totam palam facit. Ad hunc ſenſum dicit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 4. -- Licet tamen prudenter occultare veritatem aliqua diſſimulatione -- Ait -- diſſimulatione, non ſimulatione -- ſunt enim duo hæc diverſa.

72 III. notandum eſt, quod non eſt illicitum ex motivo gravi uti hujuſmodi tropicis locutionibus cum prævisione, quod alii decipientur. Sicut non eſt illicitum ex gravi motivo agere rem bonam cum prævisione, quod alii ſcandalizabuntur (quomodo Chriſtus curabat Sabbato infirmos, prævidens murmurationes Phariſæorum) quia hoc non procedit nec ex mala voluntate operantis, nec ex pravitate operis, vel falſitate ſermonis. Et de facto in Scriptura ſunt pleræque tropicæ locutiones, ex quibus ſua malitia decepti ſunt Hæretici. Immo iſtæ permiſſiones ſunt neceſſariæ pro bono communi propter iniquos, qui aliàs omnia ſubverterent.

Ea tamen regula ſervanda eſt, ut ſermo exterior non ſit falſus, dicente Auguſt. *lib. de mendacio cap.* 10. -- Nec ulla omnino cauſa inveniri poſſe credatur, cur in rebus talibus mentiendum ſit, quando, nec in ea doctrina mentiendum eſt, ut ad eam ipſam quiſque facilius perducatur. Facta enim, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt; quæ niſi vera credantur, teneri certa non poſſunt. Licet igitur vel diſſertori, ac diſputatori, atque Prædicatori rerum æternarum, vel narratori, vel pronunciatori rerum temporalium ad ædificandam Religionem, atque pietatem pertinentium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur; mentiri autem nunquam licet: ergo neque occultare mentiendo -- His delibatis apparet ſolutio ad prædicta exempla, quæ omnia fuerunt directa a ſpiritu Dei ſub aliqua tropica locutione.

S. Julianus ironice telam texuit, quam facile detegere potuiſſet Imperator, ſi rem bene perpendiſſet, non ſolum ex præcedentibus circumſtantiis ſummæ conſtantiæ jam exploratæ, ex multitudine miraculorum, ex aliis irriſionibus, quas miſcuerat in proceſſu ſuæ paſſionis; ſed ex formulis verborum, quibus tunc utebatur, quæ illuſoriæ videntur: nempe quod convocarentur omnes ad cognoſcendum quale ſacrificium offeramus -- Semper diſtulimus, ut in hoc templo mirabili magnum Sacrificium immolaremus -- ſicut ex diſcurſu, quem inſtituit de convivio nuptiarum, quem Imperator non intelligebat. At quid clarius, cum ingrediens Templum, facto prius ſigno Crucis, dixit Imperatori -- Diis ne omnibus ſacrificandum? -- Et reſpondente ipſo Imperatore affirmative, ad orationem S. Juliani corruerunt omnia Idola, & contrita ſunt, milleque Sacerdotes occiſi perierunt. Ecce illis Ironicis phraſibus ſuſpenſum tenuit ſenſum ſuum, donec facto aperuit; & hæc eſt natura Ironiæ artificioſæ, ut ab initio ad unam partem trahi videatur oratio ſub quibuſdam terminis magnificis, deinde clare, & manifeſte concludatur in oppoſitum, & verus aperiatur ſenſus.

In illis ſeptem mulieribus clarius apparet ironica irriſio -- Si vis, o Præſes, ut Diis tuis ſacrificemus; eamus prope lacum &c. -- Petunt Idola bene claudi in ſacco, & ſibi dari: dicunt, quod cum abluerint vultus, tunc ſacrificabunt, & pervenientes ad aquam ea ſubmerſerunt: quæ actio clare mentem manifeſtat; & abſque dubio Præſes, & Miniſtri poterant facillime ſuſpicari illa ſerio nec dici, nec fieri. Sed Deus, qui immittit ſpiritum vertiginis, confudit mentes eorum.

Aliud de Iſaac Monacho nihil continet difficultatis. Ille agendi modus, & loquendi

rectus

rectos eſt, & familiaris in convictu homano. Qui enim certus eſt de victoria, alteri parti aliquid concedere promittit, ut eum ad pugnam provocet. Conditionales iſtæ ſponſiones nihil ponunt in eſſe, & indicant manifeſte audientibus, quod non dicuntur aſſertive: Quando dixit ſe ampleaurum Mahometiſmum, ſi de eo Præſes redderet rationem, erat certus, quod non poterat adverſarius hôc de ſua falſa ſecta præſtare, ſicut ipſe poterat de vera fide; & ideo ipſum inſtigit ad diſputationem. Hæc ars eſt obvia, nec in ea creditur miſta negatio veritatis, nec ſub conditione illius, de quo controvertitur.

Caſum S. Euſebii eſcuſat a crimine Hæreſis aliquis Doctor ex eo, quod ſubſcriptio non erat in materia fidei, ſed in cauſa facti contra Athanaſium accuſatum de aliis criminibus.

Sed hoc non ſufficit, tum quia S. Maximus dixit S. Euſebium ſe hæreticum finxiſſe. Tum quia non erat leve crimen conſentire in damnationem Athanaſii innocentiſſimi, & cogniti ut talia ab omnibus Epiſcopis Catholicis: & ipſe Euſebius gravem fecerat correptionem S. Dionyſio, eo quod ſubſcripſerat; quamvis magis ea ſimplicitate, quam ex malitia.

Quare recurrendum eſt ad Ironicam promiſſionem, facillime detegibilem ab Arrianis, quibus nota erat diſplicentia Euſebii, & aliorum pro ſubſcriptione Dionyſii, & quibus nota erat conſtantia Euſebii, qui Primus agebat in defenſione Athanaſii, & lis quam movit, ut primus ipſe ſubſcriberet, ſi nomen Dionyſii penitus deleretur, abunde indicabat ſuſpicionem alicujus artificii. Non enim pro pace ſtatuenda erat neceſſe inſtare tam acriter pro deletione nominis Dionyſii. Sufficiebat novam ſubſcriptionem incipere, & cum ſcirent S. Euſebium eſſe virum perſpicacem, Dionyſium verò ſimplicem, poterant illico dubitare de artificio. Eo vel maxime, quod S. Dionyſius non multum curavit de præſerentia Epiſcopatus, & de lite, cui competeret primùm ſubſcribere, cum aliàs jus maximum prætendere poſſet ea ex, quod in proprio Epiſcopatu celebraretur Concilium, & Civitas eſſet principalior, unde ſatis aperte apparebat hoc fieri ex condicto. Ironicam fuiſſe promiſſionem patet ex facto ſubſecuto immediate.

Ad has tropicas adinventiones natura ipſa eſt prona: unde non eſt in pluribus neceſſarium ſtudium particulare artis oratoriæ. Naturalis vis intellectus eſt fœcunda harum argutiarum magiſtra, quæ, ſi Spiritus Sanctus dirigat, ad vitam æternam perducunt. Quod ſi (ut veritas eſt) tropica locutio a mendacio, & falſa ſignificatione liberat; ſecundum eam debemus Sanctorum Martyrum facta explicare potius, quam condemnare, ubi argumentum fortius non urget.

RECENSENTUR, ET SOLVUNTUR ALII CASUS.

73 ZElo ſane Apoſtolico Noſter P. Paulus in Miſſionibus Anglicanis incumbebat ſaluti animarum cum invidia Prædicantium Hæreticorum, qui ſciebant ipſum plurimum laborare in via Domini, ſed certo ipſum detegere nequibant, propter iteratam in dies habitus mutationem. Accidit, quod ex Catholicis Germanis unus defecit a fide; & factus miles crimina commiſit, ob quæ fuit ad ſuſpendium damnatus. Compaſſione motus Miſſionarius quærebat artem revocandi ovem perditam: & cum aliud medium non occurreret, rogavit Miniſtros, dum ducebatur ad ſupplicium, ut poſſet Reum comitari, & animare ad viriliter mortem tolerandam. Quod petiit obtinuit; & acceſſit, & lingua Germanica cœpit admonere de periculo æternæ vitæ ſimul cum amiſſione temporalis. Gratia Dei cor tangente ad verba ſervi Dei flere cœpit, & dixit, quod libenter converteretur iterum ad fidem Romanam, ſi eſſet tempus, & permitteretur opportunitas capiandi conſcientiam ſuam. Tunc Miſſionarius ferventius ingeminans ignita jacula, dixit, ſufficere, ſi ex corde aliquos fidei, ſpei, & contritionis actus eliceret; & ſi unum, vel aliud peccatum ipſi aperiret cum proteſtatione abjurativa hæreſis, ipſe abſolutionem Sacramentalem impertiretur. Quod factum eſt. Periit fidelis Chriſti Miniſter, an libenter reficeretur Sacratiſſimo Corpore Chriſti? Libenter reſpondit Reus, ſi poſſibile foret. Tunc Miſſionarius e ſinu eruens thecam tabacci diviſam in duos ſinus in quorum uno erat tabacchus, in altero aurato deferebat Sanctiſſimas Particulas pro Catholicis communicandis. Publice aliis videntibus dedit de tabaccho; deinde præmiſſis pauculis verbis exhortationis, accepit ſecreto Particulam duobus digitis, & aliis ſudariolum, & mira dexteritate abſtergens condemnati frontem a lachrymis, Corpore Domini refecit. Pro ſua conſolatione Miſſionarius rogavit Reum, ut ſupra patibulum daret ſignum aliquod perſeverantiæ in fide, & promiſit, & etiam conventum eſt, ut invocaret Patrocinium Chriſti, B. Virginis, & Sancti Joſeph, ſic -- Jeſus, Maria, Joſeph -- Pervenerunt ad locum patibuli; & Miſſionarius Reo valedicens ſe miſcuit turbæ. Reus in fide conſtans, & fortis ſubjecit collum laqueo, & ipſo ictu, quo fuit a Carnifice projectus deorſum clara, & alta voce clamavit -- Jeſus, Maria, Joſeph! -- Ad hæc adſtantes murmure facto clamare cœperunt -- iſte Papiſta eſt -- Non ſemel idem repetentes. Inter hos unus Prædicans exclamavit -- Hoc fecit Monachus ille „ Paulus. Paulus Monachus inter nos eſt -- Hoc audito Miſſionarius dimiſit pallium, & excurrens hinc inde dicebat -- Quis eſt ille „ Paulus? Ubi eſt? Quæramus ipſum -- Et ea induſtria evaſit, & abſcondit ſe. Viſum fuit aliquibus iſto artificio fidem Catholicam negaſſe, & falſam fimolaſſe.

74 Secundus caſus huic affinis accidit alteri ex noſtris Miſſionariis in Hollandia. Quadam die in domo, in qua ipſe morabatur, indictæ ſunt choreæ, ad quas ipſe invitatus fuit. Acceſſum negare non potuit, ne ſe detegeret. Dum ergo ſaltant alternatim inviati, cecidit, nemine ex adſtantibus advertente, e ſinu Miſſionarii Diurnale, quo utebitur ad horas recitandas. Rem advertens, perſpexit, ubi ceciderat, & inter ſaltan-

tandum pedibus impulit in Diurnale, & inclinavit ſe. Accepit illud, aperuit, legit inſcriptionem, & exclamavit -- Diurnale Papiſticum, Diurnale Papiſticum! Unus ergo Papiſta inter nos eſt? Quis erit iſte? -- Singuli cœperunt dicere -- Non ſum ego -- Tunc ille repetit -- Quis ergo erit? -- Sic diſſolutis choreis, remanſit ſicut antea occultus. Erant duo in angulo domus recentes Catholici non ſaltantes, ad quos accedens poſtea, interrogavit eos, an audiviſſent quid eveniſſet circa Diurnale? Cui illi -- Ita, & „ mirati ſumus, quod negaveris te eſſe Papiſtam; cum ſemper nos docueris, id non licere -- Quibus ille -- Bene percepiſtis, „ quid dixerim? Nunquam negavi; ſed ſolummodo dixi: Hic eſt aliquis Papiſta, quod „ verum eſt; & ſuſpenſiva locutione addidi: „ Quis erit? -- Quæſitum eſt, an ars iſta licite fuerit uſurpata.

75 Tertius caſus non multum diſſimilis eſt. Quidam ex noſtris Miſſionariis, qui uberrimum fructum reportabat ex agro Domini, & habebat plures oves Chriſti, detectus debuit aufugere. Miniſtri Heterodoxi, ut ille caperetur, ejus Imaginem appenderunt ad portas Civitatis. Ille ægre ferens derelictionem tot ovium, ingredi Civitatem, & ad eas reverti meditatur. Ut hoc exequatur, induit ſe alio veſtitu viliori, vultum expurcat luto, & quaſi ſtultum ſe fingens, accedit ad portam Civitatis, elevat oculos ad imaginem ſui, & dicit -- *Ah nequam!* -- Et accepto luto, & pulvere projicit in depictam imaginem; & eludens ſic cuſtodes ingreditur Civitatem, & ad ſuos revertitur. Exorta eſt difficultas, an ſit hæc vera ſimulatio contra Fidem Catholicam. Tertius iſte caſus accidit etiam in egregio Societatis Jeſu Miſſionario, & in altero Franciſcanæ Familiæ. Verum de Franciſcano non narratur æqualiter ab omnibus, & eſt aliqua variatio in circumſtantiis, de quibus cum non ſit concors relatio, nihil certi recenſere poſſum.

Specialiter a me de his tribus caſibus expoſtulata fuit reſolutio, quam ab aliis libentius diſcerem, ſicut de ceteris recenſitis, & referendis. Nihilominus dicam quid ſentio ſecundum regulas ab Auguſtino traditas, acerrimo veracitatis propugnatore, præcipue in materia Religionis, ut apparet inter alia *in libro de Mendacio, & in libro contra Mendacium*.

76 Ad primum ergo dicendum eſt nullam ibi implicari negationem fidei, neque mendacem ſimulationem, & probatur. In eo eſſet malitia fallaciæ, ex quo cum ipſe Paulus ſit Monachus, & hoc ſciat, oſtendit ſe neſcire, quis ſit: & cum ſciat, ubi ſit, oſtendit neſcire, ubi ſit, ſed in hoc nulla eſt malitia fallaciæ; ergo. Declaro min. ſequenti diſcurſu.

Ea doctrina communi licitum admittitur poſſe in Anglia, Hollandia, Scotia, aliiſque ditionibus non permittentibus liberum fidei Catholicæ exercitium, Miſſionarios noſtros Religioſos, & Sacerdotes uti veſtibus ſecularibus Mercatoris, Militis, & ſimilium, abſque mendaci fallacia, & abſque negatione ſtatus Monachalis: & tamen Monachus deponens proprias veſtes, & alienas induens videtur negare ſe Monachum, & profiteri ſe Laicum; nec ob aliam rationem, niſi quia veſtes Monachales, & Laicales conveniunt in uſu finis principalis, & primarii, licet differant in uſu finis ſecundarii. Unde Monachi ſecundum illum primarium aſſumunt veſtes Laicales, quibus ſe homines oſtendunt, & dimittunt alias Monachales ſecundum uſum ſecundarium, ut reticeant ſtatum Monachalem. Dicit autem Auguſtinus, quod non eſt mendax fallacia, unum veris verbis proferre, & aliud non dicere. Ita in caſu noſtro. Non negat prædictus Paulus ſeipſum, ſed verbis utitur veris, unum ſignificantibus, non detegendo aliud. Illa locutio: *Quis eſt iſte Paulus? Ubi eſt? Quæramus*, clarum, & apertum habet ſenſum obvium, & verum, & exteriorem, ſed non eſt conjuncta cum aliis phraſibus explicantibus proferentem ipſum eſſe Paulum. Sed melius explicemus altera Doctrina Auguſtini, & aliorum Patrum.

Pluries Chriſtum habemus poſtulaſſe ab aliis ea, quæ perfectiſſime noverat. V. g. Joannis 11. v. 34. quærit a Sanctis mulieribus Magdalena, & Martha, ubi Lazarum ſepeliverint: *Ubi poſuiſtis eum?* Lucæ 8. v. 30. volens ejicere ab homine ſpiritum immundum, petiit nomen ejus, quod optime ſciebat: *Quod tibi nomen eſt?* Eodem capite v. 45. Sanata muliere a fluxu ſanguinis ad contactum veſtimentorum Chriſti, dixit Jeſus: *Quis eſt, qui me tetigit?* Quibus formulis apud invidos æmulos nolentes bene intelligere, videtur Chriſtum velle indicare, ſe illa ignoraſſe, ac proinde mentitum, prout objiciebant Priſcillianiſtæ.

Sed abſit tanta contumelia a Domino noſtro, qui eſt ipſa veritas indefectibilis. Quare Patres docent, iſtas locutiones eſſe ſinceriſſimas abſque ulla ſuſpicione mendacii, aut fallaciæ, aut æquivocationis, aut deceptionis, quod Auguſtinus *contra mendacium cap. 13.* explicat, per recurſum ad figuratas, & tropicas locutiones, ſicut & noſter Cyrillus. Ad tropicas, inquam, locutiones, quæ naturaliter in uſu humano uſurpantur. Sæpiſſime enim res, quas nos ſcimus, volumus iterum ab aliis audire, eoſque interrogamus, ut narrent nobis, vel ut memoriam refricemus, vel ut inde arripiamus occaſionem dicendi aliquid aliud, vel ut diſtrahamus ipſummet, quem interrogamus, a curis, & moleſtis cogitationibus, vel ut per repetitionem innoteſcat aliis, vel pro ſimilibus motivis. Nec inde homines in hoc modo convivendi agnoſcunt genus aliquod fraudulentiæ, niſi aliud miſceatur. *Tropicæ locutiones quando quæ licent.*

Chriſtus inter alia in illis locutionibus unum fere ſemper inſpexit, videlicet, quod adſtantes ore proprio veritatem miraculi confiterentur, ex quo indubia propagaretur certitudo in argumentum innegabile ſuæ Divinitatis. Ita Miſſionarius iſtæ utens figura interrogationis, & ſuſpenſionis ſimul, diſtraxit ſpecies, & applicationem adſtantium, ne in ipſum attentionem figerent, & ita detegerent. At imputandum eſt ipſis, quod ſint decepti. Poterant enim adhuc reflectere, & eum diſtinguere.

77 Oc-

Digitized by Google

77 Occaſione hujus caſus ingeritur difficultas circa aliud. Cum iſte Miſſionarius exegerit ab illo Converſo publicam proteſtationem fidei: quæritur, an moribundus Apoſtata teneatur coram Infidelibus, & Hæreticis profiteri fidem cum diſpendio vitæ. Et ratio Controverſiæ ea eſt, ſcandalum videlicet, quod illatum eſt fidelibus, & injuria, quæ facta eſt fidei coram Infidelibus, qui occaſionem ſumunt confirmandi ſe in erroribus ſuis.

Huic dubio reſponſum eſſe invenio a Sacra Congregatione Romanæ Inquiſitionis ſub die 18. Julii 1630. occaſione relati dubii ex Africa ſub his terminis -- An Apoſtatæ a fide „ Chriſtiana ad pœnitentiam redeuntes, cogendi ſint ad retractandum explicite, & publice coram Infidelibus, cum periculo vitæ, „ ſicut negarunt fidem? An vero ſufficiat coram fidelibus publice, & explicite abjurare „ Apoſtaſiam in propriis Balneis (quæ ſunt „ captivorum carceres) & implicite apud „ infideles, abſtinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? Sacra Congregatio cenſuit Apoſtatas a fide redeuntes „ ad pœnitentiam, non teneri ad abjurationem Apoſtaſiæ publice coram Infidelibus; „ ſed ſufficere, ut eam abjurent in Balneo „ coram fidelibus, abſtinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum Infidelium, quatenus ſit proteſtativus falſæ Religionis. Si verò ſit æquivocus, poſſe illum „ deferre. Quod ſi ex illa delatione aliqua „ oriretur ſuſpicio, teneri aufugere cum primum poterit --

78 Die 25. Julii an. 1630. in eadem Sacra Congregatione relatus eſt alius caſus, videlicet -- Quomodo ſe gerere debeat Con- „ feſſarius erga Apoſtatas pœnitentes, in articulo mortis conſtitutos, cum ab illis ſecreto accerſitur, ut ſecreto abſolvat. Ratio difficultatis eſt, quia in illo articulo „ ſolent ab infideli familia, vel a Sacerdotibus falſis induci ad actus falſæ Religionis, „ nec poſſunt abnuere ſine periculo mortis.

„ Sacra Congregatio cenſuit, Confeſſarium debere abſolvere Apoſtatam pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, abjurata prius verbo Apoſtaſia in foro conſcientiæ: & ſi per aliquod temporis ſpatium ſupervixerit, & poterit, abjuret in Balneo „ coram fidelibus. Quod ſi non poterit relinquat Chyrographum ſuæ abjurationis, „ ſaltem ſigno Crucis conſcriptum. Si neque hoc poſſit: committat Confeſſario, ut „ ſuam abjurationem fidelibus manifeſtet: non autem teneri Apoſtatam pœnitentem, tunc „ in periculo vitæ conſtitutum, etiam ſuadentibus Turcis, cum periculo vitæ fidem „ Catholicam, quam tunc abjurata infidelitate amplexus eſt, confiteri, ſed eorum „ ſuaſiones eludere, vel non reſpondendo, „ vel æquivocis verbis utendo -- Hæc apud Vericelium. Quæ ſunt applicanda caſibus occurrentibus apud Hæreticos.

Ubi audis in hoc Decreto *Habitum æquivocum*, intellige habitum ſecundum uſum communem Regionis, non deſtinatum ex ſuo principali fine ad proteſtandam falſam Religionem, & etiam habitum per ſe primo inſtitutum ad uſum honeſtum, indifferentem; & per ſe ſecundo exprimentem ordinem ad Religionem, ut ſunt veſtes ordinariæ Sacerdotum. Ubi pariter audis *Æquivocis verbis utendo*, intellige de verbis, quæ ex æquo habent duplicem ſignificationem vulgarem, veram, & exteriorem.

Secundus caſus nullam habet difficultatem ſupra primum, unde ſolvitur eodem modo per recurſum ad tropos naturales a Spiritu Dei directos. Uſus enim eſt iſte Miſſionarius figura admirationis ſimul, & ſuſpenſionis, & locutiones adhibitæ nullam negationem includunt fidei: Immo ad eam tuendam ſunt ordinatæ. Solum potuit peccare peccato ſcandali propter illos recentes converſos, quibus viſum eſt illud artificium minus rectum. Sed nec adfuit ex parte Miſſionarii advertentia; & adfuit apud Neophytos præcipitatio minus conſiderata in judicando, & defectus debitæ attentionis ad verba. At prudens Miniſter Chriſti periculo providit, cum eos poſt factum interrogavit, & inſtruxit.

In tertio caſu nulla eſt fidei negatio, neque indirecta: tum quia ſimplex deriſio hominis Pontificii non eſt negatio fidei Catholicæ: tum quia actiones putative ſtultorum non creduntur reflexæ contra fidem, ſed vacuæ, & inanes, ut ſunt illæ, quæ a veris ſtultis exercentur. Videtur tamen non poſſe excuſari a culpa officioſa veræ ſimulationis: nam fingere ſe poſitive ſtultum, in Doctrina D. Thom. eſt vera ſimulatio culpabilis.

Scio, quod Miſſionarius noſter ſe excuſavit exemplo David, qui ſe ſtultum finxit in domo Achis Regis. Sed non omnia, quæ refert Scriptura, approbat, nec in exemplum proponit. David officioſe peccaſſe plerique Doctorum affirmant. D. Auguſt., & D Thom. excuſant, quia a Domino aſſumptus fuit David in figuram Chriſti: unde illa actio prophetica fuit, & prophetice ad eam David motus eſt. Aug. *contra mendacium cap.* 10. - Neque quod „ David ſimulavit inſaniam, nec cetera hujuſ- „ modi, mendacia judicanda ſunt, ſed lo- „ cutiones, actioneſque propheticæ ad ea, „ quæ vera ſunt, intelligenda referendæ, quæ „ propterea figuratis velut amictibus obte- „ guntur, ut ſenſum pie quærentis exerceant, „ & ne nuda, ac prompta vileſcant: quam- „ vis, quæ aliis locis aperte, ac manifeſte „ dicta didicimus, cum ea ipſa de abditis „ eruuntur, in noſtra quodammodo cogni- „ tione renovantur, & renovata dulceſcunt, „ nec invidentur diſcentibus, quod his mo- „ dis obſcurantur; ſed commendantur ma- „ gis, ut quaſi ſubtracta deſiderentur arden- „ tius, & inveniantur deſiderata jucundius. „ Tamen vera non falſa ſignificantur, ſeu „ verbo, ſeu facto -- In lege veteri valde frequentes erant figurales actiones in Sanctis Patribus ob conditionem illius ſtatus, qui totus erat figurativus novæ legis. Advertenda eſt alia regula in hoc loco inſinuata a Sancto Doctore, videlicet, conjungi has figurationes cum aliis rebus, & ſenſibus clare aliunde traditis. In caſu hoc noſtro non habemus ullum fundamentum figurativæ actionis, aut propheticæ regulationis. Scio tamen, quod

plerique in ſimilibus veris ſimulationibus excuſantur ſimplicitatis motivo. Alia dubia reſolvamus.

Mulier Hollanda, occulte Catholica, filium peperit, quem offerre voluit Miniſtro heterodoxo baptizandum, ne a Marito detegeretur Catholica, ſed ſcrupulo vexata, conſilium petiit ab uno Miſſionario, qui ei dixit, poſſe fieri, & debere fieri. Hic poſtea a domo Mulieris egrediens incidit in alium Miſſionarium, cui conſilium datum narravit. At ille cœpit eum graviter objurgare, quod male feciſſet; & altercati ſunt ad invicem. Unus ex iſtis, qui meus fuerat Condiſcipulus mihi detulit caſum pro reſponſione.

79 Pro reſolutione duo advertenda ſunt, primum eſſe licitum petere ab Hæretico Baptiſmum in extrema neceſſitate, quando proles periclitatur, & non eſt Catholicus, qui poſſit ſuccurrere. Ratio eſt, quia Hollandi Prædicantes non ſunt Hæretici nominatim denunciati, & aliunde Baptiſmus collatus ab Hæretico ſub debita forma, & materia eſt verus Baptiſmus; nec eſt proteſtativus falſæ Religionis. Hinc eſt, quod abſque rebaptizatione Eccleſia recipit baptizatos a Calviniſtis, & Lutheranis. Quod ſi ab adultis exigit abjurationem, non eſt, quia Baptiſmus ſit proteſtativus falſæ illorum Religionis, ſed quia actualiter fuerunt imbuti in dogmatibus erroneis. In cujus ſignum, ſi Mater Hæretica cum ſuis filiis non habentibus uſum rationis, etſi baptizati ſint ab Hæreticis, redeat ad Eccleſiam, hæc nihil exigit ab infantibus, ſed ſolum ſuo tempore inſtrui curat in veritate fidei: Ab Hæreticis autem nominatim non denunciatis (niſi ad ſenſum Lateranenſis V. notorii ſint) licite petuntur Sacramenta tam pro ſeipſo, quam pro aliis, ex doctrina communi poſt Concilii Conſtantienſis decretum, ſufficienti motivo urgente, & inter ſufficientia motiva primum locum obtinet neceſſitas extrema.

80 Secundumquod adverti debet, eſt, an ſit uſus, quod maſculus educandus ſit in Religione Patris, fœmina verò in Religione Matris; quod alicubi ita ſit, ubi in eadem domo convivunt ſimul, & quidem palam, Catholici, & Hæretici: unde quandoque Maritus eſt Catholicus, & Uxor non, & ex adverſo. In eo caſu non licet advocare Miniſtrum Hæreticum, ſed Catholicus debet vocare Catholicum, ſi habeatur, non ſolum extra caſum neceſſitatis, ſed etiam in caſu neceſſitatis, ſi adſit; quia quantum fieri poteſt evitanda eſt Sacramentorum irreverentia: irreverenter autem tractatur ab Hæretico Sacramentum Baptiſmi; adeoque ubi habetur Miniſter Catholicus, ille eſt advocandus a Catholico palam convivente cum Hæretico.

Reducitur ergo difficultas ad caſum propoſitum, nempe, quando non datur hic uſus, ut Maritus, & Uxor ſimul convivant in diſpari Religione. His ſuppoſitis.

81 Cenſeo licitum fuiſſe illi Mulieri offerre puerum baptizandum Miniſtro heterodoxo. Ratio eſt, quia ſecundum communem doctrinam ſtante motivo gravi licitum eſt petere Sacramentum ab Hæretico tolerato, quia irreverentia Sacramenti, quæ ſequitur, eſt permiſſa, ſicut eſt permiſſa, quando occulte indigno, ſed publice petenti peccatori Parochus concedit Euchariſtiam, ſed in noſtro caſu adeſt grave motivum; ergo. Min. explicatur. Occultatio fidei in his locis, ubi non permittitur liberum exercitium, eſt bonum valde neceſſarium, propter quod plurima alia ſunt permiſſa, ut jejunia non ſervare, carnes comedere die Veneris, & ſimilia quæ aliunde non licerent. Periculum rixarum inter conjuges in contumeliam Creatoris eſt res gravis, propter quam licita eſt thori ſeparatio: ſed in caſu noſtro, ſi Mulier a Marito detegeretur Catholica, eſſet periculum rixarum in contumeliam Creatoris. Nam ſæpe vexaret Maritus Uxorem circa Catholicos ritus, impediret ab exercitio pietatis, ſollicitus eſſet, ne filios edocaret in Catholica Religione, & timens Magiſtratus imperium, ne ſibi etiam aliquod malum eveniret, multo majores moliretur vexationes, & objurgationes ingeminaret. Porro hæc ſunt gravamina ſatis conſiderabilia, ob quæ poteſt permitti adminiſtratio Baptiſmatis, quod aliàs eſt Sacramentum neceſſitatis. Si tamen immineret periculum ſcandali apud Catholicos, quibus aliàs Mulier eſſet cognita, tunc ſcandalum eſt præcavendum. Apud Moraliſtas minora motiva invenio, propter quæ docent, licere petere Sacramenta ab excommunicato tolerato, & a Præsbytero iniquo, ac proinde videtur licere ob hanc cauſam, fidei videlicet, offerre puerum baptizandum Prædicanti heterodoxo.

Quando licitum eſt ab Hæretico petere Baptiſmum.

82 DICES. Poterat offerre puerum baptizandum ipſimet Miſſionario præſenti, a quo poſtulavit conſilium.

Sed inſtantia duo ſupponit dubia, primum, an ſecum tunc Mulier infantem haberet, ſecundum, an mos ſit, ut Viro inconſulto poſſit Uxor filium Baptiſmo lavare. Deinde. Eſt moraliter certum, quod Vir peteret ab Uxore filium offerendum lavacro: tunc quid dicet Mulier? Si tradit baptizandum, iterabitur gravi ſacrilegio Baptiſmus. Si dicit eſſe baptizatum; cogetur, vel mentiri; vel, poſtulante Marito, quando, & a quo? ſeipſam detegere, & ſeipſam, ſuamque fidem contumeliis exponere. In illis regionibus valde ſolliciti ſunt parentes, & Miniſtri, ut conferatur Baptiſma; quia in eo maximam ſalutis regulam cuſtodiunt: unde ſatis difficile eſt, quod non detegeretur illa occulta collatio.

83 INSTABIS. Non licet Catholicis in Hollandia ad tegendam fidem carnibus veſci die Veneris; quia ſolum aliquam irriſionem patiuntur ab Heterodoxis. Porro irriſio non eſt tantum malum, pro quo evitando poſſint non confiteri aperte fidem; ergo aliqua vexatio toleranda eſt ab Uxore, ne injuria fiat Sacramento Baptiſmi.

Concedo antecedens, & etiam conſequentiam, ſi nihil aliud immineat, quam irriſio aliqua, vel vexatio quædam: tenemur enim aliquid pati pro Domino, & pro conſervatione honoris ejuſdem. Sed caſus noſter non eſt ſimilis; ſiquidem in antecedenti agitur de Catholicis cognitis ab Heterodoxis, & permiſſis abſque alia poſitiva vexatione. Nos autem loquimur de Uxore occulte Catho-

tholica, quæ indiget ſeipſam occultare; loquimur de Uxore, quæ detecta a Marito vexationem pateretur ob motivum Religionis; loquimur in caſu, in quo non eſt tolerata mixtio in eadem familia Catholicæ, & Heterodoxæ profeſſionis, ac proinde in circumſtantiis, in quibus rixæ, & perturbationes ferme quotidianæ exorirentur.

84 In Anglia mortuus eſt celebris quidam Miniſter Puritanorum. Dum imminebat tempus ſepulturæ, ſtabat unus Miſſionarius cum quibuſdam Puritanis in quadam officina mercaturæ, quorum unus dixit -- Eamus ad comi-
„ tandum funus: hoc enim eſt debitum, cum
„ ſit Miniſter noſter, qui nos docuit viam ſa-
„ lutis -- Clamaverunt alii -- Æquum eſt:
„ eamus -- Miſſionarius ne ſe detegeret, reſpondit -- Eamus -- & cum aliis abivit, & comitatus eſt funus. Domum reverſus totum narravit ſocio, qui cœpit dubitare de licito, ob duo, primum, quia mortuus, publicus Miniſter erat, ſecundum, quia qui invitavit, dixerat -- Debitum eſt, quia docuit nos viam ſalutis -- unde videbatur illa actio indirecta falſæ Religionis profeſſio: nam videbatur electa in gratiarum actionem pro munere prædicationis. Quæritur ergo, an vere liceat.

Subſtantiam difficultatis reperio examinatam a Theologis, ſcilicet, an in iſtis ditionibus liceat Catholicis Acatholicorum funeri adeſſe. Et abſolute affirmative reſpondent, quia funeris comitatus non eſt ceremonia ſacra apud ipſos, ſed eſt ſimplex obſequium politicum, nullam involvens proteſtationem Religionis. Hinc eſt, quod apud nationes omnes ſemper fuit conſuetus aliquis modus ſepeliendi defunctos, qui nunquam eſt creditus, niſi genus quoddam politicæ obſervantiæ. Quare licebit, ni aliunde accedat peculiaris aliqua circumſtantia indicans functionem eſſe ſacram, & Religioſam, vel niſi Eccleſia oppoſitum declaraverit.

85 Aliqua difficultas eſt, quando Heterodoxus ſepelitur in loco ſacro, tunc enim videtur cooperari in profanationem loci ſacri.

Quandoque licet comitari Hæreticorum funera.

Sed communius reſolvitur, quod ex hoc præciſe, quod quis comitetur funus, & ſit præſens, dum defunctus ſepelitur, non concurrat ad illam profanationem; quia nihil agit influens, ſed omnino materialiter ſe habet. Etiam inter nos plerique ſequuntur Feretrum, ut videant hominem illum mortuum, & modum ſepeliendi, quadam curioſitate ducti, qui nullam prorſus habent cooperationem in functionem illam ſacram. Et Catholici, qui funeribus Heterodoxorum aſſiſtunt, ut ſe tegant, nullam ponunt applicationem, ſed vadunt, ut videant, ſicut irent ad Comœdiam recitatam ab Hæreticis.

86 Major difficultas eſt, an liceat comitari funus Acatholicorum, deferendo cereos, & neſcio quoſdam cantando Pſalmos, ut alicubi fieri didici: quia hæc actio ſacra eſt: pertinet enim ad comitatum formalem. Inſuper hæc actio eſt proteſtativa indirecte falſæ Religionis; nam eſt profiteri Hæreticum defunctum eſſe in loco ſalutis: quia cantus, cerei accenſi, ſepultura in loco ſacro aſſumuntur, ut adjuvent animam defuncti, & ut ſolvatur a pœnis Purgatorii: valde autem ſuperſtitioſum eſt orare pro damnatis.

Quidam reſpondet: Etiamſi aſſumantur hæc ab Eccleſia ad ſublevamen defunctorum, tamen non eſt malum illis uti in funeribus Hæreticorum; quia certo nobis non conſtat in hæreſi deceſſiſſe. Potuit enim ille detineri ignorantia invincibili; potuit pœnituiſſe in articulo mortis: Eccleſia pro certo ſcit, quod plerique damnantur ex Catholicis, & tamen pro omnibus in funeribus orat; quia neſcit de hoc, vel illo in particulari, an damnatus ſit, vel ſalvus.

87 Sed hæc doctrina amandanda eſt, ſecluſa aliqua circumſtantia particulari, per quam prudenter quis ſuſpicari poſſit, hunc vixiſſe in hæreſi materialiter, vel pœnituiſſe in articulo mortis; adeſt ſemper certitudo moralis, quod qui hæretice vixit, ita & mortuus ſit. Eccleſia non judicat de occultis, & ideo exterius ducitur ab exteriori modo vivendi ad ferendum judicium. Hinc ſemper culpabilem ſuſpicatur hæreſim, ac proinde quando redeunt ad ovile Chriſti Hæretici, quicunque ſint, abjurationem ab ipſis poſtulat, & abſolvit a cenſuris: unde in facie Eccleſiæ nequeunt exerceri ritus ſacri deſtinati ad defunctorum ſublevamen.

Alius reſpondet Cereorum uſum eſſe indifferentem, ac proinde ſecluſo alio motivo illicito, non eſt malum cum Cereo comitari funus Acatholicorum. Probat autem eſſe indifferentem, quia primarius uſus Cereorum non eſt deſtinatus ad pium ritum; ſiquidem primus uſus Cereorum eſt ad fugandas tenebras. Apud Ethnicos aſſumebantur Cerei ad omnes feſtivitates, ut ad nuptias &c. Et in funeribus ad honorandos homines fortes, & nobiles: igitur eſt ſignum indifferens. Ultimo Hæretici noſtri temporis non aſſumunt Cereos, & cantus, ut putent ſuffragari Animabus defunctorum. Negant enim Purgatorium, & Suffragia mortuorum, & inſurgunt contra ſacram pompam funeris apud Catholicos, qui ea ad dictum finem utuntur. Hæc eſt ratio generalis pro uſu aliarum rerum, ſi quæ ſunt, in funeribus Acatholicorum.

88 Verum hujuſmodi ſententia merito rejicienda eſt: nam non quæcunque indifferentia ſigni ſufficit ad reddendum illius uſum licitum, ſed debet eſſe talis hic, & nunc. Cereorum uſum abſolute eſſe indifferentem nemo negat, ſed aſſumptus v. g. ad comitandam Euchariſtiam, non eſt hujuſmodi, ſed determinatur ad honorandum Sacramentum. Ita pariter aſſumptus ad comitandum funus determinatur ad uſum particularem, ad quem fuit inſtitutus; & iſte eſt ordinatus ad pium finem.

Quamvis Acatholici moderni negent Purgatorium, negent Suffragia defunctorum, negent ſacram funeris pompam; tamen illi, qui aliquos ritus adhibent (ut aliquam Pſalmodiam, vel Cereorum delationem) id faciunt, ut ſe conforment primitivæ Eccleſiæ, in qua illorum erat uſus, & eos retinent velut quoſdam ſurculos Catholicæ Religionis, quam antea profitebantur. Porro Eccleſia tam primitivis ſeculis, quam noſtris illis utitur in comitando feretro ceremoniis ut ſacris,

 ut

ut proficientibus animabus defunctorum, quidquid dicant Hæretici.

89 Quare non eſt licitum comitari eorum funus, deferendo faces, canendo Pſalmos, vel aliam ceremoniam, aliàs ex Eccleſiæ conſuetudine ſacram exercendo; & ſi hi ritus ab aliis in funere exerceantur, & multo minus, ſi aliquis etiam Sacerdos ſacris ſit indutus veſtibus, crux deferatur ante feretrum; etiamſi Catholicus nihil horum faciat, Verricello non apparet eſſe licitum, quia tota illa functio ſacra videtur ſecundum ſe, & eſt; & aliunde trahitur ab Hæreticis ad cultum ſuperſtitioſum: unde ipſe propugnat licere comitari funus deferendo facem; ſi tamen Crux non præcedat, nec Pſalmodia, nec perſona ſacris veſtibus induta intercedat, nec ſepeliatur in loco ſacro. Sed ego etiam delationem facis accenſæ judico illicitam. De ſepultura in loco ſacro ſeparata ab aliis ritibus ſupra dictum eſt.

Nunc veniendo ad rem noſtram. Per hoc præciſe, quod defunctus eſſet Miniſter publicus, non ſequitur, quod ejus funus eſſet proteſtativum Religionis, quam prædicabat. Funus enim eſt actio civilis, & politica, quæ exercetur erga omne genus hominum morientium, majori, vel minori pompa, prout fert conditio defuncti. Quare ſimpliciter comitari funus Miniſtri, non eſt ullo modo falſam profiteri Religionem.

Quoad aliud, ſcilicet -- Debitum eſt: „ iſte enim nos docuit viam ſalutis -- Si Catholicus ſignum dedit approbativum illius cauſalis, male fecit. Si verò ad cauſalem illam nullum dedit ſignum approbativum, ſed reſpondentibus aliis -- Eamus: æquum eſt -- ipſe pariter ad ſe tegendum, ſubdit ſimpliciter -- „ Eamus -- non videtur reſponſio, nec actio comitatus approbativa falſæ Religionis. Nam ly *Eamus*, ſolum appellat ſimpliciter ſupra comitatum funeris, & facit ſenſum -- Eamus „ ad funus hujus viri, quem dicitis eſſe ſe- „ peliendum -- & eundo potuit fleviſſe miſeram illius ſortem, qui ſua prædicatione, & ſeipſum, & alios perdidit in gehennam.

90 In domo privata cujuſdam nobilis ex Patritiis primariis Anglicanis, poſt expulſionem a Regno Jacobi II. Regis, nunc jam defuncti in Galliis, & poſt mortem Innocentii XI. inſtituta eſt Comœdia quædam, in qua *Papa*, *& Rex* Perſonam agebant. Induebatur Papa veſtibus, ſicut deſcribitur beſtia Apocalypſis, Jacobus verò regiis ornatus habitibus, nigro charactere in fronte ſignatus, Dæmonibus exultantibus circumdatus irridebatur ut Aſſecla, & filius Papæ. Ad hanc Comœdiam fuerunt invitati quidam Nobiles, quibus amicus erat unus Catholicus, occultus propter tumultus, qui tunc vigebant. Erat tamen in aliqua ſuſpicione apud illos, qui, ut certificarentur, ad Comœdiam eum invitaverunt. Sed cum haberet ipſe nota negotia impedientia, ſe excuſavit. Narravit Sacerdoti Catholico periculum, in quo fuit, adjiciens -- Si non habebam illa negotia, eram valde „ implicatus. Deus ſcit, quid feciſſem --

Quæritur, an licite potuiſſet acceptare, & cum aliis aſſiſtere. In partem affirmativam inclinavit quidam, licet formidoloſe, ductus, quod aſſiſtere comœdiæ, non ſit actio approbativa rei repræſentatæ. Hinc videmus in Theatris Catholicorum repræſentari profanas ſcortationes Gentilium, eorumque Idololatrica; nec tamen approbantur. Addebat, Comœdiam non eſſe publicam, ſed privatam; ac proinde ad ſummum æquivalere privatæ interrogationi, quæ non obligat ad fidei profeſſionem. Addebat, etiam, ſi totum illud eſſet per picturam repræſentatum, liceret Catholico picturam illam intueri: cur non licebit repræſentatam in Theatro?

Comœdiis in fidei contemptum aſſumptis non licet aſſiſtere.

Reſp. Nullo modo licere talibus Comœdiis intereſſe, ſimilibus circumſtantiis veſtitis: & notum eſt, quam graviter antiqui Patres reprehenderint Catholicos intereſſentes ſpectaculis Ethnicorum irriſoriis Catholicæ fidei; & etiam illis, in quibus Diis fiebant ſacrificia magnifica. Et ratio eſt aperta; nam hæc Comœdia erat inducta in irriſionem Romanæ Eccleſiæ, & in contemptum dignitatis Pontificiæ. Confirmabatur facto doctrina Acatholicorum, qua dogmatizant, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, & credentes in eum eſſe Antichriſti filios: unde abſque manifeſta injuria fidei non fiebat, adeoque omnini licebat aſſiſtere.

91 Nec valent momenta Caſuiſtæ. Nam noſtræ Repræſentationes ſunt ſimpliciter tales, & habent purum eſſe ſpeculativum, commemorativum rerum, quæ fuerunt. Si inducerentur, ut practice approbativæ, utique non liceret aſſiſtere. In caſu non eſt ſimplex ſpeculativa repræſentatio rei præteritæ; ſed eſt expreſſa, & practica irriſio fidei Catholicæ. Practice inventa eſt ad contemptum Sedis Apoſtolicæ; unde peſſima eſt. Neque æquivalet ſimplici privatæ interrogationi in materia fidei, ſed formalem, & actualem continet Myſteriorum fidei contemptum. Nota eſt doctrina, quod etiam privata interrogatio obligat, ſi conjuncta ſit cum periculo irriſionis fidei, vel ſcandali fidelium. Pariter ſi pictura exponeretur in contumeliam Religionis, ut tranſeuntes moverentur ad cachinnos contra Primatum legitimum Romanæ Eccleſiæ, utique non liceret illam intueri, niſi actu innueretur deteſtatio erroris repræſentati.

CONTROVERSIA V.

AN CATHOLICI ANGLI PRO RELIGIONE MORTEM PASSI, SINT VERE MARTYRES.

JAcobus Sereniſſimus *in ſua Apologia ſub initio*, *& pag.* 18., *&* 23. conqueritur, quod inter perſecutores Eccleſiæ connumeretur a Paulo V., *& in Præfatione pag.* 157., quod vexati ab Anglis Magiſtratibus, & morte puniti, pro Martyribus habeantur. Ut ergo plene omni querelæ ſatisfaciamus, breviter hanc Controverſiam inſtituimus, quam duabus Concluſionibus terminabimus.

92 Dico I. Vexatio Catholicorum in Anglia modo, quo facta eſt ab Henrico VIII. uſque ad Jacobum, cujus formulam juramenti exa-

Digitized by Google

examinavimus, eſt vera perſecutio Eccleſiæ. Prob. clare, & breviter. Illa eſt perſecutio proprie dicta Eccleſiæ, quæ tendit in deſtructionem Eccleſiæ in aliqua parte notabili Provinciæ, vel Regni per media everſiva Religionis: ſed has conditiones habet vexatio Anglicana; ergo eſt propria perſecutio; ergo qui vexationem illam indicit, & præcipit, eſt vere Perſecutor. Major tres habet partes, quæ ſunt neceſſariæ ad conſtituendum conceptum veræ perſecutionis.

Catholicorum perſecutio quæ.

Prima eſt, ut vexetur pars aliqua Eccleſiæ, ideſt, quod Chriſtiani vexentur; & licet vexatio paucorum ad hunc titulum ſufficiat, nihilominus tunc magis elucet, quando notabilis portio vexatur, puta Provincia, vel Regnum aliquod. Nec eſt neceſſe, quod Eccleſia undique diffuſa per Orbem affligatur, ut conſtat ſub primitivis perſecutionibus, & ratio ſuadet. Dicitur enim torqueri corpus, ſi in aliquibus membris affligatur, licet non in omnibus, ita & in corpore myſtico. Eo vel maxime, quod quantum eſt ex ſe perſecutio intendit everſionem fidei, quæ una eſt in omnibus, & ſingolis membris Eccleſiæ.

Secunda conditio eſt *finis*. Ut Chriſtianorum perſecutio talis dicatur, debet tendere in everſionem Religionis, & non ſolum in deſtructionem boni temporalis; tunc enim vexantur Chriſtiani qua Cives, non qua Catholici. Hanc conditionem tradit Chriſtus Matth. 5. v. 10. vocans eos beatos, qui propter juſtitiam, & propter ipſum perſecutionem patiuntur. 1. Petri 4. v. 15. habetur: *Nemo autem veſtrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine*. Hinc Saulus dictus eſt Perſecutor Chriſti, quia deſcendit in Damaſcum, ut quotquot inveniret hujus Nominis cultores, caperet.

Triplici porro gradu perſecutio poteſt eſſe everſiva Religionis, vel pravos mores inducendo, vexando illos, qui nolunt eos admittere; & hæc in infimo gradu dicitur perſecutio, nec omnino propria, vel ſcindendo unitatem Eccleſiæ, ſeparando fideles ab obedientia debita Capiti legitimo, & proprio, tribuendo alteri ſanquam Capiti, cui nullo modo debetur; & hic gradus proprius eſt lineæ perſecutionis, vel cogendo ad mutationem veræ Religionis, & ad aſſumptionem falſæ, & iſte gradus eſt propriiſſimus. Ubi omnes tres gradus reperiuntur, nihil deficit ad perfectum ſtatum perſecutionis.

Tripliciter everti poteſt Religio.

Tertia conditio eſt *aſſumptio mediorum*. Hæc non ſunt in aliquo genere determinata, ſed quodcunque ſufficit; dummodo tendat ad finem prædictum everſionis Religionis. Ad majorem tamen claritatem placet aliqua ex his mediis indicare, quæ in Scripturis recenſentur, & ex traditione habentur. Chriſtus Dominus Matth. 5. v. 11. in illis: *Cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me &c.* tria tangit, ut Auguſtinus advertit *lib. 1. de Sermone Domini in monte*: Perſecutionem, quæ exercetur per vim, & fraudem, & inſidias: Maledictionem, quæ eſt detractio in præſentia: Oblocutionem, falſa imponendo, quæ eſt detractio in abſentia. Act. 5. v. 41. dicitur: *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. 1. Petri 3. v. 14. *Si quid patimini propter juſtitiam, Beati*. Hæc media magis in particulari determinata habentur in Eccleſiaſticis Hiſtoriis.

Ut referunt Optatus *lib. 6. de Donatiſt.*, Victor. *lib. 1. de perſecut. Vvandal.* Unum medium familiare fuit, nempe, cultum Divinum evertere, Templa deſtruere, Imagines ſcindere, loca ſacra in profanos uſus commutare, quo medio uſi ſunt Donatiſtæ, Eccleſiam perſequentes. Aliud ſatis notum fuit, leges, & edicta edere, fidei contraria, quibus compellerentur fideles operari, vel ſentire contra dogmata Religionis, quo uſi ſunt Gentiles Imperatores, & Apoſtatæ, ut Julianus, Valens, Heraclius, & hujuſmodi. Aliud fuit pœnarum, & tormentorum diverſorum comminatio, & executio, quo primi Perſecutores frequenter uſi ſunt. Aliud fuit, violenter ſubtrahere filios Catholicorum a Scholis, & Magiſtris, & tradere erudiendos Miniſtris Hæreticis, quo Julianus eſt uſus. Aliud, pollicitationibus conſtantiam fidelium tentare: quo uſi ſunt fere omnes Tyranni.

Prob. nunc min., nempe, quod perſecutio Anglicana habeat omnes tres conditiones enumeratas. Probatur ergo demonſtrative. Prima conditio eſt manifeſta, quia Anglia, Hibernia, & Scotia ſunt pars conſiderabilis Eccleſiæ. Sunt enim dominia continentia ſub ſe plures Provincias, nec modicam populi multitudinem concludunt.

Vera perſecutionis ſigna in Anglia.

Secunda, ſcilicet *Finis*, eſt aperta: nam Henricus VIII., ut ſuam de divortio firmaret ſententiam, contempſit Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, inductique novam Religionis formam, conſtituens ſe Caput ſupremum, tam ordinis politici, quam Eccleſiaſtici, nihilque voluit Romani Præſulis poteſtate definiri in ſuo Regno, novoſque ritus colendi Deum induxit: ſed iſta manifeſtam dicunt Eccleſiæ everſionem, medio ſchiſmate, & hæreſi; ergo Henriciana vexatio ex parte finis in proprio ſenſu eſt perſecutio.

Ex Sandero *lib. 2.* ſub impubere Edoardo ita crevit iniquitas, ut brevi tempore in Anglia fere nullum Sacramentum, nullum Sacrificium, nullum Divinum Officium ritu Catholico exerceretur. Non ſolum Primatum utriuſque ordinis aſſumpſit, ſed quodam ſuo reſcripto dixit, tam juris politici, quam Eccleſiaſtici juriſdictionem a Regia Poteſtate, velut a Supremo Capite manare. Contra Patris præceptum introduxit in Angliam Zuinglianam ſectam. Quid plura? Nedum ſchiſma, ſed & mutationem Religionis habemus. In eundem ſcopum conatus ſuos direxit Eliſabetha. Supremam Gubernatricem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſe declaravit, & hanc poteſtatem, & dignitatem ſibi jurari præcepit a ſubditis. Totis viribus laboravit extinguere reparationem Catholicæ fidei, quam reſtauraverat Maria ſuo quadriennio Principatus, Calvinianam, ſeu mixtam Religionem induxit. Hæc omnia confirmavit Jacobus Rex, Mariæ Stuardæ filius; Primatumque ſpiritualem jurari ſibi curavit, ſcri-

ptis

pijs defendit, aliiſque Principibus ſuadere conatus eſt. Calviniſmum, ſeu aliquid parum (A) diſſimile inſtauravit, & propagavit.

Tertia conditio eſt nimis evidens. Ex Sandero *lib.* 1. *pag.* 154. *&* 166. Henricus VIII. ab initio ſuæ Apoſtaſiæ præcepit, ut omnes viri, & mulieres pretioſiſſima quæque Eccleſiarum ornamenta, & reliquias ſuis Quæſtoribus traderent. In Comitiis ſtatuit, ut monaſteria minora, quorum redditus ſeptingentos aureos non excedebant, ſibi traderent: unde trecenta ſeptuaginta ſex Monaſteria, & centum viginti mille aureorum in ſingulos annos occupavit, exclamans -- Quam dulcis „ eſt panis Chriſti! Et præbebit delicias Re- „ gibus -- (B) In tantam nihilominus devenit paupertatem, ut parum defuerit, quin aliquæ Provinciæ propter grave gabellarum onus rebellaverint.

Juſſit e Monaſteriis virorum, & mulierum exire omnes annorum viginti quinque minores, permittens reliquis, ut facerent quid vellent: unde ſupra decemmille Religioſos ad ſeculum remiſit. Intra triennium poſtmodum omnia totius Regni Monaſteria invaſit, eorumque bona Fiſco applicavit: unde decem mille Monaſteria cum totidem Templis, violentiis, fraudibus, inſidiis occupavit, & in profanos uſus convertit.

Aggreſſus poſtmodum imagines, Monu- (C) menta, Reliquias Sanctorum, & celebriora Sanctuaria, ea expilando, contumelias afficiendo profanavit. Et licet omnes non everterit Eccleſias; omnes tamen quolibet pretioſo ornatu expoliavit, dehonoravit. S. Thomam Cantuarienſem, ſummæ venerationis apud Anglos, in judicium advocavit, & tanquam contumacem condemnavit, delevitque e catalogo Sanctorum. Ex theca aurea extrahi fecit veneranda Oſſa, & per carnificem comburi juſſit, cineresque vento tradi; & omnes theſauros celeberrimi Templi, & Sepulcbri ſuffuratus eſt. Monaſterium in eadem Urbe valde celebre S. Auguſtini, a quo fidem ac- (D) ceperunt Angli, poſt expilationem, in ſtabulum convertit beſtiarum. Quantum verò ad medium legum violentarum; bis Henricus coegit ſibi jurari Primatum utriuſque generis, & ſub pœna capitis juſſit deleri ab omnibus libris Romani Pontificis nomen.

Eduardus ſervavit, quæ Henricus feceerat, & inſuper Cruces, Imagines, quæ in Anglia remanſerant, vel combuſſit, vel projecit. Vaſa Sacra, Pixides, Calices, Veſtes Sacras, Supellectiles, uno verbo, omnia Eccleſiarum bona Fiſco applicavit. Vernacula lingua Divina Officia recitari juſſit. Miſſam (E) abolevit, Connubia conceſſit Clericis, ab Academiis expulit Catbolicos Doctores, advocatis Hæreticis ex Germania. Quo tempore illa evenit impietas: inſolentes Juvenes collegerunt ſcripta Petri Lombardi, S. Thomæ, Scoti, aliorumque Catholicorum inſignium, & infingentes de præſenti mortuos eſſe, data prius in eos ſententia damnationis de barbarie, ignorantia, & deceptione magnam ſtruem in feretro per Urbem ludrico ſpectaculo circumtulerunt; & in foro cum cantibus lugubribus concremarunt.

Eliſabeth, maxima vi omnia Templa, Monaſteria, quæ reparaverat Maria, dejecit, & antiquæ, & veræ Religionis uſum penitus extinguere conata eſt. Legem tulit ſub pœna capitis in eum, qui ſecunda vice recuſaret præſtare ſibi juramentum Supremæ Gubernatricis in Spiritualibus. Inſurrexit contra uſum ſacrificii, & Sacramentorum ritu Catholico, ſub pœna ducentorum ſcutorum prima vice, quadringentorum ſecunda, omnium bonorum, & perpetui carceris tertia. Sub pœna omnium bonorum, & carceris perpetui prohibuit adferre in Angliam Agnos Dei, Cruces, aliaſque res a Romano Præſule benedictas, & ſub pœna capitis, ſi Bullæ, & Brevia deportarentur. Reum dixit læſæ Majeſtatis illum, qui aliquem Eccleſiæ Romanæ reconciliaret ſub pœna bonorum omnium contra exeuntes ab inſula cauſa Religionis, omneſque Clericos Pontificia auctoritate ordinatos juſſit egredi ſine ſpe regreſſionis ſub eadem pœna.

Jacobus non babuit Templa, & Monaſteria contaminanda; quia ſatis erant ab Hæreticis polluta; tamen in Hibernia ſua vi impedivit, ne contaminatio auferretur. Sumptibus Catholicorum juſſit Eccleſias reædificari, ſed ut inſervirent conventiculis Calviniſtarum. Si quæ vaſa occulta Catbolicorum ſacra inveniebantur, ab Aulicis diripiebantur, & in profanos uſos convertebantur. Immo, ut fertur, ſub hoc colore vaſorum ſacrorum, quidquid ex argento, & auro vaſis formam deferebat, ſuffurabantur nebulones illi.

Anno 1606. Decretum illud edidit: *ad detegendos, & reprimendos Papiſtas*. In primo articulo confirmavit omnes leges ab Eliſabetha traditas. In ſecundo imponit Præfectis locorum, ut inquirant Catholicos cujuſcumque ordinis, & ætatis, qui templa Hæreticorum adire recuſarent, impoſita pœna, ſi negligentes fuerint in bac inquiſitione. In tertio ſtatuit, graviter puniri Catholicos, qui cœnam Calvinianam non ſumpſerint. In quarto ſancitur, ut qui recuſaverit ſacris Hæreticorum intereſſe, ſi convictus in judicio fuerit, ſolvat in menſes ſingulos florenos ducentos. In quinto deſcribitur mulcta duarum partium bonorum, recuſantibus adire Templa Hæreticorum. In ſexto pœnam recuſantibus cœnam Calvinianam. In decimo tertio ſtatuitur, ut Nobilis, qui in externis regionibus ſervire voluerit, cum duobus fidei juſſoribus ſub pœna ducentorum ſlorenorum ſpondeat, quod nullo unquam tempore reconciliabitur Romano Pontifici: quam cautionem ſi non dederit, reus mortis erit. In decimo quarto mandat, ut qui poſt decimum diem Junii hujus anni 1606. ſubditum aliquem Regis Anglorum ad fidem Romanæ Eccleſiæ pertrahet, aut pertrahere conabitur, is perduellionis, & læſæ Majeſtatis reus habeatur; & re ipſa pœnam ſubeat, niſi in Angliam revertatur, & intra ſex dies a reditu crimen confeſſus, duo juramenta ſuſcipiat, unum de Primatu Regis in Spiritualibus, alterum contra poteſtatem Papæ in Principes Chriſtianos.

Hoc edictum, licet dicat Rex temperaſſe, tamen non abſtulit, ſed potius juſſit alterum juramentum admitti ſub pœnis contra nolen-

nolentes, in quo ſunt non pauca contra Romanum Pontificem. Eadem hæc Decreta extendit ad Hiberniam, in quibus ſub gravibus pœnis præcipitur diebus feſtis adire Templa Hæreticorum, & eorum ritibus intereſſe: coguntur ſubditi deſerere patriam, niſi proteſtantibus ſe conforment: prohibetur Catholicis, ne doceant grammaticam, & linguam latinam: præcipitur Parentibus, ne extra Regnum ad Catholicas ſcholas mittant filios; ipſique carcere detinentur, donec filii redeant. Item ſub pœna carceris perpetui prohibetur Juvenibus exire e Regno cauſa ſtudiorum: & nullus ad officia publica Magiſtratus aſſumitur, niſi juramentum præſtet de Primatu ſpirituali, aliaque plura. Sufficiat, quod quatuor Archiepiſcopi illius Regni juſſu Regis Dublinium convenerint ad tractandum de Religione, & juraverint, ſe procuraturos omnibus modis in ſuorum Suffraganeorum Diœceſibus uniformitatem ritus Religionis. Sed ad quem finem? Ut eradicarent penitus Pontificiam Religionem, & veram fidem. Hæ ſunt leges civiles Jacobi. At hoc non eſt venare Religionem ſecundum mentem Regis. Quid ergo erit; ſi hoc non eſt?

93 Dico II. Qui tormenta paſſi ſunt pro Religione, veri Martyres ſunt. Prob. ille eſt vere Martyr, qui uſque ad mortem ſuſtinet ærumnas, ut Religionem, vel juſtitiam non deſerat — Nam quicumque pro veritate „ teſtimonium dederit, quidquid pro teſti„ monio veritatis, & juſtitiæ pertulerit, to„ tum ei Dominus pro martyrio computabit — ait Auguſt. *Serm.* 232. *de tempore*: quod intelligitur comite perſeverantia uſque ad finem, ſed in Anglia plures Catholici paſſi ſunt uſque ad mortem ærumnas, vel tormenta pro Religione, & juſtitia; ergo ſunt veri Martyres. Min. declaratur primo, teſtimonio celeberrimorum Hiſtoricorum, qui conteſtantur, plures Catholicos multa paſſos eſſe vere Martyres. In primis Polydorus Virgilius Anglicanos Hiſtoricos, ad finem ſuæ Hiſtoriæ agens de Henrico VIII. quoſdam Martyres refert. Sanderus Anglus eſt teſtis, & ipſe *in lib.* 1., *&* 3. *de Schiſmate Anglicano ab anno* 1533., *& ſequentibus* plures enumerat, quos Martyres vocat, paſſos ſub Henrico, & Eliſabeth. Idem ſentit Genebrardus *in Chronico ad annum* 1534. Idem Surius *in ſua Hiſtoria*. Bozius *de ſignis Eccleſ. lib.* 11. *cap.* 5. *tom.* 1. Didacus a Yepes Tarraconenſis Epiſcopus *lib.* 1. *cap.* 14. *Hiſtoria Anglicana*. Baronius *in Martyrologio ad diem* 29. *Decembris*. Spondanus *in continuatione Baronii ab anno* 1533. Qui Scriptores alios citant, & exempla afferunt, & ſunt ex illuſtrioribus Hiſtoricis, doctrina Inſignes, & aliqui etiam ſanctitate, adeoque non ſine temeritate his fides negari poteſt.

Veri Martyres, qui in Anglia paſſi ſunt.

Secundo declaratur quibuſdam exemplis. Sub Henrico Cardinalis Joannes Fiſcherus Roffenſis, quia noluit conſentire articulo de Primatu in ſpiritualibus, caput dedit Carnifici, Hymnum *Te Deum laudamus* magno fervore decantans, gratamque ſibi fuiſſe ejus mortem miraculo Deus confirmavit. Ejus caput haſta affixum in ponte Londinenſi per multos dies, non ſolum non contabuit, ſed

incredibilem majeſtatem referebat, & genus
A quoddam Divinitatis ſpirabat taliter, quod omnes admirabantur, donec admonitus Rex juſſit auferri.

Thomas Morus magnus Cancellarius poſt multas vexationes caput ferro dedit pro confeſſione fidei Catholicæ contra uſurpationem Anglicanam; cui prius facta fuit interrogatio circa hunc articulum. Caput haſta eodem modo affixum fuit. Quia tamen timebant impii, ne idem prodigium accideret; diu illud lixaverunt, quouſque tota caro liqueſceret. Sed non defuit Divina approbatio: nam Margareta Mori filia, cum nullam prorſus pecuniam haberet in crumena, ut linteum emeret pro involvendo corpore inſe-
B pulto, & projecto; ad vicinam officinam profecta, ut expectatâ pecuniâ emeret, manum mittens in vacuum ſacculum, tantum pecuniæ reperit, quantum ſufficiebat pro emptione. Hæc ex Sandero *lib.* 1.

Prætermiſſis innumeris aliis, Bozius *loco citato* refert anno 1535. crudeliſſime pro fide obtruncatos Unfridum, Midel Morum, Guglielmum Exmeum, Sebaſtianum Nugdegatum, Monachos Carthuſianos. Hi injectis ad collum, ad brachia, & crura circulis ferreis, coacti ſunt quatuordecim diebus erecto corpore ſtare. Deinde vimineis alligati cratibus,
C per loca aſpera raptati ſunt ad Londinenſem plateam, ubi craſſâ fune ſuſpenſi ne ſuffocarentur, poſtea demiſſi, longo ſpatio ad majorem dolorem abſcinduntur paulatim in verendis, pectore divulſo, viſceribus extractis, vita adhuc ſuperſtite capite obtruncantur. His, antequam paterentur, data eſt optio, ut vel Religionem deſererent, vel tormenta ſubirent.

Sub Eliſabeth multo plures Martyrii palmam conſecuti ſunt. Catalogum ſcripſit ex omni perſonarum genere Bozius *de ſignis Eccleſia lib.* 12. *cap.* 22. *tom.* 1., & ſolum ex duobus Collegiis Romano, & Rhemenſi re-
D fert occiſos ſeptuaginta quinque ab an. 1577. ad annum 1590. Crudeliſſima quorundam Martyria deſcribit *lib.* 11. *cap.* 1. Sed copioſius & numerum, & feritatem pœnarum deſcribit Sanderus *de origine ſchiſmatis Anglicani*, *de Monarchia Eccleſ.*, *& in lib. Concertationis*.

His omiſſis unum affero, relatum a Spondano *ad an.* 1577. *nu.* 11. Rulandus Inckſius Bibliopola verba quædam protulit in favorem Religionis, ob quam cauſam in judicium vocatus fuit, & damnatus ad aurium præciſionem. Vix lata fuit ſententia, quod peſtilens morbus Judices, aſſertores, & adſtantes in-
E vaſit: & aliqui ſtatim, alii paulò poſt, & intra paucos dies omnes perierunt, numero trecenti circiter, tota Urbe ſana. Sed Hæretici, ne cogerentur fateri perfidiam ſuam, id tribuerunt fœtori incarceratorum, & artibus magicis, ut nihil deeſſet in noſtris Martyribus ex calumniis, quæ adfuerunt in veteribus, quorum Signa aliis cauſis, & præcipue magicis artibus attribuebantur.

Nec ſterilis fuit Martyrum gubernatio Jacobi, cum iidem Scriptores exempla referant. Unius contentus ſum. Henricus Garnetus Societatis Jeſu Anglus ſeptuagenarius

mor-

Digitized by Google

mortem ſubiit, inter conjuratores connumeratus, quia mentiri noluit, negans ſe aliunde ſcire conjurationem, quam Sacramentali ſigillo, quo illum diſſuaſerat. Ex ſanguinis ejus gutta in ſpicam tritici decidente formata eſt ejus effigies cum corona, & Cruce.

94 PROB. III. Iden non ſunt Martyres, quia non ſunt paſſi propter conſcientiam, & Religionem, ſed propter fractas leges civiles, & potius ut rebelles, & rei læſæ Majeſtatis fuerunt condemnati, ſed hoc eſt falſum; ergo. Major continet partes, & motiva, quibus Rex ſe defendit a turpitudine perſecutoris Eccleſiæ *in præf. pag.* 153., *&* *in Apologia* pluries, ubi non negat plurimos vexatos fuiſſe, ſed motivum paſſionis fuiſſe Religinnem negat. Min. eſt clara. Nam leges, de quibus loquitur, illæ ſunt, quas tulit Henricus de Primatu in ſpiritualibus: quas tulit Eliſabeth de exercitio cœnæ Calvinianæ, & ceterorum rituum Hæreticorum, quas Jacobus confirmavit, & quibus Decreta edidit Romano Pontifici omnem poteſtatem abeganti, tum directam, tum indirectam, ſed iſtæ leges expreſſe, & dilucide continent materiam apertam Religionis; ergo pro Religione paſſi ſunt. Nec aliter veteres Martyres vexati ſunt a Tyrannis, niſi quia leges ſimiles Imperatorum fregerunt.

Plures ex Anglis paſſi ſunt ob Catholicam fidē.

Harum legum iniquarum fractionem, inobedientiam civilem, rebellionem, crimen læſæ Majeſtatis appellat Jacobus, ut claret ex Edicto ipſius anno 7. Regni ſui, ad petitionem Parlamenti dato, ubi ut crimen læſæ Majeſtatis ſibi reſervat, nolle ſubſcribere juramento iſto contra Romanum Pontificem. Hoc pallio utitur, ut eo ſævius, & ferius inſurgat in Catholicos, quo honeſtior eſt titulus obedientiæ civilis, & turpius crimen læſæ Majeſtatis: quibus velit, nolit, Bellarmino concedere tenetur, ſe æquiſſime comparatum Juliano, qui ſimilibus fraudibus uſus eſt, de quo ait Nazianzenus *Or. 3. aliàs prima contra illum* -- Callide (*inquit*) & ar-
„ tificioſe Tyrannidi clementiam, tanquam
„ hamo eſcam circumponens, ut vim per-
„ ſuaſione, verborumque blanditiis leniret &c.
„ Etenim, ut alia, ita eum quoque, quo
„ Martyres affici ſolent, honorem Athletis
„ invidebat, ac proinde id molitur, ut ipſe
„ quidem & vim afferat, & interim afferre
„ non videatur -- *Orat. 22. de Valente* habet
-- Secundus nihilo (*ideſt Juliano*) humanior
„ illo fuit, immo eo etiam acerbior, quod
„ Chriſti nomen ferens, Pſeudochriſtus erat,
„ Chriſtianiſque probrum, ac dedecus, qui-
„ bus & facere impium, & pati inglorium
„ erat, quod nec injuriam accipere videren-
„ tur, nec illuſtri Martyri nomen crucian-
„ tibus accederet. Verum hic quoque fucus
„ veritati fieret, ut qui tanquam Chriſtiani
„ patiebantur, tanquam impii cruciatu affi-
„ cerentur -- Hoc pallium optime detegit Sanderus *lib. 3. pag.* 469., & Didacus a Yepes Tarraconenſis Epiſcopus *lib. 1. cap.* 14. *Hiſtoria Anglicana*.

Jacobus Rex fraude uſus ad eludendum Martyrium Catholicorū.

Hinc nulla eſt excuſatio, quam affert contra Bellarm. *a pag.* 117. *ad* 126. ad eludendum Martyrium Roffenſis, & Mori, eo quia dicit -- Occiſi ſunt, quod noluerint ju-
„ rare licitas nuptias cum Anna Bollena --
A Siquidem hæc non fuit cauſa primaria, & aliàs hæc erat ſufficientiſſima, cum eſſent ſceleſtiſſimæ nuptiæ, nec deſinunt eſſe Martyres, ſicut non deſiit eſſe Joannes Baptiſta, qui Herodi dicebat non eſſe ei licitam uxorem fratris.

In Apolog. pag. 13. Eliſabetham excuſat Jacobus, dicens, ante ſententiam Pii V. in ipſam latam, nullam legem ſeveriorem tuliſſe contra Catholicos, poſt ſententiam autem tuliſſe in Conjuratores in ſui defenſionem.

Sed in hoc fallitur: nam excommunicatio per Pium V. data fuit anno 1599., &
B illæ leges enumeratæ ſuperius, latæ ſunt anno 1558., & includebant præter pœnas pecuniarias pœnam ſpoliationis omnium bonorum, perpetui carceris, & capitis; & hac ultima pœna plectebantur ſecunda vice recuſantes ſuſcipere juramentum, deferentes in Angliam Bullam Pontificiam, convertentesque Hæreticum ad fidem. Nec ſolum minæ fuerunt, ſed executiones: unde plures revera ex utroque ordine Eccleſiaſtico, & laicali fuerunt vexati, ſicut refert Sanderus *lib.* 3. *an.* 1585. Inter hos Thomas Comes Northumbrius glorioſo Martyrio vitam finivit; & ne propter rebellionem dicatur occiſus,
C oblata eſt ei vita, ſi vellet Religionis ſententiam mutare.

Vexatio deinde aucta poſt ſententiam Pii V. non fuit defenſio, ſed gravior, & apertior perſecutio. Semper enim cauſa eadem fuit, ſcilicet, Religionis: unde etiamſi provocata fuiſſet, nihilominus reatum non effugit, cum materiam fidei non mutaverit. Eo vel maxime, quod injuſte commota eſt. Tentaverat enim Sedes Apoſtolica benignitatis lenitam mediis legationibus exhortatoriis, & mediis conſiliis aliorum Principum, & Regum; quos omnes eluſit.

95 Scipſum defendit Jacobus Rex, pri-
D mo, quia mitiores leges edidit, comparative ad Eliſabeth. Secundo, quia tanta clementia uſus eſt -- Ut & ipſi in ſpem venerint ſe
„ brevi Religionis ſuæ libertate fruituros --
Tertio, quia quoſdam Catholicos beneficiis affecit. Quarto, quod Sacerdotes, & ſi convicti, non affecti fuerint ſupplicio, & benigniſſimum Edictum cuderit, quo Sacerdotibus non comprehenſis concedebatur ſtatuta die exire a Regno, & aliis poſtea comprehenſis exilii pœna ſtatuebatur.

Sed primum Jacobo non juvat: quia mitius vexare, non eſt nullo modo vexare, & pœnas paulò minores inferre, non eſt nullas
E inferre. Secundo fallitur: jam enim vidimus, uno Edicto omnes leges Eliſabeth confirmaſſe, & alias addidiſſe. Secundum redarguit ipſum: nam ſi ſpes erat fruituros libertate Religionis; ergo non fruebantur; ergo cauſa Religionis vexabantur. Tertium non ſuffragatur: tum quia beneficia illa parvi momenti fuerunt: tum quia blanditiis voluit tentare, ut facilius ad ſuum finem traheret. Quartum eſt ridiculum: pœna enim exilii graviſſima eſt, & licet falſum ſit, quod ait, nullum affeciſſe ſupplicio propter Religionem; tulit tamen pro quibuſdam caſibus pœnam capitis. Nec

inde

Google

inde nomen perſecutoris exoit, dicente Auguſtino *de unit. Eccleſ. cap.* 20.-- Quoties Prin„ cipes per terrores, etiam leviorum pœnarum „ a bona vita, & a bonis factis minando, „ & ſæviendo deterrent, ſi a bono, & licito, perſecutores, & oppreſſores ſunt -- Sive ergo pœna capitis vexaverit Catholicos, ſive exilii, ſive carceris, perſecutor eſt, & Catholici gloria Martyrii coronabuntur; licet Rex promulget, eos ut reos læſæ Majeſtatis caſtigaſſe.

Hæc ſufficiant pro brevi explicatione illius juramenti a Jacobo exigiti, pro quo tuendo tot ſcripta ſunt ab ipſo, & ejus Subſidiariis; contra quod tot pariter ediderunt Pontificii. Et hæc pariter ſufficiant pro tractatu ſecundo Laicocephaliæ.

CONTROVERSIA VI.

AN PŒNIS, BONORUM SPOLIATIONE, ET LEGUM SEVERITATE POSSINT COGI HÆRETICI AD SUSCIPIENDAM CATHOLICAM FIDEM.

CUm Sereniſſimus Rex Galliarum Ludovicus XIV. legibus, & pœnarum metu coegerit Hugonotos ad Fidem Romanam amplectendam, rumor apud Chriſti hoſtes increbuit, hoc non licere. Immo non defuerunt aliqui ex Catholicis, qui dubitaverint, & ipſa die, qua Romæ celebratæ ſunt gratiarum actiones, fui a quibuſdam viris, aliàs doctis, ſuper hoc interrogatus, & cum a paucis diebus hac de re brevem quæſtionem inſtituiſſem, affirmative reſpondi. Eandem hic inſerere placuit ad complementum hujus diſputationis, ut injuſta appareat querela ſuperſtitum deſertorum, qui obmurmurare non deſinunt. Nec mirum eſt: nam in omnibus moderni Acatholici ſecuti ſunt antiquos Hæreticos, inter quos Donatiſtæ conqueſti ſunt, quod Imperialibus, & Regiis legibus coercerentur. Dogmatizabant enim Baptizatos non eſſe cogendos ad ſervandam Fidem Catholicam, ſed eorum arbitrio permittendum, ut cui Sectæ voluerint, adhæreant. Joannes Hus cum Luthero docuit Hæreticos non eſſe pœnis cogendos. Item alii ſimilia.

96 Ad Controverſiæ intelligentiam recolendum eſt, Infideles eſſe in triplici differentia, alii dicuntur ſimpliciter infideles, & ſunt illi, qui fidem nunquam profeſſi ſunt, neque in re, neque in typo, & ideo, vel quia non eſt eis prædicata fides ſufficienter, vel propoſitam noluerunt ſuſcipere, & hi ſunt Ethnici; alii fidem ſuſceperunt, non quidem in re, ſed in typo: & hi vocantur Judæi, qui in Moyſem crediderunt, ſed non in Chriſtum, alii fidem ſuſceperunt in re, medio Baptiſmo, a quo poſtea receſſerunt, & hi dicuntur Hæretici. Rurſus conſiderari poſſunt Infideles, vel liberi, ideſt, nulli Principi Chriſtianorum ſubditi, vel ſubjecti, ideſt, Dominationi alicujus Principis Catholici, ſubditi. Præſens Controverſia non agit de quibuſcunque infidelibus, ſed de Hæreticis ſubjectis Dominio Catholicorum Principum: unde

A Dicendum eſt licere Chriſtianis Principibus Hæreticos cogere ad fidem ſuſcipiendam legum ſeveritate, coactione, & pœnarum inflictione. De hac agit Auguſtinus ex profeſſo *Epiſt* 48., *&* 50. *lib. contra Epiſtolam Petiliani. Lib.* 2. *contra Epiſtolam Gaudentii*, a quo quidquid dixero, me accepiſſe fateor, quem ſatius totum tranſcribere fuiſſet, ſed ad prolixitatem vitandam partibor ejus doctrinam per aliquas probationes. Partem unius ex his epiſtolis Gallice, & Latine conſcriptam evulgarunt prudentiſſimi Præſules Gallicani, quando Rex Hugonotos ad fidem ſuſcipiendam adſtrinxit.

B 97 PROB. ergo I. In duabus mulieribus Sara, & Agar, uxoribus Abrahæ figuratur Eccleſia Chriſti, & lex vetus. Ad Galatas 4. v. 24. *Quæ ſunt per Allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta*: ſed in lege veteri licitum fuit Iſraelitas Apoſtatas pœnis coercere; ergo etiam in lege nova: Quæ enim in ea lege pertinebant ad bonum patris moralis, licent etiam in nova. Min. declaratur ſequentibus. I. ex præceptis, quæ Deus fecit. Levit. 20. v. 2. habetur: *Si quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur.* Num. 25. v. 5. *Occidat unuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.*

I. lege veteri pœnis coercebantur deficientes a fide.

C Deuteron. a v. 6. ad 9. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ &c. Clam dicens eamus: Et ſerviamus Diis alienis; quos ignoras tu, & patres tui &c. non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum: ſed ſtatim interficies &c.* Ecce quam clare jubet Deus deficientes a fide coercere; & etiam capitaliter punire. Quanto ergo magis licitum eſt legum ſeveritate eos ad fidem, a qua receſſerunt, cogere; quod tamen ab habente dominationem fieri debet, ne ex privata auctoritate vindictæ occaſio detur.

98 II. Moyſes poſt Idololatriam populi
D ad vitulum aureum, juſſit interficere plura millia. Exodi 32. v. 28. *Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſis: cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* 1. Machab. 2. v. 24. Mathathias occidit Judæum Idolis ſacrificantem. *Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundum judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram &c.* Deinde v. 26. *Et zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.* Poſſemus etiam exemplificare in Elia, & aliis.

99 III. 4. Regum 18 v. 4. Rex Ezechias deſtruxit lucos, in quibus ſacrificabant
E Iſraelitæ Idolis: *Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes; ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum: vocavitque nomen ejus Noheſtan.* Cap. 23. v. 5. Joſias pariter cultum ſuperſtitioſum ab Iſraelitis inductum ſuſtulit. *Et delevit aruſpices, quos poſuerant Reges Juda ad ſacrificandum in excelſis per Civitates Juda, & in circuitu Jeruſalem, & eos, qui adolebant incenſum Baal &c.* Sed præſtat audire Auguſtin. *Epiſt.* 50. *pag. mihi* 83. -- Nondum „ autem agebatur, quod paulo poſt in eodem

Digitized by Google

„ Pſalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite:
„ erudimini, qui judicatis terram. Servite A
„ Domino in timore, & exultate ei cum tre-
„ more. Quomodo ergo Reges ſerviunt Deo
„ in timore, niſi ea, quæ contra Domini juſſa
„ fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, at-
„ que plectendo? Aliter enim ſervit, quia
„ homo eſt, aliter, quia etiam Rex eſt. Ser-
„ vit, leges juſta præcipientes, & contraria
„ prohibentes, convenienti vigore ſancien-
„ do. Sicut ſervivit Ezechias, lucos, & Tem-
„ pla Idolorum, & illa excelſa, quæ contra
„ præcepta Domini fuerant conſtructa, de-
„ ſtruendo. Sicut ſervivit Joſias, talia & ipſe
„ faciendo. Sicut ſervivit Rex Ninivitarum,
„ univerſam Civitatem ad placandum Domi- B
„ num compellendo &c. —

100 Aliter verſat Allegoriam de Sara, & Agar Auguſt. Pro Agar accipit homines carnales, videlicet, Hæreticos, & qui vexant, & moleſtant viros ſpirituales, hoc eſt, Catholicos, per Saram intellectos, ad Galatas 4. v. 29. *Sed quomodo tunc his, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc.* Quemadmodum ergo Sara Agar redargutionibus rixantem comprimebat uſque ad exclusionem a Domo, & paternæ hereditatis privationem. Ita Mater Eccleſia exhortationibus prius reducere ad caulam ſtudet aberrantes, deinde C ſeveritate contumaces reprimit. Audiamus Auguſt. *Epiſt.* 48. Ut qui poſſunt intelligant,
„ magis Eccleſiam Catholicam perſecutionem
„ pati ſuperbia, & impietate carnali, quos
„ temporalibus moleſtiis, atque terroribus
„ emendare conatur --

101 PROB. II. Hæretici filii ſunt Eccleſiæ in radice Baptiſmi; jubet autem Deus flagellari filium, ut obedientiam præſtet Patri, Proverb. 23. v. 14. *Tu virga percuties eum; & animam ejus de Inferno liberabis.* Rurſus cap. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* Quibus plagis coercendum eſſe docet filium indiſciplinatum; & ex hoc liber D a pœnis æternis evadit. Quanto melius eſt temporalibus affligi pœnis, quam ſempiternis cruciatibus demandari?

Hinc pia mater Eccleſia amare dolens ſuper contumaciam Apoſtatantium filiorum, de eorum ſalute zelo ducta, clamat in perſona David Pſal. 17. v. 38. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar, donec deficiant.* Hæretici inimici ſunt Eccleſiæ, cum ejus viſcera diſrumpant falſis Dogmatibus, viperinis partibus pejores. Hos igitur perſequitur ſeveritate legum Imperialium, donec deficiant a vanitate, ab errore, a peccato; & in hoc differt vexatio Eccleſiæ exer- E cita in ſuos hoſtes a perſecutione inimicorum Eccleſiæ, quod illa ex amore procedens intendit emendationem, iſta verò everſionem. Audiamus Aug. hoc præclare expendentem *Epiſt.* 50. -- Proinde iſta proſequitur diligen-
„ do; illi ſæviendo, iſta ut corrigat; illi ut
„ evertant: iſta ut revocet ab errore; illi ut
„ præcipitent in errorem. Denique iſta per-
„ ſequitur inimicos, & comprehendit, do-
„ nec deficiant in vanitate, ut in veritate
„ proficiant, illi autem retribuentes mala pro
„ bonis, quia eis conſulimus ad æternam ſa-
„ lutem, etiam temporalem nobis conantur
„ auferre --

102 PROB. III. Quod fit juxta ordinationem Dei, licitum eſt, ſed cogere ſeveritate legum Hæreticos redire ad unitatem, eſt juxta ordinationem Dei; ergo eſt licitum. Oſtenditur min. Per Apoſtolum ad Rom. 13. v. 3. Principes conſtituti ſunt a Domino ad coercendos malos rigore gladii. *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa? Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit;* atqui Hæretici ſunt mali, & malum operantur; ergo gladio Principum comprimi poſſunt, & compelli ad credendum, & ad bene agendum. Hæretici declinantes a viis Domini Eccleſiaſticam unitatem dividunt, & pacem; qua turbata, & diviſa, etiam pax, & unitas politica rumpitur. Novimus Judæos, & Iſraelitas (qui aliàs erant conjunctiſſimi) implacabili odio inimicos evaſiſſe, ubi Templum contra Templum erectum eſt. Novimus diſſenſionem Religionis inter Iſaacum, & Iſmaelem turbaſſe pacem familiæ Abraham, per quam Eccleſia figurabatur. Novimus querelas inter Jacob, & Laban ortas ex diſparitate cultus Divini. Novimus ex eodem motivo rixas progerminatas inter Moyſem, & ejus uxorem, cum in Ægyptum deſcenderent. Sic Hæreſis ſerpit velut cancer, & latenter facile inficit Innocentes; ideo eſt morbus celeriter obtruncandus.

Ex hæreſi diſſenſiones.

Utique omnis Reſpublica bene conſtituta habere debet vim, & poteſtatem coercitivam, qua poſſit ad obedientiam compellere rebelles, & contumaces. Porro Reſpublica Chriſtiana, ideſt, Eccleſia eſt bene ordinata, utpote a Domino, & optimo artifice conſtituta; ergo debet habere vim coercitivam rebellium: ſpiritualem vim habet in poteſtate ferendi cenſuras, quæ ſæpe non ſufficit, quia inobedientes, vel parvipendunt, vel facile tergiverſationibus eludunt: unde neceſſaria eſt alia temporalis, quæ multo magis timetur, cum ſit ſenſibilis. Hæreticos verò rebelles eſſe, non eſt dubium: nati ſunt enim in ſinu Eccleſiæ per ſemen ejus, quod eſt Baptiſma, ſed quod in eo promiſerunt, non obſervant. Sine valde durum eſt, & irrationabile, quod juſte poſſit Eccleſia per ſe, vel per ſuos Principes pœnis, carceribus, exiliis, triremibus, bonorum ſpoliationibus, capitalibus ſuppliciis coercere fures, adulteros, homicidas, eoſque hac ſeveritate revocare ab hujuſcemodi criminibus, & nequeat iiſdem compellere mendaces Hæreticos ad veritatem conſequendam, & contumaces filios ad obedientiam præſtandam cogere. Utique majus malum eſt hæreſis, quam adulterium.

Eccleſia vim habet coercitivum.

Audiatur Aug. *Epiſt.* 50. *pag.* 83. *col.* 1. *circa medium* -- Cur enim cum datum ſit Di-
„ vinitus homini liberum arbitrium, adulte-
„ ria legibus puniantur, & ſacrilegia permit-
„ tantur? An fidem non ſervare levius eſt
„ animam Deo, quam fœminam viro? Aut
„ ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignoran-
„ tia Religionis committuntur, mitius vin-
„ dican-

„ dicanda : nunquid ideo negligenda ſunt ? „ Melius eſt quidem (quis dubitaverit) ad „ Deum colendum doctrina homines duci, „ quam pœnæ timore, vel dolore compelli. „ Sed non quia iſti meliores ſunt ; ideo illi, „ qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Mul- „ tis enim profuit (quod experimentis pro- „ bavimus & probamus) prius timore, vel „ dolore cogi, ut poſtea poſſint doceri, aut, „ quod jam verbis didicerant, opere ſectari— Quibus vulgarem præoccupavit objectionem, & ſolvit, exhortationibus videlicet, ad fidem eſſe impellendos Hæreticos.

103 PROB. IV. Decreto Concilii Toletani IV. *cap.* 56., quod decernit Judæos ad fidem ſemel converſos eſſe cogendos ad eam obſervandam, & refertur *diſtinct.* 45. *de Judæis*, ubi, poſtquam decretum eſt, nullo modo converſos non eſſe cogendos ſubditur -- „ Qui autem jam pridem ad Chriſtianitatem „ coacti ſunt venire (ſicut factum eſt tem- „ poribus Religioſiſſimi Principis Siſebuti) „ quod jam conſtat, eos Sacramentis Divinis „ ſociatos, Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & „ Chriſmate unctus eſſe, & corporis, & ſan- „ guinis Domini extitiſſe participes : oportet, „ ut fidem, quam etiam vi„ vel neceſſitate „ ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen „ Domini blaſphemetur, & fides, quam ſu- „ ſceperunt, vilis, & contemptibilis habea- „ tur -- Concilium Trident. *Seſs.* 7. *Can.* 14. habet -- Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos „ baptizatos, cum adoleverint, interrogan- „ dos eſſe, an ratum habere velint, quod „ Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, „ polliciti ſunt ; & ubi ſe nolle reſponderint „ ſuo eſſe arbitrio relinquendos : nec alia „ interim pœna ad Chriſtianam vitam cogen- „ dos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque „ Sacramentorum perceptione arceantur, do- „ nec reſipiſcant : anathema ſit -- Ecce quomodo Eccleſia definit poſſe coerceri ad credendum mediis ſuppliciis eos, qui fidem ſunt in Baptiſmo profeſſi. Reperit ſæpe Auguſt. exemplum Regis Nabuchodonoſor, qui, licet prius perſecutus fuerit Religionem Danielis, poſtea tamen ſubjecit pœnis eos, qui blaſphemarent Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago : in quo conſiderat ſtatum Principum tyrannorum primò perſequentium Eccleſiam, deinde ſtatum Principum converſorum ad fidem Eccleſiam protegentium contra Hæreticos.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

104 OBJIC. I. Quod eſt a Domino prohibitum, non eſt licitum, ſed ad fidem cogere pœnis, eſt a Deo prohibitum; ergo per illas non licet Hæreticos impellere ad unitatem. Min. habetur Iſaiæ 11. v. 9., ubi prædicens ſtatum legis novæ, ejuſque propagationem habet : *Non occident in univerſo monte ſancto meo*. Porro in occiſione intelligitur omne genus pœnarum, & excluditur omnis legum ſeveritas coercitiva mediis violentiis.

Revera locus Iſaiæ non eſt ad rem. ibi enim aperte loquitur de concordia Gentilium, & Judæorum per converſionem ad Chriſti fidem in eadem Eccleſia. Gentiles exprimit ſub typo *Pardi*, *Hædi*, *Leonis*, ſub quo explicat etiam perſecutores Eccleſiæ, qui converſi pacifice cohabitabunt ſimul cum aliis -- „ Quod quotidie cernimus in Eccleſia : di- „ vites, & pauperes, potentes, & humiles; „ Reges, atque privatos pariter commorari; „ & a pueris parvulis, quos Apoſtolus in- „ telligimus, & Apoſtolicos viros, imperi- „ tus ſermone, ſed non ſcientia, regi in Ec- „ cleſia -- inquit Hieronymus *in hunc locum*.

Inſuper ibidem commentans quid ſit *Non occidere*, explicat alio modo, videlicet, quia prava doctrina Idololatrarum non nocebit ; quia data eſt poteſtas Apoſtolis calcandi Aſpidem, & Baſiliſcum -- Nocere autem, & „ occidere nequaquam potuerunt venenata „ prius animalia eos, qui habitaverint in „ monte ſancto Dei : quod interpretatur Ec- „ cleſia, de quo in Evangelio dicitur : Non „ poteſt Civitas abſcondi ſuper montem po- „ ſita -- Quare alludit Iſaias ad prædicationem primò factam Gentilibus, fidem ignorantibus, quibus non eſt enunciatum Evangelium legibus coercitivis, bellis, carceribus, ſed exhortationibus, miraculorum virtute confirmatis.

DICES. Quia gentiles non erant de Eccleſia non poterant cogi ad fidem ſuſcipiendam, ſed etiam Hæretici ſunt extra Eccleſiam ; ergo neque ipſi cogi poſſunt. Argumentum eſt apud D. Paulum 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare ? Nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis ? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit*. Reſervantur ergo Divino Judicio increduli, & aberrantes.

Verum locus Pauli non eſt ad rem. Agit enim de illis, qui ſunt omnino extra Eccleſiam, nec in ea unquam fuerunt, ideſt, loquitur de omnino infidelibus. Audiamus D. Thom. *in hunc locum* -- De his qui foris „ ſunt, ideſt, de Infidelibus, qui omnino „ extra Eccleſiam ſunt. Prælati enim Eccleſia- „ rum accipiunt ſpiritualem poteſtatem ſu- „ per eos tantum, qui ſe fidei ſubdiderunt-- Hæretici autem ſunt extra Eccleſiam, velut militea deſertores, velut filii deperditi ; in hos autem habet Eccleſia juriſdictionem, in quos eam tenetur exercere, cum & ipſi malum inducant in filios legitimos. Auguſt. *Epiſt.* 50. *pag.* 85. *col.* 2. *circa medium* -- Cur „ ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, „ ut redirent, ſi perditi filii coegerunt alios, „ ut perirent ? Quamvis etiam illos, quos non „ coegerunt, ſed tantummodo ſeduxerunt, ſi „ per terribiles, ſed ſalubres leges in ejus gre- „ mio revocentur, blandius pia Mater am- „ plectitur, & illis multò amplius, quam „ de his, quos nunquam perdiderat, gratu- „ latur -- Alludit ad Parabolam de Filio Prodigo.

Filii perditi revocandi.

105 OBJIC. II. In zizaniis mixtis tritico intelliguntur Hæretici mixti cum Catholicis in eodem Chriſti Regno, ſed Chriſtus vetat ſeparari zizania a tritico, Matth. 13. v. 30. dicens: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſ-*

ſem ; & in tempore meſſis dicam meſſoribus : Collígite primum zizania &c. Ergo non licet (A) pœnis Hæreticos cogere .

RESP. Chriſtus prohibuit imprudentem ſeparationem zizaniorum a tritico , ideſt , quando eſt periculum eradicandi triticum , ideſt , majora mala procreandi ; & ideo præmittit v. 29. *Ne forte colligentes zizania , eradicetis ſimul cum eis & triticum* . Opportune enim leges, & rigores ſunt aſſumendi, quando prudentialiter executio cum fructu ſperatur. Hac regula uſus eſt Sereniſſimus Rex Galliarum compellendo Hugonotos . Expectavit enim quando prudentialiter credidit , ſe poſſe effective eos comprimere abſque majori periculo boni publici tum ſpiritualis , tum po- (B) litici . Unde dixiſſe fertur -- Avus meus potuit eos coercere , & noluit : Pater voluit , „ ſed non potuit : Ego volo , & poſſum -- Argumentum ex Parabola de zizaniis refert D. Auguſtinus *Epiſt.* 48. *pag.* 70. ex ore Cypriani , quem dicit irridere eos , qui hoc ſibi aſſumunt -- Quod nec Apoſtolis conceſſit „ Dominus , ut ante tempus zizania colli- „ gerent --

In coercendis Hæreticis prudentia opus eſt.

DICES . Chriſtus prohibet ſeveritatem in trahendis contumacibus ad fidem ; nam graviter redarguit Apoſtolus , volentes igne de cœlo dimiſſo comburere Samaritas , qui nolebant audire , & ſuſcipere Verbum Dei , (C) Luc. 9. v. 55. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare* . Ergo vis non eſt licita .

RESP. Chriſtus vult , & ſeveritatem, & manſuetudinem exerceri , ſed quando oportet ; & utriuſque in ſeipſo exemplum dedit , manſuetudinis , quando humiliter . & ſoaviter perambulabat Civitates Evangelizans, ſeveritatis , quando flagello ejecit de Templo ementes , & vendentes Chriſtus ibi inſtruebat Apoſtolos , quos miſſurus erat ad prædicandum Evangelium Gentibus , qui fidem adhuc non audiverant ; & quia Gentilium (D) converſio futura erat opus Divinæ virtutis , non humanæ potentiæ , ideo volebat in ſpiritu lenitatis , & humilitatis deferri lumen veritatis extremis orbis partibus . Ceterum non tollitur, quin neceſſaria, & utilis ſit virga in eos , qui fidem ſuſceptam deſerunt . Hinc & Paulus promiſit ſe in virga venturum ad emendandos inobedientes, & propterea docuit Chriſtus ad purgandam vitem opus eſſe palmites caſtigare , & reſcindere .

106 OBJIC. III. Vis coactiva in caſu eſt contra regulam, quam tradidit Paulus ad Titum 3. v. 10 dicens: *Hæreticum hominem post unam , & ſecundam correptionem devita* . (E) Ecce admonendus eſt Hæreticus ; & ſi non reſipiſcat, abſtinendum eſt ab illius commercio , & nihil aliud agendum ; ergo .

RESP. Textus incongrue explicatur : Illud enim *devita* non ſtat ſimpliciter pro negatione converſationis , ſed pro ſeparatione, media pœna excommunicationis , cui , perſeverante contumacia, addi potuiſſet etiam pœna corporalis ad ipſum emendandum . Sed tunc temporis non expediebat , quia ortum eſſet ſcandalum apud Gentiles cum magno detrimento fidei . Nam viri Apoſtolici crediti fuiſſent crudeles, & barbari: ex quo fructus prædicationis impeditos fuiſſet . Ceterum quandoque Deus miracula fecit per manus Apoſtolorum in punitionem malorum, ut declararet licitam eſſe , & neceſſariam quandoque ſeveritatem . Hinc Act. 13. Elymas Magus , ſubvertens vias Domini , fuit excæcatus . Ananias , & Saphira interfecti ſunt per os Petri . Act. 5.

In primitiva Eccleſia neque erat poſſibilitas utendi poteſtate coercitiva propter paucitatem Chriſtianorum Principum , & potentiam gentilium . Quando autem completa fuit prophetia , quod Reges eſſent nutritii ejus , tunc leges condere cœperunt contra Hæreticos, & Apoſtatas, puta ſub pœna exilii , *L. Arriani cap. de Hæreticis* , ſub pœna mulctæ pecuniariæ , *L. Cuncti Hæretici* , ſub pœna ſpoliationis bonorum , *L. Manichæi* , pœna capitis , *L. Quicunque* , in quibus tum ferendis , tum exequendis , illud Auguſt. *Epiſt.* 50. *pag.* 87. obſervandum eſt -- Verum „ in hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſen- „ ſionum ſciſſuras non hujus , aut illius ho- „ minis eſt periculum , ſed populorum ſtra- „ ges jacent , detrahendum eſt aliquid ſeve- „ ritati , ut majoribus malis ſanandis chari- „ tas ſincera ſubveniat --

Poteſtas coercitiva in Eccleſia .

DICES . Licet ſeveritas legum ſecundum ſpiritum Evangelii ſit licita , ſecus quæ adverſatur , ſed vis coercitiva per pœnas temporales ſpiritui Evangelii adverſatur . Nam ſpiritus Evangelii quærit, quæ ſunt Jeſu Chriſti , non quæ ſunt mundi : in his autem legibus temporaliter pœnalibus quæruntur, quæ ſunt mundi , videlicet , bona temporalia Hæreticorum . Hinc ſub prætextu Religionis Reges ſuum patrimonium augent , & dominationem .

Quoniam hæc inſtantia excerpta eſt a Donatiſtarum cavillis , ſolvenda eſt doctrina D. Auguſtini , quæ melior eſſe nequit. *Epiſt. cit.* 50. *pag. mihi* 85. *poſt medium* hæc profert -- Quod autem nobis objiciunt , quod res eo- „ rum concupiſcamus , & auferamus : utinam „ Catholici fiant . & non ſolum . quæ dicunt „ ſua , ſed etiam noſtra in pace nobiſcum , „ & charitate poſſideant ! Uſquequo adeo „ autem calumniandi cupiditate cæcantur , „ ut non attendant, quam ſint inter ſe con- „ traria , quæ loquuntur . Ipſi certe dicunt , „ & invidioſiſſime ſibi conqueri videntur , „ quod eos in noſtram communionem vio- „ lentu legum imperio coarctamus . Hoc u- „ tique nullo modo faceremos, ſi res eorum „ poſſidere vellemus . Quis avarus quærit „ compoſſeſſorem ? Quis dominandi cupidi- „ tate inflammatus , vel faſtu dominationis „ clatus deſiderat habere conſortem ? --

Legum ſeveritas ſpiritualem hæreticorum bonum reſpicit .

107 OBJIC. IV. Non minus eſt libera fides , quando eſt primo ſuſcipienda . quam ſit libera in ſuo conſervari , ſed quia fides primo ſuſcipienda eſt libera, nemo ad eam cogi poteſt pœnalibus legibus; ergo neque ad eam conſervandam iiſdem impelli poteſt .

Hoc eſt præcipuum argumentum Donatiſtarum . & Hugonotorum , cui ex doctrina D. Aug. facile reſpondetur . Non eſt minus libera charitas, juſtitia , & continentia , quam fides ; & tamen ſi quis alteri , v. g. uxori promiſit continentiam , tenetur eam reddere , ſi alteri

Quæ libera ſunt ante promiſſionē, ſunt debita poſt illam.

alteri medio contractu rem quampiam obligavit, tenetur adimplere, quod ſi non faciat, poteſt cogi legibus, pœnis, flagellis, ita pariter, & ſi aliquis potuerit fidem primo non ſuſcipere, ſicut ille potuit non nubere, poſtquam verò ſuſcepit, ſi nolit ſtare, cogi poteſt, impelli poteſt. Nulli fit injuria ex eo, quod juridice compellatur ad ſatisfaciendum debito. Libertas, quam habebant Hæretici ante fidei ſuſceptionem, ligata eſt promiſſione, quam fecerunt in Baptiſmo.

DICES. Fides eſt donum Dei, ſed donum Dei a Deo petendum eſt, non autem ad illud ſunt homines compellendi: non enim eſt capax punitionis humanæ, qui illud non obtinet.

RESP. Non ſolum fides eſt donum Dei, ſed etiam caſtitas, & juſtitia, & tamen ad hæc obſervanda juſte coguntur homines. Fides eſt donum Dei, ſed libertati ſubjectum humanæ, a quo qui recedit, libere recedit; ac per conſequens culpabiliter recedit, cum teneatur ſtare promiſſis. Ubi verò eſt culpa, ibi capacitas pœnæ.

108 INSTABIS. Sicut qui fidem ſuſcepit, tenetur ſtare in fide, & ſi non ſtat, eſt culpabilis, ita qui non ſuſcepit, tenetur ſuſcipere; & ſi non ſuſcipit quando eſt facta ſufficiens annunciatio, peccat. ſed hoc non obſtante iſti pœnis non poſſunt compelli ad fidem, etiamſi ſint ſub Principibus Catholicis, ut patet de Judæis; ergo neque illi.

RESP. Paritatem non urgere; nam qui non ſuſceperunt fidem, non cadunt ſub dominio Eccleſiæ, nec Eccleſia in eos juriſdictionem habet. Per hoc, quod in ditionibus Catholicorum commorentur, ſolum eis ſubduntur politice, tanquam homines, non tanquam fideles. Dux exercitus poteſt punire milites deſertores, non autem eos, qui milites fieri noluerunt; etiamſi culpabiliter noluerint. Dux, inquam, exercitus, qua talis; quia aliunde in eos poterit juriſdictionem habere: Porro Hæretici ſunt milites, Eccleſiæ deſertores.

109 OBJIC. V. Fidei aſſenſus eſſentialiter innititur teſtimonio Divinæ revelationis, ſed violenta coactio mediis pœnis non eſt apta ad producendum hujuſmodi aſſenſum; cum illa ad cor non perveniat (coactio enim exterior manum retrahit, ſed non mentem) ergo non eſt licita.

Argumentum hoc eſt alius Achilles Adverſariorum. Non tangit quidem cor vexatio, & coactio; dat tamen intellectum, ut commune fert axioma: unde contriſtati attentius conſiderant motiva noſtræ fidei, & diſponuntur paulatim ad ſuſcipiendum lumen revelationis, quo veraciter credant fidei myſteriis. Sed audiamus D. Auguſt. *Epiſt.* 50. *pag.* 81. — Unde magna in eis fit miſericor„dia, cum etiam per iſtas Imperatorum le„ges, ab illa ſecta, ubi per doctrinas Dæ„moniorum mendaciloquorum mala iſta di„dicerunt, prius eripiuntur inviti, ut in „Catholica poſtea bonis præceptis, & mo„ribus ſanentur aſſueti. Nam multi eorum, „quorum jam in unitate Chriſti pium fidei „fervorem, charitatemque miramus, cum „magna lætitia gratias agunt, quod illo er„rore caruerunt, ubi mala iſta bona puta„verunt. Quas gratias modo volentes non „agerent, niſi prius etiam nolentes ab illa „nefaria ſocietate diſcederent. Quid de il„lis dicimus, qui nobis quotidie confiten„tur, quod jam volebant eſſe Catholici, ſed „inter eos habitabant, inter quos id, quod „volebant, eſſe non poterant per infirmita„tem timoris, ubi, ſi unum verbum pro Ca„tholica dicerent, & ipſi, & domus eorum „funditus everterentur? — &c.

Metus diſponit ad bene agendum.

Ex quibus habes ſolutam inſtantiam reſpondentium, doctrinam Auguſtini non favere Regi Galliæ contra Hugonotos: nam Auguſtinus loquitur de legibus latis contra Donatiſtas, qui inſurrexerant adverſus Catholicos ferro, igne, ſeditionibus, direptionibus, contumeliis, hoſque reprimere licet, & eſt neceſſe, quia bonum publicum perturbant. Ceterum Hugonoti Gallias non commovebant nec ferro, nec igne, nec alterius violentiæ genere; adeoque contra ipſos nec ſapientia, nec auctoritas Auguſtini quidquam urgent.

Solvitur, inquam, hæc inſtantia, quæ quoſdam movit. Nam D. Auguſt. docet, leges imperiales eſſe latas, non ſolum ad tollendam vexationem, quam a Donatiſtis patiebantur Catholici, ut impedirent neces, incendia, ſpoliationes, quas intentabant fidei hoſtes, ſed ut converterentur ad cor, fidem ſuſciperent, quam profeſſi erant: & uſus eſt rationibus, & Scripturis probantibus licere Hæreticos cogere ad unitatem fidei, quia Hæreticos præciſe, etiamſi nulla moleſtia temporali Eccleſiam affligerent. Hinc conatur oſtendere, dari in Eccleſia poteſtatem ad ipſos corrigendos etiam flagellis, ut Mater habet in reprobum filium, ut Paſtor in ovem errantem, ut Dux in militem deſertorem, ut Agricola in palmitem infectum, ut Medicus in infirmum corruptum, ut Magiſter in diſcipulum ſeductum. Totum robur firmat in juriſdictione Eccleſiæ. Totam neceſſitatem petit ab infirmitate Hæreticorum; unde vis maxima ab ipſo inculcata pendet, & emanat ab intrinſecis juriſdictionis legitimæ. Addit inſuper adminicula petita ab experientia, quod vexatio dat intellectum. Subdit ulterius motivum, quod plerique motivis humanis detinentur in errore, quæ franguntur accedente legum ſeveritate. Quare jure merito ad obſtruendum ora obloquentium, doctrinam harum epiſtolarum D. Auguſt. produxerunt Illuſtriſſimi Præſules Gallicani.

110 DICES. Quotieſcunque duo mala occurrunt ſimul inimpedibilia, quod minus eſt, eligi debet, ſed permanere in Hæreſi malum eſt, cogere ad fidem periculum includit poſitivæ profanationis myſteriorum Dei; quia ſolet evenire, quod coacti, ſolum extrinſece confiteantur fidem, & ſimulate, non autem ex corde, & interim Sacramenta Dominica ſacrilegiis polluant; & hoc eſt majus malum, quam primum; ergo hoc eſt impediendum, & permittendum primum.

Hoc argumentum movit aliquando Auguſtinum. Hoc quoſdam modernos Theologos ſuſpenſos tenuit in caſu purgationis Galliæ ab Hæreticis. Sed non urget, ut melius

per-

perpendens agnovit Auguſt. qui reſpondit: Aliquos ſincere converti, teſte experientia, A alios ſimulate tantum, quorum plerique paulatim ex corde credunt; & magna ſpes eſt, quod ſaltem eorum filii bene educandi ſint; cum Patres cogantur eos inſtruere, & exercere in exterioribus ritibus Catholicæ doctrinæ. En mens Auguſt. *Epiſt.* 50. *pag.* 86. *col.* 1. *ſub initio* -- Ex his quoque plurimi ſimulando „ communicaverunt, alii paucitate latuerunt. „ Sed illi, qui ſimulabant, paulatim aſſueſcendo, & prædicationem veritatis audiendo, maxime poſt collationem, & diſputationem, quæ inter nos, & Epiſcopus eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti ſunt -- Idem habet *Epiſt.* 48. B

Quibus patet plures ex corde converti, alios ſimulare pro aliquo tempore, deinde accedente frequentia inſtructionis convertuntur. Sed illud ſalubre eſt, quod radix morbi obtruncatur, ne diutius perſeveret: nam providetur filiis Hæreticorum, quibus non venenum erroris cum lacte communicatur, ſed veritas. Quod in caſu præſentis expurgationis Galliarum ab Hugnotis apparet: nam pro filiis eorum Hæreticorum, qui fugerunt, & noluerunt converti, loca particularia inſtituit Sereniſſimus Rex, in quibus Catholicis imbuerentur moribus, & pro omnibus C ſtatuit, quod filii in ſcholis Catholicorum a Magiſtris maxime fidelibus, & piis inſtruerentur.

Proviſum eſt, ut libri Hæreticorum eriperentur, & alii eis diſtribuerentur; editi ſunt Catechiſmi clare myſteria fidei explanantes. Pariter ſancitum eſt ut Epiſcopi oculate invigilarent, ne quis ſimulate fidem profiteretur, & proderent quos invenirent; & ad hunc finem mandata eſt frequentia viſitationis Diœceſum. Poſtremò cautum eſt ut Parochi urbium, & Pagorum ſuſpecti deponerentur, & doctiores ſubſtituerentur. Diſperſi etiam ſunt per Oppida, & Pagos, & D montes viri prudentes, docti, & pii, qui rudes inſtruerent. Quibus præpeditæ ſunt profanationes myſteriorum Dei, quæ oriri poterant ex ſimulata fide apud eos, qui ſincere ad cor non redirent. Quod ſi aliqua deinde ſacrilegia oriantur, per accidens eſt, & nulla eſt lex tam ſancta, quæ per accidens non ſubjiciatur aliquibus inconvenientibus. Adde, quod ſeveritas legum in his materiis eſt valde utilis, ut boni magis firmentur, & lapſum pertimeſcant, pro quo permitti aliqua mala poſſunt.

111 REPLICABIS. Licet doctrina Scripturarum ab Auguſtino expenſa valeat pro E Hæreticis nullo privilegio firmatis, quales erant Donatiſtæ, non tamen valet pro Hæreticis privilegio roboratis, quia nunquam licet publicam fidem frangere: atqui in caſu Gallicanæ expurgationis Acatholici erant privilegio firmati publicis tabulis. Nam ex pacto Regio, & conventione facta publicis inſtrumentis poterant exercitia ſuæ Religionis conſervare, & exequi; & eis promiſſum fuerat, quod nunquam impedirentur, nec moleſtarentur: qua conventione facta & a ſeditionibus ceſſaverunt, & Regi præſtiterunt obſequium, & auxilium obtulerunt pro bello contra extraneos; ergo non fuit licita illa legum ſeveritas.

Hæc objectio ſolemnis eſt apud Heterodoxos. Objurgant enim quod nos Catholici datam fidem non ſervamus contra omnia jura, naturale, divinum, gentium, & humanum, ac proinde manifeſtam in hoc caſu ſibi factam injuriam.

Inanis Levationū quærela.

Non eſt hic locus movendi Controverſiam illam *De fide Hæreticis ſervanda*, ſed pro quanto ſufficit ad ſolutionem hujus objectionis, aliqua notanda ſunt.

I. Duo ſunt genera pactorum. Unum de rebus licitis; & hoc ſecundum jura tenet, & ſervandum eſt, & ſervari debere etiam ipſis Hæreticis docet Catholica Religio. Aliud eſt de rebus illicitis; & hoc ſervandum eſſe non præcipiunt jura; quod fortius verificatur, quando ſunt a jure naturali, & divino vetita.

II. Hæreſis, & ejus exercitium ſunt ab intrinſeco mala inexcuſabiliter, ita quod plerique Doctorum teneant, nullo titulo permitti poſſe a Principibus in ſuis ditionibus. Sed permitti poſſe docent alii, ſi adſit rationabilis, & gravis cauſa. Porro hæc triplex eſt, prima majoris boni obtinendi, ſecunda majoris mali evitandi, tertia quando impediri nequit permiſſa Hæreſis.

Hæretici quando tolerandi.

III. Quando permiſſio Hæreſis ob fines prædictos eſt licita, etiam licitum eſt Principibus de ea toleranda paciſci, & convenire, & eam promittere tabulis publicis; quia materia hujus pacti in illis circumſtantiis eſt licita, adeoque etiam promiſſio, & juramentum.

IV. Promiſſio Gallicana de toleranda Hæreſi, & Hæreticis fuit coacta pro majori malo impediendo; erat enim in periculo graviſſimo Gallia ob maximam potentiam Acatholicorum, & numerum ingentem, ut ex hiſtoriis notum eſt. Non erat ſufficiens robur in parte Catholica ad eorum audaciam reprimendam: unde quibus potuit conditionibus, etiam iniquis, debuit pacem acceptare.

V. Quando permiſſio mali fit licita ob prædictos fines extrinſecos, illis finibus ſublatis amplius non eſt licita, ut evidens eſt: ceſſante namque motivo ob quod malum fit tolerabile, non amplius reſtat permiſſio honeſta; ac per conſequens ceſſat etiam obligatio promiſſionis, & juramenti, quod non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Hæc ſunt plana, & indubia.

Poſitis his, cum Sereniſs. Rex Ludovicus XIV. his temporibus prudenter perpenderit ſe ſufficienter poſſe Heterodoxorum vires comprimere; ſe poſſe impedire majora mala, quæ aliis temporibus imminebant, poſſe ex non permiſſione majus bonum Regni politicum, & ſpirituale promovere, ceſſaverunt omnes cauſæ, ob quas licuerat permittere Hæreſim etiam ſub juramento; ac proinde ceſſavit vinculum obligationis, & per conſequens potuit licite minacibus legibus compellere ad obedientiam Eccleſiæ.

Laudabiliter ſæpe peſtem ſtringitur.

112 Accedunt duo alia momenta. Primum, graviſſimæ injuriæ, quas Rex ſub ſua infantia, & pupillari ætate ab Acatholicis toleravit, quæ non fuerant ſufficienter vindi-

catæ,

catæ, ſecundum, damnum, quod Regno proveniebat, & periculum majoris, quod imminebat; ſiquidem creverat numerus eorum ſupra centena millia, & in dies creſcebat; inſultabant Catholicis; movebant quæſtiones de Religione cum Catholicis; ſpargebant libellos confirmativos ſuæ ſectæ contra veritatem Evangelicam, ut patet ex libris, quos ediderant celebres Miniſtri, puta Magiſter Claudius, Magiſter Dallæus, quibus reſpondere coacti fuerunt Illuſtriſſimi Præſules Gallicani. Plures vero ex his Libellis idiomate communi, & vulgari erant editi, quique ab omni genere hominum legi poterant, a doctis, & rudibus, a fœminis, & viris, & per conſequens apti erant ad ſeducendum, cum viri de plebe non ita facile poſſint fallaciam argumentorum detegere, & ab illa ſe expedire. Docet D. Paulus prima Corinth. 5. v. 13. *Auferte malum ex vobis ipſis*, ideſt, impios; quia ex commercio cum iſtis periculum imminet corruptionis.

His adde, quod prævidebat Sereniſſimus Rex aliqua belli ſigna cum exteris Nationibus, mixtis ex Hæreticis; unde timere poterat occultas proditiones in Regno ex colligatione animorum in qualitate Religionis inter Heterodoxos ſibi ſubditos, & extraneos hoſtes. Nec defuerunt aliis vicibus ſimiles confœderationes. His, & aliis motivis accedentibus, titulum juſtum habuit Gallia ſolvendi pactum.

113 SUBSUMES iterum. Non erat inferioris conditionis pactum inter Regem, & Hugonotos, quam inter plures Magiſtratus Catholicos, & Hebræos, ſed non creditur licitum pactum frangere cum Judæis; ergo neque debuit pro licita haberi fractio pacti cum Hugonotis: utrobique videtur par ratio: utrobique adeſt Religionis diſparitas: utrobique ſolvitur tributum Principi: utrobique ſunt ſubditi: utrobique eſt periculum ſeductionis; & aliunde Judæi ſunt hoſtes acriores Chriſtianiſmi.

Hæc inſtantia nullius eſt roboris: nam videmus a pluribus Regnis expulſos Judæos, & quidem juſtiſſime; nam quandoque graviſſimum nocumentum afferunt Reipublicæ. Accidit ſæpe, quod exigunt a Civibus, & maxime a ruſticis, & rudibus exceſſivas uſuras, quæ damnum afferunt Communitati, & aliàs ſunt grave peccatum. Præveniunt Chriſtianos in emptione rerum venialium, quæ deferuntur ad forum pro uſu Civium, & Incolarum, tum promptitudine pecuniæ, quam paratam habent, tum oblatione majoris pretii, deinde pretio duplo majori cogunt Chriſtianos indigentes eaſdem emere; & hoc notabile gravamen infert pauperculis, quibus abundant Urbes, & Oppida. Accidit quoque, quod furibus dant occaſionem furta multiplicandi ſalva manu; nam prompte emunt res furto ſublatas, eas abſcondunt, diſtrahunt, diſſolvunt: unde nec res, nec fures reperiri poſſunt. Graviſſimum autem damnum illud eſt, quod munera, & pecuniam offerunt Miniſtris Principum, ut protegantur, & impune ſuas iniquitates exerceant; unde populi ira, querelis, blaſphemiis, contumeliis exardeſcunt in Judæos, eorumque

Hebræi ab Urbibus ejiciendi.

patronos. Notum eſt inteſtinum odium Judæorum in Chriſtianos, eorumque Religio-
A nem, quo moventur ad patrandas quotquot poſſunt injurias in illos; quod ſi pleraſque cæterius non exequuntur, id oritur ex timore pœnarum. Porro hæc mala tolerari non poſſunt a Magiſtratu, qui ex officio indiſpenſabiliter tenetur publicas injurias impedire, publicam juſtitiam propugnare, publicum bonum intueri.

114 Nec ſufficit ad permiſſionem licitam motivum triplex, quod plerique adducunt. I., quia toleratis Hebræis Magiſtratus promptum habet modum ſibi providendi in neceſſitate bellorum, pecuniam a Judæis ac-
B cipiendo. II., quia Nobiles Patritii, quando egent, facile apud Hebræos mutuum adinveniunt. III., quia advenæ, & hoſpites mira facilitate apud Judæos reperiunt quidquid eſt eis neceſſarium pro quacunque ſtatus conditione circa domeſticam ſupellectilem: quæ commoda non habentur in promptu, ubi Hebræi præſentes non ſunt.

Non ſufficit inquam; nam pecuniæ, quas tribuunt Principi, ſunt ex uſuris a Civibus Principi ſubjectis extortis; nec omnem pecuniam uſurariam dant Principi, ſed aliquam, & meliorem portionem ſibi retinent: quæ pecunia, ſi adeſſet apud ſubditos, poſſent ſuo
C Principi tributa pinguiora ſolvere. Accedit, quod Hebræi non ſubminiſtrant pecuniam Magiſtratui omnino gratis, ſed privilegia extorquent, vel obtinent, quæ in gravamen ſubditorum cedant. Nobiles vero, accipiendo mutuum ab Hebræis, magis depauperantur; quia mutuum accipiunt cum magnis uſuris, & quo magis accipiunt, eo magis expilant patrimonia ſua; ſi verò non eſſent præſentes Hebræi, poſſent contractibus convenientioris pretii ſibi providere apud Chriſtianos. Quo ad hoſpitum, & advenarum ſubſidium, facile eſt remedium. Totum ſuppleri poſſet per Chriſtianos negotiatores. Ipſi enim pa-
D ratas habere poſſent officinas pro quolibet genere rerum neceſſariarum ad proviſionem. De facto videmus enervata hæc inconvenientia in illis ditionibus, a quibus ejecti ſunt Hebræi. Quod ſi alicubi non ita bene proviſum eſt, oritur ex defectu Gubernii. Si tamen Magiſtratus efficaciter providerit, ut ſuperius recitata mala non eveniant, ita quod intra debitos terminos Judæi contineantur; & Reipublicæ non noceant, juſtis accedentibus cauſis permitti poſſunt, quia cum per ritus Judaicos adumbretur Chriſtiana Religio; confirmantur in fide Catholici, & aperte demonſtratur veritas fidei per experimentalem conſide-
E rationem adimpletarum Prophetiarum; & pariter Judæi, diſcentes a Catholicis eorum ritus fuiſſe noſtræ Religionis umbratilea, facilius diſponi poſſunt ad converſionem. Bene autem cavendum eſt, ne Principes munera, pecunias, & alia recipiant lucra ob prætextum permiſſionis, vel ob tolerantiam uſurarum exercendarum, etiam ſub aliqua legis moderatione, & ſub caſu neceſſitatis reddentis licitam permiſſionem; ſiquidem tam exercitium Religionis Judaicæ, quam uſuræ ſunt jure Divino, & naturali illicita, & graviſſima peccata, & quidem publica; ſolum au-

tem

tem lucrum temporale non eſt ſufficiens cauſa permittendi Divinas offenſas.

Poterunt tamen exigere Principes rationabile tributum ob conceſſam habitationem in ſuis ditionibus, & aliquid in punitionem uſurarum. Ceterum pœnis ſpiritualibus puniri nequeunt, cum in ſpiritualibus Eccleſiæ non ſint ſubjecti, cujus januam non ſunt ingreſſi. Ceteris etiam paribus eſt minus periculum corruptionis Chriſtianorum in materia Religionis ex commercio Hebræorum, quam ex commercio cum Hæreticis, quia cum primis eſt totalis diſparitas cultus, ſecus cum ſecundis, cum quibus eſt aliqua convenientia in ritibus. Præterea adverſos Judæos ſtat quædam innata averſio in Chriſtianis, quæ non reperitur adverſus Hæreticos. Ex quo autem Judæi ſint diverſæ totaliter Religionis, & nullo modo ad Eccleſiam pertineant, ſequitur, quod a ditionibus Catholicorum poſſint expelli, non autem cogi ad fidem ſuſcipiendam propter defectum ſpiritualis juriſdictionis in eos. At contrarium eſt de Hæreticis ob motivum oppoſitum; habent enim characterem.

115 DICES. Ergo male faciunt illi Principes, qui cogunt Hebræos mediis mulctis pecuniariis audire Verbum Dei. Nam cui non licet cogere alios ad finem, neque licet eos cogere ad medium unice deſtinatum ad eum finem: atqui auditio Verbi Divini, ejuſdem prædicatio coram infidelibus unice conducit tanquam medium ad fidei ſusceptionem; ergo ſi ad hanc cogi non poſſunt, neque ad illam.

RESP. Non ſolum male non agunt, ſed tenentur Principes cogere Hebræos ad audiendum Verbum Dei, quia debent eorum ſalutem procurare modo, quo poſſunt. Non eſt autem alius modus, quam Evangelizatio; nemo autem evangelizare poteſt, ubi non eſt auditus; adeoque ad audiendum cogi debent, quando habitant intra ditionem temporalem Principum Chriſtianorum. Tunc ratione juriſdictionis temporalis poſſunt eos impellere, ut conveniant in unum ad audiendum Miniſtros Eccleſiæ, quibus Principes dant manus, ut ſuis muneribus fungantur. Non poſſunt tamen cogere ad fidem ſuſcipiendam, cum prima ſuſceptio ſit omnino libera; & coactio ad hanc debeat oriri immediate a ſpirituali juriſdictione, qua caret Eccleſia in infideles. Auditus autem eſt quidem medium ordinatum ad fidem, ſed influendo moraliter, hoc eſt, media perſuaſione, non autem media coactionis violentia.

116 INSTATUR. Cogere Hæreticos ad fidem cedit in graviſſimum damnum Chriſtianæ Religionis; nam aliæ Nationes Heterodoxæ diſcunt idem facere cum Catholicis, qui apud ipſos manent: eos enim vexant, impediunt exercitia Religionis, ſpoliant bonis, expellunt ab Urbibus. Hæc porro in damnum inexplicabile cedunt Religionis, quia plerique Catholicorum præ timore deficiunt a fide, & illæ Provinciæ remanent deſtitutæ Miniſtris Evangelicis, & veritas fidei totaliter ablegatur.

RESP. Quod Hæretici expellant a ſuis Regnis fidem, & fideles, male faciunt, quia Hæreſis peſſimum peccatum eſt, fides Catholica ſummum bonum, & Hæretici nullam ſpiritualem juriſdictionem legitimam habent in fideles, ut eos cogant ad malum, & ad fidem deſerendam. Poſſunt quidem eos punire, ſi delinquant contra leges juſtas civiles; quia ad iſtas tenentur hoc ipſo, quod in eorum ditionibus habitant; non autem poſſunt cogere ad exercenda ea, quæ ſunt prohibita a Divina lege. Quare quod alii Principes extranei Heterodoxi perſequantur Catholicos intra ſuas ditiones, moti exemplo Catholicorum Principum, qui ſua Regna purgant ab erroribus, & Hæreticis, inter mala per accidens connumeratur. Non eſt enim mihi imputandum, quod vicinus meus eradicet bonas herbas, & arbores ex ſuo agro, qui poſtea ſpinis repletur, ex quo ego ex meo tribulos extirpo.

117 Adhuc clamant Heterodoxi. Diſplicet Deo fractio pactorum etiam cum hoſtibus fidei, & etiamſi ſit in materia Religionis. Prohibuerat namque Deus Iſraelitis, ne fœdus inirent cum extraneis, ne exponerentur periculo deficiendi a fide. Fœdus fecit Joſue cum Gabaonitis, & juramento firmavit, & fideliter ſervavit; quamvis videretur omnino injuſtum, cum præter prohibitionem extortum fuiſſet dolo a Gabaonitis. Inſuper facillime poterat Joſue illos perdere, & tamen noluit ob reverentiam jurati fœderis. Et ita Deo placuit, ut miraculo confirmaverit: nam cum aſcenderet, ut Gabaonitas defenderet, contra hoſtes eorum ſtetit Sol, donec victoriam perficeret. E contra Saul, quia fœdus hoc fregit, fuit graviter punitus, ut habetur 2. Regum 21. v. 1. *Facta eſt quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: & conſuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & Domum ejus ſanguinum, qui occidit Gabaonitas.* Nec ira Dei quievit donec ſuſpenderentur ſeptem filii Saul. Quare etiamſi fœdus initum in Gallia cum Acatholicis fuerit contra præceptum Dominicum de evitando periculo ſubverſionis a fide, fuerit ſub primordiis quaſi coactum, & nunc valeat Gallia eos repellere; tamen nunquam erat licitum illud infringere. Alia ſimilia facta Scripturæ in ſui ſubſidium adducunt Acatholici, ſed hoc de Joſue ad rem magis accedere videtur.

Ut verum fatear, in hoc argumento difficultatem inveniunt Catholici, non ex ea parte, qua productum eſt in favorem Hæreticorum, ſed ex ea parte, qua videtur juramentum de re illicita obligare. Volunt enim illicite juraſſe ipſum Joſue, & tamen Deus approbavit ejus obſervantiam.

118 Verum juramentum non erat illicitum, neque contra mandatum Domini. Nam præceptum Domini erat de non ineundo fœdere cum extraneis, quamdiu in ſua lege permanere volebant, ſecus quando incorrigibiles non erant, ut colligitur Exodi 34., & amplectabantur fidem Judæorum, & fiebant de populo Dei, quod accidit in caſu. Hinc juramentum frangens Saul graviter peccavit, maxime cum a tercentis annis fruerentur Gabaonitæ pacifica poſſeſſione. Quia tamen fraudulentis mendaciis illi pacem obtinuerant, ideo in pœnam eos traduxit in

per-

perpetuam ſervitutem. Eo vel maxime, quod accedebat aliis lex dictans, gentes extraneas eſſe in ſervitutem redigendas, quando eis vita concedebatur. Hoc ab Auguſt. didici *quæſt.* 13., & 14. *in Joſue* -- Crediderant e-
„ nim Deo, quem audierant ſuo populo pro-
„ miſiſſe, quod illas gentes ſubverteret, eo-
„ rumque terram obtineret; & hanc eorum
„ fidem non eos perdendo remuneravit quod-
„ dammodo --

Quibus poſitis, exemplum Joſue ſtat pro Gallia. Nam nullam moleſtiam intulit illis Heterodoxis, qui voluerunt fidem ſuſcipere, & hæreſes deteſtari. Et ſi hos vellem Reges ob antiquæ fidei motivum affligere, utique cum Saule peccabunt. Illos ſolum coegit Re-
A ginum Edictum, qui contumaciter perſeverare volebant in priſtino errore, & hoc permittere non poterat, ſuppoſito, quod poſſet ſupprimere abſque periculo majoris mali, & cum ſpe prudentiali majoris boni. Quare deſinant proclamare infidos eſſe Catholicos, eiſque fidem eſſe frangendam. Illicita enim pacta non teneor; nec ex eo præciſe, quod Acatholici ſint, negamus pacta licita eſſe ſervanda, ſed plane, docemus eſſe eis adimplenda, & puniendos eſſe, qui hujuſmodi frangunt. Hæc ſatis pro hac Controverſia, & tota etiam Diſputatione.

DISPUTATIO QUARTA.

DE ERRORIBUS ANGLICANIS CIRCA CULTUM SANCTORUM.

DUplex ſchiſma agnoſcunt Catholici Doctores; unum, quod ſimplex vocant; quia ſimpliciter non exhibet ſubjectionem, & obedientiam Supremo Paſtori abſque ulla admixtione hæreſis; aliud, quod mixtum appellant; quia præter negationem debitæ ſubjectionis ad primum Caput, admittit etiam errores circa fidei dogmata. Schiſma Anglicanum non eſt primi generis, ſed ſecundi; quia mixturam pravorum dogmatum, Catholicæ Religioni adverſantium, admittit. Nec aliter eſſe poterat; cum enim inducti fuerint Calviniſtæ, Puritani, & alii Acatholici, multiplex pariter dogma, a Catholica Doctrina alienum induci neceſſe fuit.

PROŒMIUM.

PLures ſunt errores, quos Anglia Acatholica profitetur, ſicut plures fuerunt homines, qui ſuperſeminaverunt zizania in illo Domini agro. Non eſt opus hic eos omnes reſcribere, ſed ſufficit eos indicare, quos in ſuis libris inſerit, & defendit Rex Jacobus, acerrimus Laicocephaliæ propugnator; illi enim ſatis ſunt pro aperiendo ſtatu præſentis Diſputationis.

Primus error reſpicit perſonam Romani Pontificis, quem dicunt Anglocalviniſtæ eſſe Antichriſtum in Scripturis prædicatum. Secundus reſpicit præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis, quam negant realem eſſe; adeoque non dari tranſubſtantiationem affirmant. Tertius reſpicit Communionem, quam jure Divino laicis docent ſub utraque ſpecie eſſe debitam. Quartus reſpicit Miſſas privatas, quas de medio tollunt. Quintus reſpicit ritus Eccleſiaſticos, ſacraſque benedictiones, quas contemnunt. Sextus reſpicit cultum Sanctorum, quem profanant. Septimus reſpicit Purgatorium, quod irrident, de aliis namque jam actum eſt.

B Sed ne Regi falſa tribuere videamur; breviſſime, quid dicat, ex ſuis fontibus manifeſtum faciamus. In Præfatione licet fateatur Beatam Virginem eſſe venerandam, tamen redarguit Catholicos, eo quod tribuant illi cultum Divinum; & velint eſſe invocandam. Inſimulat modum intercedendi pro nobis; quod ſcilicet ipſam dicamus non ſolum precibus ſed imperio agere cum filio de noſtra ſalute, & deſcendere ad oſcula Sacerdotum. Quibus addunt alii, quod alterecetur cum Dæmonibus, quod dicamus, univerſas hæreſes interemiſſe, dando illi omnipotentiam; ſpem
C noſtram vocemus, quod proprium eſt Dei; Advocatam appellemus, quod proprium eſt Chriſti.

Circa Sanctorum cultum, eos ſolummodo Sanctos eſſe venerandos docet, quorum mentio eſt in Scripturis, non autem alios ab Eccleſia canonizatos, quos Novitios vocat. Cultum pure Civilem, non autem Sacrum eis eſſe concedendum tradit: Aſſerit in eorum legendis plures nugas contineri: San-
D ctorum invocationem novam, ſuperfluam, & minus tutam appellat: Sacram Reliquiarum adorationem carpit, licet politicam non deneget: Pungit acriter uſum exponendi particolas Sanctorum Corporum: Dei Imagines ablegandas totis viribus contendit: Forti conatu contra Chriſti Crucem inſurgit, pluraque a nobis doceri confingit adverſus eam, ejuſque ſignum: Sanctarum Imaginum adorationem inter confinia idololatriæ concludit,
E caſque ad ſolum humanum ſplendorem deſervire agnoſcit.

Nobilem ergo hanc Provinciam examinare aggrediamur.

CONTROVERSIA I.

AN EXTERNIS ACTIBUS DEUM LICEAT ADORARE.

ANtequam præſentem Controverſiam, & ſequentes examini ſubjiciamus: neceſſe eſt aliqua præmittere pro nominis intelligentia, ne detur locus æquivocationi, quæ eſt origo errandi. Et quia ſcopus noſter eſt errores contra fidem evellere, non immorabimur in ſcholaſticis difficultatibus, quibus fuſe aliqui detinentur. Prælibabimus ergo ſolum neceſſaria pro explicatione terminorum.

1 Suppono igitur I. Adorationem eſſe actum, quo unus alteri ſubmittitur in recognitionem excellentiæ ejuſdem: quam deſcriptionem comprehendit Damaſcenus *Orat.* 3. *de Imaginibus* -- Eſt enim colentis ſubmiſſi, „ atque humilis ſignificatio -- Adoratio ergo

Adorationis natura explicatur.

reſpicit aliquam excellentiam in eo, qui adoratur: unde non dicitur ad convertentiam cum honore; nam honor etiam conſiſtit inter æquales. Hinc Auguſt. *lib. contra Serm. Arrianorum cap.* 23. habet -- Honorat enim omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, „ qui honorat -- adeoque latius patet honor, C quam adoratio.

Porro in eo, qui adoratur, duo diſtinguuntur, Perſona, cui præſtatur honor, titulus, ſeu cauſa propter quam tribuitur, ut docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 25. *art. primo*. Proprie loquendo toti ſubſiſtenti exhibetur honor, & partibus non niſi ea ratione, qua in ipſis totum honoratur. Titulus porro multiplex eſſe poteſt, Prælatio, Sapientia, Virtus, & ſimilia, quæ tamen non multiplicant Adoratum, ſeu eum, cui præſtatur adoratio. Sicut plures artes, ſcientiæ, aut virtutes, quæ ſunt in uno ſuppoſito, non faciunt niſi unum virtuoſum, vel ſcientificum. D Doctrina namque Logicorum eſt non multiplicari ſubſtantivum, niſi ad multiplicationem formæ, & ſubjecti, unde ex parte ejus, qui adoratur, una eſt adoratio, ex parte tamen cauſæ poteſt eſſe multiplex. Si titulus excellentiæ eſt naturalis, adoratio dicitur civilis, & politica, ſi verò excellentia pertineat ad ordinem ſupernaturalem, & gratiæ, adoratio dicitur ſacra, & religioſa. De prima in præſenti nihil loquimur, ſecunda verò hujus loci eſt.

Hæc dividitur ex parte actuum in internam, & externam, Interna conſummatur in E affectibus interioribus animi, & motibus voluntariis cordis, & voluntatis, Externa perficitur ſignis ſenſibilibus, quæ licet diverſa ſint, puta, deprecationes, laudes, oblationes, genuflexiones, & ſimilia, ſunt tamen formaliter loquendo unius rationis; quia ordinantur ut teſtimonia ad eandem excellentiam ſignificandam.

Secundo dividitur in abſolutam, & reſpectivam, Abſoluta ea eſt, quæ tribuitur alteri propter excellentiam intrinſecam, quam in ſe habet, & hæc convenit ſoli enti intellectuali, quod ſolum capax eſt virtutis, ſapientiæ, & ſanctitatis, dominii, & ſimilium, A Reſpectiva ea eſt, quæ tribuitur alteri propter excellentiam extrinſecam, ideſt, propter excellentiam, quæ in alio eſt, ad quem dicit habitudinem, vel connexionem, & convenit rebus etiam non intellectualibus, quæ ad intellectuales habent ordinem, & reſpectum.

Tertio dividitur in Latriam, Duliam, & Hyperduliam. Latria reſpicit excellentiam omnino increatam, conſtituitque ſupremum gradum adorationis, cultuſque, Dulia reſpicit excellentiam omnino creatam, & quia loquimur de adoratione ſacra, hæc excellentia ſpectat ad ordinem gratiæ, & gloriæ; unde eſt excellentia ſanctitatis, Hyperdulia B excellentiam quidem creatam reſpicit, ſed ſecundum quandam ſupremam dignitatem, dicentem affinitatem cum Deo, & ordinem ad gradum hypoſtaticum: cumque in ſententia Thomiſtarum perfectio increata, & creata non conveniant univoce, ſequitur adorationem non prædicari univoce ſaltem in ordine phyſico de his tribus. Latria tribuitur Deo, Dulia Sanctis, Hyperdulia Virgini Matri Dei.

Adoratio alia Latria, Dulia alia, & Hyperdulia.

2 Suppono II., Latriam, Hyperduliam, & Duliam non differre inter ſe ſecundum magis, & minus intra eandem ſpeciem, ſed gradualiter, & ſpecifice, ac proinde non elici ab eadem virtute, ſcilicet, a Religione C ſpecialiter dicta, a qua elicitur Latria. Ratio eſt, quia ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. virtus ex ſuo formali objecto ſpecificatur, & diſtinguitur, ſed objectum formale Latriæ eſt ſpecifice diverſum ab objecto formali Duliæ, & objectum hujus ab illo Hyperduliæ; ergo diſtinguuntur ſpecie. Min. explicatur. Objectum adorationis, ut ſic, eſt excellentia ut ſic; ergo objectum adorationis talis, eſt hæc excellentia ut talis, ſed excellentia increata, quam reſpicit Latria, pluſquam ſpecie formali differt ab excellentia creata, quam reſpicit Dulia: immo ſunt excellentiæ diverſi ordinis: excellentia enim increata eſt excel- D lentia totalis, & plenarii dominii, & ſuperioritatis, tam in eſſe primi principii, quam in eſſe ultimi finis, quibus gradibus caret excellentia creata.

Prædictæ adorationes ſpecie diſtinguuntur.

Pariter licet excellentia Maternitatis contineatur intra terminos excellentiæ creatæ, nihilominus peculiarem importat gradualitatem, ſcilicet, confinis ordinis hypoſtatici: nam Maternitas Chriſti dignitas eſt, affinitatem habens cum Deo.

3 DICES. Eodem habitu, quo diligimus Deum, bonum per eſſentiam, diligimus homines, bonos per participationem; ergo eodem habitu, quo adoramus Deum E per eſſentiam excellentem, adoramus Sanctos per participationem excellentes.

RESP. cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. -- Dicendum, quod ratio diligendi „ proximum Deus eſt; non enim per charitatem diligimus in proximo niſi Deum; „ inde eadem charitas eſt, qua diligitur Deus, „ & proximus. Sunt autem aliæ amicitiæ „ differentes a charitate ſecundum alias rationes, quibus homines amantur. Et ſimi- „ liter cum ſit alia ratio ſerviendi Deo, & „ homini, aut honorandi utrumque; non „ eſt eadem virtus, Dulia, & Latria -- Igi-

tur

tur cum charitas ſit virtos Theologica, obicunque ſit, reſpicere debet ſuum proprium objectom, quod eſt ſola bonitas increata. Virtus enim Theologalis aliud non habet ſpecificativum, quam ens immediate Divinum: quare charitas in proximo non amar, niſi ſub ratione bonitatis per eſſentiam. Religio autem, cum non ſit virtus Theologalis, ſed moralis, non reſpicit excellentiam increatam, tanquam rationem aliquam communem, taliter modificantem alias rationes excellentiæ, ut de materiali ſint, ac per conſequens omnis adoratio debeat reſpicere Divinam excellentiam, ſed honoratio attingit ſpeciales excellentias ut tales, tanquam adæquatum objectum.

Hac ſuper re videri poſſunt Salmanticenſes *Tract. de Angelis Diſp. VII. dub. 1., & Tract. de Charitate Diſp. II. dub.* 4.

Adoratio in actu interiori conſumatur.

4 Suppono III. Adorationem ſacram, quæ Deo tribuitur, conſummari in actu interno eſſentialiter: actus enim externi ſunt accidentales. Quod ſimiliter dicimus de adoratione Sanctorum, & prob. Angeli adoraut Deum adoratione proprie dicta, ſed Angeli adorant Deum motibus interioribus cordis; ergo adoratio proprie dicta conſummatur in actu interno. Maj. explicatur. Pſal. 96. v. 8. habetur: *Adorate eum omnes Angeli ejus*. Ubi Prophetam loqui de vera adoratione ex eo conſtat, quod contraponit adorationem Angelicam ſuperſtitioſo cultui, quo gentes Idola colunt, copiens affective compenſare injuriam, quam Deus patitur per cultum falſum gentium: ideo v. 7. præmittit: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis*. Porro adoratio propria eſt actus elicitive prumanans a Religione.

Confirmatur. Vera, & propria adoratio ea eſt, quam Chriſtus docuit, ſed Chriſtus docuit adorationem ſpiritualem; ergo adoratio ſpiritualis eſt vera adoratio, ſed hæc eſſentialiter conſommatur in actu interno; ergo &c. Min. expreſſe habetur Joan. 4. v. 23., ubi Chriſtus ait ad Samaritanam: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*. Vides judicio Chriſti, qualis ſit vera adoratio, *in ſpiritu*, non in corpore: atque rationem aſſignat v. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate, oportet adorare*. Quia Deus eſt ſpiritualis; ideo adoratio debet eſſe ſpiritualis, ut detur correſpondentia inter actum adorationis, & perſonam cui defertur. Porro verba Sacræ Scripturæ interpretanda ſunt, prout ſonant in ſenſu proprio, quando non apparet rationabile inconveniens: hic autem maxima convenientia eſt propter rationem factam a Chriſto Domino in ſecundo textu, & propter naturam ſubjecti in primo; in Angelis enim datur Religio infuſa, ſed actus primarius Religionis eſt vera adoratio Dei; ergo datur in Angelis vera adoratio. Hinc eſt quod ab Auguſt. proponitur Angelorum adoratio in exemplum hominibus -- Diſcant Pagani adorare
„ Deum. Angelos volunt adorare: Angelos
„ imitentur; & illum adorent, qui ab An-
„ gelis adoratur -- *in Pſal. 96.*

Elucidatur ulterius. Ex D. Thom. 2. 2.
A *quæſt.* 103. *art.* 1. Adoratio eſt actus, quo ſignificatur, & teſtimonium perhibetur excellentiæ Dei, ſed teſtimonium coram Deo, eſt teſtimonium interius; quia ad diſtinctionem hominum Deus intuetur cor; ergo adoratio Dei conſummatur in actu interno Dominum. Illa eſt eſſentialis ratio conſummativa, quæ primaria eſt in adoratione, ſed primaria ratio conſiſtit in interiori; quia adoratio ab oratione deſumitur, ſed primordialiter oratio eſt in mente, 1. ad Corinth. 14. v. 15. *Orabo ſpiritu, orabo & mente*; ſecundario verò verbis exprimitur; ergo idem in adoratione.

5 DICES ex Valla. Verbum *adoro* de-
B ſomitur ab *oro*, quod eſt ore precor; ergo conſummatur in actu exteriori: & ideo Damaſcenus *Orat. 1. de Sacris Imaginibus*, eam explicat his -- Submiſſionis, & honoris No-
„ ta -- Hæ verò Notæ ſubmiſſionis ſunt actiones exteriores corporis. Ad idem tendit Anaſtaſius Epiſcopus citatus in VII. Synodo *act.* 4. -- Quid enim aliud eſt, quam honoris alicui
„ exhibiti emphaſis, adoratio? -- Emphaſis, id eſt, Symbolum: Symbolum porro hoc non eſt ſpirituale.

RESP. Nomen adorationis componi ex *ad, & oro*: quia adoratio eſt quoddam præambulum, quo diſponimur ad orandum, ideſt,
C ad petendum. Unde 2. Reg. 14. v. 4. de Thecuite ingreſſa ad petendam veniam pro Abſalone a David, dicitur: *Adoravit, & dixit: Serva me Rex*. Et Matth. 20. v. 20. *Acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo*. Porro potiſſima ratio orationis coram Deo exhibitæ conſiſtit in affectu interiori, & non, in voce exteriori, quæ eſt quid accidentarium. Submiſſio, de qua loquitur Damaſcenus, eſt animi, non corporis, ſaltem primariò, ut patet ex textu primo ſuperius a nobis adducto. Et *lib. 4. Orthodoxæ fidei cap.* 13. agnoſcit ſpiritualem adorationem, ac per conſe-
D quens non poteſt aſſerere adorationem conſummari in actu exteriori, cum ſpiritualem admittat: quia ſpirituali natura componimur, quæ dat formam & eſſe.

Dictum Epiſcopi Theopoleos gratis explicatur de Symbolo ſenſibili. Cum adoratio ſit teſtificatio, Symbolum hic debet intelligi pro teſtimonio, quod utique coram Deo in corde conſiſtit. Actus exteriores genuflexionis, oblationis, & ſimiles ſecundum ſe æque aſſumuntur a Latria, & Dulia: non habent ergo eſſe virtutis ex ſe, ſed per actum interiorem, quo exhibentur Deo, vel Sanctis. Unde prius in corde dari debet formalitas
E Latriæ, ideſt ſubmiſſio mentis, antequam detur ſubmiſſio corporis.

Hinc propius devenlendo ad rem noſtram noto, quod Chriſtus conſtat ex Divina, & humana natura: unde ad perfectam intelligentiam Adorationis, quæ Chriſto tribuitur, neceſſe eſt explicare adorationem ad Deum pertinentem, & quamvis diſcrimus Adorationem eſſentialiter conſummari in actibus internis, nihilominus actus externos non excludimus: Videndum ergo eſt, an liceat actibus externis adorare Deum.

Hæretici, dicti *Trinitarii* ex Lindano a-

 pud

pud Prateolum colere ſcilicet Deum actibus
externis non licere affirmant, ac proinde ex-
cludunt a virtute Religionis quodlibet exer-
citium ſenſibile, & exterius.

Actus exteriores adorationis hic accipi-
mus omnes illos, quos vel directe elicit Re-
ligio, vel imperat. Certum enim eſt ex D.
Thom. 2. 2. *quaſt.* 81. *art.* 1. Religionem
imperare poſſe omnes actus aliarum virtutum
moralium ſibi inferiorum. Virtus enim, ad
quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad
quas pertinent ea, quæ ſunt ad finem. Porro
proprium eſt Religionis reſpicere reverentiam
Dei, qui eſt finis, aliæ autem virtutes inferio-
res attingunt ordinata ad finem: immo etiam
virtutibus ſuperioribus Theologicis poteſt im-
perare. Etſi enim Religio ſecundum ſe ſit
illis inferior, ſuppoſitum tamen conſtitutum
in gratia eſt ſuperius, hoc autem tanquam
principio *quo* uti poteſt Religione ad impe-
randos actus Charitatis, Fidei, & Spei ad
cultum Dei. Nec eſt in hoc aliqua inordi-
natio; quia effectus non commenſuratur cum
principio *quo* velut inſtrumentali, ſed cum
principio *quod* principali. Sicuti non eſt in-
decens Verbi Divini Incarnationem referri
ad ſalutem generis humani tanquam ad finem
effectum, ſeu ſecundarium, ita non eſt inde-
cens virtutibus Theologicis ordinari ad cul-
tum, & reverentiam Dei tanquam ad finem
ſecundarium. Retinent enim ſemper ſuum
finem primarium, quem directe, & elicitive
reſpiciunt: Hinc eſt ordinate pœnitentiam
imperare poſſe actum Divinæ dilectionis ſu-
per omnia; ideo bene dixit Auguſt. *lib.* 10. *de
Civit. cap.* 9. -- Chriſtianam Religionem ma-
„ xime colere Deum fide, ſpe, & charitate--
His poſitis

Dico. Licet Deum actibus externis a-
dorare.

6 PROB. I. Devotio eſt complemen-
tum intrinſecum Adorationis, ſed devotio
exercetur actibus exterioribus: ergo etiam A-
doratio. Min. habetur 2. Paral. 29. v. 31.
*Obtulit ergo univerſa multitudo hoſtias, & lau-
des, & holocauſta mente devota*. Exodi 35.
v. 21. *Multitudo filiorum Iſrael &c. Obtule-
runt mente promptiſſima, atque devota primi-
tias Domino*. Maj. explicatur. Ex D. Thom.
2. 2. *quaſt.* 82. *artic.* 1. Devotio nihil aliud
eſt, quam voluntas quædam prompte tradendi
ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum:
unde devoti dicuntur, qui ſeipſos Deo ita
devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant. Quare
& Gentiles eos devotos appellabant, qui ſei-
pſos Idolis devovebant in mortem pro ſalute
exercitus, ſed proprium eſt adorationis reſpi-
cere Dei famulatum: tendit enim in Deum
tanquam in Dominum ſupremum; Domino
autem correlativa eſt ſervitus, & ſubjectio.
Ubi advertendum eſt habituum, actumque
ejus poſſe ſumi præciſe ut dicit tendentiam in
ſuum objectum ſecundum modum ſibi præfi-
xum a prudentia; & prout ſic præſcindit a
diſpoſitione, & habitu, & poteſt ſumi ut
dicit ſtatum habitus; & prout ſic importat
immobilitatem, & facilitatem ad operandum.
Hæc autem facilitas, & promptitudo in A-
doratione habetur a Devotione, quæ reddit
hominem promptum, & paratum ad omnes

Devotio complementum adorationis.

actus bonos, quatenus hi in Dei ſervitium,
A & famulatum cedunt; habentque expellere
omnia impedimenta retardantia a Divino ſer-
vitio. Sic Salm. N. *in arbore virt. n.* 62.

7 Res clareſcat. Adoratio, ut ſupra
dicebamus, ab oratione dicitur, ſed oratio
ad Deum exercetur etiam actibus externis:
unde dicitur Eccleſiaſtici 39. v. 20. *Confite-
mini illi in voce labiorum veſtrorum*. Pſal. 5.
v. 3. *Intende voci orationis meæ*. Et 141. v. 1.
*Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad
Dominum deprecatus ſum*. Oſeæ ultimo v. 3.
*Omnem aufer iniquitatem; & reddemus vitu-
los labiorum noſtrorum*. Ergo etiam Adora-
tio ſignis ſenſibilibus erga Deum exerceri po-
B terit.

8 PROB. II. Ex D. Thom. 2. 2. *quaſt.*
81. *artic.* 7. Adoratio eſt proteſtatio Dominii
Dei, quo creavit corporalia, & ſpiritualia,
& cujus providentia gubernantur, & conſer-
vantur, & potiſſime eſt proteſtatio eorum,
quæ ipſe homo recepit, ſed recepit animam,
& corpus; ergo anima, & corpore Deus re-
cognoſci poteſt; ergo & adorari. Confir-
matur I. Non ſolum tenetur homo veram de
Deo habere exiſtimationem, ſed etiam ne-
ceſſarium eſt, ut eam prodat coram aliis: eſt
enim animal ſociale, & pars Chriſtianæ Re-
publicæ, ſed coram aliis recta de Deo exiſti-
C matio proditur potiſſime exterioribus ſignis
cultus; ergo hæc exteriora ſigna neceſſaria
ſunt; ergo licita.

Per adorationem proteſtatur Dei Dominium.

9 II. Illud licitum eſt, quod condu-
cit ad perfectionem hominis circa cultum,
& reverentiam Dei, ſed ſigna externa con-
ducunt ad perfectionem hominis. Nam per-
fectio hominis conſiſtit in eo, quod ejus mens
Deo ſubjiciatur (quælibet enim res perficitur
per hoc, quod ſubditur ſuo Superiori: ſicut
corpus perficitur per hoc, quod vivificetur
ab anima, & aer, quod illuminetur a Sole)
ſed mens humana, ad hoc ut conjungatur
Deo, indiget ſenſibilium notitia: *Inviſibilia
D enim ipſius a Creatura mundi per ea, quæ fa-
cta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, ad Rom. 1.
v. 20.; ergo in Divino cultu neceſſarius eſt
uſus ſignorum ſenſibilium, ut mens hominis
excitetur ad corporales actus, quibus Deo
conjungitur. Quare optime dixit Auguſt. *E-
piſt.* 121. *ad Probam* -- Verbis, & aliis ſignis
„ ad augendum deſiderium ſanctum nos ipſos
„ acrius excitamus -- His tamen ſignis uten-
dum eſt, quantum proficit ad excitandum in-
terius mentem. III. Utique licitum eſt, ut
homo Deum adoret, & colat ſecundum red-
ditionem omnis debiti, ſed homo debet Deo
animam, & corpus; ergo licitum eſt, quod
E Deo ſerviat non ſolum mente, ſed etiam
corpore. Hinc eſt, quod ab initio Eccleſiæ
ſemper fuerunt in uſu ſigna ſenſibilia Adora-
tionis, ut genuflexiones, proſtrationes, per-
cuſſiones pectoris, oblationes, laudes, & ſi-
milia. Immo veritas hæc eſt ſecundum lu-
men rationis; unde Philoſophi, qui melius
moralia calluerunt, adorandum, & colen-
dum Deum ſenſibilibus eſſe agnoverunt. Ariſt.
7. *politic. cap.* 8., & 9. Plato *dial.* 8 *de legi-
bus*. Cicero *de natura Deorum*; & ipſimet
Gentiles actibus externis ſuos Deos coluerunt:
eſt ergo veritas naturæ inſita.

Perfectio hominis in ſubjectione ad Deum.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTA.

10 OBJIC. I. Non convenit Deo vivo, & excelſo tribuere ea, quæ tribuuntur hominibus, ſed corporalibus actibus adoramus homines; ergo iiſdem non convenit adorare Deum. Propter hoc Auguſt. *lib. 6. de Civit.* commendat Senecam ex eo, quod vituperet quoſdam, qui Idolis ea exhibebant, quæ ſolent hominibus exhiberi; quia ſcilicet Immortalibus non conveniunt ea, quæ ſunt mortalium.

RESP. Major eſt vera ſub eadem formalitate, & reſpectu intellects, non verò ſub diverſa. Tribuimus enim Deo actiones externas in ſignum, & teſtimonium ſupremi Dominii illius, quatenus auctor eſt utriuſque hominis, interioris, & exterioris, gubernator, & conſervator, quæ prædicata nulli hominum conveniunt. Idololatræ propter duo reprehenduntur. Primo, quia ea turpia, & vana, quæ hominibus tribuunt, tribuunt etiam Diis, turpem proinde prædicantes Deitatem. Secundo, quia ita ea tribuunt, quaſi ſint per ſe eis grata, & accepta, ſicut hominibus: puta cibus, potus, & ſimilia. Propria autem Mortalium, qua talium, Immortalibus non deſerviunt.

11 OBJIC. II. Signis exterioribus utimur ad manifeſtandum occultos mentis affectus, ſed Deus novit cordis noſtri ſecreta; ergo in adorando Deo non ſunt licita ſigna exteriora; & ea aſſumere eſt quædam proteſtatio ignorantiæ Deo tributæ. Hinc Elias irridebat Idololatras, voce magna clamantes ad Baal.

Etiam per externos actus nos Deo ſubjicimus.

RESP. neg. maj. Non enim ſenſibilibus utimur in cultu Divino ad manifeſtanda occulta animi (Hæc enim eſt ridicula fictio Hæreticorum) ſed ut ſubjiciamus noſmetipſos Domino noſtro ſecundum corpus, & animam; & perfectiſſime conjungamur primo principio interioris, & exterioris hominis; proteſtemurque Auctorem, & Conſervatorem utriuſque generis bonorum. Honor eſt in honorante, & ideo exhiberi debet modo ipſi accommodato: cumque homo conſtet anima, & corpore; honorificatio erit accommodata, ſi fiat mente, & corpore.

12 OBJIC. III. Id non eſt licitum, quod Deo diſplicet, ſed adoratio per ſenſibilia Deo diſplicet; ergo non licet. Min. explic. Adoratio Divina potiſſime exercetur oblationibus, ſed hæ diſplicent Deo: ſiquidem dicitur Pſalm. 39. v. 7. *Sacrificium, & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: Ecce venio.* Ubi Chriſtus in perſona Eccleſiæ Patrem alloquens fatetur non placere Deo exteriora, ſed interiora cordis, & obedientiam. Et Pſal. 50. v. 18. *Si voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Ecce affectus cordis: unde Lactantius *lib. 6. de vero cultu cap.* 1. -- Nihil „ Sancta, & ſingularis illa Majeſtas ab homine deſiderat, niſi ſolam innocentiam, „ quam ſi quis obtulerit, ſatis pie, religioſeque litavit --

RESP. neg. min. Non enim reprobat Deus oblationes externas, ſed declarat potiſſime ſibi placere cor, & actiones externas ſine affectu interiori nihil valere, ſed eſſe velut Cymbalum ſonans. Ceterum, ſi adſit purgatus animus, & devotus, maxime placent actiones exteriores: ſicut manifeſte colligitur ex ſecundo textu adducto: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c. Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta; tunc imponent ſuper Altare tuum vitulos.* Non diſplicent externa exercitia, ſed ſpiritu informata petit Deus. Primus textus indicat ſacrificia veteris legis ex ſe vacua eſſe, & evacuanda ſacrificio cruento Chriſti, in cujus fide exiſtimationem habebant. Lactantius non negat opera externa, ſed ſolum aſtruit formationem eorum ab innocentia, & puritate mentis pendere. Deinde etiam loquitur de neceſſitate abſoluta ad Deo placendum; hæc enim a corde procedit, quæ cordis innocentia amittitur, ſi omittuntur ſigna exteriora a Deo præcepta.

Signa externa cum interiori affectu.

DICES. Si placerent Deo exteriora obſequia veteris legis, ſecundum ſe bona eſſent, ſed non ſunt, dicente Ezechiele 20. cap. v. 25. *Dedi eis præcepta non bona.* Et loquitur de actibus exterioribus cultus. Et Iſaiæ 1. v. 11. *Sanguinem Vitulorum, & Agnorum, & Hircorum nolui &c. Quis quæſivit hæc de manibus veſtris?* Si verò honeſta eſſent, non poſſet dicere *Nolui*; & ſicut præcepit ſui adorationem, ita de manibus noſtris ea requireret.

RESP. neg. min. Bonum eſt quidquid Deus præcipit. Ex Auguſt. *lib. de ſpiritu, & littera*, duplici titulo ſacrificia veteris legis dicuntur non bona. Primus eſt, quia erant onerosa, & laborioſa. Secundus eſt, quia erant vacua, & imperfecta: non enim dabant ſalutem. Quare præcepta onus dabant, ſeu carebant gratiæ adjutorio, quo portarentur. Secus accidit in præceptis, & ſacrificio novæ legis. In ſecundo textu non cultus externus reprehenditur, ſed Adoratores, qui neglecto virtutum exercitio, putant per ſola exteriora placere Deo. Ideo ſubdit Propheta cauſalem v. 15. *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*; quod repetit cap. 66. v. 3. *Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt.* Et proſcribitur error eorum, qui putant ſe Religioſos eſſe, ſi Templa adeant, Altaribus genuflectant, ſpretâ juſtitiâ, licet abundent ſceleribus. Huic loco reflectens S. Clemens *lib. 6. conſtitut. cap. 22.* -- Recuſabat ſacrificia populi, ſæpe numero „ in eum peccantis, & exiſtimantis eum ſa„ crificiis, & non pœnitentia placatum iri -- Ceterum aliunde varia Sacrificiorum genera dedit Hebræis Deus, ut a cultu Idolorum retraheret, in quem valde propendebant. Sic Hieronym. *in Matth.* 5.

Sacrificia veteris legis imperfecta.

13 OBJIC. IV. Licet in lege veteri Deus quandoque exteriorem cultum admiſerit, tamen in lege nova rejecit, ut conſtat Joan. 4. v. 24., ubi dicitur: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Porro exteriora non pertinent ad ſpiritum. Similiter Matth. 6 v. 6. agens de oratione, a qua deſumitur adoratio, ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum*

lum tuum , & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito . Cubiculum , de quo loquitur , eſt cor : *Oſtio clauſo , & abſcondito* orare eſt interius alloqui Deum ſine actibus externis. Et ratio eſt , quia lex nova eſt lex perfectionis : porro perfectio ſolam ſedem habet in corde.

RESP. neg maj. Auguſt. *de Serm. Domini in monte* ſolvit inſtantiam dicens , quod loquitur ibi Dominus de eo . quod eſt principale , & per ſe intentum in adoratione , & cultu Divino per illud verbum *in ſpiritu*. Per illud aliud *in veritate* loquitur de integritate adimpletionis præceptorum . Ille adorat in veritate, qui facit mandata . Secundo loco vetat exteriores actus genuflexionis , tunſionis pectoris, extenſionis brachiorum , ſic publicos , ut ab hominibus videantur . Lex gratiæ eſt lex perfectionis; quia non dantur præcepta ut pura onera , ſed cum gratia adjuvante : finis , & præmium promiſſum eſt ſupernaturale , informantur opera valore meritorum Chriſti , & potiſſime eſt lex perfectionis , quia eſt lex charitatis , quæ etiam exteriora dirigit .

Affectus interior præcipuus in adoratione.

14 OBJIC. V. Non licet exercere ea , quæ pertinent ad irreverentiam Dei , ſed Adoratio per ſigna ſenſibilia cedit in irreverentiam Dei ; ergo . Explic. min. Cedit in irreverentiam alicujus excellentis , ſi exhibeantur illa , quæ proprie ad inferiores pertinent , ſed quæ exhibentur corporalibus actibus ad reverentiam creaturarum inferiorum ſpectant, quæ corporales ſunt ; ergo .

RESP. neg. min. Ad probationem . vera eſt doctrina . ſi exhibeantur ſub eadem exiſtimatione excellentiæ ; tunc enim deprimitur dignitas majoris. Ceterum verus Dei Adorator præconcipit rectam exiſtimationem increatæ excellentiæ , nulli inferiorum creaturarum convenientis ; illique mentem ſubjicit , aſſumitque viſibilia in ſignum ſpiritualium operum , & interiorum actuum . quos per ſe Deus acceptat , dicente Auguſtin. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 5. -- Sacrificium viſibile in-„ viſibilis ſacrificii Sacramentum eſſe -- ideſt Symbolum .

Corporalibus Deus coli poteſt.

DICES . Si actibus externis licite coleretur Deus , deberet eſſe aliquis peculiariter determinatus cultus ſolius Dei proprius, quo dignoſceretur Deus adorari potius, quam ſancti , ut in Curia Principum , ubi ſunt ceremoniæ peculiares pro Supremo , ſed nullus eſt cultus peculiariter determinatus ; ergo ſignum eſt , non eſſe honeſtum colere Deum viſibilibus ritibus .

RESP. Aliqui voluerunt proſtrationem eſſe peculiare ſignum ſupremæ Adorationis ; ſed communiter reprobantur ; non enim ex natura ſua actus iſte exterior ſignificat cultum Latriæ . Ab affectu ergo interiori diriguntur actus exteriores , & affectum Deus diſtinguit , non penſum . Si tamen in aliquo ceremoniali ſint aliqua Symbola determinata pro cultu ſupremo , ea ſervanda ſunt in publico. In Curia humanorum Principum ſunt determinati ritus , quia quæ foris ſunt , intuentur. Licet quocunque actu externo teſtificemur Divinam excellentiam ; nihilominus quoad nos ſigna aliqua exprimunt unam formalitatem ab aliis diverſam . Ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 2. *ad* 3. -- Genuflectimus , no-

Ex affectu externi actus diſcreti.

A „ ſtram infirmitatem deſignantes in compa-„ ratione ad Deum . Proſternimus autem „ nos , quaſi profitentes nos , nihil eſſe ex „ nobis --

Arguunt ulterius . Si liceret adorare Deum externis ſignis , liceret etiam uti imaginibus , Deum repræſentantibus , ſed hæ non licent ; ergo neque priora . Objectio hæc petit peculiarem Controverſiam , & ſit .

CONTROVERSIA II.

B

AN CORPORALIBUS IMAGINIBUS LICEAT DEUM REPRÆSENTARE .

IN Synodo Nicena II. *Act.* 5. Inter perverſa Philoxeni dogmata dixiſſe refertur puerile eſſe fingere in Columbæ Idolo Spiritum Sanctum . *Act.* 5. Synodi V. accuſatur Severus a Clericis , & Monachis, quod ſibi uſurpaſſet Columbas aureas , & argenteas , Spiritum Sanctum repræſentantes , Sacris lavacris , & altaribus appenſas , quia , dicebat , non eſſe Spiritum Sanctum ſub Columbæ ſpecie nominandum. Wiclephus *apud Waldenſem tom.* 3. *cap.* 155. tenuit , abominabilem eſſe Trinitatis imaginem . Calvinus *lib.* 5. *inſtitut. cap.* 11. aſſerit neſas eſſe Deum invisibilem viſibili forma exhibere , Contra hos Hæreticos , & alios , qui cultum exteriorem Deo negant , præſens Controverſia inſtituitur , in qua præciſe inquiritur : *An liceat corporea Imago Dei* . De adoratione , & modo agetur ſuo loco infra . Unde

C

Dico . Licitum eſt Deum viſibili forma exprimere .

15 PROB. I. Licet Deus ſit incorporeus , tamen ſub forma corporea pluries apparuit ; ergo licet Deus ſit inviſibilis , poteſt viſibili forma exprimi; quia non minus diſtat ab incorporeo apparere corporaliter , quam repræſentari . Ant. prob. Nam Geneſ. 3. v. 8. Adamo apparuit Deus tanquam homo deambulans in Paradiſo ad auram poſt meridiem . Gen. 12. apparuit Abrahamo in convalle illuſtri juxta Sichem ; & iterum 17., ubi ab ipſo Abraham adorationem ſuſcepit , & 18. ſub figura humana tres Angelos idem Abraham adoravit , in quibus tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis apparuiſſe tradit D. Auguſt. *lib.* 2. *de Trinitate cap.* 11. Cap. 28. Gen. Jacob vidit Dominum innixum ſcalæ. Exodi 33. Moyſes vidit poſteriora Dei . Iſaias cap. 6. v. 5. ait : *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis* . 3. Reg. 22. v. 19. Michæas : *Vidi Dominum ſedentem ſuper Solium ſuum* . Amos 9. v. 1. *Vidi Dominum ſtantem ſuper Altare* . Et alibi ſepe in novo Teſtam. Matth. 3. Spiritus Sanctus apparuit ſub ſpecie Columbæ . Et Act. 2. in forma ignis .

D

Deus ſub corporea forma viſus eſt ;

E

RESP. Calvinus , ideo humana forma Deum aliquando apparuiſſe , ut præluderet Incarnationi .

Sed aliud eſt finis apparitionis , aliud apparitio . Nunc non quærimus, quo motivo apparuerit , ſed an apparuerit ſub forma corporea , & an ſub ea poſſit exprimi . Deinde .

Ali-

Digitized by Google

Aliquando ſub forma humana apparuit Pater, ut Danielis 7., ubi deſcribitur Antiquus dierum ſedens in Throno, indutus veſtimentis albis, & capillis, ut lana munda, ornatus, tradens Filio hominis Regnum, ſed hæc apparitio non potuit eſſe præludium Incarnationis; ſicut nec illæ formæ, in quibus apparuit Spiritus Sanctus, aut tota Trinitas; cum Pater non ſit incarnatus, nec Spiritus Sanctus, nec tota Trinitas; ergo.

RESP. II. Columbam ſtatim evanuiſſe, ut declararet Spiritum Sanctum eſſe inviſibilem.

Sed quid inde? Illam tranſeuntem apparitionem volumus repræſentare; non autem ex quo pictura maneat, intelligimus Spiritum Sanctum ſemper ſub illa figura manſiſſe. Intendimus tantum memoriam illius facti perennitati commendare, & perpetuam Sancti Spiritus aſſiſtentiam Eccleſiæ a Deo promiſſam indicare.

RESP. III. Durandus illas formas non fuiſſe a Deo hypoſtatice aſſumptas.

Ita volumus, nec ſignificamus Deum fuiſſe hypoſtatice illis unitum. Error tunc eſſet. E re noſtra eſt exprimere apparitionem illam, ex cujus expreſſione mentem recolligimus in Deum, qui ſic apparuit. Nec ex quo apparitiones non ſint factæ ad repræſentandum Divinam naturam, ſed aliquem effectum, obſtat, quin poſſint repræſentari; quia hiſtoriam illis figuris exponimus, & effectus inde ſecutos deſignamus; & inde aſcendimus ad cognitionem Superoræ Majeſtatis: ſicut ex ceteris viſibilibus ad inviſibilia aſſurgimus.

RESP. IV. Clicthovæus Deum non apparuiſſe ſub illis figuris immediate, ſed medio Angelorum miniſterio.

Quidquid ſit de hoc, ſufficit, quod nomine Dei, & ejus vices gerentes apparuerint Angeli, ut poſſit Deus corporali figura deſcribi. Deferunt enim illi perſonam Dei, & quæ exercent, & dicunt, imputantur Deo, ac ſi ipſe immediate eſſet ſub illis formis. Sicut poſſumus bene Regis perſonam imaginibus exponere, ex ſola viſione ejuſdem Regis in Theatro, ipſius nomine ab Aulico repræſentati.

16 PROB. II. Licet penicillo exprimere, quod calamo eſt expreſſum, ſed calamo, & verbis in ſacris Paginis deſcribitur nobis Deus, ut patet Iſaiæ 6., Danielis 7., & alibi ſub forma corporea, habens caput, manus, & pedes; ergo licet etiam picturis hoc totum deſignare; eſt enim de materiali, quod corporeitas eluceat ſcripto, vel pictura.

Sub corporea forma deſcribitur Deus.

RESP. I. Licet Scriptura Deum repræſentare, quia ex aliis locis ejuſdem certificamur de incorporeitate Dei.

Sed hoc accidit pariter in pictura. Ex Notis enim fidei novimus Deitatem incorpoream eſſe: unde non eſt periculum erroris, & ſi quod eſt penes ſimplices, hi ſunt erudiendi a Prælatis.

RESP. II. In Scriptura exprimitur Deus ſub ratione metaphorica animalium, & tamen eum non licet exprimere picturis; ergo non licebit pictura explicare ea corporalia, quæ Deo tribuuntur verbis.

Sed contra. In hoc ſervanda eſt regula tradita *Seſſ.* 25. *decr.* a Tridentino, ſcilicet, quod non multiplicentur imagines Dei, & Trinitatis ad libitum; ſed ſerventur ſolum illæ, quæ communiter approbantur ab Eccleſia ſub decentiſſima forma; quia aliter cederet in deriſionem Sacroſanctæ Trinitatis. Licet enim Prophetis plurima arcana ſub formis animalium fuerint revelata; quia in ipſis bene ſentientibus, & recte intelligentibus nullum erat periculum, tamen adeſt quoad incruditos, qui facile decipi poſſunt; & quoad Hæreticos, qui ſumunt occaſionem irridendi Catholicam Religionem. Hoc de facto accidit Miniſtris Hungaricis, qui varias a Pictoribus efformatas imagines Trinitatis ridiculas collegerunt, puta unius hominis cum tribus faciebus, vel cum duobus capitibus, medium tenente Columba, & velut monſtra, a Poetis conficta, irriſioni propoſuerunt.

17 PROB. III. Ideo nequit formari imago Dei corporalibus formis; quia eſt improportio maxima inter Deum ſumme immaterialem, & corporeum, ſed non datur omnimoda improportio; ergo. Explico min. Deus poſt incarnationem elevavit ad quandam ſui aſſinitatem corporalia, ut Patres loquuntur, & per corporalia factus eſt nobis familiaris; unde per Sacramenta materialia tribuit nobis dona ſupernaturalia, immo ſeipſum ſub ſpeciebus viſibilibus panis, & vini; ergo ſicut corpora deſerviunt Deo in exequendis ejus miniſteriis, ita poterunt congrua eſſe ad ipſum analogice repræſentandum.

Hinc eſt, quod VII. Synodus *Actione* 5. approbat imaginem Sancti Spiritus ſub forma Columbæ, & Trident. *Seſſ.* 25. *Decr.* 2. approbat Hiſtorias Scripturales circa Divinitatem; dummodo Epiſcopi curent admonere plebem, ne quid corporeum credant Deum eſſe. Triplici porro modo aliquid depingi poteſt. Primo ad repræſentandam perfecte ſimilitudinem alterius, & hoc modo Deus nequit exprimi, utpote omni figura carens. Secundo ad repræſentandam aliquam hiſtoriam, ut viſionem Scalæ Jacob, ubi Deus non intenditur exprimi, ſed factum illud; hoc porro licet. Tertio ad explicandam aliquam proprietatem per analogicam aliquam ſimilitudinem, & metaphoricam tranſlationem, ut inde ad cognitionem Dei aſſurgamus; & hoc etiam licet.

DILUUNTUR OBJECTIONES HÆRETICORUM.

18 OBJIC. I. In veteri Teſtamento prohibetur qualibet Dei imago. Deut. 4. v. 12. *Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis &c.* Deinde v. 15. *Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem &c.* Et v. 23. *Cave, ne quando obliviſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit &c.* Iſaias 40. v. 18. *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? Aut*

quam

quam imaginem ponetis ei? Et cap. 46. v. 5. *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & effeciſtis ſimilem?* Act. 17. v. 29. *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapide ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile*; ergo neque in novo Teſtamento, licet, tum ex textu Pauli, tum ex primis rationibus, quæ ſunt utrique legi communes, Ex Calvino hæc attulimus.

Hebræis tur Dei imagines prohibitæ.

Univerſalior reſponſio eſt, Hebræis fuiſſe prohibitas quaſconque Dei imagines præcepto ceremoniali ob periculum Idololatriæ, in quam erant valde propenſi; non tamen inde erant ex ſua natura illicitæ: unde cum in lege nova ceſſaverint legalia, & abſit ad Idololatriam prona inclinatio propter Principem tenebrarum ejectum a Chriſto, ideo nulla nunc prohibitio.

Sed pungit adhuc ſcrupulus: nam non erat prohibitum verbis Deum deſcribere, ei attribuentibus membra corporea, ratione cujus deſcriptionis poterat proclivitas inducere ad Idololatriam.

Verum in verbis non tantum ſubeſt periculi, ſicut in imaginibus; Deus dabat reſponſa modo ſenſibili, & cum ſimiliter Idolorum ſimulacra ſenſibiliter oracula reſponderent; ſi data eſſet imago Dei, facilior fuiſſet occaſio errandi. Deinde, Scripturam deſcribentem Deum non explicabant omnes de populo, ſed Sacerdotes, vel Prophetæ; hi porro præcavebant errorem, doctrinis cohærentibus ad alia loca. Ceterum imagines fuiſſent expoſitæ indiſcriminatim populo vehementer adoranti propter excellentiam repræſentati, adeoque vehementior, & promptior extitiſſet Idololatriæ occaſio.

19 OBJIC. II. Illud non eſt licitum, quod eſt erroris inductivum, ſed Imago Dei eſt erroris inductiva: dicitur enim Jerem. 10. v. 8. *Doctrina vanitatis eorum lignum eſt*. Et loquitur de imagine Dei. Habacuc ſimiliter cap. 2. ſculptile vocat Doctorem falſitatis. Ubique ſchola vanitatis, & Doctor mendacii inductiva ſunt erroris; ergo. Ita Calvinus.

RESP. Scriptura ſermonem habet de Imaginibus Deorum falſorum, non autem de Imagine veri Dei. Illæ enim ſunt doctrina vanitatis, & mendacii, quæ repræſentant pro Deo, quod non eſt Deus; pro vivo, & omnipotente, mirabilia operante, & dicente, quod nihil eſt. Imagines verò noſtræ verum, & vivum Deum repræſentant per analogicam ſimilitudinem: unde ſunt ſchola veritatis.

20 DICES. Idolum eſt doctrina vanitatis; & ideo eſt omnino illicitum illud facere, ſed imago Dei eſt verum Idolum; ergo eſt ſchola vanitatis illicita. Explic. min. Idolum dicitur a ſimulacro, quod eſt a ſimulando: unde imago ficta alicujus, cui non reſpondeat prototypus, eſt verum Idolum: ſed hoc eſt in caſu: Deus enim eſt omnino incorporeus, imago omnino corporea; ergo &c.

Idolum eſt fictum ſimulacrum.

RESP. Neg. min. Ad prob. Verum eſt Idolum eſſe fictam ſimilitudinem alicujus; quia repræſentat rem nullo modo exiſtentem, quale erat ſimulacrum Martis, qui pro Deo belli repræſentabatur, cum nihil eſſet. Sed nos, licet corporeis figuris Deum non repræſentemus prout eſt in ſe, nihilominus repræſentamus Deum, qui vere eſt. Quare imagines noſtræ non ſunt ſimulacra, cum correſpondeat verus prototypus.

21 INSTABIS. Ad Imaginis rationem non ſufficit prototypum exiſtere, niſi detur aliqua convenientia, ſed inter Deum (qui eſt purus actus omnino immaterialis) & figuram corpoream nulla datur convenientia; ergo nulla ratio imaginis. Ant. explicatur. Niſi detur convenientia, æque conducet in cognitionem hujus exiſtentis, ac illius. Imo convenientia debet eſſe in ſpecie, vel ſigno ſpeciei; & ideo homo eſt Dei imago; quia gaudet intellectualitate: irrationalia e contra non ſunt, quia ea carent.

RESP. Deum inter, & corporalia analogica convenientia intercedit, quæ duplex eſt. Una pure eminentialis, altera formaliter eminentialis. Eminentialis ſimpliciter ea eſt, quæ deſumitur ex continentia earum perfectionum, quæ indiſpenſabiliter involvunt imperfectionem, quas Deus ſolum eminentialiter continet, ut ratio corporeitatis, ratio accidentalitatis, ratio mobilitatis, & ſimilia. Formaliter eminentialis deſumitur ex perfectionibus creatis, in ſuo conceptu formali non includentibus imperfectionem; ut ratio potentiæ, intellectivitatis, ſapientiæ, & ſimilia. Porro imagines corporalium, quibus utimur in caſu, conſiderantur dupliciter; vel ſecundum puram rationem corporei, quod ſolum eminenter continetur in Deo, vel prout deſignant aliquam perfectionem ab imperfectionibus denodabilem, quæ eminenter formaliter continetur in Deo. Explico exemplo Columbæ, quæ Spiritum Sanctum repræſentat. In Columba habetur eſſe corporis, & eſſe animalis, quæ dicunt abſolute imperfectionem. Rurſus per eam denotatur puritas, quæ non dicit abſolute imperfectionem. Hæc ergo corporea non aſſumuntur ſecundum puram rationem corporeitatis, ſed prout denotant illas perfectiones, ac per conſequens aſſumuntur ſecundum analogicam proportionem eminentialiter formalem; adeoque ſunt veræ imagines, ab Idolis diſtinctæ.

Imagines conſiderari poſſunt dupliciter.

22 OBJIC. III. Patres reprobant Dei imaginem; ergo non eſt licita. Min. explicatur Damaſc. *lib. 4. fidei orthod. cap. 7.* ait — „ Extremæ dementiæ eſſe velle depingere „ Deum — Theodoretus Patriarcha Jeroſolymit. *in Epiſt. Synodali Synodi VII. act. 3.* — „ Inviſibilis eſt divinitas; nec depingi, nec „ figurari ſe permittit — Origenes *lib. 7. contra Celſum* — Nos Deum incorporeum nulla „ figura circumſcribimus — Aug. *lib. de fide, & Symbolo cap. 7.* — Tale ſimulacrum Deo „ nefas eſt in templo collocare — Niceph. *lib. 18. Hiſt. cap. 3.* refert inter hæreſes Armenorum, quod imaginem Trinitatis haberent; ergo &c.

RESP. neg. min. Patres enim adducti nihil aliud intendunt, niſi reprobare errorem Antropomorphitarum, qui tenebant Deum eſſe corporeum, & imaginem corpoream repræſentare eum prout in ſe. In hoc ergo ſenſu Patres loquuntur; & patet ex contextu.

Patres negant Deum eſſe corporeũ.

v. g.

v. g. Theodoretus dat illam cauſalem : *Inviſibilis eſt Divinitas* ; & Origenes ait -- Nos
A „ nulla figura Deum circumſcribimus -- id eſt, non limitamus Deum illimitatum intra terminos unius figuræ . Eodem verbo , & ratione utitur Nicephorus; & in hoc ſenſu attribuit Armenis pro errore imaginem Trinitatis ; & eo vel maxime , quod totam dicebant crucifixam .

Auguſt. *loco citato* explicans illa verba Symboli : *Sedet ad dexteram Dei Patris* , habet -- Nec iden tamen quaſi humana forma
„ circumſcriptum eſſe Deum Patrem arbi-
„ trandum eſt, ut de illo cogitantibus dexte-
„ rum , aut ſiniſtrum latus animo occurrat :
B „ aut ad ipſum , quod ſedere Pater dicitur ,
„ flexis poplitibus fieri putandum eſt , ne in
„ illud incidamus ſacrilegium , quo execra-
„ tur Apoſtolus eos , qui commutaverunt
„ gloriam incorruptilis Dei in ſimilitudinem
„ corruptibilis hominis . Tale enim ſimula-
„ crum Deo nefas eſt Chriſtiano in Templo
„ collocare ; multo magis in corde nefarium
„ eſt , ubi vere eſt Templum Dei , ſi a ter-
„ rena cupiditate, atque errore mundetur --

DICES . Auguſt. *lib. 4. de Civit. cap. 19.*, *&* 31. recitat Varronem dicentem: Qui primi Deorum ſimulacra induxerunt, eos & timorem dempſiſſe , & errorem auxiſſe. *Et lib.*
C *6. cap.* 10. recitat dictum Senecæ conquerentis , quod Dii excelſi vili materia depingerentur ; ergo tenet nefas eſſe Deum corporalibus exprimere .

RESP. neg. conſeq. Aſſumit enim hæc Auguſt. ad reprobanda Idola, & ſimulacra Dei , quibus , ut eſt in ſe , repræſentetur . Varro bene dixit , quia cum ſtatuæ illæ pro Diis eſſent habitæ , & non eſſent , non erat timendi occaſio ; & quia Deorum numerus eſt multiplicatus , error eſt auctus . Item Seneca juſte conqueritur , quia Deos credebant eſſe ſicut illa ſimulacra , cum non ſint .

23 REPLICABIS. Ex Lactantio *lib. 2.*
D *de origine erroris cap.* 2. -- Imaginum ratio
„ idcirco ab hominibus inventa eſt , ut poſſit
„ memoria eorum retineri , qui fuerunt vel
„ morte ſubtracti , vel abſentia ſeparati ; ſed
„ Deus non moritur , & ejus ſpiritus , & ac
„ lumen ubique diffuſum , abeſſe nunquam
„ poteſt --

RESP. Mentem , & rationem Lactantii optimam eſſe ad intentum ſuum . Agebat enim contra Gentiles contendentes cultum Religionis non ſubſiſtere ſine ſimulacris ; quia Deos, quos ipſi colebant , inter mortuos computabant , ac proinde bene arguit , hoc non eſſe neceſſe , ubi de cultu veri Dei agitur ,
E qui ſemper vivit , & præſens nobis eſt . Ceterum ratio abſolute non probat , non licere Dei imaginem, quia , licet Deus ſit præſens ubique , inviſibiliter eſt præſens : unde ad excitandam ejus memoriam poſſumus uti ſigno ſenſibili. Primis ſeculis uſus imaginis Dei fuit rarior , & cautior propter Idololatriam undique dilatatam : quare ne recenter converſi deciperentur propter antiquam conſuetudinem , Patres parce utebantur .

24 SUBSUMES. Ex Aventino *lib. 7. Annalium Bojorum* habetur , Joannem XXII. damnaſſe quoſdam incolentes fines Bojorum, & Auſtriæ , qui Deum unum , & trinum pingebant in ſimilitudinem Senis , Adoleſcentis , & columbæ ; ergo &c.

RESP. Aventinum apud Raynaldum Annalium Baronii continuatorem , non eſſe multæ fidei , cum alia adulteraverit : nec eſt credendum , quod Pontifex ille , aliàs eruditus , neſciret uſum ſimilium imaginum , pluribus ſeculis ante in Eccleſia inductum ; ſed cum abſolute non dicatur prohibuiſſe , ſed ſolum pro illius loci incolis clarum ſignum eſt habuiſſe motivum particulare , vel propter indecentiam , vel propter periculum erroris . Forte ex illa imagine inducebatur error Arrianorum , dicentium , Patrem Filio majorem ; & occaſio poterat eſſe illa diſpoſitio Senis , Viri , & Adoleſcentis .

CONTROVERSIA III.

AN CHRISTUS SIT ADORANDUS SUPREMO CULTU LATRIÆ .

CErtum eſt , quod Deus adoratur Latria , quæ eſt ſupremus cultus , & unica eſt in ſpecie ; nam ille eſt ſupremus cultus , qui ſoli Deo debetur, & cadit ſub primo præcepto eorum , quæ ad Religionem pertinent , ſed cultus cadens ſub primo præcepto eſt ſolus cultus Dei ; ergo eſt ſupremus . Min. explicatur . Deuter. 6. v. 13. , ubi Deus dedit Moyſi Decalogi præcepta ; in primo ex tribus prioribus ad materiam Religionis ſpectantibus , habetur : *Dominum Deum tuum timebis , & illi ſoli ſervies* . Ubi in Græco correſpondet verbum ſignificans cultum Dei ſingularem : quod advertit Aug. *lib. 3. contra Maximum cap.* 23. , & Anaſtaſius Epiſcopus *in VII. Synodo act.* 4. Hoc textu repulit Chriſtus Satanam tentatorem in Deſerto, ut probaret, an eſſet Deus : de quo genere adorationis loquitur Paulus 1. ad Timoth. 1. v. 17. illis: *Soli Deo honor , & gloria* : qui modus loquendi ſonat emphaſim ſupremæ excellentiæ .

> *Supremus cultus Deo competit .*

Illuſtratur . Ille eſt ſupremus cultus , qui ab omnibus tribuendus eſt , & illa perſona , cui tribuitur, nemini tribuit, ſed omnes Deum adorare debent ; & ipſe nullum ; ergo eſt ſupremus . Min. declaratur , Iſaiæ 45. v. 24. *Mihi curvabitur omne genu* . Joan. 5. v. 22. *Pater &c. Omne judicium dedit Filio , ut omnes honorificent Filium , ſicut honorificant Patrem* ; non poteſt autem dari major adoratio , & ordinis ſuperioris illa , quæ ab omnibus danda eſt .

Hæc indubia ſunt , unde difficultas devolvitur ad cultum Chriſto præſtandum. Neſtorius , ut conſtat ex Anathematiſmis Sancti Cyrilli, tenuit Chriſtum non eſſe adorandum adoratione Latriæ , ſed aſſumptum hominem ſolum eſſe coadorandum : eo alio ductus errore , quod in Chriſto eſſet alter , ſcilicet , Filius Dei , & Filius hominis copulati . Et quia Patres omni genere argumentorum uſi , ex modo adorationis intulerunt unionem phyſicam in una perſona Verbi cum Filio hominis , ideo videndum eſt , qua adoratione ſit

Chriſtus adorandus. In Chriſto habetur Deitas, cui ſupremus Latriæ cultus debetur, ut vidimus, A habetur humanitas, cui, qualis adoratio debeatur, videndum eſt.

Poſſumus itaque conſiderare ipſum Chriſtum prout totum quoddam eſt ex natura Divina, & Humana, & in hoc ſenſu procedit præſens Controverſia.

Dico: Chriſtus, ut eſt quoddam totum hoc individuum, adorandus eſt ſupremo cultu Latriæ.

Chriſtus adorandus ſicut Pater æternus.

25 PROB. I. Pater æternus adoratur ſupremo cultu Latriæ, ſed Chriſtus adorandus eſt eo genere adorationis, quo Pater; ergo ſupremo Latriæ. Min. habetur Joan. 5. B v. 22. *Pater &c. omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Quo loco Scriptura expreſſe loquitur de Chriſto; huic enim tradita eſt judiciaria poteſtas, & hic miſſus fuit. Illuſtratur argumentum. Suprema adoratio importat perfectam ſubjectionem totius creaturæ rationalis, ſed Chriſtus adoratur perfecta ſubjectione creaturæ rationalis, Iſaiæ 45. v. 24. *Mihi curvabitur omne genu:* Quod Chriſto applicat Paulus ad Rom. 14., & ad Philipp. 2. v. 10. *Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Genuflexio talis ſignum magnæ ſubjectio- C nis eſt; ergo &c. II. Adoratio, quæ dirigitur ad Dominum, & Deum, non eſt niſi Latria, ſed adoratio Chriſto exhibita ad ipſum dirigitur, tanquam ad Dominum, & Deum. Hinc habemus Joan. 9. v. 38. cæcum a nativitate direxiſſe in Dominum ſuam adorationem. *Credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Apocalypſis 5. v. 13. conjungitur honor datus Patri, & Chriſto. *Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.*

Deo Verbo latriæ cultus tribuitur.

26 PROB. II. Quod adoratur una, eademque adoratione, qua adoratur Deus Verbum, adoratur adoratione Latriæ, ſed Chri- D ſtus adoratur una, eademque adoratione, qua Deus Verbum; ergo. Min prob. ex Patribus. In Concil. Epheſ. *Can. 8. ex Anathematiſmis Cyrilli* habetur -- Si quis audet dicere, „ aſſumptum hominem coadorari oportere „ Deo Verbo, quaſi alterum alteri; & non potius una adoratione honorificat Emanue„ lem, ſecundum quod factum eſt caro Ver„ bum, anathema ſit -- Patres Concilii V. *Can. 9.* -- Si quis in duabus naturis adorari „ dicit Chriſtum, ex quo duas adorationes „ introducunt &c., ſed non una adoratione „ Deum Verbum incarnatum cum propria E „ ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Ec„ cleſiæ traditum eſt; talis anathema ſit --

Cyrillus *lib. 1. de fide ad Reginas* dixit In Chriſto -- non eſſe unam naturam, quæ „ adoratur, & aliam, quæ non adoratur, „ ſed unam Verbi naturam incarnatam, ado„ rabilem cum carne ſua, una adoratione -- Ubi de complexo loquitur ex utraque natura. Auguſt. *Serm. 58. de verbis Domini* -- Ego „ Dominicam carnem, immo perfectam in „ Chriſto humanitatem propterea adoro, „ quod a Divinitate ſuſcepta, atque Deitati „ unita eſt, ut non alium, ſed unum eun„ demque Deum, & hominem Dei Filium A „ confitear -- Vide concretum adorari adoratione propria Dei. Damaſcenus *lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 3.* -- Non enim carnem „ nudam adoramus, ſed carnem Dei, ideſt, „ Incarnatum Verbum -- quod eſt compoſitum, Deus & homo ſimul. Athanaſius *lib. de Incarnatione Verbi* de Chriſto loquens ait -- At proinde illi ſacra offertis, adhibetiſque „ veſtram adorationem, eaque de cauſa, ri„ te, legitimaque ratione adoratur, & Di„ vina adoratione colitur -- ſed Divina adoratio eſt Latria; ergo. S. Leo *Serm. 1. de Aſcenſione* -- Nec ullis ſublimitatibus modum „ ſuæ provectionis habitura, niſi æterni Pa- B „ tris recepta conceſſu, illius gloriæ ſocia„ retur in throno, cujus naturæ copulabatur „ in Filio -- Si ergo ſedet in eodem Throno cum Patre, particeps ejuſdem gloriæ eadem adoratione adoratur. Idem habetur apud Chryſoſtomum *homil. 5. ſuper epiſtolam ad Hebræos*. Ambroſium *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19., & lib. 2. cap. 12., & lib. de Incarnat. Dominic. cap. 7.*, & alios.

Chriſto ut Deo tribuitur ſuprema adoratio.

27 PROB. III. Chriſto ut Deo debetur adoratio ſuprema cultus Latriæ propter æqualitatem cum Patre, de qua non eſt difficultas, ſed Deus Verbum aſſumendo humanam naturam non dimiſit, nec imminuit C ſuam dignitatem; ergo Deus factus homo adorari debet eadem adoratione Latriæ. Ubi enim eſt eadem excellentia, ibi eſt titulus ejuſdem adorationis; cum ergo Deus homo factus, id quod fuit, permanſerit; ſequitur hominem Deum, qui eſt Chriſtus, habere eandem excellentiam, quam habebat prius Deus Verbum non homo. Unde Patres Nicæni II. *act. 6. tom. 5.* dicunt -- Caro, poſt„ quam facta fuit Regis tegumentum cum „ ipſo Rege, ejuſdem ſit dignitatis; quan„ quam natura non fuerit talis -- quæ verba deſumpta fuerunt ex Athanaſio *epiſt. ad Eupſichium*: ſit ergo ejuſdem ordinis adoratione D digna, ſi ſit ejuſdem dignitatis.

HÆRETICORUM ARGUMENTA DILUUNTUR.

28 OBJIC. I. Soli Deo defertur Latria, ſed humanitas unita Verbo non eſt Deus; ergo ut unita Verbo non poteſt adorari adoratione Latriæ; ergo neque Chriſtus, qui nihil aliud eſt, quam Divina natura humanitati unita hypoſtatice.

In adoratione duo conſideranda.

RESP. In adoratione duo ſunt, titulus E adorationis, & res adorata. Soli Deo tribuitur Latria, ut rationi adorandi, non autem ut rei adoratæ ſolius. Ut rei adoratæ tribuitur alteri a puro Deo, ſcilicet, omni illi, quod Deo eſt phyſice conjunctum: Chriſtus autem eſt homo phyſice, & ſimul Deus ex vi unionis hypoſtaticæ; ergo ad ipſum terminatur ut ad rem adoratam Latria. Quod aptiſſimo exemplo Damaſceni *Orat. 2. de Imaginibus* explicatur, ferri, ſcilicet, igniti -- „ Quod timeo tangere propter ignem con„ junctum, atque ſimul fugio ferrum, & „ ignem -- Ignis eſt Divinitas, ferrum eſt humani-

maulitas, ferrum ignitum eſt Chriſtus. Chriſtum adoramus propter Divinitatem, quæ in ipſo eſt, & humanitatem conjunctam, adeoque & humanitatem, & Divinitatem.

29 DICES. Eidem defertur adoratio Latriæ, cui offertur ſacrificium, ſed ſacrificium non offertur Chriſto homini, dicente Auguſt. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 20. -- Chriſtus, „ cum in forma Dei ſacrificium ſimul cum „ Patre ſumat; tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe, quam ſumere, ne vel hac „ occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet „ eſſe ſacrificandum creaturæ --

Chriſto offertur ſacrificium ratione divinitatis.

RESP. conc. maj., & neg. min. Chriſto offertur ſacrificium, non ratione humanitatis, ſed ratione Divinitatis, cui competit excellentia ſignificata per ſacrificium: unde licet humanitati principaliter non offeratur, in eam tamen redundat. Simpliciter enim huic homini individuo tribuitur, qui ob Divinitatem conjunctam non eſt minor Patre. Sic Divus Thom. 3. *par. quæſt.* 25. *art.* 2. *ad* 2., & 3.

30 INSTABIS. Eum ſupremo Latriæ cultu adoramus, cui proſtrati honorem deferimus; Judith. 4. v. 9. *Et infantes proſtraverunt contra faciem Templi Domini*; & 10. v. 1. *Cum ceſſaſſet clamare ad Dominum: ſurrexit de loco, in quo jacuerat proſtrata &c.* Sed Chriſto non deferimus cultum proſtrati, ſed genuflexi, quia nos ex nihilo non creavit, quod proſtratio ſignificat, ſed ſolum per ipſum redempti ſumus; ergo minori adoratione colendus eſt. Hæc ex Rabano.

Proſtratio non eſt ſignū Latriæ.

RESP. Supponit argumentum proſtrationem eſſe ſignum proprium ſolius Latriæ Deo debitæ, cum ſit ſignum aſſumptibile ad adorandos alios, Deo inferiores. Exemplum habemus in eadem Judith, quæ optime ſciebat verum Dei cultum, & ne contaminaretur, noluit gentilium cibis uti, & tamen cum ingreſſa eſt ad Holofernem: *Adoravit eum, proſternens ſe ſuper terram*, cap. 10. v. 20. Quare etiam Chriſto tribui poteſt, & Sanctis inferioribus: At dato, quod eſſet propria teſſera Latriæ, adhuc ipſi eſſet tribuenda. Nec urget ratio oppoſita; quia & ſi Chriſtus ſecundum Humanitatem non creaverit nos ex nihilo, ut tamen ei tanquam rei adoratæ debeatur, ſufficit, quod realiter faciat unum totum cum Divinitate, quæ eſt principium creationis, & ratio adorandi.

31 REPLICABIS. Ut habemus ad Hebræos 1. Angelis dictum eſt, ut adorent Primogenitum, quem in orbem terræ introducit Pater. Tunc ſic. Vel eſt eadem adoratio prior Angelorum, vel non. Si eſt; ergo non tangit Humanitatem, ſicut prius non tangebat, ſi non; ergo eſt mutata: non imperfectius, cum objectum attactum ſit quid finitum; ergo in minus; ergo inferior eſt adoratio Chriſti.

RESP. Adorationem illam remanere eandem quoad ſubſtantiam, ſed variari quoad aliquem modum terminationis accidentalis; quia extenditur ad Deum hominem, cum prius ſiſteret in Deo puro, quare nihil in hoc eſt.

32 OBJIC. II. Verbum aſſumens naturam humanam depoſuit ſuam excellentiam, ad Philip. 2. v. 7. *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus*. Non enim potuit exinaniri abſque depoſitione ſuæ dignitatis; ergo non poteſt eſſe ratio adorandi Chriſtum adoratione Latriæ.

RESP. Neg. ant. Eandem enim excellentiam retinuit, ſed dicitur exinanitum ex parte termini, quia aſſumpſit naturam humanam. Sicut pariter dicitur deſcendiſſe de Cœlo, non quia Cœlum deſerverit, ſed quia ſibi copulavit naturam terrenam, & novo modo cœpit eſſe in terra -- Pulchre autem „ dicit: Exinanivit. Inane enim opponitur „ pleno; natura autem divina ſatis plena eſt; „ quia ibi eſt omnis bonitatis perfectio. Exo„ di 33. Oſtendam tibi omne bonum. Na„ tura autem humana non eſt plena, ſed in „ potentia ad plenitudinem; quia eſt facta „ quaſi tabula raſa. Eſt ergo natura humana „ inanis. Dicit ergo: Exinanivit; quia na„ turam humanam aſſumpſit -- Sic Angelicus *lect.* 2. *in hunc locum*.

Verbum incarnatū quomodo dicitur exinanitum.

33 OBJIC. III. Terminans adorationem ſupremam Latriæ eſt omnino perfectum, ſed Chriſtus non eſt omnino perfectus; ergo non terminat ſupremam adorationem Latriæ. Major claret. Suprema adoratio, qua non datur major, debetur perfecto, quo non datur majus. Min. declaratur. Totum conſurgens ex duobus, quorum unum eſt perfectum, & aliud imperfectum, non poteſt eſſe omnino perfectum -- Bonum enim ex inte„ gra cauſa; malum autem ex quocunque de„ fectu -- ſed Chriſtus eſt totum ex duobus, quorum unum eſt perfectum, ſcilicet, divinitas, aliud eſt imperfectum, ſcilicet, humanitas; ergo non eſt omnino perfectum. Poſſet hoc illuſtrari. Licet lumen gloriæ ſecundum ſe, ut præſcindit ab imperfectionibus accidentis, & ſimilium, ſit formaliter in Deo, ut illis involutum non eſt formaliter; ergo licet Verbum ut præſcindens ab unione ad humanitatem ſit ſupremum, ſecus ut conjunctum. Sicut enim conjunctio accidentis facit, ut complexum ex lumine, & accidenti ſit minoris perfectionis, licet non minuat conceptum luminis ſecundum ſe, ita conjunctio cum creatura imperfecta reddit complexum minus excellens, licet non minuat Verbi dignitatem ſecundum ſe.

RESP. neg. min. Quia natura humana non transfundit ſuas imperfectiones in Verbum, ſed trahitur, & elevatur ad conſortium ſuperioris dignitatis: unde Verbum componens cum ea complexum, Deus remanet in eadem plenitudine perfectionis, ac antea, ac proinde etiam complexum. Sicut non eſt quid perfectius Deus & creatura, quam Deus ſolus; quia omnis perfectio creaturarum continetur in Deo; adeoque acceſſus creaturarum non addit perfectionem. Ita pariter quia Verbum excludit omnes imperfectiones humanitatis, quam perficit ſibi aſſumendo; ideo acceſſus humanitatis non minuit perfectionem, nec complexum ſimpliciter acceptum eſt ens minus perfectum. Exemplum non tenet; quia illæ imperfectiones tranſcendunt, & imbibuntur in omni formalitate entis ſupernaturalis participati, ac

Verbum trahit humanitatem ad ſuā perfectionem.

per conſequens totum concretum debet eſſe minus perfectum, quam ſit ſimplex conceptus luminis gloriæ. Axioma illud -- Bonum ex A
„ integra cauſa; & malum ex quocunque
„ defectu -- valet, ubi una pars non abſorbet perfectionem alterius; & eſt aliqua transfuſio unius in alteram, vel ambæ concurrunt ad unum conſtituendum taliter, quod una non elevet alteram.

34 OBJIC. IV. Si totum compleſum terminaret adorationem Latriæ ſimpliciter, natura Divina non poſſet adorari Latria ſimpliciter tali: hoc eſt falſum; ergo & illud. Maj. declaratur. Quoties aliqua ratio terminat ad totum, ſolum conterminat ad partes, hinc quia actio productiva animalis terminatur ad totum; partes non dicuntur abſolute B
produci, ſed comproduci. Sicut enim cujus eſt fieri, ejus eſt eſſe, ita cujus eſt coeſſe, eſt confieri, partium eſt coeſſe, ac proinde etiam confieri: ſi ergo in caſu noſtro Latria terminatur ſimpliciter ad totum, conterminatur ad partes: unde Divina natura, quæ omnino eſt per ſe adorabilis, coadoraretur ad adorationem totius: ea proportionali ratione qua Doctor Angelicus 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 1. aſſerit, manum, caput, aliaſque partes coadorari ad adorationem totius ſubſiſtentis, cui exhibetur per ſe, & proprie adoratio.

RESP. neg. maj. Ad prob. advertendum C
eſt aliquando totum eſſe adæquatam rationem vi cujus componentia terminant actionem, ut in caſu productionis animalis, ignis, & ſimilium, aliquando aliquod componens eſt adæquata ratio vi cujus totum, & alterum componens terminant actionem. Exemplum habemus in homine exiſtente, ubi ratio exiſtendi adæquata eſt exiſtentia animæ rationalis, quæ per ſe exiſtit: unde ad exiſtentiam ipſius coexiſtit corpus, & totum ipſum, ipſa autem non coexiſtit. In caſu noſtro ratio terminandi adorationem per ſe eſt excellentia naturæ Divinæ, adeoque non debet coadorari ad adorationem totius, ſed ſimpliciter: D
humanitas verò coadorari debet ad adorationem Divinitatis: Hæc eſt Patrum locutio: unde Concilium Alexandrinum *Act.* 10. *inter Epiſt. Cyrilli*, habet -- Propter eum, qui in-
„ duit, veneror eum, qui indutus eſt. Sed
„ unus intelligitur Chriſtus Jeſus, Filius U-
„ nigenitus, quia una adoratione propria
„ cum carne adoratur -- Epiph. *in Ancorato*
-- Nam Rex purpura indutus, ab omnibus
„ adoratur. Nunquid ergo purpura adora-
„ tur, aut Rex? Manifeſtum eſt, quod Rex,
„ coadoratur autem cum ipſo & purpura,
„ quam geſtat --

Divinitas ſimpliciter adoranda.

35 OBJIC. V. Humanitas ut Verbo E
Divino unita, ſeu ut componens Deum hominem non eſt intrinſecè, & quoad ſua eſſentialia immutata, ſed ſecundum ſe non eſt capax neque adorationis, neque coadorationis Latriæ; ergo neque ut Verbo unita. Prob. conſeq. Ideo partes comproducuntur ad productionem totius, quia in ſeipſis habent rationem aliquam, productionem terminandi. Sic quia ſubſtantia ſubſtans colori ſecundum ſe non habet viſibilitatem, neque ut conjuncta cum colore denominatur coviſibilis. Hinc viſio ad colorem terminata non tranſit ad ſubſtantiam, ita in caſu de humanitate.

RESP. Humanitas non eſt quidem immutata quoad eſſentialia, ſed tamen eſt elevata ad conſortium Divinitatis, ob quod dignificatur, ſitque capax coadorationis cum Verbo. Sicut, licet ſecundum ſe non deſinat eſſe ex nihilo, ac proinde peccabilis, tamen ut unita efficitur impeccabilis. Eſt tamen verum, quod ipſa non eſt ratio motiva adorationis, ſed ſolum terminativa. Sicut reſpectu cognitionis Divinæ, Creaturæ ſunt purum objectum terminativum, non motivum, quod eſt ſola intelligibilitas Divina. Cum ergo ſit capax humanitas elevabilitatis, ut Verbo conjuncta terminare poteſt coadorationem, & hoc fit ſatis primo exemplo. Secundum non videtur ad rem, quia ſubſtantia ſecundum ſe non eſt capax elevabilitatis, ut faciat unum per ſe cum colore, qui eſt ratio videndi, ſed ſolum per accidens, quatenus poteſt eſſe ſubjectum ſuſtentativum colorati, & per accidens denominatur ſenſibilis, ſed in proprietate non denominatur terminative viſibilis.

Chriſti humanitas elevata.

36 DICES. Sicut partes moventur ad motum totius, ita totum ad motum partium; ergo a pari ad coadorationem partis coadorabitur totum; ergo ſi primò humanitati tribuatur adoratio (ut tenendo pedes, & oſculando; ſicut de Mulieribus dicitur, Matth. 28. v. 9., quæ accedentes *Tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*) coadorabitur totum, quod eſt abſurdum; ergo humanitas nullo modo adoratur adoratione Latriæ cum Verbo.

Sed hoc nihil eſt. Licet actus exterior exerceatur in humanitate, tamen adoratio proprie accepta, quæ in actu interiori conſiſtit, dirigitur per ſe primo ad totum, & ad Divinitatem; & illa actio ſenſibilis eſt nota, & ſignum illius interioris affectus, & motus per ſe primo terminati ad totum. Ex quo habetur recta intelligentia illius dicti S. Joan. Damaſceni loquentis de Humanitate, quam vocat materiam ſalutis noſtræ -- Colere non
„ deſinam: non tamen ut Deum -- Aliud enim eſt adorari Latria, aliud, ut ſic adoratum pure terminative eſſe Deum.

CONTROVERSIA IV.

AN CHRITUS UT IN EUCHARISTIA, ADORANDUS SIT LATRIA.

SAcramentarii omnes negant Chriſtum in Euchariſtia eſſe adorandum. Sed cum eo ducantur errore, quod Chriſtus realiter non adſit ſub ſpeciebus, contra ipſos non agimus in præſenti. Inter Hæreticos, qui ſaltem in uſu realem admittunt præſentiam, adſunt, qui negant eſſe adorandum, ut Lutherus *in lib. de Euchariſtia ad Vualdenſes*, licet non ſit ſibi conſtans in aliis locis, Melancton *in judicio ſuo de Cœna Domini*, Illyricus *in confeſſione Antuerpienſi, & in Apologia ejuſdem confeſſionis cap.* 14., & alii. Inter hos eſt Jacobus Rex Angliæ, cujus errores excurrimus. Pro complemento

mento ergo materiæ adorationis Chriſti.

Dico. Chriſtus, ut in Euchariſtia, eſt adorandus Latria.

Chriſtus idem ſub ſpeciebus, ac extra.

37 PROB. I. Idem eſt omnino Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis, ac in ſua ſpecie naturali, ſed in ſua ſpecie naturali erat adorandus, & quidem Latria, cum ſit Deus, ergo etiam ſub ſpeciebus. Maj. ſupponitur. Min. eſt de fide. Nam ſæpe in ſua ſpecie fuit adoratus, ut Joan. 9. v. 38. de cæco illuminato dicitur: *Procidens adoravit eum*. Matth. 8. v. 2. *Ecce leproſus veniens adorabat eum*, 14. cap. v. 33. *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es*. Ubi deſignatur cultus Latriæ. Et 15. v. 25. *At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine adjuva me*. Et alibi; & ideo Dæmoni tentanti reſpondit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Conſeq. eſt clara. Si Sacramentalis exiſtentia non tollit identitatem Chriſti, non tollit ejus excellentiam; ergo neque venerabilitatem; ergo eſt venerandus. Nam toties veneranda eſt excellentis dignitas, quoties ſpecialiter ei præſentamur ad aliquid agendum, ſed Chriſtus in Euchariſtia ſæpe nobis præſentatur, & nos ei in myſteriis celebrandis; ergo eſt adorandus.

PP. adorandū dicunt Chriſtum in Euchariſtia.

38 PROB. II. ex PP. Ambroſius *in Pſal. 98.* ad illud: *Adorate ſcabellum pedum ejus*, ait — Per ſcabellum terra intelligitur, per „ terram autem caro Chriſti, quam hodie „ quoque in myſteriis adoramus: & quam „ Apoſtoli in Domino Jeſu, ut ſupra diximus, adoraverunt. Neque enim diviſus „ eſt Chriſtus, ſed unus — Quibus verbis tangit rationem allatam. Eundem ſenſum habet Auguſtin. verſiculum illum verſans: *Scabellum &c.* carnem eſſe intelligens — Quia „ in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem de„dit. Nemo autem illam carnem mandu„cat, niſi prius adoraverit, inventum eſt „ quemadmodum adoretur tale ſcabellum „ pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adoran„do — Eandem veritatem docet *Epiſt.* 118. *cap.* 3., *Epiſt.* 120. *cap.* 7. Hieronymus eundem verſiculum capiens pro Corpore Chriſti in Euchariſt. deinde addit — Quod autem „ adorari debeat, eo aſcendente Apoſtoli „ docuerunt, cum adorantes egreſſi ſunt in „ Jeruſalem — Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres, qui per ſua ſecula diſtribui videri poſſunt in Theſauro Controverſiarum Coccii *Tomo* 2. *lib.* 6. *art.* 7. Sufficit Baſilium hanc venerationem inter Apoſtolicas traditiones enumerare: quod conſtat ex Liturgiis Apoſtolorum, & Diſcipulorum, & eorum, in quibus ſunt plura ſigna adorationis, uſuſque antiquiſſimus, maxime apud Græcos, demonſtrat. Quare injuſte, ut rem novam hoc redarguit Jacobus Rex cum aliis Hæreticis.

39 PROB. III. Ideo non eſt adoranda Euchariſtia, quia illius adoratio eſt ſuperſtitioſa, ſed non eſt ſuperſtitioſa; ergo. Maj. eſt ratio Hæreticorum, quos citavimus, Bezæ *de Cœna Domini cap.* 9. Pichardorum in Boemia, aliorumque. Minor ſic explicatur. Cultus ſuperſtitioſus eſt cultus Divinus puræ creaturæ ut vero Deo exhibitus, ſed licet cultus iſte Divinus ſit, non tamen exhibetur creaturæ ut vero Deo, quia non colimus ſubſtantiam panis, quam negamus adeſſe, non colimus per ſe accidentia, ſed contentum ſub accidentibus, quod eſt verus Deus, & homo. Sicut enim dicit Damaſcenus *lib.* 4. *Orthodoxæ fidei cap.* 13. — „ Vidit quippe carbonem Iſaias: carbo porro „ non ſimplex lignum eſt, ſed igni unitum. „ Sic panis quoque communionis non ſim„plex panis eſt, ſed Divinitati unitus — Dirigitur ergo adoratio noſtra in carnem Divinitati unitam, ſacris ſpeciebus obtectam. Aliud enim videmus, aliud credimus.

Fides externis confitenda ſignis.

40 PROB. IV. Poſſumus, & debemus fidem noſtram ſignis exterioribus confiteri, & proteſtari, ſed Euchariſtiæ myſterium eſt principaliſſimum inter arcana noſtræ fidei; ergo poſſumus, & debemus ſignis exterioribus proteſtari, ſed nullum eſt aptius ſignum cultu, & adoratione. Cum enim ratione ſuæ excellentiæ videatur excedere menſuram credibilitatis, dicitur ſpecialiter myſterium fidei; indigemuſque captivare nos in obſequium fidei, ac proinde etiam corpus, venerando rem adeo admirabilem, quæ ſpecialiter eſt inſtituta in ſignum novi Teſtamenti. Sicut ergo Arca veteris Teſtamenti ſolemnibus ceremoniis fuit delata, & pretioſis ornata veſtibus, quibus veneratio ſignaretur, ita a fortiori debemus honorare, & venerari Altaris Sacramentum tanto excellentius, quanto diſtat veritas a figura. Unde optime dixit Theodoretus *Dialogo* 2. — Myſtica ſigna poſt ſancti„ficationem intelliguntur ea eſſe, quæ facta „ ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ „ illa ſint, quæ creduntur &c. —

SOLVUNTUR OBJECTIONES HÆRETICORUM.

41 OBJIC. I. Adoratio Chriſtiana dirigi debet fide; fides autem innititur Verbo Dei, ſed nullibi Verbum Dei aſſerit adorandum eſſe Chriſtum in Euchariſtia; ergo non eſt adorandus. Hæc Calvinus.

RESP. Etſi Verbum Dei non haberemus: quod tamen habemus, & generale, & particulare, ſufficeret Traditio; ceterum Scriptura ſæpe numero nos docet realiter Chriſtum nobis dari ad manducandum in Euchariſtia, & ſub ſpeciebus præſentialiter exiſtere, cujus proteſtationem facimus ſignis adorationis exterioribus, ut bene dicit Euthymius *ad cap.* 24. *Matth.* — Ita quoque in ado„randis Myſteriis faciamus, non ea ſolum, „ quæ proponuntur, intuentes, ſed ſermo„nibus ejus credentes; cumque ille dicat: „ Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis „ meus: pareamus, & credamus —

42 DICES. Licet Chriſtus admittatur in Sacramento, non eſt tamen adorandus, niſi ubi Scriptura vult eum adorari, ſed Scriptura vult, ut in Cœlo Chriſtum adoremus; unde quoties meminit ejus, monet ſurſum corda elevare, & eum quærere ad dexteram Patris. Adoratio enim ei debetur in præmium

mium paſſionis : unde fuit exaltatus, ut glorificaretur : *Propter quod exaltavit illum , & dedit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen , ut in nomine Jeſu omne genuflectatur* ; ergo in cœna non eſt adorandus .

Ubique Deus adorandus .

RESP. neg. min. Non enim Deus ſolum in Cœlo vult Chriſtum adorari , ſed ubicunque ejus majeſtas taliter exiſtit . Prophetans enim Malachias cap. 1. v. 11. ait : *In omni loco ſacrificatur , & offertur nomini meo oblatio munda* . Non enim uno loco honoratur Chriſtus. Solum ne Principes veneramur, cum ſedent in ſolio ? Nonne & ubi aliquam exercent ſolemnitatem ? Nonne & quando convivia parant , & ad ea alios vocant ? Nonne & quando deambulant ?

REPLICABIS . Apoſtoli , cum primum acceperunt Euchariſtiam , non proſtraverunt ſe ſuper terram ; ergo &c.

RESP. Quid Apoſtoli de Chriſti dignitate ſenſerint , patet ex iis , quæ in Evangelio habentur ; ubi eum adoraſſe legimus Matth. 14. Nec eſt neceſſe recitare ſingulas vices , quibus id peregerunt . Patet ex veneratione , quam ſua prædicatione docuerunt Eccleſiam, in qua retinetur perpetua traditio . Non erat autem opus , ut tunc genuflecterent , cum myſterium oppoſitum ſuaderet . Recumbebant ſiquidem cum Domino , & vacare debebant verbis , & arcanis , quæ Chriſtus agebat . Sufficit ergo , quod tunc interiorem exhibuerint affectum , & cultum quem aſſidue gerebant in corde .

43 OBJIC. II. Idololatria committitur , ubi Latria defertur creaturæ , ſed in Euchariſtia cultus Latriæ defertur creaturæ ; ergo . Prob. min. Euchariſtia nihil aliud eſt , quam Sacramentum , ſed Sacramentum nihil aliud eſt , quam quid creatum ; ergo creaturæ defertur adoratio Latriæ .

Primò in Euchariſtia adoratur Chriſtus .

RESP. Euchariſtia ut Sacramentum duo dicit , nempe Chriſti corpus , & ſpecies ſenſibiles : adoratio fertur per ſe primo ad corpus Chriſti , non verò ad ſpecies : hæ enim coadorantur ad adorationem Chriſti .

44 DICES . Homo verius eſt Chriſti , quam Hoſtia conſecrata , ſed adorando hominem Latriâ committitur Idololatria ; ergo etiam adorando Hoſtiam . Maj. explicatur . Veriùs eſt Chriſtus in homine , quam ſub Hoſtia : eſt enim homo imago Dei , vas virtutum : immo cum Deus ſit in omni creatura , omnis creatura eſſet adoranda . Sic Wiclephus inſurgit .

RESP. neg. maj. Chriſtus enim in Euchariſtia eſt præſens ſpecialiter , & præſentia reali ille idem omnino , qui eſt in Cœlo , ablata panis ſubſtantia . Homo autem eſt quidem imago Dei , ſed analogica in prædicatis naturalibus , eſt vas virtutum ſi ſit juſtus, ſed non continet Chriſtum realiter : unde non eſt veriùs Chriſti , quam Hoſtia conſecrata .

45 OBJIC. III. Si liceret adoratio Euchariſtiæ , liceret ejuſdem proceſſionalis circumgeſtatio , ſed hæc non licet ; ergo . Minor explicatur . Diſplicuit Deo circumgeſtatio Arcæ fœderis , quam quia in caſtra adduxit in ſignum protectionis, populus Hebræus diſſipatus eſt a Philiſthiim , & mortui ſunt Sacerdotes , qui Arcam portaverunt , ipſaque capta eſt . 1. Reg. 4. v. 3. *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini , & veniat in medium noſtri , ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum* . Et cum ingreſſa eſt , plauſus honorifici ſunt ei delati, & tamen v. 10. *Cæſus eſt Iſrael , & fugit unuſquiſque in tabernaculum ſuum : & facta eſt plaga magna nimis* . Sic Kemnitius .

RESP. Retorquendo argumentum . Arca fœderis , quæ erat figura Euchariſtiæ , fuit honorificis congeſtationibus excepta , & placuit hoc Deo ; ergo a fortiori poſſunt honores deferri Euchariſtiæ , quæ eſt veritas. Ant. habetur 2. Reg. 6. v. 5. , ubi deſcribitur ſolemnitas tranſlationis Arcæ a domo Abinadab in domum Obededom Gethæi . *David autem , & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis , & citharis &c. Et ſiſtris , & cymbalis* . 3. Reg. 8. v. 5. Defertur Arca de Civitate David in Templum Salomonis : *Et omnis multitudo Iſrael , quæ convenerat ad eum , gradiebatur cum illo ante Arcam , immolabant oves , & boves abſque æſtimatione , & numero* . Sic Joſue 6. Cauſa ergo cur fuerit cæſus populus , fuerunt ejuſdem peccata ; & præcipue filiorum Sacerdotis Heli , Ophni , & Phinees . Peccatum enim eorum erat grande coram Domino ; ideo per Samuelem revelavit Patri , quod una die perituri fuiſſent ambo . 1. Reg. 2. , & 3. cap. v. 13. Ceterum Arca præſente victorias de hoſtibus reportaſſe populum patet 1. Reg. 14. contra Philiſthiim , & 2. Reg. 11. cum Joab vicit filios Amon .

Arca fœderis honore excepta .

46 . DICES . Quamvis licuerint venerationes Arcæ fœderis, quia craſſior tunc erat cultus Dei , tamen nunc non licet ob perfectionem legis , qua ſenſui verborum Sacramentalium attendendum eſt ; diſtrahimur autem iſtis exterioribus ſignis , & adorationibus. Hoc eodem Lutheri paralogiſmo utebantur Beguardi , dicentes — Quod in elevatione „ corporis Jeſu Chriſti non debent aſſurgere , „ neque eidem reverentiam exhibere — viri perfecti , ne ab altiſſima contemplatione diſtraherentur : ut habemus in Concil. Viennenſi ſub Clemente V.

RESP. Satanicam hanc eſſe hypocriſim pro irreverentiis fovendis contra Dominum . Si attendendum eſt ad verba Sacramentalia ; ſenſus ergo percipiendus eſt . Cum igitur verba afferant ibi eſſe corpus Chriſti , proponunt nobis præſentiam ſummi Regis , qui ſumme colendus eſt , igitur excitant adorationem , & affectum erga Chriſtum : non ergo diſtrahunt. Quare optimus eſt uſus, poſt verba ſacra elevandi Sacramentum , ut populus colat Deum , quem præſentem indicant , & faciunt verba conſecratoria . Beguardorum autem ratio Dæmonis erat illuſio . Vera contemplatio fovetur , & inardeſcit ad realem Chriſti præſentiam , ea proportionali ratione , qua Seraphim inardeſcunt coram Domino in Cœlis clare viſo .

Euchariſtia, dum elevatur , adoranda .

47 OBJIC. IV. Veneratio humana , & nova , in Eccleſia Deo exhibita , neceſſario debet eſſe ſuperſtitioſa , ſed hæc eſt hujuſmodi ; ergo . Maj. eſt certa : quia cultus Deo debitus naſcitur cum Religione vera . Min.

ex-

explicatur. Quia antiquitus non erant iſtæ proceſſiones, dies feſti. Honorius III. *cap. Sane de Celebratione Miſſarum* præcipit adorationem, Urbanus IV. ſolemnem diem, & circumgeſtationem.

RESP. Cum Eccleſia nata eſt Euchariſtiæ veneratio, ſicut Patrum teſtimonia demonſtrant. Quædam quidem genera cultus non fuerunt a principio naſcentis Eccleſiæ: nam aliquæ ceremoniæ non poterant convenienter exerceri, Gentilibus nundum totaliter converſis: aliàs ferveſcente pietate non indigebant fideles tot exterioribus ſignis ad excitandam devotionem: ſicut quia nundum obnubilata veritate fidei ab Hæreticorum opinionibus, non erant neceſſaria tot ſigna publica ad proteſtandam ſinceram tanti Myſterii veritatem. Cum ergo his poſtremis ſeculis obſoleverit memoria tanti beneficii, tepuerit pietas, inſurrexerint Hæretici, Romani Pontifices pro reſtauranda veneratione, & obfirmandis fidelibus, ſolemnia feſta induxerunt, & proceſſiones, ut factum legitur a Clemente V. in Concilio Vienneoſi, *Clementina unica de Reliquiis, & venerat. Sanctorum*, ac proinde a Spiritu Sancto proceſſerunt hæc Decreta, cum Concilia ipſe dirigat. Poteſt enim Eccleſia diſponere de ritibus accidentalibus Sacramentorum, prout expediens videbitur ad majorem reverentiam, & utilitatem promovendam. Quare 1. Corinth. 11. v. 34. dixit Paulus: *Cetera autem cum venero, diſponam*, poſtquam aliqua præſcripſerat circa debitam Cœnæ adminiſtrationem. Potuit Synagoga feſtum Sortium Eſther 9. inducere ſine præcepto Domini. Feſtum victoriæ Judith. cap. 16. Feſtum Encæniorum 1. Machabæorum 4., & non poterit Eccleſia Chriſti novum aliquod Feſtum inſtituere in gratiarum actionem pro tanto beneficio, ad commovendum populum ad fructuoſius ſumendum cibum vitæ?

48 OBJIC. V. Divinus Cultus corpori pure organico delatus, non poteſt non eſſe Idololatricus, ſed cultus delatus Euchariſtiæ defertur pure corpori organico; ergo. Min. explico. Illi defertur adoratio, quod præſens eſſe verba ſignificant, ſed hæc ſignificant ſolum corpus Chriſti organicum, ut eſt gradus communis huic, vel illi, & prout diſtinguitur a ſanguine; ergo &c.

RESP. neg. min. Verba formaliter ſignificant corpus organicum, concomitanter totum Chriſtum: unde Joan. 6. v. 55. Dominus pluries dixit: *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam*, ſed dixit etiam v. 58. *Qui manducat me &c. vivet propter me*, quia ibi non eſt ſola caro, ſed totus Chriſtus: quod indicat pronomen illud *meum*; determinat enim ad Corpus Chriſti, unde adoratio toti Chriſto defertur.

Euchariſtiæ veneratio ab primordiis Eccleſiæ.

Totus Chriſtus adoratur.

49 INSTABIS. Modus, quo & formaliter, & concomitanter exiſtit, indicat non deberi adorationem; & eſſe contra mentem inſtitutionis. Ibi enim eſt ad modum ſubſtantiæ inviſibilis, ſeclulo proprio modo eſſendi ſub propria forma, ex quo dicimus ut hominem per ſenſus nihil operari: ex quo ergo pariter non utens ſuo modo proprio eſſendi naturali occultet Majeſtatem ſuam, non vult adorari. Certe ſi Rex exiret taliter occultus, ut formam ſervi indueret, proprium modum eſſendi deſerens, eſſet ſignum manifeſtum, quod nollet honorari ab obviam euntibus.

RESP. neg. ant. Non eſt quidem ibi Chriſtus modo naturali, eſt tamen ibi totus, qui eſt ſub modo naturali. Nec modo Sacramentali utitur, ut Majeſtatem deprimat, ſed ut ſe aptet in cibum ſalutis: quod pignus amoris debet majorem excitare venerationem; cum demitemur tantam Majeſtatem hæc artificia inveniſſe, ut nos viſitet, & paſcat. Inviſibiliter eſt præſens, ſed fide inviſibili dirigitur cultus. Non operatur ſenſibus; quia eorum opera, & actus ſequuntur eſſentialiter naturaliter ad extenſionem localem; adorabilitas autem fundatur in excellentia abſoluta Chriſti. Rex occulte, & amicabiliter ingrediens ad amicum, a quo agnoſcatur, debita excipitur veneratione.

CONTROVERSIA V.

AN CHRISTI CRUX ADORANDA SIT.

HUmani generis hoſtis ſanctæ Crucis ligno victus, ignominiam non patiens, quotquot potuit, inimicos Crucis excitavit, omnemque movit lapidem, ut ejus deleret memoriam, deturparet gloriam, proſcriberet venerationem. Triplex eſt Crux, de qua difficultas occurrere poteſt, Realis, in qua Chriſtus pependit; exemplata, ſcilicet, imago Crucis veræ, lapide, aut pictura, aliaque materia expreſſa, uſualis, ſcilicet, Crucis Signum, quod manu formamus ſupra pectus, frontem &c. In præſenti Controverſia loquimur de Cruce reali Chriſti; & quamvis videatur pertinere ad Diſputationem de Reliquiis; nihilominus cum pertineat ad Chriſtum, recte connectitur cum præcedentibus; quod & facit Angelicus Doctor *quæſt. 25. 3. p.*

Inſignem Sanctæ Crucis hoſtem ſcribit Cyrillus Alexandrinus *lib. 6. in Julianum*, fuiſſe Julianum, miſeros appellantem homines lignum Crucis adorantes, imagines ejus pingentes, & in fronte geſtantes. Mahometani Idololatras vocant Chriſtianos, Crucis adoratores. Exceſſit inter alios Claudius Taurinenſis Epiſcopus, & hujus hæreſis Patronus ſimul cum Heraclio (ut ait Cedrenus) proclamatur. Sic Jonas Aurelianenſis *lib. primo de cultu Imaginum*, *anno* 800. Sub eodem tempore apud Orientales adorationem Cruci denegabant Paulaciani, a quodam Paulo ſic dicti, ut fert Euthymius *in Panilopia p. 2. tit. 21.* Hunc eundem errorem ſecutus eſt Petrus Bruis, a quo Petrobruſiani, ſicut refert Petrus Cluniacenſis an. 1150. *Epiſt. prima ad Epiſcopos*. Veſtigia eadem calcavit Wiclephus apud Waldenſem *Tom. 3. tit. 20. cap. 158.* Calvinus *lib. primo Inſtitut. cap. 11. §. 7.* Beza *in Colloquio Mompilgardenſi*. Joannes Brentius *in Cathechiſmo circa Symbolum Apoſtolorum*. Magdeburgenſes *Centuria 4. cap. 4.* Lutherus *lib. de formula Miſſæ* anathema di-

Heretici hoſtes Crucis.

cit

ciı Feſto Sanctæ Crucis. Uno Verbo omnes Sectarii. His accedunt Armeni, qui Crucem non venerabantur, niſi prius eam lavarent, & ſanguine ſacrificii ungerent, & clavum in ea figerent; antea rem immundam arbitrabantur. Sic apud Euthymium *Tit.* 20. *Panoplo. cap.* 14. Ex adverſo Fauſtus Manichæus dixit omnem arborem eſſe venerandam ob Chriſti Crucis memoriam, onde Diſcipuli ejus in omni arbore Chriſtum colebant, & ob reverentiam non audebant fructus colligere. Sic Auguſt. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 11. Waldenſis *tom.* 3. *cap.* 160. His præmiſſis Controverſia principaliter inquirit de Cruce vera Chriſti abſolute, an ſit adorabilis.

Dicendum lignum Crucis eſſe adorandum.

50 PROB. I. Quod Deus ſingulariter honoravit, eſt a nobis honorabile, ſed mirabiliter Deus honoravit Crucem; ergo a nobis eſt honoranda. Min. explicatur. Ligno Crucis uſus eſt Chriſtus, ut glorioſum triumphum reportaret de Diabolo, ad Coloſſenſes 2. v. 14. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* In Cruce ergo duo fuerunt crucifixi, Chriſtus viſibiliter, Diabolus inviſibiliter; ille victor, hic victus, ut Orig. ait *Hom.* 9. *in Joſue.* Et licet victoriam per ſeipſum reportaverit Chriſtus, non tamen ſine ligno, ut ex 1. Petri *cap.* 2. *v.* 24. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Inſtrumentum ergo inſignis victoriæ Crux eſt: cur ergo non veneranda? Si enim triumphalia vexilla Victores Principes geſtant, auro, gemmiſque ornant: quare honorandum non erit vexillum illud, quo potentior hoſtis Chriſti eſt debellatus? quodque in ſignum victoriæ portabunt Angeli ante Dominum die Judicii? *Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cælo.* Matth. 24. v. 30. Videatur Sanctus Joannes Chryſoſt. *Serm. de Cruce, & Latrone.*

Per Crucem Chriſtum triumphavit.

Illuſtratur argumentum I. Non poteſt non niſi eſſe glorioſa, & veneranda ſcala, & thronus quo ad ſuam glorificationem aſcendit Chriſtus, ſed Crux fuit ſcala, qua ſuam gloriam eſt aſſecutus Chriſtus, Joan. 12. v. 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipſum (Hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus.)* Ad Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen &c.* Adoratio nominis Chriſti per univerſum Orbem delata, converſio Gentilitatis &c. Chriſto ſeceſſit ex morte Crucis: Crux ergo non poteſt non eſſe glorioſa, & veneranda. 1. Reg. 21. Gladius, quo David percuſſit Philiſtæum, honoratus fuit, cum pallio ornatus repoſitus fuerit per manus Sacerdotis poſt Ephod, & non erit veneranda Crux, qua Princeps hujus mundi ejectus eſt, & qua gloriam ſibi Dominus acquiſivit? -- Nam ſi eorum, quo-
„ rum amore flagramus, & domus nobis
„ chara eſt, & lectus, & veſtis: quanto ma-
„ gis ea, quæ Dei, ac Salvatoris ſunt, per
„ quæ nobis ſalus parata eſt? -- ait Damaſc. *lib.* 4 *fidei Orthod. cap.* 12.

II. Non poteſt non niſi eſſe glorioſum Altare, ſupra quod peractum eſt perfectius, & excellentius Sacrificium Deo noſtro ſuper omnia gratiſſimum, ſed Crux fuit Altare, ſupra quod obtulit Chriſtus ſeipſum in hoſtiam Deo, acceptabilem præ omnibus holocauſtis Taurorum, & Hircorum, ad Coloſs. 1. v. 20. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in Cælis ſunt.* Et ad Hebr. 7. Igitur venerabile eſt Crucis lignum. Si enim in æſtimatione erat Altare propitiationis apud Hebræos, multo magis apud fideles eſſe debet Ara Crucis.

Crux altare Sacrificii.

III. Eadem ratio eſt de Cruce, ac de ſepulchro, immo a fortiori. In ſepulchro enim ſtetit ſolum mortuus Chriſtus Dominus, in Cruce verò vivens fuit, perfectiſſimos actus virtutis exercens, & puriſſimo charitatis affectu ſanguinem fundens pro populo, & etiam mortuus, in ea aliquoaliter moratus eſt, ſed Chriſti ſepulchrum eſt venerandum, Iſaiæ 11. v. 10. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Et expreſſe de ſepulchro Chriſti loquitur; ly enim *ejus* eſt relativum ad radicem Jeſſe; hæc autem eſt Chriſtus, ut explicat Paulus ad Roman. 15.; & ideo *ad Marcellam Epiſt.* 17. Hieronymus habet -- Venerabuntur Judæi
„ propitiatorium, nonne tibi videtur venera-
„ bilius ſepulchrum Chriſti? Quod quotieſ-
„ cunque ingredimur, jacere cernimus in
„ ſyndone Salvatorem --

51 PROB. II. Crux Chriſti realis non ſolum repræſentat nobis Chriſtum in ea extenſum, ſed etiam reali contactu tetigit Chriſtum, ſed ea hoc contactu recepit aliquam ſanctificationem, & dignitatem; ergo reddita eſt adorabilis, & veneranda. Min. explicatur, quo major eſt vis ſanctificativa, eo magis eſt ſui diffuſiva, ſed ſanctificativa virtus Chriſti erat maxima; ergo maxime diffuſiva; ergo ex adhæſione phyſica ad lignum ſanctificationem eam, qua capax erat, excepit. Hinc purpura Regis ex contactu dignitatem aliquam induit, hinc locus, in quo Angelus apparuit Joſue, Sanctus dictus eſt. Joſue 5. v. 16. *Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, Sanctus eſt.* Quod ſimiliter habetur Exodi 3. ubi Dominus in Rubo apparuit Moyſi. Hinc ſudaria, quibus utebatur D. Paulus, ex contactu ſanctificationem aliquam induerant: unde Dæmones ejiciebant: *Ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Act. 19. v. 12. Quanto magis ea contactu ſacratiſſimi Corporis Chriſti, ex quo teſte Scriptura: *Virtus exibibat, & ſanabat omnes?* Et ſi aer ipſe quodammodo ſanctificatus eſt Chriſti crucifixione, ut docet Chryſoſt. *Homil. de Cruce, & Latrone*, citatus a D. Thom. 3. *p. q.* 46. *art.* 4. *in C.*, ubi ad illa verba Joan. 3. *Oportet exaltari filium hominis*, ait --
„ Exaltati audiens, ſuſpenſionem intelligas
„ in altum, ut ſanctificaret aerem, qui ſan-
„ ctificaverat terram ambulando in ea -- ita
„ &

Crux contactu Chriſti ſanctificata.

& lignum Crucis genus quoddam recepit ſanctificationis. Hoc argumentum tetigit Damaſcen. *lib.* 4. *cap.* 12. -- Hoc lignum ve-„ nerandum, & ex tactu Sancti corporis, & „ ſanguinis ſanctificatum, optimo jure ado-„ rari debet; claviqoe item, & lancea, & „ indumentom, ac Præſepe --

52 PROB. III. Niſi Crux eſſet digna veneratione, ſpeciali providentia, & motione inventa non foret, miraculis, & plauſu fidelium manifeſtata, ſed hoc modo fuit inventa; ergo ſignum eſt, eam voluiſſe Deum honorare. Min. prob. Euſebius *in Chronico, edit. Baſil.* 1587. ſcribit -- Anno Domini 329. „ Imperii Conſtantini 16. Helena Conſtan-„ tini mater, Divinis monita viſionibus, Bea-„ tiſſimæ Crucis ſignum, quo ſalus mundi „ pependit apud Jeroſolymam reperit -- Socrates *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 13. -- He-„ lena, Conſtantini mater, in ſomnis divi-„ nitos admonita, Jeroſolymam iter cœ-„ pit &c. Deo illi opem ferente &c. tres Cru-„ ces in monumento offendit &c. -- & narrata tota Hiſtoria concludit -- Ad hunc mo-„ dum lignom Crucis Chriſti inventom eſt -- Idem Sozomenus *lib.* 2. *Eccleſiaſt. Hiſtoria cap.* 18. Juſtinianus Imp. *in autentica de Moderatore Helenop. cap.* 1. -- Helena, Conſtantini „ Magni mater, pientiſſima mulier nobis ſa-„ crum Chriſtianorum ſignum invenit -- Cyrillus Jeroſolymit. *Epiſt. ad Conſtantium Auguſtum* de ſigno Crucis in Cœlo apparente -- „ Tempore Deo dilectiſſimi, & Beatæ me-„ moriæ Conſtantini Patris toi, ſalutare „ Crucis lignum Hieroſolymis repertum eſt, „ Divina gratia concedente ei, qui recte „ quærebat pietatem, etiam abſtruſam loco-„ rum ſanctorum inventionem &c. -- *Edit. Colonienſi* 1564. S. Ambroſius in eandem inventionem referens *Orat. funeb. in obitu Theodoſii*, ait -- Quod illa Sanctæ memoriæ He-„ lena mater ejus, infuſo ſibi Spirito Sancto „ revelavit &c. -- *Edit. Baſil.* 1596. Idem tradunt Ruffinus *lib.* 12. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 7. Eutropius *lib.* 11. *rerum humanarum*. Paulinus *Epiſt.* 11. *ad Severum*. Sulpitius *lib.* 2. *Sacra Hiſt.* Theodoretus *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 18., & alii, quorum aliqui miracula patrata referunt, ſcilicet, per Macarium Epiſcopum duabus primis Crucibus applicatis mulieri infirmæ, & deſperatæ, nihil proficientibus, applicatam fuiſſe tertiam, & illico ſanata eſt; nec ſolam mulierem, ſed & virum mortuum vitæ redditum fuiſſe eodem tempore, teſte Paulino, Severo *lib.* 2. *Sacra Hiſt.*, & Sozomeno citatis.

Crux inventa ad venerationem.

Eo loco dua illa ſunt ponderanda. Primum quod licet Judæis inviſum eſſet Crucis lignum, nihilominus, Deo providente, non illud flammis dederunt, vel aliter deſtruxerunt. Curaverunt tamen in altiſſima fovea defoſſa, abolere memoriam, & Gentiles ad eundem finem falſorum Deorum Statuas ſuperimpoſuerunt. Sed fruſtra: unde *Orat. cit.* habet Ambroſ. -- Aperit (*Helena*) hu-„ mum; decotit pulverem, tria patibula con-„ fuſa reperit, quæ ruina contexerat, ini-„ micus abſconderat, ſed non potuit obli-„ terari Chriſti triumphus -- Secundum eſt illo tempore fuiſſe ſacram Crucem inventam,

quo libertatem Religio Chriſtiana eſt conſe-
A cuta, completis jam Gentilium perſecutionibus, quod innuit Conſtantinus Magnus *Epiſt. ad Macarium*, relata ab Euſebio *lib.* 3. *de vita Conſtantini cap.* 29. *edit. Baſil.* 1587. -- Tanti „ Servatoris noſtri erga nos benignitas decla-„ rata eſt &c. Nam ut inſigne illud ſanctiſ-„ ſimæ illius paſſionis monumentum, quod „ terræ viſceribus abſconditum, tot, tam-„ que multis annorum converſionibus jam „ delituiſſet, tum illuceſceret ſervis Dei, „ cum illi, hoſte devicto, in libertatem eſ-„ ſent vindicati, omniom profecto hominum „ admirationem longe ſuperat -- Ex quibus patet, prava malitia Centuriatorum, qui,
B ut evertereot venerationem Sanctæ Crucis, in dubium inventionem revocarunt *Centur.* 4. *cap.* 10. duobus hiſce futilibus momentis. Primum orationem illam D. Ambroſii non eſſe tanti Doctoris (ex poſtilla quadam Eraſmi) cumque Ambroſius ſit omnibus antiquior, ejus auctoritate notatore, totom ruit. Sed in primis auctoritas Eraſmi non premit. Secundo. Ipſimet Centuriatores ſibi contradicunt nam in vita S. Ambroſii *eodem cap.* aſtruunt, eſſe partum legitimom Doctoris, adhuc ex ſententia Eraſmi. Tertio. Errant antiquiorem omnibus Ambroſiom facientes: Cyrillus enim, & Euſebius citati ſunt antiquiores,
C ſuntque alii plures coætanei. Secundus Cavillus eſt. Euſebius nihil dixit de hac re in vita Conſtantini: ſi verò dictum ſubſiſteret, injuriam ipſi feciſſet reticendo tam illuſtre factum. At ſufficit mentionem feciſſe *in Chronico, & in vita cap.* 25. 26. 27. narraſſe, purgationem feciſſe ſacratiſſimi Sepulchri a pulvere, ſordibus, & ſimulacris Veneris, ut intelligamus intentum fuiſſe Imperatorem propagationi venerationis inſtrumentorum paſſionis Dominicæ.

53 PROB. IV. Teſtimonio antiquitatis conſtat particulas ſacratæ Crucis in maximo pretio fuiſſe habitas. Cyrillus Jeroſol. *ca-*
D *tech.* 4. -- Beatus hic mons Golgotha, in „ quo nunc propter eum, qui crucifixus eſt „ in illo, applaudimus, & ſigno Crucis uni-„ verſus terrarum orbis partes repletus eſt -- Chryſoſtomus *Homil. Quod ſit Deus* -- Tanta „ veneratione illud lignum habetur, ut qui „ parum ex illo habere poſſunt, auro inclu-„ dant, & cervicibus imponant -- Alia ſubdit clariora. Ambroſ. *Orat. in Theodoſ.* -- Sa-„ pienter Helena egit, quæ Crucem in ca-„ pite Regum levavit, ut Crux Chriſti in „ Regibus adoretur. Non inſolentia iſta, ſed „ pietas eſt, cum defertur ſacræ Redemptio-„ ni -- Quibus reprimit temeritatem Centu-
E riatorom accuſatorium Helenam tanquam ſuperſtitioſam, eo quod Jeroſolymam iverit, quæſitura Crucem. Pietas hæc eſt, non inſolentia. Superſtitio non eſt, quod dictat Sanctus Spiritus -- Infudit ei ſpiritus, ut li-„ gnum Crucis requireret -- ibidem ait Ambroſ. Crux, de qua loquitur, Helenam dediſſe Conſtantino, ut ſecum ferret, non eſt tota, ſed pars, videlicet, Clavus, ut infra explicat -- Clavus in honore eſt &c. -- Socrates *lib.* 1. *cap.* 13. -- Helena &c. unam „ Crucis partem in theca argentea occluſam „ pro monimento iis, qui illius ſpectandi

Particulæ Crucis magno in honore.

Fff „ cupi-

„ cupiditatem ducerentur, ibi reliquit; al-
„ teram mittit Imperatori, quam ubi is re-
„ ceperat, ratus Civitatem, in qua illa ſer-
„ varetur, omnino ſalvam, & incolumem
„ fore &c. -- Hieronym. *epiſt.* 17. ſub nomi-
ne Euſtachii, & Paulæ *cap.* 8. -- Ergo ne
„ erit illa dies, quando nobis liceat ſpelun-
„ cam Salvatoris intrare? In ſepulchro Do-
„ mini flere cum ſorore, flere cum matre,
„ Crucis deinde lambere lignum? -- *Edit. Pariſ.* 1580.

Ruffinus *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 8. --
„ Clavos (*Helena*) quibus Corpus Domini-
„ cum fuerat affixum, portat ad filium &c.
„ Ligni verò ipſius ſalutaris partem detulit
„ filio; partem verò thecis argenteis condi-
„ tam dereliquit in loco, quæ etiam nunc
„ ad memoriam ſollicita veneratione ſerva-
„ tur -- *Edit. Colon.* 1618. Paulinus Nolanus
epiſt. 11. Bibliotheca Patrum *tom.* 5. *parte* 1.
ad Severum -- Inventa, & probata Crux Chri-
„ ſti eſt, dignoque mox ambito conſecratur,
„ condita in paſſionis loco Baſilica, quæ au-
„ ratis coruſca laquearibus, & aureis dives
„ Altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem
„ ſervat, quam Epiſcopus Urbis ejus quot
„ annis, cum Paſcha Domini agitur, ado-
„ randam populo, Princeps ipſe venerantium
„ promit: Inventa, & probata Crux -- Quia
licet dignoſceretur ex titulo, ut aſſerit S. Am-
broſius *orat. prædicta*, & Chryſoſtomus *hom.*
84. *in Joan.* tamen non omnino perfecte, &
proinde ad omnimodam ſecuritatem, & ca-
villos præcavendos, miracula expectata ſunt.
De hoc & Ruffinus habet -- Aderat quidem
„ & titulus; ſed neque ipſe ſatis evidenter
„ prudebat ſigna patibuli. Hic jam humanæ
„ ambiguitatis incertum, Divinum flagitat
„ teſtimonium -- Gregorius Magnus *lib.* 7.
epiſt. 126 Reccaredo Regi Hiſpaniarum par-
ticulam Crucis tranſmiſit, velut theſaurum.
Macrina ſoror Sancti Gregorii Niſſeni, ut
ipſe teſtatur in ejus vita, conſuevit Crucem
argenteam ad collum deferre, in qua erat
particula Crucis.

Omitto alia exempla, & miracula ſpar-
ſim in Orbe patrata a particulis Sanctæ Cru-
cis. Sufficiat afferre uſum communem Ec-
cleſiæ, quæ exaltationem Sanctæ Crucis, &
feſtum diem celebrat ſolemni ritu, non ab
heri, & hodie, ſed a primis ſeculis; unde
Andreas Cretenſis, qui ſexto ſeculo floruit
Orat. de pretioſa Crucis Exaltatione cap. 11.
dicere potuit -- Crucis Exaltatio, quæ eſt
„ magna, & ſuper mundana, & ejus inven-
„ tio non temere celebratur in Dei Eccleſiis,
„ quæ ſunt in univerſa terra -- D. Chryſo-
ſtomus duas Orationes ſcripſit de Sancta Cru-
ce. In una ex his, quæ incipit: *Quid dicam?*
ait -- Nos feſtivitatem nimia lætitia celebra-
„ mus, ut diſcamus Crucem, totius ſpiri-
„ tualis conſolationis eſſe ſubſtantiam. Ete-
„ nim ante ipſum vocabulum Crucis, pœna
„ fuit, ſed nunc ad gloriam nuncupatur --
& plurima encomia recitat, fidemque con-
firmant Ado, & Beda *in Martyrologio*. Ve-
nerandam eſſe Crucem tradit Photius *in epiſt.*
ad Michaelem Bulgarorum Principem, quæ eſt
de ſeptem Concil., & habetur *tom.* 3. *Con-
cil.* de ſeptimo loquens, ait -- Sic venera-

Sub Eccle-ſiæ primordiis Crux exaltata.

„ bilem Crucem adoramus, in qua Domini
„ corpus eſt extenſum, & ſanguis ille, quo
„ mundus univerſus purgatus eſt, emanavit --
Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarorum cap.* 7.
„ Igitur Crucem Domini, paſſionem ejus
„ venerantes, oſculamini, & pro ejus amo-
„ re, ſi neceſſitas exigit, eadem cogitatione
„ armamini. Portate eam, ſed ſumma ve-
„ neratione, & corde mundiſſimo -- Si Fi-
delium teſtimoniis fidem nolunt contumaces
Sectarii præſtare, præſtent ſaltem Gentilibus,
Sibyllæ videlicet, quæ cecinit -- O lignum
„ felix, in quo Deus ipſe pependit! Nec te
„ terra capit, ſed Cœli tecta videbis. Cum
„ renovata Dei facies ignita micabit --

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

54 OBJIC. I. Ideo Crux eſt adoranda, quia ſanctificata, & dignificata eſt reali Chriſti contactu, ſed hoc eſt falſum; ergo Crux non eſt adoranda. Prob. min. Licet. Muliere Cananæa tangente, virtus exierit, tamen turba comprimente nulla exiit; ergo ex eo, quod Crux Chriſtum tetigerit, non colligitur fuiſſe ſanctificatam, & ſi vim aliquam recepiſſet, non inde eſt adoranda; ſicut non eſt adoranda umbra Petri, quæ infirmos ſanabat. Ita Jacobus Rex.

RESP. neg. min. Ad cujus probationem advertenda eſt æquivocatio. Quando enim dicimus Crucem fuiſſe ſanctificatam, nolumus propter hoc dicere virtutem aliquam phyſicam recepiſſe. Hæc enim non eſt neceſſaria, licet forte fuerit etiam communicata ad patranda miracula, ſed dicimus dignitatem aliquam, & excellentiam moralem extrinſecam fuiſſe communicatam, ratione cujus reddita eſt venerabilis, in cujus ſignum Deus per ipſam fecit prodigia, quibus illam honoravit. Turba comprimente nulla virtus exiit, quia nullum patravit miraculum, circa eam, ſicut circa Mulierem. Umbra verò Petri adoranda non eſt, cum nihil ſit, ſed pura carentia, incapax excellentiæ permanentis, licet potuerit deſervire tranſeunter ad patranda miracula.

Quæ virtus Cruci a Chriſto communicata.

55 DICES. Venter, qui Chriſtum portavit, nullam dignitatem venerabilitatis recepit; ergo neque Crux. Ant. prob. Mulieri clamanti: *Beatus venter, qui te portavit*, reſpondit Jeſus: *Quinimo beati, qui audiunt Verbum Dei &c.*, quibus manifeſte docet nullam ſanctificationem recepiſſe ex contactu.

RESP. neg. ant. Nec urget probatio. Reſponſio Chriſti tendit ad demonſtrandum, principalem ſanctificationem hominibus intrinſecam provenire ex inhabitatione intrinſeca Dei in anima, media fide formata; & quod Virgini nuda dignitas Matris nil profuiſſet, ſi gratiâ caruiſſet. Ceterum non negavit excellentiam Maternitatis. Hic ſenſus litteralis eſt, ſunt & alii Myſtici, de quibus Sancti Patres.

56 INSTABIS. Non minus labium Judæ, manus Malchi (ut quidam ferunt) per-

percutientis, dorſum Aſelli, cui inſedit die Palmarum, Chriſtum tetigerunt, quam lignum Crucis, ſed hæc nullam dignitatem moralem adorabilitatis receperunt (hæc enim adorare irriſorium eſt) ergo neque lignum Crucis. Sic Claudius Taurinenſis, & Wiclephiſtæ.

Ut inſtantia diſſolvatur, advertendum eſt, non quemlibet contactum excellentis refundere excellentiam, quia non quilibet fit ab excellenti qua tali. Sicut in moralibus, non quælibet ratio perſonæ, vel loci tribuit operi bonitatem, vel malitiam. Quod Sacerdos furetur, non eſt ſpecialis malitiæ, quod verò rem habeat cum muliere, ſpecialis malitiæ eſt. Dantur ergo quædam actiones, quæ reflectunt ſupra ſuppoſitum, & aliæ non.

Actiones quædã reflectunt ſupra ſuppoſitum.

Primi generis induunt ſpecialem habitudinem ad perſonam, ſecundi generis nequaquam. Ambulare, comedere, ſolvere debita, adire Eccleſiam, non differunt in æſtimabilitate, ſive fiant a Rege, ſive ab alia ordinaria perſona. Lavare verò pedes, petere veniam, & ſimilia exercitia in Rege important æſtimabilitatem moralem, quam non important in viro inferioris conditionis; & hæ actiones dicuntur reflexivæ. Et quia cauſa principalis, & inſtrumentum integrant unum adæquatum principium, fit, quod hæc reflexio debeat fieri ſupra totum, ac proinde ſuper inſtrumenta aſſumpta a cauſa principali cum proportione.

Nunc applicando doctrinam ad caſum noſtrum. Cruci affixio tum ratione maximè pœnalitatis, tum ratione maximi opprobrii, eſt valde reflexiva ſupra Majeſtatem Divinæ perſonæ, fuitque ſummi valoris, cum fuerit conſummatio Redemptionis, ac proinde ſicut paſſio illa fuit ratione reflexionis ſpecialiter valorata, ita Crux, quæ fuit inſtrumentum aſſumptum a cauſa principali, ex eadem reflexione fuit ſpecialiter dignificata. Secus accidit de labio Judæ, & manu Malchi; quia non fuerunt aſſumpta a Chriſto, ut propria inſtrumenta, ſed deſerviebant Judæ, & militi ut inſtrumenta animata, ſuis ſuppoſitis ſubordinata; unde non eſt facta ſpecialis reflexio, nec ſpecialis habitudo orta eſt.

57 DICES. Judas, & miles, dum proprio incubuerunt ſceleri, famulati ſunt Redemptori, & quidem cum reflexione ſupra ſuppoſitum. Nam tradi a diſcipulo oſculo pacis, & percuti ab homine, qui recenter fuerat a vulnere ſanatus, ſunt circumſtantiæ referentes ſpecialiter habitudinem ad dignitatem perſonæ, unde de primo conqueritur in perſona Pſalmiſtæ, quod fuerit traditus ab eo, qui erat dilectus, & dulces ſecum capiebat cibos. De ſecundo pariter dicens: *Cur me cædis?* Quod non fecit decurſu totius paſſionis.

RESP. Eos famulatus fuiſſe præciſe ordine extrinſeco, & per accidens, non verò intrinſece, & per ſe. Sicut in prædeſtinatione electorum peccata ſunt effectus prædeſtinationis, ideſt conducunt ad effectus prædeſtinationis per accidens ab extrinſecu, ſecus aliæ; hæc enim vel mediate, vel immediate per ſe ordinantur, ita in caſu. Crux eſt electa per ſe a Chriſto, licet etiam fuerit a Judæis applicata ad malum finem, ſed potuit æque aſſumi per ſe a Chriſto, cum ſit inſtrumentum ſeparatum, labia verò, & manus ſunt inſtrumenta conjuncta, propria ſui ſuppoſiti, onde per ſe primò non poſſunt aſſumi, niſi a proprio ſuppoſito. Quod patet etiam ex eo, quod licet membra externa non ſint capacia malitiæ formalis, tamen a malitia interiori ita denominantur mala, ut complemento eſſentiali compleant, & integrent culpam unam, aperiendam in confeſſione, quod non accidit in inſtrumentis ſeparatis. Dicunt ergo inſtrumenta conjuncta ſpecialem proprietatem cum ſuppoſito, in quo eâdem animâ informantur, ſecus ſeparata; unde poſteriora potuerunt a Chriſto ſpecialiter aſſumi ut propria inſtrumenta, ſecus priora; adeoque reflexio ſpecialis contactus non cadit ſuper labium, & manum, ſecus ſupra Crucem.

58 INSTABIS. Terra, quam Chriſtus calcavit, eſt adoranda, ſed ſuper eam non eſt facta reflexio prædicta, ſed purus contactus; ergo cum hic fuerit in labio Judæ, urget adhuc difficultas. Maj. explicatur. Auguſtinus *lib. 22. de Civitate Dei cap.* 8. ſcribit, terram allatam ex Calvario in Africam miracula patraſſe, illamque cum altero Epiſcopo loco decenti repoſuiſſe, & locum orationis ſuperimpoſuiſſe.

RESP. Terra a Chriſto calcata in proprietate ſermonis non eſt adoranda, quia non eſt ibi ſpecialis contactus, ac proinde excellentior dignitas. Terra, de qua Auguſt. habet ſpecialem habitudinem ad Chriſtum, cum Golgotha fuerit inſtrumentum ſpecialiter electum, & terra illa guttulis ſanguinis fuerit reſperſa. Ex quo patet etiam, quod objecta a Chriſto viſa prout in ſuo eſſe naturali nullam dicunt dignitatem adorabilitatis; quia viſio pure naturaliter tendit in objecta, nec ea objecta fuerunt modo ſpeciali aſſumpta ad finem Redemptionis.

59 Ad illud de Aſina non deſunt Theologi, qui concedunt poſſe adorari, ſi fide ſincera dirigatur intentio; & ſignum ſubjectionis feratur in Chriſtum. Plauſibilis eſt opinio in ſcholis, quod Verbum Divinum potuerit aſſumere quamcunque naturam creatam, completam, irrationalem; & ut dicit Tertullianus *lib. de carne contra Marcionem cap.* 4. carnem de Lupa, vel de Vacca: quo caſu abſque dubio debuiſſemus adorare lupam, & ratione communicationis Idiomatum Deus dictus fuiſſet lupus, & lupus Deus, abſque ulla repugnantia ex parte Dei, a cujus ſumma perfectione diſtat quælibet creatura infinite. Niſi fides Deum poſſe naſci, mori, Cruci affigi dictaret, quis id crederet?

Sed dicendum eſt, quod non proponeret Eccleſia, nec proponendum eſſet animal illud, ſi extaret, adorationi; etiamſi Sancti Patres in uſu illius habito a Chriſto pro illo ſolemni ingreſſu in Civitatem plurima agnoſcant myſteria, tum ad fidem, tum ad bonos mores inſtruendos. Et planum eſt Dominum ſpeciali reflexione ſeſſionem illam elegiſſe, & ordinaſſe ad finem Redemptionis; ex quo ſpecies quædam extrinſecæ venerabili-

tatis deſcendit ad illud animal. Si enim equus, cui inſedit Joannes I. Conſtantinopolim, noluit amplius Dominum ſuſcipere, ex quo Chriſti Vicarium portaverat; quanto magis Aſinam illam, qua Chriſtus ipſe uſus eſt, impreſſionem quandam venerabilitatis recepiſſe dicendum eſt. Ratio verò cur adoranda non eſſet, ab indecentia oritur. Animal hoc ſecundum communem hominum notionem reputatur vile, & abjectum, ita quod ad ignominiam aſſumatur, & in Scripturis a ſacrificiis, & oblationibus excluditur, Exodi 13. v. 13. *Primogenitum Aſini mutabis ove.*

Quædam ob indecentia nõ adoranda.

Gentiles, ex uſu Aſinorum non infrequenti apud Hebræos, fabulas induxerunt ad eos irridendos, quos & Aſinos pro Deo adorare confinxerunt; & ſimiliter, quia primi Chriſtiani ab Hebræis ortum duxerunt, conſimili contumelia eos afficiebant. Legimus apud Tertullianum *cap.* 16. *Apologiæ* Pictorem quendam ex Gentilibus Onochitem efformaſſe Aſininis auribus inſtructum, altero pede ungulatum, librum geſtantem, togatum, cum lemmate: *Hic eſt Deus Chriſtianorum*: Quod apud Minutium Felicem Cæcilius objicit Octavio. Habemus apud Epiphanium *hær.* 62. Gnoſticos Domino Sabaoth dediſſe formam Aſini, ex eo quod Geneſis 49. v. 11. dicitur: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, Aſinam ſuam*, quibus conſtat non eſſe decens quod Aſinæ, quæ Chriſto deſervivit, adoratio tribuatur. Licet impoſſibilem non credat D. Thom. aſſumptionem creaturæ irrationalis a Verbo, docet tamen non eſſe congruum: 3. *Sent. diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. A fortiori intelligendum eſt de Aſino, & ratione proportionali de ejuſdem adoratione. Quæ doctrina extendi debet ad alia ſimilia, in quorum adoratione indecentia apparet, vel emanat,

60 OBJIC. II. Adoratio debetur excellenti, ſed Crux non dicit excellentiam; ergo Cruci non debetur adoratio. Minor explicatur. Excellentia opponitur ex æquo opprobrio, ſed Crux fuit inſtrumentum maximi opprobrii, Deuter. 21. v. 23. *Maledictus a Deo eſt, qui pendet in ligno*; ergo. Hæc ex Petrobruſianis.

RESP. neg. min. Licet Crux, ut a Judæis aſſumpta, ſit inſtrumentum doloris, & ignominiæ; tamen ut electa a Chriſto eſt inſtrumentum glorificationis, & maximæ victoriæ, ad Phil. 2. v. 8. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & ex hac parte importat excellentiam -- Nec ſine cauſa „ Crucem potius, quam aliud inſtrumentum „ mortis elegit -- ait Auguſt. *epiſt.* 120. *cap.* 26., quia in ea includuntur plurima myſteria, ut apud Patres legere eſt.

61 DICES. Nullus filius probatæ pietatis honorat patibulum, in quo pater obiit, ſed fideles ſunt filii Chriſti; ergo non debent adorare patibulum, in quo Chriſtus Pater obiit.

RESP. Si Pater obiit ob patrata ab ipſo crimina conceditur: ſi verò obiit libere pro Patriæ liberatione, unde orta ſit familiæ nobilitas, neg. tunc enim repetitis oſculis amplectuntur ſuplicii inſtrumentum. Hic eſt
A caſus. Innocens Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit pro ſalute humani generis, ut ab ignobilitate, & ſervitute peccati univerſos redimeret: unde & Chriſto glorificatio, & Eccleſiæ honor, & utilitas orta eſt, dicente Paulo 1. ad Corinth. 1. v. 18. *Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, Dei virtus eſt.* Pereuntes ſunt Hæretici, ideo eis ſtultitia Crucis myſterium.

Patris patibulũ quando honorabile.

62 INSTABIS. Filii Eccleſiæ debent imitari amicos Chriſti in paſſione, non inimicos, ſed amici triſtabantur de morte, inimici verò gaudebant; ergo filii Eccleſiæ, dum
B Crucem honorant, ſe Comites dant hoſtibus Chriſti. Claudius hæc iterum objicit.

RESP. neg. conſeq. Sicut Chriſtus triſtabatur de morte qua doloroſa humanitati, & lætabatur qua Redemptiva, ita filii Eccleſiæ, ejuſque amici compatiuntur, condolentes Chriſto, in Cruce patienti contumeliis, & dolores, lætantur autem, quia inde glorificatio Chriſti, ſalus hominum, Dæmonum confuſio, Cœlorum reſeratio promanatuot: unde hoſtes ſumus hoſtium Chriſti, eorum iniquitatem condemnantes.

Per Crucem Chriſtus glorificatus.

63 URGEBIS. Non licet Filio gaudere de morte naturali Patris, vel alterius
C ob pinguem hereditatem; ergo non licet filio Eccleſiæ gaudere de morte Chriſti ob hereditatem Spiritus. Nam ideo ibi eſt inordinatio, quia præponitur bonum minus pro majori, quale eſt vita Patris, ſed hæc inordinatio currit in noſtro caſu, cum Chriſti vita, ſeu Deus homo, ſit majus bonum bono ſalutis.

RESP. Conced. ant. Eſt enim contra ordinem charitatis, velle malum proximo, & maxime Patri. Charitas enim *non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati*, 1. ad Corinth. 13. v. 5. Nec filius Eccleſiæ gaudet de morte Chriſti; im-
D mo dolet, & ideo quot annis funebrem memoriam agit Eccleſia. Gaudet ſolum de bono effectu ſecuto, qualis eſt Chriſti glorificatio, & hominum reſtauratio, quæ eſt finis effectus Incarnationis, ordinatus ad ipſummet Chriſtum, & Deum, tanquam ad finem *cujus gratia*: & quando honoramus patibulum, honoramus propter hunc titulum.

Eccleſia gaudet de effectu paſſionis Chriſti.

64 OBJIC. III. Cultus ſuperſtitioſus non licet, ſed cultus Crucis eſt ſuperſtitione plenus; ergo non licet. Min. explicatur. Alloqui rem non vivam, tanquam vivam, eſt ſuperſtitio, ſed adorando Crucem alloquimur rem non vivam, tanquam vivam; dicimus
E enim -- Salve mundi gloria! Ave ſpes no„ ſtra &c. -- Sic Wicleph. inſurgit.

Verum ſi officium, & cultus Sanctæ Crucis plenum eſt idololatria, quia eam alloquimur, tanquam rem vivam, plena erit eodem modo Sacra Pagina, & Davidica Pſalmodia: *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* ait Apoſtolus ad Rom. 9. v. 20. Alloquitur hic res non viva vivam: poterimus ergo vivi rem non vivam alloqui. Non erat Idololatra Joſue cap. 10. v. 12. dicens: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aſalon.* Non erant Idolola-

Res inanimatas alloqui poſſumus.

lolatræ tres pueri in camino ignis cantantes, Danielis 3. v. 62. *Benedicite Sol, & Luna Domino*: nec ergo eſt idololatra filius Eccleſiæ, qui Crucem ſalutat: *Aut Crux, unica ſalutis ſpes, vita, & redemptio noſtra*. Quinimmo puritas hinc lucet cultus, cum in re non viva Auctorem ſuum recognuſcat: non enim Cruci tribuit vitam, & redemptionem formalem, ſed ei, qui in Cruce pependit.

65 OBJIC. IV. Cultus, qui eſt novus in Eccleſia, non licet, ſed Crucis adoratio nova eſt; ergo non licet. Min. declaratur. Antiqui quid ſenſerint de Crucis cultu, conſtat ex eo, quod, ore rotundo *apud Minutium* ajebant: *Cruces nec colimus, nec optamus*; ergo Antiqui non ducebantur eadem navi, qua nunc Pontificii, ſed qua vehuntur Reformati. Ita arguit Anonymus.

RESP. Argumentum pro nobis eſt. Piiſſimus Pater Minutius tenet eandem doctrinam, quam tradiderunt antiquiores, Ignatius, Dionyſius, Juſtinus, alii ſimiles, qui fuerunt valde addicti venerationi Chriſti. Ceterum loco citato duas ſolvit objectiones Chriſtianis a Gentilibus propoſitas. Prima, *quod hominem noxium, & reum, in Cruce punitum, pro Deo adorent*, ſecunda, *quod Crucem ſimiliter pro Deo adorent*: reſpondet primæ, longe eſſe a noſtra Religione, & a veritate, hominem purum, & hunc noxium, pro criminibus Cruce punitum nos adorare, cum ſit verus Deus, & verus homo, innocens, & impollutus, ſecundæ verò: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos conſecratis, Cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes, adoratis*. Quibus manifeſte liquet adorationem negare in ſenſu Gentilium, ideſt, Cruci tributam, tanquam Deo. Ly verò: *Nec optamus*: appellat ſupra Crucem, ut cadentem ſub ſenſu Judæorum, & Gentilium, ſcilicet, in exterminium, & ignominiam Chriſti. Non adorabant ergo Crucem antiqui, ut Gentiles opinabantur, adorabant tamen, ut vera Eccleſia ſentiebat. Et hinc habes firmatam Catholicam veritatem. Si Gentiles exprobrabant Catholicis, quod Crucem adorarent, licet in malo ſenſu intelligerent: erat ergo uſus adorandi apud ipſos: qua ergo fronte pro ſe affert antiquitatem arguens?

Crux quovis tempore venerata.

66 OBJIC. V. Quia Pontificii adorant realem Chriſti Crucem, adorant quaſcunque Cruces; ergo quia adorant Flagella, Lanceam, Spineam Coronam, Spongiam, Clavos, adorare debent omnia Flagella, Lanceas, Spongias, Spineta, Clavos, Præſepia, Naves &c. hoc autem eſt ridiculum; ergo & illud unde ſequitur; a Claodio denuo hæc promuntur.

RESP. Neg. conſeq. Ratio eſt, quia Crux eſt ſpeciale inſtrumentum, & vexillum Chriſti Redemptoris, ceteræ autem ad hanc ordinantur tanquam ad principalius: & ideo quandam excellentiam habet Crux ad exprimendum Chriſti triumphum, & cum ceteræ Cruces exemplatæ retineant formam, & imaginem Crucis ex uſu communi, nec alteri uſui ſint deſtinatæ, illico repræſentant nobis Crucifixum, & Crucifixi exaltationem, & myſterium Redemptionis. Aliæ autem res enumeratæ, cum paſſim diverſis uſibus ſint communiter deſtinatæ, non ſunt aptæ immediate ad excitandam memoriam eorum, quæ fuerunt a Chriſto tactæ, & triumpho deſervierunt.

Diſcrimen Crucem inter, aliaque paſſionis inſtrumenta.

Hac ratione ſolvit Athanaſius quæſtionem 16. *ex quæſtionibus ad Antiochum*, ubi quærebatur, quare Crucis faciamus imagines, Lanceæ verò, vel Spongiæ, vel Arundinis non faciamus? Cui ipſe — Figuram Crucis „ ex duobus lignis compingentes conficimus, „ ut ſi quis infidelium reprehendat nos, quod „ lignum veneremur, poſſimus ei perſuadere, ligna illa diſſolvendo, & inutilia reputando., nos non colere lignum, ſed figuram. In aliis verò id oſtendere non „ poſſumus — & hoc ideo, quia & ſecundum materiam, & ſecundum formam aliis uſibus deſerviunt, nec habent priora repræſentare ex ſua natura inſtrumenta ſacra Paſſionis. Illam tamen obtinent, ſi conjuncta ponuntur ſub Cruce, vel cum puero Jeſu dormiente, vel alligata in faſciculum, vel ut deportata Angelorum manibus: quo caſu ſub reſpectu debito ad Chriſtum ſunt venerabilia, licet eis non ſint deſtinata ab Eccleſia quædam ſpecialia cultus genera, ſicut Cruci, propter rationem tactam: quia ordinata ſunt ad principale inſtrumentum Paſſionis, & ſignum triumphale, in quo eminenter continentur. Ex auctoritate citata Athanaſii habes confirmatam antiquitatem adorationis, & quo oſtendas Sectariis eos non eſſe in navi Chriſti, ſed Gentilium eſſe Sectatores, cum eadem nunc nobis objiciant, quod illi tunc, ſcilicet, idololatriam, quaſi ligno cultum deferamus.

CONTROVERSIA VI.

AN CRUCIS IMAGO, VEL SIGNUM SIT ADORANDUM.

Idem Hæretici mox citati, qui realem Chriſti Crucem adorabilem negant acrius invehunt in Crucis imaginem, quibus accedit Ægidius Hiſpanus, qui propter hunc, alioſque errores fuit Hiſpali damnatus. Multoque adhuc plus carpunt pium fidelium uſum ſigno Crucis utendi in fronte, aliiſque locis. Nos unica hac Controverſia utrumque complectimur. Ut clarior nihilominus evadat doctrina, duplici concluſione eam reſolvemus, & quidem breviter, cum res clara ſit.

Dico I. Crucis imago eſt veneranda.

67 PROB. I. Quod Deus honorare voluit in figura, honorabile eſt in ſe, ſed Crucis imaginem Deus honoravit in figura; ergo illam honorari vult in ſeipſa. Min. habetur Exodi 17. v. 11. *Cumque levaret Moyſes manus, Iſrael vincebat. Sin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*. Victoria honorabat Dominus Crucis imaginem, quam orans efformabat Moyſes: unde Juſtinus Martyr habet *in Dialogo cum Triphone* — Nam „ ſi quidquam remittebatur de Signo iſto, „ Crucem imitante, prout in litteris Moyſis „ ſcri-

Crucis figura in lege veteri.

„ ſcriptum eſt , populus vincebatur , ſi in ſtatu iſto permanebat , Amalec ſuperabatur, „ & qui fortis erat per Crucem , fortis rem „ præclare gerebat . Non enim propterea , „ quod Moyſes ita orabat , populus ſuperior „ erat , ſed quod nomine Jeſu in prima acie „ verſante , ipſe Crucis ſignum deſignabat -- Quibus præclare declarat figuram Crucis , & fontalem originem , unde orta eſt virtus , ſcilicet , a Jeſu . Ad idem explicant Nazianzenus *Orat.* 6. Auguſt. *Orat. de quinque hæreſibus cap.* 2. Cyprianus *adverſus Judæos lib.* 2. *cap.* 21. , & alii .

68 PROB. II. Non poteſt non eſſe venerandum , quod ut proprium ſignum , & vexillum honorat Chriſtus , ſed Crucis imaginem honorat Chriſtus , velut teſſeram propriam ; ergo eſt veneranda . Min. explicatur . Chriſtus judicii die præmittet adventui ſuo Crucem in Cœlo , quaſi in loco ſublimi , Angelorum manibus delatam , Sole , & Luna , qui tunc obſcurabuntur , ſplendidiorem . *Tunc apparebit ſignum Filii Hominis in Cœlo* , Matth. 24. v. 30. , ſed hoc eſt magnus honor ; ergo Chriſtus honorat , velut proprium vexillum . Crucis imaginem . Id enim ſonat *Signum Filii Hominis* .

Nec valet elufio , quam miſcet Calvinus , non agi ibi de Cruce , ſed de Filio hominis , qui tam manifeſte veniet , ac ſi ſigno edito , omnium in ſe oculos convertiſſet . Aperte enim contradicit Scripturæ , quæ Signum Filii Hominis , ab ipſo Filio Hominis contradiſtinguit : nam ſubdit immediate : *Et tunc plangent omnes tribus terræ : & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa , & majeſtate* . De Cruce pariter intellexit Sibylla *lib.* 6. *Sibyl.* canens . Apud Bellarminum *cap.* 18. *lib.* 2. *de Canoniz. Sanct.*

O felix lignum, in quo Deus ipſe pependit!
Nec te terra capit , ſed cœli tecta videbis ,
Cum renovata Dei facies ignita micabit .

Ubi etiam ejus venerabilitatem tangit , cum vocat felix lignum , quod terra non capit . De Cruce intellexit Eccleſia , quæ in feſto Invent. S. Crucis clamat : *Hoc ſignum Crucis erit in Cœlo , cum Dominus ad judicandum venerit* . De Cruce intellexit antiquitas ut Origenes , Chryſoſtomus , Hieronymus , Hilarius , Theophilactus , aliique plures Patres *in Matth.* 24. Porro modus loquendi Eccleſiæ videtur favere ſententiæ Abulenſis , & aliorum tenentium apparituram Crucis imaginem , non ipſam veram Crucem realem Chriſti . Id namque ſonat : *Hoc ſignum Crucis erit in Cœlo* . Stat nihilominus non diſtare a veritate opinionem Chryſoſtomi *Serm. de Cruce , & Latron.* dicentis eandem fore Crucem realem , reformandam ex particulis , in quas nunc diviſa honoratur .

Probabile eſt realem Chriſti Crucem in dicti die apparituram .

69 PROB. III. Crux quælibet in quacunque materia formata habet repræſentare Chriſtum in Cruce extenſum , ſed omnis imago , ut dicit reſpectum ad Prototypum , qui adorabilis eſt , eſt venerabilis ; ergo Crux Chriſti eſt adoranda . Maj. non patitur difficultatem . Crux realis utique repræſentat Chriſtum Crucifixum , non ratione contactus ejuſdem , ſed ratione figuræ , quam quælibet Crux retinet : quare ſicut pictura Regis , perſonam ejus exprimit , & quælibet alia a prima exemplata , ita in caſu . Min. autem clara eſt , quia a prototypi excellentia quædam moralis dignitas dimanat ad imaginem : qua ratione Sanctus Andreas ſibi paratam intuens Crucem exultans alloquitur : *Salve Crux , quæ in corpore Chriſti dedicata es , & ex membris ejus margaritis ornata ! O bona Crux , quæ decorem , & pulcritudinem de Membris Domini ſuſcepiſti !*

Crux Chriſti refert patientem .

Certe Crux , in qua Chriſtus pependit , non eſt ea numero , ſupra quam obiit Andreas , & nihilominus dicitur decorem ſuſcepiſſe ex membris Domini , non ob aliud , niſi quia ab exemplato ad exemplar tranſit quædam dignificatio . Ex contactu membrorum Chriſti in prima Cruce quælibet alia dedicata , & conſecrata eſt : nam contrariorum par eſt conditio : ſi enim excellentia imago expræ eſt injuriæ , & dehonorationis ; unde Theodoſius potuit iraſci contra Antiochenos , juſte offenſus in dejectione ſtatuæ Uxoris ſuæ , cur eadem excellentis imago non erit veneratione digna ? Rationem hujus a priori tangit S. Athanaſios *Orat.* 4. *contra Arianos* -- „ Qui igitur adorat imaginem , in illa adorat „ ipſum Regem ; quippe cum ipſa imago ni„ hil aliud ſit , quam Regia forma , ac ſpe„ cies -- Excellentia Regis , quæ in eſſe reali conjungitur cum perſona , eadem ſub alio eſſe retinetur in figura : unde concludit S. Thomas 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 4. -- Si loquamur „ de effigie Crucis Chriſti in quacunque alia „ materia , puta lapidis , vel ligni , argenti , „ vel auri , ſic veneramur Crucem tantum „ ut imaginem Chriſti --

70 PROB. IV. Honorare decet , quod innumeris , & mirabilibus apparitionibus honorabile declaravit Deus , ſed hoc accidit circa Crucis imaginem ; ergo eſt honorabilis . Min. pluribus explicari poſſet . Sufficient tamen pauca . Conſtantino Magno præcanti apparuit Crucis Signum in aere , cum his verbis : *In hoc ſigno vinces* : dormientique præcipit Dominus , ut exemplar faceret ad imitationem illius Signi , quod apparuerat in Cœlo , & eo tanquam præſidio uteretur contra hoſtes dimicaturus . Sic Euſebius *in vita Conſtantini lib.* 1. *cap.* 22. , & 23. Sub Conſtantino Jeroſolymis , diebus Pentecoſtes circa horam tertiam , maxima Crux apparuit , ex lumine efformata , a monte Golgotha uſque ad montem Olivarum , ſplendoribus adeo coruſcans , ut lucem Solis tegeret , tantaque admiratione rapuit omnes , quod ingens multitudo , etiam Ethnicorum accurrerit , & ad Eccleſiam confugiens -- Concordi , & uno „ ore omnes Jeſum Chriſtum , Dominum no„ ſtrum , Filium Dei Unigenitum , ejuſmodi „ mirabilium effectorem , laudabant -- Cyrillus Jeroſolymitanus , oculatus teſtis Auguſto reſcribit *Epiſt. ad Conſtantium , de Signo Crucis apparente* . Idem refert Sozomenus *lib.* 4. *Hiſtoriæ cap.* 4. duo addens non fuiſſe Cometem , & multos tum Gentiles , tum Judæos ad fidem Catholicam perduxiſſe . Aliam apparitionem narrat Socrates *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 24. ad adventum Imperatoris Antiochiam -- Nam

Plurima Crucis miracula .

„ co-

„ colomna Crucis effigiem exprimens, in„ Cœlo viſa, maximam intuentibus excitavit admirationem —

Mirabilis eſt illa, quam narrat Nicephorus Calliſtus *lib.* 10. *cap.* 2. ſub Juliano impio perſecutore — Julianus, ubi in ejus „ Regionis montes pervenit, cum poſt vindemiam vergiliæ occiderent, vites gemmis, „ & uvis germinarunt recentibus, & ros ex „ aere in ipſum, comiteſque ejus ita diffuſus „ eſt, ut guttæ quædam in ſagis illorum, „ Crucis formam repræſentarent — Ex altera apparitione Crucis, ex luce in Cœlo efformatæ, redargoit Juliani impietatem Gregorius Nazian. *invectiva* 2. *in Julianum* — Quæ „ in terra prius impiis contemptui fuerat, „ in Cœlo nunc omnibus oſtenditur, Deoque „ victoriæ adverſus impios obtentæ trophæum „ efficitur — Quod tunc evenit, cum Judæi mandato Apoſtatæ Imperatoris voluerunt conſtruere templum Salomonis contra Chriſtum: at ne dum in aere Crux apparuit lucidiſſima, ſed in omnibus veſtibus hominum civitatis mirabiles Cruces apparuerunt. *Orat.* 2. *in eundem* refert, quod cum Julianus aruſpicii cauſa reſpiceret extima pecudum, invenit Crucem coronatam, quam Aruſpices periti, ut ex Paulo Diacono *in ejus vita*, ſignificare dixerunt Chriſtianam Religionem, Crucem colentem, fore perpetuam, nec deſtruendam a Juliano, ut evenit: quamvis ex adverſo alii adulantes dixerint, ſignificare carceres Crucis, ſeu Crucem adorantium.

Sub Arcadio bellum gerente contra Perſas pro fide, ad quem Armeni confugerunt, Cruces apparuerunt in veſtibus militum, & hoc ſigno victoriam obtinuit, & in memoriam, auream monetam ſigno Crucis fieri præcepit, quæ in Aſia, & fere toto orbe in uſu fuit. S. Proſper *de promiſſionibus cap.* 3., *& cap.* 24. hoc refert. Ad hanc rem etiam facit, quod refert Fridegodus *in vita S. Audeoni cap.* 18. ſcilicet, cum quodam tempore viſitaret ſuam Parochiam, curru vectus, muli ex improviſo ſubſtiterunt, etſi ab auriga verberibus urgerentur, non movebantur. Tunc vir Dei aliquod Divinum ſuſpicatus, confeſtim ſurſum elevatis oculis vidit Crucis vexillum, ſplendore perfuſum. Vide Hæretice Crucem ab animalibus adoratam.

Cum Conſtantinus Copronymus Iconomachus invcheretur in ſacras imagines, & univerſas perdere niteretur, in ſingulorum veſtibus ceruleo colore mirabiliter, & artificioſe elaboratæ Cruces apparuerunt: ſic refert Theodorus Studites *Orat. funeb. in S. Platonem cap.* 5. Vide impie a Deo honoratam Crucifixi imaginem, quam tu pedibus conculcas.

Alphonſus Ciaconius *tract. de ſigno Crucis* varias refert apparitiones Crucis in Galliis factas ad an. 1591., quo tempore Calviniſmo Imaginum perſecutore dividebantur. Placet eam ſolam indicare, quæ accidit ſub die 23. Maji Aſcenſionem Domini feſtiva.

In Templo S. Ambroſii, dum publicæ preces quadraginta horarum fiebant pro ſedandis turbis cauſâ Religionis Pariſiis excitatis, Crux apparuit in alba Sacerdotali; & die ſequenti in Eccleſia S. Mariæ, ſeu in Collegio Jeſuitarum ſine numero apparuerunt ſuper linteamina Altarium, & ſuperpelliceum Concionatoris. Magna concertatione per duas horas cucurrit multitudo. Inde ſparſo rumore, quod ſimilia fierent in Eccleſiis S. Mariæ a Turſeio, S. Urſini, S. Petri, S. Hippolyti, S. Oſtrilli, populus turmatim ad illa loca ſe contulit. Omitto plures alias, videndas in theſauro Controverſiarum Coccii. Has ſufficiat retuliſſe, quæ ſunt fœcundæ myſteriorum, ac proinde aptæ ad ſundendam venerabilitatem Imaginis Sanctæ Crucis.

71 PROB. V. Veritas Catholica, traditione Eccleſiæ, quæ a primordiis conſuevit figuram Crucis venerari, & exordimur a Concil. Nicæno II. *Act.* 7., ubi definitive ſtatuit adorationem Imaginis Crucis — Definimus „ cum omni diligentia, & cura venerandas „ & Sanctas imagines, ad modum, & for„ mam venerandæ, & vivificantis Crucis e „ coloribus, & taſſellis — Deinde damnantur contrarii aſſertores. Quanti fieret Crucis adoratio a fidelibus, conſtat ex VI. Synodo *Can.* 73., ubi habet — Cum Crux nobis vi„ vifica ſalutare oſtenderit, nos omnem di„ ligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam „ ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem „ par eſt, honorem habeamus. Quamobrem, „ & mente, & ſermone, & ſenſu adoratio„ nem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ „ a nonnullis in ſolo, ac pavimento fiunt, „ omnino deleri jubemus, ne incedentium „ conculcatione victoriæ nobis trophæum in„ juria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps „ Crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegre„ gari decernimus — Videte Acatholici, qualis venerationis ſenſus viguit in illis ſapientiſſimis Patribus. Similem conſtitutionem condidit Theodoſius, & Valentinianus Imp. *L. unica Cum ſit nobis. Lib. primo Codicis tit.* 8. Tiberius quoque Imp. cum vidiſſet in ſuo palatio Crucem in marmore humi inciſam, erigi ſtatim juſſit, dicens — Cruce Domini „ frontem, & pectus munire debemus: & „ nos jam pedibus terimus? — Refert Paulos Diaconus *lib.* 18. *Rerum Romanarum*.

Sub Eccleſiæ primordiis Crucis veneratio.

Ad eandem venerationem ſpectat uſus cudendi monetas aureas ſigno Crucis, qui cœpit ſub Conſtantino Magno, ut homines, qui adeo amant pecunias, & quærunt, aſſueſcerent frequentius Crucem adorare. Illud etiam argumentum dedit venerationis erga Crucis imaginem Magnus Imperator, cum prohibuit, ſcinoroſos Crucis ſupplicio torqueri, ne eſſet in ignominiam, Sozomeo. *lib.* 1. *cap.* 8. Maximum illud fuit, cum devicto Maxemio, in foro Romano erigi juſſit ſtatuam ſuam, manu dextera Crucem præſeferentem, hac epigraphe — Hoc ſalutari ſigno, „ vero fortitudinis indicio Civitatem veſtram „ a tyrannidis jugo liberavi, & Senatum, „ populumque Romanum in libertatem vin„ dicans priſtinæ amplitudini, & ſplendori „ reſtitui — Euſeb. *lib.* 1. *de vita Conſt.* Baronius *ad annum* 312. *num.* 64. His addendum eſt, quod Conſtantinus poſt Crucis apparitionem, & admonitionem, ut eo præſidio uteretur, ex imperfecta forma Crucis in perfectam Labarum iuum redegit, auro, gemmiſque ornatum. Ex ligno transverſo

pen-

pendebat velum pretioſum , ad cujus partem
infimam videbantur imaginea Conſtantini , &
filiorum . Sub corona io haſta erant litteræ
nominis Chriſti ; & ad hunc finem in Cru-
cem redegit , ut aſſueſcerent milites Crucem
venerari . Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 4. *Hiſt.* En
qualia venerationis ſigna .

Traditionis hujus potiſſima pars eſt Pa-
trum auctoritas . In re tamen clara , pauca
ſubdamus . Lactantius *in carmine de Cruce* --
,, Flecte genu , lignumque Crucis venerabile
,, adora -- Athanaſ. *in quaſt.* 16. *ad Antio-
chum* -- In hoc oſtendentes , quod non li-
,, gnum , ſed imaginem , typum Crucifixi
,, veneremur -- Chryſ. *Orat. Quod ſit Deus* --
,, Neque enim ſic regia corona ornatur ca-
,, put , ut Cruce , quæ omni cultu dignior ,
,, & quam omnes horrebant , ejus figuram
,, tantopere quærunt -- Cujus veritatis argu-
mentum ſubdit , quod in foro , in via , in
vaſibus , in montibus &c. Crucis figura iviſi-
tur , mira efficiens contra hoſtes noſtros in-
viſibiles : habebatque in uſu facibus ardenti-
bus Crucem deferre in ſupplicationibus pu-
blicis . Socrates *lib.* 6. *cap.* 8. Sozomenus *lib.
Hiſt.* 8. *cap.* 8. Ephrem *lib. de pœnitentia cap.*
8. -- Depingamus , & inſculpamus in januis
,, noſtris , & in frontibus , & in ore , ac pe-
,, ctore &c. vivificum hoc ſignum . Hac or-
,, nemur , atque armemur inviſibili Chriſtia-
,, norum armatura -- Omitto alia : patebit
enim abundantius ex ſequenti .

Dico II. Signum Crucis tranſiens , ideſt,
digitis efformatum eſt ſacrum , & veneran-
dum .

72 PROB. I. Niſi Signum Crucis eſſet
ſacrum , ſimulque venerandum , non præci-
peret Deus non eſſe nocendos eos , qui eo
ſunt muniti , ſed præcipit ; ergo . Min. ſic
explicatur . Littera *Thau* hebraica ſignificat
Crucem ; unde Cyprianus *lib. adverſus De-
metr.* ait -- Et ut ad noſtra veniamus anti-
,, quis Hebræorum litteris , quibus uſque ho-
,, die utuntur Samaritani , extrema Thau lit-
,, tera , Crucis ſimilitudinem habet , quæ in
,, frontibus Chriſtianorum pingitur , frequenti
,, manus inſcriptione ſignatur -- ſed munitos
Thau præcipit Deus non eſſe perimendos . E-
zechiel. 9. *Omnem autem ſuper quem videritis
Thau , ne occidatis* ; ergo . Unde Tertullian.
lib. 3. *adverſus Marcionem cap.* 22. -- Ipſa eſt
,, littera Græcorum Thau ; noſtra autem T.
,, ſpecies Crucis , quam prætendebat futu-
,, ram in frontibus noſtris apud veram , &
,, Catholicam Jeruſalem -- Pariter præſigna-
tum habemus ſignum Crucis , ejuſque virtu-
tem in ſigno ſanguinis Agni in poſtibus do-
morum , Exod. 12. , de quo Hieronymus
Epiſt. ad Demetriadem -- Claudas cubiculum
,, pectoris , & crebro ſignaculo Crucis mu-
,, nias frontem tuam , ne exterminator Æ-
,, gypti in te locum reperiat -- Huc facit il-
lud Apocalypſis 7. *Nolite nocere terra , & ma-
ri , neque arboribus , quoad uſque ſignemus
ſervos Dei noſtri in frontibus eorum* : quod de
ſigno Crucis intelligunt Patres , & eo diſtin-
guentur tempore Antichriſti fideles ab infi-
delibus : unde Andreas Cæſarienſis *ad cap.* 7.
Apocal. habet -- Hi enim intrepide , citraque
,, ullum ruborem Chriſti Crucis ſignaculum
,, in conſpectu impiorum deferent . Ob id
,, Angelus hic mos ſubjungit : Nolite nocere
,, terræ -- Hæc loca de ſigno Crucis paſſim
ceteri Patres interpretantur , ut videre eſt a-
pud Interpretes , & Controverſiſtas .

Thau ſignum Crucis.

73 PROB. II. Laudabile plane eſt uti
ſigno apto ad proteſtandum , & confitendum
myſterium Crucifixionis Domini , ſed ſignum
Crucis aptum eſt ad hujuſmodi proteſtatio-
nem , cum ſit expreſſivum Crucifixionis ; er-
go laudabile eſt illud aſſumere . Argumentum
eſt Cyrilli Jeroſolymitani *Catecheſi* 13. --
,, Non pudeat vos Crucifixum confiteri , ſed
,, in fronte confidenter ſignaculum Crucis di-
,, gitis imprimatur , & in aliis omnibus Crux
,, fiat -- Rurſus . Omnino laudabile eſt , aſ-
ſumere ſignum ad recolendam memoriam be-
neficiorum , a Chriſto collatorum , ſed ſignum
Crucis eſt aptum ad recolendam memoriam
maximi beneficii , quale eſt Redemptionis , &
bonorum inde provenientium ; ergo eſt lau-
dabile eo uti . Unde idem Cyrillus ibidem
ait -- Cum a Deo ſit hæc gratia ſignum fide-
,, lium , & timor dæmonum : triumphavit
,, enim de illis in hoc ſigno ; oſtenta illud
,, audacter . Quando enim viderint Crucem ,
,, recordantur Crucifixi : metuunt eum , qui
,, contrivit capita Draconis --

Per ſignum Crucis recolitur Redemptionis beneficium.

74 PROB. III. Signum Crucis eſt ar-
matura fortis contra inimicos ſalutis noſtræ ,
inter quos quotidie verſamur ; ergo laudabile
eſt , immo neceſſarium eo uti . Min. explica-
tur . Origen. *Homil.* 6. *in Exodum* -- Quid
,, timent dæmones ? Quid tremunt ? Sine
,, dubio Crucem Chriſti , in qua triumphati
,, ſunt , in qua exuti ſunt Principatus eorum ,
,, & Poteſtates . Timor ergo , & tremor ca-
,, dent ſuper eos , cum Crucis ſignum in no-
,, bis viderint fideliter fixum -- Athanaſius
de Incarnatione Verbi -- Signo Crucis omnia
,, magica compeſcuntur , veneficia inefficа-
,, cia fiunt &c. Solo ſigno Crucis homo utens ;
,, dolos dæmonum a ſe propellit &c. -- San-
ctus Ephrem *de Armat. Spirituali ad Mona-
chos* -- Vice Scuti , Crucis ſigno teipſum mu-
,, ni , ſignans eo omnia membra tua , & cor
,, tuum &c. validiſſima quippe hujuſmodi ar-
,, matura eſt , nulluſque unquam tibi nocere
,, poterit , ſi ea munitus fueris -- Chryſoſt.
Orat. 5. *contra Judæos* -- Quomodo ingrede-
,, ris Synagogam ? Si ſignaveris frontem tuam ;
,, illico fugiet prava poteſtas , Sinagogæ in-
,, habitans : ſin vero non ſignaveris in ipſis
,, foribus , protinus arma abjeciſti . Mox nu-
,, dum , & inermem abreptum diabolus in-
,, numeris malis afficiet -- Omiſſis aliis ſine
numero Græcis , ex Latinis paucos ſubjicia-
mus . Lactantius *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 27. --
,, Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum ,
,, ſciet qui viderit , quatenus adjurati per
,, Chriſtum de corporibus , quæ obſederint ,
,, fugiant -- Ambroſius *Serm.* 56. -- Ubi ſi-
,, gnum Crucis erigitur , ſtatim & diaboli
,, iniquitas repellitur , & ventorum procella
,, ſopitur -- Hieronym. *ad Pſal.* 85. -- Mu-
,, niat Crucis tuæ ſigno , quod videntes Po-
,, teſtates adverſæ , fugiant confuſæ , & diſce-
,, dant a me -- Auguſt. *de Sanctis ſerm.* 19.
-- Signum Crucis præſidium eſt amicis , ob-
,, ſtaculum inimicis -- Severus Sulpitius *de
S. Mar-*

Crucis ſignū apud Patres venerabile.

S. Martino in ejus vita -- Signo Crucis, non „ Clypeo protectus, aut galea, hoſtium cu„ neos tranſibo ſecurus -- Hi abundanter ſufficiunt.

75 Argumentum hoc ſolvit Brentius *in Catechiſmo*, explicans Symbolum Apoſtolicum -- Alii ſe ſolent Cruce digitis formata „ ſignare, ut hoc ſignaculo tuti ſint a dia„ bolo, & tam a ſe, quam ab hiſce creatu„ ris diabolum arceant, & incitamenta diſ„ ſolvant: hoc non eſt pietas, ſed magia. „ Et ſi diabolus hoc facto ſigno fugerit, fin„ git ſe talem Crucem metuere, ut homines „ hac ſimulatione ſeducat, & magicam im„ pietatem confirmet, nam diabolus non pel„ litur ſigno Crucis manu facto --

Cui nil melius reſpondere poſſumus, quam quod Chriſtus Dominus reſpondit Phariſæis ſimilia objicientibus. Matth. 12. v. 25. *Omne Regnum diviſum contra ſe deſolabitur: & omnis Civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit Regnum ejus.*

Si magia magiam diſſolvit, Satanas Satanam ejicit: quomodo fingit metuere Crucem, ut magiam confirmet diabolus, ſi magiæ diſſolutio media Ctnce aſſumitur in confirmationem fidei, & fuga dæmonum viſa ad fidem veram convertuntur barbari, a quo adeo abhorret diabolus? Quomodo ſimulat fugam, ut ſeducat, ſi inde fortiores fiunt contra pravas ſuggeſtiones, & roborantur ſpiritu Antonius, Hilarion, Paulus aliique ſimiles? Quomodo ſimulat fugam, ut ſeducat, ſi aſſurgitur a ſigno Crucis ad laudem Crucifixi? Magia non eſt ſanare infirmos, venenum ſuperare, flammas vincere, & ſimilia ad propagandam fidem, ad pietatem fovendam aptiſſima.

76 PROB. IV. Laudabiliter eſt retinendum, quod primitiva Eccleſia adoptavit, ſed primitiva Eccleſia uſum ſigni Crucis, etiam in ſanctioribus functionibus adoptavit; ergo eſt laudabiliter retinendus. Min. patet. In Liturgia S. Petri inter ceteras ceremonias ponitur benedictio oblatorum: *Ut accepta habeas, & benedicat, & ſignat ter.* In Liturgia B. Jacobi: *Deinde ſignacula Crucis Sacerdos facit ſuper dona.* In Liturgia D. Marci: *Sacerdos Cruce ſignans Patenas, & Calices, elata voce dicit &c.* In Liturgia Æthiopum: *Et iterum benedic, ſanctifica.* In Liturgia D. Baſilii: *Tunc convertit ſe Pontifex ad populum, & facit tres Cruces ſuper eum.* In Liturgia Chryſoſtomi: *Diaconus accipiens panem, facit in eo cum lanceola Crucem dicens: In nomine Domini &c., & incidens lanceola ſignaculum panis in quatuor partes in figuram Crucis, dicit: Hæc &c.*

Dionyſius Areopagita *Eccleſiaſtica Hierarch. cap. 2.* -- At vero Pontifex trino Cru„ cis ſanctæ ſignaculo unctionem inchoans, „ inungendum jam Sacerdotibus toto corpo„ re hominem tradit -- Superius aliorum Patrum aliquas dedimus auctoritates. Sufficit teſtimonium Baſilii aſſerentis eſſe traditionem vetuſtatis, *de Spiritu Sancto cap.* 27. -- „ Ut ſigno Crucis eos, qui ſpem collocarunt „ in Chriſtum ſignemus, quis ſcripto docuit? „ Nonne a tacita, ſecretaque traditione? „ Nonne ea doctrina, quam Patres noſtri in „ ſilentio, quod curioſos, & odioſos ſubmo„ vet, ſervarunt? -- Baſilio pariter antiquior Tertullianus *de corona militis cap.* 3. -- Quæ„ cumque nos converſatio exercet, frontem „ Crucis ſignaculo terimus. Harum, & alia„ rum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem „ expoſtules ſcripturarum, nullam invenies. „ Traditio tibi prætendetur auctrix, conſue„ tudo confirmatrix, & fides obſervatrix --

Ejuſdem labii ſunt reliqui Patres, qui videri poſſunt apud Jodocum Coccium, qui hos potiſſime effectus tribuunt ſigno ſanctæ Crucis, ſcilicet, fugare dæmones, eorumque magica opera diſſolvere, pellere morbos, ſanctificare res benedictas, ſedare motus concupiſcentiæ, tentationeſque propulſare, quamdam fortitudinem, & cordis hilaritatem conferre contra nocturnos timores.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

77 OBJIC. I. Eadem eſt ratio de Cruce in qualibet materia efformata, ac de ea expreſſa in figura agni, ſed hæc non licet: unde VI. Synodus *Can.* 82. prohibuit hujuſmodi Crucis imaginem -- inter nonnul„ las venerabilium imaginum picturas, agnus „ qui digito Præcurſoris monſtratur, depin„ gitur, qui ad gratiæ ſignum aſſumptus eſt „ verum nobis agnum per legem Chriſtum „ Deum noſtrum præmonſtrans. Antiquas „ ergo figuras &c. Chriſtum Dominum agni „ figura pingere non amplius liceat -- ergo.

RESP. neg. maj. Forma Crucis dilucide, & clare Redemptionis myſterium repræſentat ut jam peractum: agni autem figura non ſic manifeſte, ſed quaſi in umbra, & figuraliter: præſente porro figurato non ſic bene congruit figuralis imago; & hæc potuit eſſe ratio, qua moti ſunt illi Patres ad hujuſmodi decretum formandum, ſi legitimum eſt; quia, ut alibi diximus, Trullani canones fuerunt illegitima auctoritate a quiniſexta Synodo cuſi, quæ a Sergio Papa fuit reprobata, interque illos aliqui alii contra bonas conſuetudines antiquas conditi fuerunt. Et revera canon iſte exorbitat; fuit enim vetuſtati familiare ſculpere agnum Crucis vexillum deferentem, ſicut ante Conſtantinum nuda Crux ſine Chriſto exprimebatur, ad cujus pedes affigebatur agniculus, ad ſignificandum Chriſtum Innocentem in ea mortuum, qui dicitur agnus ab origine mundi occiſus.

Chriſtus expreſſus in Agno prope Crucem.

Lib. 6. Romæ ſubterraneæ *cap.* 20. habetur motivum hujus conſuetudinis fuiſſe evacuare ſcandalum Crucis pro Gentilibus converſis: cum enim ſceleſtorum eſſet adhuc ſupplicium, recenter converſi, aſpicientes Dominum in ea pendentem eo modo, quo viderunt ſceleſtos pependiſſe, decipi poterant, & de facili ſceleſtum hominem credere Chriſtum, vel ſaltem deterreri a veneratione; ab his enim ſenſus noſter abhorret. Uſus pariter hujus figuræ conſtat ex pervetuſto more, quem liber Ord. Rom. refert -- In eadem

(*) In Octavis Paſcha.

„ Domiolea poſt albas (*) intra Civitatem „ Romanam dantur *Agni* cerei ab Archidiacono in Eccleſia poſt Miſſam, & communionem, populo -- Videtur ergo eaorbitana iſte danon; quamvia co uſi ſint contra Iconoclaſtas Gregorius II., & Adrianus, ad hominem arguentes contra eos, qui utpote Græci admittere debebant, a ſoia canonem hunc eſſe editum, ne ejus rejectione cogerentur ceteros Trullanos abjicere; & ſatis erat ad intentum horum Pontificum, ut convincerent eoa ad adorandam Crucem, cum In eo præcipiatur Chriſtum pingi in humana figura.

78 OBJIC. II. Uſus omnino ineptus, Immo impius, noo poteſt eſſe laudabilia, & ſacer: ſed ſignatio per Crucem inepta eſt, cum toties repetatur ſuper eamdem rem, ut patet in conficiendia Sacramentis, & Sacramentalibus, immo Impia eſt; minor enim a majore benedicitur, & tamen Sacerdos, qui minor eſt, benedicit Chriſtum, realiter exiſtentem In Sacrificio Altaris; ſi autem in iſtia non eſt ſacer uſus ſigni Crucis, nec in aliis.

Crucis ſignum myſteriis refertum.

RESP. Non eſt ineptum, quod plenum eſt myſticis ſignificationibus, in Sacramentis potiſſime; hæc enim operantur in virtute Paſſionia Dominicæ, quæ ſigno Crucis denotatur. Nec nova rea eit, ſed vetuſta, ut vidimus es litorgiis: unde Chryſoſtomus *homil.* 55. *in cap.* 16. *Matth.* -- Hoc ſigno Crucis „ conſecratur corpus Dominicom, ſanctificatur fons Baptiſmatia, initiantur etlam „ Presbyteri &c.-- Auguſt. *tract.* 118. *in Joannem* -- Sive ipſi aquæ, qua fidelea regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, „ ſive Sacrificio, quo aluntor, nihil eorum „ rite perficitur -- ſine Crucis benedictione videlicet. In Sacrificio Miſſæ frequentius repetitur, quia in eo repetitur conſecratio hujus Sacramenti, acceptatio ejuſdem, & fructus, qoæ omnia procedunt ea virtute Crucis Chriſti -- Et ideo, ubicunque fit mentio „ de aliquo eorum, Sacerdos Crucis ſignatione utitor -- Notant porro Auctorea, diſpares ſemper fieri ſignationes, inter quos Micrologus *cap.* 14. *de Officiis Eccleſ.*, *& celebrat. Miſſæ*, ſcilicet, ſemel, ter, & quinquies -- Semel propter eſſentiæ unitatem, „ Ter propter Trinitatem Perſonarum, Quinquies propter vulnera Chriſti Domini, & „ expreſſim repræſentationem paſſionis ipſius -- Congruentius tamen diſcurrit S. Thomaa 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 5. *ad* 3. exponens varios gradus paſſionia Domini, a diverſis perſonis peractæ, & ſecundom hoc diſtribuit ſignationea. Quare quando benedicit Sacerdos oblata poſt conſecrationem, non utitur Cruce ad benedicendum, & conſecrandum, ſed ad memorandam virtutem, & modum paſſionis: benedictiooes verò, qoæ præcedunt conſecrationem, tendunt ad conſecrandum.

79 OBJIC. III. Semper viſum eſt ſuperſtitioſum, & magicæ artis tribuere characteribus virtutem, ſed nos tribuimus ſigno Crucis, ejuſque figurationibus virtutem; ergo ſuperſtitioſe agimus. Ita Centuriatores.

RESP. Tantum abeſt, quod Crucis uſus ſit ſuperſtitioſus, quod ad ſui præſentiam ineſſicaces fiant omnes magiæ; quapropter refert Jacobus Sprenger *In Malleo Maleficor. p.* 2. *q.* 1. *cap.* 2., quod ſagæ cum turpi ſœdere ſe magiſterio dæmonis coofignant, promittunt ei pro tribunali ſedenti, & coram teſtibus Crucem conculcaturas, nec ea uſuras. Superſtitioſi ſunt characteres, & figuræ prohibitæ, quia cum effectibus nullam habent cooperationem, nec naturaliter, non enim ea natura ſua ſont cauſæ operativæ, nec ea Divina elevatione, vel promiſſione; nullum namque io iſtis adeſt promiſſum, vel pactum; ſed e contra Intercedit illud inter magos, & dæmonem. Ceterum Crux operatur ut ſignum velut Divinum, ideſt, ea virtute paſſionis Domini, nec nos figuræ ſecundum ſua naturalia mirabiles haſce tribuimus operationes.

Crucis ſigno fugantur Dæmones.

80 OBJIC. IV. Ideo imagines Crucis ſive permanentea, ſive tranſeuntea ſunt venerabiles, quia fuerunt ſanctificatæ ex contactu primæ Crucis, in qua pependit Chriſtus, ſed etiam ſanctificavit aerem, dicente Chryſoſtomo *Homil. de Cruce*, *& Latron.* ideo Dominum fuiſſe ſuſpenſum -- Ut ſanctificaret ae„ rem, qui ſanctificaverat terram ambulan„ do in ea -- Immo Patres dicunt Chriſtum ſua morte ſanctificaſſe omnia; ergo aer, & quæcunque alia adorabilia forent: & certe Cœlos, quos penetravit aſcendens ad Patrem, & januæ cœnaculi, quibus clauſis iogreſſus eſt ad Diſcipulos, eſſent adorandæ propter contactum: hæc videntur abſurda; ergo.

Crux propriũ paſſionis inſtrumentũ.

Jam ſimili reſpondimus ſuperius. Ea adoramus, quæ ſpecialem relationem dicunt ad Chriſtum, & connexionem: quod reperitur perfecte in Cruce, quæ aſſumpta eſt velut triumphale vexillum, & inſtrumentum proprium ſuæ Paſſionis, & Redemptionis; ſecus relata in argumento. Dicuntur porro omnia elementa morte Chriſti ſanctificata, quia reparavit deordinationem Inductam a peccato, quod conſiſtit in abuſu creaturarum.

81 OBJIC. V. Crucia imago non repræſentat perſonam ſacram, ſed ſolum Crucem, in qua Chriſtus pependit, ſed hæc non eſt ſufficiens ratio adorationis, cum ab illa prima Cruce in aliaa nihil derivetur; ergo. Ita Ægidius Hiſpanus.

Crux Chriſtum repræſentat.

RESP. neg. maj. Quælibet Crux Immediate repræſentat Chriſtum crucifixum, & non ſolum Crucem, in qua pependit; ſicut, ut diximua, pictura Regis, efformata ad normam alterius primæ, exprimit perſonam Regia: porro ab hoc reſpectu ad Chriſtum induit adorabilitatem.

DICES. Si Crucis Imago repræſentat immediate Chriſtum, eodem genere adorationis erit adoranda, quo adoratur Crux realis: imago enim non ponit in numero in eſſe adorabili cum ſuo prototypo, ſed hoc videtur abſurdum: nam Crux realis abſque dubio excellentius fuit ſanctificata; ergo.

Quælibet Crux adoranda.

RESP. conc. maj. Ubi enim eſt eadem proxima ratio terminandi adorationem, eſt eadem ſpecies adorationis, ſed tam in Cruce reali, quam in aliia proxima ratio terminandi eſt eadem, ſcilicet Chriſtus. Nam imagines non adorantur, niſi ut faciunt unum cum ſuis exemplaribus; materialiter enim acceptæ nullam habent in ſe rationem adorabilitatis; & quia Chriſtus eſt adorabilis Latria,

Digitized by Google

trîa, ideo utraque Crux eadem Latrîa, cum ſit illius reſpectiva, adoratur. Verum quidem eſt, quod Crux realis eſſet adorabilis eadem Latrîa, præſcindendo a ratione imaginis, propter contactum ſpecialem, ſeu quatenus eſt res pertinens ad Chriſtum, cum fuerit inſtrumentum ſpeciale, & ſelectum Redemptionis. Porro inſtrumentum qua tale non ponit in numero cum cauſa principali nec ex parte principii, nec ex parte finis; nam ad eundem finem principalis deſtinatur actio inſtrumenti. Ratione hujus contactus fit, quamlibet particulam Crucis realis eſſe adorabilem, ſecus de particulis aliarum; quia in illis ex membrorum Chriſti geſtatione, & ſanguinis ablutione, ſeu effuſione remanet peculiaris reſpectus dignificationis, & conſecrationis, in aliis verò, remota forma, non remanet niſi pura ratio ligni. Ex quo habes, undique ſuperſtitioſe egiſſe Armenos, qui Crucem non adorabant, niſi prius clavo infixo eam baptizarent, & unum ab altero ligno ſepararent, quia ſola figura eſt, quæ deſervit ad efficiendam adoratione dignam ſimplicem Crucem. Ad hanc porro formam non conducit clavus, & multo minus baptiſmus, & diviſio unius trabis ab altera imaginis rationem deſtruit.

82 INSTABIS. Magis diſtat a divinitate Crux ſub contactu Chriſti, quam corpus Chriſti, ſed corpus Chriſti ſolum coadoratur Latrîa; ergo Crux debet adorari minori cultu, hoc eſt, inferiori.

RESP. Quod licet immediatior ſit conjunctio corporis Chriſti cum divinitate, quam Crucis, nihilominus Crux modo explicata eſt res Chriſti; ac proinde cadit ſub eadem proxima ratione terminandi adorationem, Poſſet claritatis gratia dici corpus Chriſti coadorari Latrîa primario, Crucem verò ſecundario; qua ratione dicitur corpus Chriſti in Euchariſtia coadorari primario, ſpecies ſecundario: quæ doctrina valet de Cruce ut ſub contactu; quatenus autem ſtat in eſſe imaginis, & non ponit in numero cum prototypo, non urget inſtantia.

CONTROVERSIA VII.

AN SACRATISSIMUM JESU NOMEN SIT ADORANDUM.

AD Chriſtum maxime pertinet nomen Jeſus, quod merito ſuæ obedientiæ acquiſivit, unde ad complementum doctrinæ placet breviter examinare, an nomen hoc ſit aliqua adoratione dignum.

Dico. Sacratiſſimum nomen Jeſus eſt vere adorabile.

83 PROB. I. Æqualem conditionem ſortitur hoc nomen Jeſus, ac illud Dei apud Hebræos Tetragrammatum, ſed iſtud erat valde venerabile; ergo & illud. Min. non patitur difficultatem, quia ut notat Abulenſis *in cap. 6. Exodi*, a nullo debebat pronunciari, niſi a magno Sacerdote: & licet -- Scri„ batur in Hebræo, nunquam legitur, ſed „ ſolum ponitur iſtud nomen Adonai loco „ ejus -- Maj. declaratur. Ideo illud nomen tantæ ſanctitatis erat, quia ſignificabat eſſentiam Dei puram, & virtutem creativam, ſed nomen Jeſu utramque ſignificat, & inſuper dignitatem Redemptoris, quod munus, ſeu perfectio ad minus æqualis eſt creationi; ergo gaudet eadem venerabilitatis prærogativa. Illuſtratur. Cui debetur genuflexio, dignum eſt adoratione, ſed Jeſu nomini debetur genuflexio, ad Philip. 2. v. 10. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum*: ubi loquitur de cultu ſimpliciter exhibendo ipſi nomini, & non ſolum perſonæ puræ Chriſti; quia loquitur de nomine ut dato Chriſto in præmium glorioſiſſimæ victoriæ; perſona autem ipſa non eſt data in præmium.

Ad nomen Jeſu genuflectendum.

84 PROB. II. Ea, quæ ſunt valde ſancta, digna ſunt adoratione, ſed nomen Jeſu eſt valde ſanctum; ergo dignum eſt adoratione. Explicatur min. -- Nomina, quæ „ imponuntur aliquibus Divinitus, ſemper „ ſignificant aliquod gratuitum donum, eis „ Divinitus collatum -- ait S. Thom. 3. *p. quæſt.* 37. *art.* 2., *& Opuſc.* 60. *art.* 6. Rurſus *lect.* 1. *in cap.* 1. *ad Rom.* -- Imponuntur Di„ vinitus quibuſdam nomina a principio na„ tivitatis ad deſignandam gratiam, quam a „ principio conſequuntur, ſicut patet de Joan. „ Baptiſta -- ſed nomen Jeſu fuit ſpecialiter impoſitum a Deo, ut patet, & promulgatum per Angelum, Lucæ 1.; ergo eſt valde ſanctum. Illuſtratur. Non poteſt non eſſe ſanctum nomen illud, quod eſt ſummæ virtutis ſupernaturalis; tale autem eſt nomen Jeſu; de illo enim dicitur Act. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Joan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. 1. Joan. 2. v. 12. *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter ejus nomen*. Si ergo nomen, ut facit unum cum Chriſto, excellentes adeo prærogativas exprimit, non niſi ſanctiſſimum eſt.

Jeſu nomen ſummæ virtutis.

85 PROB. III. Quod Deus miraculis honorat in conteſtationem excellentiæ, & ſanctitatis, non poteſt non niſi eſſe venerandum, ſed nomen Jeſu honorat Deus miraculis in conteſtationem excellentiæ, & ſanctitatis perſonæ nominatæ; ergo. Min. habetur Lucæ 10. v. 17. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine: etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Act. 3. v. 6. *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*; quibus omnibus locis certum eſt, hæc dicta, & facta fuiſſe in confirmationem ſanctitatis, & excellentiæ Chriſti.

Miracula per nomen Jeſu.

86 PROB. IV. Quod peculiarem connexionem importat cum perſona ſumme excellenti eſt adorandum, ut unum facit cum illa, ſed nomen Jeſu importat ſpecialem conjunctionem cum Chriſto, qui eſt perſona excellentiſſima: quia actio agentis, & inſtrumenti eadem numero eſt, & non eſt virtus inſtrumenti, niſi quia derivatur ab agente, ſic per illud non erit niſi unicus actus agentis, & inſtrumenti: cum ergo nomen Jeſu ſit quoddam ſpeciale inſtrumentum aſſumptum a Chriſto ad producendos effectus

Nomen Jeſu ſpecialiter connexum cum Chriſto.

ſalutis, ut demonſtrant allatæ Scripturæ, ſpecialem, neceſſe eſt, quod dicat connexionem cum perfectiſſima Chriſti perſona.

Certe non eſt denegandum tanto nomini, quod conceditur nominibus magicis, & aſſumptis a dæmonibus ad perficienda præſtigia characteribus, & vocibus, de quibus Auguſtinus, *& lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 1. -- „ Utuntur quibuſdam determinatis characte- „ bus -- *& lib.* 21. *cap.* 6. -- Utuntur etiam „ determinatis carminibus ad magicos effe- „ ctus perficiendos -- Nec ob aliud aſſumunt nomina ad hujuſmodi maleficia præſtanda, niſi quia cupiunt æmulari Deum, qui per Sacra Scripturarum nomina effectus producit ſopernaturales, ut inde ſibi adorationem vendicent; ſicut ſcribit Angelicus *lect.* 1. *in cap.* 12. 1. *ad Corinth.* -- Dæmones ad hoc præci- „ pue anhelant, ut Divinus cultus eis exhi- „ beatur, ſecundum illud Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me* -- Ad eundem finem docet Abulenſis *in* 16. *cap. lib. primi Regum quæſt.* 41. Dæmones inſtituiſſe quaſdam ceremonias, & verba determinata, quibus factis, & auditis deſerunt corpora obſeſſorum; ſtudent utique reddere venerabilia quædam nomina ad imitationem ſimul, & depravationem eorum, quæ ſunt in Sacra Scriptura: Porro nullum fere aliud eſt illuſtrius, & efficacius nomine Jeſu.

87 PROB. V. Contrariorum æqualis eſt conditio, ſed nomen Jeſus capax eſt injuriæ, & dehonorationis; unde peccaret graviter contra ſecundum præceptum Decalogi, qui nomen hoc blaſphemaret; ergo pariter eſt capax honorificationis. Quod laudabilis conſuetudo fidelium confirmat; audito enim hoc nomine, aut inclinantur, aut caput diſcooperiunt. Quod Patrum auctoritas prædicat, qui in ſuis ſermonibus mira de tanto nomine annonciant; unde potuit Irenæus *lib.* 4. *contra Hæreſes cap.* 36. ſcribere -- Nomen Jeſu „ per univerſum mundum glorificatur in Ec- „ cleſia -- Quod Prophetæ prædixerunt Act. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*. Malachiæ 1. v. 11. *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*.

Patres nominis Jeſu commendatores.

88 DICES. Hæc omnia cadunt ſuper rem ſignificatam, non ſupra ipſam vocem; quod patet ex eo, quod ſacrificium, orationes non fiunt voci, ſed perſonæ, & tamen in his textibus orationis, & ſacrificii mentio fit: per figuram ergo intelligitur Chriſtus.

RESP. Similem inſtantiam fecit Wiclephus contra Crucis realis, & exemplaris adorationem, eo quod in officio Inventionis dicimus: *Salve ſpes noſtra, vita noſtra &c.*, quæ tamen non appellant ſupra Crucem nudam, ſed ſupra Chriſtum, & nihilominus Crux ipſa adoranda eſt. Oppoſitum eſt ex argumento deducendum: cum toties repetatur verbum *nomen meum*, *In nomine Jeſu &c.*, & non præciſe dicitur mihi offertur hoſtia, vel abſolute profertur Jeſus ſine addito: certum eſt involvere myſterium, ſcilicet, nomen ipſum, ſeu vocem ipſam ut ſignificativam habere aliquam ſpecialem dignitatem, & excellentiam, non abſolute in ſe, ſed ut connexam cum re ſignificata.

Synodus VII., & VIII. *Can* 3. librum
A Evangeliorum dicit eſſe adorandum -- Ima- „ go Domini noſtri Jeſu Chriſti eodem ve- „ neretur honore, quo liber Sanctorum E- „ vangeliorum -- Et rationem tangit Auguſt. *tract.* 10. *in Joan.* -- Nos itaque ſic audiamus „ Evangelium, quaſi præſentem Dominum. „ Surſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt ve- „ ritas, Dominus -- Hinc fuit uſus ſatis pervetuſtus in Conciliis Œcumenicis in ornato loco ponere librum Evangeliorum, in quem vultus omnium converſi eſſent, ut refert Baronius ad annum 325., ubi Concilium Nicænum deſcribit, rationem hujus tradit Cyrillus *in Apologia* -- Sancta Synodus in San-
B „ cta Eccleſia, quæ Mariana vocatur, con- „ gregata eſt, Chriſtumque aſſeſſorem capi- „ tis loco adjunxit: venerandum enim Evan- „ gelium in ſancto Throno collocavit, tan- „ tum non in aures Sacerdotum clamans: Ju- „ ſtum judicium judicate -- Liber ergo ſacer honoratur non propter materiam, ſed quia Divinam præſefert perſonam, & doctrinam; æqua porro ratio eſt de voce ſcripta referente excellentiam Chriſti, ac de ore prolata: non ergo ſolus Chriſtus adoratur, ſed & ejus imago, & ejus Evangelium, & ejus nomen, prout referunt ipſum, & non ponunt in numero cum illo.

Evangelium adorandum.

C 89 DICES II. Quod ſolum implicite ſignificat, ſeu dicit excellentiam, non videtur capax adorationis propriæ: ſed nomina ſolum implicite ſignificant; ergo non ſunt proprie adorabilia.

RESP. Neg. min. Intelligenti enim Idioma ſtatim referunt nomina rem ſignificatam; qui enim novit vocem *panis*, ea audita venit in cognitionem talis rei aptæ ad cibum: ſicut ſciens hac imaginem eſſe Chriſti, ſtatim ducitur in ejus cognitionem: cum ergo fideles intelligant idiomate ſuo nomen hoc *Jeſus*, ſine alio explicite deducuntur in notitiam Salvatoris, ſeu Dei hominis.

Nomina rem ſignificant.

D 90 DICES III. Denominatio pure extrinſeca, fundata in nudo voluntatis placito non eſt proportionata materia adorationis: ſed nomina ſunt hujuſmodi, cum per ſolam impoſitionem ſignificent; ergo.

RESP. I. Min. In noſtro caſu eſt falſa, quia nomen Jeſus non eſt ex puro beneplacito, ſed ex connexione velut connaturali cum re nominata, quia eſt impoſitum a ſapientiſſimo præcognoſcente rerum naturas. II. Maj. eſt falſa: nam facta ſuppoſitione impoſitionis, & ſtante excellentia ex parte rei nominatæ, adhuc eſt capax venerationis ut conjunctum cum re ſignificata.

E 91 DICES IV. Imago eſt adorabilis, quia apprehendi poteſt ut conjuncta cum prototypo: ſed vox non poteſt apprehendi ut conjuncta cum re nominata; ergo non poteſt in ipſa ut in imagine & per illam adorari perſona, & cum perſona nomen ipſum. Minor patet, cum tranſeunter proferatur.

RESP. Min. eſſe falſam. Hoc ipſo enim, quod intelligenti Idioma explicite referat rem nominatam; mens ſtatim tranſit ad perſonam expreſſam & nomen, & rem poteſt optime conjungere, & utrumque adorare: immo hoc debet eſſe; ſi enim ſtatim prolatio ſuggerit

ſign-

ſignificatum , utrumque apprehenditur .

92 DICES V. Si nomen Jeſus eſſet adorandum ut conjunctum cum Chriſto, deberet ſignificare ipſum Chriſtum : ſed non ſignificat . Nam ex D. Thom. 3. *p. q.* 16. *art.* 5. nomen Jeſus ſignificat naturam ſolum humanam , ſicut hoc nomen , homo : ſed natura humana non eſt digna adoratione (ſaltem illius ordinis , quæ huic nomini deberetur) ex noſtris principiis , Latriæ ſcilicet ; ergo .

Nomen Jeſu idem ac Salvator.

RESP. Neg. min. Nec adverſatur S.Thomas . Non enim abſolute vult nomen Jeſus ſignificare ſolam naturam humanam ; nam aperte fatetur nomen Jeſus idem eſſe , ac Salvator, *Opuſculo* 60. *art.* 6. *Et* 3. *p. art.* 2. *q.*37., ubi pariter ad primum aſſerit nomen Jeſus virtualiter includere omnia nomina , quæ recitantur Iſaiæ 7. 8., & 9. v. 6. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis , Conſiliarius , Deus fortis , Pater futuri ſeculi &c.* -- In omnibus illis „ nominibus quodammodo ſignificatur hoc „ nomen Jeſus, quod eſt ſignificativum ſalu„ tis -- Salvator autem non eſt pura natura humana , ſed Deus homo , nec poſſet contineri in illis nominibus , inter quæ eſt *Deus fortis* . Immo ex hoc debet argui tanti nominis venerabilitas: ſi enim in tot mirabilibus nominibus tantas prærogativas exprimentibus continetur, & virtualiter continet , non poteſt non eſſe valde myſteriis refertum , & excellentiis eminens . Quando ergo dixit D. Thom. ſignificare ſolam naturam humanam , non attendit ad totam rem adæquate ſignificatam , ſed ad modum ſignificandi , quo ad ſenſibilitatem demonſtrationis , quatenus in Chriſto , quod ſenſibilius cadit ſub cognitione noſtra , eſt ratio hominis . Nec excludi etiam hic ex modo ſignificandi conſtat , quia ſumit ſignificatum concretive , unde oritur mutua prædicatio proprietatum Dei , & hominis . Sit ergo nomen Jeſus benedictum .

CONTROVERSIA VIII.

AN SANCTI ORENT PRO NOBIS .

CONfutatis erroribus verſantibus contra Chriſti adorationem , & eorum quæ ad ipſum ſpectant , rectus ordo poſtulat , ut prava dogmata refutemus , quæ inimicus homo induxit adverſus Sanctos, qui Deo in Cœlis fruuntur : & quia invocationis neceſſitas eſt quidam titulus impellens ad fervorem adorationis, ideo ab hac Controverſia exordiemur .

Euſtatio Sebaſtenſi Epiſcopo ex Monacho Armeno, tribuitur tanquam primo hæreſis aſſerentium , Sanctos nec eſſe orandos , nec adorandos , Secundus , qui vel exumulavit , vel roboravit , numeratur Vigilantius apud Hieronymum , *lib. contra Vigil. cap.* 3. -- Dum „ vivimus , *ajebat* , mutuo pro nobis orare „ poſſumus : poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda eſt oratio -- Quare impoſtor eſt Melancthon, cum aſſerit , apud Hieronymum ne quidem unam ſyllabam reperiri , qua mentio fiat , Vigilantium negaſſe Sanctos eſſe invocandos: hoc ipſo enim , quod aſtruit Sanctos non orare pro nobis, docet non eſſe invocandos ; non enim invocamus eos , qui auxilium non poſſunt ferre . Waldenſes ſub Alexandro III. eadem veſtigia ſecuti ſunt ; & cum Wiclephus totus fuerit in perlegendis Waldenſium libris, tenuit ſuperfluum eſſe invocare Sanctos ; & ideo *cap.* 30. *Trialogi* ait -- Stultitia videtur , fontem „ omnino puriorem relinquere , & ad ri„ vum turbidum , & remotum accedere -- Hos accivit Petrus Bruis , & Henricus Toloſanus .

Impudentius evomerunt venenum Hæretici noſtri temporis. Lutherus *ſerm. de Natali B. V.* ait -- Se non pluris æſtimare preces „ B. Mariæ , quam cujuslibet e populo , pro„ pterea , quod omnes ſimus æque juſti , & ſan„ cti -- Et de Sancto Petro *in poſtilla majore Dominica a Trinit.* 7. -- D. Petri merita nec „ aſſe quidem redimerem : quomodo enim „ mihi auxiliaretur , cum nec ſibi ipſi tule„ rit opem -- Lutherani cæteri *in Apolog. confeſſ. Auguſtana* -- De Sanctis , etſi conce„ dimus , quod ſicut vivi orent pro Eccleſia „ univerſa in genere , ita in Cœlis pro Ec„ cleſiis orent in genere -- *& confeſſ. Saxonica art.* 12. negant inde ſequi eſſe invocandos.

Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §.20. habet -- „ Porro merum eſt nugamentum , quod bal„ butiunt ſophiſtæ , Chriſtum eſſe Redem„ ptionis mediatorem , fideles autem inter„ ceſſionis --

Inter alia hæc dictitat . I. In omnibus noſtris precibus nunquam nobis occurrere Chriſtum , quod maximum eſt mendacium , cum nullam claudat orationem Eccleſia , vel hymnum ſine Chriſti advocatione . II. Solum Chriſtum deferre Deo vota populi , cum tamen expreſſe dicatur Apocal. 8. v. 4. aſcendere fumum *incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo* . III. Nos plures habere Deos , & pro Diis Sanctos invocare , cum tamen uni Deo dicamus: *Miſerere nobis* , nunquam autem *Ora pro nobis* . IV. Mariam nos orare , ut Filio imperet. V. Ante ſtatuas Catharinæ , & Barbaræ demurmurare *Pater noſter* : quæ tamen oratio ad Deum a fidelibus dirigitur .

Sectarii igitur in his tribus conveniunt, ſcilicet, ex Divinis litteris non haberi , quod Sancti mortui pro nobis orent , & ſi orent , non niſi in genere pro tota Eccleſia , non autem pro hoc , vel illo particulari . Inutile eſſe Sanctos orare , quia non audiunt voces noſtras . Illicitum , quia obſcuratur gloria Chriſti . Noſtrum ergo eſt demonſtrare Sanctos mortuos vere orare pro nobis , etiam in particulari . Ad ſolidiorem tamen diſcuſſionem neceſſa eſt aliqua præmittere circa ſincerum modum fidelium in invocandis Sanctis , pro quo ,

93 Præmitto I. Has voces , Mediator , Advocatus , Salvator , ſicut , ſalvare , intercedere , miſerere &c. in Sacra Scriptura , & Patribus indifferenter tribui Deo , & Sanctis hominibus , ut facili comparatione conſtat. De Deo homine dicitur Matth. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus Jeſum : Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum* . Et Angelus ad Paſtores : *Natus eſt vobis Salvator* . De homine non Deo dicitur ad Rom. 11. v. 13., & 14.

Mi-

Miniſterium meum honorificabo; ſi quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis. Et 1. ad Corinth. 9. v. 22. *Omnia omnibus factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. De Deo homine dicitur 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus*. Et 1. Joan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum*. De homine non Deo ad Gal. 3. v. 20. Lex per Moyſem data eſt: *Et ordinata per Angelos in manu Mediatoris, Mediator autem unius non eſt; Deus autem unus eſt*. Deut. 5. v. 5. Moyſes de ſe ipſo: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos*. Deo dicitur Pſal. 4. v. 2. *Cum invocarem exaudivit me Deus*. Pſal. 49. v. 15. *Invoca me in die tribulationis*. De homine habetur Gen. 48., ubi Jacob: *Invocetur ſuper eos nomen meum, & nomina quoque Patrum meorum*. De Deo Homine ad Rom. 8. v. 34., & ad Heb. 7. v. 15. dicitur, quod *Interpellat pro nobis*. De homine Ezechiel. 22. v. 30. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra*. Deo dicitur Pſal. 50. *Miſerere mei Deus*; & de homine Job. 19. *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*; & ſic de ceteris.

94 Præmitto II., ubi hæc verba ad Deum diriguntur ex mente Eccleſiæ, & Scripturæ ſenſu, ſignificare principalitatem, ſecus ut Sanctis applicata; ideo dicitur Pſ. 83. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*. Ratio a priori eſt, quia ea, quæ ex indigentia petimus, excedunt vires naturæ, intra cujus limites comprehenduntur Sancti, ac proinde a Deo debent fontaliter provenire, a Sanctis verò non niſi precatorie. Quapropter Eccleſia in collectis ſolemnitatum Sanctorum ſemper petit, ut eorum precibus Deus beneficia concedat. Unde Auguſt. ad illud Pſalm. 129. *Levavi oculos meos in Montes, unde venit auxilium mihi. Auxilium meum a Domino; qui fecit Cælum, & terram*: advertit, pro montibus intelligi Sanctos, & ab eis non ut ab auctoribus provenire adjutorium; unde repetitur *auxilium a Domino* ſubditque — Noli putare, quia „ montes ſibi dabunt auxilium. Accipiunt, „ quod dent, non de ſuo dant — Quare cum illis phraſibus utimur in Sanctorum invocatione, ad hunc ſenſum uſurpamus. Porro recta verborum ſignificatio illa eſt, quam communis loquendi ſenſus refert.

95 Præmitto III. Meritum principale, quod Deo offerunt Sancti pro obtinendis nobis dona, eſſe illud Chriſti, de quo ad Coloſs. 1. v. 19., & 20. *Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cælis ſunt*. 1. Joan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*: unde dicitur *Oſtium* Joan. 10. *Via* Joan. 14. *Petite in nomine meo* Joan. 16., & alibi plura. Igitur Sanctos non invocamus ut principales Interceſſores, & immediatos apud Deum, ſed mediatos per Chriſtum; hinc conſuevit orationes Sanctorum abſolvere Eccleſia *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.* Quibus prælibatis.

Dico. Sancti in Cœlo orant pro fidelibus in genere, & in particulari.

96 PROB. I. Angeli in Cœlo orant pro hominibus; ergo etiam Sancti Dei. Ant. prob. Tobiæ 12. Angelus Raphael dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lachrymis &c. Ego obtuli orationem tuam Domino*. Et quamvis Lutherani Tobiæ librum rejiciant a numero Canonicorum, ut hoc, & alia plura argumenta contra ſuos errores eludant, aliter antiquitas, & Patres ſenſerunt.

Angeli pro nobis orant.

Zachariæ 1. v. 12., & 13. *Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt. Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria*, Daniel. 10. v. 21. Angelus Hebræorum orat pro liberatione a captivitate, dicitque Danieli pariter oranti: *Et nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſter*. Quibus convictus Calvinus concedit, pro nobis Angelos orare, *lib. 3. inſtitut. cap. 20. §. 23.* Conſequentia oſtenditur: nam Matth. 22. v. 30. de Sanctis dicitur: *Erunt ſicut Angeli Dei in Cælo*, Lucæ 20. v. 36. *Æquales enim Angelis ſunt*. Apocal. 21. *Et eadem illic eſt menſura hominis, quæ eſt Angeli*. Sed non ſtarent æqualitatis privilegia, ſi ſuis ſuffragiis non poſſent juvare fideles, ſicut Angeli; ergo. Nec minus fit Chriſto injuria per mediationem orationis Angelorum, quam hominum: ſi ergo primorum interceſſio non lædit Chriſti meritum, & dignitatem, nec ſecundorum. Sic reſponſio Calvini enervatur.

97 PROB. II. Sancti veteris Teſtamenti orabant pro fidelibus vivis; ergo etiam Sancti novi Teſtamenti. Ant. oſtenditur Baruch. 3. v. 4. habemus: *Domine omnipotens Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum*. Gen. 48. v. 16. Cum Jacob benediceret filium ſuum Joſeph, ejuſque filios, præcipit invocari nomina Patrum jam defunctorum: *Et invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Iſaac: & creſcant in multitudinem ſuper terram*. Exodi 32. v. 13., & 14. Moyſes orans pro peccato populi ait: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum &c. Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat adverſus populum ſuum*. Si ergo Moyſes offert Deo merita Patrum, cur Patres non potuerunt orare, & merita ſua eidem offerre? 2. Machabæorum cap. ultimo, v. 14. refertur viſio Oniæ Summi Sacerdotis demortui orantis pro populo, qui ſecum habebat alium, de quo dixit: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Domini*. Nec eludi poteſt viſio ſub ſomnii titulo, cum a tanto viro referatur, qualis erat Judas, & celebris victoria promiſſa confirmaverit, & a Sacra Scriptura recenſeatur, ut milites fortiter pugnarent ſub ſpe felicis eventus, ſtante Sanctorum orantium patrocinio. Temerarium pariter eſt, ad vim effugiendam negare librum eſſe canonicum, cum Eccleſia ut legitimum receperit,

Sancti veteris legis pro vivis orabant.

prout

prout ſuis locis oſtenditur.

Jerem. cap. 15. v. 1. *Et dixit Dominus ad me: Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ejice illos a facie mea, & egrediantur.* Ubi apertus ſenſus eſt: etiamſi Moyſes, & Samuel oraverint pro ſalute populi, non exaudiam; poſſunt ergo Sancti orare Deum. Nec valet prima Calvini reſponſio, ſcilicet, Scripturam loqui de ſimilibus perſonis, quales erant Moyſes, & Samuel; & vis eſt: ſi homines juſti, ſimiles Moyſi, & Samueli oraverint: non exaudiam. Hæc enim violenta expoſitio eſt: termini enim clari ſunt, & appellant determinate ſupra perſonas duorum illorum virorum; & ſi conceditur licentia ſupponendi unam aliam perſonam nomini ſingularis unius, omnia erunt confuſa. Porro ſtare coram Domino, orationem ſignificare planum eſt: *Ego autem ſteti in monte, ſicut prius, quadraginta diebus, ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.* Deuter. 10. v. 10.

Ejuſdem ponderis eſt ſecunda reſponſio Calvini, videlicet *ſi ſteterint* ſignificare duos illos Prophetas non oraſſe; ſi vero duo illi viri non orant, neque alii, adeoque textus iſte oppoſitum ſuadet. Verum quidem eſt non oraſſe eos viros pro tollenda pœna, quam Deus decreverat contra populum; modus tamen loquendi demonſtrat poſſe orare, & eſſe conſuetum; Puerilis eſſet illa locutio, ſi ſupra impoſſibile fundaretur: inepte enim Rex loqueretur, dicens: & ſi filius meus precatus fuerit, non dabo tibi hoc: ſi filius nec poſſet exorare, nec ſoleret intercedere apud Regem pro beneficiis impetrandis. Orant ergo Sancti veteris Teſtamenti, ad quod reſpiciens Eliphas Themanites Job cap. 5. v. 1. dixit: *Voca ergo ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Quod ut conſilium recepit Job, qui amicum hunc de male dictis ſemper reprehendit.

Conſequentia conſtat ex æqualitate rationis: unde Petrus cap. 1. epiſt. 2. ſe oraturum promittit: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Apocalypſis cap. 5. v. 6. de quatuor animalibus, & 24. Senioribus legitur: *Ceciderunt coram Agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Offerunt ergo Sancti Deo noſtras orationes; hoc autem eſt intercedere.

98 PROB. III. Legimus Apocalypſi 6. v. 10. animas Martyrum clamantes: *Uſquequo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, de his, qui habitant in terra?* In his agnoſcunt Patres Martyres petere juſto zelo vindictam de Tyrannis, qui Eccleſiam ſunt perſecuti; ubi etiam in clamore, cum D. Gregorio, intelligunt magnum deſiderium: ſi ergo recordantur Impiorum, & quidem in particulari, & ſuis petitionibus urgent Deum ad rectam punitionem, quanto magis ex perfecta charitate, qua directius ad benefaciendum moventur, recordabuntur fidelium, & Deum deprecabuntur, ut illorum miſereatur, protegat, & ad coronam perducat?

Sancti de Tyrannis vindictam poſcunt.

99 PROB. IV. Sancti, dum vivunt, A orant pro aliis; ergo & dum regnant in Cœlis. Ant. oſtenditur. Job 42. refertur præceptum datum amicis Job, ut adirent ipſum Job, ad hoc, ut precaretur Deum pro ipſis, quod cum feciſſet, exauditus eſt. Ezechiel. 22. v. 30. *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam.* Paulus ad Col. 42. *Oratione inſtate &c. orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti*, 2. Theſſalon. 3. *De cetero, Fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat*: & Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Charitatem porro, B quam habuerunt Sancti in via, retinent in patria: ſi ergo hæc urget ad orandum in via pro fratribus, quare non urgebit ad orandum pro iiſdem in patria?

Sancti, dum vivunt, pro nobis orant.

100 PROB. V. Principia fidei docent communionem cœleſtis Jeruſalem cum terreſtri, ſed hæc communio non ſtat, ſi Sancti non orant pro viatoribus; ergo. Maj. habetur ad Heb. 12. v. 22. *Acceſſiſtis ad Sion montem & Civitatem Dei viventis, Jeruſalem Cæleſtem, & Eccleſiam primitivorum.* Ad Epheſ. 2. *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Ad Galat. 4 v. 26. *Illa autem, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Et ad Col. 1., & ad C Epheſ. 4 Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, utique cæleſtis, & terreſtris. Hinc Apoſtoli in Symbolo poſuerunt: *Credo in Spiritum Sanctum &c. Sanctorum communionem.* Minor habetur ad Rom. 12., & 1. ad Corinth. 12., ubi dicitur ad invicem ſollicita eſſe membra corporis: datur ergo commercium vivos inter, & mortuos Sanctos, quia membra ejuſdem Eccleſiæ, ut optime ait Aug. *lib. 20. de Civit. cap. 9.* -- Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt Regnum Chriſti &c. cur enim fiunt iſta? Niſi quia Fideles etiam defuncti membra ejus ſunt? Regnat itaque cum D Chriſto nunc primum Eccleſia in vivis, & mortuis, propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 6. Mortuus eſt Chriſtus, ut & vivorum, & mortuorum dominetur -- Nec aliter eſſe poteſt. Cum enim eadem ſit charitas patriæ, & viæ ſaltem in ſpecie, quæ ſecundum ſe eſt unitiva, & officioſa: neceſſe eſt, & fideles viatores uniri comprehenſoribus, & ad invicem ſollicitos eſſe; hi ut illos honorent, illi ut iſtis ſubveniant.

Communio vivos inter, & mortuos.

101 Hinc antiquorum Patrum hic fuit unanimis conſenſus. Irenæus *lib. 5. contra Hæreſes cap. 19.* de Matre Chriſti, habet -- Sicut illa (*Eva*) ſeducta eſt, ut effugaret Deum; ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, E ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata -- Orig. *Homil. 16. in Joſue* -- Ego ſic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, Patres pugnent nobiſcum, & adjuvent nos orationibus ſuis -- Idem *Homil. 3. in Cant. Hom. 3. in diverſa.* Euſebius Alexandrinus *Orat. de Sanctis colendis* perpendens, cur celebremus memorias Sanctorum, ait -- Ut acceptis Hymnis, & laudibus auditis, benignum Deum exorent, ut preces noſtras caducas admittat -- Athanaſius

in

in Evang. de Deipara -- Ad te clamamus: re„ cordare noſtri Sanctiſſima Virgo &c. in„ tercede Hera, & Domina, & Regina, & „ Mater Dei pro nobis &c. -- Cyrillus Jeroſolym. *Catech. myſtagogica* 5. dans rationem, cur in Sacrificio faciamus mentionem Patriarcharum, Apoſtolorum, & Martyrum, ait -- „ Ut Deus orationibus illorum, & depreca„ tionibus ſuſcipiat preces noſtras -- Baſil. *epiſt. ad Julianum Apoſtatam* -- Suſcipio verò „ tot Sanctos Apoſtolos, Prophetas, & Mar„ tyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, „ quod per illorum mediationem propitius „ mihi ſit Deus noſter -- Nazianzenus *Orat. funebri de S. Athanaſio* -- Tu autem e ſuper„ nis propitius nos reſpice: & populum hunc „ ſanctum dirige -- S. Epiphanius *Serm. de laudib. Deiparæ* -- Ipſa enim eſt Cœli, & ter„ ræ mediatrix, quæ unionem naturaliter „ peregit -- Chryſoſt. *de laudibus S. Pelagiæ* -- Faxit Deus, ut Sanctæ Virginis, & eo„ rum, qui ſimiliter certaverunt, orationi„ bus, & precibus, ut & hæc, & alia, quæ „ dicta ſunt, diligenter memoria tenen„ tes &c. -- Hæc ex Græcis Patribus.

Ex Latinis Cyprianus *epiſt.* 57. commendat orare invicem, & ſpondere, quod qui primo deceſſerit, non ceſſet orare pro fratribus, & ſororibus -- Apud miſericordiam pa„ tris non ceſſet oratio -- Ambroſ. *lib. de Viduis* -- Et tu habes proximos, qui Deo pro „ te ſupplicent -- Habes Apoſtolos proximos, „ habes Martyres proximos &c. -- Hieronymus *lib. adverſus Vigilantium*. Auguſt. *lib.* 7. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 1. *de S. Cypriano* -- Adjuvet nos orationibus ſuis in iſtius „ carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa „ nube laborantes -- Et *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. -- Populus Chriſtianus memo„ rias Martyrum religioſa ſolemnitate conce„ lebrat, ut eorum meritis conſocietur, at„ que orationibus adjuvetur -- Idem *tract.* 84. *in Joan. in Pſal.* 85. *in Pſal.* 88. *Serm.* 2. *de Annunciatione &c.* Horum Patrum tanta eſt auctoritas, ut ad confundendos Novatores abunde ſufficiat.

Quibus accedit auctoritas Concilii Chalcedonenſis, ubi *Epiſt. Epiſcoporum Europæ ad Leonem Imp.* legitur -- Sanctiſſimum Prote„ ſtum in choro, & ordine Sanctorum Mar„ tyrum ponimus, & ejus interceſſionibus mi„ ſericordem, & propitium Deum habere „ poſtulamus -- Ibidem *art.* 11. Epiſcopus Sebaſtopolis coram ſacro Cœtu dixit -- Flavia„ nus poſt mortem vivit: Martyr pro nobis „ oret -- Concil. VI. generale *cap.* 7. habet -- Solo Deo adorato invocat Chriſtianus San„ ctos, ut pro ſe intercedere apud Divinam „ Majeſtatem dignentur -- Concilium VII. generale *act.* 6. -- Cum timore Dei omnia „ agamus, poſtulantes interceſſiones incon„ taminatæ Deiparæ, & ſemper Virginis Do„ minæ noſtræ Mariæ; item Sanctorum An„ gelorum, omniumque Sanctorum --

Poſſemus adjicere Liturgias Orientalium, Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ, Æthiopiæ &c., in quibus fit mentio Sanctorum, ut ſuis precibus dignentur Eccleſiam protegere. Subdam auctoritatem recentiorum, ut appareat, qualis ſit impræſentiarum ſenſus Eccleſiæ Græcæ. Primus eſt Jeremias Patriarcha Byzantinus, qui interrogatus de pluribus articulis ab Hæreticis Germaniæ, *in ſuo reſponſo cap.* 21. habet -- Mediatores fa„ cimus omnes Sanctos; in primis autem, „ & excellenter ante alios omnes, ipſam Dei „ Genitricem Virginem Mariam: ſecundum „ hanc autem, atque aliorum Sanctorum „ Choros, templis, donariis, ſupplicationi„ bus, ſacris imaginibus eorum non proprio „ Dei cultu, ſed relate, & conſideratione „ quadam ad ipſa exemplaria, honorem fa„ cimus, eiſque advolvimur &c. Nam & hæc „ mediatio quædam eſt, cum Angeli, alii„ que Sancti, atque adeo non minus ipſa „ mundi Domina pro nobis exorat -- Secundus eſt Gabriel Alexandrinus *Epiſt. ad Clem. VIII.* -- Ubi Deum Altiſſimum rogamus, ut „ Eccleſia ſit unica Catholica, & Apoſtoli„ ca, ſine diviſione, & ſeparatione precibus „ Sanctiſſimæ Dominæ Mariæ ſemper Virgi„ nis, & optimorum Patrum noſtrorum A„ poſtolorum &c. -- Quibus conſtat non eſſe doctrinam a Romano Pontifice inductam, ſed primitivæ Eccleſiæ, tum Græcæ, tum Latinæ, quod Sancti pro nobis orent.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

102 OBJIC. I. Sancti, qui mortui ſunt, noſtra non cognoſcunt; ergo non poſſunt pro nobis orare. Ant. prob. Scriptura ſoli Deo tribuit cordis cognitionem. 3. Reg. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*. Job. 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelligent*: loquitur de mortuis. Eccleſ. 9. v. 5. *Viventes enim ſciunt, ſe eſſe morituros: mortui verò nihil noverunt amplius*. Iſaiæ 63. v. 16. *Tu es enim Pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*. 4. Reg. 22. v. 20. Joſiæ dicit Deus: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum*. non ergo defuncti cognoſcunt miſerias viatorum, nec preces; nequeunt ergo orare.

RESP. neg. ant., quia lumen beatificum eſt perfectius quolibet alio lumine naturali, & ſupernaturali fidei, & prophetiæ, ſed lumine prophetiæ Sancti Dei vident abſcondita cordis, & diſtantia, ut 4. Reg. 5. v. 26., ubi Eliſeus ad Giezi: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui?* Quem locum verſans Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. cap.* 28. habet -- Cor„ de ſuo ſe dixit vidiſſe Eliſeus, adjuto qui„ dem mirabiliter (nullo dubitante) Divi„ nitus, ſed quando amplius tunc omnes mu„ nere iſto abundabunt, cum Deus erit om„ nia in omnibus? -- Vident ergo in verbo clariſſime mala noſtra, noſtraſque preces; ſpectatque quodammodo hæc ſcientia ad perfectionem ſtatus Beatorum; & eo vel maxime cum ad eos dirigimus mentem noſtram, eiſque noſtra mala declaramus. Nec eſt neceſſe, ut habeant aures longas, ut blaſphemat Calvinus; verbum enim clare viſum eſt ſpeculum

Sancti in Verbo indigentias noſtras vident.

Digitized by Google

lum luciditſimum quæque repræſentans .

Nec orget prima probatio ; nam Deus dicitur 1. ad Tim. 6. v. 16. *Qui ſolus habet immortalitatem* , & tamen Sapien. 2. v. 23. dicitur : *Deus creavit hominem inexterminabilem* , ideſt , immortalem , quoad animam videlicet , ita pariter dicitur ſolus cordium ſcrutator , & tamen Eliſeus Reg. 4. cap. 6. v. 12. revelat ſecreta Regis Judæ Regi Iſrael. *Sed Eliſeus Propheta , qui eſt in Iſrael indicat Regi Iſrael omnia verba , quæcumque locutus fueris in conclavi tuo* . Deus ergo per eſſentiam , & connaturaliter habet omnium cognitionem , beati vero participative , & ex dono Beatitudinis , quo clare Deum intuentur , vel revelationis , ideo non latent noſtra . Bene enim dixit Gregorius Magnus 4. *Dialogorum cap.* 33. -- Quid eſt , quod ibi ne-
„ ſciant ; ubi ſcientem omnia ſciunt ? --

103 DICES . Calviniſtæ negant Sanctos videre Deum ante diem Judicii ; ergo non ſatisfacimus ipſis .

RESP. Calviniſtas in eo errare , & ex præſuppoſita veritate alibi demonſtrata reſolvimus inſtantiam . Deinde dicimus , ea ſcire poſſe per revelationem ; ſicut viventes plura hoc medio noverunt , ut Ananias vidit Saulum ingredientem Damaſcum , & novit hiſtoriam converſionis ejus ; & Petrus novit converſionem Cornelii , & plura vidit Paulus raptus ad Cœlum , & Prophetæ veteris Teſtamenti tot , & toties abſcondita cognoverunt .

INSTABIS . Si ita eſſet , non deberemus immediate dicere Sanctis *Orate pro nobis* , ſed petere a Deo , ut eis revelet noſtras preces .

Cognitio precum noſtrarū Beatis debita.

RESP. Cum hic modus orandi ſit in Eccleſia , quæ errare non poteſt , vetuſtiſſimus , demonſtrat , Sanctos in Verbo cognoſcere nos , & noſtra . Preces noſtræ pertinent ad ſtatum Beatorum , ac proinde earum cognitio eſt illis debita ; unde juſtus Judex non poteſt ei denegare revelationem , & ideo certi de hoc fideles abſolute proferunt *Orate pro nobis* .

Ad ſecundam probationem : ex Job nihil infertur ; loquitur enim de cognitione naturali viatoris , non autem de cognitione ſuperioris ordinis . Mortuus enim erat Samuel. 1. Reg. 28. cum audivit petitionem Regis , reſponditque : *Quare inquietaſti me , ut ſuſcitarer ?* Mortui ſunt illi viginti quatuor Seniores , qui Apocalypſis 5. offerunt orationes Sanctorum Deo : noſcunt ergo illas .

Ad tertiam . Textus Eccleſiaſtis videtur loqui de damnatis , ſubdit enim : *Nec habent ultra mercedem : quia oblivioni tradita eſt memoria eorum* : quod non poteſt dici de juſtis . Nam Eccleſiaſtici 39. v. 13. habetur : *Non recedet memoria ejus , & nomen ejus requiretur a generatione in generationem* : quod ſi juſtis volumus applicari , dicendum eſt , loqui textum de cognitione in ordine ad meritum , cum ſubdatur : *Nec habent ultra mercedem* . Litteralis tamen ſenſus eſt : nihil amplius intelligere modo humanæ converſationis hujus ſeculi , ſicut declarat verſiculus ſequens : *Amor quoque , & odium , & invidia ſimul perierunt , nec habent partem in hoc ſeculo , & in opere , quod ſub Sole geritur* .

Ad quartam . Iſaias non negat Abraham ,
A & Iſraelem cognoſcere opera Synagogæ , ſed cognoſcere poteſtative pro ea liberanda a malis , ut contextus comprobat verbis antecedentibus : *Ubi eſt zelus tuus , & fortitudo tua , multitudo viſcerum tuorum , & miſerationum tuarum ? Super me continuerunt ſe ; tu enim Pater noſter &c. tu Domine Pater noſter , Redemptor noſter a ſeculo nomen tuum . Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis ? Induraſti cor noſtrum , ne timeremus te ?* Vide Hieronymum in hunc locum . Non noverunt ergo potentia conſequenti ad ſuccurrendum , quia velut obduratum in peccato populum dereliquerant : ſcientia igitur approbationis
B neſciebant eum . Deinde : etſi daremus , pro illo caſu duos hos Patres ignorare mala Synagogæ , non inde valeret illatio ad Sanctos pro lege nova . Nam ſub veteri juſti Deo non fruebantur , ſicut nunc .

104 DICES . Auguſt. loquitur de cognitione propria , & pro omni ſtatu . Sic enim *lib. de cura pro mortuis cap.* 13. ait -- Si pa-
„ rentes non interſunt , qui ſunt alii mor-
„ tuorum , qui noverunt quid agamus , quid-
„ ve patiamur ? Iſaias Propheta dicit : Abra-
„ ham nos neſcivit , & Iſrael non cognovit
„ nos -- & exemplum habet in matre ſua , quam tamen credebat beatam .

C RESP. neg. ant. Loquitur de naturali cognitione , & declarat eodem exemplo matris ſuæ , quæ non veniebat ad ipſum conſolandum , ſicut prius . Et bene arguit : quod ſi hoc non faciunt parentes , nec facient ceteri extranei , quorum non fuit cura noſtratum . Ceterum cognitione altioris ſpheræ noſtra ſcire , docet aperte *cap.* 16. , *&* 22. *de Civit. cap.* 27. -- Si Propheta Eliſeus puerum
„ ſuum Giezi abſens corpore vidit accipien-
„ tem munera , quæ dedit illi Naaman Syrus ;
„ quanto magis Sancti videbunt omnia etiam
„ unde ſunt corpore abſentes ? Tunc enim
„ erit perfectum illud , de quo loquens Apo-
D „ ſtolus ; ex parte ſcimus , & ex parte pro-
„ phetamus : cum autem venerit , quod per-
„ fectum eſt , evacuabitur quod ex parte eſt --

Quintus locus non eſt ad rem . Senſus eſt Deum velle Joſiam colligere ad Patres ſuos , ut non videat oculis corporalibus mala , quæ Deus erat immiſſurus ſuper populum , ut non pateretur anguſtias , triſtitiam , & dolorem ex præſentia experimentali ad mala , quo ſenſu deprecabatur Auguſtinus Deum , ut ipſum eriperet de hoc mundo , ne cogeretur videre devaſtationem Hipponenſis Civitatis imminentem ex impetu hoſtium totam Africam percurrentium .

E 105 DICES . Sancti Patres dubitare videntur , an Sancti noſcant , & orent pro nobis , ut Gregorius Nazianzenus *Orat. in Gorgoniam* Sororem -- Si tibi aliqua noſtri ſer-
„ monis eſt ratio , & hoc Sanctis animis a
„ Deo munus , ut talia reſciſcant , ſuſcipe
„ noſtrum ſermonem , multo epitaphiorum
„ loco -- Orig. *lib.* 2. *in epiſt. ad Roman.* --
„ Si extra corpus poſiti , vel Sancti , qui cum
„ Chriſto ſunt , agunt aliquid , & laborant
„ pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum , qui
„ ſalutis noſtræ miniſteria procurant , vel rur-
„ ſum peccatores , etiam ſi extra corpus po-

„ ſiI agunt aliquid ſecundum propoſitum „ mentis ſuæ , Angelorum nihilominus ad „ ſimilitudinem ſiniſtrorum : habeatur hoc „ quoque inter occulta Dei , neque chartulæ „ committenda myſteria --

Adverſarii fingunt hoſtem, quem feriant. Dictum Naziaoaeni non eſt dubitantis , ſed vere precantis ſecundum vulgarem loquendi modum , quo dicimus inter nos . Si tibi inſunt viſcera pietatis ; ſi vides neceſſitatem meam , ſuccurre mihi , fac eleemoſynam &c. Origenes verò noo tangit myſteriom cognitionis , ſed muneris , videlicet , an Sancti procurent nobis bona per modum cuſtodis propria dicti , quo modo Angeli ſunt in miniſterium miſſi , & damnati perſequantur nos viatores eo modo , quo dæmones . Hoc eſt quod remittit Divino Judicio , noo verò negat noſtram procurare ſalutem , intercedendo apud Deum .

106 OBJIC. II. Sancti non poſſunt ſibi mereri ; ergo neque aliis , etiam via impetrationis ; totum enim meritorum præmium acceperunt .

RESP. Sanctos nec ſibi , nec nobis mereri poſſe , poſſe tamen pro nobis & orare , & impetrare ; ſicut Dux , qui bene ſe geſſit in bello , & habuit ſua ſtipendia , rediens ad Principem , & manens apud eum , poteſt jure amicitiæ firmatæ per ſinceram fidelitatem obtinere beneficia ſuis amicis , vel aliis . Quod a fortiori valet in caſu . Nam vis impetrativa oritur ex conjonctione per charitatem cum Chriſto ; unde quo perfectior erit charitas , eo perfectior conjunctio , & vis impetrativa. Ultimata porro perfectio charitatis habetur in patria ; & ideo ibi aſt major vis impetrationis , quæ pertinet ad complementum præmil meritis præcedentibus debitum .

Vis impetrativa ex charitate.

107 OBJIC. III. Ubi eſt ſumma perfectio , ut in patria , nihil poteſt eſſe ſuperfluum , ſed Sanctos orare pro nobis in Cœlis eſt omnino ſuperfluum : nam Sancti ſunt omnino Divinæ voluntati conformes , ideſt non volunt niſi quod Deus vult , ſed quod Deus vult , impleri neceſſe eſt ; ergo ſuperfluum &c.

RESP. Utique beati ſunt conformes Divinæ voluntati , & quia noverunt Divinam voluntatem eſſe ordinatiſſimam , & ordinem Divinum eſſe , ut ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur bonum , ſicut ex claritate Solis in aerem , ideo ſciunt plura Deum per ipſos velle facere , ac proinde orant , petuntque , quod æſtimant implendum eorum orationibus ſecundum Dei voluntatem : etſi quandoque non obtineant , non inde ſuperfluit oratio , quia deſervit ad conſervandam colligationem inter membra Eccleſiæ , & mutoa charitatis officia .

Oratio Sanctorum juxta divinam voluntatem.

108 OBJIC. IV. Si Sancti orarent pro nobis ratione charitatis conſummatæ , non unos obtineret unum beneficium, alius aliud, ſed Pontificii credunt unum liberare a peſte , alium a dolore dentium ; ergo dicendum eſt non orare .

RESP. Poſſe ſingulos Sanctos orare pro quolibet beneficio , & quilibet a Fidelibus pro qualibet neceſſitate invocari poteſt , nec unquam Eccleſia aliter ſenſit . Et patet manifeſta experientia Catholicorum ; hi enim indifferenter eandem neceſſitatem exponunt A Sancto præſidenti dolori dentium , ut ſic loquar , ac alteri . Eſt tamen verum , quod Deus honorat quandoque aliquem in genere uno determinato beneficiorum , alium in altero : ſicut in terris ad pulchritudinem , & rectitudinem Eccleſiæ militantis non omnis dona dedit ſingulis , ita nec in Cœlis : quod bene ponderat Aug. *Epiſt.* 137. -- Sicut enim dicit Apoſt. prima Corinth. 2. non omnes „ Sancti habent dona curationum ; ita nec „ in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri „ voluit ille , qui dividit propria unicuique , „ ſicut vult --

Cur Sancti quidam ſpecialioribus quibuſdã indigentiis ſuccurrant.

Solet tamen velut præmium alicujus victoriæ B ſpecialis habitæ ab aliquo Sancto in ſtatu militiæ contra hoſtes , beneficia particularia concedere ; ideo S. Antonius Abbas habet patrocinium ſpeciale in cuſtodiendis animalibus humanæ indigentiæ neceſſariis ; quia pluries , & fortiter vicit dæmonem ſub figuris animalium inſidiantem ; & B. Agatha prompta eſt ad dolorem mamillarum leniendum , quia viriliter pro Chriſto abſciſſionem eſt paſſa .

DICES . In hoc ipſo conſtituta erat ethnica ſuperſtitio , ut unum Deum agnoſceſceret ſuper unum beneficium , & alium ſuper aliud .

C Non agnoſcimus Sanctos ut Deos , nec beneficiorum auctores , ſed Dei amicos , & noſtros interceſſores ; nec limitatam ſpheram adjutorii ad certum tantum genus gratiarum concedimus ſingulis . Ethnici verò colebant qui nec Dii erant , nec Dei amici , ut poſſent intercedere apud eum .

109 OBJIC. V. Non poſſunt Sancti orare pro nobis, niſi avocentur a ſumma felicitate , qua fruuntur , ſed hoc eſt impoſſibile , cum immobilis , & perpetua ſit Beatitudo ; ergo non poſſunt diſtrahi , ut curam habeant noſtri . Ita Jacobus *in ſua Apolog.*

RESP. Chriſtus ab inſtanti conceptionis D Deo fruebatur ; & nihilominus ſollicitus fuit noſtræ ſalutis *Angeli ſemper vident faciem patris* , teſte Chriſto ; & tamen *Mandavit Dominus Angelis ſuis , ut cuſtodiant te* ; cur ergo Sancti avocandi ſunt a ſua felicitate , ut neceſſitatibus viatorum ſuccurrant ? Beatitudo eſt participatio Divinæ contemplationis , qua feliciſſime ſibi otiatur Deus & nobis providet ; hanc ſuo modo proportionali complectitur felicitas Sanctorum , & eo magis quo intenſior .

CONTROVERSIA IX.

E

AN SANCTI SINT A NOBIS SINE SUPERSTITIONE INVOCABILES.

IN hac Controverſia eoſdem habemus hoſtes, quos in præcedenti ; & verius loquendo non eſt duplex , ſed una : claritatis tamen gratia in duas diſtinguitur , ut ſolidius Hæreticorum ineptiæ diluantur ; unde

Dico . Sancti ſunt ſine ſuperſtitione invocabiles .

110 PROB. I. Recte , & fructuoſe invoca-

Sancti poſſunt pro nobis intercedere.

vocamus eos, qui poſſunt, & benigne volunt pro nobis intercedere apud Deum, ſed Sancti Dei poſſunt, & volunt pro nobis intercedere apud Deum; ergo recte, & fructuoſe invocari poſſunt.

Prima propoſitio evidens præſuponitur ex communi conceptu invocationis; & illis evincitur Scripturis, quibus ſignatur, hominem orare pro ſe, vel pro aliis, vel ab aliis poſtulare ſuffragium orationis. Quilibet recte ſupplicans potentes, & volentes adjuvare precatur. Sic & populus Hebræorum Jerem. 42. v. 2. *Dixeruntque ad Jeremiam Prophetam: Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum.* Baruch. 1. v. 13. Qui erant captivi in Babylone, ajunt ad eos, qui erant Jeruſalymis: *Pro nobis ipſis orate ad Dominum Deum noſtrum, quia peccavimus Domino Deo noſtro.* Utique pro certo tenebant recte, & utiliter invocari eos, qui poſſunt, & volunt nos adjuvare apud Deum.

Propoſitio altera conſtat ex Scripturis, quibus oſtendimus poſſe pro nobis orare, & inſuper declaratur etiam pollere favore apud Deum, ut ipſum nobis reddant propitium; cum Deus magna benevolentia eos proſequatur, & paratus ſit gratia ipſorum aliis benefacere; unde Genes. 26. v. 4. dixit Dominus Iſaac: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham.* 3. Reg. 15. v. 4., & 5. *Propter David dedit ei* (Salomoni) *Dominus Deus ſuus lucernam in Jeruſalem, ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum, & ſtatueret Jeruſalem, eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini.*

Tertia propoſitio patet ex natura charitatis, quæ ſollicita eſt de bono proximi ſui; unde quo majorem habuerunt in via charitatem viri Dei, eo promptiores, & ſollicitiores fuerunt de ſuis proximis, ſed charitas nunquam excidit, ſed perficitur in patria; ergo ultro urget Sanctos, ut pro nobis interpellent; quod conſtat etiam Tobiæ 12. Zach. primo, 2. Mach. ultimo, 2. Petri 1., ubi ſponte Sancti orant pro nobis; quæ omnia conſona ſunt ſtatui beatitudinis, ubi Beati appetitus expletur, ut nihil deſit, quod naturaliter eſſet expetibile, Pſal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, & Joann. 6. *Ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Naturaliter autem deſiderat Beatus ſcire, quid de ſe ipſo ab aliis agatur, quid illi commendetur, & favere iis, qui ei fidunt, & cupit naturaliter alios videre participes, & conſocios ſuæ felicitatis; ac proinde parati ſunt Sancti adjuvare.

111 PROB. II. Sancti Angeli invocabiles juſte ſunt; ergo etiam Sancti homines. Ant. patet Exodi 48. ubi Jacob Patriarcha benedicens filiis Joſeph invocat Angelum, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Hanc invocationem ſubnectit invocationi Dei. Job. 33. v. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem, miſerebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem.* Ecce quomodo ſub uno contextu invocat Deum, Chriſtum, & Angelos. Prob. conſeq. Invocare Sanctos eſt allegare Deo patrocinium eorum, ut merito eorum, quos diligit, relevemur, ſed hoc habetur 2. Paralip. 6. v. 42. *Domine Deus ne averteris faciem Chriſti tui: memento miſericordiarum David ſervi tui.* Daniel. 3. v. 35. *Neque auferas miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael Sanctum tuum:* ubi non allegat præciſe pactum, quod Deus fecit de protegendis eorum poſteris, ſed meritum, ut clare patet ex illis verbis *propter Abraham dilectum* quaſi dicat ob merita Abraham, qui te dilexit, & quem tu diligis &c. propter enim ſanctitatem patrum indulget Deus quandoque filiis, ſicut quandoque punit propter peccata Patrum. Porro orationes Sanctorum in novo Teſtamento ſunt perfectiores, efficaciores; quia a Chriſti meritis non ſolum præviſi, & in genere cauſæ finalis, ſed exiſtentis, & efficientis, & formaliter influentis roboratæ: unde ſpecialiter dicuntur amici Dei: *Non dicam jam vos ſervos, ſed amicos.* Ex quibus patet nullum eſſe effugium Calvini.

Sanctis commiſſa eſt noſtra ſalus.

112 PROB. III. Poſſumus invocare illos, quibus Deus commiſit curam noſtræ ſalutis, ſed Sanctis commiſit curam noſtræ ſalutis; ergo. Min. explicatur. Chriſtus comparticeps facit electos, ſicut ſuæ gloriæ, ita & ſollicitudinis: Apocal. 2. v. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; ſicut & ego accepi a Patre meo.* Cap. 3. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo:* ubi loquitur de mortuis, cum expreſſe agat de finaliter perſeverantibus. *Et cuſtodierit uſque in finem opera mea.* Hos autem comparticipes efficit ſuæ felicitatis, ideo conſident in throno Patris, & curæ paſtoralis, ideo illis dat virgam directionis, quam accepit a Patre: virga hæc dicitur ferrea, quia æqua, & inflexibilis ad juſtitiam. Nec poteſt intelligi de virga punitionis, cum non omnes gentes puniat Deus æternaliter, & patet: Reget in illa virga ferrea, quam & ipſe Chriſtus accepit a Patre, de qua Pſal. 2. a quo phraſis eſt deſumpta: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Porro Chriſti hereditas eſt Eccleſia, quam quidem totam Chriſtus paſtorali ſollicitudine gubernat, totam non tamen deſtruet. Ly verò *& tanquam vas figuli confringentur*, ſignificat peccatorum deſtructionem, ſeu facilitatem, & efficaciam virtutis ad conterenda peccata, & corda peccatorum. Quare loquitur Scriptura de tempore ante diem judicii. Corroboratur ex Matth. 24. v. 46., ubi dicitur: *Beatus ille ſervus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem: amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum:* hoc eſt, ſuper Eccleſiam, quæ eſt bonum Domini. Præſident ergo Fidelibus viatoribus Sancti Dei, & curam habent, & gaudent, quando bene faciunt.

113 PROB. IV. Inſolentiſſima inſania eſt *ex Aug. epiſt. 118. ad Januarium* contra praxim univerſalem totius Eccleſiæ primitivæ diſputare, ſed Eccleſia primitiva univerſalis conſuevit Sanctos invocare; ergo. In proba-

tione mis. omitto argumentum in ſuperiori Controverſia factum ex Liturgiis primorum ſeculorum, in quibus invocantur Sancti; & aſſumo illud de uſu recitandi Litanias, in quibus ex diverſo modo recurrendi ad Deum, & Sanctos, innoteſcit non invocari tanquam authores beneficiorum; ſic igitur oſtendo. Chriſto, & Deo dicitur, miſerere nobis, Sanctis vero, ora pro nobis: uſus autem iſte antiquus eſt; nam in Concil. I. Aurelianenſi *cap.* 20. inducuntur Litaniæ cum jejunio per triduum ante aſcenſionem. In Concilio Gerundienſi præſcribitur harum recitatio, Kalend. Novemb. In Toletano V. *cap.* 1. idibus Decembris. In Toletano VI. *cap.* 2. pro ſucceſſu Regum. In Bracharenſi II. *cap.* 9. ante jejunium Quadrageſimale per triduum proceſſionaliter per Baſilicas. Gregorius pariter tempore peſtis Litanias indixit, ut habetur *lib.* 1. *vita ejus cap.* 42. Pro Litaniis, de quibus hic, non venit ſolum Kyrie eleiſon &c. ſecundum nomen Græcum, ſed proprie dictæ ſecundum nomen Latinum, prout ſunt invocationes Sanctorum, prout expreſſe *de rebus Eccleſiaſticis cap.* 28. tradit Strabo. Et patet quia dicebantur triduo Rogationum, quomodo nunc recitantur.

Uſus Litaniarum antiquiſſimus.

Antiquam traditionem invocandi Sanctos aperte tradit Euſebius Cæſarienſis *lib.* 3. *de præparat. Evangel. cap.* 7. -- Hæc nos quo„ tidie factitamus, qui veræ pietatis milites, „ ut Dei amicos honorantes, ad monumenta „ quoque illorum accedimus, votaque ipſis „ facimus tamquam viris Sanctis, quorum „ interceſſione ad Deum juvari non parum „ profitemur -- Innumeris deinde miraculis Deus legitimam eſſe Sanctorum invocationem confirmavit, quæ recenſere ſuperfluum eſt.

Sufficere poteſt auctoritas Auguſtini *lib.* 22. *de Civitate cap.* 8. -- Nam etiam nunc „ fiunt miracula in ejus nomine, ſive per Sa„ cramenta ejus, ſive per orationes, vel me„ morias Sanctorum ejus -- Deſcenditque plura recenſere, quorum nonnulla facta ſunt invocatione Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, & S. Stephani Martyris. Plurima pariter recenſet S. Paulinus Nolanus interceſſione S. Felicis Martyris Nolani, Carm. *in Natali primo, & Natali ſecundo* -- Cernere ſæpe juvat „ variis ſpectacula formis Mira ſalutantum, „ & ſibi quæque accomoda votis Poſcentum „ &c. -- Videri poteſt Gregorius Nazianzenus *in vita S. Ephrem Syri*: Prudentius *Hym.* 14. *de S. Agnete*.

114 PROB. V. Conſtanti praxi, & auctoritate Patrum. Præter ſuperius citatos addo Origenem *lib.* 2. *in Job* -- O Beate „ Job &c. ora pro nobis miſeris, ut etiam „ nos terribilis Dei miſericordia protegat -- Baſilium *Homil.* 20. *in quadraginta Martyres* -- Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos con„ fugiat; qui rurſus lætatus, hos oret, hic ut „ a malis liberetur; ille ut duret in rebus læ„ tis -- S Gregorium Niſſenum *Orat. in S. Theodorum Martyrem* -- Multorum beneficiorum „ indigemus, intercede, ac deprecare pro „ patria apud communem regem, & Domi„ num -- Chryſoſt. *in Natali SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum* -- Salvete vos ſemper in „ Domino, ſine intermiſſione pro nobis ro„ gamus orare, promiſſa veſtra implete; ſunt „ enim hæc veſtra conventa -- Theodoretus *de Invocatione Sanctorum lib.* 8. *ad Græcos*, qui ſingulas narrationes vitæ Sanctorum concludit -- Rogo, & quæro, ut per horum „ interceſſionem Divinum conſequar auxi„ lium -- Damaſcenus *lib.* 4. *de fide cap.* 16. Theophilactus *in cap.* 11. *ad Hebræos* &c.

Ex Latinis Cornelius *Epiſt.* 1. -- Orau„ tes Deum, & Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum, ut intercedentibus Sanctis ſuis „ Apoſtolis maculas veſtrorum purget pecca„ torum -- S. Ambroſius *lib. de Viduis* -- Mar„ tyres obſecrandi, quorum videmur nobis „ quoddam corporis patrocinium vendicare. „ Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui „ proprio ſanguine, etiamſi quæ habuerunt, „ peccata laverunt; iſti enim ſunt Dei Mar„ tyres, noſtri Præſules, ſpeculatores vitæ, „ actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus „ eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhi„ bere; quia & ipſi infirmitatem corporis „ etiam cum viverent, cognoverunt -- Quibus docet, & nobis invigilare, & noſtras infirmitates inſpicere, & pro nobis orare, & invocandos Sanctos eſſe. Dat etiam rationem, cur inclinentur benigne ad adjuvandum, ſcilicet, quia ſciont infirmitatem viatorum; quam ſunt experti. Idem *lib.* 10. *in Lucam*; *& Serm.* 3. *in Natali S. Nazarii*, ubi advocatos illos appellat. S. Hieronymus *epiſt.* 27. *ad Euſtochium de Epitaphio S. Paulæ* -- Vale, o „ Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem „ orationibus juva, Fides, & opera tua Chri„ ſto te ſociant: præſens facilius, quod poſtu„ las, impetrabis -- ubi radicem efficacitatis pro impetratione tangit, ſocialem, ſcilicet, viſionem Dei. idem *lib. adverſus Vigilantium cap.* 3. S. Maximus *Serm. de S. Agnete* -- Itaque, o ſplendida Chriſto, pulchra Dei „ filia, & omnibus Angelis, & Archangelis „ grata, ut noſtri meminiſſe digneris, qui„ bus poſſumus, precibus exoramus -- S. Aug. *Serm.* 1. *de S. Stephano* -- Sic ergo exauditus „ eſt Sanctus Stephanus, ut ejus orationibus „ deleretur peccatum, quod commiſerat Sau„ lus: commendemus ergo nos orationibus „ ejus; multo magis enim nunc exauditur „ pro bene oratoribus ſuis -- Idem ſentiunt reliqui Patres.

115 Calvinus *lib.* 3. *Inſtitutionum cap.* 20. reſpondet, Patres voluiſſe prohibere hanc ſuperſtitionem, ſed non potuiſſe cohibere impetum vulgi. Nova ſane ars eſt prohibendi vetitum, illud exercere, & eſſe exercendum docere, & ad praxim invitare. Sanctorum invocationem utilem demonſtrant Patres, aſſumendam prædicant, & ſuo exemplo firmant, & ex hoc Calvinus infert, Patres eam voluiſſe prohibere velut ſuperſtitioſam. Concludens ſane arguta.

Brentius *cap.* 24. *Confeſſionis Vuittembergenſis* ait Patres uſos fuiſſe figura proſopopejæ, ſcilicet, invocaſſe Sanctos mortuos, velut viventes, ea ratione, qua Oratores invocant aſtra, elementa mortua, tanquam viva. Sed ſi ita eſt; cur Patres ſibi, & aliis auxilium promittunt ex hujuſmodi invocatione? Cur miracula ſecuta non raro efficacem declaraverunt petitionem? Et illi Patres, qui nar-

narrant praxim Fidelium circa Sanctorum invocationem, qui utilem evulgant, qui ſuadent; quomodo figura proſopopejæ utuntur? Verum ſi ſupponunt viventes in terris prodeſſe orationibus, coguntur admittere efficacius prodeſſe in Cœlis. Ibi enim non deeſt voluntas, cum puriori charitate ardeant; non poteſtas, cum firmata ſit illa, quam peregrini habuerunt conſummatione amicitiæ Dei; non cognitio, cum, unde videut Angeli, vident & ipſi.

Certum ergo eſt de fide, utile, & pium eſſe, Sanctos invocare, eoſque non tantum in genere, ſed in particulari pro Fidelibus orare, ſicut expenſæ Scripturæ, & Patres evincunt, & confirmavit Concilium Trident. *Seſſ. 25. de Invocat. Sanctorum*, quod doctrinam Eccleſiæ explicat, & ſenſum, quo invocationem faciendam intelligat.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

116 OBJIC. I. Non ſunt invocandi, quos Deus prohibet coram ſe habere, ſed Deus prohibet Sanctos coram ſe habere, & adducere, Exodi 20. *Non habebis Deos alienos coram me*; ergo Sancti non ſunt invocandi.

RESP. neg. min. Non enim pro Diis Sanctos agnoſcimus, ſed ipſa invocatione oppoſitum proteſtamur. Nam eos aſſumimus, ut apud Deum pro nobis intercedant tanquam ſuperiorem; qui autem ſuperiorem habet, Deus utique non eſt: ſicut ut Regem non agnoſcimus Aulicum, quem intercesſorem aſſumimus apud Regem.

DICES. Solum qui Deus eſt, invocandus eſt, ſed Sanctos invocamus; ergo Deos agnoſcimus. Maj. habetur ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, ſed in Deum credimus; ergo.

RESP. diſting. Invocandus eſt tanquam auctor beneficiorum, concedo, tanquam interceſſor, neg. Textus Apoſtoli appellat ſupra invocationem Auctori ſalutis deferendam, ſeu ſupra invocationem principalitatis; præmiſerat enim: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*. Sanctos autem nos facimus donorum mediatores. Ceterum nomen Invocationis tribui in Scriptura etiam creaturis patet ex probationibus relatis: immo Paulus ipſe in eadem epiſtola interponit apud Deum confratres ſuos cap. 15. v. 30. *Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me apud Deum, ut liberer ab infidelibus*. Soli ergo Deo invocatio primaria debetur, non Sanctis. Semper in eo tamen ludunt Adverſarii, ut imputent Catholicis renovatam Deorum Penatum memoriam, cum noſtra vox una ſit cum Theodoreto *lib. 8. contra Græcos* -- Quid „ ergo adverſus nos indignationem concipitis, cum nullum quidem noſtrorum hominum referamus Deos; quanquam debitos „ honores Martyribus perſolvamus, ut Dei „ teſtibus, ſerviſque amantiſſimis --

Primò Deus invocandus.

117 INSTABIS. Quacunque invoca-
A tione ſolus invocandus eſt, quem Dominus docuit invocandum, ſed Deum ſolum docuit invocandum. Lucæ 11. v. 2. petentibus Diſcipulis: *Doce nos orare*, reſpondit: *Cum oratis, dicite, Pater &c. ſanctificetur nomen tuum*; ergo alius non eſt invocandus; quod & ſuo exemplo confirmavit Chriſtus, ſemper enim ad Patrem direxit orationem: *Pater clarifica me*. Joann. 12. *Pater, venit hora mea*. Joan. 17.; ergo.

RESP. Sicut ex hoc textu non colligitur Spiritum Sanctum, vel Filium non eſſe orandum, quia, ut Adverſarii teſtantur, habemus exempla in ſcripturis, ita pariter non
B poſſunt colligere excludi Sanctos, & Angelos, quia habemus exempla, ſicut vidimus. Et certe docuit modum orandi, & nihilominus Scriptura docet, ut invicem oremus, nullo Patris jure violato: immo textus ipſe hoc declarat; nam omnia nomine communi vult eſſe petenda. *Pater noſter &c. Panem noſtrum &c. Et ne nos inducas &c. Libera nos &c.* ad ſignificandam unitatem, & communicabilitatem membrorum Chriſti, & quod unum debet pro alio eſſe ſollicitum: non excluditur ergo interceſſio Sanctorum, ſed includitur. Veritas tamen litteræ eſt docuiſſe potius quid petendum ſit in oratione, quam quem
C orare debemus.

118 URGEBIS. Licet docuerit bona petenda communi nomine, rejecit tamen mediationem alterius perſonæ a Deo diſtinctæ in unitate naturæ, quod explicuit Paulus 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Unum dixit: porro unitas, ſeu ſingularitas pluralitatem excludit.

RESP. neg. ant. Quod non evincit locus Apoſtoli loquentis de mediatione excellentiæ, quatenus ſolus Chriſtus eſt: *Qui dedit ſemetipſum Redemptionem pro nobis*: ut ibidem ſubditur, & alibi habemus per ipſum mundum Deo reconciliatum. Ceterum no-
D men Mediatoris vidimus in notatis ante concluſionem tribui aliis a Chriſto in Scriptura; ideo ulterius non eſt immorandum in ſolutione argumenti. Solum placet advertere, Paulum ad Heb. 7. v. 25. explicare de mediatione auctoritativa fundata in plenitudine meritorum, & in carentia cujuslibet indigentiæ: *Unde, & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*: quaſi dicat, dari alios, qui accedunt ad interpellandum pro nobis, ſed non per ſemetipſos, ſed in nomine Chriſti, & qui aliquando indiguerunt & ipſi, & indigent Chriſto, ut no-
E bis bona impetrent.

Sancti ſunt mediatores.

119 REPLICABIS. Qua ratione liceret accedere per humanum Mediatorem, liceret etiam per Angelum, cum Angelis potiſſime mandatum ſit pro nobis, ſed hoc expreſſe prohibitum eſt, clamante Paulo ad Coloſs. 2. v. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans*. His enim damnat hæreſim jam naſcentem quorundam, ſub ſpecie quadam humilitatis recurrentium ad Angelos, ut intercederent apud Deum.

RESP. neg. min. Nec favet doctrina
Apo-

Apoſtolorum, quæ non denegat Sanctis, & Angelis debitam reverentiam, & invocationem. Epiſtola illa eſt variis inſtructionibus referta. In præcedenti clauſula præmonuit, præcavendum eſſe a ceremoniis legalium promotis a Judæorum miniſtris, in hac præmonet & cavendum a doctrina erronea Pſeudochriſtianorum quorundam. Refert Epiph. *hæreſi* 21. Simonem Magum tenuiſſe Angelos eſſe hujus mundi factores, adeoque per ipſos ad Deum eſſe accedendum, unde peculiarem cultum, & Religionem pro Angelis inſtituere cœperat; ficta etiam quadam humilitate addita, videlicet, commodius eſſe per Angelos adduci ad Deum, quam per Chriſtum propter excedentem ejuſdem dignitatem.

Nonnulli Angelos errarunt.

Theodoretus in hæc verba ſentit fuiſſe legis obſervatores, qui Angelos colendos induxerant, quia per Angelos datam legem volebant, aſſeritque Concilium Laodicenum hac ratione cultum Angelorum prohibuiſſe. Viguit autem error iſte in Phrigia, & Piſidia -- Illi ergo hoc conſulebant, utique hu„militate utentes, dicentes, univerſorum „Deum, nec cerni, nec comprehendi, nec „ad eum poſſe per ſe perveniri; & oportere „per Angelos Divinam ſibi benevolentiam „conciliare -- Hæc ſemina præcavere admonet Apoſtolus, ne ſeducantur hujuſmodi umbratili humilitate. In hoc autem ſenſu negamus Angelos eſſe invocandos, videlicet, excludendo Chriſtum, & credendo aliter non poſſe nos ad Deum accedere.

Alii volunt pro Religione Angelorum venire ſuperſtitionem Idololatriæ. Tertullianus *de præſcriptionibus Hæreticorum cap.* 33. habet -- Simonianæ magiæ diſciplina Angelis „ſerviens, utique & ipſa inter Idololatrias „deputabatur -- Hieronymus *ad Algaſiam epiſt.* 151. *quæſt.* 10. illa verba exponens de Judæis ait -- Quaſcunque offerunt victimas, „non Deo offerunt, ſed Angelis refugis, & „ſpiritibus immundis -- Auguſt. *Epiſt.* 59. *ad Paulinum* illa verba generaliter explicat propter ſuperſtitionem Gentilium -- Ange„los volens intelligi Principatus, quos ele„mentorum mundi hujus præpoſitos in his „obſervationibus colendos eſſe arbitrentur -- ut cor hominis velut religione humile reddatur falſa humilitate, quæ magis inflat: Quibus patet, quam longe diſtet aſſerta invocatio Sanctorum ab hac religione Angelorum. Nec Deos, nec Dæmones conſtituimus Sanctos, ſed homines amicos Dei, & ſervos chariſſimos.

120 SUBSUMES. Illam Religionem Angelorum reprobat Paulus, quæ non tenet: *Caput ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei*, ſed invocatio Sanctorum eſt hujuſmodi; quia non vadit ad Chriſtum, qui clamat Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; ergo.

RESP. neg. min., quam evincit falſam illud ipſum Pauli dictum, quod ponit influxum Capitis in Corpus Eccleſiæ per nexus, & conjunctiones, ſed contra in hæc perficitur, ſi dicatur per Sanctos a Chriſto ad nos dona deſcendere; colligatio enim hæc conſiſtit in mutuis officiis charitatis membrorum; ergo. Invitatio porro illa Chriſti eſt vocatio hominum ad legem gratiæ, ideſt, vocat ab onere legis Judaicæ ad legem amoris, & a ſervitute ad libertatem filiorum. Vocat ad ſeipſum ut Redemptorem, & fontem unicum moralem, ſeu meritorium ſalutis, ut patet ex contextu: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Venire ad Chriſtum igitur eſt credere in Chriſtum, quod & aliis conſimilibus ſcripturis exponitur, Joann. 6. v. 35. *Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam*: hoc autem ſenſu vera eſt excluſiva, ad nullum alium eſſe accedendum, nec nos hoc modo ad Sanctos accedimus: ſcimus enim, quod: *Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*.

CONCLUDES. In quolibet ſenſu illicitum eſt recurrere ad Sanctos, ut conſtat apud Iſaiam 8. v. 19. *Pro vivis non a mortuis*, ſed Sancti mortui ſunt; ergo.

RESP. Ibi vetari ſuperſtitioſa commercia cum mortuis, exterita illuſione Dæmonum in præſtigiis, ſicut evidenter antecedentia demonſtrant: *Cum dixerint ad vos; Quærite a pythonibus, & a Divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis: nunquid non populus a Deo ſuo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium &c.* patet reprehendi reſponſa petentes mediis ſortilegiis ſacrilegis.

121 OBJIC. II. Nemo audet, & poteſt Cauſidici partes exercere apud Principem, niſi a Principe fuerit conſtitutus, ſed Sancti nullibi conſtituti ſunt a Deo Cauſidici pro nobis: nullibi in ſcriptura mandatum, nullibi exemplum, nullibi promiſſio; ergo non poſſunt advocare, ac proinde, neque invocari -- „Unde ergo vermibus tanta licentia, ut Deo „patronos obtrudant, quibus munus injun„ctum non legitur? -- Clamat Calvinus *lib.* 3. *Inſt. c.* 20. §. 23. Confeſſio Auguſtana *art.* 12.

RESP. conced. maj. Loquendo de Cauſidico Juſtitiæ; neg. autem de Cauſidico charitatis. Primi generis munus exercent miniſtri a Republica deputati, ſecundi generis exercent amici, & familiares Principum, nec eſt neceſſe deputari ab ullo: nam jura ipſa amicitiæ illud inferunt. Cauſidica charitatis fuit Eſther apud Aſſuerum pro populo, Thecuitis apud David pro Abſalone. Cauſidici charitatis ſunt Sancti Dei apud Patrem: & quia legimus charitatem nunquam excidere, ideo Patronos non inducimus ſine licentia. Mandatum non requiritur, ubi charitas impellit, ubi neceſſitas urget. Exemplu non caremus, qui plura ſuperius attulimus. Promiſſionem ipſa charitas facit, & plurima miracula, quæ ad invocationem facta, confirmant Deum Sanctorum orationes exaudire qui facit voluntatem timentium ſe. Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*. En præceptum, en valor. Gen. 20. v. 7. dixit Deus ad Regem Geraræ: *Nunc ergo redde viro ſuo uxorem, quia propheta eſt, & orabit pro te, & vives*. Job 42. v. 8. dixit Dominus ad amicos ejus: *Ite ad ſervum meum Job, & offerte*

Ex Charitate moventur Sancti ad interpellandū pro nobis.

offerte holocauſtum pro vobis : faciem ejus ſuſcipiam , ut non vobis imputetur ſtultitia : neque enim locuti eſtis ad me recta . Habes hic præceptum , habes exemplum , habes promiſſionem : quod ſi viventes in terris Cauſidici charitatis eſſe poſſunt ſine injuria , & temeritate , a fortiori viventes in Cœlis .

122 DICES. Cauſidicus charitatis injuriosus eſt amantiſſimo , paratiſſimo , & ultro offerenti donum, ſed Deus amat nos pluſquam ullus Sanctus , paratiſſimus eſt , & ultro offert nobis bona , ideo Lucæ 11. v. 9. clamat : *Petite , & dabitur vobis* . Joan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis* . Ad Heb. 4. *Accedamus cum fiducia ad thronum ejus* ; ergo Sancti non ſunt, nec debent eſſe Cauſidici charitatis pro nobis .

RESP. Probatio argumenti oppoſitum potius concludit . Paratus quidem Deus eſt ; tamen regulariter non niſi petentibus concedit . Petitio autem dupliciter exhiberi poteſt alicui , vel immediate a perſona indigentis , vel mediate ; & quocunque modo fiat , ponitur conditio , quam Deus exigit , ut donum largiatur . Dicant Proteſtantes ; ſi Deus paratus erat parcere populo Hebræorum , cur Ezechielis 22. v.30. quærit hominem, qui ſe opponat ? *Quæſivi de eis virum , qui interponeret ſepem , & ſtaret oppoſitus contra me pro terra , ne diſſiparem eam , & non inveni* . Dicant : cur paratus ſanare Abimelech , orationes Abraham expectat ? Geneſ. 20. v. 17. *Orante autem Abraham , ſanavit Deus Abimelech* . Si Deus paratus eſt ; cur vivi pro vivis orare debent ? Nec ex eo , quod Sanctos interponimus , arguitur fiduciæ defectus , ſed potius e contra laudabili humilitate confitentes nos eſſe peccatores , amicos Dei aſſumimus , ut eorum ſanctitate , & patrocinio obumbrati , ſecurius obtineamus , quod petimus .

Invocatio Sanctorū ex Dei voluntate .

123 INSTABIS . Æqualiter Deus concedit nobis orantibus immediate , ac per alios, ergo ſuperfluum eſt ad Sanctos recurrere. Ant. habetur apud Chyſoſtomum *Homil. de profeẞu Evangelii* -- Certum , non opus tibi Pa„ tronis apud Deum , neque multo diſcurſu , „ ut blandiare aliis , ſed licet ſolus ſis , Pa„ tronisque careas , & per temetipſum Deum „ preceris ; omnino tamen voti compos eris ; „ neque enim tam facile Deus annuit , cum „ alii pro nobis orant , ut cum ipſimet ora„ mus , etiamſi plurimis pleni ſimus malis -- Idem docet Ambroſius *in caput primum ad Roman.* , & reprobat expreſſe paritatem Curiæ humanorum Principum , ad quos per Comites accedimus -- Ad Deum autem , quem „ utique nihil latet , omnia enim merita „ novit , promerandum , ſuffragatore non o„ pus eſt , ſed mente devota -- Vide , quam clare reprobet Sanctorum invocationem .

RESP. Hæc urgeri ab Hæreticis contra ſeipſos , cum ipſi ponant vivos utiliter orare pro vivis . Ly *æqualiter* ergo accipi poteſt dupliciter , vel prout dicit neceſſitatis excluſionem , vel majoris utilitatis . Si enim ſenſus ſit , quod Deus immediate a nobis exorari poteſt , & nos exaudire , & de neceſſitate non ſit Patronos interponere , conceditur . Si autem ſenſum faciat, quod non ſit majoris utilitatis, negatur : nam canit Eccleſia : *Ut quod noſtris meritis non valemus , Sanctorum patrocinio aſſequamur : Ut multiplicatis interceſſoribus largiaris* . Nec Patres adducti contrarii ſunt , quos jam pro nobis citavimus . Chryſoſtomus ibi corripit quoſdam, qui negligunt pro ſe orare , & ſe ſolum ceterorum orationibus commendant , contra Divinæ providentiæ diſpoſitionem , quæ non niſi media nostra cooperatione ſtatuit applicare nobis Chriſti Redemptionem , & conſonant alibi dictis *homil. 5. in Matth.* -- Non igitur quaſi „ oſcitantes , & deſides , ex aliorum meritis „ pendeamus : habent enim vim pro nobis , „ & quidem maximam , orationes ſupplica„ tioneſque Sanctorum ; ſed tunc profecto , „ cum nos quoque idipſum per pœnitentiam „ poſtulamus -- Ambroſius vero loquitur contra Simonianos , qui tenebant non niſi per Angelos accedi poſſe ad Dvum , quaſi , quod Deus indigeat ſuffragatore , ut certificetur de neceſſitatibus noſtris , ſicut indiget Rex certificari per Comites -- Nam ideo ad Re„ gem per Tribunos , & Comites itur , quia „ homo utique eſt Rex , & neſcit quibus de„ beat Rempublicam credere --

Sancti utiliter aſſumuntur apud Deū.

124 URGEBIS . Deus non eſt perſonarum acceptor , ſed ſi aliquid ad impetrandum conferret vel qualitas precantis , vel multitudo ſupplicantium , Deus eſſet perſonarum acceptor , quia reſpiceret perſonas ; ergo .

RESP. Perſonarum acceptio vitium eſt contra juſtitiam diſtributivam, quod tunc accidit , cum conditio perſonæ ad cauſam non refert , nec perſonam magis dignam , vel aptam reddit , & nihilominus reſpicitur , ſeu præfertur. In noſtro autem caſu conditio perſonæ , ſanctitas videlicet , & multitudo ſupplicantium , ad cauſam refert ; nam efficacia impetrationis radicatur in ſoliditate amicitiæ, & merito intercedentium ; unde ſi reſpicitur, non occurrit vitium acceptionis perſonarum .

REPLICABIS . Si qualitas orantis confert ad cauſam , poſſemus ſpem reponere in Sanctis , ſed Scriptura clamat in ſolo Deo ponendam eſſe ſpem ; ergo nihil confert ; ergo ſi Deus eam reſpicit , eſt acceptor perſonarum .

RESP. Poſſumus ſpem ponere tanquam in medio utili ad finem , concedo , tanquam in principio, & auctore bonorum , nego. In Deo ſolo , tanquam in auctore unico beneficiorum ſpem reponendam clamat Scriptura . Ceterum non excluditur ſpes propria mediorum ; & ideo Paulus ad Philemonem 5. habet : *Audiens charitatem tuam , & fidem , quam habes in Domino Jeſu , in omnes Sanctos* . Sane vivi petentes orationes a vivis , ſpem aliquam habent in merito perſonæ coram Deo pro impetrando poſtulato . Paritatem hanc nunquam eludent .

Quomodo in Sanctis ſpes reponenda .

125 SUBSUMES . In iis , quæ pertinent ad ſalutem, tutiori via inſiſtendum eſt , ſed tutior via eſt abſtinere ab invocatione Sanctorum ; ergo . Argumentum eſt Regis *in ſua Apologia* his -- Mihi ſatis eſt , Deum „ per Jeſum Chriſtum , prout jubemur , in„ vocare , & hanc viam tutiorem ; ideoque

„ in

Digitized by Google

„ in rebus ad ſalutem ſpectantibus potiorem „ inſiſtere --

A Petit inſtantia, ut explicetur, qualiter interceſſio Sanctorum neceſſaria ſit ad ſalutem. Credere bene, & bene ſentire de Invocatione Sanctorum, ad ſalutem neceſſarium eſt, quia eſt veritas credenda, exercere autem Sanctorum Invocationem, abſolute neceſſarium non eſt: ſicut bene ſentire de martyrio, de eleemoſyna ad ſalutem neceſſarium eſt, martyrium ſubire, & eleemoſynam facere non eſt abſolute neceſſarium. Dixi abſolute, quia ex aliqua lege, vel præcepto neceſſaria eſt Sanctorum invocatio, quæ abſque dubio tutior eſt, quia utilis. Tum quia B prædeſtinationem Deus quandoque alligat orationibus Sanctorum: vulgatum enim eſt illud Auguſtini -- Si Stephanus non oraſſet, Ec- „ cleſia Paulum non haberet --

Invocatio Sanctorum non eſt abſolute neceſſaria.

126 OBJIC. III. Nulla novitas poteſt eſſe materia fidei, ſed Sanctorum invocatio eſt novitas in Eccleſia; ergo non poteſt eſſe materia fidei. Min. declaratur. Invocatio Sanctorum, & interceſſio dependet a viſione Dei, ſed multis ſeculis ab Apoſtolis obſcurum fuit in Eccleſia, quod Sancti ante Diem Judicii viderent Deum, dubitantibus, immo negantibus, Irenæo, Juſtino, Tertulliano, aliiſque; ergo.

C RESP. neg. min. Invocationem antiquam eſſe in Eccleſia demonſtant ſuperius allegata ex Liturgiis, Patribus, & Conciliis. Porro contumelioſus eſt Vedroſius in Sanctos Patres citatos, cum aſſerat renuiſſe juſtos non frui Deo ante diem judicii: ubi egimus de erroribus Græcorum oppoſitum vidimus. Sed dato hoc, non omnino convinceret argumentum. Nam ſuperius attulimus exempla Sanctorum Patrum veteris Teſtamenti orantium pro Viatoribus, qui tamen Deo non fruebantur: poſſent ergo & Sancti novi Teſtamenti orare pro nobis, etſi Deo non fruerentur. Si media revelatione humanas neceſſitates ſciebant D illi, eâdem noſcere poterunt noſtri. Quocunque ſe vertant, nihil evincunt Proteſtantes.

Sanctorum invocatio a primis Eccleſiæ ſeculis.

127 DICES. Si apud Veteres fuiſſet doctrina invocationis Sanctorum, mentio fieret, ubi magis videtur eſſe neceſſaria, videlicet, in conſecratione Sacerdotali, & participatione cœnæ, ſed non fit ulla mentio, ut patet apud Juſtinum martyrem, ubi veterem refert conſuetudinem in modo initiandi Miniſtros, & celebrandi cœnam: & apud Tertullianum adverſus gentes deſcribentem, quæ fiebant in cœtibus Chriſtianorum, ubi nec verbum quidem de invocatione Sancto- E rum erat; ergo res omnino ignota.

RESP. Argumentum nil evincit: Non enim Sancti Patres ubique mentionem facere debent Invocationis, ut illa dicatur fuiſſe apud veteres, nec omnes debent de ea loqui; ſufficit enim, quod alicubi eam doceant, & communiter: aliter plurima negare poſſemus ex Evangelio, quia ab uno Evangeliſta non raro reticetur, quod ab alio aſſeritur. Joannes non recitat lotionem pedum poſt cœnam legalem, nec Euchariſtiæ inſtitutionem, ergone negavit? Abſurdum eſt hoc dicere. Ut aliquid evinceret, deberet oſtendere Patres aſſerere Invocationem eſſe vanam, & ſuperſtitioſam.

Non omnes illi referunt.

128 INSTABIS. Sed Patres reprehendunt Invocationem Sanctorum; ergo. Ant. oſtenditur ex Auguſtino *lib. 2. contra Parmen. cap.* 8. -- Si Joannes ita diceret: Hæc ſcripſi „ vobis, ut non peccetis: & ſi quis pecca- „ verit, mediatorem me habebitis apud Pa- „ trem. Ego exoro pro peccatis veſtris: ſi- „ cut Parmenianus quodam loco mediatorem „ poſuit Epiſcopum inter populum, & Deum: „ quis eum ferret bonorum, atque fidelium „ Chriſtianorum? Quis ſicut Apoſtolum Chri- „ ſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur? „ &c. Si eſſet mediator Paulus, eſſent utique „ & ceteri Coapoſtoli ejus, ac ſic multi me- „ diatores eſſent, nec ipſius Pauli ratio con- „ ſtaret, qua dixerat: Unus Deus, unus me- „ diator Dei, & hominum -- ergo.

RESP. neg. ant. Nec ſuffragatur Auguſtinus. Nam ibi laudat conſuetudinem Chriſtianorum, qui ſe invicem orationibus commendant: ad hominem tamen arguit contra Donatiſtas, qui aſſerebant ex ſanctitate Sacerdotis pendere valorem, & effectum Sacramentorum, taliter quod Baptiſmus a bono Miniſtro ſanctificabat, a malo polluebat. Auguſt. docet, populum eſſe ſecurum ſive a bono, ſive a malo Miniſtro abluatur; quia hic eſt, qui baptizat, ideſt, mediator Chriſtus, in cujus virtute operantur Sacramenta: quo ſenſu nec Petrus, nec Paulus dici poſſunt mediatores, nec ſimiles aſtruit Sanctos doctrina Catholica.

Sacramentorum vis ex Miniſtri ſanctitate non pendet.

129 OBJIC. IV. Non poteſt eſſe a Deo illa doctrina, quæ cogit admittere abſurda, ſed doctrina invocationis Sanctorum ad hæc cogit; ergo. Declaratur minor. Invocatio Sanctorum innititur cognitioni noſtræ neceſſitatis, ſed ut admittatur hæc cognitio neceſſe eſt admittere Sanctos volitare per aera, & ubiquitatem; ergo. Sic Vedroſius *ex Hieronymo contra Vigilantium* -- Tu Deo leges „ pones? Tu Apoſtolis vincula injicies, ut „ uſque ad diem judicii teneantur cuſto- „ dia, nec ſint cum Domino ſuo, de qui- „ bus ſcriptum: Sequuntur agnum, quocun- „ que vadit. Si Agnus ubique; ergo & hi, „ qui cum agno ſunt, ubique eſſe credendi „ ſunt: & cum diabolus, & dæmones toto „ vagentur orbe, & celeritate nimia ubique „ ſint præſentes, Martyres poſt effuſionem „ ſanguinis ara operientur incluſi, & inde „ exire non poterunt? --

RESP. neg. min. Cujus probatio detorquetur a ſenſu præintellecto a Hieronymo, qui loquitur de ubiquitate intentionali, ideſt, quia Sancti vident in verbo res ubique exiſtentes, dicuntur ubique: quod optime explicatum habemus a Baſilio *in lib. de Virginitate ante medium* -- Revereatur ipſum ſpon- „ ſum ubique præſentem, ac ejus Patrem, „ ac Sanctum Spiritum. Et quid ſingula di- „ co? Angelorum innumerabilium multitu- „ dinem, & cum his Patrum Sanctos Spiri- „ tus: nullus enim horum eſt, qui non ubi- „ que omnia videat -- Paritas autem Diaboli in eo conſiſtit, quod ſicut illi conceditur notitia naturalis orbis totius, ita non eſt Sanctis deneganda cognitio noſtrarum precum: ſupe-

Sancti noſtras preces norunt.

Digitized by Google

ſuperius enim diximus, Vigilantium negare Sanctos orare pro nobis, quia noſtra ignorant.

130 OBJIC. V. Specialiter contra Invocationem Sanctiſſimæ Virginis a tribus Anonymis. Invocatio, cultum Divinum exhibens creaturæ, eſt ſuperſtitioſa, ſed invocatio tributa Virgini eſt hujuſmodi: nam dicunt Romanenſes Mariam Redemptricem, Mediatricem, quæ ſunt propria Dei hominis, Chriſti; ergo.

RESP. neg. Sancta Mater Eccleſia unum Chriſtum verum Redemptorem, & Mediatorem credit, Virginem verò non dicit Redemptricem in proprietate, ſed ſolum quatenus mundo edidit Salvatorem, lactavit, nutrivit, & libenter conſenſit, ut pro humano genere Crucem pateretur. Mediatricem docet in proprietate non immediate, ſed mediate, idest, per interceſſionem apud Deum, præcipue apud Filium, ſicut loquitur S. Bernardus *Serm. 5. in Aſſumptione* -- Opus eſt no„ bis Mediatore ad iſtum mediatorem (ideſt „ Chriſtum) nec alter nobis utilior, quam „ Maria -- Et licet efficaciſſima ſit ejus interceſſio, quia ſanctior ceteris, quia mater Dei, nihilominus non damus illi efficaciam hujuſmodi independenter a meritis Chriſti, ſed ab illis dignificata ejus opera credimus, licet cumulatiſſime collata ei dona ſine dubio dicamus.

Chriſtus ſolus proprie Redemptor.

131 DICES. Illa prædicata *Vita noſtra, ſpes noſtra, fortitudo noſtra*, quæ paſſim in precatiuncula illa *Salve Regina* occurrunt, & in D. Bonaventura familiaria, ſunt propria Dei, ſicut plena eſt Sacra Scriptura; ergo.

Verùm hæc arguunt protervian Hæreticorum, qui ut nos carpant, redarguere non verentur antiquos illos Patres, qui hujuſmodi eloquiis uſi ſunt in laudibus Beatæ Mariæ, ſicut ſuperius oſtendimus. Dominam, & Reginam appellat Athanaſius *in Evangelio de Deipara*, Mediatricem Cœli, & Terræ Epiphanius *Serm. de laudibus Deiparæ*, Spem deſperantium S. Ephrem *Orat. de laudibus Sanctæ Dei Matris*, & ſic de ceteris. Duplici titulo dicantur hæc Virgini, primò radicaliter, ſeu jure Maternitatis, quia peperit vitam noſtram, ſecundò ſpecialitate interceſſionis, quia potentior in merito.

Prædictis Anonymis ſuppetias ferre videtur Ludovicus Antonius Muratorius, dum ſub nomine Antonii Lampridii *libro de Superſtitione vitanda cap. 2. pag. 16., & 17.* ſequentis ſcripſit -- Fuit mihi olim contentio „ cum viro non minus pietate, quam do„ ctrina ſpectatiſſimo . . . Minime mihi in „ illo probabatur ita extollere devotionem „ erga Mariam, ut ſine illa ſperanda ſalus „ æterna non foret, & cum iſta cœlum e „ manibus elabi nequiret. Afferebat ille S. An„ ſelmi verba: *Sicut, o Beatiſſima Virgo, om„ nis a Te averſus, & a Te deſpectus neceſſe „ eſt, ut intereat, ita omnis ad Te conver„ ſus, & a Te reſpectus impoſſibile eſt, ut pe„ reat* De Sancto quoque Auguſtino (ita ille „ ajebat) *Eadem Beatiſſima Virgo Ser. 18. de „ Sanctis, appellatur ſpes unica peccatorum.* „ Contra ego ajebam componenda hæc eſſe „ cum vera Sanctiſſimæ Eccleſiæ noſtræ do„ ctrina. Si quid crudum, nimiumque ex„ ciderit Sanctis viris, ſive devotionis fervo„ re, ſive oratoria licentia in laudandis San„ ctis, emolliendum eſſe ad canonem Or„ thodoxæ doctrinæ, & nihil verbis iis inſi„ ſtendum, ſed eorum intentioni, ut ſcite „ monuit Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de „ Sanct. Beatit.* aliique Theologi Polemici . . . „ Quare illud de Maria dictum: *Spes unica „ peccatorum*, ſi cum rigore acciperetur, ſen„ tentiam amplecteretur a fide omnino abſo„ nam; quippe in injuriam Ipſius Mediato„ ris evidenter vergeret -- *Pag. 18.* addit -- „ illud verbum *unica* mitiori ſignificatione „ accipiendum eſt, ut non unum, ſeu ſolum „ ſignificet, ſed ut *grande*. Ita Natalis Ale„ xand. *in Appendice tom. 2. Theologiæ Dogma„ ticæ* operæ pretium duxit, exponere illa „ *Spes noſtra ſalve* quid ſignificent in *Salve „ Regina*, ne in errorem fideles inducantur, „ & ne vera devotio in ſuperſtitionem dege„ neret --

Cumque Lampridio dixerit alter Pariſienſem Academiam nuncupaſſe Beatam Virginem: *Unicam humani generis Patronam, ac Matrem* idem Muratorius aſſumpto nomine Ferdinandi Valdeſii Lampridii propugnans ſententiam habet *Epiſt. 17. pag. 222., & 223.* -- Dicere *ſpem unicam* Peccatorum Lampri„ dius minime probaverat. Emollienda eſt „ hujuſmodi phraſis, ut potentem, & gran„ dem ſignificet, non verò ſolam. Alioquin „ faceremus mentientem Joannem Apoſtolum, „ dum teſtatur 1. Joann. 2. v. 1. *Si peccave„ rimus Advocatum habemus apud Patrem Je„ ſum Chriſtum juſtum*. Rurſus Catholicæ do„ ctrinæ adverſabimur, quæ non Virginem „ tantummodo, ſed & ceteros Sanctos agno„ ſcit noſtros Advocatos apud Deum, neque „ de eorum patrocinio dubitat. Tanti ego „ facio ſapientiam celeberrimæ Facultatis Pa„ riſienſis, ut vix ad credendum inducar ex„ cidiſſe ei tam crudam adeoque exorbitan„ tem ſententiam. Appello heic ego uni„ verſos Theologos non ſummi tantum, ſed „ & infimi ſubſellii, rogaturus, ut edicant, „ ſit ne toleranda, an potius recenſenda in„ ter hæreſes contraria adeo divinis Scriptu„ ris, & dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ do„ ctrina, Quis non illico videat, ac fatea„ tur novum iis verbis obtrudi Evangelium, „ Evangelio Catholicæ Eccleſiæ nimis inju„ rium, ac per ea verba deſtrui divinam „ ſpei virtutem, cujus proprium, ſeu præ„ cipuum objectum Deus eſt, a cujus poten„ tia, & miſericordia, atque ab infinitis Sal„ vatoris noſtri meritis ſpetamus Beatitudi„ nem æternam, & auxilia ad eam conſe„ quendam? Si *una ſpes noſtra* Virgo depræ„ dicatur, & vox una ſignificat non in alio „ objecto, niſi in Virgine collocandam eſſe „ ſpem Chriſtianorum, non amplius ad Deum „ convertenda erit ſpes noſtra, ſed ad Dei„ param unam; quod quis Catholicorum „ excogitare audeat, immo non horreat? --

Hæc, aliaque hujuſmodi, quæ de Virgine Maria dicuntur a Patribus, ſparſim ſugillat Muratorius, & quidem *ne in errorem Fideles inducantur, & ne vera devotio in ſuperſtitionem degeneret*, adeoque præter ſupra-

dicta, quæ tanquam *quid crudum, nimiumque* excidiſſe Sanctis viris affirmat, eos carpit, qui aſſerunt *Unam humani generis ſpem eſſe Mariam*, ſic Valdeſius *Epiſt. 17. pag. 221.* Lampridios *cit. libro cap. 23. pag. 176.* velut inſulſos eos traducit, quibus parum viſum eſt tradere. *Dona, & privilegia Sanctis a Deo conceſſa, Beatiſſimæ Virgini fuiſſe collata*: unde male audiuntur a Muratorio, qui excellentiora promunt de Virgine; hinc inter exceſſus exuberantis affectus, ſeu tanquam Hyperbolem unice tolerandam, atque laudandam in Oratione Panegirica refert S. Baſilii Seleucenſis dicta *Hom. in Sanctam Deiparam*, videlicet -- O Virgo Sanctiſſima, utut quis „ honeſta quæque, & glorioſa de te loquatur, haudquidem ille oberrabit a veritate, „ immo nec pro merito fecerit ſatis -- *Epiſtola itidem* 14. quam Valdeſius latinitate donavit, *pag.* 196. inter pietatis exceſſus, quibus *non parcendum eſt*, enumerat eorum ſententiam, qui dicunt B. Virginem clavem habere theſaurorum Dei, atque Reginam fore Miſericordiæ, *cujus Filius eſt Rex juſtitiæ*.

Hæc profecto Fideles a cultu, atque invocatione Beatæ Virginis revocant, dehortanturque; ad eundem ſcopum collineare videntur ea, quæ tradidit Muratorius, aſſumpto Lamindi Pritanii nomine, in Tractatu *Regulatæ Devotionis Chriſtianorum*: capite namque 22. remiſſe commendat, revera tamen rejicit, conſuetudinem implorandi Virginis Patrocinium per Lauretanas Litanias, dum publicæ expoſitum eſt venerationi Euchariſtiæ Sacramentum; quia Chriſtus, qui præſens eſt, unus eſt Mediator noſter; & ſicut injurius eſſet Principi, qui ſupplicem libellum ad Miniſtrum dirigeret, cum ipſe ad benefaciendum paratiſſimus ſeſe ultro offerret, ſic in noſtro caſu; dicente ipſomet Chriſto Joan. 14. v. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*. Nec momentoſum eſt, ſi quis dicat validiores fore preces noſtras apud Redemptorem, ſi a Deiparæ interceſſione corroborentur; hoc ſiquidem, ait ille, nimis probat, eaque propter nihil: aliàs uſquam deceret abſque Virginis interventione Jeſum exorare, quod nullus hominum dicet.

In eodem capite nonnullas propoſitiones tanquam audaces criminatur; eas inter illam refert, quæ aſſerit Mariam in Cœlis imperare, quam fortaſſis legit apud S. Germanum Patriarcham CP. apud S. Petrum Damiani, alioſque; ſubdit hinc exagerative dictum fuiſſe, omnia ad nos obvenire per Mariam, ut apud S. Bernardum legere eſt.

Talia ſcriptis ſuis commendare non dubitavit Muratorius. Verum tandin ne regnavit error, ut egregium hunc virum *liberanda veritas expectaret*, ut olim ajebat Tertullianus? *de præſcript. cap.* 29. Ergone Eccleſia, vel ab ævo Auguſtini, Anſelmi, aliorumque Patrum, quos ille impetit, ad hæc uſque tempora ſilens erravit, eorundem ſenſa in laudem Virginis enunciata, adoptans, nequaquam ſollicita, ne vera devotio in ſuperſtitionem degeneret? Attamen ſiluit illa, quia nihil durum, nimiumque, quod foret emolliendum, in illis deprehendit: Et ſane quid emolliendum in Anſelmo? Quis inficias

Revincitur Muratorius.

ibit averſum a Virgine dubioprocul æternaliter perire, ſicut cœleſtem conſequi felicitatem ad ipſam converſum? Hic namque eſt itidem converſus ad Deum per gratiam, quæ eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam, alter verò eſt a Deo averſus per peccatum, quod generat mortem. Quid emolliendum in Auguſtino, cum Fideles ad unum omnes quovis tempore apprime noverunt appellari Mariam ſpem unicam peccatorum, ſalvâ divinâ gloriâ, & majeſtate? Nonne etiam rudiores in Dominica Oratione palam fatentur æternam Beatitudinem a Deo fore conſequendam, dum ipſum hac ſuper re ſæpe ſæpius exorant, dicendo: *Adveniat Regnum tuum*? Nec negotium faceſſit vox *unica*: Sicut enim canitur ab Eccleſia: *O Crux Ave ſpes unica*, ita Maria dicitur ſpes unica peccatorum: Si ergo abſque hæreſeos notâ primum adoptari debet a Muratorio, ſive ob dignitatem, moralemque extrinſecam excellentiam Cruci a Chriſto communicatam, ſive quia vox *unica* ſignificat quidem aliquam excellentiam, ſed primum, præcipuumque objectum, nempe Deum, non excludit, cur ob Maternitatis jura, atque ſpecialiora dona Virgini conceſſa eam fateri renuit ſpem unicam peccatorum, immo & *unicam humani generis Patronam, ac Matrem*, ut egregie faſſa eſt Facultas Pariſienſis?

Maria ſpes unica Peccatorum.

Neque hæc quidquam officiunt, quin cum Apoſtolo Joanne confiteamur Jeſum Chriſtum Advocatum apud Patrem, ſicut & ceteros Sanctos Advocatos apud Deum; Chriſtus ſiquidem, ut Natalis Alexander *Sec. V. Differt. XXV. art. 2. prop. 1. ad Objectionem 2.* agens de Chriſto Mediatore adnotavit, talis eſt *natura, & officio*, Sancti verò *ſecundi, & ei tanquam primario ſubjuncti*. Præſtat tamen pro re nata audire laudatum Natalem ibid. *prop. 2.* ad Objectionem, quæ ſeptima eſt in ordine -- Etſi quandoque iiſdem verbis a Sanctis rogemus beneficia, quibus ea a Deo „ poſtulamus, non ideo eos agnoſcimus iſtorum beneficiorum auctores, ſed Patronos „ dumtaxat apud Deum. Quemadmodum „ cum Cliens illa quandoque iiſdem verbis „ petit a patrono, & interceſſore, a Miniſtro Principis, vel amico Judicis, quæ novit a ſolo Principe, vel Judice poſſe concedi, ut hoc ſupplicandi modo oſtendat, „ quantum tribuat patrocinio, & interceſſioni eorum, quos ſcit apud Principem, „ aut Judicem multum poſſe. Ita Catholici „ dona cœleſtia interdum a Sanctis petunt, „ quæ a ſolo Deo noverunt obtineri poſſe, ut „ ſe multum interventioni Sanctorum tribuere, hoc ſupplicandi ritu conteſtentur -- Quoniam verò eos Patronos eligimus, qui ob ſpecialiora merita, atque prærogativas, Principi magis ſunt addicti, quam jure, quam meritò Beatam Virginem tanquam humani generis Patronam, ac Matrem invocamus, cum non ſolùm dona, & privilegia Sanctis a Deo conceſſa Beatiſſimæ quoque Virgini fuerint collata, ſed uberiora, atque præſtantiora.

Chriſtus Mediator natura, & officio.

Muratorius audiens dona, & Privilegia Sanctis a Deo conceſſa Beatiſſimæ quoque Virgini fuiſſe collata, inquit -- Quæ ſenten-

„ tia

„ tia cauta etiam neque ſine exceptionibus
„ eſt adhibenda -- quaſi ſine ſolido funda-
mento venditetur .

Varum ſi -- Beata Virgo ſupergreſſa
„ eſt , ut ait Albertus Magnus *de Laudibus*
„ *Virginis lib.* 3. §. 10. omnes Sanctos vete-
„ ris , & novi Teſtamenti , non in quibuſ-
„ dam , ſed in virtutibus ſingulis -- Si ea
D. Thoma 3. *p. q.* 27. *art.* 5. -- Beata Virgo
„ propinquiſſima Chriſto fuit ſecundum hu-
„ manitatem , quia ex ea accepit humanam
„ naturam , & ideo præ ceteris majorem de-
„ buit a Chriſto gratiæ plenitudinem obtine-
„ re -- & ibid. *art.* 6. *ad* 1. -- Dicendum
„ quod B. Virgo , quia fuit a Deo electa in
„ Matrem , ampliorem ſanctificationis gra-
„ tiam obtinuit , quam Joannes Baptiſta , &
„ Jeremias, qui ſunt electi ut ſpeciales præ-
„ figuratores ſanctificationis Chriſti . Cujus
„ ſignum eſt, quod Beatæ Virgini præſtitum
„ eſt , ut de cetero non peccaret , nec mor-
„ taliter , nec venialiter ; aliis autem ſancti-
„ ficatis creditur præſtitum eſſe, ut de cetero
„ mortaliter non peccarent , divinâ eos pro-
„ tegente gratiâ -- Si demum omnes Patres
in eandem confluunt ſententiam , ut teſtatur
Suarez *Tom.* 2. *p.* 3. *Diſp.* 1. *ſect.* 2. -- Ex hac
„ Matris dignitate colligunt Patres omnes
„ Beatam Virginem non ſolum excellentem
„ gratiam accepiſſe , ſed etiam omnes gra-
„ tias , & virtutes , & omnia dona , & pri-
„ vilegia gratiæ inter alios Sanctos diviſas ,
„ & diſtributas in una Virgine fuiſſe ſimul
„ congregata -- quænam dubitatio apud Pru-
dentes ſuboriri poteſt , quæve cautela adhi-
benda , quæve apponendæ exceptiones , quod-
ve firmius deſiderandum fundamentum , ut
certò affirmare poſſimus , non ea tantummo-
do Virgini fuiſſe collata dona, & privilegia ,
quæ aliis Sanctis fuere conceſſa , ſed etiam
uberiora , & præſtantiora ?

Beata Virgo ſupergreſſa eſt Univerſos.

Videamus nunc , an ſenſa S. Baſilii Se-
leucienſis Hyperbolicis locutionibus accenſen-
da ſint , ſecus Theologice propugnanda : Ait
namque honeſta quæque , & glorioſa ſine er-
roris periculo dici poſſe de Virgine , immo
nuſquam ſatis poſſe commendari .

Mirandum ſane Muratorium hic inva-
niſſe Hyperbolem nullimode a Theologia ado-
ptandam : Enim verò cur honeſta quæque ,
inſimul & glorioſa nequeunt jure optimo de
Maria prædicari , immo quis pro merito
Ipſam poterit laudare , cum S. Epiphanius
Orat. de laudibus Virginis eandem alloquens
habeat -- Solo Deo excepto cunctis ſuperior
„ exiſtis, cui prædicandæ neque hominum ,
„ neque Angelorum lingua ſufficit -- S. An-
ſelmus *de Excellentia Virginis cap.* 3. -- Ineſ-
„ fabilis eſt , & ſtupenda omni ſeculo hujus
„ mulieris gratia , & exaltatio -- & S. Ber-
nardinus , reliquis prætermiſſis , tantam dicat
eſſe Virginis perfectionem -- ut ſoli Deo co-
„ gnoſcenda reſervetur ? --

Prærogativæ B. V. ineffabiles.

Neve dicas hæc theologico criterio ad-
verſari . Etenim laudatus Suarez , utique
inter Theologos primi ſubſelii enumerandus
eit. Tomo *in* 3. *p. Diſp.* 18. *ſect.* 4. has , aliaſ-
que ejuſdem momenti ſententias aſſumit, dum
theologiae verſat , quanta gratiæ perfectio, ac
intenſio fuerit in Beata Virgine , & Natalis
Alexander laudatâ ſuperius Diſſertatione *prop.*
2. Theologum agens , non Oratorem adver-
ſus Dallæum eâdem utitur S. Baſilii auctori-
tate .

Porro ſi ineffabilia ſunt , & ſtupenda ,
quæ de Virgine dici poſſunt , eccur inter
pietatis exceſſus eorum effatum Muratorius
deſcribit , qui aſſerunt clavem theſaurorum
Dei Virgini commendatam , eamque Miſe-
ricordiæ Reginam ? Superfluum erit futurum ,
inquit ille (*) . deinceps ad reliquos Sanctos
confugere , ut orent Deum pro nobis : & nihil
nobis ſperandum erit a Deo per Jeſum Chri-
ſtum , niſi accedat Matris interceſſio .

(*) *Valdeſius, ſive Muratorius Epiſt.* 14. *pag.* 195.

Paucis evertit Bernardus *Ser. de Aqua-
ductu in Nativit. Virginis* machinamenta Ad-
verſantis -- Quidquid illud eſt , quod offerre
„ paras , Mariæ commendare memento , ut
„ eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia
„ redeat , quo influxit . Neque enim im-
„ potens erat Deus , ut ſine hoc aquædu-
„ cto infunderet gratiam prout vellet , ſed
„ tibi vehiculum voluit providere . Forte
„ enim manus tuæ aut ſanguine plenæ
„ ſunt , aut infectæ muneribus , quod non
„ eas ab omni munere excuſiſti . Ideoque
„ modicum iſtud quod offerre deſideras ,
„ gratiſſimis illis , & omni acceptione di-
„ gniſſimis Mariæ manibus offerrendum
„ tradere cura , ſi non vis ſuſtinere repul-
„ ſam --

Ut honorificetur Mater , clavem theſau-
rorum ſuorum eidem commendavit Deus , &
ut compertum quiſque habeat gratiſſimum
ſibi fore per Matrem ſua dona hominibus elar-
giri , quinimmo vim quandam impetrandi pre-
ces noſtræ ſortiuntur , ſi media Virgine ipſi
offerantur . Audiatur Ambroſius *precatione* 2.
præparationis ad Miſſam -- Et ut efficax hæc
„ mea ſit deprecatio , Beatæ Mariæ Virginis
„ ſuffragia peto , quam tanti meriti eſſe ſeci-
„ ſti , ut prima inter mulieres novum munus
„ offerret , & nulla præter ipſam novum ac-
„ ciperet -- Perperam itidem dicitur exceſ-
ſiva prædicta locutio : ſiquidem S. Epipha-
nius , qui *hær.* 79. agens contra Collyridia-
nos affirmat æqualis eſſe flagitii Deiparæ Vir-
ginis dignitatem deprimere , aut pluſquam
par ſit attollere , laudata ſuperiùs Oratione *de
Virgine* hujuſmodi loquendi modum non te-
nuit -- Sancta Virgo Maria eſt Sponſa Tri-
„ nitatis , ac plane arcanus diſpenſationis
„ theſaurus --

Deipara clavis habet theſaurorū Dei;

Nec ſuperfluum erit ad alios Sanctos
confugere ; aut nihil nobis ſperandum a Chri-
ſto , Scit enim Deus libere de theſauro ſuo
diſponere , etſi clavis Virgini fuerit concre-
dita ; eaque propter ſive ob Chriſti merita ,
ſive ob Sanctorum interceſſionem hominibus
valet beneficia elargiri .

Sed in eadem Epiſtola clamat Valdeſius:
Nonne omnem temeritatis gradum excedit
aſſerere , quod Beata Virgo -- ſit Regina Mi-
„ ſericordiæ , cujus Filius eſt Rex juſtitiæ :
„ Certe , *ſubdit ille* , non ſine horrore pro-
„ poſitio hæc audiri poteſt , utpote quæ dero-
„ gat honori , ac dignitati Mediatoris noſtri
„ Jeſu Chriſti , & ſpei , confidentiæque no-
„ ſtræ in ipſum , quaſi non ille ſit Pater Mi-
„ ſericordiarum --

S. Bernardus, qui *Epiſt.* 174. bene novit Beatam Virginem falſis non eſſe laudandam encomiis -- Valde honoranda eſt Mater „ Domini: Bene admones: ſed honor Re- „ gis judicium diligit. Virgo Regia falſo „ non eget honore &c. -- *in Sermone de Nativit. Virginis*, habet -- Totis ergo medullis „ cordium, totis præcordiorum affectibus, & „ votis omnibus Mariam veneremur, quia „ ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habe- „ re voluit per Mariam . . . Ad Patrum ve- „ rebaris accedere, ſolo auditu territus, ad „ folia fugiebas: Jeſum tibi dedit Mediato- „ rem . . . An verò trepidas & ad ipſum? „ Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per „ omnia abſque peccato, ut miſericors fie- „ ret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed „ forſitan & in ipſo Majeſtatem vereare di- „ vinam, quod licet factus ſit homo, man- „ ſerit tamen Deus. Advocatum habere vis „ & apud ipſum? Ad Mariam recurre. Pura „ ſiquidem humanitas in Maria, non modo „ pura ab omni contaminatione, ſed & pura „ ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, „ exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exau- „ diet utique Matrem Filius, & exaudiet „ Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum „ ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc „ tota ratio ſpei meæ -- Quamvis igitur optimo jure Chriſto competat miſereri (Miſericordia enim Dei attributum eſt) ſitque Mediator noſter; attamen cum in eo refulgeat Divinitas, quæ majeſtatem præſefert, in ipſo potius ratio juſtitiæ concipitur, quam Miſericordiæ.

In Chriſto Majeſtas Divinitatis refulget.

Ne tamen inter exceſſus pietatis S. Bernardi ſenſa reponat Muratorius, ſciat talem auctoritatem aſſumere Natalem Alexandrum *cit. Diſſertatione* 25., ut ſingularem excellentiam, eximiamque Virginis dignitatem adverſus Dallæum comprobet.

Poſt hæc juvat perpendere, quæ habet de Virgine in Tract. *Regulatæ Devotionis*. Ibi, ut ſupra innuimus, laudabilem rejicit conſuetudinem canendi Litanias Beatiſſimæ Virginis, expoſito Fidelium venerationi Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, eo ductus momento, quod præſente unico Mediatore noſtro Chriſto, incongrue ſupplex libellus non ad Salvatorem, ſed ad Mariam dirigatur.

Recolantur, quæ ſupra diximus ex Natali Alexand. de Cliente, qui Mediatorem aſſumit Miniſtrum, licet probe noſcat beneficium a Principe fore obtinendum, & hoc etſi Princeps adſit; eo namque exorato ſæpe numero contingit, ut ad præſentes Principis amicos convertamur, precemurque, ut apud ipſum pro nobis intercedant. Hoc plane accidit, dum Litaniæ Beatæ Virginis coram Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento cantantur. Exoramus primò Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, totamque itidem ſuperexcelſam Trinitatem, ut noſtrûm miſereatur, dein ad Virginem confugimus, ut quod preces noſtræ a Deo non obtinent, ejus nobis interceſſione donetur; confugimus, inquam, quia *ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*, ut jam novimus ex Melliſluo; confugimus, quia ex laudato Epiphanio ipſa *eſt Sponſa Trinitatis*; confugimus denique quia S. Germanus Patriarcha CP. *Orat. de Dormitione Virginis* Chriſtum ad Matrem ſic alloquentem inducens, habet -- Neque eos, qui in Mondo ſunt, tua „ deſtitutos ope dimiſſura es: Sed ſicut ego, „ cum de mundo non ſim, eos qui in Mun- „ do ſunt, propitiis intueor oculis, ac pro- „ videntiâ guberno, ſic nec tua a Mundo uſ- „ que ad conſummationem auferenda prote- „ ctio eſt. Ego te Virginem Matrem effeci, „ Ego te quoque lætantem ſuper Filio Ma- „ trem conſtituam. Mundum tibi debitorem „ præſtabo &c. -- Porro quiſnam Princeps, qui vult omnia diſponi per Miniſtrum, merito conqueri poteſt, ſi, vel ipſo præſente, hujuſce patrocinium imploretur? Quis nam Princeps, qui ſummo gaudet honore Sponſam condecorari, tædio afficietur, ſi Sponſæ opem populus expoſcat? Quis demum Princeps, qui ſubditos ſuos debitores Matri, hancque ad eorundem ſolamen velit conſtitutam, ægre ferret, ſi ab ipſa præſidium petant? Nullus ſane. Perperam igitur diceretur injurius Chriſto, qui, ipſo præſente, Virginem invocaret.

Illud quidem mirum ſupereſt, quomodo Muratorius dubitare poſſit validiores fore noſtras preces apud Redemptorem, ſi a Deiparæ interceſſione corroborentur: Etenim *quis tam idoneus*, ajebat ad Virginem S. Bernardus in Deprecatione ad ipſam: *ut loquatur ad cor Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut tu felix Maria*? Si ipſa eſt Advocata noſtra, & *præcipue coram Filio ſuo*, ut ſcribit Albertus Magnus *lib. 2. de Laudibus Virginis cap.* 1. n. 19., cui pectus oſtendit, & ubera, *nec poteſt eſſe ullo modo repulſa*, proſequitur S. Doctor, *ubi concurrunt, & perorant omni linguâ diſertius hæc clementiæ monimenta, & charitatis inſignia*, quiſnam tanti ſe æſtimare valet, ut ejuſdem ponderis credat oblatas ab ipſo preces, ac ſi media Virgine Chriſto offerantur?

Nuſquam ergo deceret, ait Adverſarius, abſque Virginis interventione Jeſum exorare?

In promtu abs re eſt illatio: In Litaniis namque Lauretanis Chriſtum primò exoramus, invocamus dein Virginis patrocinium, ut ipſa pro nobis interpellante exaudiamur. Num verò ſatius ſit immediate Chriſto preces fundere, an mediante Virginis ope, perpendantur, quæ huc uſque diximus, & res plane clareſcet.

Supereſt, ut ad examen revocemus, utrum, vel injuria nigro notaverit theta enunciatas propoſitiones: Et primò quidem inſurgit adverſus eam, quæ aſſerit Mariam in Cœlis imperare, hanc traducit vel tanquam inconſideratè, & ex oſcitantia a Sanctis prolatam, vel tanquam ab audaci eloquentia venditatam.

At quam varia ſunt hominum ingenia! Propoſitio, quæ a Muratorio culpatur, libenter a Natali Alexandro ſuſcipitur, ut Dallæum revincat. Is namque, nervis omnibus contendens B. Virginis cultum Religioſum evertere, Proſam quandam perſtringit, quæ legebatur in Miſſali Pariſiis edito anno 1634., & potiſſimum ſequentia: *O felix puerpera, noſtra pians ſcelera, jure Matris impera Redem-*

demptori , cui reponit Natalis *cit. Diſſert.* --
„ Proſa quam Dallæus allegat , ut invidiam
„ faciat Catholicis , quaſi B. Virginem Fi-
„ lio imperare putemus ad Patris dexteram
„ ſedenti , non eſt ab Eccleſia probata , &
„ quibuſdam tantum Miſſalibus olim inſerta
„ eſt ; ejus Auctor ignotus ; nec diu in uſu
„ fuit: Quamquam innoxius eſſet iſte loquen-
„ di modus: *Jure Matris impera Redemptori.*
„ Quemadmodum enim Scriptura ait: *Deum*
„ *obediſſe voci hominis* , quando orante Joſue
„ ſol ſteterit : ita Filium Matri obedire, Chri-
„ ſtum Virgini , aliquo ſenſu dici poteſt , ip-
„ ſamque jure Matris filio imperare . Non
„ enim ibi ſumitur proprie imperii nomen ,
„ quale eſt Domini jubentis , ſed ut ſignifi-
„ cat orationem , ac poſtulationem efficacem ,
„ & certam , ex ingenti , ac ſingulari fidu-
„ cia , quæ omnino , quodcunque vult , obti-
„ net , Hoc ſenſu B. Petrus Damiani *Sermo-*
„ *ne* 44. , qui eſt primus de Nativitate B Vir-
„ ginis , dixit , ipſam Deiparam compellans :
„ Nil tibi impoſſibile , cui poſſibile eſt de-
„ ſperatos in ſpem beatitudinis relevare .
„ Quomodo illa poteſtas tuæ potentiæ poteſt
„ obviare , quæ de carne tua carnis ſuſcepit
„ originem ? Accedis enim ante illum au-
„ reum humanæ reconciliationis Altare , non
„ ſolùm rogans , ſed imperans , Domina ,
„ non Ancilla . Hoc ſenſu & S. Germanus
„ Patriarcha CP. longe ante Petrum Damia-
„ ni ſcripſerat *in Oratione de Dormitione Dei-*
„ *paræ* : Tu verò (*inquit*) maternam vim
„ apud Deum obtines , iis qui ſupra modum
„ peccant , ſupra modum veniam conficis .
„ Nec enim fieri poteſt , ut non exaudiaris :
„ quoniam tibi ad omnia , & per omnia , &
„ in omnibus Deus tanquam veræ , & imma-
„ culatæ Matri ſuæ obedit --

Porro ſi innoxius eſt iſte loquendi mo-
dus , ſi Petri Damiani , ſi Germani Patriar-
chæ auctoritas urget Hæreticum hominem ,
quo jure a Muratorio culpatur ?

Placet hic ſubnectere , quæ hac ſuper re
habet Albertus , qui , teſte Sixto Senenſi *lib.* 4.
Bibliotheca Sanctæ -- ob eximiam ſcientiarum
„ ejus multitudinem , magnitudinemque Ma-
„ gni cognomen , quod nulli unquam erudi-
„ torum contigit , ante mortem adeptus eſt --
quique libros ſcripſit de laudibus B. Virginis ,
non ut Sapientes erudiret , ſed ne quis a re-
cto veritatis tramite declinaret -- Cum verò
„ (ſic in Prologo ſecundo ad præcitatos li-
„ bros) ſcienter in hoc Opuſculo nihil ſcru-
„ puloſum reliquerim , ſed intellectui minus
„ ſubtilium , prout melius potui , complana-
„ verim univerſa , ne vel illi poſſint in ali-
„ quo deviare , vel illi qui lucem appellant
„ tenebras , audeant obtrectare &c. -- Ma-
gnus itaque Albertus , cui non minus ac Mu-
ratorio cordi erat -- ne in errorem fideles
„ inducantur -- ut mox vidimus *lib.* 3. *de laud.*
B. V. §. 11. inter duodecim Deiparæ præro-
gativas ſequentem refert , quæ nona in ordi-
ne eſt -- Cum omnes alii Sancti , & Angeli
„ poſſint Chriſto ſupplicare , & a Deo exau-
„ diri : unde & dicit eis ; Petite , & acci-
„ pietis , ipſa ſola materna auctoritate poteſt
„ ei ut Filio imperare . Quod ſignatum eſt
„ 3. Reg. 2. , ubi legitur Salomon , qui ſi-

Libri XII. de Laudibus B. V. M a nonnullis Richardo a Sancto Laurentio adſcribuntur.

Lampridius de ſuperſtitione vitanda capite ſupracitato.

„ gnat Chriſtum , reſpondiſſe Bethſabeæ Ma-
A „ tri ſuæ , quæ Mariam figurabat : Pete Ma-
„ ter mea : neque enim fas eſt , ut avertam
„ faciem &c. Ad hoc enim figurandum 3.
„ Reg. 10. dicitur , quod Rex Salomon
„ dedit Reginæ Saba omnia , quæ vo-
„ luit , & petiit ab eo &c. , quæ videlicet
„ Regina ſignificabat Mariam : Ideo ſic ora-
„ mus eam : Monſtra te eſſe Matrem . Quaſi
„ diceretur ei : Imperioſe , & materna au-
„ ctoritate ſupplica pro nobis Filio tuo . Item
„ illud : Ora Patrem , jube natum : Dicunt
„ autem quidam hoc non bene fuiſſe dictum ,
„ ſed mentita eſt iniquitas ſibi : Nonne le-
„ gitur Luc. 2. de Jeſu , quod erat ſubditus
B „ illis , ſcilicet Mariæ , & Joſeph ? Et ibi-
„ dem , quod ipſa materna fungens auctori-
„ tate corripuerit Filium dicens : Fili quid
„ feciſti nobis ſic ? Et paulo poſt ſubjungi-
„ tur , quod audita correctione materna pa-
„ tienter , & abſque murmure deſcendit cum
„ illis Nazareth , & erat ſubditus illis . Non
„ enim evacuabitur præceptum in Patria il-
„ lud Dominicum : Honora Patrem , & Ma-
„ trem Exod. 20. , ſed perfectiſſime adim-
„ plebitur -- Hinc proſequitur explicare ſu-
bjectionem illam non fuiſſe neceſſitatis , ſed
pietatis , & ut obedientiam , & humilitatem
nobis commendaret . Eandem imperandi au-
C ctoritatem agnovit in Virgine laudatus Alber-
tus *ibid. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 6. ad illa verba *Do-*
minus tecum .

Iiſdem momentis aliam propugnamus
propoſitionem , qua dicitur : *Omnia bona ad*
nos obvenire per Mariam , quæ S. Bernardi
eſt *Ser. ſupracit. de Nativit. Virginis* , & tra-
dit Albertus Magnus *lib.* 1. *de laudibus Vir-*
ginis cap. 3. , ubi Deiparam comparat mari ,
ex quo ſicut omnes aquæ diffluunt , ita omnes
aquæ gratiarum , omniſque plenitudo univer-
ſorum bonorum Virgini a Deo collata ſunt ,
ut ea nobis diſtribuat ; ſiquidem illam aſſumit
in præcit. Diſſ. 25. Natalis Alexander contra
D Dallæum , & Patres aperte tradunt ad Vir-
ginis commendationem .

Quis ergo compertum non habet , haſce
propoſitiones immeritò fuiſſe cenſorio ſtigma-
te notatas , cum eas Patres adoptaverint , at-
que Doctores , & quidem optimi Criterii ,
innoxias dixerint , hiſque uſi ſint ad revin-
cendos Hæreticos , qui cæco , exſecrandoque
modo adverſus Beatæ Virginis cultum , at-
que obſervantiam inſurrexerunt ? Porro de
his apte dicebat laudatus Natalis ubi ſupra --
„ Eos qui devotionem erga Deiparam Vir-
„ ginem contemnunt , & mulierculam ſu-
„ perſtitioſularum otioſum negotium im-
E „ pie vocant , qui ejus imaginibus cultum
„ religioſum abrogant ; elogia quibus a Pa-
„ tribus , & ab Eccleſia ornatur , & lauda-
„ tur , impatienter ferunt ; eam eximio , ſin-
„ gulari , proprioque cultu , ſecundom Deum ,
„ præ Sanctis omnibus negant honorandam ;
„ illos , inquam , Diaboli partes agere , ejus
„ miniſtros eſſe , S. Joannes Damaſcenus o-
„ ſtendit , referens Hiſtoriam de Abbate
„ Theodoro Æliota narratam , in Prato Spi-
„ rituali deſcriptam ; quo etiam in libro Fi-
„ des Catholica in ſeptima Synodo Œcume-
„ nica adverſus Iconomachos confirmata eſt --

Pro

Pro re nata plura non habebis *in Corollario Scholaſtico Prob. 3., & Controv. XI.*

SOLVITUR OBJECT. CIRCA INVOCATIONEM SANCTORUM, PERTINENS AD DOCTRINAM QUIETISTARUM.

132 OBJIC. VI. Licet fideles communiter indigeant, & debeant Sanctorum implorare patrocinium, ſecus animæ perfectorum: Nam iſtæ ſunt Chriſto nuptæ, & ſponſalia, & matrimonium ſpirituale contraxerunt: pertinent enim ad ſeptimas manſiones; & iſtæ ſunt illius ordinis privilegiati, de quo Cant. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adoleſcentularum non eſt numerus. Una eſt Columba mea, perfecta mea.* Reginæ ſunt, quæ gladio mortificationis cupiditates inordinatas terrenorum devicerunt. Concubinæ, quæ Deo ſerviunt mercedis intuitu, etiam temporalis. Adoleſcentulæ ſunt per Baptiſmum genitæ, & gratia ſanctificante initiatæ, ſed ad nuptialem ſtatum nondum pervenerunt. Columbæ ſunt animæ, quæ ſtatum ſummum, ſeu altiorem perfectionis gradum attigerunt; & iſtæ ſunt ſpecialiter ſponſæ Chriſti. Sponſa porro nihil petit a ſponſo miniſterio Domeſticorum, immo dedecet. Hinc de iſtis dicitur, quod de Regina Eſther, cui dictum eſt ab Aſſuero, pro te non eſt lex iſta ingrediendi ad Regem non vocata, quia Sponſa es: ita lex ſive neceſſitatis, ſive utilitatis invocandi Sanctos, non convenit animæ perfectæ, quia Sponſa eſt.

Quietiſtarum deliramenta.

Hanc Doctrinam tradit nobilis quædam Matrona ex primaria quadam urbe, quæ ſuſpecta falſi Quietiſmi detinetur in vinculis: Mulier hæc Canticorum Epitalamium, Prophetas, aliquotque alios libros Canonicos explanavit Commentariis. Hæc adeo plena extitit ſanctitatis Chariſmatibus (ut ipſa dicebat) quod gratiam ex ſe diffundebat in adſtantes, & frequenter, ſicut mater, quæ plenas habet lacte mammas; & patitur, ſi non emungat. Dicit, quod ipſa ſit baſis, & columna Eccleſiæ, quod habebit in futurum Milliones ſequacium. Dicebat, quod in primitiva Eccleſia fuerunt Martyres Chriſti; nunc plurimi erabunt Sancti Spiritus, videlicet, plurimi occidentur, & patientur pro defenſione orationis, & Divini amoris, cujus ſpecialis inſpirator eſt Spiritus Sanctus. Interrogata a ſuo quodam Magiſtro, & Epiſcopo: An peteret a Deo veniam de ſuis peccatis? Reſpondit, ſe non indigere. An invocet aliquando Cœlicolas? Reſpondit, non decere Sponſam. Hæc habentur ex relatione tranſmiſſa Romam. Nomen ſubticeo, licet in Curia notum, ita prudenter exigentibus quibuſdam circumſtantiis; licet pro certo habeam, hæc eſſe ſigna falſarii ſpiritus, & valde ſuperbi, Judicium perſonæ ad me non pertinet. Meum eſt defendere Sanctorum invocationem contra impugnatores: quare dicendum eſt, hanc convenire etiam ſumme perfectis. Iſte eſt ſenſus Eccleſiæ, quæ abſolute Viatoribus utilem declaravit Sanctorum invocationem; quæ omnibus filiis proponit obſervanda Sanctorum feſta; & pro omnibus implorat in collectis orationis ſuffragium, quæ in neceſſitatibus obligat univerſos fideles, & ſpecialiter Sanctiores, utpote Deo chariores, ad petendum auxilium a Domino, imponendo determinate recitationem Litaniarum, quæ dicuntur Sanctorum. Hæc approbat conſuetudinem plurium Ordinum Regularium, qua ſingulis menſibus cuilibet Religioſo aſſignatur unus Sanctorum in Patronum, ad quem recurrat. Convenire viris quoque perfectis, ſuadent quæ attulimus in probatione. Certe valde perfectus erat Job, & tamen patrocinium Cœlicolarum petebat, cap. 19. v. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei!* Pro amicis Angelos intelligit juxta Auguſt. ibi; & colligitur ex cap. 33. v. 23., & 24. *Si fuerit pro eo loquens Angelus, unus de millibus &c. miſerebitur ejus, & dicet: Libera eum &c.* Certe valde perfectus erat Paulus Apoſtolus, & tamen petit adjuvari apud ſponſum orationibus fratrum. Ad Rom. 15. v. 30. *Obſecro ergo vos fratres &c. ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me apud Deum.* Similiter ad Epheſ. 6., 1. Theſſ. 3., 2. Theſſal. 3. Certe valde perfectus erat S. Joan. cum Apocalypſim ſcripſit, & tamen Angelorum ſuffragio eſt uſus, cap. 1. v. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt; & a ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt; & a Jeſu Chriſto*, ſimilia omittimus.

Nec ratio ſponſæ quidquam evincit; ſiquidem animæ Sanctorum, qui ſunt in Cœlo, ſponſæ ſunt majori jure, & titulo, & in ſtatu indiſſolubiliter unitæ, & in domo ſponſi per claram fruitionem bonorum, & majores dignitate. Dicit enim Chriſtus, quod minimus in Regno Cœlorum eſt major eo, videlicet, Joan. Baptiſta viatore. Porro animæ perfectorum in via non ſunt in ſtatu ſponſæ indiſſolubilis, non ſunt in domo ſponſi, ſunt minores dignitate: unde non inconvenit, quod utantur patrocinio Sanctorum, ſicut non incongruum erat, quod in domo David, Salomonis &c. uxores inferioris ordinis, per eas, quæ erant ſuperioris ordinis, aliquid peterent a Rege ſponſo.

Nec exemplum Eſther eſt ad rem: nam eo ſolum evincitur, quod ſponſæ aliquo fruuntur privilegio, quo carent ſervi, quod non negamus. Viri perfecti exaudiuntur a Deo in iis, quæ petunt in nomine Chriſti, & confidenter accedunt, ſervi vero, ideſt peccatores non ſemper exaudiuntur, nec accedunt iiſdem motivis confidentiæ, quibus juſti. Ceterum non eſt contra dignitatem ſponſæ viatricis, quod ex quadam ſponſi reverentia non audeat accedere quandoque, non niſi interpoſito patrocinio Majorum. Secundum Apoſtolum Sancti ſunt cives, & domeſtici Dei, ſed qui ſunt in Cœlo, ſunt domeſtici Principis, & digniores; quod autem inconveniens eſt, quod domeſtici minores per majores petant a Domino ea, quibus indigent? Sponſa viatrix, ſi vere diligit ſponſum, facit quantum poteſt, ut aſſequatur indiſſolubilitatem conjugii, & fruatur præſentia amati; ad hoc autem non pervenitur, niſi per perſeverantiam in exercitiis virtutum, ex quibus maxime ſponſo placet humilitas, quæ certe exer-

Quædam privilegia ſponſæ conveniunt.

exercetur, quando ob quotidianos defectus ſibi timens anima interponit mediationem eorum, quos certo ſcit placere dilecto.

133 DICES. Anima perfecta licet non ſit in domo ſponſi per fruitionem, eſt tamen in ejus cubiculo per fidem, unde Cantic. 1. v. 12. dicitur: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*. Ecce ſponſus, & ſponſa ſunt ſimul in cubiculo, & ibi ſponſa ſuas preces fundit, quæ in odore fuſo indicantur. In cubiculo, ubi ſolus eſt ſponſus, & ſponſa, indecens eſt, quod admittatur mediator aliquis. Introductam eſſe ſponſam in cubiculum ſponſi docet Seraphica M.N. Theresia 7. manſione: quare in eo ordine, in quo eſt cum ſponſo in cubiculo, non convenit interceſſio per medium; ergo in ordine fidei non convenit, quod admittatur Invocatio Sanctorum.

RESP. Propter hoc idem, quod eſt in cubiculo fidei, indiget Mediatore; quia cubiculum fidei eſt cubiculum periculi, & amiſſibilitatis. Probat S. Thom. 1. *p. quaſt.* 113. *art.* 4. omnibus præter Chriſtum dari Angelum Cuſtodem, quia in via multa pericula imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori. Inter hæc pericula verſatur anima perfecta, ideo dicitur Cant. 1. v. 4. *Nigra ſum &c. ſicut tabernacula Cedar*; & 2. v. 1. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Quod intelligitur de tentationibus a mundo, carne, & diabolo circumdantibus animam perfectam; unde indiget cuſtode, per quem etiam petat adjuvari, indiget protectore; quare non admittit anima mediatorem, ut amorem ſponſi conſequatur, quem jam amat, ſed ne illum amittat, ut illum augeat, ut illum ad conſummationem ducat. Seraphica Mater ſæpe repetit, quod iſtæ animæ non ſunt ſecuræ, timent, ſuſpirant, ne cadant, & ideo omni utuntur medio utili ad perſeverantiam, quorum unum eſt interceſſio Sanctorum. Obiter nota reflexionem Patrum, quod nardus dicitur Sponſa, quæ eſt herba parva, & ſignificat humilitatem, cujus non eſt dimittere Mediatorem; odor fuſus ſunt virtutes.

Sponſa in via adhuc indiget mediatore.

134 INSTABIS. Inter ſponſam viatricem, & ſponſum eſt mutua correſpondentia, & ideo dicitur Cant. 7. v. 10. *Ego dilecto, & ad me converſio ejus*, ſed ſponſus immediate alloquitur ſponſam, Cant. 2. v. 10. *En dilectus meus loquitur mihi*, Et 13. *Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Rex, non alius, & ipſa non per alium ait ver. 11. *Veni dilecte mi; egrediamur in agrum &c.* Quibus petit, quæ optat.

RESP. Min. non eſt univerſaliter vera, Nam ſponſus alloquitur ſæpe mediis aliis, ut Magiſtris, Angelis Cuſtodibus, Superioribus; unde dicitur Cant. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael*. In his fortibus intelligitur ſecundum D. Thom., & alios Doctores, ordo Sanctorum Patrum, qui dirigunt, & inſtruunt Sponſas Chriſti viatrices. Porro Patres docent, ab omnibus eſſe Sanctos invocandos; & ipſi cum eſſent Sanctiſſimi, ut Epiphanius, Chryſoſtomus, Ephrem, Baſilius, Hieronymus, Auguſt. &c., quorum verba dedimus, Sanctos invocabant. Ipſa etiam ſponſa ex Canticis aliquando Mediatore utitur, ut 5. cap. v. 8. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*. Pro filiabus intelligit D. Thom. animas Deo gratas tum in via, tum in patria, & per has notos facit ſponſo ſuos languores, ſuſpiria, & deſideria: quare inſtantia æquivocat arguendo a particulari ad univerſale.

Sponſus ſæpe Sponſam per alios alloquitur.

URGEBIS, Semper diſconvenit, quod ſponſa in altero confidat, quamdiu innititur ſuper dilectum; facit enim illi injuriam: atqui anima perfecta eſt ſemper innixa dilecto ſuo; unde dicitur Cant. 8. v. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?*

Reincidit replica in doctrinam Proteſtantium, qui docent, Invocatione Sanctorum fieri injuriam Chriſto; quia in eo ſolo non ponitur ſpes. Sed eſt fallacia a miniſteriali ad auctoritativam advocationem; ab inſtrumentali ad principalem, ut ſuperius diximus. Ceterum licet ſponſus, quamdiu ſponſa non peccat graviter, teneat eam media charitate, illique plurima bona communicet, & jucunde, & delectabiliter cum ea verſetur, tamen quandoque ſe ipſum ſubtrahit, ut experimentum capiat dilectionis, relinquitur ſuis paſſionibus, & quandoque labitur in quoſdam defectus, propter quos abſconditur ſponſus; & ideo dicitur Cant. 5, *v.* 6. *Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque tranſierat &c.* Et v. 17. *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum &c.* Qua occaſione utile eſt, & neceſſarium ad intimiores ſponſi confugere, ut intercedant pro ſponſa, ut eam iterum recipiat ad oſcula, dimittat injurias. Hinc habemus 3. Cant. v. 1., & 2. *Quæſivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea; quæſivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem: num quem diligit anima mea vidiſtis?* Et cap. 5. v. 17. *Quo declinavit dilectus tuus? Et quæremus eum tecum*. Quibus palam fit mediatorum adjutorium.

135 REPLICABIS. Charitas perfectorum eſt purior participatio charitatis Beatorum, ſed Beati immediate omnia petunt a Deo, nec ullus pro alio; ergo etiam perfecti non debent ad Deum recurrere per Mediatorem. Certe perfecta amicitia eſt confidentialis, & offenditur amicus, qui ab amico immediate non exoratur: certe charitas immediate unit Deo, adeoque inclinat, ut non medio alio fiat acceſſus per preces.

RESP. Eſſe quidem participationem, ſed differre ſtatu: eſt enim ambulantis, eſt abſentis, eſt in periculis conſtituti, eſt laborantis, eſt indigentis, eſt defectibilis; ex quibus omnibus oritur utilitas, congruentia, immo neceſſitas Mediatoris. Amicitia pariter quæcunque perfecta viatoris eſt iſtis conditionibus implicata, cui optime convenit, ut amicus exoretur per intimos a ſponſa, in qua humilitas valde placet, & nimia præſumptio diſplicet. Per ſuos Miniſtros purgat ſponſam a de-

Amicitia non excludit Mediatorem.

a deſectibus. *Capite Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam*; Unde etiam gaudet, quod Sponſa per Mediatores ſe adjuvet, & reſurgit. Charitas unit quidem Deo immediate, ſed etiam imperat actus omnium virtutum, & invocatio Sanctorum eſt actus virtutis Religionis.

136 SUBSUMES. Chriſtus prima veritas docet, charitatem perfectorum non admittere Mediatorem apud Patrem, ſed charitas perfectorum conſtituit animam Sponſam Chriſti, & Dei; ergo non decet ſponſam invocare Sanctos. Major declaratur. Joan. 16. v. 23. dicit Dominus Apoſtolis: *Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dies, de quo loquitur, eſt dies Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ut cum Cyrillo exponunt plerique, & contextus indicat. Nam ſuperius loquitur de miſſione Spiritus Sancti, & facit ſenſum, quod, quando repleti fueritis Spiritu Sancto, & conſtituti in ſtatu ſummæ perfectionis, tunc non rogabitis me, ſed ſolum Patrem meum; nec indigebitis me precari in neceſſitatibus veſtris. Igitur character charitatis perfectæ eſt non admittere Mediatorem creatum; ſi enim excludit Chriſtum qua hominem, a fortiori excludit Sanctos.

Non eſſe hunc ſenſum excluſivum oſtendit D. Auguſt. *Serm.* 101. *in Joannem*, ex eo, quod viri repleti Spiritu Sancto rogaverint Chriſtum -- At poſtquam reſurrexit, interrogatum legimus a diſcipulis, quando Regnum reſtitueret Iſrael. Rogatus eſt etiam a Stephano, cum eſſet in Cœlo, ut ſpiritum ejus ſuſciperet -- Et 2. Corinth. 12. Apoſtolus ter rogavit Dominum, ut Satanam eum colaphizantem tolleret: unde pro illa die intelligit S. Auguſt. diem viſionis Beatificæ -- Puto ergo, quod hic dicit, referendum eſſe ad tempus, quo videbimus eum, ſicuti eſt, ubi nihil deſiderandum remanebit, nihil quærendum latebit -- Quod utique omnino verum eſt, ſi loquamur de die conſummatæ Beatitudinis, quæ erit poſt diem judicii, ſi vero loquamur de die Beatitudinis inchoatæ quoad animam, quæ eſt a nunc uſque ad diem judicii, intelligitur de illis, quæ pertinent ad ſuam eſſentialem Beatitudinem; ſecus vel pro aliis, vel pro ſeipſis quoad accidentalia. Pro his datur oratio in Beatis: unde Sancti Martyres Deum interrogant dicentes, Apocalypſis 6. v. 10. *Uſquequo Domine, Sanctus, & verax non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum*. Loqui Chriſtum de die gloriæ, ſuadet contextus in v. 22. præcedenti: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum; & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*.

Sed quoniam plerique Patrum intelligunt de die Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ideo dicitur, quod *petere* in idem redit, ac interrogare, ſicut ex verbo græco habetur: & quidem latini codices id habent; & iſto verbo utitur codex D. Thom., & littera conſonat. Nam cum dixiſſet Jeſus v. 16. *Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me*: non intelligebant Diſcipuli, & volebant eum interrogare, ut patet ex Scriptura; & Chriſtus prævenit eos explicando, & ſubdens quæ in objectione tanguntur, & tunc corruit difficultas, cum ſenſus planus ſit. Quando venerit Paraclitus, qui docebit vos omnem veritatem, & ſuggeret quæcunque dixero vobis, ſufficienter, & plene inſtructi non indigebitis me interrogare.

Verùm hac ſolutione non ſatisfacimus D. Chryſoſtomo *homil.* 70. Theophilacto, & aliis, qui nomen *rogabitis* accipiunt pro precari ſecundum proprietatem; ſicut in ſecunda parte verſiculi habetur: ideo addendum eſt, loqui Chriſtum de precibus immediate directis ad Chriſtum ut præſentem corporaliter, & modo eo, quo uſque ad illud tempus rogaverant. Rogabunt tamen eum, ut facit unum cum Patre, ut habentem jam meritum completum apud Patrem, ratione cujus exaudientur. Hinc ſtatim ſubdit: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ecce quod non excluditur auxilium Chriſti, ſed includitur, & eſt verbum conſolatorium, quo promittit abſens etiam ſuum adjutorium, ut depellat ab eis triſtitiam, quam conceperant de ſua abſentia, quaſi orphani relinquendi, & ob hanc cauſam formula quadam juratoria ſecuros facit eos de Patris exauditione, & de ſuo adjutorio, & applicatione meritorum.

137 ADDES. Chriſtus expreſſe intendit docere, quod ratione perfectæ charitatis ſolus Deus eſt exorandus, & quod nullius creaturæ ſuffragium eſt interponendum ab iis, qui ſunt perfecte amici: unde expreſſe propter hoc motivum dicit, quod ipſe non rogabit pro eis. En clara verba v. 26. *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis*. in illo ergo die non rogabit pro Apoſtolis ob cauſalem perfectæ amicitiæ. *Ipſe enim Pater &c*. Et ſi Chriſtus non orat pro perfectis, multo magis non orant Sancti. & ſi videtur injuria fieri Patri diligenti, interponendo Chriſtum, quanto magis interponendo Sanctos? Stat ergo firmiter, perfectis non convenire Sanctorum invocationem.

Propter hanc Scripturam Heterodoxi acriter inſurgunt contra Sanctorum orationes, & plerique Orthodoxorum hinc colligunt Chriſtum in Cœlis non orare pro nobis oratione vera, & formali. Sed primum ſuo loco falſum oſtendimus; & ſecundum excellenter evincunt N. PP. Sal. *tom.* 2. *de Incarn. diſp.* 30. *dubio* 2., & pro utroque aſſerto ſtant Scripturæ, & Patres. Illud enim ad Rom. 8. v. 34. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, & ad Heb. 7. v. 35. *Unde ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, & illud 1. Joan. 2. v. 1. *Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*, demonſtrant Chriſtum in Cœlo orare pro nobis. Hinc D. Ambr. *in cap.* 8. *ad Rom.* -- Chriſtus reſurgens ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem, cujus poſtulatio contemni non poteſt -- Auguſt. in illa verba *Impleat Dominus petitiones tuas*, *Pſal.* 19. de Chriſto habet -- Impleat Dominus non ſolum petitiones,

Chriſtus in Cœlis pro nobis orat.

„ tiones, quas habuiſti in terra, ſed etiam „ quibus in Cœlo interpellas pro nobis -- Præf. *in Pſal.* 85. -- Orat pro nobis, & orat „ in nobis, & oratur a nobis -- *Epiſt.* 59. -- „ Nunquid interpellat Chriſtus, & non etiam „ poſtulat? Immo verò quia poſtulat, pro „ eo poſitum eſt, interpellat -- Chryſoſt. *homil.* 13. *in Epiſt. ad Hebr.* -- Noſtri curam „ non depoſuit, ſed & pro nobis intercedit, „ & adhuc eandem charitatem conſtanter „ ſervat -- Et alii paſſim. Quare locus citatus in objectione alium habet ſenſum, quem ex Chryſoſtomo hic refert S. Thomas -- „ Hoc forte dicit, ne forte credant diſcipuli, „ quod ita ſint per filium impetraturi, quod „ ipſi non habeant immediatum acceſſum ad „ Patrem, quaſi dicat. Modo ad me recur„ riſtis, ut pro vobis interpellem, ſed tunc „ tantam fiduciam habebitis apud eum, quod „ etiam ipſi a Patre petere poteritis in no„ mine meo, non indigentes alio introdu„ cente. Sed nunquid Apoſtoli non indigue„ runt Chriſto homine ad interpellandum? „ Aliàs cum ipſe interpellat, ſuperflua erit „ ejus interpellatio. Sed dicendum, quod „ non interpellat pro eis tanquam pro abſen„ tibus, & acceſſum habere non valentibus, „ ſed faciens preces eorum exaudibiliores -- Hic igitur fiduciæ cauſam præſtoiatur ex dilectione Patris, non autem excludit mediationem Sanctorum, nec injurioſam indicat perfectioni amicitiæ.

138 CONCLUDES. Indecens eſt, & injurioſum interponere famulos ad ſupplicandum apud Dominum, quando ipſemet enixe, & ardenter petit, ſed pro anima perfecta enixe, & ardenter orat ejus Dominus Sponſus: habemus enim ad Rom. 8. v. 26. *Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Porro Spiritum, de quo loquitur, eſſe Spiritum Sanctum perfectorum ſponſum docent Origenes *in hunc locum*. Nazianzenus *Orat.* 5. *de Theologia*. Ambroſius *ad Horontium epiſt.* 23. Hilarius *in Pſal.* 64. Auguſt. *epiſt.* 121., & alii: eſſeq. Spiritum Sanctum ſpecialiter inhabitantem animabus perfectis ſuadet phraſis illa *Gemitibus inenarrabilibus*, ideſt, maxime ferventibus; ergo manifeſta committitur indecentia, & injuria in tantum Sponſum, ita efficaciter poſtulantem, ſi adhibeantur Mediatores ordinis inferioris.

RESP. In quocunque ſenſu accipiatur Spiritus in loco præcitato Pauli, nihil concluditur adverſus Doctrinam de invocatione Sanctorum ab animabus perfectis. Si accipitur pro charitate animæ infuſa, ſuperiorem ejuſdem portionem elevante, corroborante, illuſtrante, juxta illud Auguſtini *tract.* 6. *in Joan.* -- Spiritus, ideſt charitas ipſa gemit, „ charitas ipſa orat -- jam tota vis corruit. Nam charitas viatorum radicans omnes virtutes, eaſque imperans inclinat, immo imperat actus Religionis erga Deum, ejuſque cœlicolas; ac proinde gemens, & orans ſuffragium etiam Sanctorum expoſtulat.

Charitas imperat Religionis actus.

Si accipitur pro ipſa increata Sancti Spiritus perſona, dicitur poſtulare, & gemere effective, ſeu cauſaliter, quatenus poſtulare facit, & gemere; ſicut ubi dicitur Matth. 10. v. 19. *Spiritus Patris loquitur in vobis*, intelligitur, qui vos loqui facit, cumque Spiritus Sanctus velit Sanctos adorari, honorari, & invocari, dum facit poſtulare, & gemere, facit etiam, ut invocentur Sancti; immo ſufficienter exprimitur illis verbis *Gemitibus inenarrabilibus*, hoc eſt, ferventiſſimis, & flagrantiſſimis; quatenus anima juſti concupiſcit revera a Deo exaudiri, & impetrare quod poſtulat. Et quia novit efficaciam in obtinendo, quam habent Beati apud Deum, ideo ad Sanctos recurrit, nullum prætermittens medium, aptum ad perveniendum, ſeu conſequendum illud quod optat. Igitur excitative, inſpirative, motive Sanctus Spiritus orat pro nobis, ſuggerens quid debeamus petere, & quomodo, ut ſimus exaudibiles; ſæpe enim neſcimus bene orare, ut dicit hic littera: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*: & ſua pietate, ac miſericordia nos prævenit Dei gratia illuminans, & urgens cor ad bene orandum.

COROLLARIUM SCHOLASTICUM.

AN DETUR PRÆCEPTUM INVOCANDI, ET ADORANDI SANCTOS.

RESolutio hujus Corollarii valde utilis eſt, tum pro firmanda veritate de invocatione Sanctorum adverſus Acatholicos, qui communiter cum Confeſſione Auguſtana *art.* 21. ex eo carpunt invocationem Sanctorum, quod non datur mandatum de ea, tum pro evertenda doctrina illius Matronæ, de qua in præcedenti objectione, ſe excuſantis ab invocatione Sanctorum titulo Sponſæ, & negatione obligationis. Ob hæc, & alia motiva aſſumendum duxi examen propoſitæ difficultatis: implorato Sanctorum auxilio ſubdam, quæ ſentio, iiſdem omnino principiis innixus, quibus univerſaliter in puncto fidei utuntur Patres, & Controverſiſtæ contra Novatores.

Dicendum eſt, dari præceptum pro omnibus fidelibus invocandi, & adorandi Sanctos.

139 PROB. I. Quia dicitur Job ultimo v. 8. ad amicos Job: *Ite ad ſervum meum Job: & offerte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orabit pro vobis*, poſt Sanctos Patres colligunt Orthodoxi Doctores utilem eſſe Sanctorum invocationem illatione univerſali, & quotquot vidi auctores locum hunc afferunt; ergo quia verba ſunt præceptiva, conſequentia Theologica inferendum eſt dari præceptum de invocandis quandoque Sanctis. Non videtur tam facile aſſignare diſcrimen, cum non ſequatur illatio præcepti æque univerſalis: Nam quo ad utramque partem caſus ſecundum ſe eſt particularis, ac proinde quo ad utramque partem vim illationis debet habere proportionalem. Nec diſtat a more Scripturæ in doctrinalibus modus inferendi illationem generalem ex occaſione particulari. Hinc quia Matth. 19. v. 17. Adoleſcenti petenti, quid faceret, ut ſalvus

Ex particulari quandoque generalis illatio.

 fieret?

fieret ? reſpondit Dominus : *Si autem vis ad vitam ingredi , ſerva mandata* , legitima conſequentia inferunt Doctores, cuilibet volenti ſalvum fieri neceſſaria eſſe mandata : & quia eidem ſubdit v. 21. *Si vis perfectus eſſe , vade , vende omnia , quæ habes &c.* colligitur univerſaliter conſilia Evangelica eſſe utilia , & neceſſaria ad conſequendum ſtatum perfectionis , non obſtante , quod Hæretici ad elevandam vim opponant uni Adoleſcenti dictum, ſicut in Controverſiis de ſtatu Monaſtico ex profeſſo demonſtravimus . Similiter ubi Apoſtolis dixit, ut vigilarent, ne imparati a morte prævenirentur , omnibus dictum agnoſcit Eccleſia ; alia ſimilia exempla reperiuntur in Scripturis ; ergo non incongrue, ex eo, quod ſpecialiter dictum eſt amicis Job præceptive , ut orationes illius poſtularent , arguitur præceptum exorandi Sanctos , ſicut arguitur univerſalis utilitas , & congruitas poſtulandi ſuffragium Sanctorum .

Hoc textu utitur Bellarminus *lib.* 1. *de Sanct. Beatitudine c.* 20. *in reſp. ad arg.* 6., in quo ex confeſſione Auguſtana ſibi objicit -- " Nullum extat Scripturæ mandatum , vel " exemplum , vel promiſſio de invocatione " Sanctorum : non igitur Sancti invocandi " ſunt --

Data altera ſolutione , quam infra aſſumemus , adjicit -- Quamquam in libro Job " cap. ult. particulare mandatum, exemplum, " & promiſſionem habeamus , ex quibus de " toto genere invocationis judicari poteſt : " Ite ad ſervum meum Job : En mandatum, " & orabit pro vobis : En exemplum . Et ego " ſuſcipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur ſtultitia : En promiſſio --

140 PROB. II. Quotquot ſunt Catholici Doctores propugnant Sanctos eſſe invocandos , quia Sacra Scriptura mutuam commendat orationem inter vivos , quorum ratiocinium complectitur S. Thom. 4. *ſent. diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 2. *argum.* 2. -- Sancti, qui " ſunt in patria , magis ſunt accepti Deo , " quam in ſtatu viæ , ſed Sanctos , qui ſunt " in via , conſtituere debemus interpellatores " pro nobis ad Deum , exemplo Apoſtoli , qui " dicebat Rom. 15. v. 30. Obſecro ergo vos " fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum , & per charitatem Spiritus Sancti , ut " adjuvetis me in orationibus veſtris pro me " ad Deum ; ergo & nos multò fortius petere " debemus a Sanctis , ut nos juvent orationibus ad Deum -- ſed datur præceptum mutuæ orationis inter vivos ; ergo datur præceptum invocandi Sanctos . Ant. patet ſcripturis. Mihi ſufficit illud Jacobi 5. *Orate pro invicem , ut ſalvemini* , & præceptum Orationis Dominicæ , in qua petitiones ponuntur in plurali ; quia tenemur orare pro fratribus, ſicut optime demonſtrat S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 7. *ad* 1. -- Dicendum , quod ſicut " Cyprianus in lib. de Oratione Dominica , " ideo non dicitur : Pater meus , ſed noſter : nec , Da mihi , ſed , Da nobis ; " quia unitatis magiſter noluit privatim precem fieri , ut ſcilicet quis pro ſe tantum " precetur : unum enim orare pro omnibus " voluit ; quoniam in uno omnes ipſe portavit -- Conſequentia videtur ſatis conne-

Datur præceptum mutuæ orationis inter vivos.

A xa , & intrinſeca illi principio , quo ex mutua oratione inter vivos aſſurgunt Catholici ad evincendam utilitatem invocandi Sanctos adverſus hæreticos .

EXPLICATUR. Ideo teſte Bellarmino *loco cit. arg.* 2. nunquam Hæretici hoc argumentum ſolvere potuerunt , quia Sancti in Cœlo & ſunt magis in charitate perfecti , & ſolliciti de noſtra ſalute, & ſunt membra Eccleſiæ univerſalis non minus , ac Sancti vivi , quæ veritas pertinet ad articulum communionis Sanctorum , ſed hoc probat etiam dari præceptum invocandi , & adorandi Sanctos. Nam ratio membri poſtulat mutuum officium ; & ideo Apoſt. aſſumens hanc ſimili-

B tudinem ad Rom. 12., & 1. Corint. 12. ait : *Pro invicem ſollicita ſint membra*. Et hoc natura communionis, & colligationis poſtulat : porro communio Sanctorum ex Eccleſia , & PP. conſiſtit in hoc , quod vivi honorent , & invocent Beatos , & Beati orent pro nobis ; ſicut clare habemus in collecta quotidiana Sacrificii Miſſæ poſt offertorium : *Ut illis proficiat ad honorem , nobis autem ad ſalutem : & illi pro nobis intercedere dignentur in Cælis , quorum memoriam agimus in terris* : atqui tenemur non ſolum ſpeculative credere hunc articulum communionis Sanctorum, ſed exercite , & practice obſervare : radicatur enim

C in charitate , quæ eſt operativa ; ergo tenemur , & Sanctos honorare , & invocare . Nam ad honorem Sanctorum maxime pertinet invocatio, ſicut ad Beatos pro nobis orare , qui ex vi ſui ſtatus non poſſunt nonniſi orare pro nobis .

141 PROB. III. Datur præceptum Deum orandi , ut habemus ex Trid. *Seſs.* 6. *cap.* 11. -- Deus impoſſibilia non jubet , ſed " jubendo monet , & facere quod poſſis, & " petere , quod non poſſis -- In his continetur ratio fundata in natura rei ; ſiquidem neceſſarium eſt recurrere in iis , quibus indigemus , ad potentem concedere , ſed quilibet

Oratio ad Dei ſub præcepto.

D ad bene operandum indiget auxiliis Divinis , ſine quibus nemo poteſt certam facere vocationem ſuam ; ergo tenemur Deum precari . Hinc D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 2.-- " Non ſolum petere quæ deſideramus ; ſed " etiam aliquid recte deſiderare ſub præcepto cadit, ſed deſiderare quidem cadit ſub " præcepto charitatis , petere autem ſub præcepto Religionis : quod quidem præceptum " ponitur Matth. 7., ubi dicitur : Petite, & " accipietis -- Ergo etiam datur præceptum invocandi Sanctos. Conſequentia oſtenditur, Licet Deus non raro non poſtulatus præveniat ſuis auxiliis, ad Eph. 3. v. 20. *Ei autem*

E *qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus , aut intelligimus*. Et S. Cyprianus *lib.* 1. *epiſt.* 2. *n.* 10. -- Ut ſponte Sol " radiat , dies illuminat , fons rigat , imber " irrorat : ita ſpiritus cæleſtis infundit -- Quia tamen regulari quadam providentia non concedit , niſi poſtulatus , tenemur orare , ſed etiamſi Deus non raro concedat immediate poſtulatus , tamen ordinaria quadam regula diſpoſuit concedere media intercesſione Sanctorum : tenemur ergo ad ipſum recurrere mediis Sanctis .

Min. prob. Scripturis , quibus utuntur Ca-

Catholici ad oſtendendum, Deum diſpoſuiſſe
dona ſua nobis concedere media Sanctorum
interceſſione; & hinc inter media prædeſti-
nationis connumerari: Iſaiæ 15. v. 1. *Si ſteterit
Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima
mea ad populum iſtum*. Ezechielis 14. v. 14.
*Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noe,
Daniel, & Job: ipſi juſtitia ſua liberabunt ani-
mas ſuas, ait Dominus exercituum*. Exodi 32.
v. 10. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus
contra eos*. Sed audiamus D. Thom. 4. *diſt.*
45. *quaſt.* 3. *art.* 2. -- Dicendum, quod iſte
„ ordo eſt inſtitutus in rebus ſecundum Di-
„ vum Dionyſium, ut per media ultima re-
„ ducantur in Deum; unde cum Sancti, qui
„ ſunt in patria, ſint Deo propinquiſſimi,
„ hoc Divinæ legis ordo requirit, ut nos,
„ qui manentes in corpore peregrinamur a
„ Domino, in eum per Sanctos medios re-
„ ducamur: quod quidem contigit, dum
„ per eos Divina bonitas ſuum effectum dif-
„ fundit. Et quia reditus noſter in Deum re-
„ ſpondere debet proceſſui Bonitatum ipſius
„ ad nos; ſicut mediantibus Sanctorum ſuf-
„ fragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita
„ oportet nos in Deum reduci, ut iterato
„ beneficia ejus ſumamus mediantibus San-
„ ctis. Et inde eſt, quod eos interceſſores
„ pro nobis ad Deum conſtituimus, & quaſi
„ mediatores, dum ab eis petimus, quod
„ pro nobis orent -- Si ergo Deus hanc le-
gem ſtatuit: præceptum orandi obligat nos
ad patrocinium recurrere Sanctorum.

Legis ordo eſt, ut ad Deū per Sanctos deveniamus.

142 Explicatur I. Doctores, ut oſten-
dant Sanctos eſſe invocandos contra Hæreti-
cos, aſſumunt Scripturas, quibus commen-
datur recurſus ad Sanctos Angelos; & cum
per Evangelium Sancti in Cœlo ſint ſicut An-
geli, recte concludunt & Sanctos eſſe invo-
candos: atqui datur neceſſitas recurrendi ad
Deum mediis Angelis; ergo etiam datur ne-
ceſſitas recurrendi mediis Sanctis. Prob. min.
ex Cajetano *tom.* 3. *Opuſc. tract.* 12. *cap.* 4.
de Invocatione Sanctorum -- Ad Heb. quoque
„ cap. 1. de Sanctis Angelis dicitur, quod
„ omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui
„ in miniſterium mittuntur propter eos, qui
„ hereditatem capient ſalutis. Ex hoc enim
„ quod Deus diſpoſuit nos gubernare per me-
„ dios Angelos, non propter ſe Deum, ſed
„ propter nos heredes vitæ æternæ, ordinaſſe
„ intelligitur, ut nos invocemus Sanctos An-
„ gelos, tanquam medios inter nos, & Deum,
„ niſi uſque adeo deſipere liceat, ut dante
„ Principe, ſeu curia advocatum peregrino,
„ vel pupillo, negetur ſimul diſponi, ut pe-
„ regrinus, aut pupillus invocare poſſit (*ad-*
„ *de, debeat*) patrocinium advocati dati --
Probat deinde infra quod Sanctos eandem
diſpoſitionem. Oſtenditur eadem min. ex
Adriano Pontifice *Epiſt. ad Conſtantinum, &
Irenem Auguſtos Act.* 2. *Nicæni II.*, ubi,
poſtquam oſtendit Dominum præcepiſſe Moy-
ſi, ut ſupra propitiatorium duos Cherubim
aureos faceret, addit: *Inde præcipiam, &
eloquar ad te ſuper propitiatorium, ſcilicet,
ac medios Cherubim, qui erant ſuper Arcam
teſtimonii*. Quibus declaratur, Deum ſtatuiſſe
ad nos deſcendere ſuis donis mediis Angelis.
Non eſt omittendum, quod ſubdit -- Quod
„ Deus famulo ſuo Moyſi præcepit dicens:
„ Fac Serpentem, & pone eum pro ſigno,
„ qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit
„ ergo Moyſes Serpentem æneum, & poſuit
„ pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent,
„ ſanabantur -- Aſſumit hoc ad probandam
venerationem Sanctorum, earumque imagi-
num, de quibus poſt pauca -- Vel Sancto-
„ rum quorum virtute ſubſiſtit orbis, atque
„ potitur humanum genus ſalute -- En quam
bene explicatur lex, qua Dominus conſtituit
mediis Sanctis daturum nobis ſua dona: quo-
modo ergo negari poteſt lex recurrendi ad
ipſum mediis Sanctis? Virtute Sanctorum
ſubſiſtit orbis, & orbis indigens non tenetur
ad eos confugere? Sanctorum ope genus hu-
manum potitur ſalute, & humanum genus
non adſtringitur eorum poſtulare ſuffragium?
Captu ſane difficile eſt. Advertas Deum præ-
cepiſſe, ut Serpens attolleretur, ut inſpice-
retur a volentibus ſanari, ut intelligas præ-
cepiſſe, ut Sancti inſpiciantur, ideſt, ad eos
fundantur orationes pro conſequenda noſtra-
rum infirmitatum ſalute.

143 Explicatur II. ſpecialiter de Beata
Virgine, quæ eſt conſtituta taliter mediatrix
inter Deum, & homines, ut videatur quaſi
connaturale, quod omnia diſtribuantur ipſa
mediante, ut conſtat ex innumeris Patrum
teſtimoniis, quorum unum, vel aliud pro-
duco. S. Epiphanius *Ser. de Laudibus Deiparæ*
-- Ipſa enim eſt Cœli, & terræ Mediatrix,
„ quæ unionem naturaliter peragit -- *Natu-
raliter*, quaſi dicat, ex natura rei, ea lege
ordinaria mediate Deum inter, & homines.
Richardus a S. Laurentio *de Laudibus Virgi-
nis lib.* 2. *cap.* 4. -- Per Mariam quaſi cana-
„ lem quendam Divina gratia ad univerſita-
„ tem humani generis redundavit. Si igitur
„ o fidelis anima gratia tibi defuerit, ad ipſam
„ plenitudinem gratiæ confugere, & currere
„ neceſſe eſt tibi -- S. Hieronymus *Serm. de
Aſſumptione* -- In Chriſto fuit plenitudo gra-
„ tiæ ſicut in capite influente, in Maria vero
„ ſicut in collo transfundente -- Quam au-
ctoritatem aſſumit S. Bernardinus Senenſis
Serm. de Nativit. B. V. c. 8. ad illud Cant. 7.
Collum tuum ſicut turris eburnea, & addit --
„ Nam ſicut per collum vitales ſpiritus a ca-
„ pite deſcendunt in corpus, ſic per Virgi-
„ nem a capite Chriſti vitales gratiæ in ejus
„ corpus myſticum transfunduntur --

B. V. mediatrix Deū inter, & homines.

S. Ephrem *Serm. de Laud. B. V.* -- Ave
„ Porta Cœlorum, & ſcala, aſcenſuſque om-
„ nium. Ave portarum cœleſtis Paradiſi
„ reſeramentum. Ave clavis Regni Cœleſtis --
S. Laurentius Juſtinianus *Serm. de Annunciat.
B. V.* -- Maria effecta eſt Mater Dei, Para-
„ diſi ſcala, janua Cœli, Interventrix Mun-
„ di . . . . . Dei, & hominum veriſſima Me-
„ diatrix -- Richardus a S. Victore *lib.* 1. *de
Laud. B. V. cap.* 6. -- Hæc eſt Beata plenitu-
„ do, & plena beatitudo Dominæ noſtræ,
„ quæ fons eſt, & origo totius noſtræ Bea-
„ titudinis. Quidquid beatitudinis ab illo
„ magno mari, ideſt, ab illa infinita Bo-
„ nitate Dei Trinitatis ad genus humanum
„ pervenit, totum per eam venam defluxit,
„ & ideo quidquid nobis mittitur de ſuper-
„ nis, per gratiarum actionem ad eam refe-

 „ ren-

„ tecum eſt, per quam Mediatricem ha- „ bemus, procul dubio quidquid gratiæ ob- „ tinemus -- S. Germanus -- Nullus eſt, qui „ ſalvus fiat, niſi per te o Sanctiſſima: ne- „ mo eſt cui donum concedatur, niſi per „ te o Caſtiſſima: nemo eſt cui miſerea- „ tur gratis, niſi per te o Honeſtiſſima -- *De Zona Virg.* Sanctus Bernardus -- Om- „ nia contulit in Mariam; quia nihil nos „ habere voluit, niſi per Mariam -- S. Ful- gentius, S. Birgitta, & S. Antoninus, dicunt, quod mundus precibus B. Virginis ſuſtentatur, & centena ſimilia, quibus ma- niſeſte conſtat, eſſe hunc ordinem a Deo ſta- bilitum, & firmatum, ut dona gratiarum ad nos deſcendant per Deiparæ interceſſionem; ac proinde conſtat, dari neceſſitatem eam invocandi; niſi quis velit a Sanctis Patribus pronunciata hæc affectu exceſſivo devotionis, & per figuram proſopopejæ, & ſinecdochen, quatenus B. V. Chriſtum peperit ſalutis au- ctorem: tunc enim tota vis aufertur a Patrum Auctoritatibus, quibus Catholicum dogma ſtabilitur circa invocationem Sanctorum; hoc enim ipſum objiciunt Acatholici, ut videre eſt apud Brentium *cap.* 24. *Confeſſionis Vvi- tembergenſis*. Quare ita videtur connexa vera obligatio invocandi Sanctos cum dogmate, ut via unum queat ab altero ſeparari, vel unum tolli, niſi aliud infirmetur.

Dona Dei ad nos deſcendunt per Mariam.

144 Explicatur III. Vi præcepti ora- tionis tenemur uti illis mediis, quæ via or- dinaria ſunt neceſſaria, ut fiat oratio exaudi- bilis; tenemur enim bene orare, ſed invo- catio Sanctorum eſt neceſſaria, ut oratio fiat exaudibilis: ergo. Declaratur min. diſcurſu S. Bern. *Serm. de Nativit. Mariæ*, & D. An- ſelmi *de excellentia B. V.*, ubi dant rationem, cur invocato Domino, & nomine Jeſu, ſæpe non obtinemus, quod petimus, quia -- Filius „ ejus Dominus eſt, & Judex omnium, di- „ ſcernens merita ſingulorum -- unde lege juſtitiæ, & jure judiciali, impedientibus no- ſtris criminibus; non debet, immo non po- teſt largiri dona ſua: invocato autem nomi- ne, & auxilio Mariæ, impetramus, quia -- „ Etſi merita invocantis non mereantur, ut „ exaudiatur; merita tamen Matris interce- „ dunt, ut exaudiatur -- ideſt merita Ma- tris intercedentis compenſant debitum juſti- tiæ, & fit quodammodo æqualitas; ac proin- de abſque violatione jurium juſtitiæ concedit tunc dona petita: atqui hæc ratio fundat le- gem relate etiam ad alios Sanctos. Nam ſem- per Chriſtus eſt Judex juſtus, qui, ut faciat miſericordiam, non tenetur pervertere ordi- nem juſtitiæ. Ex parte autem noſtra quoti- diana dantur crimina, & jura demeriti, quæ debent expiari, vel ſuppleri; quare ut nos exaudiat, decrevit Deus acceptare merita San- ctorum interpellantium in genus quoddam compenſationis pro juribus juſtitiæ, ut detur locus miſericordiæ: ac per conſequens per Suffragia Sanctorum oratio fit exaudibilis.

Deus, quia Judex non audit noſtras preces.

Hanc regulam Pſal. 19. nos docet Pro- pheta, ubi volens exaudiri in ſuis precibus, invocat nomen Domini; deinde auxilium Sanctorum: *Exaudiat te Dominus in die tri- bulationis; protegat te nomen Dei Jacob. Mit- tat tibi auxilium de Sancto*; ideſt de Collegio Sanctorum, ait D. Thom. *ibid.* -- Eſt ergo „ triplex cauſa, quæ facit orationem exau- „ dibilem. Prima eſt, Divina bonitas: ſe- „ cunda, Sanctorum ſuffragia: tertia, pro- „ prium meritum -- Sicut igitur neceſſe eſt Divinam invocare Bonitatem, ut fontem, & auctorem omnium bonorum, & donorum, ita eſt neceſſe invocare patrocinium Sancto- rum, ut medium conſtitutum, ut exaudia- tur oratio. In hoc ordine, & diſpoſitione, quam hiſce motivis declaravimus, fundatur re- ſponſio, quam tribuit Bellarminus argumen- to Hæreticorum petenti præceptum pro invo- catione Sanctorum -- Quo ad mandatum at- „ tinet, nullum certe mandatum requiritur, „ quando ipſa neceſſitas nos impellit -- ideſt, non eſt exquirendum particulare præceptum poſitivum, cum datur præceptum naturale radicatum in neceſſitate, tum ex parte ordi- nis rerum, tum ex parte noſtri, qui undique anguſtiis premimur.

Præceptũ invocandi Sanctos naturale.

145 PROB. IV. Ex quo in Scripturis Eccleſia aſſimiletur Regno, exercitui, fami- liæ bene ordinatæ, arguitur contra Acatho- licos, Sanctos utiliter eſſe invocandos, cum per Miniſtros liceat a Domino, & Principe deſiderata poſtulare, & impetrare: atqui hoc idem principium arguit dari præceptum de interponenda quandoque Sanctorum interceſ- ſione: ſiquidem ipſa natura bene ordinati Re- gni obligat, ut teneamur per Miniſtros ſup- plices accedere ad Principem, quamvis, & quandoque Princeps non poſtulatus ultro con- cedat, & largiatur beneficia, & quandoque ipſe immediate poſtulationem admittat, & ſubſcribat; ſicut univerſali experientia patet. Sunt enim conſtituti Miniſtri, per quos tran- ſeundum eſt: Sic in Regno Pharaonis con- ſtitutus erat Joſeph, & ita proclamata: *Ite ad Joſeph*: & ſuper Eccleſiam, ſeu in Regno Dei, Apoſtoli, ceterique Sancti conſtituti ſunt: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem ter- ram: Nimis honorati ſunt amici tui Deus, ni- mis confortatus eſt Principatus eorum*: unde neceſſe eſt ad ipſos non raro confugere ex debito ordinis, & ex debito exigitæ reveren- tiæ, quam eis Deus vult exhiberi, & ex de- bito ſupplendi inopiæ noſtræ, dignitate inter- ceſſoris, quæ eſt triplex ratio, cur Miniſtri ſint neceſſario non raro interponendi.

Neceſſitas invocandi Sanctos ex pluribus.

Nemo negabit ſervos honorarios, qui- bus Præfectum deſignat Pater familias, & filios, quibus Magiſtrum, teneri per Præfe- ctum, & Magiſtrum plura poſtulare, quæ ſæpe non niſi per ipſos conceduntur: quo- modo ergo credibile erit fideles in Chriſto re- natos ita abſolvi a debito reverentiæ, & a de- bito implorandi Angelorum patrocinium, quos præfecit cuſtodes, & Sanctorum, quos Pa- tronos dedit Deus, ut ſolum congruentiæ ti- tulo, non autem præcepti, ſemper ad hæc officia adſtringantur? Durum ſatis videtur, datos hominibus ad cuſtodiam magnos Cœli Principes, qui *ſemper vident faciem Patris*, Matth. 18. v. 10., ut ſemper, & ubique no- bis aſſiſtant, ac dirigant; & quod ſolo jure convenientiæ debeamus eis reverentiam, de- beamus procurare eorum auxilium? Ex Apo- ſtolo ad Gal. 4. v. 1. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit Do-*

minus

minus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus a Patre. Quandiu ſumus in corpore peregrinantes a Domino, ſumus parvuli ſub tutoribus, & actoribus, ideſt, ſub tutela Angelorum, & ſub Sanctorum adjutorio; ac proinde ſicut jure legis nequit parvulus non ſubeſſe tutoribus, non indigere illis, non confugere ad ipſos, non eos revereri, ita hæc omnia jure legis debent fideles bonis Angelis, & Cœli civibus.

146 PROB. V. Tenemur ſtricto præcepto apud Deum acquirere gratiam per Chriſti meritum, ſeu per invocationem Domini noſtri, Jo. 16. v. 24. *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis*, & v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Unde Eccleſiaſtica conſuetudo collectas omnes concludit *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: atqui Chriſti meritum debet nobis applicari per ſuffragium Sanctorum; ergo tenemur acquirere apud Deum gratiam mediatione Sanctorum. Min. declaratur. Quotieſcunque influxus alicujus cauſæ univerſalis debet ad effectus particulares applicari per cauſas particulares, qui vult influxum cauſæ univerſalis, debet applicare cauſas particulares, ſed meritum Chriſti eſt cauſa univerſalis omnis meriti, applicanda per cauſas particulares, inter quas una eſt mediatio Sanctorum; ergo ea debemus uti.

Chriſti merita per Sanctos nobis applicantur.

Accipe doctrinam D. Thom. 2. *diſt.* 27. *art.* 6. *ad* 2. -- Dicendum, quod meritum „ Chriſti eſt ſicut radix omnium meritorum, „ a quo omnium merita efficaciam trahunt: „ unde eſt quodammodo ſicut cauſa univer„ſalis, quam oportet ad effectus determi„natos applicari per cauſas particulares, ſi„cut ſunt Sacramenta, & orationes Eccle„ſiæ. Et inde eſt, quod non tantum Chri„ſtum oramus, ſed etiam Sanctos ejus, quo„rum meritis, & precibus ejus auxilium „ percipimus -- ergo ſicut non ſolum ſumimus Sacramenta, per quæ Chriſti meritum applicatur, ſed tenemur quandoque ſumere: ita non ſolum oramus Sanctos, per quos applicatur meritum Chriſti, ſed tenemur quandoque orare, & tanto magis tenemur, quanto magis recurſus ad Sanctos eſt neceſſarius ad conſervandum rectum ordinem in rebus; & ad explicandam excellentiam meritorum Chriſti. Audi iterum D. Thom. 4. *Sent. diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 2. *ad* 1. -- Dicendum, quod „ ſicut non eſt propter defectum Divinæ po„tentiæ, quod mediantibus ſecundis cauſis „ agentibus operetur, ſed eſt ad complemen„tum ordinis univerſi, & ut ejus bonitas „ multiplicius diffundatur in res; dum res „ ab ea non ſolum ſuſcipiunt bonitates pro„prias, ſed inſuper, quod aliis cauſa boni„tatis exiſtant, ita etiam non eſt propter „ defectum miſericordiæ ipſius, quod opor„teat ejus clementiam per orationes Sancto„rum pulſare, ſed eſt ad hoc, ut ordo præ„dictus conſervetur in rebus -- Nil melius dici poteſt. Sicut ergo in ordine naturalis providentiæ ex lege naturæ ſunt applicandæ cauſæ ſecundæ, ita in ordine providentiæ ſupernaturalis ex lege ſuperiori ſunt applicanda ſuffragia Sanctorum. Adverte in teſtimoniis D. Thom. verbum *oportet*, indicare neceſſitatem: Adverte etiam, quod reſpondet argumentis de infinita ſufficientia meritorum Chriſti, & de infinita miſericordia Dei, & inclinatione ad nos exaudiendum, quæ poſſunt eſſe motiva ad negandum præceptum; ſicut fuerunt motiva Heterodoxis ad negandum utilitatem invocationis Sanctorum.

Invocatio Sanctorum ex lege Divinæ providentiæ.

Conſonat Doctrina D. Tho. Sacræ Scripturæ, in qua in precibus invocationi Dei conjungitur invocatio Sanctorum, quod eſt ſignum eorum ſuffragia eſſe deſtinata ut cauſas particulares applicativas meritorum Chriſti. Orat apud Zachariam *cap.* 1. Angelus Deum pro populo Judaico, & interponit memoriam Jeremiæ Prophetæ. 2. Machab. 15. narratur Oniam orare Deum pro Iſraele, & ſtatim indicantur orationes Jeremiæ. Azarias poſitus in fornace. Daniel. 3. v. 34., & 35. orat: *Ne, quæſumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael Sanctum tuum &c.* & exauditus eſt. Exodi 32. v. 12., & 23. Moyſes orans pro peccato populi Deum ait: *Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael, ſervorum tuorum*, & exauditus eſt. Gen. 48. v. 15. Jacob morti proximus benedicens filiis Joſeph ait: *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei, Abraham, & Iſaac, Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham, & Iſaac &c.*, ubi Alphonſus de Caſtro *lib. de hæreſibus verbo Sancti*, habet -- In quibus verbis illud eſt „ advertendum, quod Jacob præcipit invo„cari ſuper filios Joſeph nomina Patrum jam „ defunctorum --

Alia ſimilia occurrunt in ſacris litteris, quibus oſtenditur, hanc colligationem pertinere ad ordinem rerum, ſicut docet D. Th., ac proinde invocationem Sanctorum cadere ſub neceſſitate præcepti. Eccleſiaſtici 44. dicitur: *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua*. Sancti, qui ſunt in Cœlis, Patres noſtri ſunt, qui doctrina, & exemplo nos pepererunt Deo. Hinc de SS. Martyribus canimus, quod in ſanguine ſuo ædificaverunt Eccleſiam, & de SS. Apoſtolis, Præſulibus, & Doctoribus pſallimus: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*, Si ergo ex præcepto Decalogi tenemur carnales honorare parentes, ad eos confugere in neceſſitatibus, quo jure negare poterimus præceptum honorandi parentes ſpirituales, eorumque poſtulandi ſuffragia? Sane Paulus ad Heb. 12. v. 9. arguit a fortiori reverentiam deberi Patri ſpiritus dicens: *Deinde Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?*

Corroboratur doctrina. Suffragia Sanctorum pertinent ad rationem mediationis Deum inter, & homines in linea ſecundaria: unde Deuteron. 5. v. 5. de Moyſe dicitur: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo*: quod de fide ſta-

ſtatuunt Catholici. Item invocatio Sanctorum pertinet ad objectum ſpei noſtræ in linea agentis ſecundarii: unde dicitur ad Philemonem 4., & 5. *Gratias ago Deo meo &c. audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes Sanctos*. Ubi Hieronymus oſtendit in Sanctos eſſe habendam fiduciam. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 17. art.* 4. ducet in ſpe inveniri principale objectum, & ſecundarium; & ad rem habet -- Licet autem ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de agente ſecundario, & inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcunque bona conſequenda, in Beatitudinem ordinata, & hoc modo ad Sanctos convertimur &c. -- Et hoc pariter ad fidei veritatem pertinet. Nunc ſic.

Paulo teſte, ad Rom. 10. ad fidem Dei auxiliantis, ut principalis, & primarii, ſequitur obligatio eum invocandi: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* ergo ad fidem Sanctorum auxiliantium de ſecundario ſequitur obligatio eos invocandi. Sicut quia fides dictat Sacramenta pertinere ad ſpem noſtram tanquam inſtrumenta, ſequitur obligatio ea quandoque recipiendi: & ſicut quia fides dictat, merita noſtra pertinere ad ſpem ut ſecundaria: tenemur ponere merita noſtra pro conſequenda ſalute. Vel ſic. Cæteræ virtutes Theologales obligant vero præcepto practice tendere in objectum non ſolum primarium, ſed etiam ſecundarium, ut patet in fide, & charitate, ita quod, qui nunquam tendit in objectum ſecundarium fidei, & charitatis, peccet: ergo etiam ſpes vero præcepto obligat ad objectum ſecundarium aliquando; ergo datur verum præceptum de invocatione Sanctorum; quia ea non poſita, non datur ſpes ex objecto ſecundario; ſicut de objecto primario non datur ſpes, ſi nunquam invocetur.

147 PROB. VI. Ex Auguſtino *epiſt.* 118. *contra Heterodoxos* extremæ dementiæ eſt velle negare, quod per univerſum orbem ab Eccleſia fit, ſed ab Eccleſia per totum orbem exercetur Sanctorum invocatio ſub præcepto; ergo dari præceptum de invocandis Sanctis non poteſt negari. Min. paucis evincitur. In Litaniis Sanctorum eos invocari ex formula evidens eſt, & uſum communem eſſe in Eccleſia tum Latina, tum Græca a nemine negatur. Porro Litaniæ dictæ ſunt Rogationes; quia ad rogandum Deum, ejuſque miſericordiam obtinendam ſunt inſtitutæ; quo nomine appellantur in Concilio I. Aurelianenſi *cap.* 29., & Moguntino I. ſub Leone III., & Carolo Magno. Dictæ ſunt etiam Proceſſiones, quia recitabantur, ambulando ab una Eccleſia, & loco Sanctorum Martyrum ad alium, ut ex Concil. Lendien. *cap.* 11. Indicebantur publicæ Litaniæ urgente ſemper aliqua neceſſitate. Theodoſius Junior urgente aeris inclementia præcepit Litanias, in quibus ipſe prævivit habitu privato, tota civitate inſequente, & ſecuta eſt optata ſerenitas, & frumenti copia. S. Hieron. *epiſt.* 22. *ad Euſtoch.* hæc refert. S. Gregorius Magnus, Barbarica tyrannide urgente Siciliam hoſtili aggreſſione, illis indixit feria quarta, & ſexta cujuslibet hebdomadæ Litanias *Lib.* 9. *epiſt.* 45.

Litaniæ quandoque præceptæ.

Pariter graſſante peſte, & Urbem vaſtante, Litanias indixit, ut patet *lib.* 11. *epiſt.* 2. illaſque ſic diſtribuit -- Litania Clericorum exeat ab Eccleſia S. Joan. Baptiſtæ: Litania virorum, ab Eccleſia Beati Martyris Marcelli: Litania Monachorum, ab Eccleſia Martyrum Joannis, & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Eccleſia Beatorum Martyrum Coſmæ, & Damiani: Litania fœminarum conjugatarum ab Eccleſia Beati primi Martyris Stephani: Litania Viduarum ab Eccleſia Beati Martyris Vitalis: Litania Pauperum, & Infantium ab Eccleſia Beatæ Martyris Cæciliæ --

Similia habentur in Eccleſiaſticis hiſtoriis, quæ cum ad caſus particulares pertineant, non urgent ad intentum. Sed veniamus ad Litanias toti Eccleſiæ communes. Hæ ſunt, quæ dividuntur in Majores, & Minores, Minores nunc ſtabiliter celebrantur tribus feriis ante Aſcenſionem Domini. Dixi nunc, quia quoad tempus fuit aliqua variatio, ſaltem in quibuſdam Provinciis: nam aliquando celebratæ ſunt alicubi, & maxime in Hiſpania, triduo a die Idus Decembris, ſicut conſtat ex Concilio Toletano V. *cap.* 1. Toletano VI. *cap.* 2. Bracharenſi II. *cap.* 9. Uſus tamen eas celebrandi triduo ante Aſcenſionem eſt valde antiquus. De illis enim mentionem facit Concilium Aurelianenſe I. *cap.* 29. Epaunenſe *cap.* 27. Gerundenſe *cap.* 3., & de Litaniis celebratis iſto triduo tradit S. Auguſt. *Serm.* 173. *de temp.* Sed quidquid ſit de temporis variatione, illud certum eſt, quod omnia hæc Concilia mandant, & præcipiunt ſingulis annis celebrari dictas Rogationes.

Concilia ſingulis annis Litanias præcipiunt.

Hæ ſunt, de quibus S. Avitus *homil. de Rogationibus* ait -- Currit tramite viali, non per Gallias modo, ſed per orbem totum, Rogationis obſervantiæ flumen irriguum -- In Concilio Moguntino I. Carolus Magnus -- Celebrandas eſſe, ſicut Sancti Patres noſtri inſtituerunt non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati, cinere, & cilicio induti -- Concilium Aurelianenſe I. *cap.* 29. -- Quo triduo omnes abſtineant; & quadrageſimalibus cibis utantur -- S. Gregorius decreto confirmativo, *ſub initio libri* 2. *Regiſtri* -- Solemnitas annuæ devotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, ut Litaniam, quæ Major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare -- Has ad meliorem formam reduxit S. Mamertus Viennenſis Epiſcopus, ut habetur in Chronico Adonis, ex Alcimo Avito poſt Heſychium ſucceſſore ejuſdem Epiſcopatus, & ex Sidonio Appollinari *lib.* 7. *epiſt.* 1., & *lib.* 14. *epiſt.* 5. *ad Aprium*, qui S. Mamertum vocat Rogationis in Galliis auctorem, ob reformationem abuſuum. Hæ ſunt, quas æmulabantur Ariani ſolemni pompa, ut referunt Socrates *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 8., & Sozomenus *lib* 8. *cap.* 8., quas illis prohibuit Arcadius Imperator, ut conſtat *lib.* 30. *de hær. Cod. Theod.* Ex his habemus duo: Primum, quanti fecerit Eccleſia obſervantiam hujus præcepti: Secundum, quam longam, & nunquam interrupta conſuetudine confirmatam, quæ abunde ſufficeret ad inducendam legem;

etiamſi

etiamſi aliunde non eſſet. Litaniæ Majores celebrantur nunc die S. Marci.

DICES. Prædictis Conciliis ſunt quidem præceptæ Litaniæ, ſed ſolis Eccleſiaſticis, quatenus repræſentant univerſam Eccleſiam; ergo non colligitur præceptum, ſed tantum quod in Eccleſia in communi debeant Sancti invocari, ſicut in Eccleſia debent eſſe aliqui Sacris Ordinibus initiati.

Verum in nullo ex præcitatis Conciliis habetur verbum limitativum, ſed locutiones abſolutæ ſunt. Accipe verba Concilii Aurelianenſis -- Rogationes, ſive Litaniæ ante „ Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita „ ut præmiſſum triduanum jejunium, in Aſcenſionis Domini ſolemnitate ſolvatur. „ Per quod triduum ſervi, & Ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs univerſa „ conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, „ & quadrageſimalibus cibis utantur -- Iiſdem „ omnino verbis repetitur in Concilio Epaunenſi *Can.* 27., & refertur *de Conſecrat. diſt.* 3. *Can. mihi* 3., ubi adnotare velim, quod Gloſſula advertit, ſcilicet, jejunium, de quo hic, non præcipi, ſed ſuaderi, ſecus de Litaniis; & Concil. Lugdunenſe relatum 3. *diſt. cit. Can.* 2. -- Pronunciandum eſt Laicis, ut ſciant „ tempus feriandi per annum, ideſt, omnem „ Dominicam &c. Rogationes tribus diebus -- Carolus Magnus in Concilio Moguntino, ubi prohibet equitationem in Rogationibus, & veſtes pretioſas, de ſecularibus aperte loquitur, & alia plura monumenta proferri poſſunt, quibus conſtat aliquos Laicos comprehendi, & non ſolum Eccleſiaſticos, qui ſinguli Sacris initiati admonentur privatim recitare Litanias, ſi non interſint Proceſſionibus, ut in Directorio officii habetur. Deinde ad eas convenire Laicos aliquos conſtanti totius orbis conſuetudine conſtat.

Laici perinde ac Clerici ad rogationes adſtricti.

Ut hinc vim argumentum ſumat, duo ſunt notanda. Primum eſt qualitas cauſarum, ob quas juſſum eſt Litanias celebrari. Has indicat S. Greg. *lib.* x. *regiſtri ante primam epiſt.* ſcilicet, imploratio Divinæ miſericordiæ, ut noſtris exceſſibus indulgeat, ut avertat flagella iræ ſuæ, quibus affligimur propter peccata noſtra, ut cæleſtis medicina pietatis nobis ſubveniat, & ut gratiarum actiones impendamus pro prioribus, & præſentibus beneficiis, quæ cauſæ ſunt univerſales, & ex ſuo conceptu fundant verum debitum recurrendi ad Deum; ſunt enim radicatæ in lege obligante naturaliter ad ſatisfaciendum Deo, in lege obligante ad providendum nobis in noſtris neceſſitatibus, in lege obligante ad recognoſcenda beneficia, & ad avertendum ingrati animi vitium.

Secundum eſt Regula Auguſt. *epiſt.* 118. *ad Januarium*, a tota Eccleſia adoptata, videlicet, leges, & conſuetudines, quarum certum initium non adinvenitur in Eccleſia, reducendas eſſe in Apoſtolos. Hujus generis perhibetur lex, & conſuetudo Rogationum, ut cautum eſt apud Controverſiſtas diſputantes contra Acatholicos. Et ratio eſt manifeſta, ſiquidem nullus hæreticus potuit auctorem determinatum aſſignare; ſiquidem quolibet producto, Litaniarum uſus prior adinvenitur. Qui hunc tribuunt S. Greg. Magno,

Univerſalis lex quandoque Apoſtolica.

A aperte errant, ſicut conſtat ex citatis Conciliis, quæ longe præceſſerunt, ſicut qui tribuunt Agapeto, ſiquidem Concilium Aurelianenſe præceſſit triginta circiter annis, & S. Proſpero Aquitano, aut S. Mamerto ſub Leone I.; nam de his ſermonem habet Auguſtinus. Ante hunc habetur apud Nicephorum uſus in Conſtantinopolitana Eccleſia, eam moderante Chryſoſtomo ſub Arcadio, & Honorio. Sic Euſebius Emiſſenus *homil. habita in Litaniis*, S. Baſilius *epiſt.* 63. *ad Neocæſarienſes*; & ante hos Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem*.

Quare ubi quandoque ab aliquo ex Patribus aliquis dicitur auctor, intelligendus

B eſt non quo ab ſubſtantiam Rogationum, ſed quo ad aliquam reſtaurationis formam. Referendus ergo eſt uſus in Apoſtolos, qui cum nihil docuerint, & fecerint in Eccleſia, quod a Chriſto Magiſtro non didicerint, pro certo tenendum eſt, hanc precationis formulam ab eo didiciſſe, velut pertinentem ad modum orandi, videlicet, ut interponeretur ſuffragium Sanctorum; & eis hoc Chriſtus tradidit, tum ante paſſionem, ubi docuit communiter orare Patrem in plurali, *Pater noſter*, quaſi dicatur: Etſi ego ſim indignus filius tuus; memento tamen, quod es Pater omnium, etiam bonorum; unde in ſpectatis ipſorum

C meritis, exaudi me, tum ubi docuit Patrem orare interponendo de primario ſuum nomen; deinde etiam merita propria; unde intellexerunt eſſe interponenda perfectorum nomen, & patrocinium, tum ubi docuit unum debere pro alio orare, & membra corporis myſtici debere eſſe invicem ſollicita, poſt reſurrectionem itidem, ubi aperuit eis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, in quibus habemus recurſum a viventibus factum ad viros perfectos fato functos, & pactum Domini quandoque de non exaudiendo, niſi poſita Sanctorum interceſſione, quorum exempla communiter afferuntur contra Hæreticos.

D Deinde id etiam perfectiſſime intellexerunt, ubi vim naturalis legis perſpecte cognoverunt, & ordinem conſtitutum a Divina providentia, quem ſuperius explicuimus. Quare hæc lex quo ad ſubſtantiam accepta, videlicet, prout importat interpoſitionem Sanctorum in noſtris poſtulationibus, eſt declaratio legis naturalis, & Divinæ, obligantis ad petenda nobis neceſſaria ab illis, qui conſtituti ſunt ad providendum.

Lex invocandi Sanctos naturalis quoad ſubſtantiam, Eccleſiaſtica quoad modum.

Quo ad modum vero eſt Eccleſiaſtica, ab Apoſtolis introducta, per quos alias ſimiles leges habemus; puta celebratio diei Dominicæ inſtituta eſt quo ad rem ut declarato-

E ria præcepti naturalis diei Sabbati. Inſtitutio Paſcharis eſt declaratio legis naturalis de gratiis referendis pro ſummis beneficiis, quale eſt illud Redemptionis peractæ. Annuæ confeſſionis, & communionis declaratio præcepti Divini de Confeſſione, & Communione, & ſic de aliis, in quibus ſola forma, & ritus accidentalis Eccleſiaſtica ſunt. Brevius: Eccleſia vocans ad publicas Litanias Clericos, & Laicos intendit admonere ſolemni, & publico facto fideles de ſatisfacienda hac obligatione illis temporibus, vel aliis; cum enim ſit obligatio poſitiva pro tempore indetermi-

nato,

nato, ſufficit Eccleſiæ, quod aliquando fideles Sanctorum patrocinium poſtulent, quos, ut diximus, univerſali Rogationum ritu intendit admonere.

148 Aliud Traditionis fundamentum deſumitur a celebratione feſtorum, quæ pro Sanctorum cultu fuere inſtituta; in quo explicando non eſt diu immorandum, cum ſimus in re valde celebri. Duo ſolummodo ſunt breviter advertenda, primum eſt titulus antiquitatis, qui ab eruditis in Apoſtolos reducitur. Certum eſt, quod in V. Seculo uſus extabat; de eo enim mentionem facit Auguſt. *in Pſal.* 63., *&* 88. Paulinus Natali 2., *&* 3. S. Felicis, Chryſoſtomus *homil. 66. ad populum*, & alii. Seculo IV. S. Hieron. *in* 4. *Gal.* Et *epiſt.* 19. *ad Euſtochium*. Ambroſ. *ſerm.* 66. 77., *&* 78. Nazianzenus *Orat. prima in Julianum*. Nyſſenus *Orat. in Theod. Martyrem*. Baſilius *Orat. in Gordium Martyrem*. III. Seculo S. Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 6. Et *lib.* 4. *epiſt.* 5. Origenes *homil.* 3. in diverſa Evangelii loca. Tertullianus *lib. de Corona militis*, ubi docet unam ex antiquis Traditionibus eſſe pro Natalitiis facere oblationes annuas. Seculo II. Eccleſia Smyrnenſis in epiſt. quam citat Euſebius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 15. Seculo I. Clemens *lib.* 8. *Conſtit. cap.* 39. jubet celebrari Natalitia Apoſtolorum, & Martyrum; quod utique ab ipſiſmet diſcipulus fidelis didicit, & ipſi, aperiente Domino ſenſum, a Scripturis hauſerunt, in quibus varia feſtorum genera leguntur celebrata, & ut exemplo præirent, præter feſta Chriſti Domini, diem Aſſumptionis Deiparæ feſtum fecerunt, ut plurium fert opinio, & antiquiſſimi Patrum, præcipue Athanaſii ſermones id comprobant.

Sub primordiis Eccleſiæ feſta inſtituta.

Secundum quod eſt notandum, eſt ratio præcepti. Quamvis enim plurima Sanctorum feſta ſint, & fuerint liberi juris, nihilominus alia per univerſalem Eccleſiam ſub præcepto ſunt, & fuerunt, ut, omiſſis Conciliis, patet *Can. Conqueſtus*. De feriis -- „ Qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe „ conſtituti, ſcilicet, Natalis Domini, Sancti Stephani, Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, Sancti Sylveſtri, Circumciſionis, „ Epiphaniæ, ſeptem diebus Dominicæ paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus, qui ſequuntur, Nativitatis Joan. Baptiſtæ, feſtivitatem omnium B. Virginis „ glorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præcipue Petri, & Pauli, B. Laurentii, Dedicationis B. Michaelis, Solemnitatis omnium Sanctorum &c. -- Iiſdem fere verbis habetur *Can. Pronunciandum*, *diſt.* 4. *de conſecratione*. Quod præceptum ad formam juris gentium, & conſequenter in naturali radicatum, diſpoſitum eſt. Cujuslibet gentis conſuetudine celebrantur dies natales Principum; cum evehuntur homines ad magnam aliquam dignitatem; cum inſignis victoria obtinetur. Sic Viri Dei heroicæ virtutis, ubi mundo moriuntur, naſcuntur æternæ vitæ, ad excellum gloriæ gradum elevantur, perfectiſſimi de triplici immani hoſte victores.

Cultus Sanctorum in naturali jure fundatum.

Porro in hoc præcepto feſtorum intendit Eccleſia laudare Deum in Sanctis ſuis, ad amorem ipſius Dei fideles promovere, gratias agere Deo pro beneficiis per merita Sanctorum, excitare ad virtutes Beatorum, exemplo ipſoſmet Divos colere, velut viros excellentes, eorum ſuffragium expoſtulare; & hoc præcipue intendit, ut patet in omnibus fere collectis, in quibus Sanctorum interceſſionem interponit; & ad hoc fideles obligat; eſt enim præcipuus finis intrinſecus operis, & præcepti. Ut de illis pariter inſtruantur fideles, mandat Paſtoribus Synodus Tridentina *Seſs.* 25. *cap.* 2. *de invocatione &c.* Et *cap.* 2. *de delectu ciborum* poſt decretum de continuanda ſeſſione in diem ſequentem.

Poſſet ſimile argumentum efformari ex præcepto jejunii, ſtatuti ab Eccleſia in vigiliis plurium Sanctorum ob eaſdem omnino cauſas, propter quas fuerunt inſtituta feſta, cujus pariter uſus eſt valde antiquus, ſed dicta ſufficiunt. Quare hoc argumentum Traditionis, verbis Bellarmini *lib. prima de Sanctorum Beatificatione cap.* 19. *in fine* abſolvo, ubi reſpondet Calvino effugienti vim Catholicarum rationum dicendo, SS. Patres voluiſſe impedire Sanctorum invocationem, ſed non potuiſſe frangere vulgum -- Sed nimis infirmum eſt Calvini refugium: nam, quod „ Patres concupiverint prohibere invocationem Sanctorum, patet ex verbis ipſorum „ jam citatis, ubi ipſi ſuadent, hortantur, „ docent, Sanctos invocandos; & ipſi eos „ paſſim invocaverunt, & in Conciliis a ſe „ celebratis eos invocari præceperunt -- Porro Conciliorum decreta circa hanc materiam confirmat, & obſervari mandat Tridentina Synodus *Seſs. cit.* 25. *cap.* 2.

149 PROB. VII. Ex præcepto tenemur colere Sanctos, ſed invocatio eſt eximius actus cultus; ergo tenemur Sanctos invocare. Maj. oſtenditur. I. Lumen naturale dictat honorandos eſſe viros excellentes, ut fert omnium gentium etiam barbararum uſus, ſed Sancti ſunt viri excellentes, ita quod Dii nominentur. *Ego dixi: Dii eſtis, & Filii excelſi omnes*; ergo ſunt honorandi; ſiquidem honor eſt quoddam naturale præmium virtutis. II. Jubet Scriptura Sanctorum ſapientiam laudare, Eccleſiaſtici 44. *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia*. Hoc loco id jubere Scripturam docet Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctorum Beatificat. cap.* 7. *arg.* 2., ſed laus eſt ſpecies honoris, & reverentiæ; ergo. III. Præcipit Scriptura adorare loca, in quibus Deus ſpecialiter inhabitat, Pſal. 98. *Adorate Scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt*. Quod ad litteram intelligitur de Arca Teſtamenti ſecundum Patres, & patet 1. Paralip. 28. v. 2. *Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*. Specialiter autem in Arca Deum inhabitaſſe patet, quia ſuper eam loquebatur, & reſpondebat Sacerdotibus, ut ſuperius tetigimus; & habetur 2. Reg. 6. v. 2. *Arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituum ſedentis in Cherubim ſuper eam*. Hinc Pſal. 131. tribuitur ſpecialis ratio ſanctitatis: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca ſanctificationis tuæ*. Porro hoc loco præcipi aliquem cultum, docet Bellarm. *lib.* cit.

Ex præcepto debemus Sanctos colere.

cit. cap. 13. *arg. primo* . Sed non indigemus
A teſtimonio humano, ubi adeſt Divinum. Joſue 3. v. 4. præcipitur ut inter Arcam, & populum interſit ſpatium cubitorum duorum millium, & adjicitur : *Et cavete, ne appropinquetis ad Arcam*. Cujus præcepti prima cauſa aſſignatur reverentia ad ipſam Arcam. 1. Reg. 6. v. 19. dicitur : *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent Arcam Domini*. Multa millia hominum occidit Deus, quia non debita reverentia aſpexerunt Arcam, ideſt, quia viderunt eam nudam, & non tectam velis: non enim ipſiſmet Levitis licebat diſcoopertam ſub pœna mortis videre, ut Num. 4. 5., & 20. En quanta religio. 2.
B Reg. 6. v. 7. *Iratuſque eſt indignatione Dominus, contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate* ob tactum irreverentem, quia & non Sacerdos, & nudam tetigit, ut ferunt Interpretes. Ad Heb. 9. v. 7. *In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex* ingrediebatur ob reverentiam, quia in eo tabernaculo conſtituta erat Arca : atqui in Sanctis ſpecialiſſime inhabitat Deus per gratiam in gradu heroico, & per gloriam in menſura pingui. Hinc 1. Corinth. 3. v. 16. *Neſcitis quia Templum Dei eſtis vos?* Cap. 6. v. 19. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti*. Et alibi ſæpe. Hinc Concil. Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 2.
C *de Reliquiis Sanctorum* ait -- Et aliorum cum „ Chriſto viventium Sancta corpora, quæ „ viva membra fuerunt Chriſti, & templum „ Spiritus Sancti &c.--ergo. IV. Ad Rom. 13. habemus: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Quæ verba rigoroſum præceptum continere ipſe contextus aperte demonſtrat, & omnes Patres, & Controverſiſtæ, qui eo loco utuntur ad demonſtrandam rigoroſam ſubjectionem, & obedientiam erga Principes etiam Ethnicos contra Hæreticos negantes, ut de Laicocephalia oſtendimus, ſed nemo negabit Catho-
D licus Sanctis deberi honorem tum propter excellentem virtutem, tum propter Dei promiſſionem, ut ad Rom. 2. v. 10. *Gloria autem, & pax omni operanti bonum*. Joan. 12. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus* : 1. Reg. 2. v. 30. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*. Et alibi ſæpe; ergo rigoroſo præcepto debetur Sanctis honor, & tenemur eis illum offerre. V. Tenemur ſtricto præcepto ſanam doctrinam, & exempla virtutum ad memoriam reducere, ut bene vivamus, & imitemur, quæ nobis reliquerunt Sancti, ad Heb. 13. v. 7. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti*
E *ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem*. Hic præceptum eſſe littera docet; nam, ſicut advertit D.Th., duo facit Apoſtolus. Declarat quomodo fideles ſe debeant habere circa Prælatos, primum mortuos, deinde vivos : atqui ubi agit de vivis, dicens : *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis; ipſi enim pervigilant &c.* docet verum præceptum; ergo ubi loquitur de mortuis verbis præcedentibus, qui pro nobis vigilaverunt, ſumit verbum præceptivum.

VI. Rigoroſo præcepto tenemur adorare Deum. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*; ergo rigoroſo præcepto tenemur adorare Sanctos. Conſeq. prob. Eodem proportionali præcepto, quo tenemur revereri Regem, tenemur revereri ei ſpecialiter conjunctos, & deputatos Miniſtros; quod naturalis ratio dictat, & jus gentium, & Scriptura tradit, ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit . . . . Dei enim miniſter eſt* : ita deputati a Rege, Miniſtri Regis ſunt, 1. Petri 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ* (ideſt Superiori) *propter Deum ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis* : atqui Sancti ſunt ſpeciales Deo conjuncti, & Miniſtri. Hinc *Act.* 2. Synodi VII. lecta eſt Epiſt. Adriani, quæ dicit -- Sanctos a nobis venerari, & coli, quod „ ſervi Dei ſint, & apud Deum intercedant-- *Act.* 4. Leontius habet, & a Concilio ſuſcipitur -- Sanctos veneramur ut amicos Dei, „ & honor qui Sanctis impenditur, in Deum „ recurrit -- Damaſcenus *lib.* 4. *de fide Orthodoxa cap.* 16. -- An non honorandi ſunt, „ qui totius humani generis patronos ſe pro„ fitentur? Honorandi quidem, & ita certe, „ ut in eorum nomine templa Deo extrua„ mus, & dona offeramus eorum memorias „ colamus, atque in eis ſpiritualiter oblecte„ mur -- Enumerat fuſe Nazianzenus *Orat.* 3. *contra Julianum* obſequia, quæ fiebant a fidelibus Sanctorum Martyrum monumentis, dictante Divino amore, qui conjunctiores præcipit diligere.

150 Omnium calculo illud Exodi 20. v. 12. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*, verum, & rigoroſum præceptum eſt; conſtituitque quartum Decalogi, ſed ſub eo continentur omnes Superiores, Magiſtri, & Sanctitate, & virtute Seniores, qui veram nos docent doctrinam, & veriores Patres ſunt, quam carnales. Hinc ad Galat. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. 1. ad Corinth. 4. v. 14., & 15. *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*, 4. Reg. 2. v. 12. *Eliſeus &c. clamabat Pater mi, Pater mi*. Et cap. 13. de Eliſeo mortuo Joas Rex flens dicebat : *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael*, 1. ad Tim. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem*. Levit. 19. præcipit Deus : *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis*. Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem ſunt ſenſus hominis : & ætas ſenectutis vita immaculata*. Doctrinam hanc ſolide propugnat Natalis Alexander *tom.* 4. *Theol. dogmatica moralis in quartum præceptum Decalogi*. Mihi tamen ſufficit auctoritas D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 11. -- Quarto autem „ præcepto de honore parentum ſuperaddi„ tur præceptum de honoratione ſenum, ſe„ cundum illud Levit. 10. Coram cano ca„ pite conſurge &c. Et univerſaliter omnia „ præcepta inducentia ad reverentiam exhi„ bendam majoribus, vel ad beneficia exhi„ benda, vel æqualibus, vel minoribus -- Atqui Sancti ſunt vere ſeniores, quorum vi-

Quartū Decalogi præceptum cultum Sanctorum involvit.

tam, & finem immaculatum declaravit Eccleſia, ſuntque noſtri Magiſtri, ut canit Eccleſia de Sanctis Petro, & Paulo ex S. Leone *Serm. 1. in eorum natali* -- Iſti enim ſunt „ viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Romæ reſplenduit: & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, verique Paſtores &c. -- Et ſic de aliis. Dari præceptum colendi Sanctos docet Suarez *tom. 1. in 3. p. diſp. 54. ſect. 6.* -- „ Quia licet teneamur Deum, & Sanctos colere; tamen ex ſola naturali ratione ad certum modum cultus externi non obligamur --

151 Sed meliori teſtimonio veritatem hanc concludamus, videlicet *Canone* 3. Synodi VIII. ſub Adriano -- Sacram imaginem „ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium liberatoris, & ſalvatoris, æquo honore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus, ſicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequimur omnes, ita per colorum imaginum operationem, & ſapientes, & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate. Quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & pictura, quæ in coloribus eſt, & prædicat, & commendat. Et dignum eſt, ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa referuntur, etiam derivative Icones honorentur, & adorentur æque ut Sanctorum ſacer Evangeliorum liber, atque typos pretioſæ Crucis. Si quis ergo non adorat Iconem Salvatoris Chriſti, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna &c. Similiter autem, & imaginem intemeratæ Matris ejus --

In hoc decreto notanda ſunt verba illa abſoluta: *Decernimus adorari*, quæ ſunt præceptiva. Nec moveat illa cauſalis: *Dignum eſt, ut ſecundum congruentiam rationis*, quaſi quod non ſit verum præceptum, ſed ſola congruitas; nam ly *dignum* idem eſt, ac debitum, & juſtum, & ly *ſecundum congruentiam rationis* in idem redit, ac via, & veritas rationis. Deinde violationi debiti ſolius congruentiæ imponi non poteſt tam gravis pœna, qualis eſt non videre faciem Chriſti. Item illa verba: *Si quis non adorat: & qui ſic ſe non habent, anathema ſint. Honoramus, & adoramus*, omnia abſoluta ſunt, & in ſenſu comminativo, & præceptivo: non enim dicit, qui non credit eſſe dignas adoratione, vel utiles ad adorandum, ſed *Si quis non adorat*: igitur duo apponuntur, & adoratio Imaginis, & modus ſub eodem termino; hoc ſecundum abſque dubio præcipitur, ergo & primum. Senſum etiam præceptivum habent verba ſecundum aliam translationem breviorem ex Græco, ſcilicet: *Imago Chriſti Domini Noſtri eodem veneretur honore, quo liber Sanctorum Evangeliorum: Similiter & debito honore venerentur Imagines B. M. V., Angelorum, & Sanctorum ſub pœna anathematis.* Dicit *ſub pœna anathematis*, quæ cadit ſupra non venerari, non autem ſupra non fidem venerabilitatis. Porro ſi Imagines præcipiuntur adorari, & coli, a fortiori Ipſimet Sancti, cum non niſi derivative ab ipſis honorentur Icones.

Hoc decretum ſuſcipit Tridentina Synodus *Seſs. 25. cap. 2.*, illudque citat in margine, & juxta illud format aliud decretum præceptivum -- Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam.... Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum -- Decretum Tridentinum dividitur in duas partes. In prima ſub una punctatione mandat Paſtoribus docere populum Sanctos regnare cum Chriſto, orare pro nobis, utiliter a nobis invocari &c., & damnat eos, qui negant cum Chriſto regnare, orare pro nobis, inutiliter invocari: In ſecunda parte præceptive procedit ſtatuendo, quid agendum ſit circa Imagines, earumque cultum. Mutat ſtylum, & phraſim, non agens de quæſtione juris, ſed decernens quid facti. Ad rem facit paragraphus, qui inſeritur formulæ profitendi fidem -- Firmiſſime aſſero, „ Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam -- Et illis -- Similiter, & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe &c. -- Non enim ait, utile eſt, bonum eſt, conveniens eſt, habere, invocare &c, ſed abſolute: *Aſſero habendas*. Quare non poteſt admitti interpretatio excluſiva præcepti.

Cultum porro, quem præceptum docemus, Religioſum eſſe, & non pure civilem, cum Sanctis Patribus, & Controverſiſtis docuimus ſuperius, directe agentes contra Heterodoxos. Et ratio in aperto eſt, quia cultus civilis debetur excellentiæ civili, & naturali, religioſus verò excellentiæ ſupernaturali, ſeu Divinæ per eſſentiam, aut per participationem: Sancti autem coluntur propter virtutem ſupernaturalem, & titulo Sanctitatis, quæ eſt excellentia Divina participata; unde cultus ejus debitus eſt Sacer, & Religioſus, cujus pars potior eſt invocatio, per quam fit proteſtatio potentiæ, & efficaciæ, quam habent apud Deum, & ſummæ charitatis erga Deum, & nos.

152 Ut verò effugio tollatur aditus omnis, & doctrina, quam dedimus intelligatur, notandum eſt, omnes propoſitiones particulares legitime contentas ſub aliquo principio univerſali pertinere ad qualitatem illius principii univerſalis abſque indigentia alterius regulæ, unde ſi illud principium pertinet ad materiam fidei, ſingulæ propoſitiones pertinent ad fidem abſque nova revelatione, & particulari definitione Eccleſiæ, niſi detur ſingularis exceptio. Hinc quia ad fidem pertinet omnem hominem in Adamo eſſe mortuum, abſque particulari decreto de fide eſt nos eſſe mortuos in Adamo. Sic ſi principium univerſale pertineat ad lineam alicujus præcepti, ſingula particularia cadunt ſub illo præcepto, abſque eo quod ſit neceſſarium particularem ponere formam præcepti; ſic quia

cha-

charitas proximi ut ſic cadit ſub præcepto, non eſt neceſſe, repetere ſingulare præceptum, ut debeat hic, vel ille proximus diligi; poſſet hoc inductione oſtendi centenis exemplis. Porro invocatio, & cultus Sanctorum continetur ut propoſitio particularis ſub principiis univerſalibus pertinentibus ad lineam præcepti, & quidem continentia legitima; ergo etiam ſi non daretur formula particularis præceptiva pro illis, revera caderent ſub vero, & proprio præcepto. Subſumpta propoſitio patet ex principiis, quibus ſumus uſi in probatione concluſionis, ſed illam confirmo auctoritate, & doctrina Cardinalis de Richelieu in doctiſſimis ſuis Controverſiis contra Hæreticos *lib. 3. cap. 4.*, quod eſt *de veneratione, & invocatione Sanctorum*.

Cultus Sanctorũ ſub generali præcepto continetur.

Ut reſpondeat argumento Hæreticorum, quod uſque ad nauſeam repetunt, non dari in Scripturis præceptum de honorandis, & invocandis Sanctis, adeoque non licere; poſtquam oſtendit non dari indigentiam præcepti, ubi ipſa neceſſitas eſt præceptum; parat ſibi viam per inſtantiam, petens: Ubi in Scripturis habeatur Filium, & Spiritum Sanctum glorificandum eadem glorificatione, qua Pater? Nullibi certe habetur explicite, ut bene advertit S. Baſilius, & tamen tenent ipſi præcepto eodem, eademque glorificatione glorificandum. Reſpondet ex ore ipſorum, haberi in Scripturis generaliter præſcribentibus, Deum eſſe adorandum, cumque Filius, & Spiritus Sanctus ſit Deus, æqualiter eſt glorificandus. Hinc ita ſubſumit -- Cum Scripturæ permittant, conſulant, præ„ ſcribant diverſis locis invocandos eſſe viros „ juſtos, eorumque preces expoſtulandas, „ per conſequens ipſæ jubent invocare San„ ctos, qui primum locum tenent, & pri„ mariam rationem inter juſtos -- In alio numero eodem modo diſcurrit. Lumen naturale, quod eſt omnibus commune dictat, (nec eſt perſona, quæ hoc ignoret) honorandus eſſe bonos, qui vivunt ſupra terram; ergo fortiori ratione dictat honorandos eſſe, quando ſunt in Cœlis; ubi non ſolum ſunt confirmati in gratia, quæ erat ratio honorandi in terris, ſed fruuntur æterna Dei viſione: atqui idem lumen naturale præcipit honorandos viros excellentes, qui ſunt in terris; ergo a fortiori præcipit honorare viros ſummæ, & conſummatæ excellentiæ in Cœlis exiſtentes.

Addo auctoritatem alterius eximii Controverſiſtæ Bernardini Utnveis in illo præclaro opere, quod *Speculum veræ Eccleſiæ* inſcribitur, ubi univerſam Catholicam veritatem defendit contra trium Hæreticorum libellos Anonymos, in quibus totum virus Hæreticæ pravitatis continetur. *Lib. 6. cap. 6.* per varios articulos tractat de Invocatione Sanctorum, & pluries reſpondet argumento pluries a libellis inculcato, quod non datur præceptum in Scriptura de invocandis Sanctis, ac proinde non eſſe licitum eos invocare. Primò dat ſolutionem generalem, ſcilicet, quod non eſt expectandum præceptum, ubi ipſa neceſſitas impellit: neceſſitas enim adjutorii apud Deum per amicos ipſius eſt in Eccleſia communis, & patens. Secundo *art. 2.* dicit -- Deus ali„ quando id mandavit, ut patet Job 42. v. 7.-- Quod repetit *art. 2. cap. 7.* Tertio *art. 3. cap. 7.* adverſus quandam inſtantiam tertii Anonymi habet -- Qua ergo auctoritate illud addis Sa„ cræ Scripturæ; cum Jacob expreſsè juſſerit, „ ut nomen ſuum, & patrum ſuorum invo„ cetur? Geneſis 48. -- Et infra, adducens varia exempla ait -- Jacob, qui juſſit nomen „ ſuum ſuper poſtos invocari -- Sed ad rem noſtram faciunt; quæ tradit *in eodem tertio art.* -- Reſp. ſecundo, interim mandatum „ habes in Job; & in novo Teſtamento de „ invocandis vivis, & exemplis Pauli &c. „ Quod ſi tuus falſus ſenſus conſtaret, ſcili„ cet, Deum ſolum invocandum eſſe, & om„ nem aliam, quæ creaturis religioſe defer„ tur, invocationem eſſe Idololatricam; certe „ hoc etiam concerneret viventes, qui vi„ ventes invocant; quia non aliter Sancti Re„ ligioſe invocantur mortui, quam vivi: at„ qui hoc falſiſſimum eſt contra expreſſam „ Sacram Scripturam: habes ergo non ſolum „ exemplum, promiſſionem; ſed etiam man„ datum de invocatione viventium, ut ad „ objectionem ſecundi Anonymi fuſius oſten„ ſum eſt; adeoque abſtine a tali calumnia, „ ut Idololatricam judices Sanctorum invo„ cationem; & veritati, ſi ſapis, acquieſce -- Porro in reſponſione, quam citat contra ſecundum Anonymum *art. 2.* probat dari præceptum de orandis vivis, & inde a fortiori arguit Chriſtum mandaſſe, ut Angelos, & Sanctos ſimiliter invocaremus; quia ex charitate orant pro nobis. Ecce qualiter ſufficit continentia in principio univerſali præceptivo, ut particulare cadat ſub præcepto. Ecce qualiter invocatio Sanctorum continetur in ſimili principio, & quidem a fortiori.

DICES. Auctor Speculi veræ Eccleſiæ, *art. 1. cap. 6.*, ubi præmittit ea, quæ ſunt certa circa invocationem Sanctorum, aſſerit non dari bujuſmodi præceptum; ergo non favet.

RESP. Quæ citavi, non his adverſantur, quæ in inſtantia referuntur; ibi enim numero tertio habet -- Eccleſia non docet, quod „ fideles ex ſpeciali Dei mandato teneantur „ invocare Sanctos; nec quod Deus non ali„ ter, quam per Sanctos ſit invocandus &c.-- Specialem mandatum non agnoſcit, ita frequenter, & determinate obligans, ut fere ſemper debeamur ad Deum recurrere per Sanctos, eo modo, quo regulariter nequeunt homines inferioris conditionis a Rege aliquid obtinere, niſi per aliorum interceſſionem. Hoc enim reformidant Achatholici; putant enim, nos velle talem alligationem ad invocandus Sanctos, ut jure quodam particulari debeamus quaſi toties quoties ipſorum implorare ſuffragium: quod colligunt ex frequentibus exercitiis, quæ fiunt a fidelibus erga Sanctos, eorumque Imagines, & Feſta; hinc aliud inferunt Deum nullo modo nos immediate invocare, & nec invocandum eſſe non ſentire. Patet hanc eſſe mentem auctoris ex tota reſolutione Diſputationis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

153 OBJIC. I. Præceptum invocandi Sanctos vel eſt tranſcendens, vel particulare; ſi tranſcendens, idem eſt, ac nullum, quia præceptum tranſcendens non ponit in numero cum eo, quod tranſcendit; ſi particulare, debet aſſignari, ad quam claſſem ſpectet; nam ex his, quæ dicta ſunt, nequit colligi; ſiquidem ex pluribus capitibus probatum eſt: neque conſtat, an ſit naturale, vel ſupernaturale.

Hæc objectio nullius eſt momenti, eſtque communis pluribus materiis. Dico igitur eſſe tranſcendens tranſcendentia fontali, contractum ad differentiam particularem. Tranſcendens in moralibus ſtat dupliciter. I. Pro eo, quod imbibitur in pluribus differentiis moralibus, qualiter ratio obedientiæ includitur in omni præcepto, & hoc ſenſu negamus, præceptum invocandi Sanctos eſſe tranſcendens. II. Stat pro eo, quod eſt fons, & principium univerſale plurium veritatum, ſeu concluſionum, qualiter eſt illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; & hoc ſenſu præceptum invocandi Sanctos dici poteſt tranſcendens, quatenus radicatur in eo principio, quod unuſquiſque tenetur per debita media ſibi providere in neceſſitatibus, & in eo, quod excellentiæ debetur honor: Contrahitur tamen ad differentiam particularem, quia determinatur ad honorandam excellentiam determinatam Sanctitatis, & ad rationem medii conducentis ad obtinenda auxilia neceſſaria pro conſequenda beatitudine. Ad quam autem claſſem determinate pertineat, dico, quod quatenus invocatio eſt ſignum honorationis debitæ Sanctis, & in hunc finem dirigitur, pertinet ad Duliam (ſtante veritate ſententiæ, quod Religio proprie dicta non reſpiciat pro objecto ſecundario excellentiam creatam, ut docent PP. NN. Salmant.) Si vero Religio reſpiciat creatam excellentiam pro objecto ſecundario, pertinet ad Religionem tanquam actus ſecundarios, ſicut dilectio proximi ad charitatem; quatenus autem invocatio eſt petitio, pertinet ad præceptum orationis; nec implicat in moralibus eundem actum conſtitui in duplici ſpecie. Quantum ad ſecundam partem dico eſſe naturale, elevatum ad ordinem ſupernaturalem, quod accidit in pluribus aliis caſibus, in quibus, quod eſt præceptum in Decalogo, præcipitur etiam in Scriptura; & ſi vis uno verbo totum concludere, potes dicere reduci ad quartum Decalogi.

Tranſcendens in moralibus duplex.

Præceptum invocandi Sanctos naturale.

154 OBJIC. II. Si daretur præceptum Sanctos invocandi, deberet eſſe affirmativum, & poſitivum; non enim poteſt eſſe negativum, ut evidens eſt, neque neceſſarium neceſſitate medii: poſſumus enim abſque invocatione Sanctorum ſalvari, aliàs incideremus in hæreſim damnatam a Divo Paulo in Religione Angelorum, ſed nequit eſſe affirmativum; quia affirmativum obligat pro determinato tempore: atqui non eſt aſſignabile ullum tempus, in quo determinate teneamur Sanctos invocare, & aſſignato quocunque, facile oſtendi poteſt tunc non obligare; ergo nunquam obligat.

RESP. Hoc præceptum eſt affirmativum,
A cujus obſervantia in præparatione animi eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſicut de omnibus aliis præceptis docet D. Thom. Probatio inducta contra rationem præcepti affirmativi decepit plures Theologos morales, qui negaverunt nobiliora præcepta non obligare pro toto tempore vitæ, ut præcepta Fidei, Spei, & Charitatis: unde fuit neceſſe, ut Eccleſia tam pravam doctrinam proſcriberet. Præceptum affirmativum id habet, ut non obliget pro ſemper, ſed aliquando; non eſt tamen neceſſarium, quod obliget pro tali tempore determinate ſignato, ſed in aliquo indeterminato: ſicut accidit in allatis circa virtutes
B Theologicas. Sed præſtat audire D. Thom. 4. *Sent. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. quæſtiuncula 3.* -- Ad 3. quæſt. dicendum, quod oratio cadit „ ſub præcepto & determinate, & indeterminate. Determinate quidem ad aliquas „ orationes ex præcepto tenentur illi, qui ex „ officio ſunt medii inter Deum, & populum conſtituti; ſicut Miniſtri Eccleſiæ: „ unde ex officio eis incumbit preces ad „ Deum in perſona totius Eccleſiæ fundere; „ & ideo ex ſtatuto Eccleſiæ tenentur ad horas Canonicas dicendas, ſed indeterminate „ ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipſo, „ quod tenetur ad bona ſpiritualia ſibi pro-
C „ curanda, quæ non niſi Divinitus dantur: „ unde alio modo procurari non poſſunt, niſi „ ut ab ipſo petantur: & etiam ex hoc ipſo, „ quod charitatis præcepto tenetur proximum, ſicut ſeipſum, diligere, tenetur „ ei in neceſſitate beneficus eſſe, non ſolum „ per corporales eleemoſynas, ſed etiam per „ ſpirituales, quarum una eſt oratio, ut „ prius dictum eſt. Sed omnibus etiam, qui „ Eccleſiæ miniſterio non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cum ex Canonum ſtatuto „ teneantur diebus feſtis Divinis Officiis intereſſe, ut Miniſtris pro populo orantibus
D „ ſuam intentionem conforment --

Præceptum hocce affirmativum.

Ex hac auctoritate ſic I. Quia bona ſpiritualia Divinitus dantur, præceptum arguit orandi D. Thom., ſed bona ſpiritualia nobis dantur Divinitus mediis meritis, & orationibus Sanctorum; ergo etiam tenemur orare Sanctos. Ex quodam enim pacto diſpoſuit Deus per merita Beatorum ſe daturum dona hominibus, 4. Reg. 20. v. 6. *Protegam urbem iſtam, propter me, & propter David ſervum meum*. Et in revelationibus S. M. Thereſiæ habemus promiſiſſe Deum ſe nihil negaturum, quod per merita S. Petri de Alcantara poſtularet; & approbatur a Sacra Rituum
E Congregatione in officio ejuſdem Beati Petri, pluribuſque aliis revelationibus oſtendi poſſet.

II. Quia tenemur bona ſpiritualia nobis procurare, arguit D. Thom. præceptum orandi, ſed tenemur nobis bona ſpiritualia efficaciter procurare, quod rarò non poſſumus, niſi ſupplentibus meritis Sanctorum quod deeſt ex parte noſtra; ergo tenemur orare Sanctos. Hinc Auguſt. *quæſt. 139. in Exodum* ad illud: *Sine me, ut iratus conteram eos*: dicit admoneri nos -- Cum merita „ noſtra nos gravant, ne diligamur a Deo, „ relevari nos apud Deum illorum meritis „ poſſe,

Digitized by Google

„ poſſe , quos Deus diligit —

III. Quia ſtatuit Eccleſia feſtos dies , tenentur fideles orare , & aſſiſtere Divinis Officiis , ſuam conformantes intentionem cum Miniſtris : atqui Miniſtri tenentur ex præcepto , orando ſæpe Sanctos invocare , de quo nemo Catholicorum dubitat ; ergo etiam ceteri fideles tenentur aliquando Sanctos invocare . Ex eadem Doctrina habes reſolutam quæſtiunculam illam : Quoties teneamur in anno Sanctos invocare : Toties , videlicet , quoties occurrunt dies feſti ab Eccleſia præcepti toti populo in honorem Sanctorum . An autem præter hæc tempora , alia dentur , in quibus teneamur, pars affirmativa videtur vera, ſi attendamus ad Scripturas præcipientes ſemper orare , hoc eſt , frequenter , & ſi attendatur neceſſitas , quam habemus auxiliorum Dei , & ad naturam primorum principiorum, inter quæ in ſpiritualibus eſt oratio , quæ frequentius ſunt applicanda , ut conſequamur debitos effectus .

Quando teneamur Sanctos invocare.

155 OBJIC. III. Si daretur præceptum invocandi Sanctos , urgeret Eccleſia illius obſervantiam , ſed illam non urget ; ergo non datur . Min. explicatur communi praxi Confeſſariorum , qui non ſolent interrogare fideles circa obſervantiam hujus præcepti , nec eſt uſus apud fideles accuſandi ſe , & hoc , ſciente Eccleſia ; ergo non urget Eccleſia ejus obſervantiam .

Plurima non obligarent , ſi praxis univerſalior Confeſſariorum eſſet regula excuſans , Plurima omittuntur in illo foro variis prætextibus . Quis interrogat circa obſervantiam præcepti fidei , ſpei , charitatis, orationis , & ſimilium ? Ergo non dantur hæc præcepta ? Regula juris eſt , quod *Res legibus , non factis ſunt judicandæ* . Nego Eccleſiam non urgere obſervantiam hujus præcepti . Nonne exigit obſervantiam feſtorum Divis dicatorum ? Nonne commendat plurium aliorum feſtivitates ex devotione ? Nonne Indulgentiarum largitione impellit ad Sanctorum devotionem ? Nonne approbat, & conſulit centena pietatis exercitia erga Beatos Patronos ? Urget ſane præcepti obſervantiam innumeris propemodum mediis : & ſi etiam non urgeret , non eſſet culpanda , ſupponens neceſſitatem ipſam urgere .

Quantum verò ad actualem obſervantiam , dico nullum eſſe præceptum , quod exactius , & frequentius, & univerſalius obſervetur , quam hoc : ſtando ſaltem in obſervantia , quoad ſubſtantiam materialem ; nam veriſſimum eſt vulgare effatum , quod nullus tam impius eſt, qui obſequium Sanctis non præſtet, & Populorum frequentia, quæ eſt in Eccleſiis, id comprobat ; & ob hoc ſolliciti non ſunt Confeſſarii de interrogandis fidelibus . Facile pariter detegitur omiſſio obſervantiæ ex omiſſione Sacri diebus feſtivis : nam adimpletur hoc præceptum auditione Sacri , prout communius dicitur de obſervantia præcepti orandi Deum , cui ſatisfit auditione Sacri die Dominico , aliiſque feſtis . Ille enim actus auditionis Sacri in ſolemniis Sanctorum , ſaltem virtualiter , & ex intentione Eccleſiæ , cui ſubmittit ſe audiens Sacrum , ordinatur & ad cultum Sanctorum , & ad imploranda eorum ſuffragia . Ceterum pro privatis fidelibus non eſt neceſſe , quod invocatio , ſeu oratio vocalis ſit , vel mentalis , utraque ſufficit .

156 OBJIC. IV. Implorare ſuffragia Sanctorum cedit in utilitatem ſupplicantis , ſed propriæ utilitati quilibet cedere poteſt ; ergo unicuique liberum eſt invocare Sanctos ; ergo non datur præceptum . Item . Ideo debemus Sanctos invocare , ut obtineamus auxilia ad evitanda peccata , ſed hoc eſt obligare per accidens ; ergo non datur ſpeciale præceptum invocationis .

In primo Syllogiſmo utraque præmiſſa eſt falſa . Major quidem , quia in actu orationis erga Sanctos intercedit honor ipſorum Sanctorum ; nam ipſe actus petendi eſt actus ſubjectionis . Qui petit ab alio , illo indiget ; unde petendo ſe illi ſubjicit . Inſuper petitio includit actum mentis , unde a Sanctis petendo , ſubjicimus nobiliſſimam noſtri partem . Item ſupplicatio eſt profeſſio virtutis : nam profitetur in eo , a quo petit , eſſe potentiam ad adjuvandum , miſericordiam ad compatiendum , charitatem ad ſubveniendum , & alias perfectiones; quæ ſubjectio , & profeſſio cedit in honorem Sanctorum . Minor præmiſſa falſa eſt ; ſiquidem nemo cedere poteſt utilitati ſuæ in his , quæ pertinent ad neceſſitatem ſalutis . Sacramenta ordinata ſunt ad noſtram ſalutem , quorum tamen ſumptioni non ſemper poſſumus cedere .

Invocatione honorantur Sancti.

Pariter in ſecundo Syllogiſmo utraque præmiſſa eſt falſa . Prima , quia non pro ſolis evitandis peccatis Sancti implorandi ſunt , ſed pro obtinendo quolibet ad ſalutem neceſſario . Secunda , quia obligatio per accidens tunc eſt, quando ad evitandum aliquod peccatum determinatum in aliqua circumſtantia, & occaſione particulari neceſſe eſt hoc , vel illo medio uti , puta oratione , jejunio , ſecus quando aliquod eſt neceſſarium ad evitandum peccatum ut ſic , & in genere , aliàs & orare Deum , & alia plura obligarent ſolum per accidens : obligat ergo per ſe , ut ex dictis conſtat, habetque actus orationis ad Sanctos ſpecialem honeſtatem , & ad virtutem ſpecialem ſpectat , & eo Deus in Sanctis ſuis honoratur . Obligat etiam per accidens , ubi neceſſitas urget vincendi aliquam tentationem , quæ non eſt ſaltem facile ſuperabilis, niſi fiat recurſus ad patrocinium Sanctorum . An autem in tali caſu omiſſio ſit duplex peccatum : affirmabunt plerique cum Suarez *tract. 4. de Relig. lib. primo cap.* 29. cum Joan. a S. Thom. *diſp.* 27. *art.* 3. alii negabunt cum Martino de Prado .

Adeſt per ſe obligatio invocandi Sanctos.

157 OBJIC. V. Si Sancti exorandi eſſent ex debito , præceptum haud eſſet obſervabile : nam deberent invocari omnes ; ſiquidem omnes ſunt excellentes , omnes ſeniores, omnes ſunt confirmati in gratia , & ſunt Domeſtici Dei , & Principes Cœleſtis Jeruſalem, ſed hoc eſt impoſſibile , ut patet præ nimia multitudine , & ex alio capite cum Deus ſtatuerit quædam concedere per quoſdam Sanctos , ſequitur , quod illi ſint exorandi , quorum multi pluribus ſunt incogniti , unde non poſſunt invocari . Rurſus , ſanctiores ſunt efficaciores ad impetrandum , quare ipſi

ſoli

Digitized by Google

ſoli deberent invocari, ut efficacior redderetur oratio noſtra.

Argumentum hocce commune eſt dogmati de utilitate invocandi Sanctos: quare nego majorem. Et primæ probationi jam ſatisfecit Eccleſia, quæ ſub præcepto ſtatuit prævio jejunio celebrari feſtivitatem omnium Sanctorum: & etiam dato, quod non eſſet talis feſtivitas, non eſſet neceſſarium abſolute invocare omnes, ſed ſufficeret aliquos, ſicut non eſt neceſſe per omnes Principes recurrere ad Regem, nec omnes Advocatos adire, ſed aliquos, eo vel maxime, quod honor uni exhibitus redundat in alios. Secunda probatio locum habet in conceſſione donorum accidentalium, & præcipue pertinentium ad temporalia; in his enim datum eſt quibuſdam Sanctis ſpecialius patrocinari. Ceterum in his, quæ pertinent ad neceſſaria ſalutis, non credo factam ullam limitationem: unde quilibet adiri poteſt; & quoslibet Sanctos Deus pro opportunitate exaudit. Tertiam probationem ſolvit Angelicus 4. *Sent. diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 2. *ad* 2., ubi ponit quinque rationes, cur etiam Sancti inferiores debeant invocari. Veritas eſt habere charitatem conſummatam, ratione cujus ſunt exaudibiles, & quæ in omnibus urget ad benefaciendum nobis; unde omnes poſſunt, & debent exorari. Cautum tamen eſt B. Virg. præ ceteris exorandam, utpote univerſale peccatorum refugium, deinde S. Joſeph, & Apoſtolos Eccleſiæ fundamenta.

Omnes Sanctos veneratur Eccleſia.

DICES. Non datur præceptum adorandi imagines; ergo neque Sanctos invocandi; cum enim Sancti nunc non occurrant nobis, niſi in Imaginibus; ſi in Imaginibus non tenemur eos revereri, nullo modo tenebimur.

RESP. Conſeq. non tenet: quia Sancti nobis etiam occurrunt mentaliter ſub lumine fidei; unde etiam non datis imaginibus poſſemus, & deberemus invocare Sanctos. Quantum verò ad antecedens jam diximus in ultimæ rationis confirmatione, dari præceptum eas retinendi, & venerandi; nec credo poſſe negari: nam abſque dubio datur præceptum exornandi Altaria Templorum, in quibus Sacrificium peragitur coram Sacris Imaginibus; & firma totius orbis Chriſtiani conſuetudo a primordiis Eccleſiæ confirmat legem: immo eſt ſignum proteſtativum Religionis Imaginum uſus; ſiquidem Hæreticorum Templa, & Mahometanorum Moſcheæ in hoc a Chriſtianorum Baſilicis diſtinguuntur, quod noſtræ ornantur Imaginibus, ſecus illorum.

Quod ſi quis privatus advertenter, cum poſſet, ſacris non uteretur Imaginibus, pro ſuſpecto in fide, & ſuperſtitioſo haberetur: & credo quod dubio procul eum non abſolveret Sacrum Tribunal, præciſe ex eo, quod ſe excuſaret, adducendo non dari præceptum de retinendis Imaginibus, ſed cogeret eas retinere. Non poſſum mihi perſuadere, quod poſita de Sacris Imaginibus hæreſi, tanta ſollicitudine in Eccleſia in earum defenſione, tanta diligentia univerſalium fidelium in exornandis Templis Sanctorum, & Iconibus, tantis exemplis in Sacris Scripturis, non detur præceptum publice retinendi Imagines. Porro poſito præcepto de retinendis, datur

De ſuperſtitione damnandus, qui imaginibus non uteretur.

abſque dubio præceptum eas quandoque adorandi, hinc Sacra Concilia cum retentione ſemper conjungunt adorationem, & venerationem, ſicut adorationem Sacrarum Imaginum cum veneratione Sacri Libri Evangelii, qui certò certius in Eccleſia retinendus eſt, ac proinde ipſæ etiam Imagines. Tum quia inter fines præcipuos retinendi Imagines eſt adoratio: affirmativo ergo præcepto tenemur quandoque Sacras Imagines adorare, non ſolum quando eas tractamus, ſed etiam aliàs. Cui præcepto facile ſatisfit a fidelibus, cum nullus ſit, qui vel non caput inclinet, vel genua quandoque alicui Imagini flectat, & a quolibet ſatisfit, qui reverenter diebus feſtis aſſiſtit Sacro, Diviniſque Officiis ante Sacras Imagines. Datur etiam præceptum, ne injuria afficiantur, nec cultu indebito, & ſuperſtitioſo exornentur.

Quandoque ex præcepto imagines adorandæ.

Licet Controverſiam Catholicam, an Sancti Sacro ſint digni cultu, in ſequentibus examinemus; nihilominus prævie egimus de præcepto eos adorandi propter connexionem cum Doctrina de invocatione eorundem Sanctorum, ne eadem fundamenta cogeremur repetere.

CONTROVERSIA X.

AN SANCTI POST MORTEM SACRO DIGNI SINT CULTU.

REa Jacobus *in ſua præfatione* aſſerit, ſe colere eos Sanctos, quorum mentio fit in Scriptura; ceteros autem ſpernit: docetque Sanctorum cultum nuperam eſſe ſuperſtitionem. Verum cum nupera non ſit, ſed antiqua hæreſis contra Sanctorum venerationem, ſequitur ex hoc ipſo oppoſitum. Julianus Apoſtata primus eſſe videtur, qui contra Sanctorum cultum inſurrexit; reprehendebat enim Catholicos, quod pro Diis Sanctos colerent, teſte Cyrillo Alexandr. *lib.* 6. *contra eundem*. Apud Irenæum *lib.* 3. *de hæreſibus cap.* 20. Gnoſtici Sanctorum cultum negabant. Eundem errorem ſecutus eſt Euſtathius Sebaſtenſis Epiſcopus, ut conſtat ex Concilio Gangranſi, infra referendo. Horum veſtigia tenuit Vigilantius, ſicut colligitur ex lib. Hieronymi adverſus eundem. Aug. *lib.* 20. *contra Fauſtum Manichæum cap.* 4. refert eum reprehendiſſe Catholicos, eo quod Sanctos colerent, dicebatque -- Idola vertitis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis -- Sanctorum venerationi Wiclephus pariter ſe oppoſuit, apud Waldenſes *tomo* 3. *tit.* 13.

Hos ſibi Magiſtros elegerunt Acatholici noſtri temporis: unde Lutherus *in Evang. Dominica* 23. *poſt Trinitatem*, ait -- Quid enim Sanctorum cultus, & veneratio aliud fuit, niſi res diabolica? -- Magdeburgenſes *centur.* 1. *cap.* 4. aſſerunt -- Omnem Sanctorum adorationem eſſe Idololatriam -- Calvinus *lib. primo Inſtitut. cap.* 12. §. 2. habet -- Quem Sanctis cultum deferunt Papiſtæ, nihil re ipſa differre a Dei cultu, palam eſt -- Et alia profert impudenter. Sic ſentiunt

tiuot univerſi Proteſtaotes. His omnibus oppoouue vera Chriſti Eccleſia, tribueos Sanctis cultum Religioſum, & Sacrum: uode ſit veritas Catbolica.

Dico. Saocti Dei Sacro digni ſunt cultu.

158 PROB. I. Cultus Sacer tribuitur perſonæ propter excellentiam ordinis ſupernaturalis; ſicut civilis tribuitur propter excellentiam ortam ex qualitatibus oaturalibus virtotom homaoatum, dignitatum, & graduum, ſed Sanctis Dei tribui poteſt cultus propter excellentiam ordiois gratiæ; ergo Sacer. Mio. prob. Eadem eſt ratio de Sanctis, ac de Angelis; teſte enim Evangelio Sancti erunt ſicut Angeli, & Angelis æquales, ſed Angelis licite tribuitur cultus ratione Sanctitatis: Joſue 5. v. 13., & 14. *Cum autem eſſet Joſue in agro Urbis Jerico, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium; perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an Adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed Princeps ſum exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue in terram, & pronus adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim, iu quo ſtas, Sanctus eſt.* Ubi advertendum eſt Joſue non credidiſſe Deo adorationem præſtare, ſed Angelo, quem audierat eſſe miniſtrum Domioi: & quidem ea motivo Sanctitatis; nam ex præſeutia Angeli denominatur locus ipſe Sanctus, & laudabilitee; & ideo juſſus eſt etiam in venerationem calceameota ſolvere. Item habetur Numer. 22. v. 31. *Aperuitque Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem iu via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* Ecce Balaam Aogelum præcognitum, ut talem adorat, & utique veneratione Sacra, oIpote ad patrationem tanti miraculi, quale erat locutio Aſinæ. Poſſemus adducere adorationem, quam tribuerunt Maone, & uxor ejus Angelo annunciaoti fœcunditatem: item Abraham, & Loth, ſed ſuſſiciunt duo priora exempla; & addamus aliud de Sanctis.

Eadem eſt ratio de Angelis, ac Sanctis.

159 PROB. II. Licet venerari quos & digoos honore docet Scriptura, & quos honoraturos promiſit Chriſtus, ſed Scriptura declarat Saoctos honore dignos, & promiſit Chriſtus eos honoraturos; ergo. Min. explicatur. Pſal. 138. v. 17. dicitur: *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Amici Dei ſunt, qui charitatem, & ſanctitatem habeot. 1. Reg. 2. v. 30. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.* Joan. 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Ad Rom. 2. v. 10. *Gloria, & honor omni operanti bonum.* Et diſtioguit honorem ab eſſeotiali vitæ æteroæ præmio, ut claret v. 6. *Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Sed Sancti ſunt amici Dei, miniſtraverunt Chriſto, operati ſunt bonum; ergo hi digni ſunt honore; ergo optime facimus, dum eos cultu veneramur. Nec deſinunt eſſe digni honore, quia mortui; ſunt enim in ſtato feliciori conſummatæ perfectionis charitatis; & quamvis abſentes ſint corpore, præſentes ſunt ſpiritu. Nec eſt negandum fidei, quod lumen oaturale agnovit. Philoſophi enim apud Euſeb. *lib.* 13. *de præparatione Evangelica cap.* 6., & 7. docuerunt viros probos mortuos dignos eſſe honore.

170 PROB. III. Æquum eſt creaturæ rationali, participanti modo ſpeciali excellentiam Dei, tribuere cultum, ſed Sancti ſpeciali quodam modo participant excellentiam Divinam; ergo. Explicatur maj. Excellentiæ Divinæ ſontali, & per eſſentiam debetur ſupremus cultus; ergo excellentiæ Divinæ participatæ cultus participatus. Ea doctrina Hæreticorum, & conſuetudine etiam Barbarorum, homini excelleoti ſecundum naturales prærogativas ſcientiæ, Regiminis, & ſimilium civilis debetur veneratio; ergo homini excellenti ſecundum dona ſupernaturalia debebitur veneratio ſuperioris ordinis. Sancti enim ad duplicem Rempublicam ſpectant, ordinis nempe Divini, in quo ſiunt concives Sanctorum, & domeſtici Dei, & ordiois oaturalis, quo convivunt in humanis, & politicis, ſed his qui excellunt in civili Republica, debetur honor proprius illius ordinis; ergo his qui excellunt in ſupernaturali Republica, debebitur cultus correſpondens illi ordini. Min. pariter declaratur. Loquimur enim de Sanctis canonizatis; quia hi ſoli ſunt, qui heroice virtutem ſectati ſunt, ac proinde ſpecialiter participes facti ſunt, media Sanctitate, Divinæ excellentiæ; ſecundum quod Pſal. 81. v. 6. dicitur: *Ego dixi: Dii eſtis & filii excelſi omnes.* Et hi ſunt, quos conſedere facit Chriſtus in eodem Patris throno. *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo*: Apocal. 3. v. 21. Sane ridiculum eſt nolle honorare, quos Chriſtus maxime honorat; & eo magis, quod honor eſt proprium virtutis præmium; eo fine in Republica inductus, ut urgentius allicerentur homines ad ſuperandam arduitatem repertam in ejus exercitio: unde optime *lib.* 1. *Ethic. lect.* 5. Angelicus aſſerit bonum honeſtum eſſe honoris ſtatum, quia virtus eſt cauſa honoris, & — Fere totus vitæ civilis finis videtur eſſe honor, qui redditur bene operantibus in vita civili, quaſi virtutis præmium — ſi ergo bono Reipublicæ bene inſtitutæ conſentaneum eſt, ad heroicæ virtutis incrementum, honorem in præmium offerre: quare non erit conſentaneum lumini, ſeu Reipublicæ ſupernaturali, quæ naturam perficit, honorem correſpondentem tribuere heroicitati virtutis ſibi propriæ?

Sancti participant excellentiam Dei;

171 PROB. IV. Ex principio etiam a Proteſtantibus adoptato, quod fuit in uſu ſub primordiis Eccleſiæ, non poteſt eſſe niſi honeſtum, & licitum, utpote ab Apoſtolis emanatum, ſed cultus Sanctorum fuit in uſu ſub primordiis Eccleſiæ; ergo. Min. declaratur. Gentiles corpora Martyrum comburebant, vel in mare projiciebant — Ne forte (*ajebant*) „ Chriſtiani, qui Deos noſtros adorare nolunt, ſervos noſtros adorent — Ita Euſeb. *lib.* 4. *cap.* 15., & *lib.* 8. *cap.* 6. Fauſtus Manichæus apud Auguſt. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 4. objurgabat Chriſtianos dicens — Idola „ vertitis in Martyres, quos vobis ſimilibus „ colitis — Gentiles apud eundem Auguſtinum *Pſal.* 96. inſultabant Chriſtianis, tanquam

quam adoratoribus Angelorum. Iidem apud Euſeb. *cit. loc.* peracto Martyrio S. Polycarpi metuerunt, ne ipſum adorarent Chriſtiani pro Deo homine, ſed niſi fuiſſet uſus colendi Sanctos, non potuiſſent hæc Chriſtianis objicere; ergo a primorum ſeculorum fidelibus veneratione excepti fuerunt Sancti: & ideo cum invaluiſſet error Sacrificantium Deiparæ, tanquam Deæ, metuens Epiphanius, ne daretur occaſio omnem cultum abjiciendi erga Virginem *Hæreſi* 79. clamabat -- Sit in „ honore Maria; Dominus adoretur -- Hinc communis vox erat Catholicorum, calumnias repellentium cum Cyrillo Alexandrino *lib.* 6 *contra Julianum* -- Sanctos Martyres, „ nec Deos eſſe dicimus, nec adorare con„ ſuevimus, laudamus autem eos potius ſum„ mis honoribus, quod pro veritate ſtrenue „ certarunt --

172 PROB. V. Patrum traditione, ſummis tamen labiis, quia in re clara. S. Juſtinus Martyr *Apolog.* 2. *habet* -- Bonorum „ Angelorum exercitum, & Spiritum pro„ pheticum colimus, atque adoramus, ver„ boque, & re, ſeu veritate veneramur -- Eccleſia Smyrnenſis *in epiſt. de Polycarpi Martyrio* -- Martyres, ut diſcipulos, & imita„ tores Domini propter incredibilem eorum „ benevolentiam, quam in proprium Re„ gem, & Magiſtrum declararunt, merito „ amplectamur -- S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 20. -- „ Cum hæc ita ſe habeant, ad tantam te„ meritatem progreſſi ſunt quidam, ut etiam „ Martyres ſpernant &c. A Chriſto confun„ dentur omnes, qui inhonotaverunt eorum „ Martyrium -- Si Sanctos colere licitum non eſſet, non confunderet Deus Martyrum inhonoratores. Origenes *homil.* 3. *in diverſa* -- Bene, & ſecundum voluntatem Dei eo„ rum (*videlicet Innocentium*) memoriam „ Sancti Patres celebrari mandaverunt ſem„ piternam -- Hoc teſtimonio claret rem licitam fore; quia ſecundum Dei voluntatem, & eſſe traditionem Patrum. Euſebius Cæſar. *lib.* 3. *de præparatione Evangelii cap.* 7. -- Nos „ quotidie id factitamus; nam vere pietatis „ milites, ut Dei amiciſſimos, honoramus -- Baſilius *in S. Mamantem* -- Eccleſia per hoc „ quod eos honorat, qui præceſſerunt, præ„ ſentes impellit -- Ubi aſſignat, velut præ„ mium virtutis venerationem, qua excitan„ tur ad imitationem Viatores -- Nyſſenus *Orat. in Theodoretum Martyrem* -- Cui Re„ gum talis honor habetur? Qui ex iis, qui „ ſupra modum inter homines excellere viſi „ ſunt, tali memoria celebratur? Quis Im„ peratorum adeo decantatus, & fama cele„ bratus eſt, ut hic miles pauper modo con„ ſcriptus tyro, quem Paulus armavit, quem „ Angeli unxerunt, quem Chriſtus corona„ vit? -- Aug. *Serm.* 1. *de SS. Petro, & Paulo* -- Beatiſſimum Petrum piſcatorem mo„ do genibus provolutis adorat gentium mul„ titudo -- Et *Epiſt.* 84. -- Oſtendatur mihi „ Romæ in tanto honore Templum Romuli, „ in quanto ibi oſtendo memoriam Petri. In „ Petro quis honoratur, niſi ille defunctus „ pro nobis? -- Idem ſentiunt reliqui Patres. Hinc Concilium Gangrenſe *Can.* 20. -- Si quis „ Sanctorum memorias contemnendas puta„ verit; anathema ſit --

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

173 OBJIC. I. Quod ſoli Deo reſervatur, ſine ſacrilegio non poteſt tribui creaturæ, ſed cultus Religioſus ſoli Deo reſervatur; ergo non poteſt licite tribui creaturæ. Min. explicatur Deuter. 6. v. 13. habetur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* 1. ad Tim. 1. v. 17. *Soli Deo honor, & gloria. Soli* dixit, ſed hic agitur de cultu, & honore Sacro; ergo hic ſoli Deo reſervatur; ac proinde non niſi ſacrilege defertur Sanctis. Ita Calvinus.

RESP. neg. min. Primus locus Scripturæ loquitur de cultu ſupremo, qui debetur motivo ſummæ ſervitutis primo principio, & fini omnis creaturæ, quod competit ſoli Deo; & hic cultus non tribuitur a Catholicis Sanctis, ſed alius inferior; quia modo inferiori Divina excellentia participatur ab ipſis. Quamvis Deus ſit Dominus omnium, etiam in politicis; quia tamen participatur ratio Dominii a Principibus, concedit Calvinus deberi Principibus venerationem civilem; ergo quia participant Sancti excellentiam Dei ſupernaturalem debetur veneratio Sacra. Locum Pauli debet ſolvere Adverſarius, cum ad Rom. 2. v. 10. dicatur: *Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum*; non ergo ſoli Deo. Igitur Paulus ibi loquitur de honore debito ratione beneficii Redemptionis, & vocationis ad legem Chriſti, pro quo beneficio ibi gratias agit. Porro Sanctis non tribuitur hujuſmodi veneratio; non enim agnoſcimus eos pro Redemptoribus, ſed pro amicis, & imitatoribus Chriſti.

Supremus cultus ſoli Deo.

174 DICES. Chriſtus repulit a ſe Matth. 4. Dæmonem poſtulantem adorari, ſed poſtulavit Dæmon adorationem inferiorem, ideſt, aliquam ſibi inclinationem fieri, ut deducitur ex littera græca; ergo &c.

RESP. negando min. Non enim ſuperbiſſima creatura contenta erat aliqua inclinatione, jam aſſueta extorquere cultum Deitatis in idolis, & Oraculis Ethnicorum. Nec promiſſio, quam fecit de univerſis mundi Regnis elargiendis, ſi adoraretur, eſt limitata. Deus ſolus eſt, qui univerſa Regna mundi dare poteſt; & non niſi, qui præſumit Deitatis æqualitatem, id poteſt velle promittere. Quod pariter ex Chriſti reſponſione v. 10. colligitur. *Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quaſi dicat: Hanc adorationem quam a me exigis, debes tu, & omnis alia creatura Deo. Deinde etſi daremus inclinationem aliquam poſtulaſſe; non inde ex repulſa colligitur Sanctis nullam eſſe exhibendam. Dæmon enim non eſt creatura honore digna, cum ſit inimica Deo, ſuppliciis, & confuſionibus deputata.

Dæmoni nullus debetur honor.

175 INSTABIS. Cultus, quem tribuebant Galatæ illis (de quibus Paulus cap. 4. v. 8. *bis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis*) eſt omnino inferior; nam ex Græco correſpondet *Edouluſate*, quod ſignificat ſervitutem communem, ſed Paulus ſine Idololatria hunc cul-

tum

tum ut tributum aliis a Deo non agnoſcit; ergo nullius generis cultus Religioſus permittitur puris creaturis licite.

RESP. Argutia hæc omnino Iniqua Scripturam accommodat ad caſum iſtum. Licet Dii non eſſent, quibus Galatæ ſerviebant, tamen pro Diis eos habebant: unde non eſt mirum, quod committerent Idololatriam. Nos autem Sanctos non habemus pro Diis, ſed pro amicis tantum Dei: unde ejus adoratio communis, ſeu clarius, inferior tribui poteſt. Ex qualitate excellentiæ determinatur etiam qualitas adorationis, & ſervitutis: unde etiam ſi ex Græco haberemus *Dulia*, aut ex Hebr. *Tagabod*, loco verbi Latini, *Servire*, aut *Servitus*, quæ communem ſervitutem indicant, ſi Deo applicantur, appellant ad Latriam, & ad ſupremum gradum determinantur.

176 URGEBIS. Aman non exigebat adorationem Latriæ ab Aulicis, ſed inferiorem: at hoc non obſtante Mardochæus, in lege Dei Inſtructus, noluit eam præſtare, ne creaturæ daret, quod Deo debetur, Eſther 13. v. 14. *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*. Sciebat ergo ex lege quamcumque religioſam adorationem prohibitam eſſe creaturis, & ſoli Deo abſolute deberi.

RESP. A Proteſtantibus ſolvendam eſſe inſtantiam. Ab Aulicis non exigebat Aman, niſi civilem ſubjectionem; ergo cum vir Judæus omnem illi negaverit, colligendum erit, Principibus non deberi civilem venerationem, contra Scripturam præcipientem, ut obediamus Dominis temporalibus, non ſolum modeſtis, ſed etiam diſcolis. Dicendum ergo cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 1. *ad* 1. -- Secundum autem reverentiam, quæ de„ betur Deo, Mardochæus noluit adorare „ Aman; timens ne honorem Dei transfer„ ret ad hominem --

DICES. Hoc abs re videtur I., quia Aman non exigebat a Mardochæo, niſi quod ab aliis, ſed ab aliis non exigebat niſi reverentiam debitam primis Miniſtris; majorem enim ſe velle non declaraverat. II. Reverentia, quæ Aman deferebatur, illa eſt, quam Rex juſſerat deferri, ſed eſt certo certius, quod Rex non præceperat Divinam, immo nec majorem ſibi debitam. III. Quia Eſther cap. 8. v. 3. *Procidit ad pedes Regis*. Quidquid autem faciebat Regina, ex conſilio Mardochæi faciebat: ſi ergo adorare hominem credidiſſet fore in injuriam Dei, non hoc permiſiſſet.

Sed hæc non cogunt deſerere ſolutionem D. Thomæ, nec melior dari poteſt. Cum Scriptura non reprehendat Mardochæum, videtur prudenter egiſſe, ſi vero negaſſet ſubjectionem ſolum civilem, quam tantum exegiſſe Princeps, utique prudenter non egiſſet; ergo aliquam aliam ſuperiorem venerationem aſſerendum eſt negaſſe; & ex textu clare colligitur. Favore Regio tumidus Aman plus juſto extollebat ſe, & licet non formaliter, tamen Interpretative, & eo modo poſtulabat velut Numen haberi; & hanc cauſam adducit Deo pro excuſatione Mardochæus eodem cap. v. 12. *Cuncta noſti, & ſcis, quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman ſuperbiſſimum*. Terminus iſte ſuperlativus exceſſum ambitionis, & ſuperbiæ dementantis explicat, unde Lyranus *in Gloſſa ordinaria in* 3. *Eſther* ait -- Ex ſuperbia ſua „ volebat Aman ſibi arripere honorem Divi„ num, faciens ſe adorare tanquam Deum, „ ut dicit hic Gloſſa Hebraica; & hoc erat „ ſibi illicitum -- Quibus patet ad objecta. Ad primum non exigebat expreſſe Divinum honorem, ſed interpretative, eo modo ſuperbiendi. Ad ſecundum Rex præcepit quidem ſolum honorem civilem proportionatum, at ipſe Aman Regia abutebatur dilectione. Ad tertium in perſona Regis non apparebat Divini honoris contemptus, nec ex vi circumſtantiæ ſuperbientis, nec ex quotidiana frequentia, & ideo permiſit, ut Eſther adoraret Regem; paratus & ipſe adorare data occaſione.

Aman ſuperbiſſimus.

177 OBJIC. II. Si liceret adorare Sanctos, Viri Dei in Scriptura commendati non rejeciſſent adorationem, ſed rejecerunt, ut Petrus Act. 10. v. 26., qui Cornelio volenti eum adorare reſtitit: *Surge; & ipſe homo ſum*. Et Angelus Apocalypſis 22. v. 9., qui repulit Joannem volentem eum adorare dicens: *Vide, ne feceris; conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſervant verba Prophetiæ libri hujus. Deum adora*. Ergo nec Angelis, nec hominibus præſtanda eſt adoratio Sacra.

RESP. neg. min. Quam non evincit probatio: non enim abſolute Sacrum rejecerunt cultum, ſed ob momenta tunc occurrentia. Petrus rejecit, tum humilitatis exercendæ cauſa, & Chriſtianæ urbanitatis, ut Gentilem pro fide ſuſcipienda accedentem benigne exciperet, & alliceret: Aliàs cum Apoſtoli totis viribus incumberent, ut nomen Chriſti univerſo orbi celebre facerent, congruum erat, ut omnem honoris ſpeciem refugerent. Tum quia Petrus erat miraculorum fama illuſtris: unde Gentiles de facili erga ſimiles perſonas excedebant in modo venerandi, & credebant eas habere quid Divinitatis, ſicut Licaoniæ crediderunt de Paulo, & Barnaba: ne ergo deciperetur Cornelius, vetuit Petrus adorationem.

Ad ſecundum reſpondet Angelicus -- „ Angelus prohibuit Joannem non a quacun„ que honoratione, ſed ab honoratione ado„ rationis Latriæ, quæ debetur Deo, vel ab „ honoratione Duliæ, ut oſtenderet ipſius „ Joannis dignitatem, qua per Chriſtum „ erat Angelis adæquatus ſecundum ſpeciem „ gloriæ Filiorum Dei; & ideo nolebat ab „ eo honorari tanquam ſuperior --

Prima ſolutio D. Thom. non placet Suario, & Vaſquesio: quia non videtur admittenda falſa exiſtimatio in Joanne, eo præſertim quod iterum cap. 19. fuerat admonitus; adeoque ſolam aliquam ſummam externam adorationem voluiſſe exhibere, debita exiſtimatione interius retenta. Verum, dum Suarez vult falſam exiſtimationem auferre, Inordinationem æque Apoſtolo indignam inducit. Exceſſiva adoratio externa, interiori conceptui non reſpondens, inordinata eſt, & eo pejor ſecunda vice, cum aliàs ponatur

Suarez, & Vaſquez renuunt Angelici ſolutioni.

 admo-

admonitus *cap.* 19. Nec improbanda eſt illa prima ſolutio, cum eam promoveat Auguſtinus *quæſt.* 61. *in Geneſim* -- Nec moveat, „ quod in quadam Scriptura prohibet Ange- „ lus hominem adorare ſe, & admonet, ut „ Dominus potius adoretur; talis enim ap- „ paruerat Angelus, ut pro Deo poſſet ado- „ rari, & ideo fuerat corrigendus adorator -- Ceterum Hæreticos ſic interpellamus: Vel Joannes, dum voluit adorare Angelum in animi præparatione, bene fecit, vel male? Si bene: non ſunt reprehendendi, qui ſimilia imitantur. Si male; ergo impie tentavit ſecunda vice iterum adorare; ergo Evangeliſta, & Apoſtolus non intellexit, & ignoravit quæ pertinent ad cultum Dei, quod eſt blaſphemum.

178 OBJIC. III. Concluſio non poteſt eſſe de fide, ubi principium non eſt de fide, ſed hunc Sanctum eſſe in Cœlo, non eſt de fide; nullâ enim Scripturâ conſtat; ergo hunc Sanctum eſſe adorandum non eſt de fide. Sic Rex Jacobus arguit.

Tom V. Tract. VII. Diſp. III. Controv. VIII. viſum eſt, quid de Sanctorum Canonizatione ſentiendum ſit, ea propter impræſentiarum illud notandum occurrit Jacobum Regem in eo ſemper peccare, quod velit nihil deberi certo credi, niſi quod expreſſe Scriptura ponit. Omiſſis quæ ſuo loco ad rem præſentem dicta ſunt, Spiritus primitivæ Eccleſiæ plures, & Sanctos credidit, & coluit non expreſſos in Scriptura: unde conſuetudo fuit quorundam Martyrum in particulari memoriam facere, & diem Martyrii adnotare, ut ex dictis conſtat ex Concionibus, quas habuerunt Patres in Sanctorum honorem. Non ſunt ergo deſpiciendi Sancti, quorum memoriam non facit Sacra pagina, nec illi, quos Novitios Arguens appellat, non enim antiquitas dignos reddit honore, ſed vera Sanctitas, & felicitas.

179 DICES. Non ſolum Sanctos in genere, ſed hunc, & illum Pontificii adorant in particulari, ſed non eſt de fide, hunc, & illum eſſe in Cœlo; ergo exponunt ſe periculo adorandi damnatum, & impium.

RESP. Quidquid ſit de minori, de qua loco mox eſt, quatenus aſſerit non eſſe de fide hunc, & illum eſſe in Cœlo: nobis ſufficit certitudo moralis, quam habemus de charitate, & ſanctitate illorum, ut poſſimus prudenter operari. Nec habetur periculum erroris, & deceptionis in colendis Sanctis, quos reveretur Eccleſia, quæ eſt columna veritatis. Qua in re notanda eſt doctrina Auguſtini *Epiſt.* 118. *cap.* 5. in tres ordines diſtribuit mores Eccleſiæ. Primus eſt eorum, *Quæ Divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas*; Secundus eorum: *Quæ toto orbe ſervat Eccleſia*; Tertius eorum: *Quæ per loca, & regiones variantur*; De primis ait -- Non eſſe dubitan- „ dum, quin ita facere debeamus, ut legi- „ mus -- De ſecundis -- De quibus diſpu- „ tare, quin ita faciendum ſit, inſolentiſſi- „ mæ inſaniæ eſt -- De tertiis -- Id faciendum „ eſſe, quod in qualibet Provincia, neque „ contra fidem, neque contra bonos mores „ ſervari ſolitum eſt -- Porro cultus Sanctorum pertinet ad ordinem Sacrum; ab univer-ſa enim Eccleſia ſervatur: adeoque ſecuri ſumus, & cum Bernard. *ad Canonicos Lugdunenſes* in ſimili dicimus -- Ego quod ab „ Eccleſia accepi, ſecurus & teneo, & tra- „ do, quod non ſcrupoloſius, fateor, ad- „ miſerim --

Perperam damnat de Sanctis.

180 INSTABIS. Non poſſunt cultu ſacro excipi, hi, in quorum *Actis, & legendis quamplures nugas eſſe conſcriptas* novimus, ſed acta novitiorum Sanctorum plena ſunt nugis: immo alii exponuntur tanquam Sancti, qui nunquam fuerunt, puta, Chriſtophorus, Georgius, Catharina, & ſimiles. Hæc Rex, Melancthon *in Apol. Confeſſ. Auguſt. cap.* 21. Calvinus *de ratione veræ reform.*

RESP. Quidquid ſit, an aliquæ legendæ particulares contineant nugas: Eccleſia, & Paſtores in colendis Sanctis, non quamcumque adoptant hiſtoriam, etiamſi gravis videatur, ſed pro regula habent, vel univerſalem traditionis antiquæ ſeoſum, vel canonicam declarationem Sedis Apoſtolicæ, quæ exquiſita diligentia, & cautela, ac rigore invigilat canonizationi. Et particulares Paſtores curant impedire editionem actorum, quæ ſolida non ſunt; ſolentque de his ſubditos admonere. Quod ſi aliquis error in ſimplicibus irrepat, per accidens eſt, nec ſolet eſſe circa ſubſtantialia morum, ſed ſunt quædam puerilia, & indifferentia. Et ſi quandoque apocryphæ quædam narrationes divulgentur, non ſequitur propter hoc apocryphum eſſe Sanctum, aliàs negare poſſemus Apoſtolos, quorum acta plurima ſunt ſuſpecta. Hinc Can. *Sancta Roman. diſt.* 15. Hiſtoria S. Georgii declaratur apocrypha; & tamen idem Sanctus proponitur colendus. Deinde, dato quod inde deduceretur, tres, vel quatuor colendos non eſſe: ſunt tamen innumerorum Sanctorum approbatiſſimæ Hiſtoriæ, Hæretici tamen nugas vocant, & ſacrilegia, exercitia virtutum, ſed non probant.

Apocrypha narrationes ab Eccl. Romā approbantur.

181 OBJIC. IV. Sacrilegium eſt homines adorare Latria, ſed ſi Sancti colendi ſunt cultu ſacro, non poſſunt adorari niſi Latria; ergo. Min. prob. Non datur niſi duplex honor, civilis, & Religionis, ſed primus non convenit Sanctis, cum non converſentur nobiſcum civiliter; ergo ſecundus, ſed iſte eſt proprius Dei, qui Latria dicitur; ergo. Sic Calvinus *lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 11., *& cap.* 12. §. 1., *&* 2.

RESP. Neg. min. Cujus probatio eſt falſa; præter enim civilem, & Latriæ honorem datur alius gradus medius ſuperior primo, & inferior ſecundo, ſicut datur exceſſentia media, ſeu ſtatus medius inter ordinem politicum, & Divinum, ſcilicet, ſupernaturalitatis creatæ. Æquivocat Argumentator in illo termino *Religionis*, quæ habet actus primarios, & ſecundarios, elicitos, & imperatos; & diverſarum virtutum habitus, ſi accipiatur in ſua amplitudine, ſecundum quos verſatur circa diverſa objecta proxima. Si verò accipiatur, prout expreſſe determinat ſingularem Dei cultum tunc utique concedimus coincidere cum Latria; ſed in hoc ſenſu non applicamus eam Sanctis, ſed ſecundum alios actus, vel inferiores habitus.

Cultus ſacer varios habet gradus.

DI-

DICES. Latría ſignificat *colere*, ſed Sancti, ut dicitis, non coluntur Latría; ergo coluntur ſine cultu; ergo non ſacro.

Latría maximum dicit cultum.

RESP. Latría non ſignificat omnem cultum, ſed ſupremum, & maximam venerationem, & ſubjectionem, quæ eſt in creatura ad Deum; quare non ſequitur, Sanctos nullo cultu adorandos, ex quo non adorantur Latría, ſed non adorari ſupremo, & maximo, præter quem datur alius pro illis, qui ſunt templa viva Dei; & qui ſerviunt die, ac nocte ante thronum Altiſſimi, qui minor eſt; & ad hunc exprimendum aſſumimus nomen hoc *Dulía*.

182 INSTABIS. Ex Beza *in annotat. ad 4. Matth.*, & ex Valla. Dulía, & Latría, in Scripturis idem ſignificant, ſed Sancti non coluntur Latría; ergo neque Dulía. Maj. explicatur, Levit. 23. v. 7., ubi legitur: *Opus ſervile non facietis*; Græce ponitur *Latría*: & ad Rom. 7. v. 6., ubi legimus: *Ut ſerviamus in novitate ſpiritus*; Græce habetur *Dulía*. Ex quibus patet opus in ſervitium creaturæ Latríam dici, & quod eſt in ſervitium Dei, vocari Dulíam. Quod confirmatur. Apud Xenophontem 3. *Cyropedia* obſequium Ancillæ erga Dominum modo vocatur Latría, modo Dulía. Auguſt. *quæſt. 94. in Exodum* tam Dulíam, quam Latríam tribuit Deo -- Latríam ut Deo, Dulíam ut Domino -- Hinc Vedroſius, & Haidegerus in ſuis vindiciis aſſerunt, in utroque Teſtamento Latríam tricies tribui Deo, Dulíam tricies novies; cultum vero Idolorum ſub nomine Latríæ in veteri Teſtamento damnari tricies quater, ſub nomine Dulíæ vicies ter. Apud Interpretes Græcos nomen Latinum *ſervire* prout Deo correſpondet per *Latreuſim* redditur novies, per *Duleuſin* vicies ſepties, ergo idem eſt cultus Latríæ, & Dulíæ, & Idololatría, & Idolodulía.

Latría, & Dulía generice conveniunt.

RESP. Latría, & Dulía idem ſignificant quaſi generice, ideſt, cultum, ſervitium, ſubjectionem, non autem ſpecifice: ſic enim accepta important differentiam, ut Latría dicat ſupremum gradum, Dulía vero minorem. Qui tamen in Deo dantur omnes formalitates venerabilitatis; ideo indifferenter Deo tribuitur Dulía, & Latría; unde loco citato Auguſt. dicit -- Unde intelligitur, „ quia & Dulía debetur Deo tanquam Do„ mino; Latría verò non niſi Deo tanquam „ Deo -- Deitas qua Deitas ſupremam excellentiam importat, ideo Latría ei debetur, Dominus qua Dominus importat ſuperioritatem dominationis, ideo ei debetur Dulía; cum autem excellentia Divina, & ſuperioritas poſſit ab hominibus participari, eiſdem ratio aliqua ſervitutis, & obſequii tribuenda eſt. Ad tollendas tamen æquivocationes inventæ ſunt iſtæ voces Dulía, & Latría; Latría ad exprimendum ſupremum cultum, Dulía inferiorem, Attendenda eſt ergo ratio ſub qua cultus: Si eſt increata excellentia, uno termino utendum eſt, ſi analogice participata, alius eſt adhibendus.

183 URGEBIS. Hæc terminorum inventio eſt ad obtegendam Idololatríam; ceterum in re idem ſentimus: immo quid majus; nam Dulía eſt ſervitus, Latría eſt cultus, ſed minus eſt aliquem colere, quam ſervire; nam pares colimus, Dominis ſolum ſervimus; ergo in re magis damus creaturis Dulíâ, quam Deo Latríâ. Hæc Calvinus.

RESP. Nego aſſumptum, cujus probatio puerilis eſt. Latría ſignificat colere, non qualecunque, ſed quod ſupponit maximam ſervitutem; quia habet reſpicere maximam rationem formalem ſub qua increatæ excellentiæ primi principii, & ultimi finis; Dulía autem non ſupponit hanc maximam ſubjectionem.

184 OBJIC V. Quod Patres reprehendunt, non poteſt eſſe honeſtum, ſed Patres reprehendunt cultum alteri deferri præter Deum; ergo honeſte non tribuitur Sanctis. Min. explicatur. Athan. *Ser. 3. contra Arrianos*, negat Angelos, & Sanctos eſſe colendos, Epiphanios *hær. Collyridianorum* ſæpe repetit Mariam non eſſe adorandam, ſed Deum, Ambroſ. *in cap. 1. ad Roman.* redarguit eos, qui adorant conſervos. Auguſt. *de vera Relig. cap. 55.* -- Non ſit nobis religio „ cultus hominum mortuorum; quia ſi pie „ vixerunt, non ſic habentur, ut quærant „ tales honores, ſed illum a nobis coli vo„ lunt, quo illuminante lætantur, meriti ſui „ nos eſſe conſortes -- Adrianus Papa *in epiſt. ad Conſtantinum, & Irenem*, de adoratione Sanctorum, habet -- Qualis verò iſte eſt ado„ rationis honor? Profecto non alius, quam „ is, quo nos peccatores quoque invicem „ proſequimur ſalutantes nos inter nos per „ honorationem, & dilectionem -- Quibus oſtendit ſolum honorem civilem Sanctis deberi.

RESP. neg. min. Mentem Patrum pro nobis eſſe ſatis clare vidimus. Quia tamen ſcripſerunt contra varias hæreſes; proportionate ad materiam phraſibus utebantur. Hinc cum orta eſt hæreſis Simonianorum colentium Angelos velut Deos, & Collyridianorum adorantium ut Deam Deiparam, & aliorum uſurpantium nomen cultus, & adorationis antonomaſtice, prout dicit ſupremam, & maximam venerationem, ubi de creaturis agebatur, Sancti Patres negabant hoc modo Angelos, vel Sanctos eſſe colendos. Ita S. Athanaſius negat Angelos, & homines eſſe adorandos cultu Latríæ Chriſto ut Deo debitæ. Ita S. Ambroſ., qui ibidem habet -- Sa„ pientes enim ſe arbitrantur, quia rationes „ phyſicas inveſtigaſſe ſe putant, ſcrutantes „ curſum ſiderum, & qualitates elemento„ rum: Dominum autem horum ſpernentes, „ ideo ſtulti facti ſunt, cum ſi hæc laudanda „ ſint; quanto magis Creator illorum? -- Aperte loquitur de illis qui Deo debitum honorem tollunt, & creaturis tribuunt, agitque contra eos, ut ſuperiori Controverſia vidimus, qui docebant de neceſſitate adeundum eſſe Deum mediis Angelis, ſicut per Comites accedimus ad Regem. Ita Auguſt. qui ibidem habet -- Qui autem nos invitant, „ ut ſibi ſerviamus, & tanquam Deos cola„ mus; ſimiles ſunt ſuperbis hominibus, qui„ bus, ſi liceat, ſimiliter coli volunt -- Ita Adrianus Dulíam comparat cum civili, ut elonget ab adoratione Latríæ. Ceterum loqui de ſuperiori ad civilem conſtat ea ratione formali, quam aſſignat, ſcilicet, propter

eorum juſtitiam, & qui viderint eos, in imitationem illorum ducantur. Porro hæc ratio cultum excedit civilem.

CONTROVERSIA XI.

AN DEIPARA SIT ADORABILIS CULTU HYPERDULIÆ.

AD extrema declinantes hæretici, tenuerunt alii nullum deberi Deiparæ cultum Religioſum, alii ſupremum Latriæ, quos refert Epiphanius *hær.* 79. ubi notat mulieres fuiſſe, quæ ſuper currum quadratum tortam panis, velut Deæ ſacrificabant Deiparæ, quem errorem pluribus refellit S. Antiſtes. Ex quo mirifice triumphant Lutheri, & Calvini aſſeclæ, pronunciantes hæreticum, & ſuperſtitioſum, & dicti Epiphanii ſententia damnatum modernum Romanæ Eccleſiæ cultum erga Virginem, quem longe majorem illo dictitant. Horret calamus referre, quæ evomunt Lutherus contra venerationem ab Eccleſia exhibitam in poſtilla ad feſtum Nativitatis, & Annunciationis, Melancton. *in Apologia confeſſionis*, Calvinus *in cap. 2. Joannis, & in Harmonia Evangelica circa cap. primum Lucæ*: Heerbrandus *in ſuo Antidotario*, uno Verbo omnes ſere aſſeclæ Lutheri, & Calvini, quorum una vox eſt nos Idololatricum honorem deferre Virgini ut Deam venerari, plus ei tribuere, quam Chriſto, majoremque in ipſa, quam in eo fiduciam habere, prædicata propria Dei aſſignare. Unde inſurgunt in omnia illuſtria epitheta, quæ in Sanctis precatiunculis: *Salve Regina &c. Sub tuum præſidium*, & ſimilium, quibus quotidie utimur, reperiuntur. Hinc ad decipiendos incautos vendunt, veteram Ægyptiorum nos renovaſſe ſuperſtitionem, qua Thermuti filiæ Pharaonis, quæ Moyſem ab aquis eruit, tanquam Deæ cultum offerebant; & Iſraelitarum, qui apud Jeremiam 7. Reginæ Cœli, idest, Lunæ, vel Veneris ſideri litabant hoſtias. Et quia clara illa diſtinctione cultus Latriæ, & Duliæ, ac Hyperduliæ omnia elucidari conſpiciunt, ſuaſque machinationes everti; linguam, & calamum acuunt virulenter tanquam in inutilem, vanam, & novam Scholaſticorum doctrinam; cum tamen diſtinctio prima Patribus fuerit nota. Latriæ ut ſoli Deo debitæ, & Duliæ ut attributæ creaturis mentionem facit Auguſt. *lib. 15. contra Fauſtum, cap. 10. lib. de civit. cap. 1.*, & alibi. Beda *in cap. 4. Lucæ*. Damaſcenus *lib. 3. Apolog* Baſilius *ad Amphilochium cap. 18. VII. Synodus act. 7.*, & alii.

Hæretici Deiparæ hoſtes.

Hyperduliæ nomen ſub hoc termino non eſt apud antiquos adeo notum: ceterum in re cognitum fuit, quatenus agnoverunt Humanitati Chriſti nec pure Duliam, nec abſolute Latriam deberi. Sed quidquid ſit, an verba nova ſint, vel antiqua, ſufficit Catholicis ſub iis explicare rem antiquam, & præcavere errores, vel pericula errorum, qui ex voce cultus, vel adorationis ſimpliciter prolata, vel creaturis applicata oriri poſſent. Ut ergo Hæreticos revincamus, tribus concluſionibus elucidabimus Controverſiam. In prima firmabimus Deiparam eſſe colendam. In ſecunda non eſſe colendam Latria. In tertia eſſe colendam Hyperdulia; unde

Dico I. Deipara eſt veneranda honore plusquam civili. In re clariſſima ſummatim ſequentia reſcribo.

185 PROB. I Debet eſſe adorabile cultu pluſquam civili in ſe, quod Deus Sacris figuris præſignavit: ſed Deiparam figuris Sacris Deus præſignavit; ergo in ſe eſt venerabilis; hoc enim ipſum Sacris typis figurari eſt quoddam honorari, abſque dubio ſignificans & eſſe honorabile, & Deum velle honorari. Min. apud Patres ſolemnis eſt, qui fere quod nobilius eſt in veteri Scriptura figurate ſcriptum volunt pro Maria, & ſpecialiter librum Canticorum, ut ſentit Rupertus. Sed unam tantum, vel alteram auctoritatem referam.

Figuratam in Templo Salomonis Deiparam docet Methodius Martyr *in Orat. habita ob Hypapantem* (*) *Domini* -- Quapropter „ ego cum celebri Propheta de immenſa ex„ cellentia tua nos admonente concludens „ dixerim: Quam magna eſt Domus Dei, „ & ingens locus poſſeſſionis ejus? -- Et in Threnis appellat eam, Sedem Deo dignam, & glorificatam, animatam Arcam Legiſlatoris noſtri Dei; deinde ipſam ſalutando ait -- „ Salve dilectionis Dei theſaure! Salve Ho„ manitatis Filii fons! Salve Spiritus Sancti „ umbraculum! -- Arcæ Dei eam comparat Joann. Damaſcenus *Orat. 2. de Dormit. B. V.* Templo Salomonis, Tabernaculo Dei, & ſimilibus paſſim comparata in Patribus occurrit, ſed Arcæ, & Templo honor Sacer deferebatur propter reſpectum ad Deum inhabitantem; ergo pariter Virgini debetur propter reſpectum ad eundem Deum, cujus fuit Templum, & Sanctuarium.

(*) Feſtum Purificationis B. V. M.

B. V. M. figuris præſignata.

186 PROB. II. Non poteſt non niſi eſſe veneranda pluſquam civiliter, quæ ab Angelo ſalutatur propter excellentiam ordinis ſupernaturalis, ſed Deipara a Legato Dei hoc ſalutatur modo, ut teſtatur Scriptura, Lucæ 1. v. 8. *Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Salutatio, genus quoddam honoris eſt, itidem benedictio ſuper ceteros; ergo cum motivum ſit gratiæ plenitudo, & ſpecialis inhabitatio Dei; jam plane fit honorem non eſſe pure civilem; a ratione enim formali ſpecificantur actus.

187 PROB. III. Non poteſt eſſe incongruum, & indebitum id, ad quod movet Spiritus Sanctus, ſed movit ad laudes pluſquam civiles erga Deiparam; ergo honor pluſquam civilis nequit eſſe incongruus. Min. habetur Lucæ 1. v. 41., & 42. *Repleta eſt ſpiritu Sancto Eliſabeth; & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*, v. 45. *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi a Domino*. Eſt autem certum certius hæc laudis obſequia non eſſe ordinis civilis. His accedit illud Beatæ Marcellæ famulæ Beatæ Marthæ Sororis Lazari, apud Sylveiram, Lyranum, & alios, clamantis, Lu-

ce

cæ 11. v. 27. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti!* Reſpondente Domino: *Quin immo Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Quibus ſignificatur, V. M. beatiorem eſſe propter dona gratiæ ſanctificantis.

188 PROB. IV. Non poteſt eſſe falſum, & ſuperſtitioſum, quod fidelium antiquitas nobis tradidit, ſed hæc nobis tradidit Deiparam eſſe honorandam cultu pluſquam civili; ergo nequit eſſe falſus, & ſuperſtitioſus. Explicatur I. ex Templorum ædificatione. Certum eſt ex ſacris litteris, Templa non eſſe ſigna venerationis civilis, ſed Religioſæ, cum ſint domus orationis, & loca Sacra, & Sacris deſtinata: unde ex Templorum dedicatione nequit colligi cultus civilis, ſed alius ſuperior; plurima autem dicavit antiquitas Deiparæ. Conſtantinus Magnus Urbem Byzantinam ſub Alexandro Epiſcopo Virgini dicavit, ex quo Byzantini ſuam opitulatricem conſueverunt invocare, tunc temporis maxime, quo fuerunt ab [illegible] affliɑi. Sic Euſeb. *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 5. Helena Virgini pariter magnificam ædem ſtruxit in Paleſtina. Caliſtus eidem dicavit Eccleſiam Transtyberinam Romæ, in loco, ubi erat Taberna meritoria, & in quo fons olei emanavit. Ex Niceph. *lib.* 8. *Hiſt. cap.* 3. *lib. Pontific.* Liberius Pontifex Templum ad Præſepe, nunc Sanctæ Mariæ Majoris dictum, ſumptibus Romani Patricii, & miraculo deſignatum. Item ex Oroſio *lib.* 8. *Hiſt. cap.* 18. 20. Romæ Bonifacius IV. ſub Phoca impetratum Pantheon celeberrimum, a M. Agrippa conſtructum, Virgini, & Martyribus dicavit, omni idolorum inquinatione ſublata. Pulcheria Auguſta, poſtquam ſuam Virginitatem Deo dicaverat, Mariæ tres extruxit in ejus honorem ſacras ædes, primam in Chalcopratejo, quod nomen ſepulchri habuit, in quo Dei parentis Zonam repoſuit, ſecundam, viæ Ducum inſignivit titulo, in quo imaginem manibus S. Lucæ depictam, & quaſdam Salvatoris faſcias aſſervavit, tertiam in Blachernis, in quo ſepulchrales Mariæ faſcias a Juvenali Jeroſolymitano Epiſcopo tranſmiſſas, depoſuit, hancque lampadibus, pervigiliis, ſupplicationibus celebrem fecit, & incredibili pulchritudine, omniſque generis ornamentis conſpicuam: commendat Damaſcenus *de Dormit. Virginis*, quod ipſa Imperatrix, & Marcianus die, noctuque adibant. Hæc Nicephor. *lib.* 15. *cap.* 14., *& cap.* 26. alia deſcribit templa ad Virginis honorem extructa, ſicut etiam *lib.* 14. *cap.* 16.

Templa Deiparæ dicata.

189 Explicatur II. ex Feſtorum celebratione, quæ fuit in uſu ſub primis ſeculis, præcipue Aſſumptionis, & Purificationis, quæ ſolemnitates ſunt antiquiſſimæ, ut patet ex ſermonibus, & ſcriptis Sanctorum Patrum: unde primus auctor Feſti Aſſumptionis non fuit Juſtinianus, ſed ſolum ſuo decreto ampliavit, & auxit ſolemnitatem. Explicatur III. ex uſu pingendi, & exponendi, & proceſſionaliter deferendi Imaginem Deiparæ a primis Fidelibus uſurpato, de quo infra cum de Imaginibus.

Feſtivitates B. V. M.

190 PROB. V. Non poteſt eſſe ſuperſtitioſum, quod & doctrinis, & exemplo profeſſi ſunt veteres Eccleſiæ quovis ævo Patres: ſed certo certius Patres doctrinis, & exemplo teſtati ſunt Deiparam cultu ſacro adorandam; ergo adoratio Deiparæ nequit eſſe ſuperſtitioſa: Min. non indiget probatione, & ipſimet Hæretici ore ſuo fatentur, cum totius linguam exhauriant in epithetis, quæ B. V. viri Dei tribuerunt.

Dico II. Deipara non colitur a Catholicis Latria.

191 PROB. I. Cultus Latriæ, qui ſupremus eſt, proprius eſt excellentiæ ſimpliciter increatæ, & per eſſentiam: ſed Catholici apertiſſime credunt Deiparam non habere excellentiam increatam, & per eſſentiam; ergo non tenent Deiparæ deberi Latriam. Min. eſt evidens. Eccleſia enim Romana docet Virginem eſſe puram creaturam, ortam communi generatione ex Anna, & Joachim, ſicut manifeſte conſtat ex collectis, quæ recitantur in Officio SS. Annæ, & Joachim. Omnes cum Epiphanio, *orat. de laud. Virgin.* Orthodoxi dicunt -- Sancta Virgo &c. cujus „ parentes fuerunt Joachim, & Anna -- Cum Joan. Damaſceno, *orat. prima de Virg. nativit.* -- Exulta Joachim, quoniam ex filia „ tua Filius natus eſt nobis -- Sicut Eccleſia credit, ita veneratur: non credit Deiparam habere excellentiam increatam; ergo nec ei tribuit honorem, & cultum ſupremum Latriæ.

Deipara Latria non adoranda.

192 PROB. II. Qualitas adorationis ſpecificatur a ratione formali, & ſecundum eam attenditur, ſed ratio formalis ſub qua adoratur ab Eccleſia Mater Virgo eſt longe inferior a Divina; ergo adoratio, quam ei tribuunt fideles, eſt inferior a Latria. Min. explicatur. Ratio formalis continetur in illis prærogativis, quas nobis tradit Scriptura de Deipara: *Ave gratia plena: Dominus tecum &c. Beata quæ credidiſti &c. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt &c. Beatam me dicent omnes generationes &c. Beatus venter, qui te portavit &c.* Sed omnes iſtæ prærogativæ ſunt, & intelliguntur dependentes, & creatæ, ergo ſunt longe inferioris ordinis a ratione formali Latriæ: univerſa enim illa epitheta, quibus a Patribus illuſtratur Virgo, in iis radicantur; quia obumbrata a Sancto Spiritu, repleta gratiarum donis, effecta Mater Dei, ſicut clare ſonant verba, & ſenſus verborum.

193 PROB. III. Non credit colendam cultu ſupremo pietas Chriſtiana, quam credit venerandam infra Chriſtum: ſed ita credit: nam Chriſtum credit, ex cujus plenitudine accipiunt omnes; & ipſe a Patre; ſed credit Virginem recipere a Chriſto, & a Chriſto redemptam, & Chriſti meritis ab omni labe præſervatam, ſupra choros Angelorum exaltatam non natura, ſed donorum privilegio. Bernardino conſentiunt fideles dicenti, *ſerm.* 4. *de Virginis Concept. art.* 3. *c.* 3. -- „ Primogenita Redemptoris Filii ſui Jeſu fuit „ Beata Virgo -- Tenent cum S. Thoma 3. *par. quæſt.* 27. *art.* 5. Chriſtum eſſe principium gratiæ, ſecundum Divinitatem quidem auctoritative; ſecundum humanitatem vero inſtrumentaliter -- Unde Joan. primo dicitur: gra„ tia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta „ eſt. Beata autem Virgo Maria propinquiſ„ ſima

Virgo infra Chriſtum veneratur.

„ ſima fuit ſecundum Humanitatem; quia ex
„ ea accepit humanam naturam; & ideo præ
„ ceteris majorem debuit a Chriſto Gratiæ
„ plenitudinem obtinere -- Tenent cum Bernardo fontem vitæ, ortum ex Virgine, Jeſum; Ipſam autem aquæductum factam. Sic ipſe *in deprecatione ad B. V.* Uno verbo, Chriſto indigam fatemur Mariam, & non niſi per Chriſtum eam magnam prædicamus: non ergo Chriſto injuriam facimus, ſed eum glorificamus.

194 OBJIC. I. *Catholici vota B. Virgini faciunt: ſed hæc ſoli Deo debentur; quare vovendo peccant; quia honorem Divinum in Mariam transferunt.* Sic argumentatur Heerbrandus Catholicos ſugillans.

Vota Deo, non Virgini nuncupantur.

RESP. Catholicos non facere vota B. Virgini ſimpliciter, ſed Deo. Promittimus Deo nos ſervaturos obſequium illud, quod Virgini promittimus: unde promiſſio facta Deiparæ eſt ſolum materia voti; votum autem eſt promiſſio facta Deo, & eſt actus proprius Religionis, & Latriæ: unde nihil abſurdi; ſed oppoſitum Hæreticorum ſenſui concluditur Virginem, ſcilicet, nos Deo ſubdere, cum ejus obſequium eidem ſubdamus. Hæc ex D. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3.

195 OBJIC. II. Cultus Divinus continetur Iſaiæ 19. v. 21. *Colent eum in Hoſtiis, & muneribus*: ſed Catholici offerunt Sacrificium ipſum incruentum Deiparæ, habentque proprias Miſſas; ergo tribuunt cultum Divinum.

Nec Deiparæ, nec Sanctis ſacrificia offerimus.

RESP. Concedimus Sacrificium eſſe cultum proprium Dei, nulli creaturæ tribuendum, cum ſit ſignum proteſtationis ſummi, & primi Principii, & ultimi Finis: ceterum negamus nos Deiparæ Sacrificium offerre. Aliud enim eſt memoriam facere in Sacrificio, vel Deo offerre Sacrificium in honorem Deiparæ, aliud eſt Deiparæ, vel Sanctis offerre Sacrificium: Illud ab initio Eccleſiæ fuit in uſu, ipſo Calvino clamante *in antidot. contra Interim.* -- Mos antiquus fuit inter Sa-
„ cræ Cœnæ celebrationem Apoſtolos, pri-
„ marioſque Martyres, vulgo notos, nomi-
„ nare -- Secus aliud; in nullo enim Sacrificio dicimus: *Offero tibi Maria, tibi Paule.* Motiva deinde, propter quæ fit commemoratio Sanctorum tangit D. Auguſt. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. I. Eſt ad honorem. II. Ad gratias Deo agendas pro eorum pietate. III. Ut exemplo excitemur ad pietatis exercitia. IV. Ut precibus adjuvemur. Hanc cauſam expreſſam habemus in Liturgiis antiquis. In Græca Liturgia ex Cretenſi codice ſub hac formula fit mentio. *Matrem tuam Chriſte &c. tibi adducimus in interceſſionem Domine miſericordiſſime &c. Matrem tuam adducit tibi in ſupplicationem populus tuus Chriſte. Interceſſionibus ipſius miſerationes tuas nobis tribue &c.* In Liturgia S. Jacobi. *Commemorationem agamus Sanctiſſima &c. Domina noſtra, Matris Dei, & ſemper Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum, & Juſtorum, ut precibus, atque interceſſionibus eorum omnes miſericordiam conſequamur.* In Liturgia Eccleſiæ Æthiopiæ in illa S. Chryſoſtomi, & S. Baſilii ſimilia legimus, in nulla tamen habetur Deiparæ facta oblatio.

196 OBJIC. III. Cultus, qui tribuitur ſub iiſdem prædicatis propriis Dei, eſt Latriæ, ſed Deiparæ tribuitur hoc modo; nam eadem prædicata, quæ tribuuntur Deo; ut Omnipotentia, Plenitudo gratiarum, Fons miſericordiæ, & ſimilia paſſim, in precatiunculis, ab Eccleſia Romana uſurpatis, incluſa: ergo B. V. veneratio Divina tribuitur.

Quædam Dei prædicata a Creaturis participata.

RESP. neg. min. Supra jam ſimilem diluimus inſtantiam. Quare breviter adverto in Sacra Scriptura dari aliqua prædicata propria Dei, quæ ita de Deo dicuntur, ut nullo modo creaturis applicentur, alia, quæ etiam de creaturis dicuntur: *Eſſe æternum, a ſe, primum Principium, & ultimum Finem*, & hujuſmodi, ſoli Deo applicata invenientur. Alia quædam etiam creaturis applicantur, ut: *Nemo bonus, niſi Deus*; & tamen dicitur: *Bonus homo de theſauro ſuo profert &c. Unus eſt Pater veſter*; & tamen Abraham, Patrem dictum legimus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*, clamat Apoſtolus, & tamen cœleſtis Jeruſalem fundamenta ponit Joannes, ſcilicet, duodecim Apoſtolos. Nec infertur, derogari Divinis perfectionibus: quia de Deo intelliguntur ſine limitatione, titulo principalitatis, & per eſſentiam, de creaturis vero accidentaliter, participative, & per gratiam extenſive. Ita pariter nullus eſt abuſus in eo, quod Eccleſia epithetis, quæ videntur deifica, glorificet Virginem; quia intelliguntur non per eſſentiam, ſed participative, in gradu tamen excellenti. Nec fit injuria Chriſto; quin immo extollitur; non enim Deiparæ attribuuntur, niſi per reſpectum ad Chriſtum, & Chriſti intuitu, cujus eſt Mater, a quo ſupra ceteras creaturas fuit ornata donis gratiarum: unde oritur ſumma efficacitas interceſſionis.

197 OBJIC. IV. Cultus, qui tribuitur Virgini ab Eccleſia Romana, eſt ejuſdem ordinis cum eo, qui Chriſto, ſeu Filio Dei defertur, ſed iſte eſt ordinis Latriæ; ergo, & ille. Explicatur maj. Ratio formalis, qua colitur Deipara, eſt titulus Maternitatis, ſed iſte dicit identitatem ordinis cum Filio, immo auctoritatem, ſicut pater in Patre æterno generante Verbum, qui dicit auctoritatem ſupra Genitum; ergo &c.

RESP. neg. maj. Ad probationem: Virgo dicitur Mater Dei, non quia Divinitatem genuerit, ſed quia humanitatem peperit, cui perſonaliter fuit unita Divinitas: unde ſequitur, habere auctoritatem ſolum ſupra Humanitatem, quæ cum non ſit ordinis Divini ſimpliciter, nequit fundare titulum Latriæ in Matre. Non eſt inde ſimile cum exemplo Patris æterni, qui in identitate naturæ generat Filium.

198 OBJIC. V. Deipara, ex quo eſt Mater Dei, dicit infinitatem quandam, ſicut Humanitas, ex quo Filio Dei conjungitur, ſed Humanitas, prout ſic conjuncta, colitur Latria; ergo & Deipara. Infra reſpondebimus.

Dico III. Deiparæ debetur cultus Hyperduliæ.

199 PROB. I. ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *ad* 2. Specialiter Dei affini debetur Hyperdulia, ſed Deipara eſt ſpeciali-

ter

ter affinis Deo; ergo debetur Hyperdulia. Maj. explicatur. Affinitas tangit illum ordinem, cujus eſt ille, cui conjungitur, ſed affinitas Dei ad creaturam non poteſt oriri niſi ex conjunctione immediata cum Humanitate ut affecta donis Hypoſtaticis; cumque Humanitas, ut ſic affecta donis Hypoſtaticis, adoranda ſit Hyperdulia, ſequitur ad hunc eundem ordinem pertinere affinitatem inde emanatam. Min. declaratur. Conjunctio per carnalem conſanguinitatem cum Humanitate a Verbo aſſumpta videtur, & appellatur affinitas cum Deo (in ſenſu tamen analogico, quia Deus nullius eſt affinis) ſicut patet in genealogia hominum: & in proprietate ſoli Matri competit, quæ ſola generativa operatione confinia Divinitatis attigit, cum materiam ſubminiſtraverit corpori Chriſti; inde denominatur Mater Dei, Deum genuiſſe, lactaſſe &c.

Deipara intrinſecum dicit reſpectum ad Deum.

200 PROB. II. Quod dicit intrinſecum, & immediatum reſpectum ad perſonam Divinam, ſpecialem importat excellentiam ſupremam in ordine creata; quia conſtituitur in ordine Hypoſtatico; loquimur enim de reſpectu pluſquam intellectuali: ſed Maternitas Virginea dicit intrinſecum reſpectum ad perſonam Verbi extra lineam pure intentionalem; nam relatio Maternitatis terminatur ad ſuppoſitum, & in caſu, ad perſonam Filii naturalis Dei, quæ fundaret mutuam relationem, niſi obſtaret immutabilitas Verbi; ergo trahitur ad ordinem ſupremæ excellentiæ creatæ, ſed ſupremæ excellentiæ creatæ (quæ media eſt inter infimam ordinis ſupernaturalis, & inter increatam) debetur Hyperdulia, quæ eſt cultus medius inter Latriam, & Duliam; ergo &c. Quando dicitur Maternitatem importare intrinſecum reſpectum; loquimur ex parte Matris, cui eſt intrinſeca relatio, non tamen ex parte Filii, qui tantum extrinſece terminat.

201 PROB. III. Quod per aliquam colligationem quodammodo eſt aliquid alterius excellentis, eſt venerandum ſecundum qualitatem dignitatis illius: qua ratione probatur Crucem, in qua Chriſtus pependit, adorandam Latria: quia ratione contactus fuit aliquid Chriſti, ſed Beata Virgo ratione Maternitatis eſt aliquid Humanitatis, quæ eſt affecta Verbo; nam ex S. Thom. 3. *part. quaſt.* 113. *art.* 5. *ad* 3. -- Puer quamdiu eſt
„ in Materno utero non totaliter eſt a Ma-
„ tre ſeparatus; ſed per quandam colligatio-
„ nem eſt quodammodo aliquid ejus, ſicut
„ fructus pendens in arbore eſt aliquid arbo-
„ ris -- Porro fructus ab arbore ſeparatus retinet illud ſubſtantiale, quod accepit ab arbore, ita Filius, quod a Matre; ergo unione pluſquam accidentali Virgo unitur Humanitati: at hæc in recto accepta, & Verbi perſona in obliquo, vendicat ſibi Hyperduliam; ergo & Virgo Mater.

Filius eſt aliquid Matris.

202 PROB. IV. Dignitas Virginis Matris in eo genere, in quo eſt, importat aliquam ſuperioritatem ad Filium genitum, ſed Virgo eſt Mater Chriſti ſecundum Humanitatem; ergo importat ſecundum hoc aliquam ſuperioritatem; ergo prout talis conſtituitur intra eundem gradum excellentiæ, qua ponitur Humanitas, ſcilicet, ordinis Hypoſtatici, in quo, in recto accepta, adoratur Hyperdulia; ergo & Virgo Mater: ita tamen quod detur Humanitati primus locus; quia aliunde poſtea excedit Matris dignitatem propter perſonalem unionem cum natura Divina. Maternitatem includere ſuperioritatem ad Filium genitum ut talem conſtat ex Decalogo, quo præcipitur filiis reverentia erga Parentes.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIORUM.

203 OBJIC. I. Hyperdulia importat excellentem ſubjectionem ſervi ad Dominum, ſed nulla creatura dicit ſubjectionem tanquam ſervi ad Dominum alteri creaturæ; ergo nulli creaturæ tribuenda eſt Hyperdulia. Sic Calvinus *lib.* 1. *cap.* 12. *§.* 2.

RESP. neg. min. Sanctitas fundat aliquam prælationem ſupra ceteros, ex quo oſtendit Angelicus 1. *p. quæſt.* 109. *art.* 4. Angelum Bonum, natura inferiorem, præeſſe Angelo malo naturâ ſuperiori, ut colligitur ex Scriptura; ubi Paulus 1. ad Corinth. 2. v. 15. ait: *Spiritualis judicat omnia*. Et Apocal. 2. v. 26. *Qui vicerit &c. dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea; ſicut & ego accepi a Patre meo*. Ratio eſt, quia ad rationem ſervitutis non eſt neceſſe moveri ab alio in omni genere cauſæ, ſed ſufficit moveri in aliquo; & licet Sancti non moveant imperative, movent tamen exemplariter, quatenus ſuo exemplo inducimur ad bene agendum. Sic apud D. Thom. *loc. cit.* Qua ratione dicit Philoſophus *in lib. Ethicorum* -- Quod virtuoſus eſt regula, &
„ menſura omnium humanorum actuum --
Movent etiam inſtrumentaliter, quatenus interceſſionibus obtinent nobis illuminationes, & affectiones, adeoque genus quoddam præſidentiæ exercent erga nos. Hoc autem ſpecialius elucet in Deipara, in qua reſidet Sanctitas in gradu ſingulari: unde Pſal. 44. prædicta eſt adſtans a dextris Filii Dei, Regina *in veſtitu deaurato*: & Apocalyp. 12. Mulier Stellis coronata; adeoque paſſim a Patribus Domina, & Regina appellatur, & meritò, nam ut ait Athanaſius *in Evang. de Deipara* -- Quandoquidem ipſe (*Chriſtus*)
„ Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, eidem-
„ que & Dominus, & Deus: qua propter
„ & Mater, quæ eum genuit, & Regina,
„ & Domina, & Deipara proprie, & vere
„ cenſetur -- & ideo excellentiori cultu plus veneranda, quam ceteri Sancti; quia, ut Epiphanius *Serm. de laudibus Deiparæ* habet
-- Solo enim Deo excepto cunctis ſuperior
„ exiſtens, formoſior, & ipſis Cherubim,
„ Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui
„ prædicandæ cœleſtis, ac terrena lingua mi-
„ nime ſufficit -- ac proinde quando *hæreſ.* 79. negat eſſe adorandam, loquitur de ſupremo Latriæ: admittit tamen alium gradum cultus: reperit enim -- Maria in ho-
„ nore ſit: Dominus adoretur &c. Sancta,
„ & honorata &c. --

Ceteris Sanctis excellentior Virgo.

204 OBJIC.

Digitized by Google

204 OBJIC. II. Dignitas Apoſtolatus pertinet ad ordinem Hypoſtaticum, ſicut dignitas Præcurſoris, & Vicarii Chriſti, ſed Apoſtoli, & Ioannes Baptiſta, ſicut & Petrus non coluntur Hyperdulia; ergo neque Deipara.

RESP. neg. maj. Quia hæ dignitates non important aliquam ſpecialem conjunctionem cum Humanitate Chriſti, & Verbo Divino, ſed ſolum quædam ſunt munia, quæ incumbunt propagationi, & diffuſioni Doctrinæ, cujus teſtimonium perhibuit Chriſtus, & dicunt præciſe aliquam unionem moralis converſationis, quatenus Apoſtoli prædicabant ea, quæ ex ore immediate Salvatoris biberant. Ceterum licet Deipara miniſterialiter ſolum forte concurrerit, tamen phyſice, & non pure moraliter ſanguinem præbuit efformationi corporis, cui perſonaliter unita eſt Deitas, ad quam relatio realis Maternitatis terminat. Uno ergo verbo: objectum muneris Apoſtolatus, & Præcurſoris eſt Chriſtus ſub ſpeciali aliqua deputatione; Vicariatus eſt ſucceſſio in poteſtate gubernativa Eccleſiæ, ſed dignitas Maternitatis conſiſtit in eo, quod realiter ex ſuo ſanguine efformata fuerit Chriſti Humanitas. Certe altioris ordinis in humanis eſt Mater Regis, quam ſint primarii Miniſtri ejus, ita & in caſu.

Dignitas Maternitatis.

205 OBJIC. III. Ejuſdem ordinis eſt Maternitas Dei, ac clara viſio Dei, & Chriſti Humanitas, ſed Beati gaudentes viſione beata non adorantur Hyperdulia, ergo neque Virgo gaudens Maternitate. Maj. eſt ex Angelico 1. *p. quæſt.* 25. *art.* 6. *ad* 4. -- Dicendum, quod Humanitas Chriſti ex hoc, quod eſt conjuncta Deo, & Beatitudo creata ex hoc quod eſt fruitio Dei; & Beata Virgo, ex hoc, quod eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquod fieri melius eis --

RESP. neg maj. indubie Beati non pertinent ad ordinem Hypoſtaticum, ad quem ſpectat certò Chriſti Humanitas; neque hoc intendit doctrina D. Thomæ, qui ſolum volt ex parte termini attacti, qui eſt ſummum bonum, Deus ipſe, eſſe æqualia illa tria, nec meliorem poſſe reſpicere terminum, ex quo aliqualiter infinitantur. Ceterum ex parte modi conjunctionis eſt evidens diſcrimen: nam Humanitas phyſice unitur Deo, ut natura ſuppoſito, Maternitas eſt relatio perpetuo durans fundata in poſitivo, & reali concurſu productivo Humanitatis, Viſio verò Beata eſt primariò in ſuo ordine intellectivo, qui eſt ordo diminutus; licet, quia fit per ſpeciem, quæ eſt ipſamet res viſa, ideſt, Divina eſſentia, fiat etiam unio realis, quæ eſt regulanda ſecundum primam, utpote ex illa orta. Porro ordo Hypoſtaticus eſt per ſe in ordine phyſico, in quo pariter eſt concurſus maternus.

DICES. Viſio Beata radicatur in gratia ſanctificante, ſed hæc eſt perfectior quolibet ente creato ordinis etiam ſupernaturalis, cum ſit phyſica participatio Divinæ naturæ, ut habemus ex epiſt. Petri 2. c. 1.; ergo perfectiones ordinis gratiæ ſunt ſuperiores perfectionibus ordinis Hypoſtatici, ſed Sancti illuſtrati perfectionibus gratiæ non adorantur Hyperdulia; ergo neque Beata Virgo.

RESP. neg. min. Unio enim Hypoſtatica eſt perfectior gratiâ ſanctificante, cum ſit unio cum Deo in eſſe ſubſtantiali; gratia verò in eſſe tantum accidentali. Perfectio major porro habetur ex majori unione cum Deo, quod a poſteriori declaratur. Nulli elevato per gratiam ſanctificantem debetur titulo quaſi connaturalitatis, vel congruentiæ unio Hypoſtatica; elevato autem unione Hypoſtatica debetur, titulo ad minus congruitatis, gratia ſanctificans. Rurſus. Communius docent Theologi, non poſſe puram creaturam mereri de condigno Incarnationem, ſecus dicunt de gratia ſanctificante. Ulterius. Ex unione Hypoſtatica reſultat eſſe Filium Dei naturalem, ex unione per gratiam ſolum eſſe Filium Dei adoptivum: elevatior ergo eſt ordo Hypoſtaticus ordine gratiæ.

Unio Hypoſtatica perfectior gratiâ ſanctificante.

206 OBJIC. IV. Cultus Religioſus Hyperduliæ debetur excellentiæ creatæ ſupremæ in ordine morali, ſed Maternitas Dei non eſt excellentia moralis, ſed relatio phyſica generantis ad genitum; ergo non ei debetur Hyperdulia. Reſp. Jo. Martinez de Ripalda *l.* 4. *de ente ſupern. diſp.* 79. Maternitatem Dei eſſe formam ſanctificantem. Sed hoc nec veritati conſonat, nec decorem Virginis amplificat. Matth. 12. v. 47. cum dictum fuiſſet Chriſto Domino concionem habenti: *Mater tua, & fratres tui foris ſtant.* Reſpondit v. 48. *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei?* v. 50. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in Cælis; ipſe meus frater, & ſoror, & Mater eſt.* Rurſus Lucæ 11. v. 27. clamante Marcella (ut quidam ſentiunt) *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*; dicit v. 28. *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Quibus verbis ſignificavit, vacuam eſſe utilitate morali ad ſalutem dignitatem Matris, niſi fuerit conjuncta cum charitate, per quam adimpletur Divina voluntas. Unde ex Auguſt. *lib. de Virginitate cap.* 3. a Theologis illud adoptatum eſt -- Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet --

Quare quando Patres commendant Maternitatem Dei ex ſanctitate, loquuntur concretive, quatenus de facto fuit plena gratia, & quadam congruitate debita, non autem de titulo Maternitatis ſecundum ſe. Hoc enim modo ſumpta connaturaliter non excludit peccatum grave, tum quia ex ſuo conceptu nihil aliud dicit, quam ſubminiſtrationem phyſicam ſanguinis pro formatione corporis Chriſti, unde relatio reſultat: hæc autem ſubminiſtratio patet, quod non habet repugnantiam naturalem cum offenſa Dei; tum quia Maternitas, præciſive accepta, eſt gratia gratis data ordinis Hypoſtatici, quæ eſt data ad utilitatem aliorum, non ad propriam habentis; gratia autem gratis data ſtat naturaliter cum lethali, ſed gratia ſanctificans non ſtat naturaliter cum gravi culpa, ac proinde Maternitas non eſt forma ſanctificans.

Ex propter in caſu peccati directe non deberetur Deiparæ cultus Hyperduliæ, ſed indi-

indirecte, ideſt, deberetur ei reverentia ordinis Hypoſtatici tantummodo phyſice, & in potentia morali, ut colligitur ex D. Thoma 3. *Sent. diſt. 6. quæſt. 2. art. 3.*, ubi inquirens: utrum peccatores debeant honorari Dulia reſpondet -- Dicendum, quod Dulia reveren-
„ tiam, & honorem importat, quæ Creatu-
„ ræ exhiberi poteſt; cum autem honor, ut
„ dicit Phil. non debeatur directe niſi ha-
„ benti gratiam, & virtutem, quæ divinos
„ faciunt; ſed habet aliquis virtutem mul-
„ tipliciter, vel ſicut actu virtuoſus, & huic
„ directe debetur, & proprie, & ſecundum
„ ſe honor, vel ſicut habens aptitudinem
„ naturalem ad virtutem, & ſic cuilibet ha-
„ benti imaginem Dei eſt exhibendus honor,
„ niſi ſit confirmatus in malo; quia ligatus
„ eſt in illo ordo ad virtutem, vel ſicut or-
„ dinatus ad inducendam, & conſervandam
„ virtutem, & ſic debetur omnibus Præla-
„ tis, qui ad hoc ordinati ſunt, ut alios di-
„ rigant ad virtutem --

CONTROVERSIA XII.

AN RELIQUIÆ SANCTORUM SINT ADORANDÆ.

207 PArcere non potuerunt Reliquiis Sanctorum, qui viventibus non pepercerunt. Quare calamum, & linguam, immo & manum acuerunt contra Juſtorum oſſa, & veſtes Hæretici. Inter ſacro fonte ablutos primi videntur fuiſſe Manichæi, & Marcioniſtæ, qui Sacra pignora inſectati ſunt, cum dicerent Martyrum corpora eſſe abominabilia, ſicut teſtatur Magnes *lib. 4. contra Theoſtenem*. Arriani pariter Martyrum Reliquias ſunt abominati, ad eorumque præſentiam miracula fieri non credebant. Sic apud Ambroſium *Serm. 91. de SS. Gervaſio, & Protaſio*. Julianus Apoſtata apud Cyrillum Alexandrinum *lib. 10. contra eundem*, Martyrum Sepulchra, quæ in honore ſunt pietati fidelium, abominationis officinas appellat. Vigilantius, ut refert Hieronymus *cap. 2. lib. contra eundem*, vexilla extulit, ritum Gentilium prædicans Reliquiarum cultum, & cinerarios vocans Adoratores. Conſtantinus Copronimus publico Edicto ſtatuit, ut Miniſtrorum Dei *Reliquiæ deſpuerentur, & pro nihilo haberentur*, ita Suidas *in ejuſdem vita*, dicebatque oſſa Sanctorum eſſe ad inſtar crumenæ pecuniis vacuæ. Claudius Taurinenſis nefanda dogmatizavit adverſus Reliquias, ut habet Jonas Aurelian. *lib. 1. de cultu Imaginum*. Wiclephus *in articulis Conſtantiæ damnatis* aſſerit Sepulchra mortuorum eſſe ſimpliciter illuſionis objecta, ſic apud Thomam Waldenſem 3. *tom. tit. 15. cap.* 134. Hieronymus de Praga Sanctorum Reliquias extractas de Altari luto fœdavit, pedibus calcavit, populo irridendas expoſuit: Coclæus hæc refert *lib. 3. Hiſtoriæ Huſſitarum*.

Lutherus *in poſtilla die exaltationis S. Crucis* habet -- Quidquid de Sacra Cruce dixi,
„ intelligi debes de omnibus Sanctorum Re-
„ liquiis; Reliquiæ enim nihil aliud ſunt,
„ quam fraudes, & ſeductiones fidelium:
„ quare &c. -- Aſſeritque ibidem, magis Chriſtiane ſcripſiſſe Vigilantium circa hoc, quam Hieronymum. Henricus VIII. gemmis, auroque nudavit Sepulchrum S. Thomæ Cantuarienſis, venerandaſque Reliquias exuſſit: Sic Laurentius Surius *in Comment. ad annum* 1538. Calvinus *admonitione de Reliquiis* docet Reliquiarum deſiderium non carere ſuperſtitione, immo Idololatriæ Matrem eſſe. Hinc eorum diſcipuli quotquot poſſunt Reliquias cremant, cineresque in flumina projiciunt: quod ſacrilege potiſſime exercuerunt contra oſſa Sacratiſſimorum Præſulum Irenæi, Hilarii, & Martini anno 1562. Magdeburgenſes in ſuis Centuriis pejora dicunt, & ſtatuunt.

Contra hos igitur inſurgimus in defenſionem Reliquiarum, quæ nihil aliud ſunt, quam partes quædam corporis, quod fuit ſub Anima rationali perſonæ illius, quæ judicio Eccleſiæ albo Sanctorum adſcribitur, extenditurque appellatio ad quædam alia inſtrumenta extrinſeca, quibus Juſti uſi ſunt, ut ad flagella, veſtes, & ſimilia, quæ contactu modum quendam Sanctificationis ebiberunt: unde

Dico. Reliquiæ Sanctorum ſunt adorandæ.

208 PROB. I. ex D. Thom. 3. *p. quæſt.* 25. *art. 6.* Id honeſtum eſt, & faciendum, quod Deus poſitive facit, & ad idem faciendum invitat, ſed Deus poſitive honorat Reliquias Sanctorum, ad idemque agendum invitat; ergo honorare Reliquias honeſtum eſt. Min. explicatur. Honor eſt proteſtatio excellentiæ alterius, ſed Deus proteſtatur excellentiam Sanctarum Reliquiarum, ſicut enim *diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placent*, Pſal. 52. *Sic cuſtodit oſſa eorum* (ideſt juſtorum) *unum ex his non conteretur*. Pſ. 33. ergo Deus eas honorat. Prob. min. Deus non ſolum verbis, ſed etiam factis loquitur, & ubi facta ſunt ſingularia, ibi eloquium Dei eſt dirius, ut habet Auguſt. *epiſt. 49. quæſt. 6.*

Sanctorum Reliquias a Deo honoratæ.

-- Ita in factis mirabilibus conſequenter ali-
„ quid ſignificantibus, quodammodo locu-
„ lentior eſt Divina eloquentia -- Sed facta mirabilia Deus operatur mediis Reliquiis, miracula videlicet: unde ſcribitur 4. Regum 13. v. 21. oſſa Eliſei Prophetæ vivis rediddiſſe cadaver cujuſdam in ejus Sepulchrum projectum: *Cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*. Et Act. 19. v. 11. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli; ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, vel ſemicintia: & recedebant ab his languores, & ſpiritus nequam egrediebatur.*

Marci 5. Mulier Hemorroiſſa ſanata eſt a profluvio ſanguinis ex tactu veſtis Chriſti, nec a Chriſto reprehenſa, ſed laudata. Innumera alia propemodum patrata miracula leguntur in Eccleſiaſticis monumentis; ergo Deus luculenti eloquio proteſtatur excellentiam Reliquiarum. Miracula enim ſunt veluti Dei ſignum, quo mentem ejus dignoſcimus; & mos Dei fuit miraculis uti, ut veritatem Religionis confirmaret. Hanc rationem reddit

Scriptura Exodi 4. cur miracula debuerit Moyſes facere in promulgatione legis; quia aliter non credidiſſet populus ea Deo eſſe, & Apoſtolis ad Evangelizandum miſſis promiſit Chriſtus ſe ſignis confirmaturum prædicationem: claret ergo Deum velle Reliquias honorari, eo ipſo quod ad hoc miraculis utitur. Hoc aculeo ferit Vigilantium Hieronymus -- Si „ oſſa mortuorum polluunt contingentes; „ quomodo Eliſeus mortuus mortuum ſuſci„ tavit? 4. Reg. 13. v. 21. & dedit vitam „ corpori, quod (*juxta Vigilantium*) jace„ bat immundum? &c. --

Sanctorum corpora templum Spiritus Sancti.

209 PROB. II. Templum inhabitantis realiter Sancti Spiritus ſine dubio dignum eſt veneratione, ſed corpora Sanctorum fuerunt Templa Spiritus Sancti realiter inhabitantis, 1. ad Corinth. 6. v. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo?* Et utique reali inhabitatione, & non ſolum affectiva, teſte, qui dixit: *Ad eum veniemus, & apud Deum manſionem faciemus*. Ergo digna ſunt veneratione. Maj. indubia videtur; per inhabitationem enim Divinitatis corpus ſanctificatur. Conſequen. verò per ſe ſequitur. Hoc ipſo enim, quod perſeveranter membra Sanctorum fuerunt dignificata, retinent habitudinem poſſeſſæ Sanctificationis, de eaque ſuo modo gaudent ut de ſemel habita, debitum conſervant iterum illam habendi, & de facto illam habebunt. Oſſa illa ſunt velut quædam vaſa Sacra, quæ Deo deputata fuerunt; & iterum ſine dubio deputabuntur. Min. patet ex Scriptura.

Quomodo autem dicantur, & ſint Templum Spiritus Sancti, explicat Angelicus ad citata Pauli verba, ſcilicet -- Secundario e„ tiam eſt in membris corporalibus, in quan„ tum exequuntur opera charitatis -- Membra corporalia ſunt inſtrumenta, quibus gratia utitur ad exercenda exercitia virtutum. Explicat hoc Auguſt. *lib. 8. confeſſ. cap. 10.* Quia ex prædominio gratiæ, & Sancti Spiritus unctione vires inferiores ſubjectatæ ſunt taliter ſuperioribus, ut impedimento non eſſent, ſed prompte, & faciliter obedirent velut ad nutum. Eorum enim ſolum oſſa colimus, qui judicio Eccleſiæ Sancti declarantur; hæc autem eos præciſe declarat, quos probavit heroica floruiſſe virtute: Hæc porro conſiſtit in eo, quod amotis paſſionum obſtaculis, & rebellionis partis ſenſitivæ, portio inferior expedite, & delectabiliter moveatur a parte ſuperiori: quæ cum a donis proveniant Sancti Spiritus, juſte ſunt organa, & Templa ejuſdem Spiritus membra Juſtorum.

210 PROB. III. Secundum Doctrinam Ipſorummet Proteſtantium honeſtum eſt, & admittendum, quod Eccleſia primis ſeculis adoptavit, ſed hæc Sanctorum Reliquias in honore habuit; ergo ſunt licite adorandæ. Minor pluribus evinci poſſet, ſed paucis eam comprobabimus. Primum argumentum eſt *ſolemnitas tranſlationum*. Eccleſia Smyrnenſis oſſa S. Polycarpi rapuit de manibus Gentilium, & tranſtulit in locum valde decorum, pluris ea faciens, quam lapides pretioſos, & aurum, ut teſtatur Epiſtola ad Ponti Eccleſias tranſmiſſa, & Euſeb. *lib. 4. Hiſt. cap. 15.* Cornelius Papa ad inſtantiam Lucinæ Matronæ tranſtulit ex Catacumbis S. Caliſti corpora SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, partim reponens in Eccleſia S. Pauli in agro ejuſdem Matronæ, partim in Vaticano Palatii Neroniani, rogatque ſibi congratulari de hac re *Epiſt. prima*. Fuerant autem in Catacumbis recondita; quia venerant ex oriente fideles, ut ſurriperent, ſtatim ab eorum Martyrio, Sacra pignora, quæ uſque ad ſecundum lapidem detulerant: impediti tamen miraculo nihil ultra egerunt. *Apud Greg. lib. 3. epiſt. 30.* Sub temporibus Juliani ſublatas Reliquias Sancti Joannis Baptiſtæ de Paganorum manu comburere tentantium quidam ex Monaſterio Philippi tradiderunt eidem Philippo, qui ſumma diligentia cuſtodivit, & velut magnum theſaurum eas tranſmiſit ad S. Athanaſium Præſulem, a quo honorifice fuerunt reconditæ. Ita Ruffinus *lib. 5. Hiſt. cap. 28.* Conſtantinus Reliquias Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei Conſtantinopolim tranſtulit, *Apud quas Dæmones rugiunt*, ait Hieronymus *cap. 2. adverſus Vigilantium*, ubi pariter narrat, Arcadium oſſa Samuelis de Judæa in Thraciam deportaſſe per manus Epiſcoporum, in ſerico, & aureo vaſe ex ferculum, tanta comite populorum multitudine -- Ut de Palæſtina uſque Chal„ cedonem jungerentur populorum examina, „ & in Chriſti laudem una voce reſonarent--

Reliquiæ Sanctorum ſolemniter tranſlatæ.

Gallus, Juliani frater, tranſtulit oſſa S. Babylæ in Daphnem, ex quo tempore Dæmonium Apollinis oraculum nullum dedit. Quali autem honore facta fuit hujuſmodi translatio, deſcribit Chryſoſtomus *lib. de hoc Sancto*. Cumque bellum contra Perſas acturus Julianus Apollinem conſuluiſſet, dedit illi reſponſum, ſe impediri a vaticiniis propter humatos quoſdam mortuos. Intellexit myſterium Julianus, & imperavit Chriſtianis, ut tollerent oſſa S. Babylæ, & Adoleſcentum, qui cum ipſo pro fide decertaverant, ſed fideles Reliquias deportaverunt, ſaltantes, & Pſalmos Davidicos canentes, ſingula verſuum membra interrumpentes illo vers. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*: ſic Theodoretus *lib. 3. cap. 9.* Centoriatores lucem refugientes, dicunt, Dæmonem ex induſtria ſimulaſſe ſe ligari, ut occaſionem daret tranſlationi, & Idololatricæ venerationi. Sed hæc futilia ſunt contra veritatem Hiſtoriæ, confirmatam inde, ex quo Arca ſtatim ſublata, deſcendit ignis, & Templum, Idolumque combuſſit, & ſi Idololatricus foret cultus Reliquiarum, non commoviſſet Dæmon Ethnicos, & Judæos, ut eas projicerent in flumina, ne adorarentur. Idem Theodoretus *lib. 5. cap. 36.* narrat corpus S. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolim fuiſſe translatum tanta ſolemnitate, quod pelagum navigiis, & luminibus cooperuerint Fideles.

Calandion Euſtachii Reliquias e Philippis Macedoniæ Antiochiam detulit, ad octo milliaria in occurſum egreſſis ex omni ætate Civibus, ſic apud Theodorum Lectorem *lib. 2.*, ubi plurium aliorum Martyrum translationes recenſet. Evagrius *lib. 1. cap. 13.* refert corpus S. Simeonis ſub Leone fuiſſe Antiochiam translatum, Ducibus, & Militibus

in

A In Mandra commorantibus, comitantibus Arcam. Plurima inde patravit in itinere miracula Sacrum pignus, quod, ut pro muro deſerviret Civitati, poſtularunt ab Imperatore, ubi Sacros honores conſecutum eſt. *Cap.* 16. refert S. Ignatii Martyris translationem in Antiochiam, regnante Theodoſio, ſolemni pompa executam.

211 II. *Locus Sepulturæ*. Vetuſta conſuetudo fuit Sanctorum Reliquias ſub Sacris aris reponere, quod ad honorem pertinet. Hanc conſuetudinem probat auctoritas Apocalypſis 6., ubi deſcribuntur Martyres de ſub Altari clamare; quia ibi eorum oſſa ſunt depoſita. Mentionem faciunt D. Ambroſius *lib. 9. epiſt.* 85., Hieronymus *lib. adverſus Vigilantium cap.* 3., Auguſt. *Serm.* 11. *de Sanctis*. Prudentius *Hymno undecimo de coronis Sanctorum*, Sozomenus *lib.* 5. *cap.*8., Concilium Carthaginenſe V. *c.* 14. ſtatuit, ut ab Epiſcopis everterentur Altaria in memoriam Martyrum erecta per agros, & vias — in „ quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Mar„ tyrum conditæ probantur —

Martyrum Reliquiæ ſub altari honorifice recondita.

212 III. *Templorum dicatio*. Nulli dubium eſt maximum honoris ſignum eſſe Templorum conſecrationem, ſed Reliquiis Sanctorum antiqua Orthodoxorum pietas Sacras Ædes conſecravit; ergo honore, & quidem ſacro credidit dignas. Min. in aperto eſt. Euſebius *in vita Conſtantini lib.* 4. *cap.* 58. 59., *&* 60. refert, Conſtantinum magnis ſumptibus in memoriam Sanctorum Petri, & Pauli Sacras Aras ædificaſſe, in quibus eorundem Reliquiæ repoſitæ fuerunt. Sub Conſtantio Reliquiæ Sanctorum Andreæ, & Lucæ Conſtantinopolim pervenerunt, collocatæque ſunt in conſecrato magno Sanctorum Apoſtolorum Templo: ſic Theodorus Lector *lib.* 2. Narrat Nazianzenus *Orat.* 3. *invectiva prima contra Julianum*. Gallum, & Julianum, fratres Adoleſcentes cogitaſſe ſupra tumulum Mamantis Martyris Eccleſiam ædificare diviſo opere. Quod Gallus extruebat, perficiebatur, eratque gratum, velut Abelis Sacrificium; quod verò a Juliano, deſpiciebatur tanquam Caini oblatio: unde terræmotu evertebatur, quod fuerat elaboratum; quia jam mente corruptus prævidebatur Martyrum contemptor. Cujus rei vim ut eludant Centuriatores, dicunt, id factum, quia diſplicebat Martyri cultus ille ſuperſtitioſus. Sed ſi diſplicebat, cur Fratris natu majoris perficiebatur opus? Ambroſius, inventis Reliquiis Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, & aliorum, Baſilicam dedicavit *lib.* 3. *cap.* 85. Prudentius *Hymno de S.Hyppolito* deſcribit perilluſtrem ædem ejus exuviis dicatam.

Templa Sanctis dicata.

213 IV. *Sacræ peregrinationes* ad monumenta Sanctorum, cujus conſuetudinis teſtis eſt Euſebius *lib.*13. *de præparatione Evangelica cap.*7., Baſilius Magnus *reſponſione* 50. *regularum fuſius diſputatarum*, ubi reprehendit inductum abuſum, nundinationum, cum Martyrum conditoria ſolius orationis causa ſint inviſenda. Epiphanius, qui in vita Ezechielis teſtatur ad ejus monumentum multos precationis, & obſequii ergo confluere. Chryſoſt., qui *homil.* 32. *in epiſt. ad Rom.* ardenter cupit Romam pergere, adoraturus Reliquias Beatorum Apoſtolorum. Socrates, qui *lib.* 7. *cap.* 46. Theodoſium Imperatorem refert miſiſſe Eudoxiam conjugem ad votum perſolvendum Jeroſolymam, Theodoretus *lib.* 8. *Græcarum affectionum* narrat, Fideles non bis, aut quinquies per annum ad Martyrum Templa adventare, ſed ſæpe ſingulis diebus, ibique Hymnos laudis decantare. Hieron. *epiſt.* 17. *cap.* 6., in qua per ſingulas ætates narrat Jeroſolymam currere Chriſtianos ad inviſenda Chriſti monumenta, & Sanctorum. Qui plura cupit, videat Jodocum Coccium *in ſuo theſauro Controverſiarum tom.* 1. *lib.* 5. *art.* 17.

Ad Sanctorum monumenta peregrinationes inſtitutæ.

214 V. *Uſus luminum*. Exodi 25. Exemplum candelabri, die, noctéque accenſi ante Arcam demonſtrat luminum uſum eſſe ſignum honoris, ſed pietas vetuſta Chriſtianorum uſa eſt luminibus ante Reliquias Sanctorum; ergo eas licite honoravit. Explic. min. Vigilantius *apud Hieronymum* objiciebat Catholicis: *Videmus moles cereorum Sole fulgente accendi*. Hieronymus *in Epiſt. ad Riparium* ex cereis accenſis probat non eſſe Idololatriam cultum Sanctorum. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 36. in tranſlatione S. Joan. Chryſoſtomi plurima lumina fuiſſe accenſa fatetur. Paulinus *in natali* 3. *S. Felicis* narrat ad ejus Altare plurimos ardere cereos. Greg. *lib.* 3. *Dialogorum cap.* 24. refert ad Reliquias S. Petri die, noctuque lampadem lucere.

Sanctorum Reliquiæ luminibus honoratæ.

215 PROB. IV. Reliquias Sanctorum eſſe venerandas tradunt univerſi Patres; ergo. Min. pluribus poſſet probari, ſed in re clara ſeligo ſequentia. Concilium Gangrenſe ſub Sylveſtro I. *Can.* 20. anathema dicit ei, qui *memorias Sanctorum contemnendas putaverit*: ideſt, loca, ubi Reliquiæ reponuntur: & ſtatuitur contra Euſtathianos ab Eunomio, qui Reliquias aſpernabatur: & refertur *Can. diſt.* 30. *Si quis per Superbiam*. Fuit autem celebratum circa annum Chriſti 324. Concilium Bracharenſe III. ſub Adeodato, *Can.* 5. præſcribit diebus feſtis Arcam Domini deferri cum Reliquiis per Levitas, quorum munus eſt ea lege veteri, & ſi Epiſcopus voluerit deportare, debeat pedeſter, non autem ſella vectus.

Concilium Epaonenſe ſub Hormiſda *Can.* 25. ſtatuit — Sanctorum Reliquiæ in Orato„ riis villaribus non ponantur; niſi forſan „ Clericos cujuſcunque Parochiæ vicinos eſſe „ contingat, qui ſacris cineribus pſallendi „ frequentia famulentur. Quod ſi illi defue„ rint, non ante proprii ordinentur, quam „ eis competens victus, & veſtitus ſubſtantia „ deputetur — Concilium Nicænum II. *act.* 3. vocat Reliquias ſalutares fontes, ex quibus multa beneficia nobis promanant: & *act.* 7. ſtatuit deponendos Clericos, & Epiſcopos, & communione privandos Laicos, qui cognitas Reliquias contempſerint, & Religioſum cultum eis non detulerint. Alia Concilia alios Canones ſtatuerunt pro Reliquiarum cultu, quæ, cum ſint ex omni natione, palam ſit veritatem hanc apud Catholicos ubique compertam fuiſſe.

His accedit S. Maximus *ſerm. de SS. Octavio, & Adjutore* — Cuncti Martyres devo„ tiſſime percolendi ſunt: ſed ii præcipue

 „ vene-

„ venerandi ſunt a nobis, quorum Reliquias „ poſſidemus -- Gaudentius Briſiæ Epiſcopus *in dedicatione Baſilicæ* 40. *Martyrum* -- „ Ut venerandas Sanctorum Reliquias hono- „ remus, Deus nobis tribuit -- Hieronymus *Epiſt.* 17 *ad Marcellam cap.* 5. -- Mar- „ tyrum ubi ſepulchra veneramur, & ſan- „ ctam favillam oculis apponentes ſi liceat „ etiam ore contingimus -- Inſra ſuadet Samarſam peregrinari, & Beatorum *Joannis Baptiſtæ, Heliſei quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare*. Auguſt. *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 7., *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. plurima recitat miracula per Reliquias operata, quibus earum venerabilitatem demonſtrat.

Juſtinus Martyr *quæſt.* 28. *contra Græcos ethnicos* habet -- Quomodo multo abſurdiſſi- „ mum non eſt, puta quidem illa (corpora „ animalium mactatorum) uſus eorum gra- „ tiam exiſtimari abominationi vero Græco- „ rum ſubdita eſſe Sanctorum corpora, & „ ſepulchra Martyrum, quæ & dæmonum „ demoliuntur inſidias, & morborum ab ar- „ te medica comploratorum conſtruunt ſana- „ tiones -- Ubi ex miraculis demonſtrat ſacra pignora honore digna, non autem abominationi ſubjecta. Baſilius Magnus *homil. in Pſal.* 135. -- Pro legis Judaicæ ritu ſi qui „ moriebantur, horum morticinia habeban- „ tur abominationi: e contra mors ſi cui „ quam irrogatur pro Chriſti nomine, pre- „ tioſæ cenſentur Reliquiæ Sanctorum ejus. „ In priori lege dicebatur Sacerdotibus. Non „ contaminabitur ſuper ullo mortuo; nunc „ e diverſo Martyris oſſa quiſquis attigerit, „ ob gratiam corpori inſidentem fit quanda- „ tenus Sanctificationis particeps -- Ubi & ipſe argumento miraculorum utitur, & argumentum ex lege veteri oppoſitum ſolvit. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſi* 18. honorabiles Reliquias demonſtrat ex miraculis operatis a Semicinctiis Divi Pauli, & a corpore S. Eliſei, ubi reflectit, corpus Eliſei, quod alteri dedit vitam, non reſurrexiſſe, ne *Factum illud ſoli animæ adſcribatur*; aſſeritque virtutem quandam ineſſe -- Corporibus San- „ ctorum propter tot annorum inhabitantes „ in illis animas juſtas, quorum miniſterio „ uſæ ſunt -- Quæ eſt ratio a nobis aſſumpta. quam etiam tangit Nyſſenus *orat. in S. Theodorum Martyrem*, ubi -- Anima, ex quo ſu- „ blimia abit &c. corpus vero venerandum, „ & immaculatum illius inſtrumentum &c. „ cum multo honore, & cultu compoſitum „ in anguſto, ſacroque loco ſitum eſt -- Ubi pariter narrat ut rem magni pretii, colligi a fidelibus terram, qua circumdatur ſepulchrum. Plura Nazianz. *in Julianum*, ubi minimas quoque particulas miraculis clareſcere tradit. atque honorandas demonſtrat.

Chryſoſt. *homil.* 66. *ad populum Antiochenum*, oſtendit a morte Chriſti Diſcipulorum oſſa, & ſepulchra ſtatim fuiſſe honorata; additque -- Servorum Crucifixi ſepulchra „ regiis aulis ſunt clariora &c. Nam & ipſe, „ qui purpura indutus eſt, accedit illa com- „ plexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat „ Sanctos ſupplicaturus, ut pro ſe apud Deum „ intercedant &c. Et cinis, & oſſa, & fa- „ villa inviſibiles illas Poteſtates dilaniant --

A Qui ulteriora cupit, videat Jodocum Coccium citatum *lib.* 5. *de Sanctis Eccleſiæ art.* 16. Cum Patres vocent Sacras Reliquias morborum ſanativas, dæmonum fugativas, miraculorum patrativas, Fontes ſalutares, beneficiorum, inſtrumenta virtutum, habitacula animarum ſanctarum, ſanctificationis participes, ſequitur non eſſe ad inſtar crumenæ vacuæ, ut dicebat Copronimus: id enim eveniret, ſi non eſſent illamet oſſa, quæ fuerunt propria ſanctorum.

216 PROB. V. Niſi Deo ut licitus placeret cultus Reliquiarum, ſpeciali providentia non curaſſet earum revelationem, & mirabilem integritatem: ſed ſpeciali cura providit inventioni earum, & integritati;
B ergo. Minor declaratur. Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 8. refert, Gaſeoſes rogo accenſo oſſa Martyrum tradidiſſe, & quæ non fuerant ab igne conſumpta miſcuerunt Camelorum, & Aſinorum cadaveribus. Sed diu non latuerunt; nam Mulieri Chriſtianæ noctu fuerunt revelata, quæ in ollam collecta, Zenoni Sanctorum conſobrino detulit; fuerat enim ſic monita. Et *lib.* 7. *cap. ultimo* refert alia Abacuc cuidam Epiſcopo fuiſſe revelata. Item *lib.* 9. *cap.* 2. 40. Martyrum Reliquias, ait, fuiſſe Divino lumine repertas. S. Lucianus *in ſua Epiſtola* recitat divinitus
C prodita corpora Sanctorum Stephani, Nicomedis. Cujus revelationis veritatem confirmant miracula, quæ recenſet Evodius in libris de hac re, & Auguſt. *ſerm.* 91. Pariter Ambroſius, ut conſtat vulgata Epiſt. de hac re, ſuperiori providentia invenit oſſa Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, & teſtis eſt Auguſt. *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 7., quod & miraculis fuiſſe comprobatum refert citato ſuperius loco de Civitate Dei. Alibi ſimilia a Patribus habentur.

Reliquiæ ſæpe divinitùs adinventæ.

Quo ad incorruptionem S. Hilarionis poſt decem menſes corpus diſcoopertum fuit, & integrum, miro fragrans odore repertum,
D Sic Hieronymus *in ejus vita*. S. Auguſt. *loc. cit. confeſſ.* narrat incorrupta fuiſſe conſervata oſſa Sanctorum Gervaſii, & Protaſii. Et *ſerm.* 2. *de Sancto Vincentio* aſſerit ejus corpus feris expoſitum a Corvo fuiſſe defenſum, & in aquas projectum, levitaſſe. Sulpitius *in Epiſt. ad Baſſulam* de S. Martino narrat, poſt mortem corpus ejus fuiſſe vitro purius, lacte candidius. Chryſoſtomus de Sanctis Juventio, & Maximo ait eorum vultus poſt mortem tali luce perfuſos, ut ſine ſacro timore conſpici non poſſent. Omitto innumera alia.

Sanctorũ corpora quandoque incorrupta.

Rem abſolvamus egregia D. Ambroſii auctoritate *ſerm.* 14. *de SS Nazario, & Celſo* --
E „ Quod ſi dicas mihi: Quid honoras in carne „ jam reſoluta, atque conſumpta? .... Ho- „ noro in carne Martyris exceptas pro Chri- „ ſti nomine cicatrices; honoro viventis me- „ moriam perennitate virtutis; honoro per „ confeſſionem Martyris ſacratos cineres; ho- „ noro in cineribus ſemina æternitatis; ho- „ noro corpus, quod mihi oſtendit Domi- „ num diligere, quod me propter Dominum „ docuit mortem non timere. Cur autem non „ honorent corpus illud Fideles, quod re- „ verentur, & dæmones? Quod & afflixerunt „ in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro?

„ Ho-

„ Honoro itaque corpus, quod Chriſtum ho-„ noravit in gladio , quod cum Chriſto re-„ gnabit in Cœlo -- Quid efficacius ?

Ex his conſtat mendaciis refertas eſſe Magdeburgenſium Centurias, cum *Centuria 6.* aſſeruerit poſt annos 500. Chriſti cœpiſſe reliquiarum uſum; & *Centuria 4. cap. 6.*, *&* 13. dixerint ante annos 300. nihil reperiri apud bonos auctores de cultu Reliquiarum ; & tamen patet ex dictis Patrum ante hæc tempora, & Juliani Apoſtatæ , honoratas fuiſſe Reliquias ; ut ipſimet fateri coguntur . Nam *Centuria ſecunda cap.* 3. referunt ex Euſebio epiſtolam Smyrnenſis Eccleſiæ , qua oſtenditur , fideles ſumma aviditate velut pretioſos lapillos , Reliquias S. Polycarpi collegiſſe , quas ethnicus Judex volebat diſperdere . Et eo etiam efficaciſſimo convincuntur argumento , quod Ethnici , & Judæi accuſabant Idololatriæ fideles propter cultum Reliquiarum ; quod non feciſſent , niſi Reliquias Sanctorum ab ipſis venerari noviſſent .

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM .

217 OBJIC. I. Id tribuendum Reliquiis, quod in Scriptura aſſeritur , ſed hæc ſolum concedit eas terræ mandari , & Patriarchæ Abraham hoc ſolum ſpecialiter Deus promiſit , Geneſis 24. ſicut Iſaac c. 25. ; ergo Reliquiis præter officium ſepulturæ nihil ultra debetur . Ita Vedroſius *in examine D. Georgii pag.* 103. , & Jacobus Rea *in ſua Apolog.*

RESP. neg. min. Ad cujus probationem petimus , an præter officium ſepulturæ concedat arguens poſſe alium honorem deferri , vel non ? Si concedit ; nihil infert ex ſuo argumento : ſi negat , damnat aperte Traditionem Patrum , & contra Scripturam loquitur. Eccleſiaſtici 46. v. 14. dicitur : *Et oſſa eorum pullulent de loco ſuo* . Quid autem eſt pullulare oſſa , niſi in memoria hominum cum honore reviviſcere ? De Reliquiis Joſeph cap. 49. v. 18. dicitur : *Oſſa ipſius viſitata ſunt , & poſt mortem prophetarunt* : quod tunc adimpletum eſt, quando Exodi 13. oſſa Sancti Patriarchæ translata fuerunt ad Terram Sanctam, ut ſepelirentur a Moyſe , ad quam & ipſe Joſeph ſolemni pompa tranſtulerat oſſa Patris ſui Jacob . Sic Hieron. *contra Vigilan.* Igitur non negamus poſſe terræ mandari oſſa Sanctorum , ſed honorari poſſe dicimus , tum ex modo ſepulturæ , tum poſt ſepulturam etiam variis modis , transferendo ab uno loco ad alium honorificentiorem , particulas deferendo ſolemnibus Proceſſionibus , ad tumulos lumina accendendo , piis peregrinationibus Arcas viſitando &c.

Reliquiis pluribus honorare poſſunt .

218 DICES . Quod eſt a Deo prohibitum , non poteſt licite fieri , ſed iſte cultus, præter ſepulturam, eſt prohibitus ; ob hanc enim cauſam abſcondit Deus corpus Moyſis , Deut. 34. v. 6. *Et non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem* , ne ab Iſraelitis adoraretur ; & cum vellet Diabolus illud revelare , & proponere Hebræis ad cultum , reſtitit Michael Arcangelus cuſtos populi Judaici , cujus cura erat impedire Idololatriam . *Cum Michael Arcangelus , cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore , non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ* , ait Judas Apoſtolus in ſua Canonica epiſt. v. 9. ; ergo illicitus eſt cultus Reliquiarum . Rurſus Vedroſius *ibidem* , & Calvinus *in annotat. de Reliquiis* .

RESP. neg. min. Et in primis argumentum nobis favet ; quia valde honoratum eſt corpus Moyſis, cum fuerit miniſterio Angelorum ſepultum ; hoc enim ad honorem valde ſpectat ; ut habemus Lucæ 16. de anima Lazari ab Angelis in Paradiſum delata : quo argumento utitur Hieron. *contra Vigilantium* : & Philo ad honorem pariter tribuit , admirando adeo ſepulchro fuiſſe reconditum, ut nulli pateret homini . Secundo . Libenter audiremus ex Scriptura motivum aliquod hujus interpretationis ; fines enim Dei alii ſane eſſe potuerunt .

D. Auguſt. *lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap.* 35. -- Duabus autem cauſis , ut „ ſapientes ajunt , mortis ejus , & ſepulchri „ nemo conſcius erat : quatenus illam faciem, „ quæ conſortio ſermonis Domini rutilaverat, „ mortis mœrore repreſſa nullos videret , & „ ne ſepulchrum ejus populus Iſrael , ſi co-„ gnoviſſet ubi eſſet , adoraret : unde & vir-„ gam , in qua ſigna fecerat , ut plurimi pu-„ tant , ne adoraretur , ſecum abſtulerat ; „ quoniam & Serpentem quem fecerat , filii „ Iſrael poſtmodum adorabant -- Si primam cauſam tenes : honorificatum habes corpus illud , ideo occultatum , ne amitteret præteritæ gloriæ decorem , ſi aſpiceretur ſqualore mortis deturpatum ab eo ſplendore , quo clarebat vivens ex conſortio Domini : unde ad reverentiam impelleris Reliquiarum : Si ſecundam amplecteris : cogeris fateri ſolum prohiberi cultum Latriæ , non autem alium inferiorem , prout exemplum inductum probat . Populus enim ille proclivis valde nimis erat ad Idololatriam : unde memoria mirabilium a Moyſe patratorum , & beneficiorum receptorum , & mirabilis ſplendoris , quo ejus facies refulgebat , itaut in eam non poſſent intendere , de facili eum adoraſſent pro Deo . Et licet pro tali viventem non adoraſſent ; quia nec Ethnici conſueverunt pro Diis adorare viventes , quos mortuos adorabant ; & ipſemet Moyſes vetabat , monens , ſe eſſe eorum ſervum , poſt mortem tamen poterat evenire ; & ita factum eſt circa vitulum ; quamdiu præſens fuit Moyſes , non alium niſi verum Deum adoraverunt , ipſo abſente 40. diebus , Idolum ſibi fecerunt ; ita circa Serpentem Æneum : ipſo ſuperſtite , non fuit adoratus ſuperſtitioſe , eo mortuo , illi obtulerunt ſacrificia , 4. Reg. cap. 18. , & ideo ab Ezechia confractus .

219 INSTABIS . Deus inferiorem Latria cultum damnat, ut patet Lucæ 11. v. 47. & 48. illis : *Væ vobis (Phariſæi) qui ædificatis monumenta Prophetarum ! Patres autem veſtri occiderunt illos . Profecto teſtificamini , quod conſentitis operibus Patrum veſtrorum ; quoniam ipſi quidem eos occiderunt ; vos autem*

ædi-

Digitized by Google

ædificatis eorum ſepulchra. Hic enim non de alio redarguit eos Chriſtus, niſi quia venerabantur Reliquias Prophetarum; & hoc etiamen eſt; quia eſt conſentire homicidiis a Patribus eorum commiſſis: conſentiunt ergo Tyrannis Pontificii adoratores. Hæc Wiclephus *apud Vuald.*

RESP. Chriſtus non redarguit ſepulchrorum ædificationem, ſed animi ſimulationem, quam ſub hiſce operibus occultabant. In corde odium fovebant in Chriſtum, Prophetarum Principem, quem ad mortem petebant, & extrinſecis illis monumentis indicabant ſe honorare Prophetas. Patet hoc ex contextu, quo eos vocat ſepulchra dealbata, quo dicit ipſos decimare rutam, & mentam; negligere autem juſtitiam, & miſericordiam. Patet ex conſonantia cap. 23. Matth. v. 29. 30., & 31., ubi idem repetitur ſub his formulis: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ: quia ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobis metipſis; quia filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum*. Quibus clare patet Hebræos ſimulaſſe illis operibus pravum affectum contra Chriſtum motivo veritatis enunciatæ, quo fuerunt occiſi Prophetæ; ideo Lucæ 15. v. 58. dicitur: *Teſtificamini, quod conſentitis operibus eorum*: Celantes videlicet machinationes contra me, ubi Matth. v. cit. *Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum*. Permiſſive loquitur, ideſt: Adimplete, quod concepiſtis, eo modo, quo dixit Judæ: *Quod facis, fac citius*.

Ceterum argumentum potius eſt pro nobis, nam in hoc reprehenduntur ut Hypocritæ; Hypocriſis autem eſt ſimulata uſurpatio boni operis; & de facto apud Hebræos Tituli, & Sepulchra juſtorum ſemper fuerunt in honore. Hinc 4. Reg. 23. v. 18. quando Joſias ad purgandam contaminationem Excelſorum juſſit comburi omnia oſſa mortuorum, perveniens ad ſepulchrum quoddam viri Dei, veneratus eſt, & juſſit intacta permanere oſſa illius cum oſſibus alterius Prophetæ, qui venerat de Samaria. *Dimitte eum, nemo commoveat oſſa ejus, & intacta manſerunt oſſa illius.*

Sepulchra Sanctorum in honore.

220 URGEBIS. Non ſolum Chriſtus redarguit ſimulationem, ſed etiam externum cultum corporum juſtorum, 2. ad Corinth. 5. v. 16. *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*. Ubi Paulus dicens poſt reſurrectionem ſe non noſſe Chriſtum ſecundum carnem, docet omne, quod carnale fuit in Chriſto eſſe abjiciendum, atque ſpernendas omnes carnales ejus Reliquias, & aliorum. Calvinus hæc objicit.

RESP. Hoc argumento abuſi ſunt Iconoclaſtæ in Nicæna II. Latrocinali, & Manichæi, ut probarent Chriſtum non aſſumpſiſſe veram carnem. Sed ad rem non eſt, ſicut manifeſte patet ex triplici interpretatione apud Patres, quæ inferitur a D. Thom. *lect. 4. in hunc locum*. Prima cadit ſupra tempus diverſum Chriſti ante, & poſt reſurrectionem; & ſenſus eſt: Cognovimus ante Chriſtum ſecundum carnem paſſibilem, nunc autem non cognoſcimus ſecundum hanc. Secunda appellat ſupra diverſum tempus Pauli cognoſcentis, & reddit ſenſum: Cum eſſem in Judaiſmo, credebam Chriſtum venturum ſecundum gloriam carnalis Regni; nunc autem credo in ſpirituali veniſſe. Tertia appellat ſupra cognoſcentem repræſentatum, ideſt, in perſona corporis Eccleſiæ loquitur, & reddit ſenſum: Quando viſibiliter converſabatur nobiſcum, erat affectus aliquis carnalis erga ejus præſentiam, nunc autem purgatior eſt affectus. Hæc interpretatio congruit magis litteræ, in qua Apoſtolus aſſerit, ſe neminem carnali affectu noſcere; quia urgente charitate currit ad coronam gloriæ.

221 REPLICABIS. Omnis cultus voluntarius vetitus eſt, ad Coloſs. 2. v. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans*, ſed cultus Reliquiarum eſt voluntarius; ergo vetitus. Sic Calvinus replicat.

In Controv. de Cultu Sanctorum dedimus litteralem ſolutionem textui cit. nunc damus aliam ex D. Thom. *lect.* 4. Hic admonet, ut caveant a quibuſdam, qui introducebant legum legalia, ſimulata ſanctitate, quæ in duobus conſiſtebat, in humilitate, qua res mundi videbantur deſpicere & in cultu Dei, quo videbantur Deum colere, quem ſincere non colebant, ea propter dicit: *In Humilitate, & Religione Angelorum*, ideſt, legis veteris per Angelos traditæ, quam obſervandam dicebant. Ubi nihil pro Calvino. Patet etiam ex dictis cultum non eſſe voluntarium.

222 OBJIC. II. Eſt argumentum Vigilantii inſtantias complectens ipſiſſimas, quæ ab Acatholicis aſſumuntur, quas inſinuo, ut compertum ſit, cultum Reliquiarum non eſſe rem novam. Prima his continetur -- Quid „ neceſſe eſt, te tanto honore non ſolum „ honorare, ſed etiam adorare illud neſcio „ quid, quod in modico vaſculo transferen„ do colis? -- Quibus inſimulat nos Latria colere Reliquias, quas per contemptum involvit ſub illo: *Neſcio quid*. Secunda -- Pro„ pe ritum Gentilium videmus ſub prætextu „ Religionis introductum in Eccleſiis, Sole „ adhuc fulgente, moles cereorum accen„ di &c. Magnum honorem præbent hujuſ„ modi homines beatiſſimis Martyribus, quos „ putant de cereolis viliſſimis illuſtrandos, „ quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum „ omni fulgore Majeſtatis illuſtrat -- Quibus ſuperſtitionem inſimulat Gentilitatis, quaſi ex indigentia Sanctis lumina accendamus; quam luminum honorem irrident moderni Eccleſiæ Reformatores. Tertia -- Ergo ci„ neres ſuos amant animæ Martyrum, & „ circumvolant eos &c. ne forte ſi aliquis „ precator advenerit, abſentes audire non „ poſſint -- Quibus irridet, & Reliquias, „ & animas Sanctorum, quorum ſunt. Quar„ ta -- Argumentatur contra ſigna, & vir„ tutes, quæ in Baſilicis Martyrum fiunt, „ & dicit, eas incredulis prodeſſe, non cre„ dentibus -- Sic Acatholici miracula, & virtutes Reliquiarum negant. Quinta -- Niſi „ forte in more Gentilium, impiorumque „ Porphyrii, & Eunomii hæc præſtigia Dæ„ monum eſſe confingas; & non vere clamare

„ Dæ-

„ Dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta — Hac ex Hieron. *cap.* 2., *& 4. contra Vigilan.* A

Primæ ſic reſpondet S. Doctor — Quis „ enim o inſanum caput aliquando Martyres „ adoravit? Quis hominem putavit Deum? — Quibus demonſtrat fideles non colere Reliquias Latria: & ſubdit exemplum Pauli, & Petri, qui ut Dii noluerunt adorari; additque plurima ab exemplis, quorum aliqua ſuperius retulimus: quibus oſtendit ſine ſacrilegio pietatem Fidelium veneratam fuiſſe Saccos cineres citra periculum Deitatis attribuere Sanctis, & juſtis. Secundæ reſpondet neminem Martyribus accendere cereos ex indigentia Martyrum, illoſque ad illuſtrandum, ſed honoris cauſa; oſtenditque primo ex Evangelio, B ubi quidam reprehendebat affuſionem unguenti ſupra Chriſtum a pia Muliere, & tamen gratum illud opus fuit Chriſto (licet non foret neceſſarium) propter devotam Mulieris mentem: Secundo ex eo quod ſine Reliquiis, cum recitatur Evangelium lucente die, accenduntur lumina; & non ad depellendas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum &c. Nec inde ſequitur ritum eſſe ſuperſtitioſum; cum idem Gentiles facerent ſuper tumulos mortuorum; quia inde ſequeretur, non poſſe nos Deum colere — „ Ne ſimili eum videamur cum idolis vene- „ rari —

C Tertiæ reſpondet — O portentum in „ terras ultimas deportandum! Rides de „ Reliquiis Martyrum, & cum auctore hu- „ jus hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti „ calumniam ſtruis? &c. Scribit adverſus hæ- „ reſim tuam, quæ olim erupit contra Ec- „ cleſiam, Tertullianus &c. Miror, quod „ non dicas: Nequaquam perpetranda Mar- „ tyria; Deum enim, qui ſanguinem Hir- „ corum, Taurorumque non quærit, multo „ magis hominum non requirere &c. Qui „ enim Reliquias Martyrum aſſeris calcandas „ eſſe, prohibes ſanguinem fundi, qui nullo „ honore dignus eſt &c. — Egregie contra D inſtantiam, quæ non eſt niſi malitioſum convitium impoſitum Catholicis ex ſuperſtitione Ethnicorum. Quartæ reſpondet — Quaſi nunc „ hoc quæratur, quibus fiant, & non qua „ virtute fiant? Eſto &c. Dominus incredu- „ lis ſigna faciebat; & tamen non Domini „ ideirco ſigillanda ſunt ſigna &c. — Sive ergo fiant incredulis, ſive non, ſigna fiunt per Reliquias virtute Dei, illis Reliquias honorantis. Deinde ſubdit, hæc Vigilantium ſcribere ab immundo ſpiritu motum, qui — „ Sæpe hoc viliſſimo tortus eſt pulvere; Im- „ mo hodieque torquetur; & qui te in pla- „ gas diſſimulat, in ceteris confitetur — Non E ergo mirum, ſi talia obloquatur contra Sacra pignora. Reſtat tamen probandum, unde in Reliquiis tanta ſignorum, virtutumque præſtantia. Quintæ reſpondet — Do conſilium: „ Ingredere Baſilicas Martyrum, & aliquan- „ do purgaberis. Invenies ibi multos ſocios „ tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui „ tibi diſplicent, ſed flammis inviſibilibus „ combureris; & tunc fateberis, quod nunc „ negas, & tuum nomen, qui in Vigilantio „ loqueris, libere proclamabis — Hæc ille.

223 OBJIC. III. Idem ſentiendum eſt de honore Reliquiarum per cereos, ac per alias ceremonias, ſed cerei fuerunt prohibiti a Concilio Eliberitano *Canone* 34. — Cereos „ per Diem placuit in Cœmeterio non incen- „ di: inquietandi enim Sanctorum ſpiritus „ non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, „ arceantur ab Eccleſiæ communione — ergo pariter ceteræ venerationis ceremoniæ remanent damnatæ. Sic Calvinus.

RESP. Majorem eſſe veram in eo ſenſu, quo improbatur cereorum uſus, negamus autem, Catholicum morem luminum ſupra Sepulchra Sanctorum a Patribus Concilii Eliberitani improbari, cujus Canonis triplex eſt expoſitio. Prima eſt mentem Patrum eſſe, abigere ſcandali occaſionem pro Catechumenis: hi enim a Gentilitate converſi facile decipiebantur, & ſcandalizabantur ex hac ceremonia, exiſtimantes hæc fieri more Gentilium: unde Patres pro Spiritibus Sanctorum intelligunt Cathecumenos. Secunda ait, Patres vetuiſſe magicam conſuetudinem evocandi animas defunctorum, quæ apud impios quoſdam erat in uſu; & ideo dicitur, non eſſe inquietandos Sanctorum Spiritus, deſumpto modo loquendi ex 1. Regum 28., ubi anima Samuelis per Pythoniſſam evocata reſpondit, v. 15. *Quare me inquietaſti, ut ſuſcitarer?* Non quia Patres craſſa adeo ignorantia laborarent, ut crederent animas juſtorum de loco in locum moveri ad arbitrium magiæ. Tertia expoſitio eſt, Patres prohibuiſſe cereorum uſum ſuperſtitioſum, ortum ex errore Gentilium, qui putabant, corpora defunctorum aliquod ſublevamen ſentire, incluſa tenebris, ex cereis. Cum illis temporibus non eſſet perfecta purgatio Gentilitatis, de facili communicabantur errores; & ideo ad eos præcavendos Patres uſi ſunt illo rigore, & licet abſolute licitum ſit; nihilominus tunc temporis expediebat propter mixtionem Ethnicorum abſtinere. Hoc ſenſu pariter dixit S. Hieronymus *contra Vigilantium*, eos, qui accendebant cereos ad Reliquias ſtante hoc periculo, & uſu nondum totaliter introducto, male facere: zelum nihilominus laudat, ſed non ſecundum ſcientiam: nunc autem hæc non urgent. *Vide Tom. I. Tract. III. Par. II. Controv. I. §. IV.*

224 OBJIC. IV. Si aliquæ Reliquiæ eſſent adorandæ, eæ forent, quæ principaliores creduntur, ſcilicet oſſa, & corpora Sanctorum, ſed iſta nullum habent titulum adorabilitatis; ergo nulla habent. Min. declaratur. Ut daretur aliquis titulus adorabilitatis, deberet ineſſe aliqua ſanctificatio intrinſeca, vel extrinſeca, ſed non ineſt extrinſeca propter contactum, non intrinſeca propter præteritam inhabitationem Sancti Spiritus; quia in illis corporibus nihil eſt de eo, quod fuit ſub anima rationali, ob datam reſolutionem uſque ad materiam primam; ergo ſepulchra mortuorum non ſunt niſi illuſionis objecta, ut aſſerebat Wicleph.

RESP. neg. min. Ad prob. dicendum eſt remanere eandem materiam, & ſtructuram accidentium corporeorum, quæ fuerunt ſub forma viventis; & hæc eſt mens Angelici 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 6. *in corpore*, *& ad* 3. — „ Et ideo eorum reliquias qualeſcunque ho-

„ nore

Adorantur Sanctorũ corpora, quæ templa, & organa fuerunt Spiritus Sancti.

„ nore congruo in eorum memoriam vene-
„ rari debemus, & præcipue eorum corpo-
„ ra, quæ fuerunt Templa, & organa Spi-
„ ritus Sancti in eis habitantis, & operan-
„ tis -- ſed evidens eſt, quod corpora, quæ
fuerunt organa Spiritus Sancti operantis, &
habitantis, ſunt materia prima poſitive orga-
nizata per hæc membra; ergo. Item in ſe-
quenti ratione -- Et ſunt corpori Chriſti con-
„ figuranda per glorioſam Reſurrectionem --
ſed corpora configuranda per Reſurrectionem
ſunt ea, quæ fuerunt configurata Chriſto per
paſſionem, non alia advenientia, ſolum eadem
in ſpecie poſt ipſam paſſionem in inſtanti ex-
trinſeco motus ad 3. dicendum -- quod cor-
„ pus mortui alicujus Sancti non eſt idem
„ numero, quod primo fuit dum viveret,
„ propter diverſitatem formæ, quæ eſt ani-
„ ma; eſt tamen idem identitate materiæ,
„ quæ eſt iterum ſuæ formæ unienda -- ſed
eſt certum materiam uniendam animæ eſſe
illam omnino prorſus poſitive, quæ fuit ſub
anima tempore vitæ; ea fide enim in hac
carne reſurgemus: corpus ſeminatum corpo-
rale reſurget ſpirituale, & corruptibile hoc
induet incorruptionem; ergo materia, quæ
remanet, eſt eadem corporeitas, quæ fuit
ante mortem. Ad 2. habet -- Illud inſenſi-
„ bile (*id eſt corpus mortuum*) non adoratur
„ propter ſeipſum, ſed propter animam, quæ
„ fuit ei unita &c. -- adeoque eſt illud idem
numero, quod vivum fuit.

Idem S. Doctor 3. *p. q.* 50. *art.* 5. In-
quirens, an Chriſti corpus mortuum, fuerit
idem numero, quod vivum: Reſpondet non
eſſe idem numero unitate proveniente a for-
ma, eſſe tamen idem ratione ſuppoſiti, &
ratione materiæ: quo ultimo titulo alia cor-
pora dicuntur eadem numero ſecundum
quid, ideſt, unitate non completa per for-
mam. Porro materia, cui in triduo erat u-
nitum ſuppoſitum, eſt hæc poſitive cum hac
carne, quæ fuit aſſumpta per Incarnationem:
quod demonſtrat ibidem *articulo* 2., *& quaſt.*
54. *art.* 2. reſolvit, idem corpus Chriſti re-
ſurrecturum integrum, quod fuit ſub forma
viventis: *& art.* 4. reſolvit, cum iiſdem ci-
catricibus, quas habuit ante mortem; ibique
aſſerit ex Beda, reſurrecturos etiam Marty-
res cum cicatricibus.

Ex hoc nova confirmatio deſumitur.
Nam judicio Eccleſiæ pars illa corporis, in
qua Martyr eſt paſſus, eſt ſpecialis Reliquia,
ſpecialem petens venerationem: unde decre-
tum ſub Urbano VIII. editum a Sacra Rituum
Congregatione habet -- Inſignes autem Re-
„ liquias declaravit eſſe Caput, Brachium,
„ Crus, aut illam partem corporis, in qua
„ paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, &
„ non parva, & legitime ab Ordinariis ap-
„ probata -- ſed ſi adveniat nova pars cor-
poris individualiter diverſa, non eſt illa, quæ
paſſa eſt, quæ reſurget, ſed ſimilis; ergo.
Adde, quod incorruptio corporis non eſſet
amplius privilegium ſpeciale; quia nihil de
illo priori remaneret nec in Petro, nec in
Juda. Quare ob carentiam identitatis nume-
ricæ dici nequeunt objecta illuſionis mortuo-
rum ſepulchra: non enim fallit ſcriptura, ubi
referens miraculum ab oſſibus Eliſei patratum
dicit: *Cum tetigiſſet oſſa Eliſei &c.*, & in ſi-
A milibus non fallitur ſenſus circa propria ſen-
ſibilia, niſi per accidens, & in paucioribus
apud D. Th. *part.* 1. *quaſt.* 17. *art.* 2. Quot-
quot autem plorant mortuos ſuos, adventitia
nequaquam corpora ſepelire judicant, pro-
pterea ut ſuæ carnis identitatem redivivus
demonſtraret Chriſtus, viſus, & tactus te-
ſtimonio uſus eſt Lucæ ult. eodemque incre-
dulum Diſcipulum emendavit, Joan. 20.

Datur ergo reſolutio uſque ad materiam
primam; quia deperit omnis forma ſive to-
talis, ſive partialis, & corporeitas ſubſtantia-
lis. Datur reſolutio, quia deperit omnis
forma accidentalis, quæ eſt propria formæ
B ſubſtantialis. Datur reſolutio quo ad aliqua
accidentia communia, quæ non poſſunt ineſſe
ſubjecto, niſi per ſpecialem influxum for-
mæ, ut calor, ut fluiditas ſanguinis: & de
hac loquitur S. Doctor; non autem quo ad
omnia omnino accidentia communia, for-
mantia corporeitatem, nec loca ſolita adduci
ex S. Doctore aliud convincunt, & aliunde
alia docet nobis faventia.

En verba D. Thom. 4. *diſt.* 44. *quaſt.* 1.
art. 1. *quaſt.* 1. *ad* 3., quo loco ſibi objicit:
Idem numero corpus non reſurrecturum;
quia corpus humanum uſque ad elementa poſt
mortem reſolvitur &c. Cui ſatisfacit -- Ad
C „ tertium dicendum, quod illud, quod in-
„ telligitur in materia ante formam, rema-
„ net in materia poſt corruptionem, quia
„ remoto poſteriori adhuc poteſt remane-
„ re prius -- Hoc porro, quod remanet, vo-
cat dimenſiones non terminatas. Videatur
ibi S. Doctor, ſicut 4. contra gentes cap 81.
ad 2. *quodlib.* 11. *quaſt.* 6. *art.* 7. *ad* 2. quare
quoties docet corpus mortuum alicujus San-
cti eſſe idem identitate materiæ, non loqui-
tur de materia prima nuda, ſed ſub dimen-
ſionibus prioribus; & conſtat etiam ex eo,
quod quandoque addit -- Quæ eſt iterum ſuæ
„ formæ unienda -- Materia autem nuda non
D eſt iterum unienda, ſed organizata: & tunc
conſona erit doctrina D. Thom. cum doctri-
na Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *Decreto de In-
vocatione, Veneratione, & de Reliquiis &c.*
-- Et aliorum cum Chriſto viventium Sacra
„ corpora, quæ viva membra fuerunt Chri-
„ ſti, & Templum Spiritus Sancti &c. --
Corpora non ſunt ſola materia nuda, ut e-
videns eſt. *Corpora, quæ viva membra fue-
runt.* Locutio eſt omnino formalis, & ſen-
ſum reddit planum; corpora, quæ adoran-
tur, eadem fuiſſe, quæ viva fuerunt: S. Do-
ctor conſone proponit, & reſolvit difficulta-
tes de corpore mortuo Chriſti, ac ceterorum
E hominum: de utroque conſtanter concludit
eſſe idem numero vivum, ac mortuum. Vi-
deatur *quodlib.* 2. *quaſt.* 1. *art.* 1. *quodlib.* 3.
quaſt. 2. *art.* 2. *ad* 2. *quodlib.* 4. *quaſt.* 5. *art.* 1.
omiſſis pluribus ſubdo unum ex 3. *p. quaſt.* 50.
art. 2. *ad* 2., ubi dat doctrinam communem
carni Chriſti, & aliorum. Objicit ſibi quod
Divinitas unitur media anima carni: unde
anima ſi ſeparetur a carne, neceſſe eſt, quod
Divinitas ab eadem ſeparetur. Cui reſp. --
„ Dicendum, quod Verbum Dei dicitur u-
„ nitum carni mediante anima, in quantum
„ caro per animam pertinet ad humanam

„ na-

„ naturam, quam Filius Dei aſſumere inten-
„ debat; non autem ita, quod anima ſit quaſi
„ medium ligans unita: habet autem caro
„ ab anima, quod pertineat ad humanam
„ naturam, etiam poſtquam anima ſeparatur
„ ab ea, in quantum ſcilicet, in carne mor-
„ tua remanet ea Divina ordinatione quidam
„ ordo Reſurrectionis; & ideo non tollitur
„ unio Divinitatis ad carnem -- Ecce quo-
modo poſt mortem Chriſti non eſt facta re-
ſolutio uſque ad materiam primam, ſed re-
manſit prior caro, in qua dabatur reſpectus ad
Reſurrectionem: in carne mortua, ait, caro
adveniens de novo mortua dici nequit, cui
vita numquam fuit debita.

125 INSTABIS. S. Doctor ſuſtinet,
accidentium ſubjectum eſſe totum, ſed toto
corrupto non poſſunt remanere, quæ ſubje-
ctantur in toto; & ideo *lect.* 10. *ſupra textum*
32. *Ariſtotelis de generat.* docet, idem acci-
dens non poſſe eſſe ſimul in genito, & cor-
rupto, & perire per accidens ad corruptio-
nem ſubjecti, & advenire aliud accidens ſi-
mile; ergo &c.

RESP. Minus inconveniens eſſet con-
cedere, materiam habere actum proprium,
& in ea ſubjectari accidentia communia,
quam Reliquiarum cultum in dubium revo-
care. Ceterum omnia ſalvantur, ſi dicatur,
accidentia ſubjectari in toto formaliter ſum-
pto; quia accidentia communia proveniunt
a forma ſecundum gradum ſuperiorem con-
venientem aliis formis; & ita quantitas, fi-
gura &c. ab anima rationali promanant ſe-
cundum gradum corporis communem formis
brutorum; & prout ſic iſtæ formæ ſunt ejuſ-
dem rationis formalis. Ex quo fit, quod
quando advenit forma cadaverica, quæ per
accidens intenditur a natura in ſupplemen-
tum propriæ formæ, totum fit formaliter idem
in eſſe ſubjecti formalis ſuſtentativi, licet di-
verſum ſit materialiter. Sicut diverſitas ſu-
perficiei ſuccedentis præcedenti ſub eadem
diſtantia poli eſt materialis ad conſtituendum
locum, non autem formalis; unde locus
ſemper idem eſt formaliter; quia utraque ſu-
perficies exercet idem munus ſubſtandi di-
ſtantiæ poli, ita in caſu. Totum cadaveri-
cum in eſſe ſubjecti accidentium eſt idem
cum præcedenti formaliter; quare nec pe-
reunt omnia accidentia communia, nec mi-
grant de ſubjecto in ſubjectum formale. Pe-
reunt tamen aliqua per accidens ad corru-
ptionem ſubjecti; quia licet ineſſent ſubjecto,
aliquam tamen ſpecialem dependentiam di-
cebant a forma, & producuntur alia ſimilia,
non pure individualiter, ſed proportionabi-
liter, juxta qualitatem totius, & formæ.
Hæc diſputative; ceterum optime ſalvatur
veneratio Reliquiarum aliis viis apud Catho-
licos Doctores, inter quos D. Thom. ea uti-
tur de inclinatione quæ remanet ſecundum
Divinæ providentiæ ordinem ad reunitionem
animæ glorioſæ, juxta Ambr. *Serm.* 93. --
„ Honoro in cineribus ſemina æternitatis --

126 OBJIC. V. Quod eſt contra men-
tem Patrum non eſt tenendum, ſed Reliquia-
rum veneratio eſt contra mentem Patrum:
nam Hieronymus *ad Riparium* habet -- Nos,
„ non dico Martyrum Reliquias, ſed nec
„ Solem, nec Lunam, nec Angelos, nec
„ omne, quod nominatur &c. colimus, &
„ adoramus, ne ſerviamus creaturæ potius,
„ quam Creatori -- Sic Anonymus quidam
poſt Calvin.

Verum quæ inſipientia, dum teſtimo-
nium accipiunt ab ea epiſtola, in qua S. Do-
ctor teſtatur -- Vigilantium os fœtidum ape-
„ rire contra Martyrum Reliquias, & nos &c.
„ qui eas ſuſcipimus, cinerarios, & Idolo-
„ latras appellare, quod oſſa mortuarum
„ veneremur -- Hanc venerationem non ſo-
lum verbo, ſed exemplo promovit; fatetur
enim *in cap.* 40. *Ezechielis*, ſe conſueviſſe
frequenter inviſere Sepulchra Martyrum, &
Apoſtolorum, cum Romæ eſſet Adoleſcen-
tior. Quæ pariter loca Apoſtolorum indutus
Cilicio Romæ morans inviſebat Conſtantinus,
ut refert Ruffinus *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 33., ex quo
obiter confirmatur & antiquus uſus venera-
tionis, & qualitas, ſcilicet, Sacræ. In il-
lis ergo verbis negat Sanctis cultum proprium
Dei, ſupremum, & Latriæ; quod verba illa
etiam declarant -- Ne ſerviamus creaturæ po-
„ tius, quam Creatori --

127 DICES. Si Patres crederent ve-
nerandas eſſe Reliquias, non vetuiſſent eas
ſolemniter deferri ab Epiſcopis collo appen-
ſas, & transferri a loco ad locum, ſed hoc
fecerunt in Concilio Brachar. III. *Can.* 5. --
„ Quorundam Epiſcoporum deteſtanda præ-
„ ſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimen-
„ dam. Agnovimus quoſdam de Epiſcopis,
„ quod in ſolemnitatibus Martyrum ad Ec-
„ cleſias progreſſuri, Reliquias collo ſuo im-
„ ponant &c. -- *Et diſt.* 1. *cap. Corpora*, *de
conſecratione* prohibetur translatio.

Argumentum firmat veritatem Catholi-
cam. Interdicitur namque non delatio, ſed
modus. Deferebant Reliquias Epiſcopi -- Ut
„ majoris faſtus apud homines gloria intu-
„ meſcant, quaſi ipſi ſint Reliquiarum Ar-
„ ca -- In eo porro faſtus apparebat, quod a
Diaconibus in ſella Epiſcopi vehebantur; &
ideo Concilium ſtatuit, ut portentur a Le-
vitis, quorum munus eſt -- Quod ſi Epiſco-
„ pus Reliquias deportare elegerit, non ipſe
„ a Diaconibus in ſellula vehatur, ſed po-
„ tius pediſſequa una cum populis progreſ-
„ ſione procedente ad conventicula Sancta-
„ rum Reliquiarum, Sanctæ Dei Reliquiæ
„ per eundem Epiſcopum deportabuntur --
Canon poſtea cit. *de conſecratione* vetat tran-
ſlationem factam ſine licentia Epiſcopi: quod
factum eſt juſtis de cauſis, ne pii furti dare-
tur occaſio, ne translatio ſine decore fiat,
ne in locum inconvenientem deportentur, &
propter ſimilia motiva. Ex quo decreto male
intulit Angelus in ſumma verbo *Reliquia* li-
citum non eſſe collo appenſas a privatis per-
ſonis portari: nam ſi abſit vanitas in modo
ferendi &c. ſuperſtitio in qualitate vaſis,
omnino licet ex fiducia in Deum, & Sancto-
rum patrocinium, quorum Reliquiæ ſunt,
ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *ad* 3.

Breviter nunc explicandum eſt, qualis
adoratio debeatur Reliquiis, conditionata,
an abſoluta, an ſeparata a prototypo. Diffi-
cultas primi eſt, quia accidit non raro, quod
proponatur non Reliquia pro Reliquia, cum

Qua adoratio debeatur Reliquiis.

notum ſit in pluribus locis eamdem Reliqniam prædicari. Cui reſponden adorationem non debere eſſe conditionatam: quia Eccleſia diligentiam adhibet in Reliquiis exponendis, & non niſi ab Epiſcopis bene probatæ cultui objiciuntur; ſuntque de hoc ſeveriſſima decreta: quapropter habemus moralem certitudinem de veritate, quod ſufficit pro actu Religionis, ſicut hac ducti adoramus Hoſtiam, quæ tamen poteſt non eſſe conſecrata. Illa porro varietas (orta vel ex tranſlationibus iteratis ejuſdem Reliquiæ, & ubi ſemel fuit, retenta eſt fama, vel ratione multiplicatarum particularum, ex qua dicitur Brachium, Crus, Caput adeſſe, cum ſola particula adſit) de materiali eſt, formaliter enim honor dirigitur in perſonam, cujus hæc Reliquia eſſe apprehenditur.

Quoad ſecundum difficultas in eo verſatur, qood adoratio videtur eſſe perſonæ intellectualis, qualia non eſt Reliqnia. Cui de facili reſpondeo dupliciter poſſe honorari, & adorari Reliquiam. Primo modo, ita quod motus non terminet ad Reliquiam, ſed ad præſentiam Reliquiæ adoretur Sanctus, quo modo ſæpe Paula adorabat Præſepe Domini, fide præſentem faciens parvulum Jeſum, quem non raro etiam oculis cernebat: & quo leniu explicari poſſunt relata *Act.* 7. Synodi Nicænæ II. ex Leontio -- Quemadmodum filii pe-„ regrinante Patre ingenti amore ex animo „ erga eum affecti, quidquid in illius domo „ viderint, five ſedem, cum lachrymis am-„ pleantur, non illa honorantes, ſed Pa-„ trem deſiderantes, & venerantes, ſic nos „ Chriſtum, & reliquos Sanctos colimus -- Secundo modo, ita quod motus per ſe terminet ad Reliqniam, & tunc in proprietate adoratur Reliquia, & ita eſt, loquendo de oſſibus, carne &c. Quia ubi eſt vera ratio terminandi cultum, ibi vere terminat cultus, ſed in his Reliquiis eſt vera ratio terminandi cultum Sacrum; ergo. Min. explicatur. Hec oſſa fuerunt ſecundario Templa Sancti Spiritus, organa gratiæ operantis, inſtrumenta conjuncta executiva virtutum, ſubjecta virtutum ſupernaturalium, cum plurimæ virtutes etiam infuſæ ſubjectentur in appetitu ſenſitivo, qui eſt corporeus: ex his porro remanent in determinatione, & ſigillatione ſanctificata: quare ibi eſt ratio terminandi adorationem.

228 DICES. Non eſt adorabilis pars corporis futuri viri Sancti; ergo nec præteriti; ad *nunc* enim ita ſe habet præteritum, ac futurum.

RESP. Neg. conſeq. Diſparitas in aperto eſt; quia quod eſt futurum, nunquam extitit, unde nullum effectum poſt ſe, vel ante ſe habere poteſt, ſecus præteritum, quod remanere poteſt in aliquo ſui. Ignis, qui nondum fuit, nihil nunc operatur circa aquam; qui tamen fuit, & non eſt, operatur medio calore relicto. Adde, quod ſervus Abraham adoravit femur ejus, ex quo Chriſtus erat oriturus: & S. Vincentius Ferrerius quemdam nulla tunc ſanctitatis ſigna præſeferentem, quoties occurrebat, venerabatur; præſciverat enim illum pro Chriſto Martyrium ſubiturum. Sanctitatis hujus non eſt incongruum argumentum dos quædam miraculoſa permanens in Reliquiis, ut perpetua incorruptio, odor ſuperioris ordinis, liquoris emanatio &c. Quia tamen membra Sanctorum ſecundario fuerunt Templa Sancti Spiritus, ideo eorum Sanctitas eſt diminuta, ac proinde ad ſalvandam proportionem, ſolum actum ſecundarium adorationis Dulíæ terminant Reliquiæ.

Igitur idem habitus, qui elicit primarium actum erga perſonam Sanctam, elicit ſecundarium circa Reliquiam. Jam notum eſt, eumdem habitum poſſe elicere actus primarios circa unum objectum, & ſecundarios circa aliud; & cum habitus nunquam exeat in actum ſecundarium, niſi ſub habitudine ſaltem radicali ad actum primarium ſequitur adorationem Reliquiarum ſemper involvere reſpectum aliquem ſaltem radicaliter ad perſonam, ea proportionali ratione, qua bonitas mediorum terminat electionem, ſed ſemper cum habitudine ad finem. Et ita eſſe debet, tum quia corpus coadorabatur propter animam, quando erat conjunctum, tum quia corpus non fuit niſi ratione animæ Templum Sancti Spiritus, tum quia ex ſuo conceptu adoratio tendit ad perſonam intellectualem: unde hic reſpectus non poteſt abeſſe, quoties adoratur aliquod inanime.

Aliæ verò Reliquiæ, ut veſtes, flagella, aliaque ſimilia inſtrumenta, quæ peculiariter deſervierunt Viris Sanctis, quæ pariter fuerunt in uſu apud antiquitatem; & ut cetera omittam, Cathedra Sancti Jacobi fuit in maxima veneratione apud primos fideles, ut refert Euſebius *lib.* 7. *cap.* 14., & Deus hæc pariter miraculis honorat, cum non habeant ſanctitatem intrinſecam, ſed pure extrinſecam ratione contactus, non terminant actum adorationis abſolutum, nec omnino ejuſdem perfectionis, ſed multo magis reſpectivum, & inferioris rationis; & poſſumus dicere inter actus ſecundarios ultimum locum habere in habitu Dulíæ: niſi velimus dicere tantum reductive ad Dulíam pertinere; ſubſtantialiter autem eſſe venerationem Sacram ordinis inferioris.

Ex his habes, Præputium Domini noſtri, & particulas ſanguinis naturalis ejuſdem, ſi quæ ſunt, adorabiles eſſe actu ſecundario proprie dicto Latríæ; quia fuerunt intrinſece unita aliquando Verbo Divino: quod pariter eſſet dicendum de Humanitate, ſi dimitteretur, ſumpta hæc ut Reliquia. Flagella autem, ſpinæ &c., & ſanguis nutrimentalis, actu inferiori Latríæ inter ſecundarios ſunt adoranda; quia ſolo contactu fuerunt dignificata; quamvis ſanguis nutrimentalis mereatur aliquid majus propter aliquam majorem unionem. Sanguis effuſus miraculoſe ab imaginibus, ſolum eſt adorabilis, ut ſignum repræſentativum Sanguinis Chriſti. Inſtrumenta Sacra, quæ tangunt ſpecies Sacramentales immediate, vel ſatis proxime, ſunt veneranda, proportionaliter.

§ § §
§ §

CON-

CONTROVERSIA XIII.

AN IN LEGE VETERI OMNIS USUS IMAGINIS ESSET PROHIBITUS.

PLurimam lucem graviſſimæ Controverſiæ de cultu Imaginum affert præſens reſolutio: ad cujus intelligentiam placet ſummatim quædam de Imagine, & Idolo præmittere.

229 I. Imago ab *Imitando* dicitur, ideſt, eſt *imitago* rei, quam repræſentat & ideo in Græco vocabulum deſumpſit a verbo *iko*, quod ſignificat aſſimilo: quare Angelicus 1. *p. quæſt.* 93. *art.* 9. -- Dicimus enim Imaginem alicu-

Imago deſcribitur.

„ jus eſſe ſimilem, vel non ſimilem ei, cujus „ eſt Imago, in quantum perfecte, vel imperfecte repræſentat ipſum -- Aug. *lib.* 83. *quæſt.* 74. eam definit -- Similitudo in ſpecie, „ vel in ſigno ſpeciei, producta ab eo, cu- „ jus eſt ſimilitudo -- Dicitur *in ſpecie*; quia aſſimilatio in ſolo gradu generico non facit Imaginem: qua ratione vermes orti ex homine non ſunt Imago. Dicitur *producta ab eo &c.* vel in genere efficienti, quo filius eſt Imago Patris, vel in genere objectivo, quo ſpecies eſt Imago objecti, vel in genere cauſæ exemplaria, quo pictura eſt Imago prototypi. Alio nomine Græco *Eikon*, ſeu *Icon* denominatur Imago: quod latine Statuam dicimus, unde Imaginum Sacrarum hoſtes Hæretici nomen habuerunt *Iconomachorum*.

Imaginum uſus celebris fuit apud veteres, qui Majorum Imagines ſuſpendere ſolebant in atriis, ut ex Juvenal. *Satyra* 8. habetur, & Imaginum multitudine, & vetuſtate generis nobilitatem metiebantur, & quo nigriores, ratione antiquitatis, erant honoratiores. *Subita* aliæ appellabantur in ſignum recentis nobilitatis. In magno pretio erant, quæ propter antiquitatem erant truncæ.

A principio jus Imaginum iis tantummodo, qui de Magiſtratu erant, concedebatur, & qui tale jus fuerant conſecuti, putabant ſe maximum obtinuiſſe privilegium. Poſterioribus ſeculis Imaginibus gentilitia ſtemmata ſubintraverunt: Ponebantur, ex Valerio Maximo *lib.* 5. *cap.* 8. in atriis domorum, ut defunctorum deſiderium lenirent, tum ut Poſteri domi, foriſque excitarentur ad præclara facinora, & illi vere nobiles, qui virtute ſimiles erant: unde Cicero carpit Piſonem multitudine fumoſarum Imaginum commendatum, quibus nihil ſimile habebat præter colorem. In his Imaginibus res geſtæ ab iis, quos repræſentabant, inſcribebantur.

Inter Imagines reponebantur ſpolia devictorum, enſes, ſcuta, & ſimilia, quæ quo vetuſtiora, eo majoris æſtimationis: propter quod vetuſtate conſumpta non reficiebantur. In exequiis Imagines gentilitiæ circumferebantur, & in funeribus Principum præter gentilitias, aliorum virorum, & Matronarum deferebantur, ut Plinius *lib.* 35. *cap.* 2. aſſerit. Nec ſolum defunctis, ſed etiam vivis robore, & virtute excellentibus, erigebantur, ut celebrioribus in ludis Olympiacis, liberalium artium Magiſtris, Oratoribus &c.

A In Bibliotheca etiam clarorum eruditione Virorum Imagines collocabantur. Harum Imaginum conſuetudo ex ſua natura erat indifferens, immo bona ex fine eximulandi poſteros ad æmulanda præclara doctrinæ, fortitudinis, virtutiſque geſta.

Erat aliarum Imaginum uſus omnino malus Sagarum, quæ cereas eorum, quos odio habebant, Imagines formatas acubus pungebant, totidem mala illis imprecantes. Amatoriæ frequenter fiebant, vel in ſignum amoris, vel ad amorem excitandum, quarum aliæ ſponſas inter ubera ſponſi repræſentabant; aliæ candenti ferro in propria carne ſculpebantur; aliæ in anulis expreſſæ deferebantur.

B De primo Inventore Imaginum multiplex, & diſcrepans auctorum opinio extat. Unum videtur eſſe certum, Romanos apud Plutarchum. Imaginum uſum ſuſcepiſſe a Græcia, Græcos vero apud Herodotum *lib.* 19. *cap.* 16. ab Ægyptiis. Iſidorus Ægyptios primos picturæ ponit inventores, qui ex umbra corporis didicerunt illud lineis exprimere: deinde coloribus perficere. Plinius *lib.* 35. *cap.* 3. magis in particulari deſcendens. Pirionem Ægyptium ſtatuit primum pictorem. Duphapem autem Sicyonium primum ſtatuarium figulum ex Argilla: & occaſio fuit. Corinthia filia ipſius capta erat amore cujuſ-

C dam Juvenis, quo abeunte peregre, lineis formavit umbram ejus vultus ad lucernam in pariete, & Pater ex Argilla efformatum delineamentum in fornace cum ceteris lapidibus induravit.

Alii tamen apud Hugonem 4. Geneſ. altius radicem agnoſcunt, & volunt Enos primum Imaginum auctorem; & ideo de eo dicitur: *Cœpit invocare nomen Domini*. Apud D. Thom. 4. Geneſ., & alios Tubalcain ponitur fuſilium ſtatuarum ex metallo inventor: *Et ideo dicitur faber in cuncta opera æris, & ferri*. Cum enim igne ſucceſſo in paſcuis liqueſcerent venæ metalli, & figuras in loco,

D per quem defluxerant, reliquiſſent. Igne extincto animadvertit metalla poſſe diverſas figuras recipere. Epiphanius *in initio lib. de hæreſibus* Sagur primum pictorem, & Thare ſtatuarium ex Argilla facit.

230 II. Nomen Idoli ſignificare umbram, ut ex Ariſtarcho, & Theodoro refert Heſichius *in ſuo Dictionario*. Euſtathius *in* 2. *Odiſs.* addit -- Idolum accipi ſolere pro um- „ bra, & ſpectro, omnique re, quamvis ap- „ pareat, nihil ſit -- Unde Idolum nil aliud eſt, quam imago inanis, & mendax; ideoque Paulus ad Corinth. 4. ait: *Idolum nihil eſſe*. Ad quod pariter deſignandum Scriptura

E Sacra nomine ſimulacri Idolum appellat, quod a ſimulando dicitur, quapropter non eſt niſi ficta imago. Ab Idolo Idolothyta, & Idolium dicitur. Idolothyta ſunt Diis immolata, vinum, panis, caro &c. idolium apud Eraſmum ſignificat epulum Idolorum, apud Cornelium a Lapide *in cap.* 8. *prioris ad Corinthios* menſam Idolis conſecratam, ſed verius eſt, ſignificare locum, in quo Idolum colitur.

Duplex porro Idololatriæ ſpecies fuit. Prima ſubtilior, ſecunda craſſior; ſubtilem dicimus, quam deſcribit Scriptura Sap. 13.

eorum, qui colebant Aerem, Solem, Stellas &c. Cujus duplex cauſa erroris fuit, ignorantia ſcilicet Dei, ad cujus cognitionem non aſcenderunt per creaturas, pulchritudo, & utilitas earum, qua inductæ gentes ea colenda duxerunt. Deinde cœperunt corpora hæc, hominum nominibus appellare; unde *Thetim* Aquam, *Cererem* Terram, *Phœbum* Solem &c. dicere; cujus occaſio fuerunt Poetarum fabulæ, & encomia laudum, quibus fuerunt celebrati viri excellentes, comparati Aſtris, Soli &c., & inde ortum eſt, ut Stellæ creditæ ſint homines, & in Stellis ſint homines adorati velut Dii. Nec mortui tantum, ſed & vivi inter Deos fuere repoſiti, creſcente ſuperbia; & apud Græcos in Olympicis victor, Deorum Choro adſcribebatur &c. Sic D. Auguſt. *de Civit. lib.* 4. *cap.* 10., & 11.

Species altera Idololatriæ craſſior eſt, quam deſcribit Scriptura Sap. 14. v. 15. fuit in ſtatuis, & imaginibus, non ſolum hominum, ſed & animalium, In quibus Divini honores Dæmonibus dabantur. Hujus Idololatriæ duplex aſſignatur cauſa: Prima inordinata affectio hominum erga alios, quorum memoriam conſervaturi, imagines expreſſerunt, quas ut Numina poſtea ſunt venerati: Secunda, Dæmonum ſuperbia, qui in Idolis dantes reſponſa, & mirabilia operantes, populos deceperunt, & ſacrificia extorquere cœperunt. Qualia fuerint ſacrificiorum genera, non vacat expendere; tot enim enumerantur, ut mentem obruant. Apud Ægyptios dicuntur fuiſſe ſexcenta ſex genera, & totidem apud Romanos, & Græcos; ſingulis namque Diis ſua ſacra erant inſtituta.

Initium Idololatriæ non omnes in idem tempus referunt. Protoparentibus tribuunt quidam Idololatriam, propter quod ejecti fuerunt e Paradiſo. Alii ab Enos primum faciunt Idololatriæ tempus. Alii ad ſeptimum filium Enoch ab Adam referunt. Verior tamen Patrum ſententia tenet ante diluvium nullam fuiſſe Idololatriam, eo ducti, quod in Scriptura dicatur unum labium fuiſſe, adeoque unum cultum. Occaſione poſtea ædificationis turris inducta eſt. Diverſis linguis diviſa eſt affectio, & filii a parentibus in fide inſtructi, varietate ſermonis impulſi, ad varietatem Religionis tranſierunt, & ſuperinducta ignorantia Dei, movente Cœlorum pulchritudine, Sideribus cultum dederunt. Hine Sapiens deſcribens progreſſum Idololatriæ cap. 13. mentionem facit ſubtilioris, & 14. craſſioris. Communiori opinione creditur ignem primum adoratum fuiſſe, qui Sapientiæ 13. prior ponitur adoratus ante Solem. Nembrot quoque primus Idololatra veroſimilius tenetur. Decurſu poſtea temporis craſſior eſt inducta ex affectu inordinato circa defunctos. Qui de his plura, & erudite cupit, videat præludium primum Iſagoge in Sacram Scripturam P. F. Antonii a Matre Dei, *digreſſione quinta de origine Idololatriæ*.

231 III. Ex prædictis patet diſcrimen Idolum inter, & Imaginem: Idolum dicit fictionem, & errorem: unde Tertullianus *lib. de Idololatria cap.* 4. ait -- Idola eſſe ima-
„ gines illarum rerum, quas colit humanus

Diſcrimen Idolum inter, & imaginem.

„ error -- Imago verò nihil falſitatis admi-
A ſcet: correſpondent enim vera exemplaria ſecundum eam rationem, qua repræſentantur, & ideo vera Imago dicit relationem ad ſuum prototypum exiſtens, qua caret Idolum, cui non correſpondet quidquam exiſtens; adeoque deficit a veritate Imaginis; & quamvis Aſtra, Sol, & cetera ſimilia adorata ſint entia realia, tamen ſecundum quod pro Diis habentur, nihil ſunt. Idololatriam ſemper fuiſſe prohibitam, nulli dubium eſt; lex enim ipſa naturalis eam ſacrilegam demonſtrat. Quare de Imaginibus eſt peculiaris difficultas, an in lege veteri aliquod fuerit præceptum illas prohibens.

B Dico. Non eſt invenire præceptum ſpeciale in lege veteri prohibens omne genus Imaginum.

232 PROB. I. Si quod datum eſt præceptum ſpeciale prohibens imagines; maxime continetur in primo præcepto Decalogi, Exodi 20. v. 4., ubi dicitur: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem; quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra*: ſed in hoc præcepto vetatur ſola imagó adoranda pro Deo; ergo non prohibetur omne genus imaginum. Min. explicatur. Materia contenta ſub lege explicatur per finem, & cauſalem legis: ſed finis, & cauſalis legis hu-
C jus eſt, ut honor Divinus non detur alteri a vero Deo; ergo. Min. oſtenditur ex contextu. I. ad hoc præceptum præmittitur, v. 2. *Ego ſum Deus tuus qui eduxit te de terra Ægypti*: Deinde ſubditur v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile &c.* His clare conſtat Idololatriam prohiberi. II. ex ſequentibus, v. 5. *Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Deus tuus fortis, Zelotes &c.* Quæ cauſalis manifeſte indicat ſculptile prohiberi, ne adoretur ut Deus. III. v. 23. fit reperita explicatio prohibitionis: *Non facietis Deos argenteos; nec Deos aureos facietis vobis*:
D Ecce quale ſculptile eſt prohibitum. IV Levit. 26. v. 1. *Ego Dominus Deus veſter; non facietis vobis Idolum, & ſculptile; nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum; ego enim ſum Dominus Deus veſter*. Ubi patet prohiberi ſculptile adorandum Divino cultu, quo Deus ſolus eſt adorabilis. V. Deuteron. 6., ubi præcepta Decalogi replicantur, de primo dicitur v 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt; quoniam Deus æmulator; Dominus Deus tuus in medio tui*. Ecce idem
E eſt, *Non facies tibi ſculptile*: & *Non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentium*, idololatria ergo verſatur; quod & illa cauſalis: *Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus* idem optime explicat. Sub qua pariter cauſali ſine æquivocatione totum demonſtratur Iſaiæ 42. v. 8. *Ego Dominus; hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*. Abſque dubio igitur prohibetur ſola Imago ut Deus adoranda.

Honor divinus alteri non eſt impertiendus.

233 Invicto huic argumento ſolum poſſet reſponderi illud præceptum primum eſſe naturale quoad poſitivum, & ceremoniale

quoad

quoad negativum, ſcillcet, ut ſculptile prohibet: quare argumentum propoſitum non concludit.

RESP. Unum, & idem eſt præceptum Decalogi prohibens ſculptile, & præcipiens adorationem Dei unius, quod, præter dicta in primo argumento, conſtat I. Quia ubi vulgata noſtra legit, *Sculptile*: Septuaginta vertunt, & legunt, *Idolum*; ſed Idolum eſt ſimulacrum, cui offertur cultus Divinus; ergo prohibetur ſculptile Idololatricum, ſed Idololatriæ prohibitio ſine dubio ſpectat ad primum præceptum Decalogi qua naturale; ergo *Non facies tibi ſculptile* non eſt præceptum ceremoniale; ergo non vetatur imago ut ſic.

II. Paſſim in Scriptura Dii alieni appellantur ſculptilia. Pro nunc ſufficiat locus Iſaiæ 44. v. 10. *Quis formavit Deum, & ſculptile conflavit ad nihil utile?* Et v. 15. *De reliquo autem* (ideſt de Pino) *operatus eſt Deum, & adoravit: fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud*. Et v. 17. *Reliquum ejus Deum fecit, & ſculptile ſibi: curvatur ante illud, & adorat illud*, ſed certo certius primo præcepto naturali prohibetur cultus Deorum alienorum; ergo eodem præcepto prohibetur ſculptile, quod eſt Deus alienus.

III. Primo præcepto naturali prohibetur omnis ſpecies Idololatriæ, ut patet, & hæc perfecta prohibitio erat neceſſaria populo valde prono ad Idololatriam, propter quam cauſam etiam præ ceteris præceptis hoc Deus frequenter replicat, ſed duplex erat ſpecies Idololatriæ, eorum una, qui colebant falſos Deos ſine ſimulacris, quod aliquando obſervaverunt Romani, & altera eorum, qui adorabant ſimulacra falſa Deitatis; & utriuſque ſpeciei mentio ſit Sapientiæ 13., & 14., & alibi in Scriptura; ergo ſicut in illis verbis: *Non habebis Deos alienos*, prohibetur prima ſpecies: ita illis: *Non facies tibi ſculptile*, prohibetur ſecunda ſpecies; ac proinde quo ad omnem partem primum præceptum eſt naturale. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 142. *artic.* 2. *ad* 2.

IV. Patres ſentiunt in præceptis Decalogi præter ſabbatum nihil ceremoniale contineri. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 31., & 32. Tertullianus *lib. de Idololatria*, quaſi per totum. Cyprianus *lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 59. Auguſt. *lib.* 15. *contra Fauſtum cap.* 4., & 7. Et *lib.* 19. *cap.* 18. *lib.* 3. *contra* 2. *epiſt. Pelag. cap.* 4. *Quæſt.* 71. *in Exodum*, ubi hæc -- Quod
„ dictum eſt; non erunt tibi Dii alieni præ-
„ ter me; hoc ipſum perfectius explicatur,
„ cum prohibentur colenda figmenta &c. --
Item -- Non erunt tibi Dii alieni præter me.
„ Appatet hujus rei diligentiorem executio-
„ nem eſſe in iis, quæ ſubjecta ſunt. Quo
„ enim pertinent? Non facies tibi idolum,
„ neque ullum ſimulacrum: quæcunque in
„ Cœlo ſunt ſurſum, & quæcunque in terra
„ deorium, & quæcunque in aqua ſub terra.
„ Non adorabis ea, neque ſervies illis? Niſi
„ ad id, quod dictum eſt: Non erunt tibi
„ Dii alieni præter me --

234 PROB. II. Non poteſt eſſe prohibitum, quod Deus ipſe præcipit, & quod factum ei non diſplicet, ſed Deus præcepit in lege veteri aliquod genus Imaginum; ergo. Min. explicatur. Exodi 25. v. 18. habemus: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi*. En præceptæ imagines Angelorum. Num. 21. v. 8. *Fac Serpentem Æneum, & pone eum pro ſigno*. En aliud ſculptile præceptum, Exodi 31., & 35. v. 31. *Implevitque eum* (Beſeleel) *Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina, ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinveniri poteſt &c.* Et idem dicitur de Ooliab, circa opera abietarii, polymitarii, ac plumarii: & totum hoc in ordine ad ornandum Tabernaculum. En alia ſculptilia non prohibita 3. Reg. Salomon c. 6. v. 23. *Fecit in oraculo duos Cherubim*, v. 35. *Sculpſit Cherubim*. Cap. 7. v. 23. *Fecit quoque mare fuſile &c. Et ſculptura ſubter labium*, ver. 29. *Et inter coronulas, & plectas Leones, & Boves, & Cherubim &c. Et ſubter Leones, & Boves &c.* Sed hæc Deo non diſplicuerunt; immo approbavit opus illud Dominus, Majeſtate ſua implens Templum; ergo non fecit Salomon prohibita. Ezechieli pariter in ſpiritu repræſentata eſt reædificatio Templi ornati variis figuris ad conſolationem populi Iſraelitarum degentium ſub captivitate: & ſpecialiter cap. 41. v. 18., & 19. *Et fabrefacta Cherubim, & palmæ: & palma inter Cherub, & Cherub; duaſque facies habebat Cherub: Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem Leonis juxta palmam ex alia parte*.

Sculptile a Deo præceptum.

235 DICES cum Chaterino Deum uſum diſpenſatione primi præcepti, ſicut prohibuit furtum, & tamen juſſit Hebræis ſpoliare Ægyptios.

RESP. I. Quidquid prohibetur præceptis Decalogi, quæ ſunt juris naturalis, prohibetur quia malum, ſed quod prohibetur quia malum, non poteſt præcipi a Deo; ergo cum Deus hæc præceperit, non erant prohibita quia mala; ergo Deus non diſpenſavit: II. Non habet locum diſpenſatio, ubi fortius urget ratio prohibitionis, ſed in his caſibus urgebat fortior ratio prohibitionis; nam cauſa, qua dicunt adverſarii primo præcepto prohibita ſculptilia, erat periculum Idololatriæ, ſed diſpenſatione augebatur hoc periculum; quia auctoritas diſpenſantis majorem venerationem conciliabat illis figuris: locus ipſe, qui Sacer erat: finis, ut Deus de medio Cherubim loqueretur: & in Æneo Serpente ut ſanarentur infirmi: hæc graviter impellerent ad Idololatriam; ergo urgebat fortius motivum prohibitionis.

Nullam demum interfuiſſe diſpenſationem evincit ordo, quo Deus tradidit præcepta. Dedit prius naturalia, & Decalogi; deinde legalia ceremonialia. Inter hæc ſecunda continetur juſſio faciendi Cherub: adeoque credendum eſt, eſſe unum ex ceremonialibus: non autem diſpenſativum prioris, vel ad ſummum dicendum erit, eſſe explicativum prioris; ac proinde habemus, in illo ſolum ſculptile Idololatricum fuiſſe prohibitum. Exemplum de furto non valet; non enim Deus diſpenſavit in furto, ſed in pœ-

pœnam

nam Ægyptiorum Dominus tranſtulit dominium vaſorum in Hebræos.

236 DICES cum Vaſquez 3. *part. diſp.* 94. *cap.* 6. *n.* 31., & 32. in lege veteri fuiſſe prohibitum uſum Imaginum ad adorandum, non autem abſolute; & ideo Cherub, qui juſſu Dei ſculpti erant, non erant fabricati modo accomodato pro cultu, ſed ad ornatum: apponebantur enim ut appendia Tabernaculi.

Sed hoc non ſubſiſtit. I. Quia nunc ſufficit nobis oſtendere in lege veteri non fuiſſe prohibitum omnem uſum Imaginum, præſcindendo ab adoratione. II. Licet huic Doctori præceptum de non faciendo ſculptili cujuslibet generis limitare ad caſum adorationis; ergo licebit nobis æquo jure limitare idem præceptum ad caſum adorationis Latriæ Idololatricæ. III. Ideo limitatio facta eſt ad caſum adorationis, quia Cherub non erant accomodati pro cultu, ſed Serpens Æneus erat valde accomodatus; tum quia per ſe ſtabat, & non velut appendix alterius; tum quia ad ejus aſpectum cauſabantur admirabiles ſanitates, adeoque honorabatur quaſi participium Divinæ Omnipotentiæ; tum quia erat figura excellentiſſimi prototypi, Chriſti videlicet, quod ſaltem Majoribus debebat eſſe notum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

JUdæi poſt Chriſti adventum tenent in lege veteri prohibitum eſſe omnem uſum Imaginum. Sic apud Paulum Burgenſem *additione* 2. *ad Lyranum*: *cap.* 20. *Exodi*. Idem tenuerunt Wiclephiſtæ apud *Vvaldenſem tom.* 3. *tit.* 19. *c.* 152. Dallæus *in lib. de Imaginibus* cum aliis Calviniſtis, quorum potiſſimum argumentum deſumitur ex textu c. 20. Exodi: *Non facies tibi ſculptile*. Sed de hoc ſatis ſuperius.

237 OBJIC. I. Scriptura eſt admittenda in eo ſenſu, in quo Patres eam ſunt interpretati, ſed iſti diſerte teſtantur primo præcepto Decalogi prohibitum eſſe quodcunque genus Imaginis; ergo. Min. probatur. Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromatum* comparans cum dicto quodam Pitagoræ Moyſis edictum habet -- Moyſes multis ante ſeculis
„ aperte legem ſanxit, nullam oportere ſculptilem, vel fuſilem, vel fictam, vel pictam Imaginem, ſimulacrumque facere,
„ ut ſenſibilia minime attenderemus, ſed ad
„ ea tranſiremus, quæ percipiuntur, intelligentia -- Sentit ergo omnem Imaginem eſſe vetitam. Dallæus *cap.* 6. *lib. de Imag.*

RESP. Clemens de ſolis ſuperſtitioſis loquitur, ut contextus facile indicat; præmittit enim ad citata -- Rurſus autem non
„ eſſe geſtandos anulos, neque Deorum Imagines eſſe eis inſculpendas, ſicut Moyſes &c. -- Quibus patet dictum limitari ad ſculptile Idololatricum, quod & oſtendit ſequentibus -- Ut Dei enim Majeſtas, & vilis
„ reddatur, efficit quæ eſt in promptu videndi ſimilitudo &c. Quo circa Ægyptio-
„ rum quoque Sacerdotum ſapientiſſimi, Minervæ Ædem ſub dio eſſe conſtituerunt, ut
„ Hebræi, qui Templum poſuerunt abſque
„ ſimulacro. Sunt autem qui Deum colentes, facta Cœli effigie, quæ aſtra continet, eam adorant -- Quibus iterum limitatur Imago ad eam, quæ adoratur ut Deus.

DICES. Factores Imaginum comparat furibus, qui aliena rapiunt *lib.* 6. *Stromatum* -- Ita qui Divina opera ſibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem, & dicens,
„ ſe eſſe effectorem planetarum, & animalium; & ſimiliter, qui veram imitantur
„ philoſophiam, fures ſunt -- ſed niſi ſentiret eſſe prohibitum omne ſculptile, hæc non poſſet aſſerere; ergo &c.

RESP. Ibi non damnat pingendi artem, ſed ſuperbiam eorum, qui gloriabantur ſe eſſe primos auctores: hi enim fures ſunt, quatenus ſibi attribuunt, quod eſt proprium divinæ Omnipotentiæ omnia operantis, & utentis creaturis ut miniſtris -- Qui ergo dixerit, ſe aliquid excogitaſſe, vel feciſſe
„ ea iis, quæ pertinent ad creationem, impii, & nefarii incœpti dabit pœnas. Nam
„ generali, & univerſa Dei providentia,
„ per ea, quæ moventur propinquius per
„ ſubmiſſionem tranſmittitur ad ſingularia
„ efficax operatio -- En aperta mens Clementis.

INSTABIS. *In Protreptico* habet -- Nobis enim aperte vetitum eſt, artem fallacem exercere: Non facies enim, inquit
„ Propheta, cujuſvis rei ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in Cœlo, & quæcunque
„ ſunt in terra infra -- ergo abſolute cenſet prohibitam omnem Imaginem.

RESP. Nego conſeq. Loquitur expreſſe de ſolis Idololatricis, ut antecedentia teſtantur, quibus vocat beatos illos, qui ex ſententia Sibillæ, negabunt Templa Divorum, & ſimulacra Cæſarum, quadrupedum, & bipedum: cujus verſibus recitatis ſubdit ea; *Nobis enim &c.* Teſtantur & ſequentia, quibus aſſerit, quod Deos æſtimaremus Cererem, Proſerpinam &c. ſubdens -- Sed vos
„ quidem, ut Statua fabricetur pulcherrima,
„ valde adlaboratis: ne autem propter inſenſibilitatem efficiamini Statuis ſimiles, non
„ curatis -- Ceterum *lib.* 6. *Stromatum* clare fatetur ſculptile eſſe vetitum, Idololatrice uſurpatum: ubi de præcepto primo Decalogi ait -- Oſtendit, unum ſolum Deum eſſe omnipotentem, qui populum tranſtulit ex
„ Ægypto &c. ab eorum autem, quæ ſunt
„ genita, abſtinerent Idololatria; omnem
„ ſpem habentes in Deum, qui eſt ex veritate -- Ibid. ponit eſſe adulterium ad ſimulacra Deorum tranſire. Clementis ergo auctoritas noſtram confirmat, non infirmat doctrinam.

238 OBJIC. II. Tertullianus primo præcepto docet prohibitam eſſe quamcunque, & quomodocunque exercitam Imaginem; id enim clare ſonat locus *cap.* 23. *lib. de Spectaculis* -- Jam verò ipſum opus perſonarum
„ quæro: An Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis Imaginis ſuæ? -- Dallæus ibidem hæc replicat.

RESP. Tertullianus Idololatricas, & falſas

Digitized by Google

falſas Imagines reprobat, ut antecedentia demonſtrant -- An Deo placebit auriga ille, „ tot animarum inquietator, tot furiarum miniſter, tot Statuarum velut Sacerdos coronatus, vel coloratus ut leno? &c. quem curru rapiendus diabolus adverſus Eliam exornavit: placebit ne? &c. -- Proſequiturque eleganti diſcurſu enumerare Deos a Poetis confictos, & ſubdit citata verba: quare mens ejus non fertur in quaſcunque Imagines. Et clarius patet ea connexione eorum, quæ dicit in eo libro. Totus enim eſt, ut oſtendat eſſe Idololatriâ plenum omnem ſpectaculorum apparatum. Cap. 4. oſtendit, utriuſque communem eſſe cauſam, communes titulos: pompam Circi eſſe ea Imaginum agmine, præcedentibus Sacrificiis. Cap. 7. artem equeſtrem ludis contaminatam, quia Caſtori, Polluci, & Neptuno deputatam. Cap. 9. artes ſcenicas deturpatas, immolatione Veneri, Minervæ, Apollini &c. delata. Pari paſſu proſequitur circa alia genera cap. 10. 11., & 12. Quibus conſtat, mentem Tertulliani eſſe ſuadere Chriſtianis, ut fugiant ludos, comœdias, quia hæc plena ſunt idololatriâ. Quare verbis ab Adverſario citatis aliud nequit intelligere, niſi Idololatricas Imagines.

DICES. *Lib. de Idololatria cap.* 3. ait „ Diabolum ſeculo intuliſſe artifices Statuarum, & Imaginum, & omnis generis ſimulacrorum -- Et *cap.* 4. Toti mundo ejuſmodi artes interdixit (Deus) ſervisque ſuis -- ſed niſi eſſet prohibitum omne genus Imaginum, non eſſet ars a Diabolo inventa, & a Deo proſcripta toti orbi &c.

RESP. Ibi noſtra confirmatur doctrina; ait enim -- Idolum tam fieri, quam coli „ Deus prohibet &c. Propter hanc cauſam, ad eradicandam ſcilicet materiam idololatriæ, lex Divina proclamat: Ne feceris Idolum: & conjungens: Neque ſimilitudinem, quæ in Cœlo ſunt &c. toti mundo ejuſmodi artes interdixit, ſervisque ſuis &c. -- Proſequitur oſtendere imaginum, aliarumque rerum idololatriam; quia Enoch prædixerat Dæmonem omnes res mundi verſurum in idololatriam.

239 INSTABIS. Si de ſola Idololatrica Imagine loqueretur, objicienti Serpentem Æneum, non reſponderet, id factum per diſpenſationem Dei, ut reſpondet *cap.* 5. *de Idololatria*. Rurſus objicienti, quod fame petire deberent Statuarii, ſi non poſſent ſculptilia facere: non reſponderet, mutandam eſſe artem: poſſet enim ſatisfieri mutando artis materiam, efformando alia genera Statuarum: alius ergo finis eſt Tertulliani.

RESP. Neceſſe eſt, vel Tertullianum aliud ſentire in primo exemplo, vel ſibi manifeſte contradicere. Quia *lib.* 2. *contra Marcionem cap.* 22. ad nullam diſpenſationem recurrendo, prorſus id quod nos, afferit -- „ Proinde & ſimilitudinem vetans fieri omnium, quæ in Cœlo, & in terra, & in aquis, oſtendit & cauſas, Idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam prohibentes. Subjicit enim: Non adorabitis ea, nec ſervietis illis; Serpentis autem effigies poſtea præcepta Moyſi a Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui a Serpentibus infeſtabantur; & taceo de figura remedii. Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in Arca figuratum exemplum, certe ſimplex ornamentum accommodata ſuggeſtui, longe diverſas habendo cauſas ab idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur &c. -- Quo nihil melius pro noſtra doctrina; nec aliud revera intendit loco citato de Idololatria, ubi non loquitur de vera diſpenſatione in lege Decalogi, ſed in caſu ſatis periculoſo ad occaſionandam idololatriam, qualis erat illa de Serpente Æneo. Proſequitur poſtea demonſtrare, legem Dei ſola idola prohibuiſſe, & ea facere; quia, inquit -- Potes linguâ negaſſe, quod manu confiteris? Verbo deſtruere, quod facto ſtruis? Unum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falſos facis &c. -- Ad ſecundum; non ideo hoc dicit, quia malum ſit facere Statuas, ſed quia eſt periculum, ne ab hujuſmodi artificibus extorqueantur deſervientia Idolis -- Sint autem communia hominibus ſæpe, quæ & Idolis. Hoc quoque cavere debemus, ne quid ſcientibus nobis ab aliquibus de manibus noſtris in rem Idolorum poſtuletur --

URGEBIS. Si ita eſt: cur *cap.* 1. *lib. contra Hermogenem*, tanquam grave crimen conſtructam picturam objecit.

RESP. Quia cum Hermogenes ſuſcepiſſet Chriſti nomen, adhuc idolorum ſimulacra non ceſſabat pingere -- Præterea pingit „ illicite, nubit aſſidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falſarius & cauterio, & ſtylo: totus adulter, & prædicationis, & carnis -- Reprehendit ergo propter illicitas picturas.

REPLICABIS. Si ita ſentit, cur *lib* 4. *contra Marcionem cap.* 22. ait de Elia, & Moyſe -- Quomodo Moyſem, & Eliam Petrus cognoviſſet, niſi in ſpiritu? Nec enim Imagines eorum, vel Statuas populus habuiſſet, & ſimilitudines, lege prohibente -- Ergo erant prohibitæ omnes imagines.

RESP. Nota fuit Tertulliano cautela Populi Hebraici in frequenti uſu Imaginum exercendo propter pronitatem ad Idololatriam, cujus periculi fugam lex præcipiebat. Porro erat maximum periculum in uſu Imaginum eorum virorum, qui fuerant ſpecialiter participes Divinæ virtutis, ut Elias, & Moyſes; adeoque bene intulit ex Imaginibus Petrum non agnoviſſe eos. Ceterum in eodem loco, ut vidimus, Tertullianus admittit Imagines ſecluſa cauſa Idololatriæ.

240 OBJIC. III. Si licuiſſet Hebræis genus aliquod Imaginum, licuiſſent etiam artifices, ſed hi non licebant, teſte Origene *lib.* 4. *contra Celſum*, ubi de Judæis ſcribit -- „ in Civitatem eorum nullus Pictor admittebatur, nullus Statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, neque occaſio præberetur hominibus craſſis, neque animi eorum a Dei cultu avocarentur ad res terrenas per hujuſmodi illecebras. Habebant enim inter ceteras legem hanc: Nolite impie agere, nec facietis vobis ſculptile in ſimilitudinem, aut Imaginem Maſculi,

„ vel

„ vel Fœminæ ; in ſimilitodinem omnium „ jumentorum , quæ ſunt ſuper terram &c. Ergo cum ex eodem *Hom.* 80. *in Exodum* lex Decalogi vigeat in lege nova, Chriſtiani nullam imaginem habere poſſunt .

Quod de Hebræis dicit Origenes , deſumpſit ex Philone *lib. Quis Divinarum rerum hares. Lib. de Decalogo. Lib. de Legatione ad Cajum . Lib. de Gigantibus*. Ex Joſepho *lib.*8. *Antiquitatum* , qui Salomonem redarguit propter Cherub. *Lib.* 17. *cap.* 8. refert ægre toliſſe Hebræos , quod Herodes Aquilam grandem auream ſuper portam majorem Templi collocaſſet , quam Juvenes conati ſunt projicere . *Lib.* 2. *de Bello Judaico* , refert tumultum factum a populo propter inductam Cæſaris Statuam a Pilato in Templum , quam tandem victus conſtantia Judæorum abſtulit . Sic Dallæus ibidem .

RESP. Conced. maj. Id enim licitum eſt , quod eſt participium Divinæ ſapientiæ ; hæ verò artes ſecundum ſe ſunt participium Divinæ ſapientiæ , ut conſtat aperte ex Sacra Scriptura , quam ſupra citavimus, Exodi 31., & 35. de duobus viris , quos Deus repleviт omni dono artis pro Tabernaculo efformando , & exornando . Et ratio clariſſima eſt ; quia pictura ſecundum ſe ad bonum deſervit, ſicut Scriptura , ut conſervetur memoria præteritorum geſtorum , ut excitetur fervor ad patranda egregia virtutis facinora ; exempla enim magis movent depicta (quia quaſi ſub aſpectu poſita) quam lecta ; ad minorem . Verum eſt , quod aſſerit Origenes , ſed hoc non erat ex lege Divina, de qua eſt quæſtio, ſed de Eccleſiaſtica lata a Synedrio , ſeu a Senatu Synagogæ pro majori obſervantia legis Decalogi . Nulla eſt Reſpublica bene ordinata , in qua non ſint aliquæ leges poſitivæ pro ſolidiori conſervatione , & explicatione præceptorum naturalium , & fundamentalium . Finis hujus legis Eccleſiaſticæ fuit tollere omnem occaſionem labendi in Idololatriam prohibitam a primo Decalogi præcepto , in quam valde erant Hebræi proni ; & exemplo vicinarum gentium, quibus circumdabantur , vehementer impellebantur . Nec tanta præcautio ſufficiens fuit ; ſæpe enim ceciderunt , ſicut pluries teſtatur Scriptura . Soletque lex hæc poſitiva vocari lex Dei ; quia modificat legem Decalogi quo ad eradicationem periculi, & elongationem lapſus in Idololatriam .

Artes ſunt a Divina Sapientia.

Hæc ſentit Origenes ; citatis enim verbis Deuteronomii , ſubdit cauſalem -- Quæ „ lex hoc agebat , ut contenti rerum veritate , caverent ſibi a figmentis mentientibus „ faciem maris, aut ſœminæ , aut pecudum , „ aut avium , reptilium , piſcium imagines „ referentibus . Illud etiam apud eos gravitatis , & generoſitatis plenum : Cave ne „ forte oculis ſublatis ad Cœlum , viſoque „ Sole , Luna , ceteriſque Stellis Cœli , decore eorum deceptus adores , aut colas aliquod ex Siderum numero -- Vides quanta cautela incedebant Hebræi pro tollendis occaſionibus Idololatrandi . Et *Homil.* 8. *citat. in Exodum* , clare diſtinguit inter Idolum , & ſimilitudinem , de primo aſſerit eſſe prohibitionem -- Utrumque ergo reſecat ſermo „ Divinus , ut neque affectu colas , neque „ ſpecie adores --

241 OBJIC. IV. Eadem ratio eſt de Imagine Dei , ac de qualiber alia , ſed Imago Dei erat prohibita ; ergo quælibet alia. Prob. maj. Ideo erat prohibita Imago Dei, ne populus rudis prolaberetur in Idololatriam , ſed hoc periculum erat in uſu cujuslibet Imaginis ; immo proximius erat periculum ; & de facto novimus ex Sacra Scriptura Sap. 14. Idololatriam originem duxiſſe ex eo , quod homines curaverint fieri Imaginem filii mortui , ut ejus recordarentur . Et ſicut vetabatur periculum per hoc , quod inſtruerentur populi , ne Imaginem Cherubim adorarent , ſed Angelos repræſentatos cultu inferiori ad Divinum , ita pariter poterat evitari , inſtruendo populos , ne adorarent Imaginem Dei , ſed Deum ipſum : at hoc non obſtante pro evitando periculo prohibuit ſui Imaginem ; ergo ſimiliter prohibuit ceteras quaſcunque . Min. videtur eſſe Patrum , & traditur a D. Thoma 3. *p. quaſt.* 25. *art.*3. *ad* 2. -- Ipſi autem vero Deo , cum ſit Incorporeus, „ nulla Imago corporalis poterat poni : quia, „ ut Damaſcenus dicit , Inſipientiæ ſummæ „ eſt , & impietatis , figurare quod eſt Di„ vinum --

RESP. In hoc argumento plura involvuntur, quæ indigent probatione. Min. abſolute negari poteſt : optime enim ſuſtineri poteſt non fuiſſe prohibitam Dei Imaginem abſolute, ſed ut Idololatrice adorandam ; Patres enim qui dicunt eſſe prohibitam , loquuntur de Imagine Dei habente proportionem in ſigno ſpeciei cum ipſo Deo , quod haberi nequit (Deus enim nec eſt figuratus , nec figurabilis) In quo ſenſu loquitur D. Thom. ſicut optime Ibid. advertit Cajetanus . Caterum Imago Dei ſub illis ſpeciebus , quibus apparuit , nullo modo eſt prohibita, nec abſolute , nec reſpective ; non abſolute , quia mala non eſt , non reſpective propter periculum Idololatriæ; quia ſicut non erat periculum Idololatriæ circa illas ſpecies Angelorum , animalium &c. ſub quibus apparebat ; multo minus in ſpecie earum rerum , quæ magis elongantur a participio Divinitatis .

Dei imago non fuit abſoluto prohibita in lege veteri.

Quod ſi daremus vetitam fuiſſe Imaginem Dei : negandum eſt prohibitionem contineri in illo primo præcepto propter dicta . Si datur , continetur in aliis Scripturæ locis , ut Deut. 4. v. 15. , & 16. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die , qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis , ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem , aut imaginem &c.* V. 23. *Cave, ne quando obliviſcaris pacti Domini Dei tui , quod pepigit tecum , & facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum , quæ fieri Dominus prohibuit* . Vel Iſaiæ 40. v. 18. , ubi dicitur · *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum ? Aut quam Imaginem ponetis ei ?* Licet revera hæc non ſint præcepta , & ſi ſunt , non pertinent ad Decalogum ; adeoque ceſſare debuerunt . Deinde . Maj. non continet veram cauſalem; nam Dei Imago erat vetita , quia Injurioſa Majeſtati Divinæ , quæ in ſigno ſpeciei corporalibus figmentis exprimi nequit .

Ulterius . Dato , quod Dei Imago foret pro-

Digitized by Google

prohibita ad evitandum periculum Idololatriæ, non eſt eadem ratio de ceteris imaginibus; non enim erat in eis æquale periculum: & ratio duplex eſt. Prima, certitudo unitatis Dei. Certò Hebræi ſciebant Deum eſſe unum tantum: unde Imaginum multitudo, & diverſitas certò indicabat, repræſentata non eſſe cultu Divino digna: quæ eſt ratio, qua docet Angelicus *p.* 1. *q.* 102. *art.* 4. *ad* 6. duos præcepiſſe fieri Cherub in Tabernaculo, ut dualitate dignoſceretur non eſſe eis Divinos tribuendos honores ab habentibus fidem unius Dei, qua, quia carebant illi, de quibus Sap. 14. ideo de facili lapſi ſunt occaſione imaginum charorum: *Et propter hoc etiam non fuit unus tantum Cherubim, ut deſignaretur multitudo cæleſtium ſpirituum, & excluderetur cultus eorum ab his, quibus præceptum erat, ut ſolum unum Deum colerent.*

Secunda cauſa eſt, quia facilius in imagine Dei concipi poteſt aliquid Divinitatis, quam in ceteris imaginibus: nam primæ Dei vicem gerunt, ſecundæ creaturarum: quare per inſtructionem facilius poterat præcaveri periculum in ſecundis, quam in primis. Ceterum Imagines, ſtatuaſque, abſolute loquendo, non fuiſſe prohibitas, conſtat ſatis clare ex eo, quod ſub eodem contextu fuerunt prohibiti tituli, ſicut habetur Levit. 26. v. 1., ubi repetitur, & explicatur primum illud præceptum: *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*; & tamen pluries in Scriptura titulos erectos legimus, ut Exodi 24. v. 4. *Et mane conſurgens ædificavit Altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael.* Duodecim ſcilicet ſaxa. & ſtatuas erexit in ſignum, quod ſacrificia offerebantur pro ſingulis duodecim Tribubus. 2. Reg. 18. v. 18. *Porro Abſalom erexerat ſibi, cum adhuc viveret, titulum, qui eſt in valle Regis; dixerat enim: Non habeo filium; & hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine ſuo.* Hic autem titulus erat Statua marmorea ex Joſepho, qui dicit, Abſalon legem fregiſſe. Sed immerito: nam in ſacro Codice non habetur verbum reprehenſionis, ſed pro oppoſito ſtat argumentum. Si enim illicitum fuiſſet, curaſſet Pater ejus David ſanctiſſimus, & populus illum deſtruere: quod eſt falſum teſte Scriptura: quamvis tranſeuntes ſoliti fuerint projicere lapides in eum non propter titulum, ſed propter Abſalonis impietatem, qui in Patrem inſurrexerat; & lex præcipiebat filios hujuſmodi lapidari. Item 4. Reg. 23. v. 17. *Et ait: Quis eſt titulus, quem video?* Joſias eſt, qui loquitur. Hunc vero titulum fuiſſe licitum conſtat, quia Joſias relinqui intactum juſſit; cum tamen everteret omne ſimulacrum, & purgando Iſraelem ab omni ſpecie mali contra legem.

242 OBJIC. V. Si præceptum Exodi 20. eſt ceremoniale, prohibitæ ſunt quæcumque Imagines; quia tunc non habetur, unde terminus univerſalis reſtringatur ad ſculptile Idololatricum, ſed eſt ceremoniale, ſicut aſſerit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 7. *ad* 2. -- Quibuſdam præceptis additur ceremoniale „ determinativum præcepti moralis commu„ nis: ſicut in primo Præcepto: Non facies „ ſculptile, & in tertio Præcepto, determi„ natur dies Sabbati; & ideo utrobique opor„ tuit rationem aſſignare -- ergo &c.

RESP. Adhuc non evincit major propter exempla Cherub, Serpentis, Templi, & Titulorum, quæ adduximus: quare cogeremur reſtringere illud præceptum ad ſculptile præbens idololatriæ occaſionem. Sed min. negari debet, cui non ſuffragatur D. Thomas, toties illud negans. Eadem quæſt. *art.* 4. *in corpore* habet -- Sed quia facere ſculptile, vel „ ſimilitudinem non eſt prohibitum, niſi ſe„ cundum hoc, ut non colantur pro Diis, „ nam in Tabernaculo Deus præcipit fieri „ Seraphim, ut dicitur Exodi 25. Conve„ nienter Auguſtinus ponit ſub uno præce„ pto: Non habebis Deos alienos, &: Non „ facies tibi ſculptile -- & 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 3. *ad* 1. -- Dicendum, quod non prohi„ betur illo præcepto facere quamcumque „ ſculpturam, vel ſimilitudinem, ſed facere „ adorandam, unde ſubdit. Non adorabis „ ea, neque coles. Et quia ſicut dictum eſt, „ idem eſt motus in imaginem, & in rem, „ eo modo prohibetur adoratio Imaginis, „ quo adoratio rei, cujus eſt imago: unde „ ibi prohibetur adoratio Imaginum, quas „ Gentiles faciebant in venerationem Deo„ rum ſuorum, id eſt Dæmonum; & ideo „ præmittitur: Non habebis Deos alienos „ coram me -- Non eſt ergo veroſimile D. Thomam in eademmet quæſtione ſibi contradicere.

Quare dicendum eſt non accipere ly *Ceremoniale* prout eſt diſtinctum vere præceptum a morali, ſed in ſenſu lato. Ceremoniale nihil eſt aliud, quam determinativum moralis. Hoc determinativum poteſt eſſe per additionem, vel per ſimplicem explicationem illius, quod eſt incluſum revera in morali. Quando eſt per additionem, eſt præceptum diſtinctum, quando per ſolam explicationem non eſt præceptum diverſum a morali. Ceremoniale autem, quod eſt in ly *Sculptile*, eſt ſecundi generis: quod manifeſte habetur ex Doctore *in eadem quæſt. art.* 1., ubi inquirit: *An præcepta omnia moralia pertineant ad legem naturæ*: & reſpondet affirmative ſubditque -- „ Quædam vero ſunt, ad quæ judicanda hu„ mana ratio indiget inſtructione Divina, „ per quam erudimur de Divinis, ſicut eſt „ illud: Non facies tibi ſculptile, neque „ omnem ſimilitudinem: Non aſſumes no„ men Dei tui in vanum -- Et ideo bene dicit loco citato *art.* 7. non eſſe pure morale, ad eum ſenſum, quod cadat ſub manifeſta ratione. Et quamvis ibidem ponat ſimul ſub eodem contextu diem Sabbathi, non intelligit tamen eodem modo, ſed diſtributione accommoda. Clariſſime ex connexis: Sabbathum ſanctificare eſt morale, ſecundum quod *Præcipitur quies cordis in Deum*. Ceterum quo ad alia eſt vere Ceremoniale per additionem, ut expreſſe fatetur *eodem art.* 7. *ad* 4. dans rationem, cur in ſolo præcepto Sabbathi ponatur particula *Memento*; cum tamen de omnibus debeamus habere memoriam, & *art.* 3. *ad* 2. dicit eſſe Ceremoniale quo ad determinationem temporis.

Digitized by Google

CONTROVERSIA XIV.

AN USUS IMAGINUM LICEAT IN LEGE GRATIÆ.

IMagines plures hoſtes habuerunt; licet diſſenſio ſit, quis prior fuerit earum hoſtis. Quidam hoc tribuunt Manichæis; cum enim dicerent, corpus Chriſti verum non eſſe, ſed phantaſticum, Imagines habendas eſſe negabant; ita colligunt ex Tharaſio *in Synodo Nicæna II.*, & ex Auguſt. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 15. Contendunt alii Manichæus nihil de Imaginibus egiſſe, ſed illis tribui, ut quoddam conſequens primæ ipſorum doctrinæ. Arrianis tribuitur negaſſe Sanctorum Imagines eſſe colendas, deduciturque ex laudata Synodo *act.* 6., ubi Euſebius Arrianus accuſatur. Sed de iſtis pariter non datur omnimoda certitudo: quare certius eſt Judæos fuiſſe primos, qui in ſuo *Thalmud* anno 474. edito, dixerunt Chriſtianorum Templa domos eſſe Idololatriæ propter Imagines.

Anno 480. ſub Zenone imperat. Xenias Perſa nondum Baptisatus, pro Epiſcopo ſe gerens, dixit Sanctorum Imagines non recipiendas, nec colendas. Apud Cedrenum *in Compend. Hiſt.*, & apud Nicephorum *lib.* 16. *cap.* 27. Anno 520. ſub Juſtino Imperatore Samaritani quidam in quandam Eccleſiam irrumpentes, in Imagines Chriſti, & Sanctorum ferociſſime graſſati ſunt, apud Simeonem Eremitam *in epiſt. ad eundem Juſtinum*. An. 630. Mahometus ſuis cultoribus nullas Imagines permiſit in ſuo Alcorano *cap.* 15., & 16. Et apud Laonicum anno 700. Hebræus maleficus Ezidi Arabum Regi promiſit triginta annos vitæ, ſi in ſuo Imperio juberet, Imagines Chriſti, & Sanctorum ab Eccleſiis Chriſtianorum auferri, & comburi. Fecit impius Rex; at cum Chriſtiani non obedirent, immiſit milites Arabes, & Judæos, qui mandatum adimplevere. Anno tamen ſequenti Rex mortuus eſt; & Hebræus a Succeſſore fuit turpi morte punitus. Hæc Synodus Nicæna II. *act.* 5.

Anno 720. Leo III. Imp. juſſit Sanctorum Imagines deponi, & depoſitas incendi, & Romano Pontifici idem facere mandavit, ſi conſequi vellet Imperialem gratiam; apud Paulum Diaconum *de geſtis Longobard. lib.* 5. *cap.* 14. Anno 740. Conſtantinus Copronymus edictis vetuit Sanctorum Imagines erigi, & coli, apud Suidam, Cedrenum, Zonaram &c. Anno 790. Leo IV. bellum Imaginibus indixit, & Chriſtianos eas habentes vexavit, apud Zonaram, Sigebertum, & Paulum Diaconum *in vita Leonis*. Anno 813. Leo V. Armenius in univerſum juſſit deleri Imagines, Baptiſta Egnatius refert in ejuſdem vita. Anno 813. Claudius Taurinenſis ſuſtulit ab Eccleſiis ſuæ Diœceſis quaslibet Imagines, apud Jonam Aurelian. *de Imagin.* Anno 814. Michael Imperator conſtituit, ut nulli depictæ Imagini Sancti nomen apponeretur Theophilus ejus filius majori impietate dicebat, ſolam veritatem eſſe ſpectandam: unde abjecti animi eſſe aſſerebat Imagines coloribus delineare, & admirari. Apud Cedrenum, & Zonaram *in Theopilo*.

Anno 1050. Bogomilos, Patres qui Imagines ſunt venerati, dixerunt impios. Apud Euthymium *Panoplia p.* 2. *titul.* 23. Anno 1200. Waldenſes crediderunt Chriſti, & Sanctorum imagines eſſe delendas. Apud Æneam Silvium *in Hiſtoria Bohemorum*. Anno 1410. Hieronymus de Praga in honore habuit imaginem Wiclephi, qui obiter imaginum uſum reprehenderat; ceterorum verò Imaginibus venerationem deferri prohibuit; & quandam Chriſti Imaginem, quam populus in pretio habebat, irriſit, dejecit, & ſtercore fœdavit. Apud Cochlæum *Hiſt. Huſſit. lib.* 3.

Anno 1525. Primus, qui in Germania inſurrexit contra Imagines, fuit Andreas Caroloſtadius, & eas a Templo abſtulit. Fuit tamen a Luthero reprehenſus, eo quod ipſo inconſulto hoc peregerit, apud Cochlæum *de dictis, & factis Lutheri*: qui eundem errorem tribuit Zuinglianis in iiſdem actibus. Anno 1540. Melanchton omnem carpit venerationem imaginum, *in locis communibus cap. De Decalogo*. Eandem ſemitam tenent Magdeburgenſes *Cent.* 8. 9., & 10. Anno 1550. Calvinus *lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 11. damnat Imagines, amovet ab Eccleſiis, eas comburit §. 12. permittit uſum Imaginum hiſtoricarum; negat tamen in Templis eſſe reponendas, & colendas. Catechiſmus Heidelberg. *ad quaſt.* 96., & 97. permittit Imagines, negat tamen venerandas. David Paræus *in cap.* 1. *ad Rom. dub.* 18. dicit Idololatras eſſe qui defendunt licere Imagines de Chriſto, & Sanctis ad inſtructionem rudis populi. Ex his habemus Hæreticos denegare ſacris Imaginibus quemcumque uſum in Templo, & adorationem: quæ ſingularibus Controverſiis ſunt examinanda.

Dico. Sanctorum, & Chriſti Imaginum uſus in lege nova eſt omnino honeſtus.

243 PROB. I. Omne illicitum, vel tale eſt, quia prohibitum, vel prohibitum, quia tale, ſed imaginum uſus nec malus eſt, quia prohibitus; nam in lege nova nulla datur lex poſitiva prohibens; & ſi quæ ceremonialis concedatur data Judæis; pro lege nova ceſſat, nec prohibitus, quia malus, nam quod eſt ab intrinſeco malum, nunquam cadere poteſt ſub præcepto Dei, ſed Deus poſitive præcepit fieri Imagines Cherubim, & Serpentis in lege veteri, ergo imaginum uſus non eſt ab intrinſeco malus; ergo non ideo prohibitus. *Ceremonialia in lege nova non obligant.*

244 PROB. II. Non poteſt eſſe prohibitum in lege nova, quod ad promovendam pietatem, & utilitatem ſpiritualem mire deſervit, ſed uſus Imaginum ſacrarum eſt hujuſmodi; ergo. Minor explicatur. Axioma eſt apud Patres, immo apud Philoſophos, quod aſſidua reflexio ad Judicem præſentem ſuarum actionum ſit medium efficax ad inordinatos evitandos actus, ſed per Chriſti Imagines v. g. nutritur, & excitatur reflexio præſentiæ Chriſti Judicis; ſicut enim per Calvinum Dei Verbum prædicatum excitat fidem myſteriorum, ita viſa Chriſti vita excitat memoriam

moriam ejuſdem: quod enim facit verbum in auribus reſonans, facit Imago oculis objecta. Porro magnum bonum eſt medium valde efficax ad evitandas culpas fovere. Item. Sicut amicitia diſſolvitur, vel ad minus repeſcit defectu convictus, & colloquii vel perſonalis, vel per epiſtolas, ita amicitia conſervatur, & ferveſcit per convictum, & colloquium, ſed uſus Imaginum deſervit ad fovendum convictum, & colloquium cum Chriſto, & Sanctis ejus: nam eas aſpiciendo, & retinendo, quodammodo converſamur cum illis, quos faciunt nobis præſentes in ſigno ſpeciei; ergo deſerviunt ad conſervandam eorum amicitiam. Arg. D. Athanaſii *Orat. 4. contra Arianos*.

Adde I. Sanctorum imitatio eſt maxima utilitas ſpiritualis, ſed ſacrarum Imaginum uſus promovet Sanctorum imitationem; earum enim aſpectu virtutum exempla occurrunt memoriæ, & ex memoria affectus incaleſcit. Arg. Synodi II. Nicænæ. II. Solatium animæ in anguſtiis, maximum bonum eſt, ſed Sacrarum Imaginum uſus ſolatio deſervit in anguſtiis; quoniam cum Chriſtianus affligitur, Sacrarum Imaginum devota contemplatione conſolatur, ſpem concipiens protectionis, ad patientiam provocatur, & ad tolerandas paſſiones corroboratur.

245 PROB. III. Honeſtum eſſe debet, & nullo modo vetitum, quod Chriſtus ſuo exemplo firmavit, ſed uſum Imaginum Chriſtus ſuo exemplo firmavit; ergo eſt omnino honeſtus. Min. explicatur. Chriſtus ſui Imaginem adhuc vivens miſit Regi Abagaro, ad cujus præſentiam Civitas Edeſſenorum ab incendio miraculoſe liberata fuit, quæ Conſtantinopolim primum delata fuit, deinde Romam. Hujus Imaginis mentionem facit Damaſcenus *Orat. 1. de Imaginibus*. Evagrius *lib. 4. Hiſtoriæ cap.* 26. Stephanus, & Adrianus Pontifices Romani apud Ivonem *4. p. ſui decreti cap.* 83., *&* 23. ex antiquis, quos enumerat Gretſerus *de Imagin.* quam hiſtoriam ab impugnationibus vindicat auctor Reconciliationis Eccleſiæ Armenorum cum Romana, tomo primo. Idem Chriſtus ſacratiſſimi vultus ſui Imaginem impreſſam reliquit in velo, quod Sancta Veronica applicavit vultui illius ad detergendum ſudorem, cum Crucem ad Calvarium ferret. Quæ hiſtoria celebris eſt. Quod ſi velum ter plicatum fuit, ut ab aliquibus dicitur: facile componitur, quomodo dicatur eſſe Jeroſolymis, Gienſi in Hiſpania, & Romæ. Si verò ſimplex erat: tunc dicendum, quod uno tantum in loco ſit verum; alia verò duo ſint exemplata a primis fidelibus, & miraculis a Deo illuſtrata. Chriſtus ſimiliter in ſepulchro jacens, impreſſit Syndonibus, & Sudariis ſui Corporis Imaginem, quæ in pluribus Chriſtianorum Urbibus ſunt in magna veneratione, & miraculis a Deo illuſtrata. Plura eſſe ipſa Sacra Scriptura indicat, quatenus aſſerit. Mulieres vidiſſe ſola linteamina in ſepulchro, cum Jeſum quærerent ſepultum: & ſecundum morem plura adhibebantur, ad minus duo: unum, quo corpus involvebatur, & aliud, quo vultus tegebatur. Si quid verò ex his, quæ populus veneratur, non ſit reale, ſed humano labore factum, veritati non obſtat, quam antiquitas refert. Qua ergo temeritate uſum Imaginum carpunt Hæretici: quem confirmavit tot exemplis ipſa prima veritas? Sane Chriſto adverſantur, qui Chriſti veſtigia non diligunt.

246 PROB. IV. Non poteſt eſſe a Chriſto prohibitum, quod primi ejuſdem diſcipuli exercuerunt, ſed illi uſum Imaginum habuerunt; ergo. Min. explicatur. Lucas plurimas efformavit Imagines Beatæ Mariæ una cum puero Jeſu in cera, in tela, in pariete: cujus veritatis teſtes ſunt antiqui Hiſtoriographi, ut Theodorus Lector *lib. 1. Collectaneorum*. Nicephorus *lib.* 14. *Hiſt. cap.* 2. Metaphraſtes *in vita S. Lucæ*, qui fervorem charitatis erga Beatam Virginem, & Chriſtum in Sancto Evangeliſta commendat; cum non eſſet contentus cum illis converſari mente, & ſpiritu, niſi cum iiſdem, quos deſiderabat, converſaretur etiam per Imaginem, & typum.

Primi rei Chriſtianæ ſæculi uſus Imaginum.

Celebris eſt Imago Chriſti, quam Nicomedes fecerat, & quæ per ludibrium fuit a Judæis crucifixa, inde ſanguinem miraculoſum effundens; & poſtmodum præclariſſimis fuit illuſtrata miraculis. Hujus inter alios mentionem facit Athanaſius *in libello de paſſione Imaginis Domini cap.* 4., vel Auctor antiquiſſimus, cui liber attribuitur, & ut antiquiſſima hiſtoria in Concilio Nicæno II. relata fuit *Act.* 4.

Celeberrima eſt hiſtoria, quæ refertur de Muliere Hemorroiſſa, quæ ſanata fuit a fluxu ſanguinis a Chriſto Domino. Hæc enim æneam erexit Chriſti ſtatuam, ad cujus pedes genuflexa mulier viſebatur in actu ſupplicantis. Prope hanc incognita herba naſcebatur, quæ aſcendebat uſque ad extremitatem veſtis, quam tangebat, habebatque virtutem ſanandi infirmos: cujus cognitionem cum habuiſſet Julianus Apoſtata, illam dejecit, & ejus loco ſuam repoſuit, quam illico ignis de Cœlo delapſus confregit. Fruſta prioris ſtatuæ collegerunt Chriſtiani, & in Templum repoſuerunt. Euſebius *lib.* 7. *Hiſtor. cap.* 14. eam ſe vidiſſe teſtatur. Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 20., Nicephorus *lib.* 10. *cap.* 30.

Objicit I. Dallæus ſilentium aliorum Scriptorum ante Euſebium. II. Eſſe incredibile, quod per tria ſecula inter tot perſecutiones integra extiterit ſtatua illa. III. Non potuiſſe unam fœminam, quæ omnem ſuam facultatum copiam inſumpſerat in medicos pro procuranda ſalute, erigere duplicem ſtatuam æneam, quæ magni ſunt valoris. IV. Nihil inde colligi; hoc enim factum eſt ab una muliere, non ab Epiſcopo. V. Non fuiſſe in Templo, ſed in foribus ante januam in pago quodam, non ut adoraretur, ſed in memoriam beneficii, & hoc more gentilitio, ut refert Euſebius ibidem.

Verum hæc non infirmant argumentum noſtrum. Non primum, quia ſicut alii non referunt, ita non reprobant, nec omnes omnia narrant, ſicut in pluribus accidit; aliàs non indigebant uti illo exemplo contra Ethnicos, quos ſolidioribus doctrinis redarguebant, nec ipſi fuerunt teſtes oculati, ſicut

Euſebius. Non ſecundum, quia perſecutores Chriſtianorum, illam ſtatuam fore Chriſti potuerunt ignorare, cumque naſcens herba ſalubris foret, Ethnicis ipſis erat in pretio, & nullam ſuis Diis injuriam fieri conſpiciebant, cum non adoraretur: plura itidem monumenta inter perſecutiones conſervata, Deo volente, fuere. Non tertium: Si divitias inſumpſerat in medicos, poteſtatem non amiſerat de novo alias acquirendi. Parentes divites non habuiſſe, unde probat Dallæus? Amici de beneficio congratulantes, cur non potuerunt pecuniam elargiri? Deinde illa locutio Scripturæ: *In medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam*, ſignificare poteſt, maximos ſumptus feciſſe, non verò omnem conſumpſiſſe pecuniam. Non quartum: A muliere factum eſt, quid inde? Ab Epiſcopo non legimus reprobatum: a viris non reprehenſum. Illud certum eſt, quod cum Chriſtiani liberi eſſe cœperunt, cognitione habita facti, pietatem commendaverunt.

Non quintum: in pago evenit: utique? Evenit tamen. Non ut adoraretur, tranſeat. Uſum intendimus impræſentiarum demonſtrare, non adorationem. Non in templo, ſed in foribus: & quid ex hoc? Fruſta fuerunt poſtmodum in Templum delata. Si Idololatrica fuiſſet, & in foribus, & in vico, & a muliere erat illicita. Mure gentilio, ſed quo? Illo, qui licitus erat, illo, qui laudabilis, illo, quo in grati animi pignus beneficiorum memoriam firmabant. En verba Euſebii -- Nec verò mirandum. Gentiles a Ser-
„ vatore noſtro beneficiis affectos hæc præ-
„ ſtitiſſe, cum & Apoſtolorum Petri, & Pau-
„ li, Chriſtique ipſius pictas Imagines ad
„ noſtram uſque memoriam ſervatas in ta-
„ bulis viderimus; quippe priſci illi abſque
„ ullo diſcrimine cunctos de ſe bene meri-
„ tos Gentili quadam conſuetudine tanquam
„ Servatores colere hujuſmodi honoribus
„ conſueverant -- Quid mali in eo, quod beneficium recognoſcatur? Grati animi ſignificatio lumini naturæ conſonat. Si malum erat: quomodo fecit fœmina ad fidem converſa? Eſt enim certa doctrina Patrum, Chriſtum, quos ſanavit corpore, perfectius ſanaſſe corde. Si malum erat: cur Euſebius, Sozomenus, & alii Hiſtoriógraphi commendant?

Omitto Patrum auctoritates, alias in ſequentibus referendas. Sufficiat nunc exemplum Conſtantini Magni, quod ipſe teſtatur, & refertur *tomo* 1. *Conciliorum*, ſcilicet imaginum Petri, & Pauli, quas eidem Conſtantino oſtendit S. Sylveſter. Exemplum Chryſoſtomi *Orat. in S. Meletium*, cujus Imagines adeo celebres erant, ut in poculis, in phialis, in parietibus, & ubique conſpicerentur. Exemplum Theodoreti *in vita S. Simeonis*, cujus exemplaria in omnibus Officinis Romæ pendebant. Exemplum S. Ambroſii *de Inventione SS. Gervaſii, & Protaſii*, ubi refert ſe cognoviſſe ex Imagine S. Pauli, quam domi habebat ipſum ſibi apparuiſſe. Qui plura deſiderat, adeat Jodocum Coccium *in ſuo Theſauro Controverſ. lib.* 5. *de Sanctis art.* 15.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

247 OBJIC. I. Chriſti doctrinæ repugnat, quod nulli utilitati ſpirituali deſervit, ſed ſoli delectationi; ſed uſus Imaginum, quæ ſolitariæ vocantur, ſoli delectationi deſervit; ergo repugnat ſtatui legis gratiæ. Calvinus ſic arguit.

RESP. Plurimam utilitatem ex uſu imaginum ſuperius demonſtravimus, ſed placet ſequentem Junioris reflexionem addere, ex D. Thom. deſumptam *quæſt.* 2. *de veritate art.* 2., ubi aſſerit, omnem creaturam eſſe limitatam: unde oritur, quod uni creaturæ tantum deeſt de perfectione, quantum invenitur in altera diſtincta ſpecie. Ad ſupplendum huic imperfectioni invenitur alius eſſendi modus, quo perfectio unius eſt in alio, videlicet, modus eſſendi intelligibilis, quo in cognoſcente datur ſub uno eſſe perfectio diſtincti entis: unde ortum eſt dictum illud: *Cognoſcentem fieri quodammodo omnia.* Ex quo ſic diſcurrimus: Sanctorum geſta, cum ſint tempore menſurata, non ſunt nobis præſentia, & perſonæ Sanctorum ſunt nobis abſentes. Ad ſupplendum hunc defectum ars imitando naturam, & geſta, & perſonas facit præſentes, & eas quodammodo perennat, & diſtantia facit viſibilia. Quare ſicut ſtulte reprehenderentur ſcripta narrantia actiones, ita delineamenta exprimentia perſonas; quodque bonum æque relucet in Imaginibus ſolitariis.

Nunc ad argumentum. Neg. min. Delectatio, de qua loquitur arguens, vel eſt ea, qua oculus paſcitur in pulchritudine colorum, vel ea, qua animus paſcitur in contemplatione prototypi repræſentati: Si de prima: mala ſecundum ſe non eſt, ſicut mala non eſt ea, qua paſcitur aſpectu florum, ſiderum; nec iſta repugnant legi gratiæ: deinde Imagines non proponuntur ab Eccleſia ad hunc finem: Si de ſecunda: multo minus eſt mala: ſi enim bonum eſt delectari in cæteris creaturis, quia in eis relucet Divina bonitas, Pſalm. 91. v. 5. *Delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo*: quanto magis bonum eſt delectari in illis, in quibus excellentior bonitas Divina relucet, qualia eſt illa Sanctorum, ordinis ſupernaturalis.

248 OBJIC. II. Ex D. Thom. 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 3. illicitum eſt habere aliquid commune cum Gentilibus in materia Religionis, ut docet Paul. ad Epheſios 5., ſed uſus imaginum eſt communis cum Gentilibus; ergo non licet. Urgent argumentum. Illicitum eſt celebrare Paſcha eodem tempore, quo Judæi, quia nihil nobis commune eſſe debet cum Hebræis, ut teſtatur Conſtantinus Eccleſiis ſcribens apud Baronium *anno Chriſti* 325. Eo vel maxime, quod evitandum eſt ſcandalum, quo detur occaſio exiſtimandi Chriſtianos eſſe cultores Idololatriæ.

RESP. Non eſt communicandum cum Infidelibus in operibus infructuoſis; & hac pro-

In quibuſdã fas eſt cum Gentibus convenire.

prohibet Paulus, non autem fructuoſis: porro debitus uſus Imaginum eſt fructuoſus. Certum eſt, quod evitari non poteſt communicatio in aliquibus cum Gentilibus; quia plura ſunt ex natura licita, & rationi naturali conformia: aliàs non liceret Templa Deo dicare; quia Diis dicabant Gentiles: nec incenſum exhibere, quia eiſdem obtulerunt. Nec currit paritas de die Paſchatis; quia Hebræorum ſtatuta dies erat ex præcepto ceremoniali: ceremonialia nunc ſunt mortifera: unde non poſſumus illa exercere. Et de facto hæreſis Quartadecimanorum orta eſt ex eo, quod ſub ritu Hebraico dicebant celebrandum Paſcha, ideſt, decimaquartâ lunâ; ideo Eccleſia tempus mutavit. Quoad ſcandalum; nihil eſt, quia non liceret Chriſtum Crucifixum adorare, vel prædicare, cum, ut Paulus docet, ſit Judæis ſcandalum; gentibus autem ſtultitia: tum quia Chriſtiani perfecte de his inſtruuntur: unde ſi aliquis labatur, per accidens eſt: quod in pluribus evenire ſolet.

249 OBJIC. III. Illicitum eſt, quod impedit operationem Sancti Spiritus: ſed uſus Imaginum hanc impedit: nam triſtitia occupatis Apoſtolis ex proximo Chriſti diſceſſu dixit Dominus Joan. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*: ſi ergo corporalis Chriſti præſentia in cauſa eſt, quod incapaces ſint Diſcipuli adventus Spiritus Sancti; quanto magis uſus Imaginum? Et ratio eſt puritas fidei, & inſenſibilitas donorum Spiritus Sancti.

RESP. Neg. min., quia gratia non deſtruit naturam, ſed perficit: at natura humana nata eſt duci per ſenſibilia ad invisibilia; ergo ſub gratia non deſtruitur hic modus; hæc enim elevat, & movet naturam ſecundum propriam ejuſdem conditionem. Min. oſtenditur ex Paulo ad Roman. 1. v. 20. *Invisibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.* Textus Joannis vel intelligitur de nimio affectu, & aliquo modo inordinato erga Chriſti humanitatem, vel de adimpletione præcepti Patris, qui ſtatuerat non mittere Spiritum Sanctum, niſi Filius aſcenderet, & ſederet ad dexteram Patris.

Per viſibilia ad inviſibilia fit aſcenſus.

250 OBJIC. IV. Si uſus imaginum eſſet licitus, deberet eſſe præceptus, ſed non eſt præceptus; ergo neque licitus. Maj. prob. I. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. ait — Lex „ Divina præcepta proponit de omnibus il„ lis, per quæ homines bene ordinantur ad „ communicationem cum Deo — ſed ex dictis uſus Imaginum conducit ad communicationem cum Deo: ergo deberet eſſe præceptus. II. Quia homo abutendo ſenſibilibus peccavit, datur præceptum per ſenſibilia reſurgendi, ſcilicet, obligatio ſuſcipiendi Sacramenta; ergo pariter quia homo abutendo Imaginibus, ideſt, ſpeciebus creaturarum, peccavit, ſi Imagines earundem conducunt, ut incaleſcat cognitio, & amor Divinorum, debuit dari præceptum de earum uſu. III. Minus utilis, & bonus erat in lege veteri Imaginum uſus, quam in nova, propter periculum Idololatriæ, ſed in ea aliquis uſus Imaginum fuit præceptus, ut patet de Serpente Æneo, & de Cherubim: ergo a fortiori in lege gratiæ. IV. Ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 102. *art.* 3. Quia populus Hebræorum erat valde pronus ad ſacrificandum Diis, dedit illis Deus præcepta faciendi Sacrificia ſenſibilia, ut hujuſmodi Sacrificia magis Deo, quam Idolis offerret; ergo quia homo eſt inclinatus ad utendum naturalibus Imaginibus, debuit dari præceptum de uſu Sacrarum Imaginum, ut aſſueſceret magis in ordine ad Deum uti ſpeciebus creaturarum, quam in ordine ad malum. Minor patet, quia hujuſmodi præceptum nullibi reperitur.

Non omne bonum præceptum.

RESP. Neg. maj. Non enim omne bonum cadit ſub præcepto. Virginitas, & Paupertas Evangelica bona ſunt; non inde tamen cadunt ſub præcepto, ſed ſub conſilio, ut patet 1. ad Chorinth. 7. v. 28. *De Virginibus præceptum Domini non habeo.* Honeſtum magis late patet, quam præceptum: unde etſi uſus Imaginum valde expediens ſit utilitati ſpirituali, non tamen inde ſequitur debere cadere ſub præcepto. Nec adducta quidquam evincunt. Non primum, quia non valet conſequentia. Lex Divina proponit præcepta de illis, per quæ homines bene ordinantur ad communicationem cum Deo; ergo omne, quod conducit ad hanc communicationem, debet cadere ſub præcepto. Virtutes cum voto exercitæ conducunt bene ad communionem cum Deo, & tamen vovere non cadit ſub præcepto. Non ſecundum; quia optime ex illa congruentia deducitur, quod debuerit homo ſubjici aliquibus corporalibus in ordine gratiæ: non inde tamen arguitur, ideo Sacramenta cadere ſub præcepto. Aliunde hoc enim procedit, ex eo ſcilicet, quod Sacramenta ſint primi fontes, per quos nobis communicatur gratia, & fructus Paſſionis Domini noſtri: uſus porro Imaginum non eſt hujuſmodi: quare ex illa congruentia ſolum colligitur, congrue admitti Imagines.

Non tertium; quia non ideo præceptæ ſunt aliquæ Imagines in veteri lege, quia utiles, ſed propter conditionem illius ſtatus, qui cum eſſet ſervitutis, fere omnia habebat legibus determinata, ut conſtat in reliquis. Lex autem gratiæ, eſt ſtatus libertatis Chriſti, ac proinde plura relinquuntur ſub conſilio. Non quartum; nam illa congruentia ſolum oſtendit uſum Imaginum eſſe bonum, & congruum, non autem obligatorium. Specialiter erat populus Hebræorum Idololatriæ deditus, ideo ſpecialiter indigebat variis mediis retrahi. Ceterum inclinatio ad abutendum ſpeciebus non eſt ſpecialis in lege Chriſti, ſed eſt communis defectus naturæ corruptæ: unde non erat neceſſe ſubjici ea præcepto uſui Imaginum.

251 OBJIC. V. Quod a Sacris Conciliis eſt vetitum, non eſt licitum: ſe uſus Imaginum a Conciliis eſt vetitus; ergo non eſt licitus. Min. patet ex Concilio CP. V., quod omnes Imagines prohibuit, & ex VI., quod *Can.* 100. omnem picturam reprobat.

RESP. min. eſſe falſam, & ejus oppoſitum infra videbimus confirmatum in pluribus Conciliis. Vim nullam habet Quintum Conſtantinop. allegatum, cum fuerit latrocinale,

nale, & a Synodo VII. damnatum. VI. vero ſolum turpes eliminat picturas -- Oculi tui „ recta aſpiciant, & omni cuſtodia ſerva cor „ tuum: jubet Sapientia. Corporis enim „ ſenſus ſua facile in animam effundunt. Pi„ cturas ergo, quæ oculos perſtringunt, & „ mentem corrumpunt, & ad turpia volu„ ptatum movent incendia, nullo modo „ deinceps imprimi jubemus. Si quis autem „ hoc facere aggreſſus fuerit, deponatur -- En mens Concilii.

CONTROVERSIA XV.

AN IMAGINES CHRISTI, ET SANCTORUM LICITE IN TEMPLIS EXPONANTUR.

AB uſu Imaginum abſolute accepto deſcendimus ad uſum earum in Templo: Circumſtantia namque hæc ſpecialem difficultatem dicit. Non eſt neceſſe hoſtes referre; ſunt enim iidem, qui ſupra.

Dico. Licet Sacras Imagines in Templo exponere.

252 PROB. I. Uſitatior eſt, & minus periculoſus uſus Imaginum in lege nova, quam in veteri, ſed in lege veteri licite Imagines fuerunt in Templis expreſſæ; ergo multo magis fieri poſſunt in lege nova. Min. habetur, Exodi 25 v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi.* Plures alias variis in locis Templi fuiſſe a Salomone tunc temporis ſapientiſſimo, & probo cælatas, & ſculptas, refertur 3. Reg. cap. 7. Summam ergo debent Imagines honeſtatem præferre, cum eas præceperit fieri Dominus, & collocari in loco Sancto, qualis erat Oraculum.

Ex præcepto Dei imagines in Templo.

253 PROB. II. Congruum eſt, ut in quaſi Regia Cœli ſint Imagines eorum, qui in Cœlo ſunt, ſicut in Vicaria Regis ſolet eſſe Imago Regia, ſed Templum eſt terreſtris Regia Sanctorum, ſeu Imago quædam Cœleſtis Jeruſalem: unde ad Hebræos 9. v. 23., & 24. Paulus tabernaculum Moyſis comparat cum Cœlo. *Neceſſe eſt ergo exemplaria, quidem Cœleſtium his mundari: ipſa autem Cœleſtia melioribus hoſtiis, quam iſtis. Non enim in manu facta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum, ſed in ipſum Cœlum.* Ergo congruum eſt in illis reponere Imagines inhabitantium Cœlum. Sicut congruit, quod Templum ſit Imago Cœli, ſic congruit, ut in eo ſint Imagines Incolarum, & Civium ejuſdem Cœli. Templum vocavit Chriſtus domum ſuam: cur ergo illicitum erit in Templo ejuſdem Imaginem ſculpere?

254 PROB. III. Sacra ſigna maxime congruunt Sacris locis, quales ſunt Templum: unde Paulus ad Heb. 9. enumerat plura ſigna Sacra, ut Tabulas Teſtamenti, vaſa, virgam Aaron &c. recondita in Tabernaculo, ſed Imagines Sanctorum ſunt quædam Sacra ſigna; ergo maxime congruit reponi in Templis.

255 PROB. IV. Summe convenit, in eo loco, in quo fideles mentem recolligere

A tenentur ad Divina, habere media excitativa pietatis, ſed Sacræ Imagines ſunt medium aptum ad excitandam pietatem, & memoriam Divinorum; ergo ſumme congruit Imagines in Templis habere; quæ eſt ratio Sanctorum Patrum.

Imagines ad pietatem excitant.

Hinc cum Severus Sulpitius curaſſet in Eccleſia Imaginem S. Martini pingi. Paulinus ad ipſum ſcribens, & conquerens cum ea ſimul repoſuiſſe ſui Imaginem, petit, ut hæc carmina ſubſcribat -- Adſtat Martinus „ perfectæ regula vitæ: Paulinus veniam, „ quo mereare docet. Hunc peccatores; il„ lum ſpectate Beati. Exemplar Sanctis ille „ ſit: iſte Reis -- S. Gregorius Niſſenus *O-*
B *rat. in S. Theodorum Martyrem* deſcribit Templum ornatum Imaginibus referentibus acta S. Martyris; affertque pro ratione -- Solet „ enim pictura tacens in pariete loqui, ma„ ximeque prodeſſe -- Et de ſeipſo fatetur, *Orat. de Filii, & Spiritus Sancti Divinitate,* commotum fuiſſe ad lacrymas aſpectu Imaginis repræſentantis Sacrificium Iſaac -- Nec „ abſque lacrymis ſpectaculum præterii -- Olympiodoro præfecto interroganti, quibus Imaginibus deberet Templum munificentiâ ſuâ extructum exornare? Reſcribens Nilus Abbas reſpondit, Crucis effigie, & utriuſque Teſtamenti Hiſtoriis -- Ut qui litteras
C „ neſciunt, neque Sacras litteras poſſunt le„ gere, picturæ contemplatione in memo„ riam revocent illorum præclara facta, qui „ vero Deo ſincere ſervierunt -- Et ſane mirum eſt, quod Calviniſmi permittant licitum uſum bibliæ Sacræ in Templis, in quo Divina diſcuntur myſteria; & credant illicita eadem in picturis repræſentari: omnino enim de materiali eſt, quod vita Chriſti charta, & attamento ſit exarata, vel tela, & coloribus.

256 PROB. V. Non poteſt eſſe illicitum, quod primitiva Eccleſia, ſincera Chriſti, & Apoſtolorum Doctrina, & ſanctitate
D lactata habuit in uſu, ſed illa repoſuit Sacras Imagines in Templis; ergo. Min. paucis prob. Conſtantinus Magnus, teſte Euſebio *lib.* 3. *&* 4. *in vita Conſtantini*, in Eccleſiis, quas in Palæſtina extruxit, repoſuit copiam Imaginum aurearum, & argentearum. Nazianzenus *Epiſt.* 49. conqueritur, quod Civitas Diocæſarienſis foret evertenda, in qua erat Templum ab ipſo ædificatum -- Neque enim ſi „ Statuæ dejiciantur; hoc nos excruciat, „ etiam ſi alioquin excruciat: verum &c. -- Quibus patet in Templo Statuas fuiſſe. Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 20. narrat Statuam Chriſti, quam Hemorroiſſa erexerat, in Tem-
E plum fuiſſe translatam a fidelibus. Evodius Uzalenſis Epiſcopus *lib.* 2. *de Miraculis* circa annum 530. narrat Draconem in aere apparuiſſe, quo viſo fideles ad Eccleſiam S. Stephani patrocinium imploraturi confugerunt, donec Stephani prece fuſa, clementia Dei Draconem illum ſubtraheret; ſequenti die negotiator nuſquam cognitus, aut verius Angelus Servulo Subdiacono velum attulit, variis coloribus pictum, in quo inerat pictura hæc. In dextera veli parte ipſe Stephanus videbatur adſtare, & glorioſam Crucem propriis repoſitam humeris bajulare; qua Crucis

cuſpide

cuſpide portam Civitatis videbatur pulſare, ex qua profugiens Draco teterrimus cernebatur exire &c. Talis itaque pictura veli a Subdiacono ſuſpenſa eſt ante ipſam memoriam tanti Patroni &c. Prudentius teſtatur, ſuper Altare ſe vidiſſe Imaginem S. Caſſiani *in Hymno de eodem*. In Liturgia Chryſoſtomi habetur, interprete Eraſmo -- Sacerdos egreditur de parvo oſtio, portans Evangelium, præcedente Miniſtro cum lucerna; & converſus ad Chriſti Imaginem inter duo oſtia, inflexo capite cum exclamatione dicit &c.-- Tertullianus refert *de pudicitia cap.* 10. uſum pingendi in Sacris Calicibus Imaginem Paſtoris deferentis ovem ſuper humerus. Si in Calicibus, qui Sacrificio deſerviebant, licite ſculptæ erant Imagines, quanto magis in Templis licebat?

Nec valet quod Dallæus reponit, pro Emblemate Sacro poſitas fuiſſe. Hoc nobis pro nunc ſufficit, qui ſolum uſum in Eccleſiis intendimus confirmare. Deinde falſum eſt, quod pro Emblemate fuerint cælatæ in vaſibus Sacris; deſerviebant enim ad excitandam memoriam beneficii Redemptionis, quod bonus Paſtor Chriſtus perfecit: ad fovendam ſpem veniæ a tam bono Paſtore, qui humeris errantes reportat ad caulam: ad admonendos Prælatos, ut charitative ſuſciperent peccatores, exemplo Chriſti, quod innuit ibidem Tertullianus reprehendens Prælatos, qui nimia miſericordia pœnitentibus pœnas relaxabant. Quæ exempla, cum primis quinque ſeculis habeantur, aperti mendacii redarguunt Calvinum dicentem *lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 11. §. 13. -- Principio, ſi quid nos movet veteris Eccleſiæ auctoritas, memineritis quingentis circiter annis, quibus adhuc magis florebat Religio, & ſincerior doctrina vigebat: Chriſtiana Templa fuiſſe communiter ab Imaginibus vacua; ergo tunc primum in ornamentum Templorum aſcitæ ſunt, cum myſterii ſinceritas nonnihil degeneraſſet --

Primis Eccleſiæ ſeculis uſus Imaginum in Eccleſiis.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

257 OBJIC. I. Non eſt admittendum ut licitum, quod olim fuit reprobatum, ſed olim fuit reprobatus uſus Imaginum, ut patet *ex Can.* 36. Concilii Eliberitani, ubi Patres ajunt -- Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere; nec quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur -- Quia indignum videtur adorandum in telis exprimere, atque morem Ethnicorum ſequi, qui lapides, & ligna colunt. Ita Calvinus *lib.* 1. *cap.* 11.

Pluribus omiſſis ſolutionibus ea litteralis videtur, quæ aſſerit canonem illum fuiſſe conditum ad tollendam apud Gentiles, & Catechumenos Idololatriæ notam. Hi namque credebant nos habere pro Diis eos, quos Imaginibus exprimimus, ſeu Imagines ipſas pro Diis habere. Hoc indicat littera: *Ne quod colitur, aut adoratur, parietibus depingatur*, ideſt, ne id, quod colitur, credatur illud depictum. Hoc ſuadent temporis circumſtantiæ. Pagani ſub Diocletiano Reliquias Martyrum, vel flammæ, vel aquæ devovebant, dicentes *ex Euſeb. l. Hiſt.* 8. *c.* 6. -- Ne forte Dii efficiantur Chriſtianorum; & illi, qui Deos adorare nolunt, ſervos noſtros incipiant adorare -- Tertull. *Apolog. cap.* 16. refert ad illuſionem Chriſtianorum, gentes picturam aſininam expoſuiſſe hoc lemmate: *Deus Chriſtianorum: Onoxychites*. Perſuaſum enim illis erat, pro Diis nos Imagines habere: quare edocti Chriſtiani ſumma diſcretione omnia fere pietatis ſigna occultabant, ne darent irridendi occaſionem. Ex hoc ortum eſt aliud judicium apud Gentiles, aſſerendi nos atheos eſſe, quia externa ſigna videbamur non habere Deitatis. Sic Juſtinus, *Apol.* 2., & alii.

Pariter Catechumeni ſcandalizabantur; recenter namque converſi a gentilitate videntes adorari Imagines in Templis decipiebantur, & de facili inducebantur ad credendum in ipſis ſiſtere adorationem, & eodem modo ſculptilia adorari inter fideles, ſicut apud ethnicos. Quare ad hæc impedienda decretum illud ſtatuerunt Patres, quod proinde non favet Iconoclaſtis; & propter hoc non fuit a Vigilantio citatum, nec a Claudio, cum eis non patrocinaretur. Plura circa hoc habet Cardinalis de Aguirre *tom.* 1. *Concil. pag. mihi* 148.

Pupillorum ſtimulatum ceſſandum.

258 OBJIC. II. Conſtantiæ uxori Licinii, & ſorori Conſtantini, petenti ſibi tranſmitti Imaginem Chriſti ex Palæſtina ab Euſebio Cæſarienſi, reſpondit Epiſcopus in Epiſt. ad Conſtantiam, ſe neſcire quam Chriſti Imaginem petat, an Chriſti Dei, an Chriſti Servi; & ſecundum nullam formam Chriſtum eſſe figurabilem, ſed ſi fuiſſet uſus Imaginum in Templis, eam tantæ Matronæ non denegaſſet Præſul rogatus, nec ipſa indiguiſſet a Palæſtina unam Chriſti Imaginem exquirere. Quomodo enim nulla erat in ſua patria? Dallæi argumentum.

Quidam reſpondent epiſtolam non eſſe Euſebii; non enim ſtylus conſonat, ſed eſſe ab hæreticis confictam. Verum admiſſa ut genuina Epiſtola, ex ea confirmatur uſus Imaginum. Niſi Conſtantia fuiſſet edocta uſum Imaginum eſſe licitum, non fuiſſet auſa Chriſti Imaginem poſtulare ab Epiſcopo. Non qualemcunque petebat mulier, ſed perfecte exemplatam, ad vivum expreſſam: putabat enim ſimiles adeſſe in Palæſtina, ubi Chriſtus fuerat converſatus. Hujuſmodi autem non reperiri reſpondit Euſebius ſequenti motivo -- Quis ergo hujuſmodi dignitatis, & gloriæ vibrantes, & præfulgentes ſplendores exarare potuiſſet mortuis, & inanimatis coloribus? Quandoquidem nec aſpicere in eum in monte egregii diſcipuli ſuſtinuere, qui etiam ceciderunt in faciem, importabile, quod ſibi viſum fuerat, confitentes &c. --

259 OBJIC. III. Uſus Imaginum in Templis eſt contra Scripturam, ſicut fatetur S. Epiphanius *in Epiſtola ad Joannem Jeroſolymitanum*, occaſione, qua tranſiens per vicum quemdam nomine *Anablata*, & videns velum in Eccleſia pendens, pictum ſacra Imagine

gine cum lucerna accenſa, ſcidit illud -- Cum „ ergo vidiſſem in Eccleſia Chriſti, contra „ authoritatem Scripturarum, hominis pen- „ dere Imaginem; ſcidi illud, & magis dedi „ conſilium cuſtodibus ejuſdem loci, ut pau- „ perem mortuum eo obvolverent, & effer- „ rent -- Si verò uſus Imaginum tunc fuiſſet, abſque dubio hoc non tentaſſet vir ſapiens, & pius, eumque objurgaſſent pii cuſtodes: Joannes Epiphanio infenſus eum accuſaſſet: Hieronymus amiciſſimus corripuiſſet; & hanc epiſtolam latinitati tradens, emendaſſet; ergo cum nullum ſimile prorſus habeamus; ſigno manifeſtu conſtat, tunc temporis nullum fuiſſe uſum Imaginum.

Labor, quem aſſumunt Scriptores Chriſtiani, & Patres etiam conciliariter in explicando facto Epiphanii, declarat & fidei puritatem, & erga Sanctos venerabilitatem, tanti facientes unum, qui videtur contrarius, cum de facili poſſet reſponderi, unum non urgere contra tot alios. In quo caſu attendenda eſt regula prudentum, quæ docet, concordanda eſſe dicta Doctorum, ſi quando videntur contraria aſſerere iis, quæ certò tenent.

Epiphanium admiſiſſe Imaginum uſum indubium eſt. I. Quia eadem eſt difficultas de Imagine Chriſti, & Sanctorum, ac de ſigno Crucis: utrumque enim impugnant Hæretici; & de materiali eſt, quod figura ſit tranſiens, aut permanens, ſed expreſſe Sanctus Doctor *hæreſ.* 30. *contra Ebionitas* admittit ſigni Crucis uſum, & virtutem, quam probat facto Joſephi Hebræi ad fidem converſi, qui magſas eo diſſolvit; ergo. II. Pari paſſu qui negant Imagines, negant Sanctorum adorationem, & invocationem, ſed S. Epiphanius admittit, ut ſuo loco vidimus, Sanctorum invocationem, & adorationem; ergo. III. Specialiter carpit Carpocratianos, quod Chriſtum contumelia afficerent, ejus quaſdam Imagines, a Pilato confictas, ut dicebant, reponentes inter Imagines Ariſtotelis, Platonis, Pitaghoræ, Homeri, illiſque more gentilium ſacrificantes. Si vero tenuiſſet eſſe contra Scripturam habere Imagines, illiſque accendere luminaria, non carperet ſpeciali ex culpa illos Hæreticos; ergo. IV. Teſte Damaſceno *Orat.* 1. *de Imaginibus* Sanctus Præſul Cypri Eccleſias, quæ erat Inſula ſuæ Diœceſis, Imaginibus ornaverat, ſed non ornaſſet, ſi tenuiſſet repugnare Scripturis. V. In Græcia dum florebat Epiphanius frequens erat uſus imaginum, ut ibidem Damaſcenus oſtendit auctoritate Baſilii, Cyrilli, Chryſoſtomi, Nazianzeni, Nyſſeni, qui erant coævi. VI. Diſcipuli Epiphanii ſtatim a morte dedicaverunt ei Templum, quod Imaginibus ornaverunt; & inter illas ſuam etiam repoſuerunt: quod utique non feciſſent, ſi adeo ab Imaginibus abhorruiſſet. Habemus ergo Epiphanium ſubſcribentem veritati Catholicæ: videamus, quid dicendum ſit ad inſtantiam.

Prima reſponſio eſt, illud additamentum eſſe ſuppoſitum. & ab Hæreticis confictum, ut pluribus evincitur I. Iconomachi veteres, qui Patres ſuſdeque everterunt, ut contra Imagines ſententiam aliquam ſuffurarentur, locum hunc non adduxerunt, ſed abſque dubio adduxiſſent; tum quia libri ejus notiſſimi erant; tum quia duo alia adducentur teſtimonia ex eodem Doctore in Synodo VII., quæ falſa eſſe demonſtraverunt Patres, & potiſſime illud deſumptum ex epiſtola ad Theodoſium; falſa eſſe inter alios oſtendit Damaſc. *Orat.* 1. *de Imaginibus*, & Epiphanius Diaconus *Act.* 6. ſi ergo falſa objecerunt, quanto magis vera attuliſſent? Et ſi illi Hæretici falſarunt Epiphanium; non eſt abs re credere, alios locum Epiſt. ad Joannem falſaſſe. II. Epiphanius collegit omnes errores contra Religionem a temporibus Apoſtolorum uſque ad Theodoſii, & Arcadii tempora, ſed nullam mentionem facit de errore contra Imagines, feciſſet autem, ſi tenuiſſet Imagines in Templis non licere, adeoque non potuit illa ſcribere in ea epiſtola. III. Quia epiſtolæ jam abſolutæ ſubjecta ſunt illa verba: ut patet ſatis clare, cum oſculum pacis jam dediſſet: ſunt ergo ſubrepititia. IV. S. Hieronymus *in Epiſt. ad Pamachium* contra eundem Joannem fere totam tranſcribit epiſtolam Epiphanii, & nullum hac ſuper re verbum habet: mentionem autem faceret, cum res ſit gravis, & neceſſaria ad defenſionem Epiphanii, qui in Diœceſi Joannis illud tentaverat, & occaſio erat fovendi rixas. V. Rogat ibi Joannem, ut ſimilia vela amplius non admittat, & ſuſcipiat illud, quod ipſe mittit: hoc autem eſt imperite poſitum: ſciebat enim Epiphanius non eſſe ſibi obedientem Joannem, quem infenſum hoſtem agnoſcebat. VI. Rogat ibid. ut Palladium caveat, quia Origenis Hæreſim prædicat: *Ne forte aliquis de populo ſibi credito ad perverſitatem inducat ſui erroris*. Hæc verò non niſi ab omnino imperito dici poſſunt, cum tota illa epiſtola nihil aliud ſit, quam reprehenſio Joannis de errore Origenis. Si Joannes immunis fuiſſet a crimine Hæreſis Origenis, & zelans puritatem fidei in ſuis ovibus, optime quadraret monitum illud. VII. Aſſertum illud, Imagines eſſe contra auctoritatem Sacræ Scripturæ, indignum eſt tanto viro, in Scripturis adeo verſatu, ac per conſequens optime noverat Deum præcepiſſe Cherub in lege veteri in Tabernaculo. Eo magis, quod auctor librorum Carolinorum, & Patres Gallicani ibi incluſi *lib.* 4. *c.* 25. factum illud, quod referunt, reprobant, ſemper illis diſplicens Imaginum ſciſſio, nec Imaginum uſum vel cum auctoritate Scripturæ, vel cum noſtra Religione pugnare tenuerunt. Immo Lutherus ipſe rejicit quidem Imagines, ſed non ex Scripturis: quomodo ergo tantus Pater contra Scripturas aſſeruiſſet eſſe Imaginum uſum. VIII. Greg. *lib.* 9. *epiſt.* 9. redarguens Serenum Epiſcopum Maſſilienſem, qui, ad tollendum quendam abuſum, Imaginem proſciderat, ait, rem feciſſe, quam nullus Epiſcopus uſque nunc fecerat; ſi vero factum teneret Epiphanii, illico reſpondere potuiſſet, ſe imitatum tantum Doctorem. IX. Additur ſtyli inconſonantia. Hæc & ſimilia adducuntur ad oſtendendum illud additamentum non eſſe Epiphanii. Hanc ſolutionem quidam reprobant, quos inter eſt Natalis Alexander *Sec.* 4. *cap.* 6. *art.* 28. Hic porro reſpon-

Digitized by Google

ſpondet *Diſſert. VI. §. 3. Sec. VIII.* -- Nondum in Eccleſiis Cypri, & Paleſtinæ receptum fuiſſe, ut Imagines in Eccleſiis proponerentur, ideoque S. Epiphanium exhorruiſſe, cum depictam in velo præ foribus Templi Anablatenſis ſuſpenſo conſpexit Imaginem, quaſi Chriſti, vel alicujus Sancti, & velum illud conſcidiſſe. Scripſiſſe porro ad Joannem Jeroſolymitanum id eſſe contra Religionem noſtram, & contra auctoritatem Scripturarum, ut hominis in Eccleſia Chriſti pendeat imago; quia nec Scriptura Sacra, nec Religio id jubet, immo utraque vetat id omne quod offenſionis cauſa eſſe poteſt: Cujuſmodi erat veli, in quo depicta erat hominis effigies, in Eccleſia ſuſpenſio, iis temporibus, quibus nondum uſum in Eccleſiis, Cypri, & Paleſtinæ Epiſcopi, quorum erat diſciplinam Eccleſiaſticam his in regionibus ſancire, ſuſceperant -- Verum eſt & alia ſolutio ſilicet: Illa Imago non erat ſacra, prout par erat, tum pro loci ſanctitate, tum pro qualitate venerationis, potius indecens, & hominis profani, quam Chriſti, & viri Dei. Quod optime notavit Marianus Victor *in ſcholiis ad hanc epiſt.*, quæ eſt 60. inter Epiſtolas S. Hieronymi, dicit igitur -- Mirum eſt, quam ex hoc loco Iconomachi hodie caultent, „ cum tamen ipſa verba plane demonſtrent „ non Chriſti, aut Sancti alicujus, ſed hominis eam fuiſſe Imaginem -- Et revera ratus videtur clarus -- Inveni ibi velum „ pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tin„ctum, atque depictum, & habens Imagi„nem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam „ (non enim ſatis memini, cujus Imago fue„rit) Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia „ Chriſti, contra auctoritatem Scriptura„rum, hominis pendere Imaginem, ſcidi „ illud -- Nota modum loquendi. Hominis erat Imago profani, ſed expoſita adorationi, quaſi eſſet Chriſti, vel Sancti. Neſciebat tamen qualis hominis profani; ea propter merito ſcidit illam: Siquidem Imaginem profanæ pro Imagine Perſonæ ſacræ in templis exponere nefas erat.

260 OBJIC. IV. Primis quatuor ſeculis ſi fuiſſet aliquis uſus Imaginum in Templis, hoc fuiſſet objectum Judæis; quia & Imaginibus, & Catholicæ Religioni erant infenſiſſimi, tum quia paulo ante ad Synodum VII. *Act.* 5. Judæus altercans cum Catholico dixit -- Scandalizor in vos, quia Imagines „ adoratis. Scriptura quippe ubique præci„pit, non facere quemquam ſibi ſculptile, „ vel omnem ſimilitudinem -- ſed in diſputationibus nihil ſimile objectatum reperitur, ut patet ex dialogo Juſtini cum Tryphone Hebræo, & ex lib. Tertulliani adverſus Judæos; ergo &c. Secundo. In deſcriptionibus Templorum, vel ædificatorum, vel deſtructorum mentio fieret Imaginum, ſed nulla fit, ſicut patet apud Euſeb. *lib.* 10. *Hiſt.*, ubi deſcribens Templum *Tyri* a Paulino erectum, refert minutatim omnia, & nihil habet de Imaginibus. Athanaſ. *in Epiſt. ad Solitarios* deſcribens Eccleſiam Alexandriæ dirutam a Paganis, ponit omnia inſtrumenta, & nihil de Imaginibus. Optatus Milevitanus *lib.* 6. *contra Parmenianum* refert Eccleſias a Donatiſtis profanatas, confracta vaſa, linteamina, codices laceros: nihil de Imaginibus. Hieronymus *Epiſt.* 3. deſcribens inſtrumenta ſibi conſignata a Nepotiano, & alias res Eccleſiæ, vaſa, vela, Altaria &c. de Imaginibus altum ſilentium. Sic Dallæus.

RESP. neg. antec. Jam oſtendimus uſum Imaginum pro illis ſeculis, & inferius patebit in altera Controverſia, & argumentum probat non fuiſſe tunc temporis in Eccleſiis Imagines adeo frequentes, ut nunc, quod fatemur: rariores erant, fideles impediebantur a perſecutionibus, ſicut, ne haberent, & publica, & plura Templa, ita nec Imagines. Quin immo tali cautela Catholici univerſam Chriſtianæ Religionis diſciplinam abſcondebant, ut crederentur Athei, & ſine Aris: quia occulte omnia pia agebant, ut patet in Minutii Felicis dialogo infra referendo. Propter hanc ergo cauſam non objectabant Imaginum uſum diſputantes Judæi: eo vel maxime, quod occupabantur in ſubſtantialioribus articulis. Quantum ad probationem alteram non eſt neceſſe, quod ubique auctores etiam Hiſtorici ejuſdem memoriam faciant. Euſebius alicubi, ſicut vidimus, recitat Hiſtorias Imaginum. Quod vero locis citatis non referat, ſicut & in aliis caſibus recenſitis, non probat: nam aliud eſt, non referri, aliud non fuiſſe. Utique non omnia, & ſingula a ſingulis deſcribuntur, ſicut paſſim accidit in narratione aliorum eventuum.

DICES. Elius Lampridius *in vita Alexandri* refert Adrianum Imp., ut Chriſtianis morem gereret juſſiſſe Templa fieri ſine Simulacris: non ergo erant in uſu Imagines tunc temporis. Sic Calvinus.

RESP. Verum eſſe antecedens, ſed loquitur de Simulacris Idolorum; ibidem enim Auctor vocat Numina; quæ ex Imagines ſunt, quæ proponuntur adorandæ ut Dii. Hoc autem contigit, quia nolebant Chriſtiani adorare in Templis Gentilium, utpote plena Idolis, ideo petierunt ea ſibi fieri ſine Simulacris. Et hæc etiam erat ratio, cur raræ eſſent Imagines, & abſconditæ, ne ſcilicet eſſent in ſcandalum malignantium hoſtium fidei.

261 OBJIC. V. Si publicus fuiſſet uſus Imaginum in Templis, ſciviſſent primi fideles, qualis fuerit facies Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & D. Pauli, ſed non noverunt, teſte Auguſt. *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 4., *&* 5., qui dicit incertum eſſe, quæ Chriſti, quæ B. Virginis, quæ Pauli facies, quæ oris forma, quæ tota effigies: eſſet autem indubia Chriſti effigies, ſi fuiſſet conſuetudo pingendi; ergo &c. Ulterius. Primorum ſeculorum Patres ſolas animarum Imagines habendas eſſe docuerunt, ut patet ex Chryſoſtomo -- Nos per Scripturas fruimur Sanctorum „ præſentia; non corporum eorum, ſed ani„marum imagines habentes; quæ enim ab „ illis dicta ſunt, animarum ipſorum ima„gines ſunt -- Ex Theodoro Ancyrano Epiſcopo -- Sanctorum vultus non in Imaginibus „ ex materialibus coloribus factis formandos „ accepimus, ſed horum virtutes per ea, quæ

„ de illis in Scripturis judicantur, quaſi quaſ-
„ dam Imagines imitari didicimus, & ex hoc
„ ad ſimilem illis zelum erigimur -- Imagines ergo corporales abjiciebantur ab Antiquis. Hæc ex Iconomachis antiquis decepta objicit Dallæus.

RESP. Hæc nihil probare. Auguſtinus loquitur de Imagine ad vivum expreſſa, non de Imagine abſolute. Adamuſſim referente Chriſti faciem caremus typo; ideo nobis incertum eſt, qualis fuerit ejus facies. Chryſoſtomum non improbare Imagines, demonſtrarunt Patres Synodi VII. Eo autem loci lectionem commendat actorum a Sanctis exercitatorum ad imitationem: lectioni autem Scripturæ, & vitæ Sanctorum non opponitur Imago, immo ad invicem juvantur; nam ait Baſilius -- Quæ enim ſermo per auditio-
„ nem repræſentat, hæc pictura tacens per
„ imitationem oſtendit -- Amphilochius loquitur comparative, ſcilicet, melius eſſe habere Imagines animarum per imitationem virtutum, quam figuras corporales Sanctorum. Sic explicant Patres ejuſdem Synodi --
„ Nam ſi quis ſtudioſe perſcrutatus fuerit:
„ nullo modo ſenſum Patris inveniet, inhi-
„ bentem venerabilium Imaginum formatio-
„ nem, ſed præferens virtutum effectum,
„ hæc locutus eſt Pater, & ut ad imitatio-
„ nem nos erigeret converſationis eorum --
Dictum vero Theodori, citati Patres demonſtrarunt lectis exemplaribus eſſe falſatum, & ſuppoſitum; non enim in ejus ſcriptis invenitur; & dixerunt in Pſeudoſynodo C.P. in charta volatica fuiſſe lectum. Ceterum illa verba neque indicant abſolutam Imaginum abjectionem, ſed comparative ad imitationem.

Sanctorum Imagines ad imitationem excitant.

262 OBJIC. VI. Non poteſt in Templo collocari Imago, quin ſtatim erigatur ſignum Idololatriæ, dicente Aug. *Epiſt.* 49. -- Cum his ſedibus locantur honorabili ſu-
„ blimitate, ut a precantibus, atque immo-
„ lantibus attendantur, ipſa ſimilitudine a-
„ nimatorum membrorum, atque ſenſuum:
„ quamvis inſenſata ea, & anima careant,
„ afficiunt infirmos animos, ut vivere, ac
„ ſpirare videantur -- Et Pſal. 113. -- Hoc
„ enim facit, & extorquet quodammodo illa
„ figura membrorum, ut animus in corpore
„ vivens, magis arbitretur ſentire corpus,
„ quod ſuo ſimillimum videt -- Ibidem ait in Eccleſiis Chriſtianorum non eſſe vaſa aurea, quæ os habeant, & non loquantur, adducitque auctoritatem Joann. prioris epiſtol. cap. ultimo, ubi vetat Simulacra abſolute, & non cultum. Quibus patet Imagines non niſi ad errorem deſervire. Ex Calvino.

RESP. antec. eſſe falſum. Catholici edocti circa fidei veritatem optime noverunt Imagines non vivere. Auguſt. autem loquitur de Gentilibus, qui Simulacra adorabant pro Diis: quo errore præſuppoſito de facili ex attentione ad ea Idola inducebantur ad credendum ſtatuas vivere. Illud de Vaſibus non eſt ad rem: ſolum vult Auguſt. declarare occaſionem deceptionis oriri non a materia, ſed a forma humana, quam præſeferunt ſtatuæ, vaſa &c. Joannes verò Evangeliſta loquitur de Idolis.

263 OBJIC. VII. Primis rei Chriſtia-
A næ temporibus Imagines in Templis collocare horruerunt Catholici, ut conſtat ex facto apud Optatum Milevitanum, cum Paulus, & Macarius venirent ad fidem Catholicam, voluerunt quandam Imaginem ſuper Altare collocare -- Dicebatur illo tempore
„ venturos eſſe Paulum, & Macarium, qui
„ intereſſent Sacrificio; & dum Altaria ſo-
„ lemniter aptarentur, proferrent illi Ima-
„ ginem, quam primo in Altari ponerent;
„ ſic Sacrificium offerretur! Hoc cum acci-
„ perent aures, percuſſi ſunt & animi, &
„ uniuſcujuſque lingua in hæc verba commo-
„ ta eſt, ut omnis, qui hoc audierat, dice-
B „ ret; Qui inde guſtat, de Sacro guſtat.
„ Et recte dictum erat, ſi talem famam talis
„ veritas ſequeretur. At ubi ventum eſt, a
„ ſupradictis nihil tale viſum eſt, ex eo quod
„ fuerat paulo ante mentita fama -- Hæc *lib.* 3. *contra Parmenianum*. Unde tantus rumor, ſi erat conſuetudo collocandi in Templis Imagines? Ita Dallæus. Ulterius. Templa ſunt inſtituta pro Imaginibus vivis a Domino inſtitutis, quales ſunt Baptiſmus, qui eſt Imago internæ regenerationis, & cœna, quæ eſt Imago Corporis Chriſti; ergo non debent profanari mortuis. Calvini argumentum.

RESP. neg. antec. Horruerunt Chriſtia-
C ni; quia evulgatum erat, allaturos Numen, ſeu Idoli Imaginem: ut manifeſte indicat vox illa: *Qui inde guſtat, de Sacro guſtat*, ideſt, Idolothyto. Erat in Africanis Eccleſiis recens memoria Idololatriæ; ideo timebant. Ceterum quando totum admitteretur argumentum, non evinceret niſi in Africa nondum fuiſſe uſum inductum collocandi Imagines ſuper Altare, ubi faciendum erat Sacrificium, non autem nullam Imaginem in Templo fuiſſe appoſitam, vel eſſe apponendam. Secundum omnino puerile eſt. Falſum eſt Sacramenta eſſe vivas imagines: falſum eſt ceteras imagines virtute non eſſe
D vivas. Sacramenta ſymbola ſunt affectiva gratiæ, non imagines in ſenſu formali, & Euchariſtia eſt ipſum verum, & reale Corpus Chriſti, non typus. Deinde, Templa non profanantur imaginibus, quarum uſus deſervit ad proteſtationem fidei, ad excitandos pietatis affectus, quibus anima diſponitur ad devotionem, & puriorem Sacramentorum ſuſceptionem.

Imagines ad fidem proteſtandam deſerviunt.

CONTROVERSIA XVI.

E

AN SANCTORUM IMAGINES SINT CULTU DIGNÆ.

DEvenimus ad difficultatem principalem adorationis, videlicet, Sacrarum Imaginum, in quam omnes nervos dirigunt Iconomachi, tum veteres, tum moderni. Quamvis prout gravitas materiæ expoſtulat, ſit examinanda Controverſia, nihilominus brevitate aliqua utemur; & ut dilucidius digeratur, in præſenti agemus de adoratione abſolute, in ſequenti de qualitate, ſeu de modo adorationis.

Dico.

Dico . Sanctorum Imagines ſunt cultu dignæ .

264 PROB. I. Eadem eſt ratio de ſignis repræſentantibus Deum , ſervata debita proportione , ac de Imaginibus Sanctorum , ſed licita eſt adoratio aliqua ſymbolis Dei ; ergo etiam Imaginibus Sanctorum . Min. explicatur 8. Gen. v. 2. tribus Angelis occurrentibus , & repræſentantibus Trinitatem , Abraham adorationem exhibuit : *Et adoravit in terram* . Et cap. 19. v. 1. Loth duos pariter Angelos *Adoravit pronus in terram* . Joſue 5. v. 15. cum intellexiſſet Angelum eſſe , qui ſibi loquebatur ſub ſpecie viri , eum pronus adoravit , ſed hi ſciebant illas figuras , quæ apparebant , non eſſe Deum , non eſſe Angelos , & tamen ſignum aliquod venerationis exhibuerunt abſque peccato , abſque reprehenſione ; ergo ſymbolis Divina , & Sacra repræſentantibus , licitum eſt cultum aliquem offerre .

Symbola ſacrorum venerabilia .

265 PROB. II. Symbola , myſteria cœleſtia figurantia , vult Deus ſpeciali veneratione honorari , ſed Imagines Dei , Angelorum , & Sanctorum ſunt formalia ſymbola cœleſtium , ſeu Sacrorum perſonarum ; ergo vult Deus eas honorari . Maj. habetur de Arca , quæ in ſumma veneratione eſt habita ab Hebræis . Joſue cap. 7. v. 6. *Joſue ſcidit veſtimenta ſua : & pronus cecidit in terram coram Arca Domini uſque ad veſperam tam ipſe , quam ſenes Iſrael* . Et licet principaliter Deum adoraverit , & oraverit , ſecundario tamen ipſimet Arcæ veneratio exhibebatur . Et patet ipſimet eſſe exhibendam ; quia nuda a populo videri non poterat , nec a Levitis tangi ſine manibus velo coopertis : unde quia Bethſamitæ nudam illam aſpexerunt , fuerunt graviter percuſſi a Deo , 1. Reg. 6. v. 19. Et 2. Reg. 6. v. 7. Oza fuit percoſſus , quia manum extendit ad Arcam : Si ergo Arca tanta reverentia erat tractanda , quæ erat ſimplex typus Divinorum : cur non erunt Imagines venerandæ , quæ ſunt formales expreſſiones Prototyporum Sacrorum ?

266 PROB. III. Deus præcipit ſacro honore , & religioſa reverentia tractandas eſſe res inanimes propter relationem ad ipſum , ſed Imagines Dei , Chriſti , & Sanctorum dicunt ſpecialem relationem ad perſonas ſacras , & ſanctitate fulgentes ; ergo &c. Ant. declaratur . Matth. 5. v. 34. dicit Chriſtus : *Nolite jurare per Cœlum ; quia thronus Dei eſt , neque per terram , quia ſcabellum eſt pedum ejus* . Juramentum eſt actus Religionis , quem exercere non poſſumus ſine debitis circumſtantiis , aſſumendo creaturas , quatenus involvunt particularem aliquem reſpectum ad ipſum Deum : ſicut exercere poſſumus debito modo : quod indicat venerabilia eſſe corporalia per reſpectum ad excellentiam formalem ſanctam .

Imagines referuntur ad perſonas ſacras .

Idem argumentum amplificatur paritate Divinorum nominum . De nomine Dei habetur Exodi 20. v. 7. *Non aſſumes nomen Domini in vanum* . Exodi 6. v. 3. *Nomen meum Adonai , non indicavi eis* . Pſal. 32. v. 21. *In nomine ejus ſperavimus* . Pſal. 71. v. 19. *Benedictum nomen majeſtatis ejus* . Pſal. 112. v. 2. *Sit nomen Domini benedictum* . V. 3. *Laudabile nomen Domini* . Ad Philipp. 2. v. 10. *In nomine Jeſu omne genuflectatur , terreſtrium &c.* Quibus ſimilis manifeſtum fit , materiale tranſiens verborum ſub relatione ad perſonam indicatam , de ſecundario cadere ſub veneratione . 2. ad Timoth. 3. commendans Paulus hunc Epiſcopum , ait v. 15. *Ab infantia ſacras litteras noſti* . Sacræ dicuntur litteræ , quia ſigna ſunt rerum ſacrarum ; & quia tales , cum legitur Evangelium , aſſurgimus , caput detegimus , accenduntur luminaria : ſicut bene arguit Hieronymus contra Vigilantium .

267 PROB. IV. Sicut ſe habent Imagines Regum in ordine politico ad excellentiam prototyporum , ita ſe habent Imagines Sanctorum in ordine ſupernaturali ad excellentiam eorundem , ſed Imagines Regum ſunt aliquo honore civili dignæ ; ergo Imagines ſacræ ſunt ſacro dignæ cultu . Maj. explicatur . Sicut Imago Regis exprimit excellentiam Regiam , & excellentia Regis refulget in Imagine , & ei communicatur , ita Imago Chriſti v. g. exprimit excellentiam Chriſti , & hæc Imagini communicatur . Et ratio a priori eſt , quia moraliter Imago , & exemplar pro uno , & eodem ſumuntur : unde Athanaſius *Orat. 4. adverſus Arrianos* inducit Imaginem alloquentem ſui inſpectorem , ac ſi eſſet prototypon -- Ego , & Rex unum „ ſumus . Ego in illo ſum , & ille in me : „ & quod in me animadvertis ; id quoque „ in illo animadvertis ; & quod videris in „ illo , videris in me --

In Imagine fulget prototypi dignitas.

Min. in aperto eſt : Etenim ſolent homines Principum Imagines venerari ; & propter hanc conſuetudinem , ut Chriſtianos perdendi occaſionem deſumeret Julianus , ſuam ſtatuam exponens publico honori , in medio Deorum eam repoſuit , ut ſi eam venerarentur , diceret Deos adoraſſe , ſi verò ne Deos adorarent , ei obſequium non præſtarent , eos puniret , ut Principi ſuo adverſarios . Simplicitate ducti nonnulli lapſi ſunt , pro more ſtatuæ deferentes honorem , dolo non detecto . Hæc narrant Nazianzen. *Orat. prima in Julian.* Paulus Diaconus *in vita ejuſdem* .

Deinde . Contraria nata ſunt eſſe circa idem , ſed Principum Imagines capaces ſunt contumeliæ : unde plures , & ſe injuriatos in injuriis ſuarum imaginum crediderunt & ulti ſunt contemptores . Ut dedecus fieret Maximo , ejus Imagines fœdatæ , & dejectæ fuerunt , apud Euſebium *lib. 9. Hiſt. cap. 10.* quod pariter accidit Imaginibus Domitiani . Hinc duplici oratione 2. , & 3. Chryſoſtomus deplorat ſcelus ab Antiochenis commiſſum , cum Placillæ Theodoſii uxoris ſtatuam dejecerunt , & Julianus , ut Chriſto injuriam faceret , æneam ejus ſtatuam , ab Hemorroiſſa erectam projecit , Injuriamque Deus vindicavit , ictu fulminis Juliani ſtatuam illico comminuens , cumque Iconomachus quidam lapide projecto in ſtatuam Deiparæ eam dejeciſſet , audivit per ſomnium Virginem exprobrantem his : *In caput tuum eam projeciſti* : & lapide eodem repercuſſus interiit conciſus , ut refert Paulus Diacon. *lib. 21. Rerum Roman.* , ergo pariter honoris ſunt capaces imagines .

 Argu-

Argumeotum deſumptum eſt a Cyrillo
Catecheſi 12. -- Imago ligoea terreni Regis
„ honoratur : quanto magis rationalis Imago
„ Dei ? -- Cui rationi alludens Aug. *Epiſt.*
203. ad Maximinom Donatiſtam dat ratio-
nem , cur in titulo appoſuerit : *Honorabili
fratri*, dicens, non Epiſcopatom ejus ſe ho-
norare , ſed Dei Imaginem , qui in eo elu-
cet , quia homo . Puerile autem eſt , quod
Centuriatores aſſerunt , nempe , quod ideo
Principum Imagines veneramur , quia ipſi
Prioeipes abſentes ſunt , Deus autem ubique
præſens eſt . Nam & abſentium , & præſen-
rium honoramus Imagines, nec ubique ſunt,
Chriſtus, qua homo , Angeli , & Sancti Dei .
Hoc argumento uſus eſt Ambroſ. *Serm.* 10. *in
Pſal.* 118. -- Qui Imaginem coronat Impe-
„ ratoris, utique illum honorat, cujus Ima-
„ ginem coronavit ; & qui ſtatuam contem-
„ pſerit Imperatoris , Imperatori utique ſe-
„ ciſſe videtur injuriam --

268 PROB. V. Non poreſt eſſe illici-
tum, quod univerſalis Patrum conſeoſus tra-
dit, ſed Imagioes eſſe venerandas tradunt u-
niverſi Patres ; ergo . Plurimos Patres cita-
vimus in Controverſiis de adoratione Crucis,
de uſu Imaginum in Templis. Videri itidem
poterunt SS. Aſterius Ponti Epiſcop. *Serm. de
S. Euphemia* . Hieronym. *in cap.* 4. *Jonæ*, Am-
broſ. *epiſt.* 53. , Auguſt. *Serm.* 94. *de diverſis*,
ubi dulciſſimam picturam vocat illam S. Ste-
phani . Chryſoſt. *Orat. in S. Meletium* . Pau-
linus *epiſt.* 12. *ad Sulpitium* . Prudentius *in
Hymno* 9. *S. Caſſiani*, Gregorius *lib.* 7. *epiſt.*5.
ad Januarium , quem monet , ut reſtituat
Synagogam Judæis , quam quidam Judæus ,
Chriſtianus factus vi occupaverat , addens --
„ Sublata exinde cum ea , qua dignum eſt
„ veneratione , Imagine , atque Cruce -- A
Gregorio edoctos Imaginum cultum induxit
in Angliam Auguſt. Monachus teſte Beda *lib.*
1. *Hiſt. Anglic. cap.* 25. -- At illi non dæmo-
„ niaca , ſed divina virtute præditi , venie-
„ bant ; Crucem pro vexillo ferentes argen-
„ team , & Imaginem Domini Salvatoris in
„ tabula depictam -- Ejuſdem labii ſunt
reliqui Patres, qui videri poſſunt apud Jodo-
cum Coccium *in Theſauro Controverſiarum* .

Placet ſolum quædam Baſilii referre ex
Orat. contra Julianum,quæ citantur Synod.VII.
Act. 2. -- Hiſtorias Imaginum honoro , &
„ palam adoro . Hoc enim a Sanctis Patri-
„ bus non eſt prohibitum , ſed in omnibus
„ Eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus--
Quibus demonſtrat cultum Imaginum eſſe ex
traditione antiqua , quam traditionem docet
etiam Heraclides Nyſſenus Epiſcopus , qui
duas epiſtolas contra Meſſalianos ſcripſit , in
quarum una de Sacris Imaginibus agebat , fi-
dem faciente Photio *Bibliot. Cod. Si bis* : In
quarum altera inerat ſententia de venerao-
darum Imaginum antiquitate . Eandem tra-
ditionem agnoſcit Damaſcen. *lib.* 4. *Orthodo-
xæ fidei cap.* 17., ubi dans rationem de cultu
Imaginum ait -- Quia non omnibus contin-
„ git , ut litteras norint, ac lectioni operam
„ impendant ; idcirco Patribus viſum eſt, ut
„ refricandæ quamprimum memoriæ cauſa ,
„ hæc tanquam præclara quædam trophæa
„ in Imaginibus pingerentur -- Confirmatur

Imaginum cultus ex antiqua Traditione.

eadem traditio ex Auguſt. *lib.* 1. *de conſenſu
Evangeliſtarum cap.* 10., ubi loquens de qui-
buſdam Ethnicis , qui libros divulgabant a
Chriſto compoſitos , & a D. Paulo , & D.
Petro ſcriptos , dat rationem , cur a duobus
his Apoſtolis ſcriptos dixerint -- Credo quod
„ pluribus locis ſimul eos cum illo pictos vi-
„ derunt --

Quibus principiis inhærendo plura Con-
cilia Imaginum cultum declaraverunt . Gre-
gorius III Romæ Synodum congregavit mille
fere Epiſcoporum -- In qua firmatum eſt, ut
„ Sanctorum imagines ſecundum priſcum Ec-
„ cleſiæ Catholicæ ritum reſtituerentur --
ait Strabo *de rebus Eccleſiaſticis cap.* 8. , ubi
circa hoc aliud Concil. refert in Gallia ſub
Ludovico Imperatore . Hoc pariter fuit ſan-
citum in Concilio Gentiliacenſi, & altero Ro-
mæ celebrato ſub Stephano III. , cujus men-
tionem facit Adrianus I. *ad Carolum Magnum*,
& Nicolaus I. *ad Michaelem* . Synodus Nicæ-
na II. ex profeſſo pro Imaginibus indicta , poſt
longam , exactamque diſcuſſionem , definivit
adorationem Sacrarum Imaginum -- Sequen-
„ tes Divinitus inſpiratum Sanctorum Patrum
„ noſtrorum magiſterium , & Catholicæ tra-
„ ditionem Eccleſiæ , definimus &c. Et
„ his oſculum , & honorariam adorationem
„ tribuunt ; non tamen veram Latriam, quæ
„ ſecundum fidem eſt , quæque ſolam natu-
„ ram Divinam decet : ita ut iſtis , ſicut fi-
„ guræ pretioſæ , ac vivificæ Crucis , & San-
„ ctis Evangeliis , & Reliquiis Sacris mo-
„ nomentis , incenſorum , & luminum obla-
„ tio ad harum honorem efficiendum exhi-
„ beatur : quemadmodum , & antiquis piæ
„ conſuetudinis erat . Imaginis enim honor
„ ad primitivum tranſit ; & qui adorat Ima-
„ ginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam--
Synodus VIII. *Can.* 2. -- Sacram Domini No-
„ ſtri Jeſu Chriſti effigiem, eadem , qua ſan-
„ cta Evangelia , veneratione colendam ſta-
„ tuimus: ut enim per ſyllabas in Evangelio
„ ſcriptas ſalutem conſequuntur omnes ; ita
„ per Imagines arte , coloribuſque pictas, &
„ expreſſas , docti juxta , & indocti ex obje-
„ cta re utilitatem capiunt . Quæcunque
„ enim in ſyllabis oratio , hæc in coloribus
„ pictura docet , & repræſentat ; ergo qui-
„ cunque Chriſti Salvatoris Imaginem non
„ adorat ; is in ſecundo Chriſti adventu non
„ videat Ipſius faciem . Eadem ratione Inte-
„ meratæ Genitricis illius effigiem . SS. An-
„ gelorum , ac Sanctorum omnium venera-
„ mur , & colimus . Qui aliter ſentiunt , a-
„ nathema ſunt -- Tridentina Synodus *Seſſ.*
25. idem ſtatuit -- Imagines porro Chriſti ,
„ Deiparæ Virginis , & aliorum Sanctorum ,
„ in Templis præſertim habendas , & reti-
„ nendas , eiſque debitum honorem , & ve-
„ nerationem impertiendam -- Proſequitur-
que declarando doctrinam, & abuſus prohi-
bendo . Omitto argumentum ex Miraculis ,
quia notum eſt .

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

272 OBJIC. I. Eadem ratione diſcurrendum eſt de cultu Imaginis Dei, ac Sanctorum, ſed Deus non vult coli in Imaginibus; ergo nec coli debent Sancti. Min. prob. Exod. 20., Deut. 4., & Rom. 1. prohibetur cultus ſimulacrorum, ſed cultus ibi prohibitus eſt cultus veri Dei in ſtatuis, non autem ſimulacrorum, quæ habeantur pro Diis: nam Judæi non habuerunt ſimulacra pro Diis, ſed Deum verum in ſimulacris adorabant; & ideo Exodi 32. v. 8. populus de Vitulo aureo dicebat: *Iſti ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: Qui autem eduxit de terra Ægypti fuit Deus verus; ergo adorabant Deum verum in Vitulo. Quod clariùs patet; Ibidem enim indicens Aaron ſolemnitatem Vituli, dixit v. 5. *Cras ſolemnitas Domini eſt*, ideſt, *Adonai*, ut ex Hebræo reſpondet: *Adonai*, quod eſt nomen incommunicabile, ſoli Deo applicatur; ergo &c. Ulterius urgetur ex Judic. 17., ubi mulier quædam ait: *Sanctificavi, & vovi Domino mille, & centum argenteos, ut faciam ſculptile, atque conflatile*. Hic pariter pro Domino habetur *Adonai*: colebant ergo Judæi verum Deum in ſimulacris. Ethnici pariter colebant non ſimulacra pro Diis, ſed Deum verum in ſimulacris: unde habemus *apud Auguſt. Pſal.* 113. eos ſolitos fuiſſe redarguentibus Catholicis reſpondere non Idola, ſed numen ſe colere. II. Pro arbitrio mutabant ſimulacra, ſed non Deos. III. Uni, ut Jovi, plura ſimulacra erigebant. IV. Nova in dies ſacrabant Idola, nec tamen novos Deos creabant: ſignum ergo eſt non ſimulacra, ſed Deum in ſimulacris adoraſſe: cum ergo hoc Deus prohibeat; fatendum eſt non eſſe licitum cultum Dei in Imaginibus. Ex Calvino *lib.* 1. *cap.* 11.

RESP. neg. min. In cujus probatione turpiter errat arguens. Falſum eſt Judæos, & Ethnicos ſimulacra pro Diis non adoraſſe: & quoniam Scriptura nos compellit, Scripturam adeamus. Exodi 32. v. 1. dicunt Judæi Aaron: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Judicum 18. v. 24. *Deos meos quos mihi feci, tuliſtis*. 3. Reg. 12. v. 28. de duobus vitulis Roboam: *Ecce Dii tui Iſrael*. Habemus ergo Judæos ſimulacra Deos appellaſſe, quod negat Calvinus §. 10. Habemus pariter Hebræos Deum verum deſerviſſe, quod pariter negat §. 9. Deut. 32. v. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui*. Pſal. 105. v. 19. 20. 21. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile &c. Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro*. Jer. 2. v. 5. *Ambulaverunt poſt vanitatem* (ideſt poſt Idola) & v. 6. *Et non dixerunt: Ubi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti?* Habemus Hebræos in Idolis non coluiſſe verum Deum, quod pariter negat Calv. §. 8., & 9. Deut. 32. v. 17. *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo, Diis, quos ignorabant*: Dæmoniis non Deo. 3. Reg. 18. v. 21. ajebat Elias: *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi Baal eſt Deus, ſequimini illum*. Ecce Baal opponitur Deo vero: non ergo adoratores Baal adorabant Deum verum. Joſue 24. v. 15. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis: optio vobis datur: Eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis: utrum Diis, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis*. Inepta porro eſſet hæc optio, ſi in Diis Amorrhæorum coluiſſent Deum verum.

Nec valent adducta in oppoſitum. Senſus enim primi textus ſignificat ex pravitate erroris tribuiſſe Hebræos Idolo liberationem ab Ægypto. Cur verò potius conflaverint Deum Vitulum, & non Leonem, vel aliud ſimile, ratio in promptu eſt. Species retinuerant Idoli *Apis*, ſcilicet, Vituli magni, nigri, albis maculis aſperſi, quem in Ægypto viderant valde honoratum. Senſus verò ſecundi textus habetur Sap. 14. v. 21., ubi: *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt*. Nomen *Adonai*, licet proprium Dei veri, attribuerunt tamen Idolo, & lapidibus, & eo vel maxime, quod nomen Adonai potuerunt intelligere in ſenſu appellativo. Multò magis Ethnici Idola Deos eſſe crediderunt, vel immutatione naturæ, vel transfuſione virtutis: quod habemus aperte Exodi 20. v. 23. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*. Levit. 19. Pſal. 133. v. 4. *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur &c.* 4. Reg. 19. v. 18. *Et miſerunt Deos eorum in ignem. Non enim erant Dii, ſed opera manum hominum ex ligno, & lapide*. Sapientiæ 15 v. 15. *Quoniam omnia Idola nationum Deos æſtimaverunt, quibus neque oculorum uſus ad videndum &c.* Danielis 14. v. 4. *Quia non colo Idola manu facta, ſed viventem Deum &c.* Act. 19. v. 26. *Paulus ſuadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt Dii, qui manibus fiunt*. Iſaiæ 44. &c. His concinunt Patres, qui idem docent.

273 Primum, quod dicit Dallæus corruit, ſcilicet, quod Philoſophi Ethnici tenebant, Idola Deos non eſſe, ſicut habetur apud Celſum recitatum ab Origene cap. 7. -- „ Quis enim alius eſt, niſi ſit plane ſtultus, „ qui hæc Deos eſſe putet; non autem Deorum donaria, & Simulacra? -- Item apud Arnobium adhuc Ethnicum *lib. 6. adverſus gentes* -- Sed erras, & laberis: nam neque „ nos æra, neque auri, argentique materias, „ neque alios, quibus ſigna conflunt, eos „ eſſe per ſe Deos, & religioſa diſcernimus „ Numina -- Apud Lactantium *lib.* 2. *de Divinis inſtit. cap.* 2., qui Ethnicum loquentem „ inducit -- Non ipſa timemus Simulacra, „ ſed eos, ad quorum Imaginem ficta, & „ quorum nominibus conſecrata ſunt -- Apud Athenagoram Chriſtianum in legatione pro Chriſtianis, ubi ſcribit Ethnicos dixiſſe Idola nil eſſe, quam Simulacra, & non eis deferri Sacrificia, ſed Diis.

Corruit inquam, quia ipſorum Sacerdotum, & Philoſophorum opinio illa fuit,

ut ex Arnobio cit. Chriſtiano jam facto patet. Verum quidem eſt, quod quandoque diſſimulaverunt id aſſerere, ut ab argumentis ſe liberarent Chriſtianorum. Alia etiam cauſa fuit, quia Philoſophi aliqui male ſentiebant, dici Idola Deos, quod tangit Athanaſius *Orat. contra Gentes*; ad cujus intelligentiam notandum varias fuiſſe deceptiones apud Gentiles circa Idola. Plurimi coluerunt pro Diis homines mortuos, licet facile id populis non auderent dicere. Oſtendit hoc Lactantius *lib. primo cap.* 14., & 15. Auguſt. *de Civit. lib.* 8. *cap.* 26.

Gentes circa Idola varie decepta.

Alii Dæmones in Idolis coluerunt, in quibus habitabant, & pro hominibus ſupponebant, ut adorarentur. Auguſt. *lib.* 8. *de Civit. cap.* 24. Et *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 17. Et habetur Pſal. 95. v. 5. *Dii gentium, Dæmonia*: & 1. Corinth. 10. v. 20. *Quæ immolant gentes, Dæmonibus immolant, & non Deo*. Diverſa nomina poſtea aſſumebant, ut *Chamos*, *Moloch*, *Belzebub*, illudque rogati manifeſtabant.

Non adorabant alii nec Simulacra, nec homines, nec Dæmones, ſed mundi elementa, vel alias Univerſi partes: unde in Idolo *Appollinis* Solem, *Neptuni* Mare, *Jovis* Ætherem &c. adorabant: de quibus Euſeb. *lib.* 3. *de præparat. Evang. cap.* 3. Aug. *in Pſal.* 113. *lib.* 4. *de Civit. cap.* 10. *lib.* 7. *cap.* 5.

Alii non ipſas mundi partes, ſed earum animas colebant, ut Euſeb., & Auguſt. ibidem teſtantur. Hinc factum eſt, quod objurgati Gentiles a Chriſtianis quandoque reſponderunt ſe Simulacra non adorare; quia adorabant aliam rem in illis. Et ſubtiliores Philoſophi ſeverius negabant Idola adorari; quia Angelos, ideſt, Dæmones inhabitantes, & carcere velut incluſos venerabantur, ſicut refert Athanaſius *Orat. contra Gentes*, Chryſoſt. *in Genethliaco*, Auguſt. *de Civit. lib.* 8. *cap.* 23. &c.

Secundum, quod objicit Dallæus, ſcilicet, veteres Chriſtianos non potuiſſe habere Imaginum uſum, quia Ethnicis exprobrabant Simulacrorum cultum; potuiſſent enim hi retorquere argumentum, non evincit quia Gentiles Simulacra adorabant pro Diis, vel in eis aliquid, quod Deus non erat; ſemper creaturam pro Creatore. Chriſtiani non ſic: nunquam creaturæ ut Creatori detulerunt cultum.

Corruit tertium ſcilicet, retorqueri in nos quæcunque Patres ſcripſerunt contra Adoratores Idolorum, ut quod Tertullianus *in Apolog. cap.* 12. -- Quantum autem de Si-
„ mulacris ipſis, nihil aliud reprehendo,
„ quam materias ſorores eſſe vaſculorum, in-
„ ſtrumentorumque communium, vel ex iiſ-
„ dem vaſculis, & inſtrumentis &c. -- Quod Minutius Felix *in Octavio* -- Quanta vero de
„ Diis veſtris, animalia muta naturaliter ju-
„ dicant, Mures, Hirundines, Milvi &c. -- Quod Lactantius *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 2. -- A-
„ dorant ergo inſenſibilia, qui ſentiunt &c.
„ . . . Ideo timetis, quod ens eſſe in Cœlo
„ arbitramini &c. Cur igitur oculos in Cœ-
„ lum non tollitis? &c. . . . -- Et *cap.* 17., & 18. -- Perverſum eſſe, & incongruum,
„ ut Simulacrum hominis a Simulacro Dei
„ colatur. Colit enim quod eſt deterius, &
„ imbecillius &c. -- Sed Imagines Chriſtianorum non ſunt de meliori materia; ſunt ſorores vaſculorum communium, judicant de eis Milvi, qui nidificant in eis, ſunt vilioris conditionis, & inferioris; ergo.

Corruit inquam, quia vel Simulacra ipſa pro Diis, vel aliquam creaturam in illis colebant. Nos verò nec Imaginum materiam, nec Sanctos repræſentatos adoramus pro Diis, nec aliquam Divinitatis transfuſionem in eis agnoſcimus, nec ſpem in eis collocamus. Optime enim omnia declarat Tridentinum *Seſſ.* 25. Nec quidquam evincunt, quæ Calvinus objicit. Mutabant Simulacra, & non mutabant Deos: hoc non ſemper fuit verum, nec apud omnes; eodem enim errore, quo tenuerunt manibus noſtris Deos fieri, tenuerunt, manibus noſtris deſtrui. Uno Deo plura Simulacra dederunt, tum quia primariis Diis collegas, & ſubſellarios faciebant, tum quia in pluribus locis Dæmonem eundem adorabant; ſacrabant novas Statuas, & non novos Deos: falſum eſt hoc, niſi quando eidem varia Simulacra erigebant. Denique ſive novos, ſive non facerent Deos, ſemper creaturam pro Creatore coluerunt.

274 OBJIC. II. Imaginum cultus novum eſt, cum primis quinque ſeculis de hoc nihil extiterit; ergo rejiciendus. Ant. prob. ex S. Hieron. *in cap.* 3. *Danielis* -- Sive ſta-
„ tuam, ut Symmachus, ſive Imaginem au-
„ ream, ut cæteri tranſtulerunt, voluerimus
„ legere, cultores Dei eam adorare non de-
„ bent -- ſed loquitur Doctor de fidelibus; & ideo eos redarguit exemplo trium Puerorum, qui noluerunt facere, quod alii faciunt; Scripturâ autem ſolus Catholicus redargui poteſt. Ita Dallæus.

RESP. Hieronymus expreſſe loquitur de adoratione immoderata Imaginum imperatorum -- Ergo Judices, & Principes ſeculi,
„ qui Imperatorum ſtatuas adorant &c. -- Immoderantiam oſtendit ipſum exemplum: Tres enim Pueri civilem venerationem non denegabant Principi, ſed Divinam, quam in ſtatua exigebat; quod redarguit Doctor ex eo, quod qui ſervum Dei adoraverat, ideſt, Danielem, voluerit adorari in ſtatua. Demonſtrat ulterius immoderantiam ex eo, quod ſtatua aurea eſſet, cui quilibet avaritiam ſuam dicabat. Invaluiſſe adulatorium uſum plus juſto colendi Imagines Principum conſtat ex lege Theodoſii Imperatoris, relata a Theodoreto *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 34., qua ſtatuit, ut feriis, in quibus ejus ſtatua exponebatur, adſtaret Judex, qui exceſſum cultus impediret, & ne, quod Deo debitum, ſubtraheretur. Extraordinarii honores ſunt delati Imagini Imperatoris Conſtantini in columna ex Porphiryte ſtanti, itant conqueſtus fuerit Julianus, credens Sacrificia fuiſſe oblata, ut refert Philoſtorgius *lib.* 2. *cap.* 18. Hinc Appolonio philoſopho interroganti, cur Regum Imagines publica veneratione exciperentur? reſpondit, Zachæum Chriſtianum id improbare; & loquitur de abuſu inducto per adulationem -- Incautioris obſequii conſuetudi-
„ nem cautiores horreant Chriſtiani. *Lib.* 1. *cap.* 28. *Dialogi*.

275 DI-

275 DICES. Simplex adoratio Imaginum a Patribus abjicitur: unde Aug. eam redarguit (loquens ipſe de Chriſtianis) aperte *lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap.* 34. -- Novi „ multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum „ adoratores -- Quod crimen æque grave credit, ſicut luxurioſe epulari ſupra ſepulchra, & qui hoc faciunt -- Turbas imperitorum „ appellat, & Chriſti nomen profitentes, „ profeſſionis ſuæ vim aut neſciunt, aut certe „ non exhibent -- Ita Dallæus.

RESP. Auguſt. fallaciam prodit arguentis. Clare redarguit corruptam quorundam Chriſtianorum conſuetudinem, qui more Gentilium, quorumlibet imagines ad ſepulchra adorabant. Non enim ibi loquitur de Martyribus, ſed de quibuſcumque defunctis; eodemque modo reprehendit adorationem Imaginum, quo epulas apponere ſupra ſepulchra mortuorum, ſed in hoc ſecundo ſolum carpit exceſſum, quia ait *lib. conf. cap.* 2. fieri luxurioſiſſime; aliàs laudat Matrem ſuam, quæ ſecuta morem Africanorum, ad ſepulchra Martyrum epulas deferebat, & velut inde ſanctificatas pauperibus diſtribuebat; ergo &c.

276 INSTABIS ex Dallæo. Omni præciſa ſuperſtitione a Patribus rejicitur adoratio Imaginum, ut conſtat ex facto Gregorii Magni cum Sereno Epiſcopo Maſſilienſi. Hic credens ſuo populo plus nocumenti, quam utilitatis advenire ex uſu Imaginum, juſſit auferri ab omnibus Eccleſiis ſuæ Diœceſis. Quod reſciens Papa epiſtolam dedit, *lib. 7. epiſt.* 110., qua eum objurgat, & male feciſſe dicit; quia rudibus deſerviunt Imagines pro libro; debebat enim eas ſervare ſequenti adhibita cautione -- Tua ergo Fra„ ternitas & illas ſervare, & ab earum ado„ ratu populum prohibere debuit: quatenus „ & litterarum neſcii haberent, unde ſcien„ tiam hiſtoriæ colligerent & populus in pi„ cturæ adoratione minime peccaret -- Sed cum Serenus inobediens perſiſteret; poſt decem, & octo menſes ſecundam dedit epiſtolam reprehenſionis *lib. 9. epiſt.* 9. adjiciens, ab eo factum, quod a nullo uſque adhuc tentatum, iterum ſubdens -- Aliud eſt picturam „ adorare, aliud per picturæ Hiſtoriam, quid „ ſit adorandum, addiſcere -- Monet ut ſcandalum ſubmoveat; plurimi enim diſceſſerant ab ejus communione, & ut revocet filios ad Patrem. Manifeſte autem Gregorius illa repetita cauſali -- Quia utilitati hiſtoriæ deſer„ viunt: quia adorare non licet -- omnem cultum abjicit. Et revera ſi non omnem abjiceret, ſed ſuperſtitioſum tantum, ſicut Papa diſtinxerat inter retinere Imagines, & colere, debuiſſet qualitatem cultus ſtatuere, & non adorandas Divino cultu, ſed alio inferiori declarare. Nihil tamen de hoc, ſed abſolute concludit -- Si quis Imagines facere volue„ rit, minime prohibe: adorare verò Imagi„ nes omnibus modis devita --

RESP. Calviniſtis, & Lutheranis non fert ſuppetias Gregorius. Rotundis namque verbis admittit Imagines utiles eſſe, in Templis retinendas, ſed Proteſtantes nec utiles, nec in Templis habendas docent. Aliàs ſuperſtitioſum, & Divinum cultum ſolummodo reprobat, quod pluribus evincitur.

Monet I. ut revocet filios ſcandalizatos, inſtruatque Imagines non eſſe adorandas cultu Divino -- Oſtendendum, quia omne manu„ factum adorari non licet; quoniam ſcri„ ptum eſt: Dominum Deum tuum adora„ bis, & illi ſoli ſervies -- Quæ de cultu latriæ procedunt. II. ut permittat in ſacris ædibus Imagines fieri, ſed rationem reddat, quare abſtulerit -- Indicat quod non „ tibi ipſa viſio Hiſtoriæ, quæ pictura teſte „ pandebatur, diſplicuerit, ſed illa adora„ tio, quæ picturis fuerat incompetenter ex„ hibita -- illa, quæ *incompetenter* ait. Admonet III. quod ſuadeat ovibus ſuis, ut ſpiritus compunctionis concipiant ex Imaginibus hac modificatione -- Et in adoratione „ ſolius Omnipotentis Sanctæ Trinitatis hu„ militer proſternantur -- Quibus verbum *adoratio* ad cultum Latriæ patet in ea epiſtola eſſe reſtrictum. IV. incautum zelum appellat; quia ejus Diœceſis erat inter gentes, propter quod debebat cautius agere, ne ſcandalum pareret: ex quo colligitur apud imperitos quoſdam abuſum gentilium irrepſiſſe ob commercium cum gentibus. V. ait majorem partem ovium ſe ſubtraxiſſe a communione Sereni; & cum cauſa excuſationis adducta fuerit *Adoratio*, jam plane fit tunc uſum invaluiſſe adorandi Imagines; cumque abſolute prohibuerit, etiam Imagines auferendo, propter abuſum aliquorum, eum crediderunt eſſe hæreticum contra communem conſuetudinem agendo. VI. ad Secundinum ſcribens, cui poſtulatam Imaginem Salvatoris tranſmiſerat, laudat bonum uſum Imaginis, ut per eam incaleſcat in deſiderium videndi facialiter Chriſtum, ſubdens *lib. 7. epiſt.* 51. -- Scio quidem, quod Imaginem Salvatoris „ non ideo petis, ut quaſi Deum colas -- Quibus præcavet ſolum indebitum cultum: quod confirmat ſuo exemplo -- Et nos qui„ dem, non quaſi ante Divinitatem, ante „ illam proſternimur -- Ipſi Imagini aliquem venerationis actum offerebat in ordine ad prototypum, ſed non tanquam ante Divinitatem procumbebat. Dignam veneratione Imaginem credere patet *ex epiſt.* a nobis citata *ad Januarium Calaritanum*, & in hac ſecunda *ad Serenum* -- Et quia in locis vene„ rabilibus Sanctorum depingi hiſtorias non „ ſine ratione vetuſtas admiſit -- Reponi in loco venerabili honorari eſt. Quæ cum clara ſint, ſatis conſtat mens Pontificis: unde non erat neceſſaria alia diſtinctio.

Ex epiſtolis *ad Serenum* triplicis mendacii reus deprehenditur Dallæus in Gregorium. Primi, quod ſanius egerit Serenus, quam Gregorius, hocque probaverit eventus. Totum enim oppoſitum evenit, cum Sereni nomen, & acta obſcura ſint, Gregorii verò toti orbi celeberrima. Sereni factum reprobaverunt ceteri Epiſcopi, ipſo Adverſario teſte; at prudentiam Gregorii laudaverunt. Secundi, quod Papa fuverit ſeditionem Maſſilienſium cum Sereno, ut eum cogeret ſententiam retractare: cum totum omnino oppoſitum conſtet ex ſuaviſſima epiſtola, charitate plena, ex prudentiſſimis monitis, quibus ſtudet unionem Paſtoris, & ovium reformare. *Dallæi mendacia.*

Tertii,

Tertii, quod id egerit amplificandæ Sedis ſuæ cauſa; ſed hoc invide dictum -- Nam „ a Chriſtianæ rei primordiis Romanos Pon„ tifices fidei, diſciplinæque vindices per to„ tum orbem extitiſſe, quæſtioneſque gra„ viores, non ſolum ex Occidente toto, ſed „ etiam ex Oriente, ſive fidem, ſive diſci„ plinam dubiam ſpectarent, ad Sedem Apo„ ſtolicam fuiſſe relatas, ſeries traditionis „ demonſtrat -- ait Natalis ab Alexandro *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Seculi VIII. Diſſertatione VI. §. 4.*

277 OBJIC. III. Dallæus. Tota Gallia tenet Imagines non eſſe adorandas, ergo. Ant. modo declaratur quo ad Principem, deinde quo ad reliquos in ſequenti.

Carolus Magnus, vir pietate celebris in ſuis libris, qui *Carolini* dicuntur, pluribus oſtendit nullam deberi ſacris Imaginibus adorationem, *lib. 1. cap.* 30., *lib. 2. cap.* 5., *&* 25. probat -- Nuſquam ab Apoſtolis, exem„ plis, aut verbis, inſtitutum fuiſſe, Ima„ gines adorare -- *Lib. 2. cap.* 21. probat ſolum Deum adorandum eſſe cultu religioſo, eiuſque Sanctos -- Imagines verò omni ſua„ cultura ſecluſa -- retinendas in Templis. *Lib. 1. cap.* 2. Carpit Patres Nicænos, quod in decreto Imaginum non quæſierint gratiam Dei in pia veritate. *Lib. 2. cap.* 23. *Lib.* 3. *cap.* 18. *Lib. 2. cap.* 27. reprobat cultum, obſervationem, venerationem colli inflexione, capitis inclinatione, thuris, luminariumque oblatione, quæ cultum inferiorem Duliæ ſignificant. *Lib. 1. cap.* 25. negat Imaginibus Sanctorum vita functorum honoris obſequia, quæ viventibus conceduntur charitatis affectu; ac proinde nedum ſacrum, verum, & civilem honorem prohibet.

Lib. 2. cap. 29., *&* 30. negat Imagines eſſe æquiparandas ſacris vaſibus, & codicibus, iraſciturque in Synodum, quæ hanc comparationem fecit, ſed inferior valde honor defertur codicibus, vaſiſque ſacris; ergo &c. *Lib. 3. cap.* 24. negat æquiparandas eſſe Imagines ſacris Reliquiis, illæ enim aliquando vixerunt, & reſuſcitandæ aliquando ſunt; Imaginibus nullum ex his convenit; *lib. 2. cap.* 26. nec Cruci æquiparari permittit; Cruce enim hoſtis victus eſt, non Imaginibus -- „ Non ſunt igitur Imagines Cruci æquipa„ randæ, non adorandæ, non colendæ, ſed „ huic mundo cum ceteris, quæ mundi ſunt, „ relinquendæ -- *Lib. 3. cap.* 16. rejicit adorationem etiam reſpectivam -- Dicant igitur, „ quibus hoc tam peculiare eſt dicere: Quia „ Imaginis honor in primam formam tran„ ſit -- Rejicit verò hanc reſpectivam, quia nuſquam Salvator dixit -- Quod Imaginibus „ feciſti, mihi feciſtis -- Idem *lib* 4. *cap.* 10., *& lib. 4. cap.* 21. oſtendit exemplo Imaginis repræſentantis Virginem aſello inſidentem, dicitque, ſi adoranda eſt Imago Virginis relate ad Virginem, erit adoranda Imago aſelli propter eundem reſpectum, quod eſt abſurdum -- Aut utriuſque adoratio eſt ſpernenda, aut „ utræque ſunt adorandæ -- *Lib. 4. cap.* 6. Invehit in quædam obſequia Imaginibus exhibita, ſcilicet, luminaria, thymiamata, vocatque uſum *Veſaniam rationabiliter ſubſanandam*, *Lib. 3. cap.* 11. culpat Patres Nicænos imprudentiæ, eo quod anathema dixerint fidelibus, Imagines non adorantibus; eo quia non poſtulaverint ſingularum Eccleſiarum vota: unde hanc Nicænam Synodum ait inducere in errorem, ubi prima ab errore reduxit: ex quibus Argumentator colligit, ſub illis temporibus non fuiſſe in Eccleſia illum cultum erga Imagines, qui nunc eſt. Sic Dallæus cum Proteſtantibus.

Omiſſa eorum ſolutione, qui propugnant Carolinos libros nullius eſſe fidei, nec Carolo adſcribendos, ſed potius Heretici hominis malitiâ elaboratos eſſe, ea propter Adriano I. Pontifici corrigendos tranſmiſit Imperator, ſolutio altera ea eſt, quæ aſſerit Libros Carolinos non impugnare omnem Imaginum adorationem, ſed ſolam ſuperſtitioſam, & Latriæ. Ducti ergo errore facti Gallicani, & Carolus, crediderunt Græcos tenuiſſe Imagines cultu Latriæ eſſe adorandas, in eis intrinſecam adeſſe ſanctitatem, & in eis ſpem eſſe collocandam. Errori occaſionem dedit profeſſio, quam fecit Conſtantinus Cypri Epiſcopus ſub hac formula -- Suſcipio, „ & amplector honorabiliter ſanctas, & ve„ nerandas Imagines ſecundum ſervitium a„ dorationis, quod conſubſtantiali, & vivi„ ficatrici Trinitati emitto: & qui ſic non „ ſentiunt, neque glorificant, a Sancta Ca„ tholica, atque Apoſtolica Eccleſia ſegrego, „ & anathemati ſubmitto, & parti, qui ab„ negaverunt incarnatam, & ſalvabilem di„ ſpenſationem Chriſti veri Dei noſtri, emit„ to -- Auxit erroris occaſionem æquivoca ſignificatio verbi *Adoro* a Patribus uſurpata, quod per ſe primo ſignificat cultum Divinum. Adjuvit præcipitantia lectionis, difficultas tranſlationis a Græco in latinum, mixtio actuum Concilii Pſeudoconſtantinopolitani cum actibus Nicænis. Poſito verò hoc primo conceptu quæcunque repererunt, etſi clara, in decurſu ſub ſenſu palliato prolata duxerunt: quod conſtat *ex* 17. *cap. lib.* 3., ubi -- „ Errorem illi videntur plebibus ingerere „ palliatum; ajunt enim: Non adoramus I„ magines ut Deum, nec illis Divini ſervitii „ cultum impendimus, ſed dum illas aſpi„ cimus, & adoramus, illo mentis noſtræ „ acumen defigimus, ubi eos, quorum illæ „ ſunt, eſſe non ignoramus --

Ex quibus duo apparent: Primum, de Græcis ſenſiſſe Gallicanos, crediſſe eos, ut Deum adorandas Imagines: Secundum, palliate locutos in aliis locis, ubi clarior phraſis habetur. Hanc ſuſpicionem fovebat æmulatio Gallicanæ nationis, & Græcanæ, Caroli, & Conſtantini, qui repudiaverat Sororem Caroli, quam ipſi deſponderat: & Mariam Armenam duxerat. Hinc ſtylum acuit, pluribuſque ferit Græcos, Irenem, & Tharaſium &c. Politica ergo ſtudia velamen aliquod interpoſuiſſe videntur, ne tam attente legerent, & intelligerent doctrinam Patrum Græcorum.

278 Solam ſuperſtitioſam adorationem eliminare libros Carolinos evincunt plura. Primum argumentorum impugnationis efformat ex illo Scripturæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: *cap. 2. lib.* 1. Ille verò textus de ſola Latria procedit, hancque

Libri Carolini ſuperſtitioſam eliminant adorationem.

Indi-

Indicat Carolinus liber denegandam Imaginibus. Ibidem ſecundum locum deſumit ex A eo, quod unam imaginem veriorem, aliam ſanctiorem dixerint, putans a Græcis poſitam veritatem, & ſanctitatem intrinſecam in Imaginibus. In eodem *lib. cap.* 18. ſupponit Græcos ſpem reponere in inſpectione Imaginum -- Sicut Serpentis inſpectione populus „ Iſraeliticus ſanabatur a ſerpentum morſi„ bus -- negat ergo eum cultum, qui debetur Auctori, & objecto ſpei noſtræ. *Cap.* 24. -- Sed nec illud, quod ſcriptum eſt: Vultum „ tuum deprecabuntur omnes Divites ple„ bis -- Ubi ait manufacti vultum non eſſe ſupplicandum; quia exaudire nequit, quia irrationale; quia -- Non ineſt in eis vita ſen- B ſuum capax -- unde quando addit *non adorandas* loquitur de adoratione eis tributa ſecundum illam ſuppoſitionem, quod viverent, capaceſque eſſent ſupplicationis, & exauditionis. *Lib.* 2. *cap.* 7. -- Non mirandum eſt, „ ſi fallantur in minimis, qui falluntur in „ magnis -- Ubi æquivocum terminum *adorationis* putat ſecundum primarium ſenſum tribui a Græcis Deo, & Imaginibus.

Cap. 13. ponit delatas a S. Sylveſtro Imagines Petri, & Pauli Conſtantino Magno ad videndum, non ad adorandum -- Quem a „ ſimulacrorum cultu abſtrahere, & ad ſolius „ Dei adorationem convolare hortabatur -- C Unde Imaginibus adorationem illam proſcribit, quæ ſolius Dei eſt, & quam Gentiles tribuebant ſimulacris: non negat autem adorationem inferiorem debitam imaginibus, cum ſubdat potuiſſe Sylveſtrum Conſtantino offerre imagines etiam ad adorandum, & fuiſſet via lactea ad eum trahendum ad Religionem. Non potuiſſet autem, nec fuiſſet via lactea, ſi nullum cultum licere credidiſſet erga Imagines. Cap. 21. monet præcavendum eſſe, ne Imaginum cultu ſingularis cultus unius Dei fruſtretur: unde concludit -- Solus „ igitur Deus colendus, ſolus adorandus, „ ſolus glorificandus eſt -- propriam ergo D Dei adorationem negat exhibendam imaginibus. *Lib.* 3. *cap.* 26. -- illi verò pene om„ nem ſuæ credulitatis ſpem in Imaginibus „ collocent -- Iterum loquitur de cultu applicato ex ſenſu, quod Imagines habeant per quod fundent omnem ſpem noſtram. Quod clarius elucidatur ex ſequentibus, quibus attribuit Græcis, quaſi tabulas adorent; licet animadvertat a doctis periculum hoc evitari; nihilominus ab Indoctis non præcaveri -- „ Nam etſi a doctis quibuſdam vitari poſſit „ hoc, quod illi in adorandis Imaginibus e„ xercent, qui videlicet non quid ſint, ſed E „ quid innuant, venerantur; indoctis tamen „ quibuſdam ſcandalum generant, qui nihil „ aliud in his, præter id quod vident, ve„ nerantur, & adorant -- En clara mens Caroli, ſeu Auctoris. *Cap.* 17. invehit in Conſtantinum Cypri Epiſcopum propter profeſſionem factam, qua Imaginibus præſtat adorationem tanquam vivificæ Trinitati: quod magnam abſurditatem vocat -- Et inde ex„ hibeatur ſervitutem picturæ, quale exhi„ betur Domino totius creaturæ -- Et quia facta eſt hæc profeſſio coram aliis Epiſcopis; & numquam eam explicite refutaverit Synodus, Auctor inductus eſt ad credendum, totam Synodum ſenſiſſe, æqualem Trinitati exhibendam eſſe adorationem. Adrianus tamen *in epiſt. ad Carolum* explicuit, & bonum ſenſum aperuit. Infra manifeſte Auctor libri Carolini oſtendit, Græcos latenter tenere circa cultum Imaginum, quod patenter Conſtantinus fuerat profeſſus -- Sicque abſurditatem, „ quam illi introrsùs retinent latenter, hanc „ iſte egerit patenter. Nec latere quemquam „ poteſt illorum ignavia, cum hanc pandat „ hujuſce profeſſionis ſententia -- Nihil clarius. *Cap.* 18. impugnat Græcos, quod in Imaginibus ſpem defigant contra univerſalem Eccleſiam -- Quæ ſpem auxilii ſui non in pi„ cturæ fucis, non in manu factis artificum „ operibus, ſed in Deo omnium Creatore „ defigit -- eam ergo adorationem repellit, quæ eſt argumentum, ſpem pene omnem in pictura collocandi.

Cap. 18. *lib.* 4. -- Uno namque, & pene „ pari modo adorandorum, & colendorum „ ſimulacrorum, vel potius Dæmonum, & „ Gentilibus nequiſſimus uſus inolevit, & Ca„ tholicis (quod non ſine quodam animi mæ„ rore proſequimur) adorandarum Imaginum „ ineptiſſima conſuetudo adcreſcit -- ſuperſtitioſum ergo cultum reprobat; quam ſuperſtitionem aliquot exemplis oſtendit. Et quod ita ſit, clariſſime demonſtrant ſequentia -- Quoniam „ plerumque non res, ſed cauſa rei pro ſce„ lere reputatur, dum videlicet multa, qui„ bus bene poteſt uti, male uſa in flagitium „ convertuntur: ſicque una eademque res „ bene utentibus non eſt cauſa piaculi, & „ male utentibus eſt cauſa periculi: Sollicite „ ergo præcavendum eſt &c. -- Proſequitur monendo, ne res ſublimentur ultra quam ordo expoſcit. *Cap.* 26. impugnat imagines ex motivo Sanctitatis intrinſecæ, quam putat a Græcis tribui; & inde redarguit, quod in locis contaminatis eas reponant. *Cap.* 27. Iterum refellit ex eo, quod firmitatem fidei in Imaginibus reponant; & utitur eo argumento, quod ſi Imago quo pulchrior, tanto amplius habeat Sanctitatis, atque virtutis, neceſſe, ut ea quæ fœdior eſt, minus habeat Sanctitatis, atque virtutis; & per conſequens fœdiſſima nullam habeat: concluditque -- „ Et ſi ea, quæ pulchrior eſt; ideo atten„ tius adoratur, eo quod cauſa pulchritudi„ nis amplius habet virtutis: jam non ejus „ Sanctitas ex quadam Religione, ſed ex ar„ tificis venit operatione -- Concludamus aliis verbis ex eodem capite, quibus manifeſtum fit totum argumenti motivum -- Fal„ luntur vere, & merito falluntur, qui cum „ Deus Creator omnium ſe ſolum adorari „ cenſuerit, res quaſdam ſenſu carentes ado„ rare nituntur; & dum putant, ſe in ado„ randis Imaginibus quandam Sanctam exhi„ bere venerationem, ſoli Divinæ adoratio„ ni quandam ſe rogant communionem. „ Quia igitur ſolus Deus adorandus ſit; Mar„ tyres vero, vel quilibet Sancti venerandi „ potius ſint, quam adorandi; & in hoc o„ pere jam diximus, & egregii Doctoris Hie„ ronymi documentis roborandum eſt, qui „ dum contra Vigilantium quendam Hære„ ticum, qui Martyrum Reliquias nequa-

„ quam dicebat eſſe venerandas, ſcriberet, „ inter cetera ait: Quis unquam, o inſanum „ caput, Martyres adoravit? Si ergo ſecun- „ dum ejuſdem ſententiam Martyres non a- „ dorantur; multò minus eorum Imagines „ a fidelibus adorandæ ſunt --

Hic habes, totum robur inniti verbo *adorationis*, quod antonomaſtice ſolam *Latriam* ſignificat, & in hoc ſenſu uſurpari a Græcis ſupponit Carolus, ubi applicatur Imaginibus. Habes etiam argumentum a fortiori eſſe, cum negat æquiparandas eſſe Imagines Cruci, Reliquiis, Sacris Codicibus, Vaſis Sacris &c. Si etiam hæc non ſunt adoranda in ſenſu dicto, multò minus adorandæ ſunt Imagines. Quando ergo omnem venerationem, & cultum eis denegat, loquitur in ſenſu erroris præſuppoſiti, quod in eis ponenda ſpes ſit, quod Sanctitatem habeant intrinſecam &c., & quando aſſerit, inter res ſeculi reponendas; Intelligit quoad materiale, cum aliàs dicat eſſe utiles Imagines, & in templis retinendas. Illa verò argumentatio de Aſelli Imagine puerilis eſt: ſicut enim Aſellus, ut ferens Virginem, non eſt adorandus, ita nec ejus Imago.

279 OBJIC. IV., & oſtenditur ſecunda pars præcedentis argumenti. Concilium Francofordienſe *Can.* 2. damnavit Synodum VII., quæ approbavit Imaginum cultum, ſed hoc Concilium fuit pleniſſimum, treceni ſiquidem interfuerunt Patres partim ex Germania, partim ex Gallia, & Italia; ergo credidit Imagines non eſſe adorandas. Sic Dallæus, & Calvin. §. 14. *cap.* 11. *lib.* 1.

Licet hoc argumento triumphent quaſi victores univerſi Proteſtantes; nihil tamen illis favet; etiam ſtante tota illa obſcuritate, quæ apud auctores de hoc Concilio circa hanc materiam circumfertur. Quod oſtendo, ſingulorum opinionem ſummis labiis recenſendo, nullam enim meum eſt impugnare, ſed oſtendere Iconomachis non prodeſſe.

280 I. Gallos Patres damnaſſe Synodum Nicænam colligit ex libris Carolinis Calvinus cum aliis, ſed in iſtis clare habetur Papam a Deo habere Primatum, & judicium ſupremum in Controverſiis fidei, Sanctos eſſe invocandos, Reliquias eſſe venerandas, Imagines eſſe utiles, & retinendas in Templis: quæ omnia negant Proteſtantes; ergo vel coguntur hæc admittere, ſi primum volunt, vel nec in hoc illis fidem præſtare.

281 II. Prima opinio eſt Concilium Francofordienſe nihil prorſus egiſſe de Controverſia Imaginum, ſed ſolum de hæreſi Felicis, & Elipandi, filiationem adoptivam in Chriſto aſtruentium: unde prima, & vetuſtiora exemplaria, & libri quorundam primorum Auctorum nihil habent circa primum, ſed ea poſtmodum videntur adjuncta, eo quod in Carolinis libris, & apud Hincmarum reperta fuerint.

282 III. Opinio altera tenet, illud non damnaſſe VII. Synodum Catholicam, ſed CP. ab Iconomachis indictam, quæ & Septima falſo vocata fuit. Hanc tenet Alanus Copus, Sanderus, Paulus Æmilius, Platina, Blondus, & alii plures, eo ducti fundamento, quod plura ibi dicantur, quæ non conveniunt veræ Synodo. Dicitur, condemnaſſe Synodum CP. coactam in Bithynia, & ſine auctoritate Papæ, ſed Synodus VII. nec Conſtantinopolis, nec ſine Papæ auctoritate congregata fuit; ergo &c.

283 IV. Tertia opinio eſt triplicem illis temporibus Synodum fuiſſe apud Græcos celebratam, primam ab Iconomachia pro deſtruendis Imaginibus indictam Conſtantinopolis, ſecundam a quibuſdam Epiſcopis ſuperſtitioſioribus, qui ut declinarent ab Iconomachis, ad aliud extremum converſi ſunt, & ſtatuerunt dandam imaginibus adorationem, quæ tribuitur Vivificæ Trinitati. Habet fundamentum hoc in auctoritate Damaſceni *lib. de hæreſibus* circa finem, ubi ait -- „ Chriſtiano categori & ſunt, & dicuntur, „ quod cum Chriſtiani unum Deum vivum, „ & verum venerentur; ipſi venerandas Imagines D. N. J. C. Dominæque noſtræ Sanctæ Mariæ, quæ Deum peperit, SS. Angelorum, atque ejus Sanctorum ita coluerunt in Deos, more Græcorum. Iconoclaſtæ autem &c. -- Utramque Synodum hanc a Francof. Conc. damnatam ait: quæ opinio ſi vera eſſet, omnia clariſſime componeret. Tertiam verò ponit Nicænam II., quæ medium tenens, cultum tribuit Imaginibus, ſed Divino inferiorem. De hac nihil Gallicani Patres ajunt.

284 V. Quarta opinio, & quidem communior, ſuſtinet contra veram VII. Synodum decreviſſe, ſed errore facti. Priorem partem demonſtrant pluribus. Primo, quia Francofordienſes Patres, & Carolini libri agunt de ea Synodo, quæ facta fuit ſub Conſtantino, & Irene, vel (ut alii ex errore legunt) ſub Helena pro cultu Imaginum, ſed ſub his, & in hac cauſa ſolum Nicæna ſecunda fuit celebrata, quæ ideo dicitur Conſtantinopolis; quia ibi fuit inchoata, & ab Imperatoribus CP. indicta. Secundo, quia veteres Scriptores Carolo Magno compares id teſtantur. Anonymus Auctor vitæ Caroli *tom.* 2. ait, quod Imperator anno 794. celebrato Paſchate Francofurti magnam Synodum congregarit, in qua -- Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis Imaginibus „ facta, rejecta eſt a Pontificibus -- Annales Fuldenſes Francorum ad annum 794. idem tradunt, agentes de Concilio Francofordienſi -- Pſeudoſynodus Græcorum pro adorandis „ Imaginibus habita, & falſo ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnatur -- Idem docent *in Chronicis* Regino, Abbas Uſpergenſis, Hermannus Contractus. Idem Adhelmus *in Annalibus* ad annum præcitatum. Hincmarus *in opuſ.* 55. *capitum*, *cap.* 20. Ado Viennenſis *in Chronico* ad eundem annum, & alii plures, quos omnes erraſſe, videtur incredibile.

Synodus Francofurdienſis erravit errore facti.

Poſteriorem partem demonſtrant apertiſſime verba Can. 2., quo Synodus damnatur -- Allata eſt in medium quæſtio de nova „ Græcorum Synodo, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum ita „ ut Deificæ Trinitatis ſervitium, aut adorationem non impenderent; anathema judicarentur. Qui ſupra Sanctiſſimi Patres „ Noſtri omnimodis adorationem, & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt -- Putaverunt hi

Digitized by Google

hi Patres ſtatuunt a Nicænis Divinam adorationem tribuendam Sanctorum Imaginibus ; hoc autem eſt certo certius falſum ; nam pluries Nicæna Synodus negavit dandum Imaginibus Latriæ cultum ; & omnibus fere Actionibus . *Act.* 1. Baſilius Amyræ , ſeu Ancyræ Epiſcopus ſequentem edidit profeſſionem , ab Iconomachis revertens ad Eccleſiam -- Qui „ Sacræ Scripturæ verba de Idolis , & Gentilium ſtatuis ad venerandas Chriſtianorum „ imagines , exponentes trahunt : execratio . „ Qui aſſerunt , Chriſtianos , ut Deos , imagines adorare : execratio -- Ex edit. Colon. 1551. Theodoſius Amorii Epiſcopus -- „ Suſcipio , ſaluto , & veneror &c. Imagines, „ non ut Deos abſit -- Conſtantius Cypri Epiſcopus -- Suſcipio , & amplector venerandas Imagines ; adorationem autem , quæ „ fit ſecundum Latriam , hoc eſt , Dei cultum , eam tantummodo ſuperſubſtantiali , „ & vivificæ Trinitati conſervo . Qui verò „ aliter ſentiunt &c. anathemati ſubjicio --

Act. 4. prolatis pluribus Scripturæ locis , & Patrum auctoritatibus, recognoſcunt Imaginibus deberi cultum . Ad præcavendum tamen errorem legunt Epiſt. Athanaſii Epiſcopi Theopolitos -- Nemo offendatur in adora„ tionis vocabulo ; ſiquidem & homines, & „ Sanctorum Angelos adoramus: non autem „ quod Latriam , hoc eſt cultum Divinum „ exhibeamus -- *Act.* 6. Sub nomine Epiphanii Sancta Synodus proteſtatur -- Venerandas Imagines Chriſtiani , neque Deos appellant neque ut Deo cultum exhibent , „ neque ſalutis ſpem in illis conſtituunt , neque ab iis judicium aliquando futurum expectant. Quod ſi autem in recordationem, „ & memoriam , ita quod ſingulari quadam „ affectione in ipſa prototypa ferebantur, ſalutaverint , & honorifice honoraverint Imagines ; non tamen ob id illis Latriam exhibuerunt , ac Divinam venerationem „ adſcripſerunt : abſit hæc calumniatio . -- *Act.* 7. ubi definitive procedunt , ſtatuentes Imaginum cultum, habent Patres -- Non tamen ſecundum fidem noſtram , veram Latriam , quæ ſolum Divinæ naturæ competit , ſed quemadmodum typo venerandæ , „ & vivificantis Crucis , & Sanctis Evangeliis , & Reliquiis Sacris oblationibus ſuffitorum , & luminarium, reverenter accendimus , quemadmodum veteribus pie in „ conſuetudinem hoc adductum eſt . --

285 His opponit Dallæus non eſſe credibile , quod trecenti Patres ſic turpiter erraverint , & nullus fuerit , qui errorem animadverterit . Et ſi ipſi erraverunt , quomodo ſiluerunt Legati Apoſtolici , Stephanus , & Theophilactus ? Cur vera non docuerunt ? Cur ſenſum legitimum Nicænorum Canonum non edixerunt ? Deinde , quomodo auſi ſunt Synodum a Papa confirmatam damnare ; cum habeamus Carolum , & Patres fatentes ſe ſub obedientia Romani Pontificis procedere ? unde in libro Sacroſyllabo habetur -- Reſervato per omnia juris privilegio Summi Pontificis , Domini , & Patris noſtri Adriani, „ primæ Sedis Beatiſſimi Papæ -- Hæc iterum ex Natali loco cit.

Defenſores hujus opinionis ad primum reſpondent , mendoſam , & barbaram tranſlationem dediſſe errori occaſionem , ut patet in profeſſione Conſtantini Cypri . ubi defectu interpunctionis juncta eſt primæ parti de Imaginibus ſecunda pars de cultu Latriæ debito Trinitati : de qua mendoſa verſione conqueritur Anaſtaſius Bibliothecarius , qui aliam fecit ſub Joanne Octavo . Ad ſecundum dicunt , forte Legatos non fuiſſe ſufficienter inſtructos pro ſuperandis ſcrupulis Patrum , vel non potuiſſe vincere eorum opinionem . Ad tertium dicunt , adhuc non fuiſſe notam Gallis Synodum illam , & univerſalem eſſe , & a Papa publico more confirmatam : & ita ſolvunt inſtantiam Dallæi Miniſtri Carentoniei probantis hoc exemplo Concilia per Papam confirmata poſſe examini ſubjici . Verum an hæ ſolutiones urgeant judicent alii . Scio , Patrem Vaſquez velle potius admittere erraſſe citatos Hiſtoricos , quam Patres Francofordienſes .

286 VI. Quinta opinio ait , Synodum Nicænam eſſe univerſalem , & a Papa confirmatam , ſicut ipſimet Centuriatores teſtantur *Cent.* 8. *cap.* 9. Francofordienſem particularem , nec a Papa confirmatam , maxime circa hanc Controverſiam , ſed particularia non confirmata cedit univerſali confirmatæ ; ergo . His patet Adverſariis nihil favere argumentum .

287 OBJIC. V. & inſtatur contra datam Doctrinam . Non ſolum cultum Latriæ damnaverunt Francofordienſes Patres , ſed revera omnem cultum . Quid enim ſenſerint Gallicani , conſtat ex Concilio Pariſienſi celebrato ad kalendas Novembris anno 824. Hi enim congregati omnem Imaginum venerationem ſuſtulerunt : quod claret ex epiſtola , quam dederunt Ludovico , & Lothario Impp., in qua ſummatim hæc ſunt .

Dicunt I. ſe legiſſe Epiſtolam Adriani datam Conſtantino , & Ireni pro cultu Imaginum . Laudant Zelum , quo noluit confringi Imagines : indiſcrete tamen feciſſe in eo , quod ſuperſtitioſe adorari juſſit , & pro hac cauſa congregaſſe Concilium , ut adorarentur , & ſanctæ nuncuparentur . II. Adrianum in ea epiſtola inſeruiſſe teſtimonia valde abſona , & ad rem non pertinentia . III. Sicut Concilium ſub Conſtantino Copronimo erravit in abolendis Imaginibus , ita indictum ab Adriano non mediocriter erravit in ſtabiliendo cultu ; & Patrum ſententias violenter detortas fuiſſe pro ſuo errore confirmando . IV. Carolum feciſſe Synodum , & quædam Capitula tranſmiſſa Adriano , ut corrigerentur , ipſum nihilominus faviſſe ſuperſtitioſo errori Græcorum . Excuſant eum tamen , quia in ultimo capitulo ſuæ Apologiæ videtur ſentire , quod Beatus Gregorius ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum . V. Treculphum Epiſcopum, & Adegarium, cum Romæ fuerunt , de hac re allocutos fuiſſe Papam , & cognoviſſe -- Qualiter partim veri„ tatis ignorantia , partim peſſimæ conſuetu„ dinis uſu hujus ſuperſtitionis peſtis illis in „ partibus inoleviſſe -- idest Romæ , & reliqua Italia . Pluraque alia ſubjungunt , quibus expreſſe colligitur eos ſentire Imagines non eſſe ullo modo adorandas , ſed ſolum reti-

nendas. Hæc congerit Dallæus.

288 RESP. I. Conventum hunc Epiſcoporum non fuiſſe Synodum, ſed quandam conſultationem circa hanc materiam, occaſione, quod Michael Balbus, & Theophilus Legatos miſerint ad Ludovicum Pium, & Lotharium pro Conſilio capiendo ad ſedandam Eccleſiam Græcam, indiſcreta quorumdam Imaginum adoratione turbatam. Nec hanc conſultationem ſuſceperunt abſque Romani Pontificis licentia, ſicut manifeſte apparet ex epiſtola Eugenio II. mittenda -- Nos „ tamen non Synodum congregando, ſed quemadmodum a vobis poſtulavimus, licentiamque agendi percepimus &c. Una cum familiaribus noſtris filiis veſtris, quantum pro multiplicibus ſollicitudinibus Regni diverſis occupati per intervalla potuimus conſiderare, ſtuduimus quid Almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare potuiſſemus, qualiter idem populus a Deo per veſtram conſervandam orthodoxam Sanctitatem ad veram concordiam revocari potuiſſet --

289 RESP. II. Pariſienſes ultimam non dediſſe ſententiam, ſed mentem ſuam expoſuiſſe, & judicio Romani Pontificis ſubjeciſſe, ut aperte conſtat ex epiſtola Ludovici, & Lotharii ad Eugenium -- Quibus „ perlectis, ex veſtræ Sanctitati legenda, atque examinanda per hos Legatos noſtros, Jeremiam ſcilicet, & Jonam, venerabiles Epiſcopos, mittere curavimus &c., quos non ad hoc ad veſtræ Almitatis præſentiam cum memoratis ſententiarum collectionibus miſimus, ut hic aliquo velut magiſterii officio fungerentur, ut hic docendi gratia directi putarentur: quis, ſicut jam commemorati ſumus, nos debitores exiſtere, ut hic Sacratiſſimæ Sedi in quibuſcunque negotiis auxilium ferre debeamus -- Cumque Sedes Apoſtolica Gallicanorum Sententiam non approbaverit: *nullius eſſe debet in hac cauſa ponderis*, concludit Natalis ab Alexandro.

290 RESP. III. mentem Gallicanorum non fuiſſe contra prudentem venerationem Imaginum, ſed contra periculoſam, & ad ſuperſtitionem declinantem. Occaſione enim conceſſæ permiſſionis Adriani, ut poſſent Græci uti thymiamatibus, luminaribus, & oſculis in obſequium Imaginum; exorti erant quidam abuſus, & errores, propter quos turbabatur Eccleſia Orientalis. Hujus veritatis teſtimonium perhibet epiſtola ipſa Michaelis Balbi, & Theophili Impp. ad Ludovicum -- „ Multi de Eccleſiaſticis, & laicis viris, alieni de Apoſtolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos cuſtodientes, facti ſunt inventores malarum rerum. Primum quidem honorificas Cruces de Sacris Templis expellebant, & in eadem loca Imagines ſtatuebant, ponebant qui lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant; atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum, & vivificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſalutem. Pſallebant, & adorabant, atque ab iiſdem Imaginibus auxilium petebant. Plerique autem linteaminibus eaſdem Imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Alii religioſum habitum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant, quæ prius comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis Imaginibus, quaſi in ſinu earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam verò Sacerdotum, & Clericorum colores de Imaginibus radentes, immiſcuerunt oblationibus, & vino; & ex hac oblatione poſt Miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus Imaginum ponebant; unde communicare volentes, accipere fecerunt. Nonnulli verò ſpreta Eccleſia in communibus domibus, tabulis Imaginum utebantur pro Altariis, & ſuper eas Miniſterium celebrabant; & alia multa his ſimilia illicita, & noſtræ Religioni contraria fiebant in Eccleſiis &c. --

291 Inſtructionem ergo excogitaverunt Gallicani Præſules ad removendum ſuperſtitionis periculum a cultu imaginum. Eorum mentem hanc eſſe manifeſtum fit: quia ad omnem fere periodum verbum adhibent, *indiſcretum*, *indebitum*, *ſuperſtitioſum*. Sic in epiſt. ad Ludovicum, ſic in epiſtola nomine Romani Pontificis Orientali imperatori ſcribenda, ſic in collectione præcipue *cap.* 14., *&* 15., & tituli fere omnes capitulorum examinandorum, quæ collegerunt, nihil aliud indicant, ut conſtat ex iis, quæ ſtatuunt contra eos, qui Imagines non ſolum ab ædibus, ſed etiam a Sacris vaſis indiſcrete abolere præſumunt: contra eos, qui indebito cultu eas colunt, & adorant, & Sanctas nuncupant, & ſanctimoniam ſe per eas aſſequi fatentur. Conſtant, quid Doctores de indebito ſuperſtitionis cultu ſentiant, qua ratione, qua auctoritate Imagines Sanctorum adorandæ ſint: contra eos, qui eadem auctoritate in illa Synodo Græcorum ſe Imagines adorare profeſſi ſunt, ſicut & vivificam Crucem, contra eos, qui ſignum Sanctæ Crucis aſſumunt in teſtimonium, ut eis ita licitum ſit adorare Imagines, ſicut lignum Sanctæ Crucis, & ſimilia. Quæ omnia indicant, intentionem Præſulum non fuiſſe contra prudentem cultum, ſed contra indebitum, & periculoſum. Quare in uno capitulo habent -- „ Ne ex ſuperſtitione, aut qualibet alia occaſione ſcandala infirmioribus fratribus provenire poſſent, hoc ſummopere Sancti viri provida conſideratione vitare ſtuduerunt, & dictis, & factis ſuis nobis vitandum uſquequaque evidenter oſtendunt --

Pariſienſes contra ſuperſtitioſū cultū Imaginum inſurrexerunt.

292 Non niſi indebitum pariter intendit proſcribere cultum Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus *lib. de Picturis, & Imaginibus*, in quo Scripturis, & Patribus videtur demonſtrare, nullum Imaginibus exhibendum cultum. Illa enim repetita verba -- Qui Divinum cul- „ tum operibus manuum ſuarum exhibent: Qui Sanctitatem Imaginibus tribuunt, & ſanctificationem: Qui ſpem in Imaginibus habent: Qui ſtatuas Sanctorum adorant, ſicut gentes adorabant Idola: Etiam pro honore Sanctorum, cum Imago Deus non ſit: Nec Sancti Divinos ſibi arrogant

„ hono-

„ honores &c. -- Auctoritates Patrum, quibus utitur, ſatis perſpicue doctrinam ejuſdem Concilii limitant ad imprudentem cultum. Qua mente proceſſit Jonas etiam Aurelianenſis *lib. de cultu Imaginum*, repetitque & ipſe Latriam ſoli Deo deberi -- Imaginibus, ni- „ hil ineſſe Divini &c. Eo quod debitum ho- „ norem Divinitati impenderint infirmo, & „ egeno Simulacro &c. -- Admittit tamen Crucem, & Reliquias adorandas eſſe. Eodem ſenſu loquitur Strabo *lib. de rebus Eccleſiaſticis cap.* 8. mediam viam tenens. Pari paſſu Dongalus *in lib. contra Claudium*, quem reprehendit, eo quod Idololatras vocaverit Chriſtianos, Imaginum adoratores, & in Conventu Pariſienſi mediam tenuit ſemitam.

Locus verò, qui Hincmaro tribuitur *lib.* 55. *Capitum cap.* 20. teſte ipſomet Dallæo, eſt ſuppoſititius, & additus ab invido; & ſi admittatur, nihil facit; ſolum enim aſſerit non nihil repreſſam imaginum venerationem per Concilium Francofordienſe; & rogatus ab Epiſcopis librum edidit de imaginum adoratione, ubi qualitatem cultus explicat. Hujus fidem facit Florandus *lib.* 3. *Hiſtoriæ Rehemenſis cap.* 29. Partim ergo Gallicani Patres ævi illius decepti errore facti, credentes ſeptimam Synodum decretaſſe Latriam pro Imaginibus; partim propter abuſus, qui irrepſerant apud Græcos, calamum acuerunt contra Imagines, non ut tollerent cultum, ſed ut illicitum impedirent. Omitto puerilès quaſdam Calvini argutias, quibus non licet immorari. Veniamus ad explicationem modi, & tituli adorationis.

CONTROVERSIA XVII.

AN IMAGINES SINT ADORANDÆ EADEM ADORATIONE, QUA PROTOTYPON.

NOn ſit ſatis præcedenti Controverſiæ, niſi explicetur qualitas adorationis exhibendæ Imaginibus: quod ut perſpicue ſiat, aliqua notanda occurrunt.

293 Notandum I. hæc eſſe diverſa, adorari per ſe, vel per accidens: adorari propter ſe, vel propter aliud: adorari proprie, vel æquivoce. Adoratur per ſe id, in quo eſt ratio venerationis; & hoc ſoli ſuppoſito in rigore convenit. Adoratur per accidens id, quod connexum eſt cum eo, quod per ſe adoratur; & hoc modo adoratur purpura Regis. Adoratur propter ſe, quod in ſe habet rationem venerationis ab extrinſeco independentem; & hoc modo Angeli, & Sancti adorantur propter propriam excellentiam intrinſecam; & dicitur adoratio abſoluta. Adoratur, propter aliud, quod in ſe habet motivum honoris, ſed totum dependet ab extrinſeco; & hoc modo ſigna ſacra honorantur. Proprie adoratur, quod terminat motum adorationis, vel abſolute, vel cum ſubordinatione ad aliud: Abuſive, ſeu æquivoce adoratur, quod non terminat motum ullo ex illis modis, ſed ad ejus præſentiam adoratur aliud, ſeu eſt purum medium, quo adoratio tranſit ad aliud.

A 294 II. Imago conſideratur omnino materialiter, & omnino formaliter. Primo modo importat illud æs, lignum, ſaxum; & in hoc ſenſu non niſi abuſive imago dicitur, cum prout ſic non ſit ſignum ſpeciei, ſeu non expreſſivum ſui exemplaris. Secundo modo exprimit vim repræſentativam: quod dupliciter intelligi, ſeu ſumi poteſt; vel ita ut cum vi repræſentativa exprimat proprium modum eſſendi, in quo vis ſimilitudinis radicatur; vel ita ut explicet ſolam vim repræſentativam, & implicite proprium modum eſſendi; ea proportionali ratione, qua ſpecies intelligibilis accipitur ſecundum vim repræſentativam

B objecti ſub ſuo modo eſſendi, ut differt a modo eſſendi objecti, vel ſecundum vim repræſentativam, prout eſt ipſa natura objecti, & non ponit in numero cum eodem.

295 III. Imago non adoratur abuſive, ſed proprie: Oſtenditur I. Scripturæ, Patres, Concilia, quæ ſuperius attulimus, dicunt abſolute Imagines adorari, ſed abſolute non *Imagines abſolute adorantur.* poſſent dici adorabiles, ſi ſolum abuſive colerentur; ſicut abſolute non dicitur cauſa, ad cujus præſentiam Deus ſolus cauſat. II. In Synodo VII. *Act.* 3. dicitur Imaginem adorari propter exemplar, ubi diſtinguitur res adorata a ratione adorandi. III. *Act.* 4. Leontius

C ait -- Imaginem adorans, non materiam, aut „ colores, ſed inanimatum Chriſti characte- „ rem adorat -- atqui inanimatus character Chriſti non eſt ipſe Chriſtus; ergo ad præſentiam imaginis Chriſti non adoratur ſolus ipſe Chriſtus. IV. *Act.* 6. dicuntur ſemiprobi, & falſo veri -- Qui dicunt ſufficere uſum „ Imaginum, ad memoriam ſolum; non „ vero ad ſalutationem eas habendas -- atqui ſi ad earum præſentiam ſolum exemplar adoraretur, ſolum ad memoriam deſervirent, ſeu ut eſſent ſigna excitandi memoriam. V. *Act.* 5. Imagines adnumerantur cum vaſis ſacris -- Tharaſius Sanctiſſimus Patriarcha di-

D „ xit: Adnumeratæ ſunt ſacris vaſis venerabiles imagines. Sancta Synodus dixit: Clarum eſt -- ſed vaſa ſacra ſunt digna in ſe alicujus venerationis: unde majoris irreverentiæ eſt indecens tractatio ſanguinis Chriſti, quam Calicis: quod eſt ſignum Calicem in ſe capacem eſſe alicujus injuriæ, adeoque, & honoris.

VI. *Act.* 7. Dicuntur Imagines Chriſti, Sanctorum &c. adorabiles, ſed non Latria abſoluta: atqui ſi ſolum prototypon adoraretur ad earum præſentiam, hoc dici non poſſet; nam Chriſtus adorandus eſt Latria. VII. & eſt ratio a priori. Cum eſſentiali depen-

E dentia ab extrinſeco ſtat ratio propria, & proxima terminandi motum, ut patet in mediis, quæ eſſentialiter dependent a fine, & tamen terminant proprium actum electionis ratione propriæ bonitatis, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa conducentia ad finem; ergo cum in Imagine adſit vis propria repræſentativa exemplaris, ipſa habet proximam rationem terminandi adorationem, licet cum eſſentiali ſubordinatione ad prototypon. VIII. Aſſiſtentia, ſeu dependentia ab extrinſeco nihil ponit aliquando intrinſece in alio: ut cum objectum denominatur cognitum: aliquando verò

ponit,

Digitized by Google

ponit, vel ſupponit, ut cum paries denominatur relatus ad alium, vel animal eſſe in loco, in quo datur ubicatio. Quando igitur res ſe habet hoc modo, tunc dari poteſt proprius motus ad illud, quod dependet; ſicut apparet in exemplo ubicationis: atqui licet Imago dependeat eſſentialiter ab extrinſeco exemplari, tamen importat, poſito artificio, relationem tranſcendentalem intrinſecam ad exemplar; ergo poterit terminare motum proprium adorationis. His præmiſſis

Dico. Imagines ſunt venerandæ eodem genere cultus, quo exemplaria.

296 PROB. I. Si adoratio Imaginis non eſt dividenda a prototypo, ejuſdem generis eſt utriuſque adoratio, ſed non eſt dividenda; ergo. Explicatur min. Athanaſius *in libro contra Arrianos* -- Qui enim adorat „ Imaginem, is Regem adorat; nam illius „ ſpeciem, & formam imago continet -- Baſilius *ad Amphilochium cap.* 18. -- Quoniam „ Res dicitur Regis Imago; non autem duo „ Reges: neque enim poteſtas ſcinditur, ne„ que gloria dividitur. Quemadmodum au„ tem principatus, ac poteſtas nobis domi„ nans una eſt, ſic & glorificatio, quam illi „ deferimus, una eſt, non multæ. Itaque „ Imaginis honor ad exemplar primum refer„ tur -- Quo teſtimonio uſus eſt Damaſcenus *Orat.* 1., *&* 3. *de Imaginibus*. Eodem uſus Joan. Presbyter *Act.* 4. *Synodi VII.* ad confutandam vocem ſparſam a Synodo Latrocinali Iconomachorum, quæ hoc axioma evulgaverat -- Quicumque Imaginem Chriſti adorat; „ in duo Chriſtum dividit &c. -- & de ſuo adjecit -- Unde & Beatus Pater indicavit non „ eſſe duas adorationes, ſed unam, ipſius I„ maginis, & primi exemplaris -- Damaſce„ nus *Orat.* 1. *de Imaginibus*, aſſumpta paritate purpuræ, quæ a Rege induente dignitatis particeps fit, ſubdit -- Ita res ex mate„ ria conſtantes, per ſe quidem adorandæ „ non ſunt; at ſi gratia plenus ſit is, quem „ illæ referunt pro fidei proportione ipſæ quo„ que participes fiunt -- Leontius *dialogo* 5. -- Ita quoque Chriſtianorum filii typum Cru„ cis adorantes non naturam ligni adoramus, „ ſed ſigillum, & anulum, & characterem, „ Chriſtum ipſum aſpicientes; per hoc eum, „ qui in illo Crucifixus eſt, ſalutamus, & „ adoramus --

Tharaſius *Act.* 4. *Synodi VII.* -- Hæc ſane „ rerum natura docet, quod honor Imagini „ exhibitus, ad ipſum fontem primum refe„ ratur, quomodo & contumelia -- Similia plures alii Patres. Hæc una fuit vox omnium in VII. Synodo *Act.* 7. -- Imaginis enim ho„ nor in prototypon reſultat, & qui adorat „ Imaginem, adorat quoque deſcriptum Ar„ gumentum -- Idem affirmat Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. -- Honor, qui eis ex„ hibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ „ repræſentant: ita ut per Imagines, quas „ oſculamur, & eorum, quibus caput ape„ rimus, & procumbimus, Chriſtum ado„ remus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitu„ nem gerunt, veneremur -- His ergo habemus Imaginum adorationem eſſe ad earum prototypum, & indiviſim ab exemplaribus eſſe venerandas: ejuſdem enim generis eſſe debet adoratio Imaginis in eſſe & actu exercitu ſumptæ, & exemplaris.

297 DICES. Exempla Patrum videntur oppoſitum probare: nam purpuram, thronum, & ſimilia, a quibus ſumunt proportionem, veneramur eodem honore, quando ſunt Regi conjuncta; ſecus quando ſeparata ſunt, ſed imago ſemper eſt ſeparata a prototypo; ergo non eſt honoranda eodem cultu. Ita Martinus de Ayala.

RESP. Quando ſeparatio eſt phyſica, & moralis; tunc enim reſpectiva ponunt in numero cum termino, ſi autem ſeparatio ſit phyſica, ſed non moralis, tunc reſpectiva non ponunt in numero cum termino. Porro, quando Catholice adoratur Imago, ſemper eſt conjuncta moraliter cum prototypo; quia adoramus, ut cadit ſub apprehenſione ſimilitudinis alterius, & cum illo. Cujus exemplum dedit Leontius zelatos in VII. Synodo *Act.* 4., & cujus meminit Damaſcenus *Orat.* 3. *de Imaginibus* -- Quemadmodum etiam „ Jacob accipiens a filiis ſuis veſtem ſanguine „ conſperſam Joſeph cum lachrymis oſcula„ tus eſt, ſuiſque oculis circumpoſuit, non „ ipſam veſtem diligendo, aut honorando „ hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Jo„ ſeph oſculari, & in manibus habere, ſic „ etiam Chriſtiani omnes Imagines Chriſti, „ aut Apoſtolis, aut Martyris tenentes, no„ ſtraque carne oſculantes, animo videmur „ nobis ipſum Chriſtum, aut Martyrem am„ pleaxri &c. -- Deinde concludens, ait -- „ Ergo, ut ſæpius dixi, in omni ſalutatio„ ne, & adoratione intentio ipſa requiritur -- ſine enim relatione ad exemplar non veneramur, Imaginemque ſine ea relatione eſt ſicut veſtis ſeparate accepta, quæ nec amatur, nec honoratur.

Imagines ſemper ordinē involvunt ad exemplar.

298 PROB. II. ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 3. *Et* 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 3. -- Motus, qui eſt in Imaginem, in „ quantum eſt Imago, eſt unus, & idem „ cum illo, qui eſt in rem -- ſed Imagini exhibetur reverentia ſolum in quantum eſt Imago; ergo eadem reverentia ei exhibetur, quæ exhibetur illi, cujus eſt Imago. Veritas hujus diſcurſus pendet ex doctrina, qua Noſtri Patres Salmant. diſtinguunt duplex genus entium. Aliqua ſunt per ſe primo inſtituta ad eſſendum, aliqua per ſe primo ad repræſentandum. Prima ſunt per ſe primo abſoluta, ſecunda per ſe primo tranſcendentaliter reſpectiva. Inter entia ſecundi generis primum locum tenent ſpecies intentionales, quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem: cum enim, ut intellectus cognoſcat, neceſſe ſit, quod in ſe habeat objecta, & propter ſui limitationem non ea contineat in eſſe phyſico, nec propter materialitatem, vel diſtantiam poſſint ſeipſis præſentari immediate intellectui, neceſſe eſt dari ſpecies, quarum munus ſit repræſentare res diſtinctas, & diſtantes a cognoſcente. Hujus ordinis repræſentativi ſunt Imagines: ars enim imitando naturam adinvenit modum faciendi præſentia, quæ præterita ſunt, & quæ diſtantia mediis figuris. Ex quibus ſic.

Quod eſt eſſentialiter reſpectivum, attingitur eodem actu, quo res inſpecta; quia eſſen-

eſſentialiter reſpectiva totaliter ab altero pendent, & dicunt eſſe ad aliud; unde eſt impoſſibile ea attingere ut talia, & non attingere terminum, ſed Imago eſt eſſentialiter reſpectiva tranſcendentaliter, cum ſit per ſe primo deſtinata ad repræſentandum; ergo non poteſt attingi Imago qua talis, non attacto exemplari. Eo vel maxime, quod adoratio eſt actio voluntatis, cujus natura eſt ferri in objectum, ſecundum quod exiſtit in ſe, & non præciſive, ſicut facit intellectus.

Imago eſſentialiter reſpectiva.

299 DICES. Hæc probant adorari prototypon, non vero Imaginem: eadem namque eſt locutio D. Thom., ac Patrum. Dicere enim quod motus in Imaginem ſit motus in rem, cujus eſt Imago, & quod honor Imaginis tranſit in prototypon, eſt dicere quod res, non Imago adoretur; juxta ſenſum illorum verſiculorum, qui inviſuntur Venetiis in æde aurea, & dicuntur poſiti poſt VII. Synodum: quare judicandum eſt eſſe explicativos mentis ipſius Synodi. Verſus ſunt hi -- Nam Deus eſt, quod Imago docet,
„ ſed non Deus ipſa. Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa --

RESP. Difficultas hæc communis omnibus reſpectivis. Aliud eſt ſolum prototypon attingere, aliud ſolam Imaginem, aliud non poſſe attingi Imaginem ſine prototypo. Hoc ultimum evenit in adoratione Imaginum; ipſa Imago attingitur, ſed non propter ipſam, nec in ipſa ſiſtit motus, ſed tranſit ad aliud: quod infra clarius explicabitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

IMagines non eſſe adorandas adoratione eadem, qua prototypon, tenuerunt nonnulli. Ita P. Suarez *ſec.* 4. *diſp.* 54. *tomi* 1. 3. *partis*, tribuit Henrico *quodlibeto* 1. *q.* 6. Alberto Magno *in Mariali c.* 81. Maironi 3. *diſt.* 9. Gabrieli *ibidem*, *&* *lect.* 47. *in Canonem*. Chaterino *Opuſc. de Imaginibus*. Ayalæ 3. *de tradition. c. de cultu Imag.* Petro Cluniacenſi *lib. contra Petrobruſianos*, & aliis.

300 OBJIC. I. Concilia, & Patres expreſſe negant cuicunque Imagini tribuendum eſſe cultum Latriæ, ſed ſi Imago eſſet adoranda eodem genere cultus, quo prototypon, negari non poſſet Latria cuilibet Imagini, Chriſti videlicet, qui adoratur Latria; ergo. Maj. declaratur. In Nicæna Synodo II. *Act.* 7. ſtatutâ doctrinâ fidei circa cultum Imaginum dicitur -- Non ſecundum fidem
„ noſtram veram Latriam, quæ ſoli Divinæ
„ naturæ competit, ſed quemadmodum typo
„ venerandæ, & vivificantis Crucis, & Sa-
„ cris Evangeliis, & Reliquiis Sacris obla-
„ tionibus ſuffituum, & luminarium reve-
„ renter accendimus -- Denegat Imaginibus Latriam, & concedit eam, quæ convenit Evangelio, quæ abſque dubio ad ordinem inferiorem ſpectat. Quo teſtimonio docti dicunt, quod S. Thomas non docuiſſet eadem adoratione adorandam Imaginem, & exemplar, ſi hanc Synodum vidiſſet, quam non vidiſſe credit P. Suarez, & P. Vaſquez addit, nondum latinitati fuiſſe redditam tunc temporis.

Idem dicit Adrianus *tom.* 2. *Epiſt. Pontif.* -- Nequaquam autem ſecundum fidem
„ noſtram veram culturam, quæ decet ſolam
„ divinam naturam, ſed quemadmodum ſi-
„ gno pretioſæ, & vivificatæ Crucis, & Sa-
„ cris Evangeliis, & Reliquiis, & Sacris
„ ornamentis -- In VII. Synodo *Act.* 2. Thaſius admiſſa veneratione Imaginum, ſubdit -- Sed apertis verbis teſtamur, nos duntaxat
„ in unum Deum veram Latriam, & fidem
„ noſtram referre, & reponere -- Epiphanius Diaconus *Act.* 6. confutans calumniam illatam adoratoribus Imaginum ab Iconomachis ait -- Non tamen ob id illis Latriam ex-
„ hibuerunt, aut Divinam venerationem ad-
„ ſcripſerunt -- Et infra -- Modo ſciamus
„ excludi Latriam; hæc enim eſt alia a ſim-
„ plici adoratione --

RESP. Concilia, & Patres loqui de Latria abſolute accepta, & ſecundum primordialem conceptum, & ideo expreſſe mentionem faciunt illius, quæ ſoli Trinitati tribuitur, & quæ conjungitur cum fide reponenda in Adorato, ut patet ex teſtimonio Tharaſii, Imagines verò non adorantur hac abſoluta adoratione; in eis enim non eſt Divinitas, nec virtus Divina, ratione cujus poſſint fundare ſpem, & fidem noſtram in ipſis: & ideo dicebat Greg. *epiſt. ad Secundinum* ſuperius citata -- Et nos quidem, non quaſi ante Di-
„ vinitatem, ante illam proſternimur -- Cujus verbis utitur Concil. Senonenſe infra referendum: repetuntque Patres, & Concilia hoc dictum, ut occurrant calumniæ Iconomachorum imponentium Catholicis eos adorare Imagines eadem adoratione abſoluta, quaſi in eis eſſet aliquid Divinitatis, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit ſperandum, & petendum, fiduciaque in eis figenda: ſicut optime advertit Concil. Trident. *Seſs.* 25.

Ceterum aliquam aliam adorationem ejuſdem generis reſpectivam admiſiſſe Concilia, & Patres conſtat; quia aſſerunt expreſſe adorari ad prototypon, & tranſire adorationem ad prototypon; hoc autem nequit verificari, niſi ad eundem ordinem ſpectat; quia exemplificant comparando rebus reſpectivis, Cruci, Vaſis ſacris; & hoc contrapoſitive ad Latriam explicatam; ut intelligamus cultum competentem Imaginibus reſpectivum eſſe; quia concedit Synodus VII. deferri poſſe Imaginibus etiam cultum ſuffituum, hoc eſt incenſationis. Negat ergo Concilium cum Patribus Latriam abſolutam in proprietate, non autem reſpectivam. Illa ſoli Deo convenit, nullo modo Imaginibus: hæc Imaginibus convenit, & tranſit ad prototypon. Quare bene dixit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 3. -- Vel dicendum, quod motus, qui
„ eſt in Imaginem quodammodo eſt in rem;
„ non tamen motus, qui eſt in rem, opor-
„ tet quod ſit in Imaginem --

Quod addunt, D. Thomam aliter fuiſſe locutum, ſi vidiſſet VII. Synodum, arbitrarium eſt. Non enim quia non citat, ideo non vidit, & non vidiſſe, quia non erat latinitati tradita, abſurdius. Videant eam

tot

tot Patres Gallicani Seculo VIII., & quidem in latina translatione, quæ quia mendoſa, Anaſtaſius Bibliothecarius circa VIII. Seculum cum dimidio, aliam fecit: & hic Abbas Romanus erat, adeoque exemplaria in noſtra Italia nota erant. Deinde. Vidit D. Thom. Damaſcenum, ejuſque auctoritate utitur ad probandum Crucem, qua Imago eſt, adorari Latria; & nihilominus *lib.* 1., & 2. *Apologetico* S. Pater negat Latriam Imaginibus, & doctrina ejus eſt doctrina Concilii: non aliter ergo docuiſſet, ſi eam Synodum vidiſſet. Tenuit bene ſenſum Damaſceni, tamen & illum Concilii. Paſſim noſtri Doctores tribuunt prototypo, & Imagini idem genus adorationis, ſalva differentia abſoluti, & reſpectivi, nec putant diſcedere a Concilio.

301 DICES. Latriæ cultus ſolum eſt deferendus enti intrinſece Divino, ſed Imago, etiam formaliſſime accepta, non eſt quid Divinum intrinſece; ergo non debetur ei Latria.

Humanitas Christi Latria adoratur.

RESP. Latriam deberi non ſolum enti Divino in ſe, verum etiam connexo cum ente increato: ſicut Dulia civilis per ſe primo debetur ſuppoſito intellectuali, per ſe ſecundo, ſeu concomitanter tribuitur connexis cum ſuppoſito. Et in caſu: Humanitas Chriſti eſt ens creatum, & tamen Latria adoratur propter connexionem cum perſona Verbi: cum ergo Imago, cujus eſſe eſt in ordine ad prototypon, connectatur moraliter cum ipſo, adorari poterit abſque ulla inhoneſtate, adoratione ejuſdem generis.

302 INSTABIS. Unitas motus deſumitur ab unitate numerica, vel ſpecifica termini, ſed Imago; & prototypon non conveniunt unitate ſpecifica, vel numerica termini; quia natura Imaginis, & natura Chriſti æquivocantur; differunt enim plus quam genere: ergo motus nequit eſſe idem in Imaginem, & in rem.

RESP. Unitas motus adorationis deſumitur ab unitate rationis terminandi, quæ eſt excellentia; ſub hac autem poſſunt convenire plura diverſi generis, ſicut apparet in exemplo purpuræ, & Regis, Humanitatis, & Verbi. Sic Imago, quatenus munus ejus eſt referre exemplar, cadit ſub ratione eadem terminandi, qua exemplar: motus ergo afficit Imaginem, & tranſit in fontem.

303 URGEBIS. Minus Catholicum eſt Imaginem conſtituere partiale objectum Latriæ, ſed ſi eodem motu adoraretur Imago, & Chriſtus, Imago conſtitueretur partiale objectum Latriæ; ergo &c. Ita Mirandulanus.

RESP. neg. majorem. Non eſt minus Catholicum, humanitatem conſtituere partiale objectum Latriæ propter connexionem moralem. Eſſet minus Catholicum, ſi in Imagine conſtitueretur aliqua ratio Divinitatis intrinſeca; tunc enim creaturam Deum faceremus, ſed quod ingrediatur objectum Latriæ tamquam connexum cum ente Divino, quod repræſentat, nihil eſt contra Catholicam profeſſionem. ſicut nihil eſt in eo, quod detur Imago, Chriſtum figurans.

304 OBJIC. II. Si Imago adoraretur adoratione eadem, qua prototypon, adoraretur adoratione abſoluta; hac enim exemplar adoratur, ſed Imago non poteſt adorari, niſi reſpectivo cultu; debet enim adorari, ſicut exigit ejus natura, quæ eſt tranſcendentaliter reſpicere aliud; ergo &c.

RESP. neg. maj. Nam Patres, & Concilia negant abſolute Latriam convenire Imaginibus, ut adorabilibus, ut ſuperius ponderavimus. Tum quia dicunt, adorationem Imaginis, & quidem in ſenſu formali tranſire, & referri ad exemplar; hæ verò locutiones ſonant reſpectum ad aliud. Tum quia Imago formaliſſime accepta importat eſſe reſpectivum; ejus enim formaliſſima eſſentia eſt eſſe tranſcendentaliter ad aliud, ſed adoratur Imago qua Imago formaliter; ergo qua tranſcendentaliter reſpectiva: & cum adoratio debeat conformari naturæ rei adoratæ; neceſſario ſequitur, quod adoratio Imaginis non ſit abſoluta, ſed reſpectiva. Tum quia Imago tunc abuſive adoraretur; ideo enim adoratur, quia Imago non ponit in numero cum exemplari, eo modo, quo ſpecies intelligibilis non ponit in numero cum objecto, ſed qui cognoſcit ſpeciem prout ſic, ſolum objectum cognoſcit; ſpecies enim ſe habet de materiali: contemplatur autem intellectus objectum in ſpecie, non ſpeciem. Adoratur ergo reſpective Imago, quia motus ipſam afficiens, tranſit ad exemplar, & in ea non ſiſtit; quia in illa non invenit excellentiam propriam, ſed alienam, quam repræſentat.

305 OBJIC. III. Si idem motus eſſet in Imaginem, & rem, poſſet Imagini offerri Sacrificium, ſicut rei, v. g. Chriſto, cui enim competit ſuprema Latriæ adoratio convenit Sacrificium, & ideo quia Latria Chriſtum adoramus, Chriſto offerimus Sacrificium, ſed hoc videtur falſum; Sacrificium enim eſt ſignum ſenſibile proteſtativum ſupremi Dominii, & ſupremæ ſubjectionis: quod creaturæ non competit.

Junior quidam concedit maj. tum quia hoc ipſo, quod Imagini Chriſti acceptæ formaliter deferatur Latria, deferri poteſt Sacrificium; quia Imagini offertur Sacrificium cordis, quod eſt Sacrificium præſtantius exteriori, ex D. Th. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 2., & VII. Synodus ait -- Merito nos ad Imagines „ reverenter accedimus oblationibus ſuffi„ mum, & luminarium -- Nomine autem oblationis videtur intelligi Sacrificium; item Eccleſia ſalutans Crucem habet -- O Crux „ ave ſpes unica i Piis adauge gratiam, Reiſ„ que dele crimina. Sola digna tu fuiſti „ Ferre mundi victimam; Atque portum „ præparare Arca mundo naufrago -- Quibus Eccleſia orationem dirigit in ipſammet Crucem ut continentem.

Abſtinendum eſt ab hac locutione ad præcavendas occaſiones ſcandali apud Hæreticos, cum uſque adhuc videatur inauditum apud Patres Sacrificium deferri poſſe creaturis, & maxime inanimatis. Et revera S.Thom. 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 1., & alibi ſæpe docet Sacrificium ſoli Deo deberi; videtur enim habere ſupremum locum inter ſupremos Latriæ actus, adeoque ſoli omnino Deo reſervandum. Et ratio eſſe poteſt, quia Sacrificium

cium eſt proteſtatio ſupremi Dominii omnino abſoluti, & poſſeſſivi, & activi, ſub qua formalitate non eſt, neque analogice communicabile. Obſequium orationis minus videtur obſequio Sacrificii, & tamen primum negat Tridentinum Imaginibus, vultque in eis nullam fiduciam eſſe ponendam, ab iis nihil eſſe petendum, & loquitur de Imaginibus, ut Imagines, ſcilicet, quatenus adorantur.

Nec movent adducta a Juniore. Non I. quia Latria eſt quidem gradus, ut ita dicamus, genericus ſupremi cultus Divini, in quo ordine Sacrificium obtinet primitatem omnimodam, Deo ſoli reſervandam. Licet omnes rationes, quæ ſunt in Deo, ſint Divinæ, nihilominus eſt una formalitas exprimens majorem dignitatem ſupra ceteras, v.g. conceptus naturæ in eſſe emanativo, ſeu radicante, & ratio ultimi finis in eſſe terminantis: Ita in genere cultus Divini Sacrificium eſt actus ſpecialiter ſupremus, Deo ſoli reſervatus, nec communicabilis analogice. Deinde, licet plura munera exerceat ſpecies intelligibilis qua talis, quæ exercet etiam objectum, non tamen omnia, quæ exercet objectum, quod alias eſt in ſpecie, exercentur a ſpecie. Ita, licet adoratio exhibita Imagini ut tali, tranſeat ad exemplar, non tamen omnis adoratio exemplaris redondat in Imaginem, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 3. Ex quo ergo conveniat Chriſto Sacrificium, non convenit Imagini, ut facienti unum cum Chriſto. Applicari poteſt hic doctrina N. N. Salmant. *diſp.* 1. *de Scientia Dei* §. 7.

Non II. Indubie affectus interior non eſt Sacrificium proprie dictum, ut oſtenditur contra Hæreticos *de Euchariſtia*; loquimur enim hic de Sacrificio proprie dicto, quod conſiſtit in quibuſdam ceremoniis particularibus; & ratione harum induit ſpecialitatem incommunicabilem. Addo tamen ex D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 2. -- Etiam Sacrificium ,, ſpirituale ſoli Deo deberi -- & ideo ſicut ſoli Deo ſummo debemus Sacrificium ſpirituale offerre, ita etiam ſoli ei debemus offerre exteriora Sacrificia.

Non III. Mens Concilii abſque dubio alia eſt; ibi enim loquitur contrapoſitive ad adorationem Latriæ denegatam Imaginibus qua talibus. Ponit primo Imagines eſſe adorabiles ad prototypon. Secundo eis negat adorationem Latriæ. Tertio aſſignat proprios, & varios actus, & inter hos ponit citatum de oblatione: quare nullo modo trahi poteſt ad Sacrificium. Nomine oblationis ſuffituum intelliguntur donaria incenſuum, quæ adhibentur in Sacrificio.

Non IV. nam objicienti Wiclepho ſimilia verba, & redarguenti Chriſtianos de ſuperſtitione, quaſi ut rem animatam hi alloquantur inanimatam, ſolent reſpondere, non dirigi ad Crucem, ſed ad Chriſtum in Cruce Crucifixum, per figuram Rhetoricæ locutionis, & aliqua diriguntur ad Crucem ſolum in ſenſu inſtrumentali, non autem principali; & ſicut actio principalitatis non convenit inſtrumento, ita Sacrificium non convenit Imagini; quia Sacrificium eſt actus ſupremus omnino cultus Divini, qui non debet communicari: ſicut principalitas qua talis non tribuitur inſtrumento.

306 OBJIC. IV. Concil. Moguntinum *c.* 41. vult ſoli prototypo exhibendam eſſe adorationem, non Imagini; ergo non eſt adoranda eodem genere cultus. Verba Concil. ſunt -- Paſtores noſtri populum accurate ,, moneant Imagines non ad id proponi, ut ,, adoremus, aut colamus eas; ſed ut quod ,, adorare, aut colere, aut quarum rerum ,, utiliter meminiſſe debemus, per Imagines ,, recolamus -- Ecce, Imagines non ſunt adorandæ, ſed quod ſuggerunt memoriæ.

RESP. Concilium ſolum vult imagines non eſſe adorandas ſejunctas ab exemplaribus, ſed ut faciunt unum; & ideo, dicit has eſſe adhibendas, ut memoria excitetur, quia non faciunt unum, niſi ſub apprehenſione exemplaris, ut dicebamus ex Leontio. Quod clarius videtur explicatum a Senonenſi Concil. *c.* 14. -- Neque dum Catholicus quiſ- ,, piam Sanctam Chriſti veneratur imaginem, ,, aliquod Numen illi ſubeſſe putat, aut quaſi ,, Deum colit, ſed ob recordationem Filii ,, Dei, ut in ejus amore recaleſcat, cujus ,, Imaginem videre deſiderat. Et nos, qui- ,, dem non quaſi ante Divinitatem ante ima- ,, ginem proſternimur, ſed illum adoramus, ,, quem per imaginem, aut paſſum, aut ,, Throno ſedentem recordamur -- Ecce quomodo tota ratio adorandi Imagines eſt excellentia exemplaris.

Hic longam, & metaphyſicis innixam principiis quidam faciunt quæſtionem, an Imago inadæquate accepta, ut dicit in recto proprium modum eſſendi, & intrinſece connotat exemplar, quod non negat, ſed ab eo præſcindit, ſit adorabilis eadem adoratione, qua exemplar. Concedit Soares *tom.* 1. 3. *p.* *diſp.* 54. *ſec.* 5., cui alii contradicunt.

Labor iſte nobis non congruit; ad modicum enim otiis eſt. Solum innuo melius loqui, qui ſolam aliquam tribuunt honorariam venerationem, comprobatorque ex pio uſu fidelium, qui ſolent Imagines vetuſtate confectas, vel ſciſſas comburere, ne inter profana abjiciantur.

CONTROVERSIA XVIII.

AN IMAGO, SUB QUA DELITESCIT DÆMON, SIT ADORABILIS,

CUm Dæmonis adoratio, & ſtatuarum, per quas Dæmon loquitur, ad Idololatriam pertineat, ſequitur, non eſſe incongruum muneri noſtro reſolvere præſentis Controverſiæ difficultatem, licet Theologiæ anagogicæ propria videatur: Hæc porro ſufficienter explicari nequit, niſi aliqua præmittantur.

307 Præmitto ergo I. poſſe Dæmonem naturali virtute Imagines efformare, ſub quibus appareat. Conſtat hoc ex Angelico 1. *p.* *quæſt.* 117. *art.* 4. *ad* 2. his -- Dicendum, ,, quod ſicut dicit Auguſt. lib. 10. de Civit. ,, Dei. Et Chryſoſtomus tom. 2. hom. 29. ,, ſuper Matth. Frequenter Dæmones ſimu-

„ lant ſe animas mortuorum ad confirmandum Gentilium errorem, qui hoc credebant; & ideo credibile eſt, quod Simon Magus illudebatur ab aliquo Dæmone, qui ſimulabat ſe eſſe animam pueri, quem ipſe occiderat -- Item 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 4. *ad* 2. ſolvens objectionem deſumptam ex 1. Reg. 28. circa apparitionem animæ Samuelis factam Sauli, conſultâ Phyiboniſſa, ſecunda explicatione ait -- Vel non vere ſpiritus Samuelis a requie ſua excitatus eſt, ſed aliquod phantaſma, & illuſio Imaginaria, Diaboli Machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat: ſicut ſolent Imagines rerum ſuarum nominibus appellari -- Quam doctrinam ex Auguſtino refert Decretum 25. *quæſt.* 5. *cap. Nec mirum*: ubi aſſignat rationem, cur Dæmon juſti, & Prophetæ Imaginem aſſumpſerit? ideſt -- Ut plurimos fallat, etiam bonos in ſua poteſtate ſe habere confingit --

Dæmon in aſſumptis corporibus apparet.

A

Ratiin eſt, quia duplici modo poteſt Dæmon aliquid facere per apparentiam, vel interius operando, vel exterius -- Ab interiori, ſecundum quod Dæmon poteſt immutare phantaſiam hominis, vel etiam ſenſus corporeos, ut aliquid videatur aliter, quam ſit, ſicut ſupra dictum eſt, & hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. Ab exteriori: cum enim ipſe poſſit formare corpus ex aere cujuſcunque formæ, & figuræ, ut illud aſſumens viſibiliter appareat, poteſt eadem ratione circumponere cuicunque rei corporeæ quamcunque formam corpoream, ut in ejus ſpecie videatur -- Hæc S. Doct. *p.* 1. *quæſt.* 114. *art.* 4. *ad* 2.

B

C

Porro triplicitar poteſt Dæmon in Phantaſia, & ſenſibus apparentiam facere; I. per motum localem; creatura enim corporalis, ex D. Th *p.* 1. *quæſt.* 110. *art.* 3. obedit ad nutum Angelo quoad motum localem; quia natura inferior ex Divinæ ſapientiæ ordine in ſui ſupremo attingitur a natura ſuperiori: inter omnes motus autem corporeos localis eſt perfectior, quia mobile ſecundum locum ſolum eſt in potentia ad extrinſecum; & ideo natura corporalis nata eſt moveri a Spirituali ſecundum locum: unde poſuerunt Philoſophi quidam ſuprema corpora moveri a ſubſtantiis ſpiritualibus, & anima principaliter movet corpus motu locali -- Illa ergo, quæ ex motu „ locali aliquorum corporum poſſunt cauſari, ſubſunt virtuti Angelorum. Manifeſtum eſt autem, quod apparitiones imaginariæ cauſantur interdum in nobis ex locali mutatione corporalium ſpirituum, & humorum -- ait S. Doctor *p.* 1. *quæſt.* 111 *art.* 3., & infra explicabitur: II. applicando ſenſibus aliquas res corporeas, quæ taliter immutant alterando naturalem ſenſuum diſpoſitionem, ut apparere faciant vel ea, quæ ſunt, aliter ac ſunt, vel ea, quæ non ſunt, ſicut ea, quæ ſunt. Sic S. Tho. *loc. cit. quæſt.* 114.: III. efformando ſpeciem ſimilem alteri exiſtenti in intellectu alicujus, & illam offerendo ſenſibus illius, cui vult apparere -- „ Sed quia Dæmon, qui in phantaſia unius hominis format aliquam ſpeciem, ipſe etiam poteſt ſimilem ſpeciem alterius ſenſibus offerre -- ibidem D. Th.

D

E

308 Præmitto II. Viſiones Imaginarias Chriſti, Angelorum, & Sanctorum, fieri etiam opere præciſe debilis Imaginationis: quod docuit S. Doctor *p.* 1. *quæſt.* 111 *art.* 3. -- Unde Ariſtoteles in lib. de Somn., & „ Vigilia allegans cauſam apparitionis ſomniorum, dicit, quod cum animal dormit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſimul deſcendunt motus, ideſt, impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſpiritibus ſenſualibus conſervantur, & movent principium ſenſitivum: ita quod ſit quædam apparitio, ac ſi tunc principium ſenſitivum a rebus ipſis exterioribus mutaretur: & tanta poteſt eſſe commotio ſpirituum, & humorum, quod hujuſmodi apparitiones, etiam vigilantibus fiant, ſicut accidit in phræneticis, & aliis hujuſmodi --

Debilis imaginatio plura effingit.

Facile debilis Imaginationis perſonæ ſimiles apparitiones patiuntur; quia minus reſiſtunt commotioni ſpirituum, & aliquando ad pervenit vehementia commotionis, ut abripiat facultatem intellectus, impediens ne advertat ad deceptionem. Efficacitas etiam nimia intellectus nata fortiter moveri a ſenſatione valida Imaginationis, efficit, ut quidquid apprehendunt, putent ſe videre, idque juramento affirmarent. Ex eodem principio oriuntur apparitiones externæ: Imaginativa enim ſic diſtemperata corruptas traſmittit ſenſibus externis ſpecies: unde putant ſe oculis corporeis videre, quod ſola phantaſia interius conceperunt.

309 Præmitto III. Apparitiones Imaginarias fieri a Deo, Chriſto, Angelis, & Sanctis; non enim majoris virtutis eſt efformatio Imaginis alicujus objecti, quam productio realis ejuſdem objecti; ſi ergo productio conceditur Divinæ operationi, concedi etiam debet reproductio imperfecta, quæ fit per Imagines. Concedendam eſſe etiam Chriſto, Angelis, atque Sanctis Imagines efformandi virtutem, eorum ſtatus, dignitas, & perfectio ſuadent, & exigunt. Modus autem eas efformandi multiplex eſt. Si loquimur de Deo, cujuſcunque rei Imaginem producere poteſt. Si ſit rei, quam aliquando patiens vidit; excitat in eo Deus ſpeciem rei illius, quam primo habuit patiens in memoria repoſitam, puta ipſius videntis, vel Chriſti. Quandoque ex duabus, vel tribus ſpeciebus coordinatis tertiam efformat, puta, ut oranti Indicet ipſum futurum Martyrem, unit ſpeciem orantis cum altera ſpecie Martyrii, & conficit Imaginem repræſentantem orantem ſub Martyrio. Regulariter, & connaturaliter utitur ſpeciebus, aut integris, aut partialibus, quas patiens habuit per aliquem ſenſum, eaſque coordinat, ſuperinfunditque lumen illuſtrans, quo myſteria deteguntur. Quandoque autem novas omnino producit ſpecies, maxime rerum futurarum, quæ cum ſint participationes Divinæ præſcientiæ, dicuntur ſpeculum æternitatis, & qui in eis vident, videre dicuntur in ſpeculo æternitatis, quo cum Deus præſentia omnia videat, ideo pariter contemplantes in illis res objectas vident tanquam omnino præſentes: unde

Apparitiones quandoque a ſuperiori virtute.

Pro-

Prophetæ dicti ſunt videntes. Hæc ex D. Th. *de Verit. q. 12. art. 6., & 22. q. 137. art. 2.*

Angeli autem utuntur corporum aſſumptione, vel aliqua ſpecie præexiſtente in vidente, vel plurium, vel diverſarum coordinatione. Verum tamen eſt, quod virtute naturali non poſſunt eas ſupervestire illuſtrationibus, quibus myſteria ſuperiora, & veritates ordinis Divini conſpici poſſint, ſed illuſtratio hæc a Domino eſt, & quia Angeli ibi ſunt, ubi operantur, ideo in illis apparitionibus præſentes ſemper ſunt.

Chriſtus verò quantum ad aliena objecta, eodem ſpecierum artificio utitur. Quantum autem ad ſuum corpus, alio connaturaliori utitur. Cum corpus glorioſum ita ſit animæ poteſtati ſubjectum, ut etiam præſentibus reddatur inviſibile, & diſtantibus viſibile ad quamcunque latitudinem ſphæræ hujus Univerſi, ubi non obſtat corpus opacum, cujus impedimentum facile ſupplebile eſt a Deo, fit, quod quando vult Chriſtus alicui apparere, ſui ſpeciem immittat. Et hoc dicitur de aliis Sanctis, qui ſecundum corpus ſunt in Cœlo. Illi poſtea, qui ſecundum animam ſolum fruuntur Deo, immittunt ſpecies ſenſibiles corporum, quæ habuerunt, quæ ſpecies ad minus conſervantur in memoria Chriſti. Hæc D. Th. 4. *Sent. diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 4. *quæſt.* 3.

Diſcrimen Angelorum inter, Dæmonumque apparitiones.

310 Præmitto IV. ex eodem D. Th. 1. *p. quæſt.* 64. *art.* 2. *ad* 5. apparitiones Dæmonum ſemper ab eis dirigi ad decipiendum; hac enim flagrant cupiditate inducendi homines in errorem. In malo enim obſtinati ſunt; quare omnis eorum actio, deliberato fine pravo, vel circumſtantia vitioſa depravatur; adeoque bonum effectum non intendunt in hujuſmodi apparitionibus: ſecus Angeli boni, qui ſunt Miniſtri Dei in ſalutem Animarum. Dat porro S. Doctor *lect.* 3. *in c.* 11. 2. *ad Corinth.* ſigna ad diſtinguendam boni, & mali Angeli apparitionem -- In hoc poteſt „ cognoſci, quod Satanas ſit, quia bonus „ Angelus in principio hortatur ad bona, & „ perſeverat in eis; malus in principio qui„ dem prætendit bona, ſed poſtmodum vo„ lens explere deſiderium ſuum, & quod in„ tendit, ſcilicet decipere, inducit, & in„ ſtigat ad mala. 1. Joan. 4. Omni ſpiritui „ nolite credere; & ideo Joſue cum videret „ Angelum in campo ſuo, dixit, Judicum 5. „ Noſter es, an adverſariorum? Aliud etiam „ ſignum eſt, quod bonus Angelus, etſi ter„ reat in principio, tamen ſtatim conſola„ tur, & confortat, ſicut ad Zachariam Luc. „ primo. Ne timeas Zacharia. Et ad Bea„ tam Virginem dixit: Ne timeas Maria. „ Malus autem ſtupefacit, & deſolatum di„ mittit; & hoc ideo, ut ſtupefactum fa„ cilius decipiat, & perſuadeat ſibi —

Addit Seraphica Virgo Thereſia *cap.* 28. *ſuæ Vitæ* malum Angelum delectare in principio; delectationem tamen rejicit bonus ſpiritus. Ratio enim eſt, cum delectatio quies ſit animi, & quies ſit boni coaptati naturæ, & bono ſpiritui, ſeu animæ noſtræ ſolum bonum Divinum ſit coaptatum, & bonum, quod Dæmon præſentat, Divinum non ſit: ac proinde nec coaptatum, ab anima repudiatur. Bonus Angelus terret a principio, ſecus malus; quia timor facit cautum; & bonus Angelus, qui non venit ad decipiendum, ideo amat cautelam, eamque promovet; Dæmon verò vult decipere, & ideo cautelam refugit, ne detegatur. Timorem etiam ingerit bonus, quia in ſuis apparitionibus quandam ſemper Majeſtatem refert, ſecundum & ſtatus decentiam, & rerum ad ſalutem ſpectantium, quas tractat, dignitatem.

His præmiſſis, ſtatus Controverſiæ non eſt, an liceat adorare Imaginem Chriſti, vel Auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ, ſub qua delitеſcat Dæmon, ſi hoc certo ſciatur; nulli enim dubium eſt hoc eſſe pravum, ſed ſenſus eſt, an quando ignoratur, an Imago elaborata ſit a Dæmone, poſſint illæ Imagines abſolute adorari, ſeu nullo examine præmiſſo.

Dico. Abſolute, hoc eſt ſine examine, non eſt deferenda adoratio Imagini, ſub qua delitеſcit Dæmon, & graviter peccat, qui aliter agit.

311 PROB. I. Quod eſt contra Scripturam in re gravi, eſt graviter illicitum, ſed hujuſmodi adoratio eſt contra Scripturam in re gravi; ergo. Quod ſit in re gravi, conſtat; eſt enim in materia Religionis, quæ eſt prima virtus inter morales, & confinia Theologicalium attingens: Quod ſit contra Scripturam, patet ex 1. Joan. cap. 4. v. 1. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Nolite credere paſſim, & indifferenter, ſed probate, ideſt examen præmittite: *Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Egregie ad rem noſtram; plurimæ enim ex hujuſmodi apparitionibus falſæ ſunt, deceptoriæ, pſeudoprophetiæ. Hæc ibidem D. Thom.

Apparitiones ſeriò perpendendæ.

312 PROB. II. Res nova, & in materia gravi ante aſſenſum exigit diligentem diſcuſſionem, ſed apparitiones hujuſmodi ſunt res nova, & in re gravi; ergo ante aſſenſum præſtandum petunt diſcuſſionem diligentem. Totus diſcurſus in aperto eſt. Res nova, cum ſit præter curſum ordinarium agendorum, ex ſua novitate, ſicut ſuſpicionem, ſeu admirationem ingerit, ſic examen poſtulat ex ſua natura. Res gravis etiam in politicis, & humanis dirigi petit dictamine prudentiæ, quæ cauta eſt, & collativa, ac proinde diſcuſſiva: *Qui citò credit, levis eſt corde*, Eccleſ. 19. v. 4., ideſt imprudens. Min. non indiget probatione. Inſolitum modum eſſe Deum hujuſmodi apparitionibus uti in directione fidelium, patet ex ſe. Hac formalitate cum quibuſdam ſpecialiter electis converſatur. Rem gravem eſſe itidem ex ſe manifeſtum eſt; materia enim cultus Religioſi graviſſima eſt. Hæc D. Th. 3. *Sent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 6. *ad* 3. -- Di„ cendum, quod non poteſt Diabolus in ſpe„ cie Chriſti apparens ſine peccato adorari, „ niſi ſit conditio actu explicita; non enim „ ſufficit ſolo habitu; quia ipſa novitas rei „ inſolitæ conſiderationem, & attentionem „ requirit: ſicut dicitur de B. Virg. Lucæ 2. quod cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio —

313 PROB. III. Alio diſcurſu ejuſdem Doctoris. Res plena periculis non eſt ad-

mittenda, & acceptanda ſine prævio examine, ſed hujuſmodi apparitiones ſunt periculis plenæ; ergo. Min. oſtenditur. Facilis credulitas hujuſmodi manifeſtationibus tanquam Divinis exhibita, eſt incentivum, & fomes ſuperbiæ, quæ totum animæ vigorem corrodit: eadem facilis credulitas levitatem cordis fovet, pandit aditum, & januam aperit Dæmoni ad frequentandas falſas apparitiones ad decipiendum; & experientia conſtat inde multos fuiſſe deceptos. Audiatur D. Bonaventura 3. *Sent. diſtinct. 9. art. 1. q. 6.* -- Narratur enim de quodam Sancto Patre, „ quod cum ei Diabolus in ſpecie Chriſti apparuerit; ille clauſis oculis dixit, ſe in hac „ vita nolle Chriſtum videre; & Diabolus „ humilitate ejus confuſus, ſtatim evanuit. „ E contra de pluribus narratur, qui ſe ad „ viſiones idoneos reputaverunt, & deſideraverunt: & quod ad multas inſanias, & errores præcipitati ſunt -- S. Thom. *lect.* 3. *in cap.* 11. *ad Corinth.* docet Angelum malum hujuſmodi apparitionibus inducere fraudulenter errores, & peccata intendere -- Et „ hoc quando ea, quæ mala ſunt, facit apparere bona, pervertendo ſenſus hominis, „ & inflammando concupiſcentiam -- Et relato exemplo Monachi decepti, addit -- Unde valde difficile eſt, quod homo caveat „ ſibi; & ideo recurrendum eſt ad adjutorium Divinum -- Si ergo non eſt homini facile cavere ſibi a Satana transfigurante ſe in Angelum lucis, temerarium erit, & imprudens, apparitionibus hujuſmodi non diſcuſſis, obſequium exhibere.

Dæmon fraudes molitur.

314 PROB. IV. Proportionali ratione, qua illicitum eſt per Invocationem Dæmonum inquirere veritatem, eſt illicitum ſine examine prævio Imaginibus apparentibus cultum deferre, ſed illud primum eſt illicitum; ergo etiam ſecundum: Maj. declaratur doctrina D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 4. -- Secunda vero ratio ſumitur ex parte futuri eventus. Dæmon, qui intendit perditionem hominum, ex hujuſmodi ſuis reſponſis, etiamſi aliquando vera dicat, intendit homines aſſueſacere ad hoc, quod „ ei credatur: & ſic intendit inducere in „ aliquid, quod ſit ſaluti humanæ nocivum: „ unde Athanaſius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. Increpavit illum dicens: „ Obmuteſce, dicit: Quaſi vera fateretur „ Dæmon. Compeſcebat tamen Chriſtus ejus „ ſermonem, ne ſimul cum veritate, etiam „ ſuam iniquitatem promulgaret, ut nos etiam aſſueſaciat, ne curemus de talibus, „ etſi vera loqui videatur. Nefas enim eſt; „ ut cum adſit nobis ſcriptura Divina, a Diabolo inſtruamur -- Quo nihil pulchrius pro re nata.

Prima enim ratio urget magis in caſu noſtro, in quo ſupponimus non haberi pactum, nec ſcientiam Dæmonis deliteſcentis; hæc enim ſcientia monet de periculo. ſed quando vero neſcitur, facilius ſub latibulo inſidias parat incautis, & facile credentibus. Secunda ratio etiam urget, habemus enim in Eccleſia tot exemplaria, ſub quibus poſſumus obſequium præſtare Deo, & alia motiva approbata ad excitandam devotionem, & pietatem: quare de inſolitis non eſt curandum, ne contubernium familiare contrahat homo in ſui detrimentum cum Dæmone.

315 PROB. V. Ex D. Bonaventura *de Profect. Relig. cap.* 75. *lib.* 2., *& cap.* 76. Promovere ſanctitatem, & perfectionem inverſione ordinis a Deo ſtatuti, non eſt licitum ſine diligenti diſcuſſione, ut patet ex ſe, ſed facilis credulitas, & uſus ſimilium viſionum, quæ non faciunt magis Sanctum, nec ſunt meritoriæ, eſt electio medii promoventis ad Sanctitatem inverſione ordinis ſtatuti a Domino; ergo. Min. probatur auctoritate, & rationibus Sanctæ Matris Thereſiæ ad Venerabilem Catharinam a Jeſu *tom.* 2. *Hiſt. noſtra lib.* 7. *cap.* 30., ubi inter alia monita -- „ Primum, quod non ſcribatur quidquam „ de Revelationibus, nec curæ ſit; quia licet multæ veræ ſint; plures tamen falſæ „ ſunt, & difficile eſt, unam veritatem inter tot mendacia invenire, & periculoſum „ eſt, quia hac via magis elongamur a fide, „ quæ lux eſt certior qualibet Revelatione. „ Quia homines valde proni, & amici ſunt „ hujuſmodi ſpiritus, ſanctificantque de facili ſimilia patientes; quia eſt abnegare ordinem a Deo ſtatutum pro animæ juſtificatione, qualis eſt mediis virtutibus, & legis, ac præceptorum adimpletione.

Apparitiones inter extraordinaria ſalutis media recenſentur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

316 OBJIC. I. De quo regulariter habetur ignorantia invincibilis, non cadit ſub obligatione diſcuſſionis, ſed regulariter habetur ignorantia invincibilis, quod tales Imagines a Dæmone ſint; ergo. Min. declaratur. Ignorantia invincibilis ea eſt, quæ humano ſtudio non eſt vincibilis, ſed detegere apparitionem a Deo eſſe, vel non eſſe, non eſt humani ſtudii; pertinet enim ad donum diſcretionis ſpirituum, quod eſt paucorum, & quo regulariter carent fideles; ergo &c. Sufficit ergo ex habitu, quo nolumus Dæmonem colere, nec cum eo habere conſortium, nec illas Imagines adorare.

RESP. neg. min. Loquendo regulariter, ſeu ut in pluribus; nam in aliquibus caſibus dandam credimus ignorantiam invincibilem, ſicut accidit in pluribus, quod præcipue in puerulis, & agreſtibus eſt admittendum. Inducta vero probatio nulla eſt. Duplici enim via viſiones probari, & diſcerni poſſunt, probatione exteriori, & probatione interiori: Probatio interior habetur a lumine Spiritus Sancti, & dono diſcretionis; & hæc in paucis reperitur: Probatio exterior habetur per collationem, & comparationem ad doctrinam Eccleſiæ, ſeu ab effectibus: ſi enim dictæ apparitiones ad bonum inducant perſeveranter, ut dixi in ultimo notabili, ſignum congruum eſt, ſecus malum &c. Deinde in ambiguis recurſus ad Paſtorem ſuum, vel alium virum prudentem, regia via eſt, & commoda. Hæc ſecunda probatio poteſt eſſe in omnibus. S. Thom. *in cap.* 4. *Epiſt.* 1. *Joan.* -- Poſſunt probari probatione exteriori,

Unde vera dignoſcuntur apparitiones.

„ per

„ per ſignum ſcilicet, quod dat Dominus „ Matth. 7. A fructibus eorum cognoſceris „ eos: & hoc poſſunt facere omnes, ſed non „ probatione interiori --

317 OBJIC. II. Sine ulla conditione, & examine adoranda eſt Hoſtia; ergo ſine ulla conditione, & examine adoranda eſt Imago Chriſti quæcunque apparens. Conſequentia patet; quia utrobique eſt eadem ratio; nullibi enim eſt certitudo, ibi conſecrationis, hic deliteſcentis Dæmonis; utrobique periculum adorationis Idololatricæ; immo majus in primo caſo, quam in ſecundo, quia in primo adoratio ſiſtit in Hoſtia; in ſecunda non ſiſtit in Imagine, ſed tranſit ad exemplar. Porro ant. eſt D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 4., ubi Cajetanus addit, quod adoratio conditionalis notabiliter imminuit venerationem, & devotionem, cum conditionalis longe inferior ſit abſoluta, ſimilique timor ſuapte natura affectum imminuat. Hæc opponit Noſter Pater Balthaſſar a S. Catharina *in Comment. manſionis 6. cap. 9. Noſtræ S. Matris, Splendore 2. Reflex.* 1.

Eucbariſtia vur adoranda.

RESP. neg conſeq. Quia regulariter notum eſt omnibus, ſufficientes præmitti diligentias ab Eccleſia in approbandis Miniſtris Altaris. Conſecratio res nova non eſt, ſed familiaris, & quotidiana. Intentio neceſſaria facillima eſt, & eam non habere non eſt pretio æſtimabile: quare ex communi modo vivendi, & ſcientiâ datur certitudo moralis. Ceterum in apparitionibus oppoſitum evenit; non enim quotidianum eſt Deum apparere in viſionibus, Viris etiam Sanctis; privilegium ſiquidem ſingulare eſt ſpecialiter electorum. Aliunde notum eſt Dæmonem abuti hujuſcemodi Imaginibus, & pluries ipſum eas effingere, quam veraciter Deum apparere in illis.

318 OBJIC. III. Licet adorare Imaginem Chriſti elaboratam a peſſimo Sculptore ad finem pravum; ergo licet adorare Imaginem (ſine ulla conditione) a Dæmone efformatam, interius animo decipiendi; nam Dæmon ſe habet ut Pictor efformans Imaginem; adoratio autem non fertur in artificem, ſed in exemplar oppoſitum. Certe non videtur major ratio de Imagine interius elaborata, quam exterius in tela, vel argilla: at hanc ſecundam liceret adorare abſolute, etſi a Dæmone fabrefactam; ergo & primam. Hanc doctrinam approbat Mater noſtra *Manſione 6. cap. 9.* reprenditque imperitos jubentes his Imaginibus contumelias fieri. Hæc iterum N. Balthaſar.

RESP. neg. conſeq. Quia in caſu Imaginum interiorum, quarum fieri, eſſe, & conſervari dependet ab opere Diaboli, Dæmon non ſe habet pure extrinſece velut Pictor, & artifex, ſed ibidem deliteſcit, & præſens eſt; ideo adoratio non ſolum fertur in exemplar, ſed virtualiter in ipſum Dæmonem utentem Imagine boni ad decipiendum. Eſt enim hæc ſpecies quædam ſocietatis cum noſtro hoſte: Videatur Cajetan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. Porro nedum ſocietas formalis, ſed etiam materialis, ut accidit in aliis rebus ſuperſtitioſis, illicita eſt.

In ſuperſtitioſis ſocietas mala eſt.

Adde quod argumentum probaret licere adorationem etiam quando certo ſciretur deliteſcere Dæmonem, ſicut licet quando conſtat ab infami pictore certò elaboratam fuiſſe Imaginem. Secundum exemplum Imaginis permanentis a Dæmone factæ recte quadrat cum exemplo Pictoris: & tunc conceditur licere adorationem; quia pure extrinſece ſe habet; & hoc ſentit N. S. Mater ducta exemplo Pictoris. Ceterum abſolute, niſi habeatur certitudo moralis Dæmonis deliteſcentis, non ſunt facienda illi ſigna irriſionis, & contumeliarum. Aliud eſt injuriis afficere Chriſti Imaginem, aliud cultum ſuſpendere, primum imprudentiæ eſt, apparentem amicum, nondum inimicum probatum conſpuere, ſecundum e viro prudenti eſt probare, an amicus ſit, vel inimicus, qui apparet.

319 OBJIC. IV. Licet appetere objectum ex communi ratione ſonans in bonum, nec explicans malitiam, quamvis ſit vitiabile ab aliqua circumſtantia; ideo licet Confeſſiones audire &c., ſed adorare Chriſtum in Imagine ex genere malitiam non exprimit, ſed in bonum ſonat; ergo licet; etiam ſi poſſit vitiari circumſtantia prava Dæmonis deliteſcentis.

RESP. Doctrinam majoris propoſitionis a Moraliſtis traditam limitari per particularia adjacentia. Si caſus novus ſit inſolitus, privilegiatus, & aliunde periculoſus ſæpe in iis, quibus accidit, doctrina non tenet: examen requiritur, cautio, & diligentia. Caſus porro noſter eſt hujuſmodi. Actiones, quæ ex aſſiduitate, & ex carentia periculi, ac circumſtantiæ particularis fiunt nobis moraliter certo bonæ ex habitudine, amplecti poſſumus, aliàs nequaquam. Non negamus tamen licere quandoque materiale commercium cum Dæmone ex publica auctoritate ad utilitatem aliquam proximi, ejuſdemque Dæmonis compreſſionem vi exorciſmorum. Ad cujus propoſitum Angelicus 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 4. *ad* 1., cum ſibi objiceret, licere veritatem a Dæmone inquirere ex eo quod Chriſtus Marci 5. curans Dæmoniacum, dixit: *Quod tibi nomen eſt?* Reſpondit -- Quod ſicut Beda „ lib. 3. in Luc. cap. 32. tom. 2. Non velut „ inſcius Dominus inquirit, ſed ut confeſſa „ peſte, quam tolerabat, virtus curantis gra„ tior emicaret. Aliud autem eſt inquirere „ aliquid a Dæmone ſponte occurrente: quod „ quandoque licet propter utilitatem alio„ rum, maxime quando Divina virtute po„ teſt compelli ad vera dicenda: & aliud Dæ„ monem invocare ad cognitionem occulto„ rum acquirendam ab ipſo --

Quando objectum quod vitiari poteſt, appeti valet.

Quod diximus de Imaginibus a Dæmone elaboratis, proportionaliter dicendum eſt de illis, quas Imaginatio noſtra effingit: tum quia illis ſæpiſſime abutitur Dæmon: tum quia ſpecies a noſtra Imaginatione efformatæ non ſunt propriæ objectorum repræſentatorum, ſicut illæ, quæ a Deo ſunt; adeoque non continent in eſſe repræſentativo objecta Sacra, quibus cultus defertur; ac proinde eſt improportionatus: tum quia ſub illis ſpeciebus non latet quid Divinum, & tamen tribuitur eis adoratio, ac ſi Divinum lateret; ac proinde in his quid ſuperſtitioſum elucet. Sed de his ſatis. Noſtrum non eſt ulterius pro-

Digitized by Google

progredi, hæc enim ad Theologiam myſticam ſpectant. Qui tamen plura cuperet, videat librum P. N. Balthaſaris a S. Catharina, cui titulus: *Splendores reflexi ſapientiæ cæleſtis, emiſſi a glorioſis Hierarchis, Thoma Aquinate, & Thereſia a Jeſu ſupra arcem interiorem*, Italico Idiomate conſcriptum.

A

Quæ dicta ſunt de cultu Sanctorum, intelligenda ſunt de iis, qui judicio Eccleſiæ Sancti, vel Beati declarati ſunt; nec extenduntur ad eos qui Venerabiles dicuntur: unde Urbanus VIII. *tom. 5. Bullarii* prohibuit ad horum ſepulchra cereos accendere, tabellas votivas appendere (quæ tamen recipi poſſunt, & in loco ſecreto reponi) Imagines cum radiis depingere, & ſimilia. Non eſt tamen illicitus cultus, qui privatus dicitur, non quia coram paucis fiat, ſed quia auctoritate Eccleſiæ non fit, ſive coram paucis, ſive coram pluribus fiat.

B

Hac noſtra ætate, qua non conceditur Epiſcopis facultas declarandi Sanctos, videtur non præjudicare cultui privato ſi Sanctus coleretur licentiâ Epiſcopi: præjudicat tamen, ſi fiat publico in Templo, ſi in Oratorio privato Imago ſuper Altare ponatur, luminaria accendantur, in Litaniis nominetur, Officium eorum recitetur, vel Sacrum; quia hæc ſunt ſigna cultus ſpecialia ab Eccleſia inducta pro veneratione Canonizatorum. De cultu pariter publico intelligunt Doctores Bullam Alexand. III. *cap. Audivimus de Reliquiis, & veneratione Sanctorum* -- Illum ergo non præſumatis de cetero colere; cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ colere -- Licet velior aliqui eum loqui in caſu particulari unius in odium fidei occiſi in ebrietate, cui tanquam Sancto prohibet deferri cultum privatum: quare non eſt extendenda prohibitio ad Viros Venerabiles, qui ii appellantur, de quibus inſignia Sanctitatis fama divulgatur.

Qui cultus viris nondum Sanctorum albo adſcriptis tribui poteſt.

C

Privatum verò his Venerabilibus licere cultum ex eo conſtat, quod adhuc viventibus iſtis tribuunt homines non ſolum vulgares, verum etiam primarii, & prudentes ſpecialia honoris ſigna: ut manus deoſculationem; inclinationes, orationum poſtulationes, & ſimilia, quæ ſub experientia cadunt, nec ſunt vetita; ergo etiam dum creduntur in cæleſtibus, obſequia privati cultus exhiberi poterunt. Gratiæ enim conſummatæ ſtatus hujuſmodi venerationem exigit rationabilius; & eo vel maxime, quod ad ſolemnem Canonizationem poſtulantur miracula, quæ Sancti, vel Deus in Sanctis regulariter non facit, niſi media Invocatione. Neceſſe eſt ergo, quod invocari poſſint. Invocatio porro eſt ſpecies cultus. An verò expedita Bulla Beatificationis, ſed nondum completa publica functione in Vaticano a Summo Pontifice, recurrat dies obitus Beatificati, liceat in Oratoriis privatis Imaginem ſuper altare collocare, cereos accendere, dependet ab ea quæſtione: An publica actio Pontificis ad definitivam ſententiam pertineat, vel ad accidentalia. Si pertinet ad ſubſtantiam definitionis, quod probari videtur a paritate Canonizationis, in qua ſolemnis actio Pontificis ad eſſentiam pertinet, jam non licet; Si poſtea ſit accidentalis, quod videtur difficile, ex eo etiam quod in Templo publico ſigna cultus exerceri non poſſunt, & ea functione non facta non conceditur officium, tunc licebit.

Ad complementum forte eſſet neceſſe examinare quæſtionem illam, qua quæritur: An res omnes, ut præciſe ſpectant ad ordinem naturalem, ſive ut Imagines Analogicæ Dei, ſive ut veſtigium, adorabiles ſint. Verum contra Hæreticos nihil utilitatis exurgit ex ejus reſolutione, unde ad noſtrum inſtitutum nullo modo pertinet.

Interim quæcumque in hoc Tomo, ſicut & in aliis tradidi, ex corde ſubmitto Eccleſiæ Romanæ, Sedi Apoſtolicæ Judicio, paratus retractare quidquid Regulæ fidei, ac Conciliorum Decretis, Patrumque ſenſui nedum diſſonum, ſed etiam minus conſonum judicatum fuerit.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX

De neceſſitate artis Methodicæ in Dogmatica Theologia, deque qualitatibus ſervandis in Diſputationibus.

OPus ab hominibus elaboratum eo perfectius jure, meritoque cenſetur, quo Divinum æmulatur; cumque Deus omnia in numero, pondere, & menſura abſolverit, jam plane fit hominum opera, quæ ab hac recedunt regula, perfectione carere: Ordo itaque in re qualibet apprime neceſſarius eſt, eaque propter non tantum in Mechanicis conſtruendis, ſed etiam in profana, ſacrave tradenda doctrina nullimode deſiderari debet, quinimmo eidem ſuperaddenda eſt Methodus, quæ juxta Philoſophorum placitum nil aliud eſt, niſi via quædam Ordini inhærens, breviter, & cum ratione ad propoſitum finem conducens: Methodus autem, ubi ad tradendas ſcientias aſſumitur, quaſdam exigit conditiones, quarum prima eſt propoſitio rei, de qua agitur, altera eſt directio Diſputationis ad eum, qui auditor conſtituitur, tertia, ut ab elementis, quæ talis ſcientia habet, deſumatur initium, ultima demum, ut nobis notiora proponantur. Haſce conditiones Polemica Theologia, ut recte ſacra ſtabiliat dogmata, ſervare debet: ſua namque habet fundamenta fides noſtra, ſua habet elementa, ſuos itidem Auditores.

Methodus quid ſit.

Haud tamen ſat eſt Polemicam Theologiam præclara habere fundamenta, atque firmiſſima principia; æqualis excellentiæ formâ eſt diſponenda: Hæc porro eo reſpicit, ut illatæ velut Concluſiones a principiis rite dimanent, ſeu deducantur, & in eadem reſolvantur. Quoniam verò ad deducendas Concluſiones regula aliqua adoptanda eſt. Quænam aptior ſit, apud Recentiores adhuc ſub judice eſt. Contendunt aliqui modum diſputandi, proponendique Controverſias ſoluto ſermone fore præeligendum, plerique eum aptiorem volunt, qui Dialecticis aſtringitur legibus. Hos ſane meliorem partem eligere mihi indubie videtur; evidenti ſiquidem experientia compertum habeo abſque Dialectica arte nullam difficultatem perfecte inveſtigari: Nec aliter quidem contingere valet: Etenim, ſi illa deſideretur, quantuncunque eloquenter, eruditeque ſermo inſtituatur, nuſquam omnia expendi, excutique poſſunt. Non inficias imus in uſu artis ſcholaſticæ fore prorſus eliminandas cavillationes, aereaſque ſpeculationes. Ceterum ipſa Methodus theſauros eſt inæſtimabilis Dogmaticam ditans Theologiam; æneus velut murus eſt Polemica Dialecticarum ad normam regularum elaborata, ut tradit S. Baſilius *ad cap. 1. Iſaiæ* -- Facultas Dialectica muri inſtar eſt dogma„ tibus, quod ea non ſinit facile diripi, & „ quorumlibet incurſioni patere -- ideo eam tot criminationibus impetunt Hæretici, eam maligno proſequuntur odio, atque nervis omnibus perdere ſtudent, hinc Dialecticæ uſum tanquam crimen Auguſtino objiciebant Donatiſtæ, ut legere eſt *lib. 1. contra Creſconium Grammaticum cap.* 13., & Wiclefus audacter aſſerere non dubitavit -- Univerſitates, Stu„ dia, Collegia, graduationes, & Magiſte„ ria in eiſdem eſſe vana Gentilitate intro„ ducta, & tantum prodeſſe Eccleſiæ, ſicut „ prodeſt Diabolus -- ut patet ex damnato Articulo in Concilio Conſtantienſi. His ſuppetias ferre conati ſunt Calvinus, & Lutherus; horum primus paſſim in ſuis Inſtitutionibus Theologos Scholaſticos *Sophiſtas* vocat, docetque illos -- velut obducto velo Chriſtum „ texiſſe, & plurima mala illis accepta re„ ferri debere -- tradit ſimiliter -- quod tota „ Papatus Theologia immane ſit Chaos, & „ horribilis labyrintus; quia, neglecto Chri„ ſto, ſibi inſanis, & ventoſis ſpeculationi„ bus indulgent -- apud alterum verò licet ſub primordiis prævaricationis ſuæ in pretio fuerit Scholaſtica Theologia, cum ab Academiis, atque Univerſitatibus doctrinæ ſuæ judicium exquiſierit, attamen *lib. 2. de abroganda Miſſa* cetera inter convicia, quæ adverſus eam evomuit, Theologorum Scholas *Satanæ Lupanaria* nuncupavit. Nec ab hiſce deliramentis reliqui diſcrepant Novatores. Porro ſi Dialecticæ uſum tantis proſequuntur criminationibus Hæretici, jam in aperto eſt, quanti valeat ad eorundem revincendos errores.

Hæretici adverſus Scholaſticos.

Et ſane, quæ ad rectam, atque ſinceram veritatis dilucidationem ſunt neceſſaria, uſum Scholaſticæ Diſputationis exquirunt. Articulus diſcutiendus perſpicue proponi debet; ſi enim claritas deſideretur, tota confunditur Diſputatio, tempuſque teritur inutiliter: Claritatem hanc tribuit Dialectica; Propoſitiones apertæ eſſe debent, nec dubiæ pro certis, nec falſæ pro veris ſunt admiſcendæ, ſeu permittendæ, ut nullus ſubſit deceptioni locus: Hoc autem non eſt niſi Dialecticæ opus; ipſa namque falſa negat, dubia diſtinguit, proindeque omnia declarat. Verba hæreſes faciunt, ex S. Hieronymi effato, eapropter Hæreticis ſolemne eſt, peregrinas adoptare phraſes, quibus errores ſuos obvolvant: Fraudi huic ſcholaſtica occurrit methodus, quæ Diſputantes ad certos locutionis terminos aſtringit, & hac arte familiare Hæreticorum eluditur artificium, quo quæſtiones, ut dicitur, de lana caprina ſolent excitare. Prolixam teſtimoniorum confer-

Methodus Scholaſtica fraudibus occurrit Hæreticorum.

ferciunt Orationem, eademque ſubdole di-
ſponunt, amœnam admiſcentes eloquentiam,
atque, dum ſermonis elegantiâ alliciunt, a
recto veritatis ſcopo declinantes, venenum
inſpirant, ut apte advertit S. Hieronymus ad-
verſus Luciferianos; doloſum hunc nocendi
ſtudium detegit Dialectica, dum brevi ſyl-
logiſtica forma effuſum comprimit ſermonem,
florentemque illam captionem palam facit.

Fraus altera in Hæreticorum Diſputa-
tionibus non raro occurrit, videlicet, dum
unum proponunt diſcutiendum articulum,
alios admiſcent extraneos, adeoque de Eu-
chariſtia v. g. agentes ad Sanctorum invoca-
tionem ſermonem convertunt, ut tumultua-
riâ rerum ſartagine veritatis certitudo con-
fundatur; coacervant inſimul maledicta, &
contumelias in Romano-Catholicos, quod
apte reprehendit Auguſtinus *lib. 3. cap. ult.
contra litteras Petiliani*. Hanc etiam fraudu-
lentiam tollit ſcholaſticus ordo, dum ſtatum
quæſtionis immotari non ſinit, & quodlibet
propriis in locis verſat, nec maledictis inſi-
ſtit, ſed documentorum pondera perpendit.
Proteſtantibus maxime arridet Catholicis af-
fingere, quæ nullimode excogitarunt, eaque
propter amphibologicis verbis dogmata pro-
ponunt, ut inde legitimi dogmatis examen
effugiant: Verum licet hi aſtu valeant, elu-
duntur tamen a Scholaſtica arte, quæ clare
dilucidat, quid pars utraque ſentiat.

Sæpe numero contingit generalia quæ-
dam principia ab Hæreticis modo negari,
modo admitti; non raro Scripturam, quam
ad ſuum propugnandum errorem adoptarunt,
canonicam poſtmodum negant, dum eadem
adverſus eos urgetur. Scholaſticum in hiſce
caſibus artificium mire deſervit, ſive ipſos ad
contradictoria deducendo, ſive ad illorum
manifeſtandam inconſtantiam. Hæreticorum
libri ſophiſticarum cavillationum referti ſunt,
ut egregie compertum facit Ignatius Fiomi
1. *parte Schola veritatis Orthodoxa, Narratio-
ne VIII.*, unde ad eas detegendas, diſſolven-
daſque Polemicam diſciplinam dubio-procul
Scholaſtica Methodo indigere ad unum om-
nes facile percipere poſſunt.

Neceſſitatem Dialecticæ in tradendis
Dogmatibus quam maxime demonſtrat appa-
rens quandoque contradictio in Scripturis,
in Patribus, in Conciliis. Plura invicem ad-
verſari videntur, pluraque hæreticis favere;
hæc porro concordari, atque explicari æquum
eſt; quod ſine ſcholaſtica methodo fieri eſt
perdifficile. Illud quidem indubium eſt, ſo-
luto ſermone, haud poſſe exacte Controver-
ſias examinari; non enim auctoritates aucto-
ritatibus, Concilia Conciliis, Scripturis con-
ferri poſſunt Scripturæ; quod ſi quandoque
id fiat, velut fortuito id contingit; unde
nequit, quantum opus eſt, concordantia elu-
ceſcere; quinimmo compertum habui ſub hac
eloquenti methodo proponendi doctrinam,
æqua lance, verum apparere fidei articulum,
ac Proteſtantium errorem. Neque ego ſolus
ex longa hac ſuper re experientia in hanc ſen-
tentiam deveni, ſed & plures primi ſubſellii
viri ejuſdem labii ſunt. Hos inter occurrit
nuperrime Cl. P. D. Camillus Durantes, qui
in Præfatione ſui Criterii Novorum Syſtema-
tum referens Diſceptationes inter Catholicos
A Anglos, & Hæreticos inſtitutas juxta recen-
tiores Philoſophandi leges ſubdit -- Plauſu,
„ quod unus, & alter ſe egerint erudite,
„ claudebantur Diſputationes, & vergebat
„ interea cauſa fidei in deterius, cum vide-
„ retur in opinionem deficere, in qua eſſet
„ diſputabile utrimque eleganter, & erudite,
„ Dogma, quod Eccleſia proponit, & quod
„ contra Eccleſiam inveait Hæreſis -- Utque
res clareſcat, librum revolve unius ex recen-
tioribus Controverſiſtis, qui oratoria decla-
matione fidei dogmata pertractet; v. g. ut
realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtia
comprobet, nonniſi longam congerit aucto-
B ritatum ſeriem tum ex Scripturis, tum ex
Conciliis, tum ex Patribus excerptam, dein
ad alium articulum propugnandum ſub eadem
methodo accedit. Idem prorſus præſtant No-
vatores, ut hæreſim ſuam firment, non dari
v. g. reale Chriſti Corpus in Euchariſtia; ea
propter occurrunt canones contra canones ex
eadem Scriptura, ex eodem Patre, eodem-
que Concilio, ut æque probata videatur pars
utraque, quin deprehendi poſſit, quæ vera,
quæve falſa ſit ſententia: Ubi verò ſub Dia-
lecticæ regulis momenta diſponuntur, ſtatim
veritas ſeſe exhibet conſpicienda. Quod vel
ipſe Beza fatetur *in Colloquio Montpelgartenſi*
C *contra Smidelinum* inquiens -- Ego libentiſ-
„ ſime peterem, ut ſyllogiſtice ageremus;
„ ſic enim melius apparent omnia --

Nemo ſane inficiabitur ad ſinceram ve-
ritatis cognitionem apprime fore neceſſarium,
ut rationes, quæ pro utraque parte ſtant,
perpendantur: ſæpe etenim obſcuræ ſunt, nec
perviæ, aliàs Magiſter, & Doctor debet eſſe
paratus rationem reddere fidei noſtræ, ut do-
cet Apoſtolus, atque inſimul adverſariorum
argumenta enervare: Ad hoc autem utiliſſi-
ma eſt Scholaſtica Methodus, immo in pri-
mis neceſſaria, ut & catholicæ fidei funda-
menta ſolidiora demonſtrentur, & objecta
D ab Hæreticis diſſolvantur. Sic Arnobius, qui
paulo poſt S. Leonem Papam floruiſſe vide-
tur, *in conflictu Catholici cum Serapione* -- Ars
„ Dialectica in rebus obſcuris ingreditur, ut
„ videatur eſſe verum, quod verum eſt -- In
ejuſdem commendationem egregie ſcripſit
Auguſtinus, ut legere eſt *lib. 1. contra Cre-
ſconium Grammaticum cap.* 13., *&* 14. Non
eſt tamen prætermittendum quod in Diale-
cticæ artis commendationem tradit laudatus
Doctor *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 1., ubi ſermo-
nem habens de Theologia, ut eſt ſcientia,
& habitus beneficio artis Syllogiſticæ diſcur-
ſivus ait -- Per hanc ſcientiam fides ſaluber-
E „ rima, quæ ad veram beatitudinem ducit,
„ gignitur, nutritur, defenditur, robora-
„ tur --

Ne quis autem ſuſpicetur tantummodo
apud Auguſtinum in pretio fuiſſe Scholaſti-
cam Methodum, placet Patrum ſenſa in me-
dium afferre: Itaque Clemens Alexandrinus *Patres Dialectica artis commendatores.*
lib. 2. Stromatum, habet -- Eſt per ſe ipſam
„ perfecta, & nullius indigens doctrina Sal-
„ vatoris, utpote facultas, & ſapientia Dei.
„ Porro Græca Philoſophia ad eam accedens,
„ non potentiorem facit veritatem, ſed ſo-
„ phiſticam adverſus eam impreſſionem im-
„ be-

„ becillem reddens , propulſanſque doloſas
„ contra veritatem inſidias, congruens vineæ
„ ſepimentum , & vallum dicitur -- & *lib. 6.*
Dialecticam iterum appellat -- ſepimentum ,
„ ut ne a ſophiſtis veritas proculcetur --
S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 20. commendat S. Baſilium , quod ſcientias omnes egregie calleret , potiſſimùm verò Philoſophiam, illamque partem -- Quæ in logicis demon-
„ ſtrationibus , aut appoſitionibus , & con-
„ certationibus verſatur , quam Dialecticam
„ nominant : In qua adeo excelluit , ut iis ,
„ qui cum eo diſputabant , facilius eſſet e la-
„ byrinto ſeſe extricare , quam argumento-
„ rum ejus laqueos effugere , ſi quando res
„ ita poſtularet -- Et ſane legentibus libros
S. Baſilii , & Gregorii Nyſſeni *adverſus Eunomium* abunde compertum ſit, nonniſi ex Dialecticis regulis captioſa Hæretici argumenta ſuiſſe diſſoluta . Eandem artem adoptaſſe S. Cyrillum Alexandrinum ex ſuis ſcriptis habemus , ut hæreticas fallacias pateſaceret .

Scio utique Sanctos Patres dialecticis regulis eâ non uſos fuiſſe methodo , quæ nunc apud nos extat , ſed iidem noſcere ad unum omnes poſſunt , ſolutum ſermonem , qui a Noſtratibus aſſumitur , ab illo Patrum maxime diſcriminari , ſive Orationis vis, ſive mira dicendi ars , quibus Patrum libri excellunt , perpendantur ; aliàs impræſentiarum multiplicatæ ſunt Hæreſes , atque ſophiſmata, quibus nervoſe occurri non poteſt ſolutâ eloquentiâ , nec alius opportunior occurrit modus , quam Scholaſtica Methodus, quâ bene omnia declarantur: Unde apte cum Hieronymo dici poteſt -Vere enim quidquid in ſeculo dogma-
„ tum perverſorum eſt, quidquid ad terrenam
In cap. 25. Ezech. ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum ,
„ hoc dialectica arte ſubvertitur , & inſtar
„ incendii in cineres, favillaſque diſſolvitur ,
„ ut probetur nihili , quod putabatur eſſe
„ fortiſſimum -- Non inficias imus plurimum nos debere Patribus , qui arma nobis ſuppeditarunt , ut Hæreticos revincamus ; unde & jure, & merito Melchior Cano *in Proœmio ad libros de Locis Theologicis* fatetur ex Veterum eruditione non minima ad nos deveniſſe commoda , ſubdit tamen -- Cum autem ju-
„ nioris ſcholæ operam , & curam repetere
„ inſtituo , plurimas utilitates intelligo novæ
„ hujus artis ſubſidio , & diligentia compa-
„ ratas . Ac me ſane diu cogitantem ratio
„ ipſa in hanc potiſſimum ſententiam duxit ,
„ ut exiſtimem utroſque de bonis artibus
„ juxta eſſe bene meritos . Quoniam & ſi pri-
„ ſci doctrinarum auctores doctiſſimis qui-
„ buſque , ac diligentiſſimis magnam divi-
„ tiarum copiam ſuppeditavere : at Recen-
„ tiorum inopia docendi facilitate penſatur ,
„ qua in rudium , & inertium animos arti-
„ ficioſius influunt , & quæ fuſe olim diſpu-
„ tabantur , ac libere , ea nunc articulatim ,
Recentiores in methodo diſputandi præſtant Antiquis. „ preſſeque dicentes, lucem non parvam in-
„ ventis priſcorum obſcurioribus afferant . At-
„ que hac una in re , quantum animi mei
„ conjectura colligere poſſum , juniores vel
„ pares antiquis , vel etiam ſuperiores , re-
„ perientur ceteris omnibus longe inferiores .
„ Certe poſt priores illos , in rerum inven-
„ tione tribuere ſibi poſteriores vix quicquam
„ poſſunt . Ordinem verò , diſpoſitionem ,
A „ perſpicuitatem ſibi ſi aſſumunt , videntur
„ ea jure ſuo quodam modo vendicare . Qua-
„ propter utriſque legendis efficiet Theolo-
„ gus Scholaſticam Diſputationem ſine dubio
„ pleniorem . Nam ex illis quaſi materiam ,
„ ex his tanquam formam differendi mutua-
„ tus , potens nimirum erit exhortari in do-
„ ctrina ſana , & eos qui contradicunt ar-
„ guere . Quod eſt , ut Paulus ad Titum
„ ait , Chriſtiani Doctoris præcipuum inſti-
„ tutum --

Sunt nonnulli, qui accuratam elocutionem deligentes *ipſum ſcholaſticum nomen ut barbarum , ineruditum , & nulla dignum exi-*
B *ſtimatione abhorreant* , ut ait Sixtus Senenſis *in ſua Bibliotheca lib. 3. Methodo* 23.

Verum proſequitur laudatus Auctor --
In divina Scientia impolita elocutio non officit. „ Sane mihi graviter in hoc videntur errare ,
„ & Ciceronis ſui judicium , quod tantopere
„ admirantur, contemnere . Is enim a Philo-
„ ſopho non eloquentiam , ſed eruditionem
„ requirit . Nam *lib. 1. de finibus bonorum ,*
„ *& malorum* , Epicuri mentionem faciens,
„ Oratio me , inquit , iſtius Philoſophi non
„ offendit , nam & complectitur verbis quod
„ vult , & dicit plane quod intelligam . Et
„ tamen a Philoſopho , ſi affert eloquentiam,
„ accipio ; ſi non habet , non admodum fla-
C „ gitem . Cum igitur Cicero a Philoſophis
„ eloquentiam minime expoſcat , non video ,
„ cur eadem tantopere a Scholaſticis Theo-
„ logis exigi debeat ; qui licet juxta Pauli
„ ſententiam imperiti ſint ſermone , non ta-
„ men ſcientia : ſed quanto magis elocutio-
„ nis elegantiâ deſtituuntur , tanto magis
„ eruditione præſtant , proponentes non pi-
„ cta , ſed ſolida , docentes quæ maxime
„ proſunt , & quæ ad deſtinatum finem per-
„ tinent , & ita docentes quemadmodum
„ oportet , & cum rudibus , & cum erudi-
„ tis -- Eadem ſenſa adoptavit memoratus
„ Melchior Cano *in Proœmio lib. 2. de Locis*
D *Theologicis* -- Si Theologus non afferat elo-
„ quentiam , tantum abeſt , ut aſperner , ut
„ ne flagitem quidem . Nam de rebus ob-
„ ſcuris , atque ad intelligendum difficilibus
„ dilucide dicere , nec ſententiis ſolum ar-
„ guere , ſed verbis etiam ornate adeo eſt o-
„ peroſum , & arduum , ut iniquus futurus
„ ſit , qui voluerit efflagitare -- Aliàs , ut
ſcribit Auguſtinus *lib. contra Adim. cap.* 11. --
„ Mundanis Scriptoribus tota cura de verbis
„ eſt , noſtris de rebus -- & *lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap.* 11. -- Bonorum ingeniorum
„ inſignem eſſe indolem in verbis verum a-
„ mare , non verba -- Immo Dominicus Ban-
E „ nes *in D. Thomæ Proœmium in 1. p. §. 3.* ait
-- Nota quarto , quam ſit neceſſarium præ-
„ ceptori Theologo præſertim in Schola di-
„ ctanti ab eloquenti , ornataque oratione
„ abſtinere , quoniam id ſine diſpendio multi
„ temporis fieri nequit , & ſcholaſticorum
„ argumentorum vim dictionis mollicies e-
„ nervat -- His addas velim , quæ ex laudato Cano inibi leguntur -- Nemo politioris
„ literaturæ candidatus in ſcholaſtica diſpu-
„ tatione orationem a me terſam poſtulet ,
„ ne dum rhetorum phaleris adornatam .
„ Scholam enim ego placare volo , ſcholæ

Digitized by Google

„ propria verba, peculiareſque loquendi formas ſubmovere non audeo. Nam & ſi diſputare copio ornatius, quam ſolent noſtri,
„ at non debeo tamen labores duos afferre
„ Theologis, unum in rerum, alterum in
„ verborum intelligentia. Breviter lectoribus ego meæ mentis fateor arcanum, qui
„ per me formam in Theologia diſſerendi
„ habiturus eſt, nolo ut is mea ſcripta difficulter intelligat, & ad Theologum cognoſcendum, grammaticum quærat interpretem -- Perperam igitur ob inelegantiam elocutionis acuitur lingua adverſus Scholaſticam methodum, potiſſimum cum ex Becano *in Proœmio Theologiæ Scholaſticæ art.* 2. *Concluſ.* 2. -- Theologia Scholaſtica, hoc eſt,
„ in ſcholaſtico ſtylo tradita, ad fidem inducendam, retinendam, defendendam, &
„ illuſtrandam, proindeque ad ſalutem, utiliſſima ſit --

B

Et merito quidem; ipſa namque præter ea quæ communia habet cum Theologia, oratoria elocutione tradita, videlicet, quod fidei principia exponat, tueaturque, perſcrutetur itidem, quæ ex iiſdem fidei principiis conſequuntur, illud ſpecialiter ſibi vendicat, ut preſſius urgeat adverſarios, & clarius veritatem dilucidet.

Præſtat audire laudatum Doctorem *loco cit.* -- Niſi Theologia Scholaſtica utilis eſſet
„ ad myſteria fidei explicanda, illuſtranda,
„ & contra hæreſes propugnanda, eam Sectarii tanto odio non proſequerentur; ſiquidem idcirco eam amoliuntur, quia ipſorum inſidias aperit, argumentationes captioſas ſolvit, & ut verbo dicam, hæreſes
„ omnes labefactat, quod quidem recentiora
„ Concilia luculentiſſime conteſtantur pota
„ Viennenſe ſub Clemente V. Florentinum
„ ſub Eugenio IV. Lateranenſe ſub Leone X.,
„ & Tridentinum ſub Paulo III., & Julio III.,
„ & Pio IV., quorum dogmata contra hæreticos definita, fere omnia ex S. Thomæ
„ doctrina deſumpta ſunt --

C

D

Ut tamen, quæ hucoſque diximus, invicte comprobentur, operæ pretium erit, ea recenſere, quæ prænominatus P. D. Camilius Durantes in eadem Præfatione tradidit: inibi legere eſt, quanti facienda ſit Scholaſtica Theologia, & quanti Scholaſticum valeat dicendi genus ad Hæreſes eliminandas, remque evincit totius Catholicæ Angliæ teſtimonio, quæ noviſſimis hiſce temporibus redeuntes Juvenes a Collegio Anglorum Ulyſſipone pro iiſdem extructo novit quidem egregie Eccleſiaſticis notitiis, criticiſque prudentioribus excultos, ſed enerves viribus Logicæ; unde fidei cauſa caſſo, irritoque conatu verſabatur, atque, ut ſuperius adnotavimus, vergebat in deterius. Doluerunt Angli, novumque docendi modum reprobantes, etiam atque etiam rogaverunt, ut eorum filii inſtituerentur, efformarenturque -- in antiquum Philoſophandi morem inſignes in
„ arte logica, ac quæſtionibus Theologicæ
„ Scholaſticæ tantum, ut poſſent inde inſtructi armis poſtmodum arripiendis pro
„ opportunitate nedum inde re certando, ſed
„ ferire, ac proſternere errores, quod ſola
„ argumentatione recte, ac conſtanter perducta uſque ad finem obtinuiſſent. Ita factum
„ eſt, & exitus feliciſſimus actum probavit:
„ Angli maxime contenti idem ſemper inculcant, teſtantes Eccleſiam a novis Candidatis Scholaſticis recipere frequentes fructus, multamque Meſſem -- Indidem plura pro te nata.

E

A

Videatur etiam Annatus in Apparatu ad poſitivam Theologiam Editione V. tum in Præfatione, tum in Articulo 1. 2., & 3., ubi de neceſſitate Scholaſticæ Theologiæ.

Ex his porro compertum quiſque habere poteſt, quæ aptior ſit methodus pro inſtituendis Polemicis Concertationibus; quoniam verò Alumnos alloquor, qui ad evangelizandum mittendi ſunt, quibus proinde ſæpe continget cum Infidelium, Hæreticorumque Miniſtris agere de Catholica Fide, operæ pretium erit nonnullas ſubdere regulas a Patribus traditas, ut omnia ex voto eveniant. Brevi calamo eas perſtringam, quas alias fuſe expendit Ignatius Fiumi *in Atrio Scholæ veritatis Orthodoxæ*, & Gravina *tom.* 1. *Catholicarum Præſcriptionum adverſus Hæreſes in Methodica Analeſi*.

B

S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 1. *de Theologia* neceſſitatem probe noſcit diſputandi cum Hæreticis: Hi namque ſive in foro, ſive in Conviviis, ſive in Templis ſolent ad diſputandum provocare -- Et res huc redit,
„ ut horum diſputationibus, & forum omne
„ circumſtrepat, & convivia omnia hujuſmodi
„ nugarum tædio obtundantur -- Ipſis igitur occurrendum eſt a Catholicis Doctoribus, ne Populi eorum fraudibus decipiantur; Ut tamen fidei noſtræ bene ſit, ſequentes regulas tradit.

C

Regulæ in Diſputationibus ſervandæ.

Prima itaque ea eſt, quæ ſelectas Perſonas reſpicit; non enim cuilibet de divinis Myſteriis convenit diſputare, ſed qui doctrinà, & pietate præſtant -- Non cujuslibet
„ quidem, quoniam his dumtaxat hoc muneris incumbit, qui exactiſſime explorati
„ ſunt, ac contemplando longe proceſſerunt,
„ priuſque etiam & corpus, & animam a
„ vitiorum ſordibus purgarunt, aut ut parciſſime loquar, jam hoc agunt, ut ſe a
„ vitiorum labe purgent -- Sic laudatus Nazianzenus *cit. Orat.* Et ſane periculo ſeipſum, & fidem exponit Diſputator nec veraciter doctus, nec veraciter pius: Non enim decet immundum de rebus puriſſimis pertractare, ſicut in periculum adducitur, qui ægris oculis Solem audet intueri. Hæc conditio in Novatoribus deſideratur; hi ſiquidem omnibus ſive doctis ſive indoctis, ſive viris ſive fœminis, Leononibus, ebrioſis, blaſphemiſque de fide ſermonem habere concedunt.

D

Doctrina cum pietate.

E

Regula altera circa temporis delectum verſatur; ſicut enim aliud eſt tempus ſerendi, & aliud metendi, ita aliud eſt tempus diſcendi, & aliud diſſerendi. Omni quidem tempore Deo vacare meditationibus poſſumus, ſed non omne ad docendum aptum eſt. Illud opportunum ducit Nazianzenus *laudata ſuperius Oratione* -- Cum ab externo luto (*per*
„ *lutum intelligit carnis ſtudium, ipſaque terreſtria negotia*) ac tumultu quietem agimus, nec princeps noſtri pars improbis,
„ vagiſque ſimulacris confunditur . . . Vaca-

Tempus eligendum.

„ te

Digitized by Google

„ re enim haud dubie oportet, ut ad Dei
„ cognitionem perveniamus, cumque tem-
„ pus acceperimus, id agendum eſt, ut di-
„ vinæ doctrinæ rectitudinem judicemus --
Equidem mens, animi motibus agitata, di-
ſtracta curis, humaniſque incumbens haud
valet de Divinis, ut par eſt, diſputare. Dam-
nat itidem Sanctus Doctor *Orat. in Plagam
grandinis*, *Orat. in laudibus Athanaſii*, *Orat. 2.
Theologica*, *De Moderatione in Diſputationibus
ſervanda* inordinatum fervorem, qui temeri-
tatem, impudentiam, audaciamque comitem
habet -- Ingenia magna, & ferventia tumul-
„ tus iſtos, in quibus verſamur, excitarunt,
„ non illa quidem ſimpliciter magna, & fer-
„ ventia (nec enim ii ſumus, qui animo-
„ rum acrimoniam in vitio ponamus, ſine
„ qua nemo magnum aliquod pietatis, aut
„ cujuſquam alius virtutis munus exequi po-
„ teſt) ſed quæ cum generoſitate impruden-
„ tiam, & inſcitiam, & qui malus ipſius
„ fœtus eſt, temeritatem conjunctam ha-
„ beant (ſiquidem inſcitiæ fœtus eſt teme-
„ ritas) -- Arrogantia comprimenda, ut
ordo ſervetur, dignioribus, atque ſapientio-
ribus præeminentia concedenda eſt: Turpe
namque eſt in Diſputationibus principatum
ſibi vendicare, & ſuper ceteros ſupercilium
extollere. In hoc quidem pleramque labun-
tur quidam score, qui via ſummis labiis cœ-
leſtem guſtarunt ſapientiam, ſeſe in omnibus
immiſcentes, ut doctiores videantur, atque
cenſoriâ virgâ cito citius aliorum ſententiam
perperam carpunt. Hæc *in Orat. de moderat.
in Diſput. ſervanda*. Hi porro Crucem Chri-
ſti evacuant, infirmantque fidei noſtræ argu-
menta.

Moderanda ſciendi nimia cura.

Cohibendam quoque dicit *Orat. de Dog-
mate* nimiam inquirendi diligentiam. Ne-
ceſſaria quidem inveſtiganda, ſecus quæ ab-
ſcondita ſunt -- Audis Generationem (*Ser-
„ monem habet de Verbo a Patre genito*) mo-
„ dum ne curioſius inquiras: Audis Spiri-
„ tum ex Patre procedere, id quo modo fiat,
„ ne anxio ſtudio perſcruteris --

Dicacitas reprobata.

Dicacitatem vitandam egregie demon-
ſtrat *Orat. in Plagam grandinis* -- Prima ſa-
„ pientia eſt ſapientiam in ſermone, ac di-
„ ctionum ſtrophis, atque adulterinis, & ſu-
„ pervacaneis diſputationibus ſitam aſperna-
„ ri -- Nec ſapientibus accenſet Nazianzenus
Orat. 1. de Theologia, qui volubilem, lin-
guamque habet verſatilem, potiſſimum ſi
plura dicat, pauca operetur; illum verò in-
ter ſapientes enumerandum dicit, qui pauca
licet de virtute promat, permulta tamen
comprobat actionibus.

Deflendum novitatis ſtudium.

Hinc novitatis ſtu-
dium mutuatis ab Jeremia lacrymis deflet *O-
rat. de laud. Athanaſii* -- Fuit quondam tem-
„ pus, cum res noſtræ florerent, atque arte
„ fucata tractandæ Theologiæ ratio ad divi-
„ nas (*) cauſas ne aditum quidam habebat;
„ verùm idem erat calculis ludere, inverſio-
„ nis celeritate oculorum obtutum fallenti-
„ bus, aut omnigenis, & laſcivis corporis
„ flexibus ſpectatores ludificari, quod novi
„ quidquam, ac curioſi de Deo vel dicere,
„ vel audire, ſimplex contra, ingenuaque
„ ratio, atque doctrina pietas exiſtimabatur.
„ At poſtquam Sexti, & Pyrrhones, & con-
„ tradicendi libidine incitata lingua, velut
„ gravis quidam, ac malignus morbus in
„ Eccleſias noſtras magno noſtro malo irre-
„ pſerunt, ac nugacitas doctrinæ, atque eru-
„ ditionis opinionem tulit, quodque actorum
„ liber de Athenienſibus narrat, ad nihil a-
„ liud vacamus, quam ut novi aliquid dica-
„ mus, vel audiamus. O quis Jeremias con-
„ fuſionem noſtram, caliginemque deplora-
„ bit -- Verum enim vero ſi hac tempeſtate
floreret Nazianzenus, neſcio an Jeremiæ la-
crymæ ſufficerent, ad tantum malum deflen-
dum.

(*) alii Cantas.

Auditores conſiderandi.

Tertia regula eſt Auditorum circumſpe-
ctio. Conſiderandæ ſunt Perſonæ, coram
quibus diſputandum eſt. Audiamus Nazian-
zenum *Orat. 1. Theolog.* -- Nec canticum
„ Domini in terra aliena cantemus, hoc eſt
„ apud quoſvis Auditores, tam noſtrates,
„ quam extraneos, tam hoſtes, quam ami-
„ cos, tam candidos, quam malignos, ac
„ præpoſteros, qui ſummo ſtudio res noſtras
„ explorant, nihilque avidius expetunt, quam
„ ut malorum noſtrorum ſcintilla in flam-
„ mam ſurgat . . . Quoniam enim in ſuis
„ dogmatibus nihil ſibi præſidii roboriſque
„ conſtitutum vident, hoc in noſtrarum re-
„ rum imbecillitate venantur . . . Quod ſi
„ inimicitias, atque odia extinguere non
„ poſſumus, illud ſaltem inter nos conve-
„ niat, ut myſtica myſtice, & ſancta ſancte
„ proloquamur, nec in profanas aures quæ
„ in vulgus efferri nefas eſt, projiciamus --

Quæ in diſputationibus pertractanda.

Regula quarta eſt diſputandorum qua-
litas. Quæ captum noſtrum ſuperant, non
ſunt tractanda: Sicut enim immoderatus ci-
bus ſtomachum gravat, & graves ſarcinæ hu-
meros comprimunt, ſic Diſputantes ſuccum-
bunt, dum modulo ſuo quærunt altiora. Di-
ſtinguenda ſunt, quæ omitti, quæve præter-
mitti debent, itidem quæ inveſtiganda, quæ
propugnanda valide, quæ elucidanda fidei
principiis, quæ rationibus diſcutienda, quæ
promovenda argumentis, quæ ſimplici tra-
denda inſtructione, quæ ad præſentem Je-
ruſalem ſpectant, quæ ad futuram, quam
expectamus. Plura tradit Nazianzenus *Ora-
tione 3. de Pace* -- Non cognoſcemus quæ-
„ nam quæſtiones a nobis percipi, & qua-
„ tenus poſſint. quænam rurſus vim no-
„ ſtram, & facultatem ſuperent? Quænam
„ hujus temporis ſint, ac terrenæ confuſio-
„ nis, menti noſtræ tenebras offundentis,
„ quænam rurſus futuri ſæculi, & cœleſtis
„ libertatis, ut aliis modo contenti ſimus,
„ aliis purgemur, ac præparemur . . . Num
„ apud nos ipſos diſtinguemus, quænam uo
„ quærenda ſint, quænam mediocriter, quæ-
„ nam contentioſis hominibus concedenda,
„ & relinquenda, quoque tandem modo ſe
„ habeant, utpote nullum doctrinæ noſtræ
„ detrimentum afferentia, quænam fidei ſoli
„ donanda, quænam ratiocinationibus, pro
„ quibus denique acri animo pugnandum ſit,
„ rationibus tamen, non ferro, atque ar-
„ mis? -- Eadem tradit S. Doctor *Orat. 1.
de Theologia*.

Non ſit prolixa diſputatio.

Ultimò habemus ex eodem Nazianzeno
loco mox laudato, ne ſimus nimii in diſpu-
tando -- Quo circa ne quis perpetuo Deum

 „ me-

„ memoria teneat, haud vero, ſed ne de „ Deo diſputet: immo nec hoc prohibeo, „ ne de Deo diſputet (id enim pium eſt) ſed „ ne intempeſtive: nec hoc ago, ut docendi munus explodat, ſed ne mediocritatis „ fines tranſiliat: An vero eum mellis quoque ipſius, quantumvis dulcis, ſatietas vomitum moveat, ſuumque cuique negotio „ deſtinatum ſit tempus --

Conditiones pro ſolemni Diſputatione.

Hiſce regulis accenſeri poſſunt conditiones nonnullæ, quæ potiſſimum ex S. Auguſtino habentur in ordine ad ſolemnes Diſputationes. Ad ſolemnem itaque Diſputationem eligendi ſunt Cognitores, hique delecti; deputandi ſunt Notarii pro excipiendis actis; tempus ſtatuendum eſt, & locus; ſecernendæ ſunt publicæ a privatis cauſis, Eccleſiaſticæ a Forenſibus, quæque ſunt Fidei a civilibus, & criminoſis: Sæpe etenim ad gignendam confuſionem circa eſſentialia ſueverunt Adverſarii inutilia miſcere. Quoniam verò Hæreticis ſolemne eſt quæſtiones de verbis inſtituere, nominum contradictiones interponere, ut diſputatio interrumpatur, perturbeturque, ea propter verborum, nominumque contentiones amandandæ ſunt. Hæc ab Auguſtino traduntur in Breviculo Collationum cum Donatiſtis. Non eſt aliquid aſſerendum ex proprio Marte, temere, & gratis, ſed ex certis fontibus Scripturarum, Traditionis, Patrum, Conciliorum, atque rationum: Hæretici namque ſine momentis ſuam venditant ſententiam, atque fidem ſibi aucupari contendunt. Vitium hoc in Parmeniano reprehendit Auguſtinus *lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 2.* -- Homini enim de „ Scripturis Sanctis proferenti tam multa, „ & tam ingentia documenta, ipſe ſine documentis loquitur, & vult, nihil probans, „ credi ſibi -- Abſtinendum eſt a nugacibus argumentis, & quæ retorqueri poſſunt adverſus arguentes, ut facit laudatus Auguſtinus *cit. loco contra Parmenianum lib. 2. cap. 1.* --Accipientes itaque perverſo corde Scripturas „ non eas faciunt obeſſe nobis, ſed ſibi &c.-- Cum proprium ſit propugnantium falſa clamoribus, injuriis, irriſionibus, atque minis cauſam ſuam defendere, evitanda ſunt a Catholico viro ſcommata, maledictiones, & ſimilia: Hæc ſiquidem Dei cauſam, quæ firmiſſimis libratur fundamentis, infirmant. Qui aſtant ut judices, vel ut teſtes, veritatem probe noſcunt, ut contra literas Petiliani *lib. 3. cap. ultimo* dicebat Auguſtinus.

Præmittenda eſt a Catholico viro proteſtatio, quod ad pugnam non accedit, velut ad ſingulare certamen, a quo tota Eccleſiæ cauſa dependeat, ita ut ipſo victo fidei cauſa, quæ per univerſum, qua late patet, Orbem propugnatur, perdita cenſeatur, quod & fecit Auguſtinus *lib. 3. cap. 1. contra Julianum Pelagianum* -- Ego autem, abſit, ut „ ad monomachiam vos provocem, quos ubicunque apparueritis, ubique diffuſus „ Chriſti debellat exercitus -- Non eſt itidem multum laborandum, ſi voces aliqualiter immutentur, dummodo res ipſa intelligatur -- Sed ne etiam nos verbi controverſia „ torqueat, cum res ipſa intelligatur, minus laborandum eſt, quid hominibus eam „ vocare placuerit--Sic laudatus Doctor *lib. 1. cap. 13. contra Creſconium*. Voces tamen, quæ ab Eccleſia uſurpatæ ſunt, non prætermittendæ; non enim abſque gravi momento fuerunt adoptatæ.

Aſſumenda ſunt in Controverſiis adverſus Hæreticos principia, quæ ab ipſis approbantur, & argumenta, quæ dicuntur *ad hominem*, mire eoſdem urgent -- Ecce impleta „ eſt prophetia. Paravit mihi foveam, & „ ipſe incidit in eam -- ajebat S. Hieronymus *in Dialogo adverſus Luciferianos*. Neceſſe quoque eſt noſcere, quemnam errorem propugnent Adverſarii, & ad quos fontes recurrant. Non eſt permittendum Hæreticis tempus terere in Rhetoricis declamationibus, in profuſis, ac tumultuariis teſtimoniorum allegationibus. Hujuſcemodi namque artibus utuntur Hæretici, ad argumentorum vim eludendam, pertrahendoſque Auditores in quandam litteraturæ admirationem. Sic laudatus Hieronymus *cit. loco* -- Rhetorica„ ris, & a diſputationum ſpinetis ad cam„ pos liberæ declamationis excurris. Verum „ deſine, quæſo, a communibus locis, & „ in gradum rurſum, ac lineas regredere -- & infra -- Multa quidem de ſacris volumi„ nibus memoriter, copioſeque dixiſti, ſed „ cum totum circumieris ſaltum, meis (*) „ caſſibus concluderis --

(*) Retibus.

Hæ conditiones aliam dubio-procul ſupponunt, videlicet, quod materia, quæ agitari debet, in articulos, atque theſes diſtribuatur, & quidem clare, dilucideque. Solent enim Hæretici ſubdole ſua ſenſa proponere, ut ignoretur, quid dicant; quandoque negant, quod conceſſerunt, quandoque comminiſcuntur, quæ nunquam diximus: Firmato igitur Controverſiæ ſcopo, mordicus in eo perſiſtendum eſt, ne verſipellis Hæreticus ad extranea confugiat.

Quæ a Notariis circa actorum formam ſunt peragenda, comperta ſunt; notum ſiquidem eſt omnia ordinate, clare, fideliterque fore conſcribenda, prævia tamen utriuſque partis recognitione; acta evulganda ſunt, ne in vulgus falſa ſpargantur.

Quæ de ſolemnibus Diſputationibus dicta ſunt, ſervata proportione, familiaribus concertationibus, privatiſque congreſſibus, qui non rarò, ſive ad nutantes in fide roborandos, ſive ad illuminandos ſeductos ſunt inſtituendi, aptanda ſunt. Interea -- Si quid „ zelo urgente erupit, quod non fuit, aut „ ſecus quam fuit dicendum; ſit, quæſo a„ pud vos quaſi non dictum: Ubi verò quod „ oportuit, & ubi oportuit, dixi, ſit non „ fruſtra dictum -- S. Bernardus *Epiſt. ad Albericum Oſtienſem. Stephanum Praeneſtinum &c, n. 3.*

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Numerus indicat columnam, littera columnæ locum.

A

AAron Sacerdos ordinarius. 606. E.

Abel principium Eccleſiæ quoad formam. 135. E. Doctor Fidei, Martyr, & Virgo. 137. B. Abel invocavit Dominum. Comparatur cum Enos. 140. C.

Abraham cur Pater Credentium nuncupetur? 140. E. Cur dictus Gentium Pater. 211. C.

Abrahæ promiſſiones innuunt Eccleſiam Chriſti futuram univerſalem. 279. B.

Acceptatio populi non dat vim legi. 546. A. Non eſt aſſignabilis qualis acceptatio requiratur pro lege. 547. E.

Accidens, quod erat in corpore vivo, quomodo remanet in mortuo. 945. C.

Actiones quædam concretive ſumptæ ſunt illicitæ, ſecus abſtractive. 719. B. Sunt religioſæ ex communi intelligentia. Ibid. D.

Actus externi ordinari poſſunt ad cultum Dei. 792. C. Conjungi debent cum affectu interno. 793. A. Diriguntur ab interno affectu 795. E.

Adam fundamentum Eccleſiæ. 135. E. Ante lapſum non habuit fidem Chriſti Redemptoris. 136. A. Adam non legitur obtuliſſe ſacrificia, quare? 139. C. Quam fidem Chriſti habuit. Ibid. D. Pœnitentia Adami ex interiori affectu. 140. B. Chriſti membrum inadæquatum. Ibid. Peccando non amiſit fidem. 256. B.

Adiaphoron idem quod indifferens. 154. D. A Conciliis decreta non ſunt adiaphora. 158. E.

Adoratio quid ſit. 787. B. Differt ab honore. Ibid. Alia civilis, ſacra alia. Ibid. D. Dividitur in externam, & internam, in abſolutam, & reſpectivam. Ibid. E. In Dulſam, Hyperdulſam, & Latrſam. 788. B. Differunt ſpecie. Ibid. C. Conſummatur eſſentialiter in actu interiori. 789. C. Non excludit externos actus. 790. E. Adoratio externa Dei eſt naturæ indita. 792. E. Sub primordiis Eccleſiæ invaluit. Ibid. In adoratione duo ſunt conſideranda, ritulus adorationis, & res adorata. 804. E. Adoratio Sanctorum: Vide *Sancti*. Adorandi ſunt Sancti ex præcepto. 882. D. Vide *Præceptum*. Adoratio Reliquiarum. Vide *Reliquiæ*. Adoratio multiplex. 1001. E. Adoratio Imaginis eadem cum exemplari. 1003. B. Eſt reſpectiva. 1008. B.

Ægidius Hiſpanus negat Imaginem, & ſignum Crucis adorandum. 826. D.

Æſculapii miracula fuere medicæ curationes. 348. C.

Ætas Eccleſiæ cœpit ab Abele. 137. C. Ætas Mundi diverſimode partita. 138. A.

Æternitas ad omne tempus extenditur. 472. A.

Africanum Concilium remittit Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem in reditu Donatiſtarum ad Eccleſiam. 88. E.

Agni figura Chriſtum refert. 834. D. Num aliquando fuerit prohibita. Ibid. Agni cerei diſtributi. 835. A.

Albertus Magnus Virginem MARIAM laudans revincit Muratorii ſententias. 873. E.

Albigenſes Romanam Eccleſiam dixerunt meretricem. 270. A.

Altare antiquitus unum ſolummodo in Eccleſia. 120. D.

Amadeus Sabaudiæ Pſeudo-Pontifex. 264. E.

Ambitio eſt cauſa Hæreſum. 378. A.

S. Ambroſius Neophitus in Epiſcopum electus ex diſpenſatione. 486. C.

Ameſius dicit ſuperfluas Eccleſiæ notas. 297. C.

Amicitia non excludit Mediatorem. 878. E.

Anabaptiſtæ negant ad Eccleſiam ſpectare juſtos levibus maculatos. 67. B. Negant ut Manichæi Chriſto verum corpus. 178. B. C. E. Negant omnibus facultatem condendi leges. 520. E. Etiam Principibus Chriſtianis. 557. C. Sicut in humanis judicium Sanguinis. 564. A. Dicti Clancularii licite negare fidem docent, ex in corde ſervata. 731. E.

Anaſtaſius Bibliothecarius Pontificiæ auctoritatis propugnator. 563. B.

Anaſtaſius Imp. ſubdole agit cum Pontifice. 662. A.

Angeli non ſpectant ad Eccleſiam militantem. 6. D. A Chriſto non fuerunt redempti. 7. A. Differunt ſpecie. 8. E. Eorum caput Deus. Ibid. Quomodo Chriſtus eorum caput. 10. B. Non ſunt Eccleſiæ membra. 11. C. Angeli viatores fidem de Chriſto habuerunt, eique obedientiam præſtiterunt. 13. C. Improprie dici poſſunt de Eccleſia militante. 14. C. Non poſſunt pro libito miracula facere. 339. E. Habent inter ſe ſubordinationem. 508. D. Chriſtum adorant. 805. E. Orant pro hominibus. 844. A. A nobis invocari poſſunt. 853. E. Erravit Simon Magus circa invocationem Angelorum. 859. A. Sunt a nobis invocandi. 885. D. 888. E.

Angelus omnibus datur ad cuſtodiam. 877. C. Cur a Joanne noluit adorari. 914. E. Qualis cultus ei denegatur. 918. D.

Angli admittunt viſibilem Eccleſiam. 225. C. Angli Catholici peccant jurando juxta formulam juramenti Regis Jacobi. 706. E. Nequeunt adire templa Hæreticorum, audire eorum conciones, aut preces cum eis fundere. 715. A. B. Quando ſumere poſſunt carnes diebus vetitis. 723. A. Licite potuerunt fugere perſecutionis tempore. Ibid. D. Non tamen exterius fidem negare. 731. D. Qui eo tempore paſſi ſunt,

vere

vere martyres. 765. C., & ſeqq. Quo pacto probant neceſſitatem artis Dialecticæ ad revincendos Hæreticos. 1027. D. Reprobant recentem docendi modum. Ibid. Angli Hæretici adverſantur Lalcocephaliæ. 683. B. D. Eorundem inſania adverſus Catholicus Doctores. 763. E. Contendunt in qualibet Secta dari ſalutem. 189. D. Qui de familia amoris dicuntur, negant juſtos levibus maculatos ad Eccleſiam ſpectare. 67. B.

Anglia pluſquam centum ſectas fovet. 378. E. A temporibus Gregorii Magni agnovit primatum in ſpiritualibus apud Pontificem. 640. A., & ſeqq.

Anglicana perſecutio inter perſecutiones Eccleſiæ numeratur. 760. E. Vide *Perſecutio Anglicana*.

Angliæ Reges fatentur Primatum in Spiritualibus apud Pontificem. 640. A., & ſeqq. Quidam contra Eccleſiam. 672. A. Non tamen favent Regi Jacobo. Ibid. C. 674. B. D. Virtutem habent ſanandi a Strumis, & a comitiali morbo. 408. C.

Angliæ Rex Jacobus male aſſerit Romam ſedem eſſe Antichriſti. 448. D. Male explicat textum Apocalypſis, ubi de Elia, & Henoch. 456. C. Injurius Theologis, & Patribus. 464. A Seculo VI. perperam dicit adveniſſe Antichriſtum. 472. C. Propugnat cum Henrico VIII. Anglicanum Primatum. 601. A. Ex ſuis principiis uſurpator eſt Spiritualis juriſdictionis. 626. C. Negat Chriſtum in Euchariſtia adorandum. 808. E. Probatur Hæreticus. 674. E. Itidem Apoſtata. 675. B. Impius erga Matrem. Ibidem E. Quid ſentiat oretenus de Patribus primitivæ Eccleſiæ. 677. A. Novam jurandi formulam compoſuit. 702. B. Vide *Jacobus Rex Angliæ*. Vere Eccleſiæ Perſecutor. 765. A. Martyrium paſſi ipſo regnante. 766. E. Inane ejuſdem effugium 767. A. Juliano comparatur. Ibidem D. Ejus errores circa cultum B. V., & Sanctorum. 786. B. *Eliſabeth* Angliæ Regina ſpiritualem juriſdictionem ſibi vendicavit. 691. C. Veterum Hæreticorum doctrinam adoptavit. Ibid. Auſa eſt nominare Epiſcopos. 695. D. Dicebat ſe a Deo miſſam ad gubernandam Eccleſiam. Ibidem E. Pœnas dedit in eos, qui Rom. Pontifici adhærebant. 696. A. Juramentum in ſpiritualibus ſibi præſtari voluit. 700. C. Inter Eccleſiæ perſecutores vere adnumerata. 762. E. Ejus ſevitiea in Catholicos. 764. A. 766. D. Non omnes Sanctos aſſerit colendos. 908. D.

Anima quantumvis perfecta, dum eſt in via, debet Sanctos exorare. 876. B. Hoc Deo placet. Ibid. E. Ambulans in fide indiget adjutorio. 877. B. Quædam privilegia haber præ aliis. 876. E. Non facit injuriam Sponſo confugiendo ad Sanctos. 878. B. Dum deficit a perfectione, abſconditur Sponſus. Ibid. C. Tunc aſſumendi Mediatores ad reconciliationem. Ibid.

S. Anſelmi ſententia perperam a Muratorio reprobatur. 867. E.

Antichriſti tempore magna perſecutio, ſed vera non deſtruetur Eccleſia. 266. E. Magna itidem defectio a fide. 267. D. Antichriſtum fore Pontificem impie dicunt Hæretici. 441. D. Antichriſti nomen explicatur. Ibid. E. Antichriſtus unus realis, alter per aſſimilationem. 442. D. Antichriſtus eſt particularis perſona. 443. C. Tres Antichriſti. 445. B. Antichriſtus in cornu parvo deſcriptus. Ibid. D. Alius in typo, alius in veritate. 446. B. Dictus antonomaſtice Apoſtaſia. 447. E. Quæ defectio a Fide tempore Antichriſti. Ibid. Tempore Antichriſti ſolvetur Diabolus. 449. B. Antichriſtus erit homo purus. 450. B. Orietur ex Hebræa Gente, & juxta quoſdam ex Tribu Dan. 450. E. Circumciſionem recipiet, ut Hebræos decipiat. Ibid. 483. C. Finget ſe ex ſtirpe David. 451. A. Falſo dicitur naſciturus ex Monacho, & Moniali. Ibid. B. Itidem ex Virgine. Ibid. Ex fornicaria naſcetur. Ibid. 452. A. Dicetur Dæmon ob prava ejuſdem opera. Ibid. 475. A. Supra Deum extolletur. Ibid. B. Inſtrumentum Diaboli. 452. C. Ejuſdem habitaculum. Ibid. E. Se Chriſtum dicet. Ibid. Signa adventus Antichriſti. 453. D. Brevi Orbem ſubjiciet. 461. D. Breve erit Regnum completum. 464. C. Deſtructo Rom. Imperio veniet Antichriſtus. 465. E. Ficte occidetur, ut inde reſurgere videatur. 466. D. Ejus miracula falſa. 349. C. 487. E. Erit Regiâ inſignis dignitate. 468. A. Regnum, & perſecutio brevis. Ibid. B. Regnabit tribus circiter annis cum dimidio. 469. B. Modo ordinario generatus. 474. E. Non habebit acceleratum uſum rationis. 475. B. Habebit cuſtodem Angelum. Ibid. C. Non habebit Regnum Hereditarium, ſed ex fraude. Ibid. E. Reges debellabit. 476. C. A Dæmone adjuvabitur. 476. E. Non habebit Succeſſorem. 477. A. Incertus locus educationis. 478. B. Ejus Sedes Jeruſalem. Ibid. C. Ab Hebræis ſuſcipietur. 480. E. Reædificabit templum Jeruſalem. 481. E. Aperte Chriſtum negabit. 482. E. Antichriſtus alius in typo, alius in perſona. 483. A. Verus Antichriſtus omnem Chriſti cultum deſtruere conabitur. 483. C. Conabitur ſe Chriſtum oſtendere. Ibid. E. 484. A. Conculcabit omnem Deum verum, & falſum. Ibid. Negabit Chriſtum in carne veniſſe. 486. E. In ipſo erit mira eloquentia, profuſa liberalitas, ficta miraculorum virtus, & magna violentia. 487. E. 488. A. Diſcipuli ejus falſa ſigna facient. 487. D. E. Quæ. Ibid. E. Totam non deſtruet Chriſti Eccleſiam. 489. A. Sequaces Antichriſti erunt adoratores beſtiæ. Ibid. C. Conabitur tollere Miſſæ Sacrificium, Deique cultum. 492. C. D. Plures occidentur. 493. B. Ejuſdem perſecutio major aliâ qualibet. 494. A. Dei cultui adverſabitur, ſecus Pontifex. Ibid. D. Antichriſti nomen completur numero. 666. 495. E. Varia hujus numeri intelligentia. 496. D. Signabit ſuo charactere ſequaces ſuos. Quo ſigno. 497. C. D. Notæ Antichriſti Hæreticis conveniunt. 498. D.

Antiocheni in dubiis Eccleſiam conſulunt. 171. E.

Anti-

Antiquitas doctrinæ ſignat veritatem . 355. B.
S. Antonius Abbas cur ſpeciale habeat patrocinium pro Animalium conſervatione. 852. B.
Apocalypſis liber cur ab Hæreticis adoptatus . 182. E.
Apoſtaſia quid importat . 675. B. Diſtinguitur ab hæreſi . Ibid. C.
Apoſtata unde dictus . 86. A. Alius a Religione , a fide alius. Ibid. Quid agere debet in ſua converſione . 753. A. Quomodo cum illis ſe gerere debet Confeſſarius . Ibid. D.
Apoſtolatus importat viſibile miniſterium. 221. C. Quoad munus paſcendi oves perpetuus in Eccleſia . 430. C.
Apoſtolica eſt Eccleſia, quia ab Apoſtolis fundata . 289. B. Item quia ſervat Apoſtolicam doctrinam . 290. C. Item quia habet ſedes Epiſcopales cum ſucceſſione. 291. A. Item quia diffundit Apoſtolorum doctrinam , & ab Apoſtolica Sede dependet. 292. B. Cur Apoſtolica potius , quam Chriſtiana dicatur . Ibid. E. Apoſtolica dicit antiquitatem , ſucceſſionem , & conſonantiam doctrinæ . 418. D. Soli Rom. Eccleſiæ convenit . Ibid.
Apoſtolicon dicit antiquitatem , ſeu legitimam Paſtorum ſucceſſionem . 353. B. Eſt Eccleſiæ nota . Ibid. , & ſeqq.
Apoſtoli Chriſti Diſcipuli licèt primò non omnia explicite crederent . 25. C. Quandoque in venialia lapſi . 67. B. Habent Epiſcopos ſucceſſores . 240. D. Excommunicatos ſpiritibus vexabant. 128. A. Paſſionis tempore , non defecerunt a Fide . 259. B. Fugiendo non peccaverunt graviter . 728. D. Alii majores dicti , minores alii . 288. B. Unde hujuſmodi denominatio . Ibid. Plures ſic nuncupati. Ibid. D.E. Dederunt Eccleſiæ veram fidem . 289. B. Ubique Evangelium prædicaverunt. Ibid. C. Converſio Gentium ab Apoſtolis . Ibid. D. Apoſtoli ſecundarium Eccleſiæ fundamentum . 292. E. Miſſionem ſuam miraculis comprobarunt . 336. B. Miracula faciebant virtute Dei. 337. A Cur plura fecerint miracula , quam Chriſtus . 338. D. Magis adverſarii . 350. A. Succeſſionem ſuam enumerant a Chriſto . 358. D. Evangelium prædicaverunt per univerſum Mundum . 281. D. 413. A. Declaratur nomen Apoſtoli. 287. E. 288. A. Cur potiſſimum manſuetudine uſi ſint . 775. D. E.
Apparitiones . Vide *Viſiones* .
Appellatio a lege non datur, bene verò a ſententia . 551. D.
Arcadio imperante cruces in militum veſtibus apparuerunt . 829. D.
Arca Noe figura Eccleſiæ . 28. D. 196. B.
Archiepiſcopus tanquam frater major relate ad Epiſcopum . 206. D.
Arianiſmus inter hæreſes latius graſſatus eſt . 417. B. Quomodo totum Orbem vocaverit Arianum S. Hieronymus . Ibid.
Arii temporibus multum paſſa eſt Eccleſia . 261. D. Sed inſimul floruit . 262. A. , & ſeqq. Magna tunc temporis Catholicorum perſecutio . 263. C.
Argumentum ex ſymbolis efficax . 22. C. Illud adoptant quandoque Canonici Scriptores , & Chriſtus . Ibid.
Articuli fidei non ſunt de adiaphoris, ſeu indifferentibus . 154. D. Per Hæreticos alii ſunt fundamentales , alii non . Ibid. Non omnes actu ſciri debent a Fidelibus. 173. C.
Aſcenſio Chriſti ad Cœlum ab Hæreticis perperam intellecta . 180. A. B. C.
Aſinus , qui Chriſtum portavit , non eſt adorandus . 822. D. E.
Attributa quædam Dei a Creatoris participari poſſunt . 924. B.
S. Auguſtinus aperte docet bonos , & malos in Eccleſia militante . 32. B. Rem hanc egregie verſat contra Donatiſtas. Ibid. Perpetuus eſt in aſtruenda Eccleſiæ Indefectibilitate . 253. D. , & ſeqq. Ejus ſenſa de B. Virgine male reformantur a Muratorio. 868. A. Artem Dialecticam maxime commendat . 1024. D.
Avicenna vim magnam tribuit imaginationi . 339. C.
Axiomata Malum ex quocunque defectu: Denominatio deſumitur a majori parte : Accidens parti conveniens totum denominat: explicantur . 276. C.

B

B*Abylon* Civitas Diaboli . 473. D. Cadet in ultimo Chriſti adventu . Ibid.
Balſamon Theodorus adverſus Eccleſiam pugnavit . 667. B. C.
Bannes Dominicus docet abſtinendum ab ornata elocutione in Theologicis . 1026. E.
Baptiſmus ab Hæretico petì , & recipi poteſt in extrema neceſſitate . 755. B. Etiam ſtante gravi neceſſitate. Ibid. E. Eſt janua per quam in Eccleſiam intratur . 22. B. In re eſt de conſtitutivo Eccleſiæ . 75 B. Subdit Eccleſiæ. Ibid. E. Per ipſum Chriſto incorporamur . 76. D. Per ipſum lex Chriſti profitetur . 77. B. Dicitur Sacramentum fidei . Ibid. Sufficit quandoque in voto . 83. A. Sine operibus non ſalvat . Ibid. B. Non dicitur Collatoris , ſed Dei , & Eccleſiæ . 96. C. Facit de Eccleſia media fide. Ibid. E. A Chriſto inſtitutus ante ejuſdem Aſcenſionem. 142. C. Alius erat a Baptiſmate Joannis , Ibid. In veteri lege præfiguratus . 212. B.
Baptizatus de Eccleſia . 28. A. Tenetur ad ejus leges . 76. D.
Baſileenſe Concilium latrocinale deponit Eugenium IV. 264. D.
S. Baſilii laudes de B. V. propugnantur contra Muratorium . 869. D.
Beguini, *& Begardi* negant ad Eccleſiam ſpectare juſtos levibus maculatos . 67. B.
Bellarminus propugnat Hæreticos occultos eſſe de Eccleſia . Impugnatur . 100. A.
Belgica confeſſio negat in qualibet Secta ſalutem . 198. A.
Benedicere quandoque ſumitur pro gratias agere . 613. B.
Beſtiæ a Daniele deſcriptæ ſignant regna . 445. D. 465. B.
Bona temporalia cur Deus det malis. 576. C. Important curas, & ſolicitudines . 577. B.

Boni

Digitized by Google

Boni facile a malis vitiantur. 45. C. In quo conveniant. 47. A.

Bonifacius III. ab Hæreticis tanquam Antichriſtus traducitur. 218. D. Verus Pontifex. 264. A.

Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque deſectu, explicatur. 807. A.

Brentius Virginis uterum in Chriſti nativitate corruptum aſſerit. 178. D. Blaſphemus adverſus ſignum Crucis. 833. A. Laicis tribuit ſpiritualem poteſtatem. 600. E.

Bucerus dicit Chriſtum pro impiis non eſſe paſſum. 178. E. Pro inferno, ad quem deſcendit Chriſtus, intelligit ſepulchrum. 179. B.

C

Calices imaginibus depicti. 973. A.

Calvinus ſibi ruinam timet ex diſſenſionibus. 163. B. Ceream dicit Scripturam, itaut ad libitum inflecti poſſit. 169. E. Cum Manichæis docet Deum auctorem peccati. 177. A. Male ſentit de Trinitate. Ibid. C. Impie de Chriſto loquitur. Ibid. D. Verbum a ſeipſo non a Patre ſubſtantiam habuiſſe tradit. Ibid. E. Male ſenſit de Chriſti corpore. 178. C. Impie loquitur de Virgine. Ibid. D. Nihil virtutis ex Chriſti paſſione noſtris operibus advenire contendit. Ibid. E. Vult additam ſymbolo verba *Deſcendit ad Inferos*. 179. B. Illa explicat. Ibid. Male ſentit de Chriſti Aſcenſione. 180. B. Itidem de Chriſto judice. 181. C. Ejus deliria circa peccata. 183. D. Male ſentit de animæ immortalitate. 184. B. Fatetur extra Eccleſiam viſibilem neminem poſſe ſalvari. 197. E. Eccleſiam modo viſibilem, modo inviſibilem facit. 214. E. Vult fidem confitendam coram Fidei hoſtibus. 219. E. Duplicem dicit Eccleſiam. 222. A. Plura aſtruit de viſibili Eccleſia. 224. A. & ſeqq. Signa per Calvinum pro vera Eccleſia. Ibid. C. Exigit neceſſariò Paſtores. Ibid. E. Similiter Judices. Ibid. Inconſtans in aſſignando tempore defectionis Eccleſiæ. 238. B. E. Mendax in aſtruenda depoſitione Eugenii IV. 264. D. Negat Eccleſiam Catholicam, ideſt univerſalem. 278. E. Male nomen Catholici explicat. Ibid. Neceſſarias admittit Eccleſiæ notas. 299. B. Duas tantum aſſignat. 302. E. Inſurgit adverſus miracula. 333. E. Fingit miracula facta ope Dæmonis ad ſepulcrum Jeremiæ. 350. E. Irridet Catholicos, qui dicunt Eccleſiam Apoſtolicam. 353. D. Perpetuam dicit Eccleſiam. 357. B. Vult neceſſarios in ea Paſtores. Ibid. Negat unitatem in Rom. Eccleſia. 363. C. Docet Hæreticos vi fore coercendos. 369. E. Calvinus adhuc vivus innumeras pene diverſas Sectas e ſua hæreſi emanatas vidit. 379. A. Ipſemet contraria docet. 379. E. Ejuſdem dicteria adverſus Eccleſiam. 382. E. In ſua ſecta vitia plurima. 392. A. Negat præcepta poſſe adimpleri. 394. E. Negat neceſſitatem bonorum operum. 399. E. Legitimam dicit Rom. Eccleſiam uſque ad Auguſtinum. 429. D. 433. A. Antiquas Hæreſes adoptavit. 437. E. Negat Eccleſiaſticis poteſtatem condendi leges. 520. D. 522. E. Adverſatur Laicocephaliæ. 682. E. Hoſtis imaginum. 796. C. 964. C. Negat Crucem adorandam. 814. E. Hoſtis cultus Sanctorum, negans eſſe invocandos. 842. B. Ejuſdem deliria. 859. E. 896. B. Negat B. Virginem colendam. 919. C. Negat cultum Reliquiis Sanctorum. 930. A. De uſo imaginum Ejuſdem mendacium. 973. C. Scholaſticis injurius. 1022. B.

Calviniani Helvetici volunt de Eccleſia Prædeſtinatos licet non baptizatos. 74. A. Male diſtinguunt fidei articulos in fundamentales, & non fundamentales. 154. C. Calviniani pleri que docent poſſe Catholicum fidem negare exterius, ea in corde ſervata. 731. E.

Candela cur non omnes extinguantur, dum recitatur officium majoris Hebdomadæ. 259. D.

Canonici libri quomodo poſſunt ab Eccleſia conſcribi æquivalenter. 296. C.

Cano Melchior, dum Patres commendat, Recentiores in methodo diſputandi illis præfert. 1025. E. In Theologicis non requirit ornatum. 1026. E.

Canones quidam ab Eccleſia non recepti. 563. C. Canones Eccleſiæ negant Principibus Laicis poteſtatem judiciariam Fidei. 627. B.

Capitularia Gallicana a Pontifice confirmata. 645. E.

Caput aliud omogeneum, heterogeneum aliud. 8. E. Caput Eccleſiæ idem ſive in veteri, ſive in nova lege. 213. B. Nunc viſibile in ſuo Vicario. 231. D. Chriſtus Eccleſiæ caput. 247. D.

Carnis comeſtio quando diebus vetitis licita Catholicis cum Hæreticis verſantibus. 722. A. 723. A.

Caroloſtadius primus in Germania inſurrexit contra Imagines. 964. B.

Carolus Magnus addictiſſimus Eccleſiæ. 644. E. Falsò dicitur habuiſſe privilegium eligendi Pontificem. 654. E. Eccleſiæ patrocinatur. 664. D.

Carolus V. Imp. Eccleſiæ addictus. 671. D. Culpatur pro *Interim* evulgato. Ibid.

Carpocrates Chriſtum ex maritali commercio natum affirmat. 178. C.

Cathecumeni an pertineant ad Eccleſiam, diverſorum placita. 74. C. Sunt in diverſo ordine. Ibid. D. Non ſunt Eccleſiæ filii. 76. B. Non tenentur Eccleſiæ legibus. 77. B. Sunt velut in atrio Eccleſiæ. Ibid. E. Velut filii in matris utero. Ibid. Credunt in Chriſtum. 78. C. Non poterant toto Miſſæ tempore in Eccleſia permanere. 79. A. Pro ipſis non orat Eccleſia latina, niſi in Paraſceve. Ibid. C. D. Sunt uniti Eccleſiæ merito, non numero. 81. C. Salvari poſſunt. Ibid. E. Si deficerent a fide, ab Eccleſia non punirentur. 82. D. Non ſunt ante Baptiſma capaces Sacramentorum. 83. D. Pro ipſis, ſi moriantur, non orat Eccleſia. Ibid. E. Semel diſpenſatum

eſt.

eſt. Ibid. In Eccleſia non ſunt ſepeliendi, ſed in ejuſdem atrio. Ibid. Ipſis myſteria non manifeſtabantur. 85. A.

Cathedra Petri una. 148. C. 206. A.

Catholici nomen dicit univerſalitatem. 277 E. Tripliciter dicitur de Eccleſia. 278. C. Male explicatur a Calvino. Ibid. E. Nullimode hæreticis convenit. 741. D.

Cauſa non dependet ab effecto. 546. A.

Centuriatores Eccleſiam viſibilem falſam dicunt, veram inviſibilem. 223. E. Quatuor aſſignant Eccleſiæ notas. 302. C.

Cereis honorantur Reliquiæ. 941. B. Uſus Cereorum non fuit abſolute reprobatus a Concilio Eliberitano. 942. A. Secundùm ſe indeſferens, ſecus in particulari. 758. D. Non eſt licitus Catholicis comitando Hæreticorum cadavera. 759. A.

Ceremonia olim in uſu poſt Papæ electionem. 428. C. Veteris legis diſcretæ a ceremoniis novæ legis. 229. A.

Chalcedonenſe Concilium Pontificem vocat Caput univerſalis Eccleſiæ. 466. E.

Character ex ſe nullam dat ſpiritualem vitam, nec Eccleſiæ incorporat. 97. B. Eſt ſignaculum innuens obligationem ſervandi legem Chriſti. 98. A.

Charitas non eſt de conſtitotivo Eccleſiæ. 35. A. E. Radix virtutum, & meriti. 46. C. Per venialia non deſtruitur. 72. A. Eſſe poteſt in excommunicato. 129. E. Non eſt ſignum veræ Eccleſiæ. 311. B Eſt Eccleſiæ proprietas. 313. D. Vera a falſis miraculis diſcernit. 351. D. Viæ, & Patriæ in quo diſcriminetur. 878. E.

Chriſtiani numero pauci comparative ad peccatores. 285. C. D. Cur pauci. 286. C. Subduntur in Politicis Principibus Ethnicis. 505. C. Poſſunt ab ipſis puniri. 506. A. Orant pro Principe infideli. Ibid. E. Veros habent Principes Catholicos. 508. B. Omnibus debent obedire. 511. C. Quandoque liberantur a ſubjectione Principis infidelis. 512. E. Communicare poſſunt cum infidelibus in civilibus. 513. B. Si poſſunt, non debent ab infidelibus judicari. Ibid. E. Inter ipſos datur poteſtas judicandi. 514. B. Myſticam habent libertatem. 518. E. Indigent legibus. 526. E. Sunt liberi a ſervitute peccati, & timoris. 532. A. Et etiam a legibus ceremonialibus Judæorum. Ibid. C. Tenentur in conſcientia leges Principum ſervare. 534. A. Vide *Leges*. Inter Chriſtianos licite datur judicium ſanguinis. 564. B. Non amittunt dominium per peccatum mortale. 573. C. Per Crucem Chriſti glorificati. 824. A. Non gaudent de Chriſti morte, ſed de effectu. Ibid. D. Cur petierunt ſibi fieri templa ſine imaginibus. 978. D.

Chriſtus inviſibile Eccleſiæ caput, per viſibile caput eam gubernans. 4. E. Ejuſdem Auctor. Ibid. D. Non redemit Angelos. 7. A. Eccleſiæ Sponſus. Ibid. E. Caput omogeneum. 8. E. Ejus influxus in Eccleſiam militantem. 9. B. Quomodo caput Angelorum. 10. B. 14. C. Caput Eccleſiæ licet maculatæ. 27. D. Diſcriminatur a capite naturali. 46. A. B. Super ipſum ædificatur Eccleſia. 49. E. Habet eminenter in ſcientia infuſa perfectionem fidei. 60. D. Plura myſtice de Chriſto prædicantur, puta quod ſit pauper, mendicans, a Deo derelictus, peccator. 63. A. Chriſtus docuit quotidianam Orationem pro quotidianis culpis. 69. C. Ante ejus adventum fuit Eccleſia. 134. B. Ante ejuſdem Aſcenſionem erat eſſentialiter perfecta. 141. A. Plura Sacramenta inſtituit. Ibid. B. 144. B. Chriſtus non baptizabat. 142. D. Eccleſiæ Sponſus. 143. A. Dum in humanis agebat, habebat oves. Ibid. D. Erat Eccleſiæ Pontifex. Ibid. E. Munia viſibilis Capitis exercuit. 144. B. Meruit per paſſionem dilatationem Eccleſiæ, & nominis exaltationem. 145. E. Unitus Eccleſiæ in Incarnatione. 146. E. Chriſto conveniunt proprietates corporis. 151. C. Attulit libertatem a ſervitute Diaboli. 202. B. Reſtauravit Eccleſiam. Ibid. D. Inviſibile ejuſdem caput. 207. D. Eam regit per viſibilem Vicarium. Ibid. Caput omnium Juſtorum ſive novæ, ſive veteris legis. 212. E. Eccleſia exiit a latere Chriſti quoad perfectionem. 213. E. Viſibilem fecit Eccleſiam. 220. E. Eſt oſtium veræ Eccleſiæ. 190. D. A Chriſto ſejunctus ſalvari nequit. Ibid. E. Prædeſtinati ejus vocem audiunt. 191. A Non ſufficit credere in Chriſtum. Ibid. E. Chriſti non eſt, qui charitatem non habet. 194. A. Per accidens nunc eſt inviſibilis in ſe, ſed viſibilis in ſuo Vicario. 231. D. Deſponſatus Eccleſiæ indiſſolubiliter. 244. D. Verus Eccleſiæ Magiſter. 245. A. Specialiter Eccleſiam protegit. 246. D. Erraret Chriſtus, ſi erraret Eccleſia. 247. D. Perſeveranter ipſe regnat in Eccleſia. 249 B. Primum fundamentum, & columnam veritatis. Ibid. C. Chriſti paſſio reparat vulnera peccati originalis. 268. B. Corporaliter abſens Eccleſiam veritatis luce dirigit. 269. A. Univerſalitas Eccleſiæ præmium meritorum Chriſti. 280. D. Chriſtus mandavit prædicare Evangelium per univerſum Orbem. 281. B. Ejus paſſio ad omnes gentes ſe extendit. 282. C. Chriſtus adeſt, ubi ſunt Fideles. 285. E. Eidem convenit nomen Apoſtoli. 287. E. 293. A. Ab Ipſo per Apoſtolos fundata eſt Eccleſia. 289. E. Primarium Eccleſiæ fundamentum. 292. E. Quomodo ibi eſt, ubi duo, vel tres congregati. 305. D. Chriſti adventus, ſicut & cetera ejuſdem vitæ myſteria prænunciata. 320. C., & ſeqq. Chriſtus ſanctitatis auctor. 329. E. Miraculis ſe verum Meſſiam probavit. 335. E. Minora cur fecit Chriſtus miracula, quam Apoſtoli. 338. D. Gentiles, Judæi, & Hæretici negant Chriſtum vera miracula patraſſe. 339. C. Miraculorum veritas comprobata. 341. D. Falſa prædixit miracula. 351. D. Eccleſia Chriſto in perpetuum eſt deſponſata. 353. E. Chriſtus nunc viſibile caput per ſuum Vicarium. 369. B. Suam Eccleſiam ſanctificavit. 387. D. Chriſtus pluribus probavit veritatem Catholicæ Religionis. 401. E. Cur noluerit ſigna facere coram Herode. 409. D.

Semper Eccleſiæ ultus . 419. E. Specialiter ipſam proteget Antichriſti ævo . 488. C. Nulli debebat tributum. 518. D. Myſticam nobis dedit libertatem . Ibid. E. Dedit jus Eccleſiæ condendi leges. 521.C. Leges Chriſti obligant independenter a populi acceptatione. 547.E. Tropicas locutiones adoptavit . 752. D. Tum ſeveritatem , tum manſuetudinem docuit exercere . 775. C. Adorandus Latriâ . 803.B., & ſeqq Adoratur propter Divinitatem . 804. A. Ejus Humanitas Latriâ adoratur. Ibid. Eſt adorandus Latriâ in Euchariſtia. 809. A. Ibi eſt modo ſacramentali. 814.B. Triumphavit per Crucem . 815. C. Non omnia , quæ Chriſtum tangebant , ab ipſo dignificata . 821. B. D. Noſter principalis Mediator ; quomodo dicatur ſolus. 858. D. Non fit Chriſto injuria invocando Sanctos. 861. B. Non indiget Sanctorum precibus , ut noſtras ſciat indigentias . 862. B. Sanctos exaudiendo non eſt Perſonarum acceptor . Ibid. C. Eſt Mediator noſter . 868. C. Vult tamen omnia nobis conferre per Mariam . 872. B. Quomodo dixit Diſcipulis , quod preces non deberent ad Ipſum dirigere , ſed ad Patrem. 879. C., & ſeqq. Pro nobis orat in Cœlis . 880. E. Ejus merita nobis applicantur per ſuffragia Sanctorum . 889. B. Prædicta merita ſunt velut cauſa univerſalis applicabilis per cauſas particulares. Ibid. 800. A. Cur a Paulo nunc non cognoſcatur ſecundum carnem . 939. E. Chriſti imago ad Abagarum miſſa . 965. C. In Sudario Veronicæ impreſſa ejus facies, ſicut & in Syndone . Ibid. D. Ejus effigies a S. Luca depicta . 966. B. Ejus ſtatua ænea eſformata . Ibid C. Vera Chriſti facies incerta . 979. B.

Claudius Taurinenſis Epiſcopus hoſtis Crucis . 814. E. Et Reliquiarum . 929. E.

Clemens Alexandrinus non adverſatur Imaginibus . 955. E.

Clerici ſine litteris communicatoriis iter agere non poterant . 367. A. Inique trahuntur ad forum laicum . 628. E. 631. D. E.

Columna veritatis poſt Chriſtum Eccleſia . 249. C.

Communicare in ritibus Hæreticorum illicitum . 714. A. 737. C.

Communio Sanctorum cum viventibus fundatur in illorum orationibus . 846. C. Importat mutuam ſollicitudinem etiam inter viatores , & Comprehenſores . 884. B. Hunc articulum & credere , & obſervare debemus . Ibid. C. 182. D.

Comœdiæ repræſentatæ in odium Fidei non licet aſſiſtere . 760. B.

Concilia teſtantur Eccleſiam fore univerſalem. 282. E. Pontifici ſubordinatam. 365. D. Prævie ad definitiones res fidei controvertunt . 372. E. Prima ab Hæreticis admittuntur . 437. D. Ea Principes honorarecunt . 510. B. Sive generalia , ſive particularia negant Principibus poteſtatem circa res fidei . 629. C. , & ſeqq.

Concilium Generale nuſquam adverſus alia Concilia decrevit in fide . 158. B.

Conciones Hæreticorum audire illicitum . 714. A.

Confeſſarius quomodo ſe gerere debet cum Apoſtatis . 753. D.

Confeſſio fidei aliquando præcepta . 714. C. Importat præceptum affirmativum non ſemper obligans. 715. A. Fuga eſt virtualis fidei confeſſio . 725. D. Non ſemper tenemur fidem confiteri . 726. E.

Confiteri Chriſtum veniſſe , quomodo ſufficit ad ſalutem . 199. E.

Conſilia Evangelica ab Hæreticis reprobata . 400. B.

Conſtantinus Copronimus deſpiciebat Martyrum Reliquias . 929. E.

Conſtantinus IV. remiſit uſurpatum jus confirmandi Rom. Pontificem . 654. C.

Conſtantinus Magnus, aliique Imperatores cauſas fidei ad Eccleſiaſticos ſpectare fatentur . 629. C., & ſeqq. Agnovit ſpiritualem poteſtatem terrenâ majorem . 653. D. Partem Crucis ab Helena Matre habuit . 818. E. Habuit & Clavos . 819. B. Ipſi apparuit Crucis ſignum . 828. D. Vetuit homines crucifigere. 830. E. Ejus imaginem ad Crucem pingere fecit. 831. A. Cilicio indutus inviſebat loca Apoſtolorum. 946.B.

Conſuetudo , ut legem abroget , debet connotare Principis conſenſum . 554. B.

Controverſia in Eccleſia exortæ ſemper ad Romanam Sedem devolutæ . 364. D.

Contumaces Eccleſiæ ſunt deſerendi . 216. D.

Corporalia deſerviunt ad ſpiritualia . 408. B.

Corpora quomodo eadem ſunt viva , ac mortua . 943. B. Moveri poſſunt a Spiritibus . 1011. D.

Corpus myſticum ad ſimilitudinem corporis naturalis . 21. E. Similitudo non valet in omnibus. 29. C. D. 46. A. In quo diſcriminatur a corpore naturali . 46. A. B. Plures exigit Perſonas . 137. A.

Creſconius negat inter homines tribunal punitivum . 563. E.

Crimen denotat mortale peccatum . 70. D.

Crux Chriſti tripliciter intelligi poteſt . 814. C. Plures Hæretici negant eſſe adorandam. Ibid. E. Eſt adorabilis. 815. B. Crux triumphavit de Diabolo . Ibid. Glorioſa . Ibid. E. Fuit altare ſacrificii . 816. A. Chriſti contactu ſanctificata . 818. D. Sanctificavit aerem . Ibid. E. 836. C. Ex inſtinctu ſpiritus Sancti ab Helena inventa . 817. B. Perperam hoc negant Centuriatores . 818. B. Particulæ Crucis magno in honore. Ibid. D. Pars Conſtatino donata . Ibid. E. Sub primordiis Eccleſiæ Crux exaltata . 819. E. 833. D. Dignificata a Chriſto , eique moralis extrinſeca excellentia communicata . 820. B. Aſſumpta a Chriſto ut inſtrumentum gloriæ . 823. D. Poſſumus eam alloqui . 825. A. Quovis tempore venerata . Ibid. B. Crux fuit ſpeciale inſtrumentum paſſionis Chriſti . Diſcrimen inter ipſam , & alia inſtrumenta . Ibid. E. Crux immediate excitat memoriam Chriſti, ſecus alia inſtrumenta . 826. A. Ejus ſignum venerabile . 826. D. Crucis figura in lege veteri . Ibid. E. Judicii die Crux honorabitur . 827. B. Probabile eſt realem Chriſti Cruce appariturum . Ibid. E. Crucis imago refertur ad Chriſtum . 828. A. Plura Crucis miracula, & apparitiones . Ibid. D., &

& ſeqq. Crucis figura primitus venerata. 830. B. Than ſignum Crucis. 831. D. Per ſignum Crucis recolimus Redemptionis beneficium. 832. B. Eſt armatura contra inimicos. Ibid. C. Eam pertimeſcit Dæmon. 833. C. Ex ſigno Crucis plures effectus. 834. B. Imago Crucis nuſquam prohibita. Ibid. D. Signum Crucis in Sacramentis conficiendis refertum myſteriis. Quæ in Miſſa. 835. C. Crux quælibet adoranda. 836. E. Diſcrimen inter Crucem realem, & exemplatam. 837. A.

Cultus Imaginum, alius a cultu, qui Deo tribuitur. 485. E. Sacer varios habet gradus. 916. E.

Cuſanus Cardinalis ſcripſit ſchiſmatis tempore. 671. B.

D

DAllaus adverſatur prærogativis B. V. M. 869. E. 873. A. Negat cultum ſacris Imaginibus. 986. 989. A.

Dæmon naturali virtute imagines efformare poteſt. 1010. E. In aſſumptis corporibus apparet ad fallendum. 1011. A. 1013. C. Modus eas efformandi. 1011. C. Imago ſub qua deliteſcit Dæmon non eſt adoranda. 1014. C. Etiam cum vera dicit, decipere intendit. 1015. D. Quæ imago ab ipſo facta coli poteſt? 1017. A. Ei nullus debetur cultus. 912. E. Antiquitus vexabant excommunicatos. 128. A. Exorciſmis vexatur. 404. A. Superiores quomodo urgeant inferiores. Ibid. C. Divinum cultum ſibi exoptant. 839. B. Æmulatur divina. Ibid. Ejus vis ad miracula non ſe extendit, ſed intra naturæ limites continetur. 341. C. Dæmonum ope quædam mira peraguntur. 344. A. Sanationes cauſat. Ibid. C. Plura a Dæmonibus mira patrata. 347. C. D. Vide *Diabolus*.

David vivente Saule erat Rex jure promiſſionis, non poſſeſſionis. 581. E.

Davidici docent in qualibet Secta dari ſalutem. 189. C.

Debbora quo pacto gubernavit populum Dei. 697. D.

Deceptio paſſiva dari poteſt ſine activa. 747. B. Non oritur ſemper ex mendacio loquentis, ſed ex ignorantia audientis Ibid. D. 749. C.

Defuncti in Purgatorio exiſtentes non ſunt de Eccleſia Militante. 14. E. Sunt extra ſtatum meriti. 15. C. Nec præceptis diriguntur. Ibid. D. Non poſſunt excommunicari, nec abſolvi cenſura. 16. E. Ipſis proſunt ſuffragia ob vinculum charitatis cum Viatoribus. Ibid. Eorum ſtatus medius. 17. C.

Delictum quandoque ſumitur pro imperfectione, quandoque pro peccato. 568. D. Privatum non lædit Communitatem. 666. C.

Democratia quomodo connaturalis. 593. E.

Denominatio Sanctitatis Eccleſiæ a famoſiori. 276. C. Deſumitur a manifeſto. 293. D. Ab activo. Ibid. E.

Devotio eſt intrinſecum adorationis complementum. 791. D. Exercetur actibus externis. Ibid.

Deus caput Angelorum. 8. E. Cur tot hæreſes in Eccleſia permittit. 203. C. Eccleſiam ſuam nunquam deſeret. 243. B. Ei ſpecialiter aſſiſtit. 246. B. Cur plura miracula a Pſeudoprophetis fieri permittat. 350. A. B., & ſeqq. Omnibus dat bona. 576. C. Cur malis, & bonis det bona. Ibid. E. Mala ad fines juſtos ordinat. 578. B. Eſt cauſa alicujus effectus dupliciter. 585. D. Eſt cauſa immediata dominationis abſtractive. 586. B. Secus concretive. Ibid. E. Regia poteſtas tripliciter a Deo, 590. B. Agit mediis cauſis ſecundis. 596. D. Non facit, quidquid facere poteſt. 696. E. Adorandus per actus internos, & externos. 735. E. 791. D. Coli debet mente, & corpore. 793. C. Poteſt viſibili figura depingi. 796. D. Sæpe viſibiliter apparuit. ibid. Quomodo analogice convenit cum creaturis. 800. C. Adoratur Latria. 802. C. Sæpe vult dona ſua nobis elargiri interceſſione Sanctorum. 885. A. Per hos ad eum debemus accedere. Ibid. B. Merita Virginis, ſeu Sanctorum acceptat ut genus quoddam compenſationis pro juribus juſtitiæ. 887. E.

Diabolus quis per imitationem. 25. C. 46. E. Dicitur malus Chriſtianus. 129. D. Dicitur Antichriſtus. 445. B. 446. B. Deſcribitur ut Beſtia in Apocalypſi. 449. B. Per Chriſti adventum ligatus. Ibid. Nequit humanam terminare naturam. 451. D. Utetur Antichriſto ut inſtrumento. 452. C. Vide *Dæmon*.

Dialectica maxime urget Hæreticos. 1024. B., & ſeqq.

Dies Judicii univerſalis abſconditus ſecundum ſe, ſecus ut connexus cum ſignis. 472. E. Cur pluribus ignotus. 473. B.

Dilectio Dei ſumma intenſive non eſt præcepta, bene verò ſumma appretiative. 735. C.

Dilectio inimicorum propria Chriſtianorum teſſera. 332. C.

Dionyſius Epiſcopus male ſe ſubſcripſit damnationi Athanaſii. 749. B 752. E.

Diſcipuli Chriſti erant de Eccleſia. 25. B. Quid ad hoc requirebatur. Ibid. D.

Diſcipuli 70. Apoſtoli nominantur minores. 288. D. Alii ſimiliter ſic nuncupati. Ibid.

Diſcipuli Antichriſti ſigna facient. 487. E.

Diſputatio circa fidem quibuſdam vetita. 301. B. Adverſus Hæreticos ſuas habet leges. 1028. D. Aſſignantur. Ibid.

Diſſenſio deſtruit Eccleſiam etiam falſam. 162. C.

Doctrina Chriſti eſt fides. 306. B. Chriſtianorum longe alia a doctrina aliorum. 331. E. Hæc internos niſi rarò non reformabat motus. Ibid. Illa Eccleſiæ quia ſenſibilis innuit ejus viſibilitatem. 217. B. Sacramentorum invariabilis. 295. B. Vera nonniſi per ſucceſſivos Paſtores poteſt haberi. 430. E. Negativa probanda. 408. A.

Dogmata fidei ſcholaſtica potius qua oratoria methodo propugnanda. 1021. D.

Dominatio abſtractive ſumpta immediate a Deo, ſecus concretive. 586. B. E. Tripliciter dici poteſt a Deo. 590. B. Juſtus

dominatur non ex cupiditate. 593. B. Convenit Epiſcopis in ſpiritualibus. 688. D.

Dominium Civile rationale. 515. C. Neceſſarium humanæ ſocietati. Ibid. Diſpoticum non eſt inter homines. 516. A. Fuiſſet etiam ſine peccato. Ibid. D. A Chriſto non prohibitum. 518. A.

Dominium Politicum. Vide *Principatus Politicus*.

De Dominis Marcus Antonius vult Hæreticos eſſe de Eccleſia. 85. D. Eccleſiam Chriſti vult poſt ejus Aſcenſionem inſtitutam. 141. C. Negat Eccleſiam unam. 148. A. Nec Chriſtum vult ejuſdem caput. Ibid. Orientales, & Occidentales contendit convenire in articulis Fidei. 155. B. Ejuſdem deliria pro concurdantia Catholicos inter, & Hæreticos. 184. E., & ſeqq. Abutitur Auguſtini auctoritate. 185. E. Negat in Eccleſia unitatem capitis viſibilis. 204. B. Laicocephaliæ propugnator. 601. D. Ejuſdem obitus. Ibid. E. Ejus cadaver ob relapſum in Hæreſim combuſtum. Ibid. Propugnator Laicocephaliæ Anglicanæ. 644. C.

Donatiſtæ ſolummodo apud ſe Catholicam Eccleſiam volebant. 33. E. Excludebant ab Eccleſia peccatores. 34. E., & ſeqq. 43. A. Primò Schiſmatici, dein Hæretici. 114. E. Cum quibuſdam Novatoribus negant Eccleſiam fore univerſalem. 182. A. B. 280. E. Docuerunt in qualibet Secta poſſe ſalvari. 189. E. Negarunt pœnis fore coercendos Hæreticos. 769. D.

Dona Dei confitenda ſine ſuſpicione ſuperbiæ. 275. A.

Dulia reſpicit excellentiam creatam. 788. B. Vide *Adoratio*.

E

Eccleſia Martyrum ſanguine fundata. 1. C. In ea myſteria contemplantur, & dignoſcitur veritas. Ibid. Ipſius auctoritas unicum eſt medium ad fidei Controverſias dirimendas. Ibid. E. 2. B. Eſt multitudo evocata, ſeu congregata, quæ Deum colit. Ibid. D. Antiquitus dicebatur Synagoga. Ibid. E. Secus in præſenti. Quare? 3. A. Univerſaliter Eccleſia comprehendit Beatos, & Viatores. Ibid. B. Multiplex nominis Eccleſiæ intelligentia. Ibid. D., & ſeqq. Quæ eſt Viatorum tripliciter conſideratur. 4. C. Quatuor ejuſdem cauſæ. Ibid. D. Non datur vera Eccleſia ſine capite, quod Chriſti vices gerat. 5. A. Plures inadæquatæ definitiones. Ibid. Dari Eccleſiam indubium. 5. B. Ad eam non ſpectant Angeli. 6. D. Dicit connexionem membrorum cum capite, & inter ſe, & inſimul ſpiritale eorundem augmentum. Ibid. E. Ejus ſponſus eſt Chriſtus. 7. E. Eſt caput omogeneum. 8. E. Recipit influxum a Chriſto. 9. B. Conſtituitur eſſentialiter per fidem, & gratiam per Sacramenta communicatam. 13. D. In Eccleſia continua pugna. 14. E. Eſt ſtatus meriti. 15. C. Eadem nunc, ac ſub initio Mundi. 17. D. Eccleſia per Hæreticos conſtat ſolis Prædeſtinatis. 18. E. Volunt illam Inviſibilem. 19. B. C. Unam volunt Symbolicam, externam alteram. Ibid. Nolunt peccatores fore de Eccleſia. 35. A., & ſeqq. 43. A. Vide *Hæreticus*. Non ſtatim debet ipſos punire. 91. E. Vera Eccleſia ab Hæreticis non valet deſtrui. 163. C. Eidem ſanctitatem negant. 270. B. Vim habet ipſos puniendi. 369. D. Prædeſtinatio non eſt forma conſtituens Eccleſiam. 19. D. In Eccleſia aliqui ad gloriam, alii ad Gehennam. Ibid., & ſeq. Plures reprobi membra Eccleſiæ. 20. A. Quidam de Eccleſia ab hac recedunt. Ibid. D. 21. B. Comparatur areæ, ſagenæ, convivio. 23. D., & ſeq. 30. C. D. 33. E. Sine macula, dum eſt glorioſa, ſecus militans. 27. D. Reprobi ſunt de Eccleſia ad tempus, ſecus finaliter. 29. A. C. Aſſimilatur horto concluſo, ac fonti ſignato. Ibid. E. Declaratur ſimilitudo. 30 B. In ea eſſe poſſunt peccatores. 34. E., & ſeqq. Eccleſia ſanctificationis locus. 40. B. In ea cum ſint mali, quomodo tota pulchra, & ſine macula. 41. E. 43. D. Ejus membra per fidem uniuntur. 45. A. Dicitur Sancta ex profeſſione Sanctitatis. 50. B. Aſſimilatur vineæ. 50. E. Impeccabilitas non eſt ejus conſtitutivum. 67. C. Sancta quoad doctrinam. 73. C. 383. C. Continet perfectos, & imperfectos. 73. D. Baptiſmus facit de Eccleſia. 75. B. Simul cum fide. 86. C. Non habet juriſdictionem niſi in Baptizatos. 75. E. Non ligat Catechumenos ſuis legibus. 77. B. Non orat pro Catechumenis. 79. C. D. Nemo unitur Eccleſiæ niſi per Sacramentorum ſigna. 80. A. Dupliciter quis unitur Eccleſiæ nempe merito, & numero. 81. C. Aſſimilatur Agro, in quo eſt bonum ſemen cum zizaniis. 91. A. Explicatur Parabola. Ibid. C. Quid ſignificent in Eccleſia vaſa aurea, argentea &c. 92. E. In ea ſunt male viventes. 93. A. Quando Eccleſia judicat de Hæreticis? 94. B. Occulti non ſunt de Eccleſia. 100. C. Unitas Eccleſiæ ex unitate fidei. 101. D. Habet viſibiles gradus Hierarchicos. 103. E. Unde ejus viſibilitas probetur. 109. B. In Eccleſia datur poteſtas Sacramentalis, & juriſdictionis. 110. A. Utraque remanet in Hæretico. Ibid. C. 111. B., & ſeqq. Unitas Eccleſiæ multiplex. 116. E. In Eccleſia ſunt Schiſmatici. 115. D. Orat pro Schiſmaticis, qui ad hæreſim declinarunt. 121. D. Medicinaliter curat filios ſuos. 126. E. Eccleſia vim non habet a ſe ejiciendi fideles. 128. E. In hoc conveniunt Sacri Canones. 129. A. Eccleſia cœpit ſub initio Mundi. 133. E. Perfectior Eccleſia poſt Chriſti adventum. 134. D. Eccleſiæ fundamentum in Adam, in Abele quoad formam. 135. E. Eccleſia civitas Dei. 136. C. Sanctitas Eccleſiæ a Sanctitate Sacramentorum. Ibid. D. In ea ſemper aliquis juſtus. Ibid. 277. B. Ad eam conſtituendam requiritur pluralitas Perſonarum. 137. A. Exigit diverſos gradus. Ibid. B. Eccleſia primò Judæis enunciata.

ciata. 140. E. Conſideratur tum quoad eſſentialem perfectionem, tum quoad intrinſecam conſummationem, tum quoad accidentale complementum. 141. D. Eccleſia novi Teſtamenti quoad priora a Chriſto viſibiliter regulata. ibid. E. Vivente Chriſto ea omnia erant in Eccleſia, quæ eſſentialem perfectionem, & intrinſecam conſummationem importabant. 142. A. Chriſti ſponſa. 143. A. Dilatata ex meritis Paſſionis Chriſti. 145. E. Quo modo formata ex Chriſti latere. 146. C. Poſt Pentecoſten promulgata. Ibid. E. Synagoga vivente Chriſto ſubſtantialiter eadem cum Eccleſia. ibid. E. 292. C. Eſt una unitate perfectionis. 148. B. Eccleſia perfecta. 149. E. Habet varia membra ſubordinata. 151. A. Corpori naturali comparatur. Ibid. C. Eccleſia Judæorum, & Gentium in veteri lege ſubſtantialiter una, licet quoad perfectionem diſtincta. 152. A. Pluribus aſſimilatur. Ibid., & 204. D. 215. E. 234. A. 267. E. 49. E. 92. D. Una eſt, non multiplex. 153. A. E. Ejus conſtitutivum indiviſibile. 156. D. Nullam admittit falſitatem. 157. D. Judex Controverſiarum. 170. B. Quædam ſunt in ea ad ornatum, quædam ad ſubſtantiam. 171. A. Hanc conſulit Paulus. Ibid. E. Admittit diverſitatem in ceremonialibus. 173. C. Eccleſia primitiva exemplar Fidei, & morum. 174. C. Sanctam eſſe plures negaverunt Hæretici. 181. E. Perperam illius ſanctitas explicatur. 182. A. Non niſi in vera Eccleſia ſalus poteſt conſequi. 190. B. Myſticum Chriſti corpus. ibid. E. Eſt Chriſti ovile. 191. A. Ipſa audienda ad ſalutem. ibid. C. Velut Mater Fidelium. 194. E. Extra ipſam nulla ſalus. 195. A., & ſeqq. Ejus articuli non ſunt adiaphori. 258. E. Reprobat Hæreticorum diſtinctionem in articulos fundamentales, & non fundamentales. ibid. Exempta per Chriſtum a jugo Moſaicæ legis. 202. B. Tradit doctrinam fidei. 203. B. Eſt una unitate capitis viſibilis. 204. C. Importat diverſos gradus Hierarchicos. 205. C. Unum corpus ex unitate capitis. 206. B. Exigit ſubordinationem. ibid. D. Habet viſibilem, & inviſibilem unitatem. 207. C. Ejuſdem caput inviſibile Chriſtus, viſibile ipſius Vicarius. Ibid. Eccleſia regnum Chriſti. 208. A. Eccleſia nova, & vetus eſt una numero ſubſtantialiter. 210. C. Comparatur homini juxta diverſitatem ſtatus. Ibid. E. Nova in veteri præfigurata, & prænunciata. 211. B. Semper habuit idem caput. 213. B. Eccleſia non dicitur nova quoad formam ſubſtantialem. ibid. C. Exiit a latere Chriſti quoad perfectionem. Ibid. E. Eſt viſibilis. 215. A. Eſt ab omnibus cognoſcenda. 216. E. 220. C. Dicitur ſupra montem. 219. A. Habet notas viſibiles. Ibid. C. Habet viſibiles Paſtores. 222. D. Habet unum ovile, unumque Paſtorem viſibile. ibid. Ex Calvino nequit carere Paſtoribus. 224. E. Sive vetus, ſive nova eſt viſibilis. 227. A. Nova in charitate fundata, habens viſibilia media in ordine ad Beatitudinem. 229. D.

Eſt univerſalis concretive. 231. B. Vera Eccleſia ex notis dignoſcitur. Ibid. D. Nuſquam periit. 235. A. 295. E. Entitative ſumpta dicit membra per orbem diffuſa, repræſentative dicit Paſtores in Conciliis congregatos. 236. D. Inviſibilem volunt Hæretici indefectibilem, ſecus viſibilem; hanc defeciſſe aſſerunt, licet circa defectionis tempus diſcrepent. 237. A., & ſeqq. Eccleſia viſibilis errare non poteſt. 240. A., & ſeqq. In ea firmitas tum in credendo, tum in docendo. 245. D. Chriſtus ejuſdem Magiſter. Ibid. A. Non errat in ſacris Traditionibus. 246. A. Eſt confirmata in veritate. 247. B. Si ipſa erraret, erraret Chriſtus. ibid. D. In eſſe, & operari a Chriſto dependet. Ibid. D. Poſt Chriſtum fundamentum, & columnam veritatis. 249. C. Indefectibilitas Ejuſdem neceſſaria. 250. A. Si Eccleſia periit, non eſt aſſignabile, unde ſint exorti Hæretici. 251. B. Ipſa ſemper fuit. 252. A. Non poteſt everti. 253. B. De eo quod facit univerſaliter Eccleſia, non eſt dubitandum. 254. A. Nequit fallere ſicut Divina Scriptura. Ibid. B. Si in Eccleſia foret error, Deo tribueretur. Ibib. E. Nunquam defecit in veteri lege. 257. A., & ſeqq. Eccleſia vel ſub primordiis novæ legis florebat. 261. B. Per hominum peccata non perit. 265. E. Antichriſti tempore florebit. 267. D. Dirigitur per Chriſtum etiam in præſenti. 269. A. Promiſſiones Eccleſiæ factæ ſemper infallibiles. Ibid. C. Eccleſia Sancta. ibid. E., & ſeqq. Eſt locus ſanctificationis. 271. B. Quo pacto fœda, & nigra dicitur. 275. D. Sancta inter peccatores. 276. B. Dicitur pulchra, & ſine macula. 277. A. Eſt Catholica, ideſt univerſalis. ibid. E. 252. E. Tripliciter hoc vocatur nomine. 278. C. Primis Eccleſiæ ſeculis cur non tam frequens hujuſmodi denominatio? 287. A. Soli noſtræ Eccleſiæ competit. ibid. B. Eccleſia dicitur Apoſtolica multipliciter. 288. E. Servat Apoſtolorum doctrinam. 290. C. Regenda per Apoſtolos ſucceſſive. 291. B. Vetus implicite Apoſtolica. 292. D. Apoſtolica eadem, ac Chriſtiana. Ibid. E. Primariò in Chriſto fundata. Ibid. Cur non dicatur Prophetica. 293. D. Nec Evangelica. Ibid. E. Cur novos nequeat nunc conſcribere Canonicos libros. 296. C. Debet habere notas, ut dignoſcatur. 298. B. Vide *Nota Eccleſiæ*. Eccleſia quomodo præſupponatur ad notas. 300. A. Extitit tum vetus, tum nova Eccleſia ſine Verbo Dei ſcripto. 305. B. Subſiſtit unitate. 315. E. Eſt a Deo. 318. E. Ejuſdem mira propagatio. 319. C., & ſeqq. Sanctitas nota Eccleſiæ. 325. E. Quid Sanctitatis nomine veniat. ibid. Sanctitas explicatur. 326. B. 393. E. Miracula Eccleſiæ nota 335. C. Miracula demonſtrant Eccleſiam, & Eccleſia miracula. 352. C. Eccleſia dicitur Apoſtolica, ideſt, habens legitimam Paſtorum ſucceſſionem. 353. B. Eſtque ejuſdem nota. ibid., & ſeqq. Chriſtus eſt deſponſatus Eccleſiæ in perpetuum. ibid. E. Ibi vera Eccleſia,

clesia, ubi vera Paſtorum ſucceſſio. 354. B. C. Potiſſimum ſucceſſio capitis. 361. C. Non particularis, ſed univerſalis neceſſariam dicit ſucceſſionem. Ibid. Hæc componitur cum pravis moribus Paſtorum. Ibid. E. Vim debet habere coercendi rebelles. 369. D. Vera probatur, ex quo ab ea exierint Hæretici. 382. A. Hæreticorum dicteria adverſus Eccleſiam. 382. D. Semper execrata eſt errores in fide. Ibid. D. E. Vitia ſimiliter. 384. C. Sancta ex legibus. Ibid. E. Inter perſecutiones ſemper ſancta. 385. C. Semper eadem. 386. E. 388. A. Stat vera Eccleſia inter pravos mores. 391. B. In primitiva Eccleſia erant vitia. 392. E. Adhuc inter vitia floret. 395. D. Juſtitia vindicativa in ea neceſſaria. 396. D. Ipſi ſoli convenit nota Sanctitatis. 397. B. Eidem ſolummodo convenit nota univerſalis. 412. E. Eccleſia ubique promulgata. 413. A. Eadem quoad ſubſtantiam, & quoad ſtatum. 418. E. Ceteris antiquior. 419. D. Immutata perdurare debet uſque ad finem. 420. A. 433. D. Inter perſecutiones firma ſtetit. 420. E. Habet legitimam Paſtorum ſucceſſionem. 423. A. Antichriſti tempore ſpecialiter a Deo adjuta. 488. C. Ab ipſo non deſtruetur. 489. A. Maxime vexata. 491. A. In Eccleſia jus condendi leges. 520. E. A Chriſto collatum. 521. C. Hoc exercuit ſub primordiis. Ibid. E. Plures condidit leges. 526. B. Etiam obligantes quoad actus internos. 541. C. Vide *Lex*. *Legiſlator*. Ejus leges obligant ante acceptationem Populi. 555. D. In Eccleſia perfecta Monarchia. 599. A. Ipſa judicare debet de ſpiritualibus. 603. C. Non eſt ædificata ſupra Reges, ſed ſupra Apoſtolus. 621. C. Sub primordiis non dependebat in ſpiritualibus a Principibus. 623. B. Canones Eccleſiæ negant Principibus Laicis poteſtatem judiciariam in rebus fidei. 627. B. Unitas corporis myſtici in ea non eſſet, ſi in ſpiritualibus ſubderetur Laicis. 686 C. Principes deponere poteſt. 702. D. Ad ipſam ſpectat declarare propoſitionem fore hæreticam. 705. A. Sub Henrico VIII. Angliæ Rege, Edoardo, Eliſabeth, & Jacobo veram perſecutionem paſſa eſt. 761. A., & ſeqq. Licite poteſt cogere Hæreticos ad fidem catholicam. 769. C. Figurata in Sara, & Agar. 770. B. Habet jus in Hæreticos. 774. D. Contra univerſalem Eccleſiæ praxim diſputare Inſanum eſt. 854. E. 891. D. Docet Sanctos eſſe invocandos. 875. E. Modum præſcribit. 876. A. Sub primordiis Sanctos colebat. 910. E. Licet de illis in Scripturis non eſſet mentio. 915. C. Non errat in eorum cultu. Ibid. E. Apocrypha Sanctorum acta reprobat. 916. C. Adoravit, coluitque Reliquias Sanctorum. 931. E., & ſeqq. Sub primordiis Eccleſiæ uſus Imaginum in Templis. 978. C. Licet non ubique. Ibid. Eccleſia particularis poteſt a fide deficere. 236. E. Quod hæc ſit vera, ex notis dignoſcitur. 300. A. Non habet neceſſariam ſucceſſionem. 361. C.

Eccleſiaſtici quomodo in politicis ſubdantur Laicis. 685. A.

Eccleſiaſticus Princeps poteſt leges condere. 520. E. Vide *Leges*.

Eudoxia Monachorum cœnobia dicebat tabernacula Jacob. 332. B.

Eleemoſyna pro Miſſis licita. 396. A.

Elias nunc non fruitur Deo in Cœlis. 18. B. Pertinet ad Eccleſiam Militantem. Ibid. C. Meretur. Ibid. Eliæ ævo Eccleſia viſibilis. 232. A. Sciebat non eſſe ſolum veri Dei adoratorem. Ibid. D. Eliæ ævo plures, ſed non omnes ex regno Iſrael Idololatræ. 257. A. Vide *Henoch*.

Eliberitanum Concilium explicatur quoad uſum Imaginum in Templis. 973. E.

Enos invocavit publice nomen Domini. 140. C.

Enoticum Zenonis Eccleſiam lædit. 158. B.

Epiſcopos eſſe in Eccleſia de Fide eſt. 109. C. Si ſint Hæretici habent poteſtatem ordinis. 110. C. Etiam juriſdictionis, ſi ſint tolerati. 111. D.

Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum. 240. D. 291. D. Mittebant ad Papam fidei profeſſionem. 366. D. In ea Primatus Papæ habebatur. Ibid. C. Hic mos nunc quoque ſervatur. Ibid. D. Scandala eorum non maculant Epiſcopalem dignitatem. 396 C. A Regibus non debent eligi. 665. A.

S. Epiphanius licitum admiſit uſum Sacrarum Imaginum in Templis. Ejus ſententia defenditur. 975 C.

Eraſmus ab Eccleſia ſeparat peccatores. 35. B. Sentit verba Symboli *Deſcendit ad Inferos* eſſe ſuppoſita. 179. B.

Error quilibet adverſus fidem reprobatus a Patribus. 157. E. Opponitur Eccleſiæ. 192. B. Error, & malitia ex originali peccato reparantur ex Chriſti paſſione. 268. B.

Ethnici non habent unitatem Religionis. 374. A. Horum ſecta adverſatur lumini naturæ. Ibid. B. A veritate aberrant. 397. B. Idola credebant Deos. 986. C. Cur negabant adorare ſimulacra. 987. A., & ſeqq.

Evangeliſtæ munus quomodo in Eccleſia perpetuus. 430. C.

Evangelio non eſſet credendum, niſi foret ab Eccleſia propoſitum. 254. B. 304. C. Ubique prædicatum fuit per Apoſtolos. 281. E. Non eſt nunc miraculis evulgandum. 410. E. Circumſtantiæ tamen penſandæ ſunt. 411. A. Evangeliorum liber adorandus. 840. A. In Conciliis ſub Throno collocabatur. Ibid. B.

Euchariſtia cur antiquitùs data infantibus, ſecus in præſenti. 260. E. Eſt adoranda Latriæ cultu. 809. A. In ea adoratur Chriſtus. 811. D. Licite circumgeſtatur. 812. B. Dum elevatur adoranda. Ibid. E. Rite inſtitutum fuit feſtum ad cultum Euchariſtiæ. 813. B. Eſt ibi Chriſtus modo Sacramentali. 814. B.

Eugenii Papæ depoſitio a Baſileenſi conciliabulo invalida. 264. D.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis ironice promiſit Arianis ſubſcribere damnationi Athanaſii. 749. C.

Euſtathius Sebaſtenſis negabat cultum Sanctorum. 908. D.

Excommunicatio major non omni privat ſocietate homines. 124. B. Poteſt quandoque, licèt invalida, ligare. Ibid. C. Alia major,

major, minor alia. Illa incurritur propter grave peccatum. Ibid. D. Eſt pœna medicinalis. 125. C. Impedit uſum Sacramentorum, & commercii. 126. D. Pœna graviſſima. 127. B. Non excludit ab Eccleſia. 128. E. In hoc conveniunt Sacri Canones. 129. A. Componitur cum fide, & charitate. Ibid. E. Sine incorrigibilitate incurritur. 132. C. Vide *Excommunicatur*. Etiam ad temporalia extenditur. 713. B.

Excommunicatus eſt de numero Fidelium. 124. E. Influxum recipit ab Eccleſia. 125. A. Poteſt eſſe in gratia; communicat cum aliis in fide, & charitate, ſubditurque Eccleſiæ. Ibid. B. Poteſt ab excommunicatione abſolvi licèt invitus. Ibid. D. Conſtituitur in loco pœnitentiæ. 126. A. Improprie dicitur Ethnicus. 127. B. Antiquitus arripiebatur a Dæmone. 128. A. Non eſt ab Eccleſia excluſus. 128. E. 129. A. Poteſt eſſe fidelis, & juſtus. Ibid. E. Actualiter non communicat in bonis Sacramentorum. 130. D. 131. A. Quomodo dicatur extra Eccleſiam. 131. E. Cum abſolvitur, reſtituitur actuali Fidelium conſortio. 133. A. Vide *Excommunicatio*.

Exinanitio Divini Verbi quæ. 806. B.

Exorciſtæ vim habent ſuper Dæmones in ordine ad bonum. 404. D.

Ezechias Sacra non miniſtravit. 615. D.

F

Feſta antiquitus inſtituta in cultum Sanctorum, & quidem ex præcepto. 895. A.D. Feſta Aſſumptionis, & Purificationis MARIÆ. 921. E.

Fictio figuralis habet veritatem. 743. E.

Fideles in Eccleſia diſtinguebantur in Cathecumenos, Competentes, Fideles, & Pœnitentes. 78. E. Unum ſunt cum Chriſto. 154. B. Omnes conveniunt in unitate fidei. 202. B. Non debent actu ſcire omnes articulos fidei. 173. C. Sive in veteri, ſive in nova lege ſunt filii ejuſdem Patris. 211. C. In veteri lege ſalvati per fidem in Chriſtum venturum. 211. E. Superædificant domus ſpirituales per exercitia virtutum. 226. C. Modo ſtellis, modo arenæ maris comparantur. 235. B. Non omnes Antichriſti tempore prævaricatores. 491. A. Fugient aliqui ad abſcondita loca. 491. C. Tenentur Dominis infidelibus obedire. 505. E. Per converſionem non liberatur per ſe ab obedientia. 506. B. Plures tempore Antichriſti. 489. B. Plures tunc converſi. 490. C. Vide *Chriſtiani*. Michael Arcangelus Fideles defendet Antichriſti ævo. 489. D.

Fides unit fideles. 44. C. Fundamentum perfectionis. 46. C. Unit Chriſto. Ibid. D. Habens fidem alius bonus, alius malus. 48. B. Fides radicaliter charitatem exigit. 57. B. 100. D. 190. C. Fundamentum ſpiritualis ædificii. 58. D. Habetur a Chriſto ut capite. 60. D. Fides integra de conſtitutivo Eccleſiæ. 86. C. Diſcredens uni articulo nullam habet fidem. 87. E. Si Fides ſeparetur a Baptiſmo, iſte non facit de Eccleſia. 96. E. Fides exterior non facit de Eccleſia. 103. B. Eſſe poteſt in excommunicato. 129. E. Fides integra, & fides vera explicantur. 99. D. Quæ ſincere credit, facit de Eccleſia. Ibid. E. Debet eſſe unà cum bona conſcientia. 100. B. Fides ficta non ſalvat a naufragio. Ibid. Perſonalis non facit definitionem infallibilem. 114. C. Quæ erat in Oraculis involuta, revelata in lege gratiæ. 135. B. 212. A. Conſtitutiva Eccleſiæ quæ? 139. E. Non admittit in eſſentialibus diverſitatem. 155. C. In articulis fidei ſummum requirit conſenſum. Ibid. E. Ejus identitas exigitur. 157. B. Error quilibet adverſus ipſam reprobatus. Ibid. E. Divinæ innititur auctoritati. 159. B. Vera fides non niſi in Eccleſia. Ibid. Una eſſe debet. 200. B. Fides myſteriorum alia explicita, implicita alia. 202. E. Differentia præſentis, & venturi non variat eſſentialiter fidem. 212. A. In lege veteri erat fides Chriſti. Ibid. C. Fides confitenda. 219. D. Fides ex auditu. 222. B. Si fides dividatur, dividitur Chriſtus. Ibid. D. Fides ſecundum ſe eſt inviſibilis, ſecus ut in ſubjectis. Ibid. E. 223. A. Non mutat rerum naturam. 229. E. Habet objecta viſibilia, & inviſibilia. Ibid. Eſt forma Eccleſiæ. 230. B. Habet & materiale, & formale. Ibid. C. Quomodo quod eſt viſibile cum fide componitur. Ibid. E. Quandoque inviſibilis per accidens. 231. C. Viſibilis in effectibus. 233. E. Nuſquam ex toto deficiet in Eccleſia. 277. C. Prædicata per totum mundum. 281. E. 413. A. 414. C. Per Apoſtolos ad nos propagata. 291. A. Nuſquam quoad ſubſtantiam variata, ſecus quoad accidentalia. 294. D. 433. D. Veritas fidei quando, & a quibus inquirenda. 301. A. Non eſt nota Eccleſiæ utpote inviſibilis. 306. B. Fides eſt doctrina Chriſti. Ibid. Fidei confeſſio non eſt veræ Eccleſiæ ſignum. 310. D. Fides nil tradit contra naturæ lumen. 324. D. Per Martyres comprobata. 329. D. Ipſa non certò deſervit pro vera inveſtiganda Eccleſia. 331. A. Eſt ſupra humanam rationem. 337. C. Ad eam diſponunt miracula. Ibid. Si vera non eſſet fides noſtra, a Deo decepti eſſemus. 338. A. Primò non innititur miraculis. 352. B. A Paſtoribus dependet in ſui conſervatione. 353. E. Suſpicio in fide purganda apud Rom. Sedem. 364. E. Aliquid eſt de fide dupliciter. 371. E. Fides non judicanda ex moribus. 393. B. Antichriſti tempore maxime vexata. 488. C. Fidei confeſſio aliquando cadit ſub præcepto. 714. C. Nequit exterius negari. Ibid. E. Ipſam ſimulare licitum eſſe poteſt. Ibid. Duplex ſimulatio. 721. A. 737. B. Nec formaliter, nec virtualiter neganda. 717. A. Fuga eſt virtualis confeſſio fidei. 725. D. Non ſemper tenemur fidem confiteri. 726. D. Silentio fides quando confitetur. 730. E. Vide *Fuga in perſecutione*. Nequit licitè exterius negari. 732. B. Negatio fidei pluribus

ribus adverſatur virtutibus. 733. C. Fides coram omnibus confitenda. 736. C. Myſteria tamen non ſemper manifeſtanda Hæreticis. 736. E. Negatio fidei exterior non eſt Papæ reſervata. 738. E. Libere ſuſcipitur, ſed non libere poteſt dimitti. 777. A. Legibus ſervanda præcipitur. 776. B. Catholica mire defenditur Scholaſtica methodo. 1024. E.

Filiatio Dei multiplex. 44. D. Non amittitur per peccatum. Ibid.

Filius Dei quis dicitur, nempe veritate electionis, veritate formæ, veritate conſecutionis. 26. E.

Finis influit ut in intentione. 61. E.

Fiſcherus Roffenſis Anglus vere martyr. 765. E. Obtruncatum caput majeſtatem præferebat. Ibid.

Fornicatio jure naturæ prohibita. 524. E.

Fortitudo ex unitate. 149. E.

Francofordienſe Concilium non adverſatur Sacris Imaginibus. 995. D.

Fraticelli duas poſuerunt Eccleſias, nempe carnalem, & ſpiritualem. 147. D.

Fuga in perſecutione licita exemplo Chriſti, & Apoſtolorum. 723. E. 724. C. Exemplo Sanctorum. Ibid. E. Non eſt fidei contraria. 725. D. Eſt virtualis fidei confeſſio. Ibid. Innuit ſecretionem ab Hæreticis. 727. B. Eſt ſignum fortitudinis. Ibid. Non importat erubeſcentiam Chriſti. Ibid. D. Nec inconſtantiam. Ibid. Deum tentat, qui perſecutionis tempore non vult fugere. 728. C. Quando illicita. 729. A. Licita non ſolum populis, ſed ſæpe etiam Prælatis. Explicatur. Ibid. C. Quando particularibus non licet fugere. Ibid. E. Eſt licita etiam captivis. 730. A. Etſi mors ſequatur cuſtodum. Ibid. D.

Fulco Calvinianus Eccleſiam incognitam dicit. 214. E.

Fundamentum Eccleſiæ unum, ideſt Chriſtus. 153. C. Veritatis poſt Chriſtum Eccleſia. 249. C.

Funus comitari eſt ceremonia civilis. 757. C. Secus ſi deferantur cerei. 759. A.

G

G*Entiles* quomodo impugnandi. 198. D. A Sanctitate Eccleſiæ illecti. 327. E. Ab ipſis commendatur. 328. A. Quidem ex vanitate mortem oppetierunt. 333. B. Male impugnant Chriſti miracula. 339. E. Circa ſacra non ad Principes, ſed ad Sacerdotes accedebant. 681. E. Irridebant Chriſtianos, tanquam Aſinorum adoratores. 823. B. Cur nos Atheos dicebant. 974. B. 978. B. Cur Martyrum Cadavera flammis, vel aquis devovebant. 974. B.

Gentilis Valentinus cum Paganis circa Deorum pluralitatem ſentiebat. 176. E.

Gnoſtici Sanctorum cultum negabant. 908. D.

Græci primò Schiſmatici, dein Hæretici. 315. A. Græci Hæretici non habent legitimam Paſtorum ſucceſſionem. 360. E. In pluribus errant. 401. C.

S. Gregorius Magnus per quoſdam Hæreticos primus de linea Antichriſti. 445. A.

S. Gregorius Nazianzenus commendat Dialecticam. 1025. A. Damnat ſtudium novitatis. 1029. E.

Gubernator in Republica neceſſarius. 504. D. Vide *Principatus Politicus*.

Gubernium Spirituale immediate a Deo, ſecus temporale. 598. E. Politicum. Vide *Principatus Politicus*.

H

H*Abitus* mutatio quæ licita. 751. E. 753. E.

Hæreſes multiplicatæ ubi Apoſtolicâ prædicatione everſa ſunt Idola. 89. C. Imitantur Eccleſiæ myſteria. 98. B. Hæreſes cur oportet eſſe in Eccleſia? 99. A. 173. E. Non tollunt ab Hæretico poteſtatem Ordinis, nec juriſdictionis ipſo facto. 111. B., & ſeqq. Hæreſes laudabiliter a Patribus non eſſent impugnatæ, ſi quilibet in propria ſecta poſſet ſalvari. 193. C. Cur Deus tot hæreſes in Eccleſia permittit. 203. C. Obortæ ex negata ſubordinatione capiti viſibili. 205. E. Quaſdam induxerunt in Eccleſia variationes. 294. E. Ad multiplicationem hæreſum multiplicantur ſectæ. 317. D. A ſuperbia exortæ. 332. B. Diverſæ hæreſes ſibi contradicunt. 377. E. Ab ambitione exortæ. 378. A. Ex eadem hæreſi plures diverſæ emanarunt. Ibid. B., & ſeqq. Novatorum a veteribus adoptatæ. 437. E. Comparantur inter ſe. Ibid., & ſeqq. Dicuntur myſterium iniquitatis. 445. E.

Hæreſis nequit veram doctrinam præcedere. 422. E. Oritur ex contemptu Sacerdotis. 679. C. Importat errorem in intellectu. 738. E. Cauſa diſſenſionis. 772. C. Eſt ab intrinſeco mala. 780. B. Quando permitti poteſt. Ibid.

Hæretici exierunt ex nobis, licet non eſſent ex nobis: Explicatur ex Auguſtino. 38. D. 101. B. 105. E. Occulti extra Eccleſiam. 86. D. 100. C. Secundùm apparentiam ſunt in Eccleſia. 107. C. Nullum a Chriſto influxum recipiunt. 97. B. 108. D. Epiſcopi valide Ordinationes faciunt. 111. B. Conciliariter congregati quando ſunt infallibiles. 112. E. 114. C. Si ſint tolerati poſſunt cum Catholicis communicare. 113. A. 720. B. Excommunicati nominati, etſi Epiſcopi ſint, non poſſunt alios ligare. Ibid. B. Diſtinguunt fidei articulos in fundamentales, & non fundamentales. 154. C. Ad hanc confugiunt diſtinctionem, ut hæreſeos notam effugiant. 159. D. Inſurgunt contra Monachos. 162. A. Ex ſuis diſſenſionibus ſibi timent ruinam. 162. D., & ſeqq. 375. C. Seſe invicem tanquam hæreticos traducunt. 163. E. 376. C. Seſe convitiantur ad invicem. 164. A. 379. A. 381. A. Nonnullæ referuntur Antilogiæ inter Hæreticos. 166. B. Varii ſunt in articulis fundamentalibus. 167. A. Contendunt errores ſuos ſcripturis probare. 168. E. Vel etiam ex privato ſpi-

ſpiritu. 169. C. Nihil credendum ſtatuunt, niſi quod in Scripturis legitur. Ibid. Inter ſe contrarii in ejuſdem Scripturæ intelligentia. Ibid. D. Quomodo a Fidelibus vocentur Fratres. 174. E. Non omnes ſymbolum fidei ut regulam credendorum adoptant. 175. E. Diſcrepant in aſſignanda Fidei regula. 175. E. Concordes ſunt Novatores in propugnandis antiquis erroribus. 176. D. Comparantur inter ſe. Ibid. Et cum antiquis. 177. A., & ſeqq. Negant futurum judicium plures. 180. D. Alii errant circa modum, & circa Perſonam Judicis. Ibid. Perperam contendunt in propria ſecta poſſe ſalvari. 189. B. Lacerant Chriſti Eccleſiam. 191. C. Non habent Spiritum Sanctum. Ibid. E. Licèt Chriſtum confiteantur, non ſunt ex Deo. 193. E. Plura habent in Eccleſia præter ſalutem. 194. B. Non poſſunt ſalvari extra Eccleſiam Rom. 195. A., & ſeqq. Plures fatentur non poſſe quemlibet in propria ſecta ſalvari. 197. E. Quidam aſſerunt Eccleſiam inviſibilem intra viſibilem. 223. C. Eccleſiam inviſibilem dicunt indefectibilem, ſecus viſibilem, immo hanc defeciſſe volunt, licet diſcrepent in rtſarendo defectionis tempore. 237. A., & ſeqq. Dicunt PP. antiquos erraſſe. 239. A., & ſeq. Cur ſic loquantur. Ibid. D. Nequeunt prævalere adverſus Eccleſiam. 245. D. Si hæc periit, non habent, unde ſint exorti. 251. B. Eccleſiam ſuam dicunt Catholicam. 287. C. Non ſunt ab Apoſtolis. 291. C. Nec ſucceſſionem habuerunt interruptam. 296. B. 362. D. 424. B. Neceſſarias admittunt Eccleſiæ notas. 209. A. Diſcrepant in iis aſſignandis. 302. B. Non ſervant unitatem. 316 D. Suam ſectam Catholicam dicunt. 317. E. 318. C. Ex Hæreticis nullus vere Martyr. 332. E. Falsò jactant ſanctitatem. 333. C. Reprobant miracula tanquam præſtigia. Ibid. E. 405. E. Fatentur tamen ſingulis ſeculis evenire. 333. C. Admittunt fidem confirmari miraculis. 338. E. Sæpe conati ſunt miracula facere. 348. D. 406. E. Quædam vera agere poſſunt in commendationem veritatis. 348 D., & 351. E. 408. C. Hæretici irrident notam Apoſtolicæ, quæ Eccleſiæ tribuitur. 353. C. Reprobant Sectas, quæ novitatem ſapiunt. 356. B. Varias Sectas inter Catholicos ſomniant. 363. D. Unionem, ac ſubordinationem ſimulant cum Eccleſia Rom. 365. A. Fatentur neceſſariam Capitis unitatem. 367. E. Vi coercendi. 369. D. Falſa affingunt Catholicis. 373. E. Contradictoria docent. 377. B. C. Nullum habent Caput ſuæ Sectæ. Ibid. B. A vera Eccleſia primò exierunt. 382. A. Horum dicteria adverſus Eccleſiam. 382. D. Et contra ejuſdem Sanctitatem. 389. B. Antiqui improbi. 398. C. Moderni ab illis non diſpares. Ibid. E. Aſſerunt præcepta ſervari non poſſe. Ibid. Negant neceſſitatem bonorum operum. 399. E. Omne Sanctum conculcant. 340. D. Nullum habent ſignum veræ miſſionis. Ibid. C. Fatentur Rom. Eccleſiæ propagationem. 414. C. Non habent univerſalitatem Eccleſiæ. 416. E. Quidam volunt Rom. Eccleſiam uſque ad Auguſtinum perſeveraſſe, alii uſque ad Gregorium Magnum, alii ad noſtra tempora, ſed vitiatam. 421. E. 433. A. Aperte revincuntur nunquam fuiſſe de vera Eccleſia. 431. C. Male criminantur Catholicos de mutatione circa fidem. 433. D., & ſeqq. Fatentur Eccleſiam ſemper eadem ſervaſſe dogmata, & ritus. 434. A., & ſeqq. Damnant Hæreticos primorum ſeculorum. 436. B. Cum his tamen convolunt Novatores. Ibid. D. 437. E. Falſa de Pontificibus ſcribunt. 440. E. Dicuntur Antichriſti. 445. B. 446. C. 498. D. Dicunt Antichriſtum jam adveniſſe. 467. E. Ex ſuis principiis probatur Papam non eſſe Antichriſtum. 482. C. 485. A. Hæreticorum convitia in Principes ob eorum politicam poteſtatem. 501. B. Moderni fatentur ſuam ſectam ſectæ Turcarum ſimillimam. 503. A. A Turcis exectari. Ibid. Hæretici negant Principibus ſive Secularibus, ſive Eccleſiaſticis poteſtatem condendi leges. 520. D. Scripturas corrumpunt. 529. C. Hæretici Principes noverunt ſpiritualem poteſtatem in Eccleſia. 634. C. Pœnis coerceri poſſunt, ut redeant ad fidem. 770. A. Flagellandi, ut obediant. 771. C. In eos habet juriſdictionem Eccleſia. 774. D. Bene pœnis incitantur ad converſionem. 777. E. Sæpe permanent in hæreſi ob metum. 778. A. Cogi poſſunt ad converſionem, licèt non ſint rebelles. Ibid. C. Inconvenientia non ſunt timenda. 779. A. Hæretici nequeunt cogere Catholicos ad Hæreſim. 783. E. Adverſantur Prærogativis Beatæ Virginis. 869. E. 873. A. Negant Chriſtum pro nobis orare in Cœlis. 880. E. Negant Sanctos eſſe invocandos. 883. D. Hæretici negantes uſum Imaginum in lege gratiæ. 963. A. Inſurgunt contra Scholaſticam methodum. 1022. A. Sermonis elegantiâ alliciunt, ut decipiant. 1023. A. Ubique Catholicos inſultant. 1028. C. Aſſignantur regulæ ad diſputandum contra ipſos. Ibid. D., & ſeqq.

Hæretici Principes noverunt poteſtatem ſpiritualem penes Eccleſiam. 634. C.

Hæreticus unde dictus. 85. E. Sua electione damnatus. Ibid., & 86. E. 101. A. 105. B. Alius internus, externus alter. 86. B. Non eſt Capiti conjunctus. Ibid C. Caret ſpiritu Chriſti. 87 B. Hæretici apta deſcriptio. Ibid. C. Non habet fidem ſtatim ac uni articulo diſcredit. Ibid. E. Juxta Patrum ſententiam non eſt de Eccleſia. 88. B. 98. E. 102. C., & ſeqq. Rediens ad Eccleſiam olim nullo gradu inſignitus. 88. C. A Concilio Niceno, & a Melchiade in hoc diſpenſatum. Ibid. C. E. Æquiparatur Atheis, & Idololatris. 89. B. Exciſus ab Eccleſia. Ibid. D. 104. D. Non dicitur Chriſtianus. Ibid. E. Non ſtatim ab Eccleſia mulctandus. 91. E. Eſt velut vas confractum. 93. B. Hæreticus in duplici differentia. Ibid. D. Si non ſit pertinax, eſt in Eccleſia. Ibid. E. Qui non eſt declaratus, videtur de Eccleſia. 94. A. Quinam ab Eccleſia judicatur. Ibid. B. Eſt

velut cadaver. 95. E. A Fidelibus, & Patribus dicitur Frater ex affectu charitatis. 98. D. Non eſt accenſendus Fidelibus. 101. B. Dicitur Simia Catholicorum a Chryſoſtomo. 98. B. 102. B. Diſcriminatur ab Excommunicato. 129. E.

Hebdomada annorum, & dierum in Scripturis. 471. E.

Hebræi negant Chriſtum vera patraſſe miracula. 339. C. 340. E. Sibi contrariantur. 341. B. Ab urbibus ejiciendi. 781. D. Mala plurima civibus ab Ipſis proveniunt. Ibid. Quidquid boni peragere videntur, a Chriſtianis ſuppleri poteſt. 782. D. Quando permitti poſſunt, ut fides noſtra roboretur. Ibid. E. Cogi debent ad audiendum verbum Dei. 783. C. Non poſſunt cogi ad fidem ſuſcipiendam. Ibid. D. Ipſis erat vetitus uſus Imaginum ob periculum Idololatriæ. 958. D. 959. D. Primi negaverunt uſum Imaginum in lege gratiæ. 963. B. Non ſemper eodem loco ſacrificabant. 610. E. Simulacra tanquam Deos colebant. 985. D. In Idolis verum Deum non colebant. Ibid. E. Cur Vitulum adoraverunt. 986. B. Vide *Judæi*.

Helena Conſtantini Mater Crucem Domini invenit. 817. B. Perperam hoc negant Centuriatores. 818. B. Partem Filio dedit. Ibid. E. Dedit Clavos. 819. A.

Helvetica confeſſio negat quemlibet in propria Secta poſſe ſalvari. 197. E. Eccleſiam dicit inviſibilem. 214. E.

Helvidius Deiparæ Virginitatem negabat. 178. C.

Henoch, & Elias nunc vivunt. 453. E. Tranſlati. Ibid. Dei viſione non fruuntur. 454. D. Sunt confirmati in gratia. 455. C. Non ſubduntur humanis infirmitatibus. Ibid. An ex ligno vitæ veſcantur, diverſæ ſententiæ. Ibid. Ubi degant, incertum. Ibid. E. Erunt fidei defenſores contra Antichriſtum. 456. B. Teſtes erunt fidei. Ibid. Occidentur, & cadavera tribus diebus cum dimidio erunt in plateis. 457. A. Venient prævie ad judicium, ut populos convertant. 458. B., & ſeqq. Ab Antichriſto occidentur. 460. B. Elias veniet pro Judæis, Henoch pro Gentibus. Ibid. Quomodo prophetabunt. Ibid. D. Horum vis in prædicando. 461. D. Poſt tres dies reſurgent. Ibid. E. Convertent Judæos. 483. D. Intelliguntur pro duabus alis Mulieri datis. 491. E. Fides non liberat a ſervitute Principum, bene verò Judæorum, qui Eccleſiæ ſubditi ſunt. 514. E. Fidei articuli immobiles. 533. E.

Henricus VIII. Rex Angliæ ante prævaricationem fatetur Spiritualem Primatum in Pontifice. 643. D. Primatum Eccleſiaſticum ſibi uſurpavit. 601. A. Vere perſecutor Eccleſiæ. 762. D. Ejus impietas. 763. A. Reliquias S. Thomæ Cantuarienſis combuſſit. 930. A.

Herodes cur Judæorum Genealogias ſtuduerit incendere. 354. E.

Heſuſius Deum a Diabolo non differre dicebat. 177. A.

Hierarchia Eccleſiaſtica conformis cœleſti. 205. A. Fidei firmitatem probat. 248. B.

S. Hieronymus qualem cultum Imaginibus negat? 988. D.

Hieronymus de Praga Reliquias Sanctorum deſpiciebat. 929. E.

Hollandia ſupra centum Sectas fovet. 378. E.

Homo filius Dei multipliciter. 44. D. Per peccatum non amittit filiationem. Ibid. Ex Deo juſtus, ex Adam peccator. 72. C. Indiget adjutorio alterius hominis. 504. B. Habet inclinationem ad benefaciendum. 593. A. Homines ſanctitate celebres quomodo poſt mortem venerandi. 1019. B.

Honor alius eſt ab adoratione. 787. B.

Hugonoti jure pœnis ad catholicam fidem revocati. 769. C.

Humanitas perficitur a Verbo. 806. E. Coadoratur ad adorationem Divinitatis. 807. D. 808. A.

Humores ſunt vere de corpore hominis. 66. A. B. Malis humoribus comparantur peccatores. Ibid.

Hus Joannes vult gratiam prædeſtinationis facere de Eccleſia. 74. A. Peccatorem aſſerit nec Regem, nec Ducem. 573. A. Negat pœnis fore coercendos Hæreticos. 769. D.

Hyperdulia reſpicit excellentem, Deoque affinem ſanctitatem. 788. B. Vide *Adoratio*. Eâ colitur B. Virgo. 919. B. Secus Apoſtoli, Præcurſor, & Chriſti Vicarius. 927. A.

I

Jacobus Rex Angliæ tot dicit Eccleſias, quot Regna. 147. E. Iniquum juramentum a ſubditis exigit. 700. D. Vide *Anglia Rex Jacobus*. Contendit Regibus deberi civilem. & Eccleſiaſticam obedientiam. 701. E. Irridet ſacramentale ſigillum. 704. D. Dicit hæreticam eſſe doctrinam aſſerentem poſſe Papam Principes excommunicare, & deponere. 704. E. Modernis Conciliis non credit. 705. C. Calumniatur Paulum V. 710. A., & ſeqq. Propugnat exigitum juramentum. 711. B. Vide *Juramentum a Jacobo Rege &c.* Vere perſecutor Eccleſiæ. 760. E. 765. A. Vide *Anglia Rex*.

Janſeniſtæ ab Eccleſia ſejuncti. 373. E.

Iconomachi. Vide *Imago*. *Sancti*.

Idololatria ſpecies duplex. 950. E. Ejus cauſa fuit ignorantia. 951. A. Aliæ cauſæ aſſignantur. Ibid. C. Initium unde deſumendum. Ibid. D. Prohibita præcepto naturali. 953. C. Quandoque dabatur ſine ſimulacris. Ibid. Una, & multiplex. 317. D. 287. B.

Idolothytum, & ſuffocatum ab Apoſtolis prohibitum. Quare? 523. A., & ſeqq. 524. D. Fuit præceptum particulare. 525. B. Paulus Corinthiis non vetavit. Ibid.

Idolum quid ſignificat. 950. E. Ab Idolo Idolothyta, & Idolium. Ibid. Explicantur. Ibid. Idolum diſtinguitur ab Imagine. 951. E. Eſt falſum Simulacrum. 799. E.

Jehu ſimulando falſum cultum cur laudatur. 738. A.

Jeremias non erit Eliæ ſocius adverſus Antichriſtum. 462. A.

Jeru-

Jeruſalem ob ſcelera Sodoma dicta in Scripturis. 479. C. Dicta itidem Gomorra. Ibid. Ea præterita ſanctitate nunc quoque Sancta dicitur. 481. D. Erit abominabilis Antichriſti ævo. Ibid. E.

Jeſuitiſſarum inſtitutum anno 1610. extinctum. 694. C.

JESUS nomen adorabile. 837. E. Genoflectendum. 838. A. Eſt ſummæ virtutis. Ibid. C. Miracula per ipſum patrata. Ibid. D. Nomen hoc ducit in cognitionem Salvatoris. 840. D. Dicit connexionem cum re ſignificata. Ibid. Continet excellentiam aliorum nominum. 841. B.

Imagines non coluntur a Fidelibus, ut colitur Deus. 485. E.

Imago Dei depingi poteſt. 796. D., & ſeqq. Non debet multiplicari ad libitum. 798. A. Judæis erat prohibita. 799. B. 960. C. Conſiderari poteſt dupliciter 800. C. Patres quas reprobarunt Dei imagines. Ibid. E. Imago Crucis. Vide *Crux*. Eſt adoranda. 899. B. Sine imaginibus Sancti poſſunt adorari. 907. D. Datur præceptum publice eas retinendi. Ibid. Et adorandi. 908. B.

Imago, ſi dehonoretur, refertur ad Prototypum. 828. B. Unde dicta. 949. B. Imaginum uſus celebris apud veteres. Ibid. C. Signum nobilitatis. Ibid. Non omnibus concedebatur. Ibid. D. Deferebatur in funeribus Principum. Ibid. E. Quandoque uſus imaginum malus. 950. A. Non eſt certus primus imaginum inventor. Ibid. B. Imago diſtinguitur ab Idolo. 951. E. Non fuit in lege veteri præceptum prohibens omne genus imaginum. 952. B. Imago idololatrica prohibita. 953. A. Quædam Imagines a Deo præceptæ. 954. A. Uſus ſuperſtitioſus ſemper prohibitus. 955. E. Uſum imaginum in lege nova negaverunt Hæretici, & qui. 963. A. Earum uſus licitus. 964. D. Ordinatur ad ſpiritualem utilitatem. Ibid. E. 972. A. Ad imitationem Sanctorum. 965. B. Imagines SS. Petri, & Pauli viſæ a Conſtantino. 967. E. Uſus earum privatus non eſt præceptus. 970. B. Eſt licitus etiam in Templis. 971. C. In lege veteri erat præceptus. Ibid. In primitiva Eccleſia in uſu. 972. D. Depicta in Calicibus ſacris. 973. A. Antiquitus non adeo frequens earum uſus. 978. B. Incitat ad imitationem. 979. B. Sanctorum imago eſt digna cultu. 981. A. Eſt ſymbolum cœleſtium. Ibid. C. Dicit ſpecialem ordinem ad perſonam. Ibid. D. Imago, & exemplar pro eodem ſumuntur. 982. C. Imaginum cultus ex antiqua Traditione. 983. E. Non improbatus a Libris Carolinis. 992. B. Cultus ſuperſtitioſus reprobatur. 993. A. Imago ſumi poteſt materialiter, & formaliter. 1002. A. Abſolute adoranda. Ibid. C. Et quidem eodem genere cultus, quo exemplar. 1003. B. Facit unum cum exemplari. 1010. B. Imago poteſt efformari a Dæmone. Ibid. E. Imago interior quomodo diverſimode efformari poteſt. 1012. D. Imago ſub qua deliteſcit Dæmon non eſt adoranda. 1014. C. Quæ imago ab ipſo facta coli poteſt? 1018. A.

Imaginatio non facit miracula. 339. E. Debilis fingit imagines. 1012. A.

Impeccabilitas non eſt conſtitutivum Eccleſiæ. 67. C.

Imperatores Gentiles cur ſacris inaugurari volebant. 682. B. 689. A. Vide *Principes*. Jus confirmandi Pontifices ab ipſis uſurpatum. 654. B.

Imperium Rom. deſtruendum ante adventum Antichriſti. 447. C. 264. E.

Incarnatio Verbi divinam manifeſtat perfectionem. 323. D.

Inceptio rei duplex, alia quoad numerum, alia quoad eſſentialem formam. 135. D.

Indefectibilitas alia activa, alia paſſiva. 236. B. Eccleſiæ neceſſaria. 250. A.

Indulgentia prodeſt Defunctis per modum ſolutionis. 16. D.

Infallibilitas Eccleſiæ non fundatur in fide perſonali. 114. C.

Inferni pœnas negant æternas quidam ex Hæreticis. 184. E.

Inferorum poteſtas nequit prævalere adverſus Eccleſiam. 245. D.

Infideles, qui Chriſto adverſantur, redarguendi. 298. C. Ad hoc requiruntur notæ Eccleſiæ. Ibid. Quomodo cum iis diſputandum. 300. D. In triplici differentia. 769. D. Liberi ſunt, ut fidem ſuſcipiant. 777. C. Non ſunt ſub dominio Eccleſiæ. Ibid. Poſſunt fidelibus præeſſe. 505. E. Si ad fidem convertantur, liberantur, juris diſpoſitione, a ſervitute Catholici Principis. 507. C. Nequeunt e Catholicis aſſumi ad dignitates. Ibid. D.

Ingratus, qui negat Dei dona. 275. A.

Injuria patienter toleranda a privatis, ſecus a Principe, ſi Reipublicæ noceat. 567. E.

Inimicus domeſticus crudelior. 47. D.

Inobedientia quoad Eccleſiam duplex, nempe contumax, & ſimplex; prima conſtituit hominem extra Eccleſiam, ſecus altera. 126. D. Punienda. 539. B. Deo diſplicet. 541. A. Inobedientes Rom. Pontifici Schiſmatici ſunt. 114. E.

Inquiſitionis Tribunal laudabile. 396. D.

Inſtrumenta muſica nequeunt a Catholicis pulſari in Templis Hæreticorum. 739. C.

Inſtrumenta paſſionis Chriſti non omnia ejuſdem rationis quoad adorationem. 825. E.

Intentio extrinſeca operantis non facit actionem bonam, ſi ea ſe mala ſit. 720. C.

Interpretatio Scripturæ dicitur quandoque prophetia. 460. D.

Inviſibile aliquid per accidens. 231. C. Inviſibilia per viſibilia comprobantur. 337. D.

Invocatio Sanctorum a Quietiſtis negatur. 875. A. Noviſſime hunc errorem cumulavit Mulier quædam. Ejuſdem deliramenta. Ibid. D. Vide *Sancti*. Præſcribitur ab Eccleſia. 876. A. Convenit hujuſmodi invocatio etiam Perfectis. Ibid. B. Deo placet. Ibid. E. Eſt medium ad obtinendam perſeverantiam. 877. C. Eſt actus Religionis. 879. A. Chriſtus quomodo dixit Diſcipulis ipſum non eſſe invocandum. Ibid. B. Datur præceptum invocandi Sanctos. 882. D. 890. D. Invocatione Sanctos honoramus. 884. C. Sanctorum invocatio quandoque neceſſaria. 889. D. Eſt ex lege

 Divi-

Divinæ providentiæ, & ea ordine rerum. Ibid. E. 890. A. B. Pertinet ad objectum ſpei, & fidei. 891. A. B. Invocaodi ſunt ex lege naturali, & Eccleſiaſtica. 894. D. 899. B., & ſeqq. Invocatione honorantur Sancti. 906. B. Sufficit aliquos invocare. 907. A. Viri ſancti nondum Beatorum albo adſcripti, quomodo invocandi. 1019. B.

Joachimi Abbatis revelationes de Apoſtolica Sede tempore Antichriſti. 488. E.

Joanna Pontificis fabella evertitur. 425. C., & ſeqq. Varia de origine talis fabulæ. 428. D., & ſeq.

Joannes Evangeliſta non veniet contra Antichriſtum. 462. C. Vere mortuus. ibid. D. Ejuſdem reliquiæ aliàs notæ. 463. A. Vere Martyr. Ibid. C.

Joſephi Hebræi teſtimonium de veris miraculis Chriſti. 342. D.

Joſias Rex quo titulo dicatur legis reparator. 614. C.

Joſue dependebat ab Eleazaro. 607. D.

Jovinianus negat ad Eccleſiam ſpectare juſtos levibus maculatos. 67. B.

Ironica locutio quandoque licita. 742. E. 748. C.

Judas fuit de Eccleſia Chriſti. 21. C. Non fuit manifeſtus hæreticus, dum Chriſtum ſequebatur. 94. E.

Judas Galilæus omnem politicam negavit poteſtatem. 501. B.

Judæi poſt excidium Jeroſolymitanum quoſdam dicebant Apoſtolos. 288. A. Plura contradictoria habent. 374. E. Abſurda docent. 375 A. Antichriſtum ut Meſſiam recipient. 450. E. Papam execrantur. 453. B. Prædicante Elia Antichriſti tempore, convertentur. 483. D. Ipſis prohibitum pingere Dei imaginem. 799. B.

Judices, ſi reos non puniant, peccant, & ad reſtitutionem damnorum, quæ Reipublicæ obveniunt, tenentur. 571. E. Nequeunt de Eccleſiaſticis judicare. 681. A.

Judicium futurum in fine Mundi negant plures Hæretici, tum antiqui, tum recentiores. 180. D.

Judicium ſanguinis licitum inter Catholicos. 564 B. A Deo præceptum. Ibid. Nec revocatum in lege gratiæ. ibid. E.

Jugum Chriſti ſuave quia dilectionis. 202. D.

Julianus Apoſtata Laicocephaliæ Patronus. 600. E. Eo imperante pluries Crux apparuit. 829. A. Primus inſurgit contra Sanctorum venerationem. 908. D. Contra Martyrum Reliquias. 929. D.

Juramentum a Jacobo Angliæ Rege exigito iniquum. 701. B. Explicatur. Ibid., & ſeqq. Involvit civilem, & ſpiritualem obedientiam. 702. A. Tollit unitatem Eccleſiæ. 707. C. Juramentum, quod honeſtum judicatur, fieri poteſt. 709. A. Importat vinculum ſpirituale. 709. E.

Jurans quando poteſt non conformari intentioni præcipientis juramentum. 707. E.

Juriſdictio temporalis non repugnat fidei. 508. B. 509. C. 511. A.

Jus morale fortius obligat in lege gratiæ, quam in lege veteri. 508. B.

Juſtinianus Imp. Pontificem vocavit Caput Eccleſiæ Univerſalis. 466. E. Primus uſurpavit jus confirmandi Rom. Pontificem. 654. C. Uſque ad Conſtantinum IV. perduravit uſurpatio. Ibid. C. Varius in fide 663. A. Adhæſit hæreſi Incorruptibilium. 663. D.

Juſtinus Imp. Eccleſiæ patrocinatur. 662. C.

Juſtus, finaliter licèt damnandus, Deo amabilis. 34. C. Sæpe venialiter peccat. 67. C. Vere Deum orat, ut ei peccata dimittat. 68. D. 69. C.

L

Latria increatam reſpicit excellentiam. 788. B. Vide *Adoratio*. Supremum cultum importat. 917. A. Idem genericè cum Dulia. Ibid. D.

Legalia non ſtatim fuere mortifera. 260. D. 721. C.

Legislator alius primarius, ſecundarius alter. 530. D. Inferior nequit judicare de lege Superioris. ibid. E. Paucas leges condat. 533. D. Obligant in conſcientia. 535. A. Quomodo dicitur tollere gratiam in eo, qui ſuam legem violat. 540. B. Habet poteſtatem à Deo condendi leges, obligantes in conſcientia. 540. E Poteſt ad quoſdam actus internos obligare. 541. C. Legislator civilis obligat ad culpam. 542. B. Quandoque non ſunt veræ leges, ſed directiones. 543. B. Diſcrimen inter Eccleſiaſticum, & Laicum Legislatorem. Ibid. E. Vim habet obligandi per legem independenter a conſenſu Populi. 545. E. Poteſtas condendi leges habet participative a Deo. Ibid. Eſt in ædificationem. 546. E. 555. B. In dubio juſtitiæ legis judicandum pro Legislatore. 549. A. 553. C. Prudenter mutanda eſt lex, ſi a populo non acceptetur. 554. A. Sine conſenſu Legislatoris conſuetudo non abrogat legem. Ibid. B. Quilibet debet bonum commune reſpicere. 556. C. Quandoque legem revocare æquum eſt. 562. C. Debet tollere maleficos. 565. D. Non amittit poteſtatem per peccatum mortale. 573. C.

Lex in ſtatu gratiæ levior Moſaica. 532. E. Explicatur unde levior. Ibid. 533. B. 534. A. Leges aliæ præceptivæ, aliæ pœnales, aliæ mixtæ poſſunt condi a Principe ſive Eccleſiaſtico, ſive Seculari. 534. E. Obligant in conſcientia. 535. A. Qui leges violant injuriam Deo faciunt. 536. E. Obligant ad pœnam, unde & ad culpam. 537. B. Ex pœna dignoſcitur gravitas culpæ. Ibid. C. Leges ſunt regula humanorum actuum. Ibid. D. Lex humana eſt participatio legis æternæ. 538. A. Eſt intimatio legis divinæ. 539. B. Violator legis humanæ puniendus. Ibid. C. Amittit gratiam. 540. B. Lex ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica tendit ad finem ſupernaturalem. Ibid. C. Violatio illius Deo diſplicet, atque punitur. 541. A. Obligat quoad quoſdam actus internos. Ibid. C. Lex humana eſt particularis, divina verò tranſcendens. Ibid. E. Lex civilis obligat ad culpam. 542. B. Legi intrinſecum eſt obligare.

gate. 543. B. 546. C. Et quidem independenter a populi conſenſu. 545. E. In dubio de juſtitia legis ſtandum eſt pro lege. 548. E. 553. C. Firmitas legis duplex. 551. A. A lege non datur appellatio. ibid. D. Mutatio legum officit. 552. C. Promulgatio legis neceſſaria, ut innoteſcat. Ibid. E. Lex juſta quandoque damnoſa ex populi malitia. 553. E. Si adſit Principis conſenſus, conſuetudo legem abrogat. 554. B. Lex quælibet gravis. 555. A. B. Sive Eccleſiaſtica, ſive Civilis reſpicit primò bonum commune. 556. C. Lex quælibet aliquod divinum habet. 561. A., & ſeqq. Lex gratiæ licite habet judicium ſanguinis. 564. B. Leges novæ ab Eccleſia condi poſſunt. 522. E. Deſerviunt ad bonum commune. 526. D. Neceſſariæ. Ibid. E. 527. A. Lex gratiæ cur ſcripta dicatur in corde. 227. A. Potiſſime conſiſtit in gratiæ infuſione, & in interiori juſtitia. Ibid. C. In quo differebat a lege veteri. 228. E. 229. C. Utriuſque legis conſonantia urget Hæreticos. 237. A. Indefectibilis. 248. D. Omnem præcipit virtutem. 272. C. D. In ea ſemper aliqui ſanctitate præcellentes. 273. B. Poteſt cogere Hæreticos ad Catholicam fidem. 770. B. Lex naturæ quædam habebat præcepta quoad ſupernaturalia. 689. C. In ea lege Sacerdotium ſimul erat cum principatu, ſecus in lege ſcripta. Ibid. D. Lex vetus timoris, nova amoris. 143. C. Non faciebat perfectum, ideo in tabulis ſcripta. 227. C. In quo differebat a nova. 228. E. 229. C. Cogebat Apoſtatas iterum ad fidem. 770. B. D.

Libertas alia civilis, ſpiritualis alia. 514. D. Myſtica libertas Fidelium. 518. E. Libertas ſpiritus non tollit ſubjectionem ad legem. 521. A. Libertas ſpiritus quæ ſit juxta Apoſtolum. 531. E. Libertas Fidelium eſt a ſervitute peccati, & timoris. 538. A.

Libertini docent Deo quamcunque Sectam placere. 189. C. Docent etiam licite poſſe fidem negare exterius, ea in corde ſervata. 731. D.

Libri Carolini non reprobant cultum ſacris Imaginibus. 992. B., & ſeqq.

Ligare, & ſolvere quandoque non eſt ejuſdem poteſtatis. 542. D.

Litaniæ inſtitutæ ad Deum exorandum, & quandoque præceptæ. 891. E. Dividuntur in Majores, & Minores. 892. B. Concilia ſingulis annis illas præcipiunt. Ibid. C. Non ſemper eodem tempore peractæ. Ibid. Ritus eas peragendi. Ibid. D. 893. C. Abſtinentia, & jejunium præcipitur in Concil. Aurelianenſi. 892. D. Alibi ſuadetur. 893. C. Omnibus erant præceptæ. Ibid. Ordinatæ ad Deum placandum. Ibid. D. Ab Apoſtolis inſtitutæ. Ibid. E. Per eas Sancti invocantur. 894. D. Innuunt licitam, atque antiquam conſuetudinem invocandi Sanctos. 855. A. Lauretanæ laudabiliter recitantur coram Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. 871. E.

Litteræ quæ formatæ dicebantur, concedebantur peregrinis. 90. E. Formatæ, ſeu communicatoriæ veros fideles innuebant. 366. E. Quomodo exaratæ. Ibid. Ab Epiſcopis tradebantur. 367. A. Hiſce Pontifex indicabat Eccleſiæ diem celebrandi Paſcha. Ibid. C.

Locutio ſingularis unitatem innuit. 148. B. Figuralis licita. 744. B. 747. C. Alia eſt artificioſa. Ibid. Hac ſæpe uſi ſunt Sancti Martyres. 748. C. Etiam Chriſtus. 752. D.

Lucas Evangeliſta B. Mariæ imagines pingebat. 966. A.

Ludovicus XIV. Galliarum Rex pœnis ad Catholicam fidem Hugonotos rite compulit. 769. C., & ſeqq.

Lutherani negabant peccatores eſſe de Eccleſia. 35. A. Secuti ſunt Eraſmum. Ibid. B. Perperam negant adoptaſſe Donatiſtarum hæreſim. Ibid. C. In quibuſdam ab his diſcriminantur. Ibid. Sibi contrariantur. 37. D. Perperam diſtinguunt fidei articulos in fundamentales, & non fundamentales. 154. C.

Lutherus timet ſuæ Sectæ ruinam ex diſſenſionibus Hæreticorum. 162. D. Scripturam contrarie vult eſſe intelligendam. 169. D. Lutheri Coquus dicebat ſe ſpiritum Jonæ habere. 170. A. Symbolum Fidei negat regulam credendorum. 175. E. Sentit cum Manichæis Deum auctorem peccati. 177. A. Paſſam dicit divinam naturam. Ibid. B. Impie de Chriſto ſentit. Ibid. D. E. Vult Chriſtum paſſum fuiſſe in deſcenſu ad inferos. 179. C. In judicio ſolam fidem examinandam aſſerit. 181. A. Poſt Baptiſmum remanere peccatum affirmat. 183. B. Plura ejuſdem deliria quoad remiſſionem peccatorum. Ibid. C. Male ſentit de animæ immortalitate. 184. B. Conſtituit Sanctos extra Cœlum uſque ad judicii diem. Ibid. D. Negat Eccleſiam eſſe viſibilem. 214. D. Duplicem dicit Eccleſiam. 222. A. Sibi contrarius in deſignando tempore defectionis Eccleſiæ. 237. D. Lutheri fraus quoad Arii hæreſim. 262. D. Modo Catholicam, ideſt, univerſalem dixit Eccleſiam, modo non. 278. D. Apoſtolicam negavit Eccleſiam. 289. A. Septem deſignat Eccleſiæ notas. 302. B. Admittit miraculis veritatem confirmari. 338. E. Vult in Eccleſia Paſtores. 357. B. Sub initio prævaricationis ſe Eccleſiæ Rom. ſubdit. 365. C. Fatetur unitatem capitis. 367. E. Ex Luthero ſupra centum ſectas dimanarunt. 378. E. Suo ſe gladio ferit in contradictione ſuæ doctrinæ. 379. E. Quorundam Catholicorum vitia toti affinxit Eccleſiæ. 382. D. Ejuſdem dicteria contra Eccleſiam. Ibid. Fatetur ante ſuam perverſionem fuiſſe Sanctam Eccleſiam. 388. B. Fatetur ſcelera in ſua Secta. 391. C. Ob vitia Eccleſiæ affirmat ab ea non eſſe recedendum. 393. D. Negat præcepta poſſe adimpleri. 398. E. Docet neceſſariam uxorem. 399. A. Orationem juſti reprobat. 340. B. Adverſus Monachos inſurgit. Ibid. C. Fatetur conſortium cum Dæmone. 400. E. Aſſerit neceſſaria miracula ad probandam Miſſionem Prædicantium. 407. E. Miracula Lutheri quæ? 408. D. Fatetur ab Apoſtolis non derivaſſe. 424. C. Antiquas hæreſes adoptavit.

ptavit.

pravit. 437. E. Lutherus cum Proteſtantibus fatetur Sectam ſuam Sectæ Turcarum ſimillimam. 503. A. Turcæ ipſum exe-crantor. Ibid. Negat in Eccleſiaſticis poteſtatem condendi leges. 520. D. 522. D. Requirit conſenſum Populi ad hoc ut lea Pontificia obliget. 545. C. Spiritualem Poteſtatem tribuit Laicis. 600. E. Adverſator ſibi incoſtans, Laicocephaliæ. 682. D. Negat licitum eſſe pugnare contra Turcas. 730. A. Negat pœnis ſore coercendos Hæreticos. 769. D. Negat Chriſtum adorandum in Euchariſtia. 808. E. Negat Crucem adorandam. 814. E. Hoſtis Sanctorum. 842. B. 908. E. Negat B. Virginem colendam. 919. C. Reliquias Sanctorum deſpiciebat. 929. E. Inſurgit contra Scholaſticam methodum. 1022. C.

M

Macula ſignat veniale peccatum. 70. B.

Magi vera non faciunt miracula. 345. C. 349. D. Eorum præſtigia quomodo diſſipanda. 422. C.

Magiſterium Eccleſiæ indefectibile. 252. C.

Mahometes Legislator improbus. 397. E. Ejuſdem leges iniquæ. Ibid. Teſtimonium de miraculis Chriſti. 342. E. Falsò dicitur Antichriſtus. 499. B. Mahumetanorum ſecta abſurda. 374. E.

Mamertus Epiſcopus Viennenſis in Galliis reformavit abuſus in Rogationibus. 892. E.

Manichæi hoſtes Reliquiarum. 929. C. Juxta aliquos primi Imaginum hoſtes. 963. A.

Manſuetudine utendum, dum ex rigore malum imminet. 776. B.

MARIA VIRGO nullum habuit primatum in Spiritualibus. 693. E. Non adſuit Euchariſticæ menſæ cum Chriſto. 694. A. Licite, & utiliter invocari poteſt. 865. B. Non dicitur rigoroſe Redemptrix, bene verò Mediatrix. Ibid. 886. C. E. Ejus mediatio efficaciſſima, licet dependenter a meritis Chriſti. 865. B. Bene dicitur *Vita noſtra, ſpes noſtra, fortitudo noſtra*. ibid. D., & ſeqq. Immo *ſpes unica*. 868. B. Meritò ut ſpecialis Patrona invocatur. Ibid. E. In una Virgine omnia dona, & virtutes Sanctorum, immo uberiora, & excellentiora. 869. A. Perfectiones B. V. ſoli Deo cognitæ. Ibid. E. Laudabiliter, atque utiliter vota noſtra, mediâ Virgine, Deo offeruntur. 870. B. Jure dicitur MARIAM habere clavem Theſaurorum Dei. Ibid. C. Vere dicitur Mater Miſericordiæ. 871. A. Validiores ſunt preces noſtræ Deo oblatæ per MARIAM. 872. C. Jure Matris imperat Redemptori. 873. A. 874. A. Nullus ſalvatur, niſi per MARIAM. 887. A. Ex ſtatuto ordine ad nos gratiæ per Virginem perveniunt. Ibid. B. Neceſſariò eſt invocanda. ibid. Cur obtinemus ſæpe per Virginem, quod, invocato Deo, non obtinetur? Ibid. D. Præ ceteris Sanctis invocanda. 907. C. Qualis cultus Virgini non eſt deferendus. 918. D. 919. B. Indubie colenda. 920. B. Præfigurata in Scripturis. Ibid. Ab Angelis venerata. Ibid. D. Templa antiquitus Virgini dicata. 921. B. Non colitur Latriâ. 922. B. 924. E. Qualiter ſit votum Virgini. 923. B. Ipſi non offertur Sacrificium. Ibid. D. Quædam Dei attributa ab ipſa participata. 924. B. Colitur Hyperduliâ. Ibid. E. Plus veneranda quam ceteri Sancti. 926. E. Vide *Maternitas*.

Maria Stuarda vindicatur a filii calumniis. 676. A.

Marca. Dominus de Marca propugnat leges omnes dependere a Populi acceptatione. 545. C. Diſſolvitur ejuſdem argumentum. 554. D. Fruſtra quærit ſuffragium ab Auctoribus. 558. C.

Marcioniſtæ Reliquias Martyrum reprobabant. 929. C.

Marcus Antonius de Dominis. Vide *De Dominis*.

Mardochæus qualem cultum negavit Amano. 913. C.

Marianus Scotus non favet fabellæ de Joanna Papiſſa. 426. D.

Martinus Polonus primus fabulam conſtruxit de Joanna Papiſſa. 425. D.

Martyres fere innumeri. 328. D. Ex omni genere, & qualitate. Ibid. E. Mira eorum conſtantia. Ibid. A Deo ſpecialiter adjuti. 329. A. Unice conquiſiti ad necem, quia Chriſtiani. Ibid. Non pœna, ſed cauſa Martyres facit. Ibid. B. Martyres falſi ex Hæreticis. 332. E. Tempore Antichriſti nobiliores. 488. A. 489. E. Figuraliter loquendo permiſerunt in Tyrannis deceptionem. 747. C. Martyres quinam cenſentur. 765. C.

Martyrium quomodo nota Eccleſiæ. 312. B. Eſt opus Dei. 328. C. Probat veritatem Catholicæ Fidei. 329. D. Martyrii veræ conditiones deſunt in Hæreticis. 333. A. Quandoque præceptum. 734. E.

Maternitas Deiparæ magnam dicit excellentiam. 820. E. Dicit intrinſecum reſpectum ad Deum. 925. C. Ejus dignitas. 927. B. Habet quandam infinitatem. Ibid. D. Non eſt gratia ſanctificans. 928. C. Non excludit ex ſe peccatum. ibid. E.

Matrimonium in ſtatu Innocentiæ non erat Sacramentum. 239. B.

Mediator quomodo dicatur ſolus Chriſtus, cum & Sancti ſint Mediatores. 858. D. Chriſtus naturâ, & officio, Sancti tanquam primariò ſubjuncti. 868. D.

Melancthon Eccleſiam modo viſibilem, modo inviſibilem dicit. 224. D.

Melchiades Pp. rigorem minuit in reditu Hæreticorum. 88. E.

Membra Eccleſiæ uniuntur per fidem. 45. B.

Mendacium ſemper illicitum. 733. B 747. A. Mendacium non eſt unum verum dicere, & aliud reticere. 752. B.

Meretrix Apocalypſis Roma Idololatra. 449. D.

Meridies myſtice explicatur. 284. D.

Merita Chriſti ſunt velut radix omnium meritorum. 889. C. Vide *Chriſtus*.

Meritum penſatur ex fervore, non ex temporis longitudine. 18. D. A charitate. 46. C.

Metho-

Methodus quid ſit. 1021. B. Scholaſtica Methodo utendum in Dogmatica Theologia. Ibid. E. Detegit fraudes Hæreticorum. 1022. E.

Miracula cur modo rara in Eccleſia. 296. C. Ab Hæreticis tanquam præſtigia reprobantur. 333. E. Approbantur. 338. E. Diverſimode nominantur. 334. A. Excedunt naturæ facultatem. Ibid. B. E. Tripliciter contingere poſſunt. Ibid. C. Per ea immutantur naturæ leges. 335. A. Manifeſtant Dei gloriam; commendant Eccleſiam; utilia ſunt hominibus. Ibid. B. Sunt Eccleſiæ nota. Ibid. C., & ſeqq. Miraculis probatur veritas doctrinæ. Ibid. 347. A. Sunt ſignum miſſionis. 335. E. Conſtat clare eſſe a Deo. 336. E. Vel ſunt a ſolo Deo, vel Dei virtute. Ibid. Æquivalent locutioni. 337. A. Ad fidem diſponunt. Ibid. C. Fiunt in ſolius veritatis atteſtationem. 338. A. Movent ad credendum. Ibid. B. Ex miraculis Gentes ad fidem converſæ. Ibid. Non ſunt ex vi imaginationis. 339. E. Miracula apud Idiotas quæ? 343. E. Quædem ſigna dantur ad vera dignoſcenda miracula. 344. D., & ſeqq. 351. E. Diſcrimen vera inter, & falſa miracula. 345. B., & ſeqq. Quandoque a malis peraguntur. 346. C. Plura falſa promulgata. 347. A. 406. C. Quædam arte Dæmonis facta. 347. B. D. Miracula in Gentilibus a Deo facta in commendationem virtutis. Ibid. D. Cur permittantur fieri a Pſeudoprophetis. 350. A., & ſeqq. De patratione miraculorum non eſt gloriandum. Ibid. D. Vera miracula nequeunt decipere. 351. C. Horum ſignum eſt ebaritas. Ibid. D. Virtus miraculorum perpetua in Eccleſia. 352. D. Non ſunt nunc ſimpliciter neceſſaria fidelibus. Ibid. C. Cur modo non fiunt, ſicut in primitiva Eccleſia. Ibid. E. Plura quovis ſeculo patrata in confirmationem Fidei. 402. D. 403. D. 404. E. Vera ſunt ſignum veræ Miſſionis. 407. C. Quædam vera facta ab Hæreticis virtute ritus Catholici. 408. C. Facta ab Antichriſto falſa. 349. C. 487. E. A Deo quando peti poſſunt. 409. A. Abſolute petere miracula ſine neceſſitate, & utilitate eſt grave peccatum. Ibid. Cum cauſa licitum. Ibid. E. Miracula cur modo non habeantur in Eccleſia. 410. E. Quid agendum, cum Hæreticus ad miracula invitat. 411. D. Miracula etiam per malos homines habentur. 412. D. A Sanctis patrata probant utilitatem invocationis eorum. 855. C.

Miſſionarius quoad Apoſtatas. Vide *Apoſtata*. *Confeſſarius*. Plures caſus practici pro Miſſionariis. 738. E., & ſeqq.

Miſſio miraculis comprobatur. 335. D.

Modicum in Scripturis nunc breve, nunc tempus diuturnum ſignificat. 468. E.

Monachi Hæreticorum dicteria adverſus eoſdem. 383. A. Monachorum quorundam ſcandala inſtitutum non maculant. 396. C.

Monarchia Eccleſiæ una. 206. E. Sine hac non ſervatur unitas Doctrinæ. 207. A. Habet perfectius regimen. 209. A. Monarchia, Ariſtocratia &c. non dictantur a natura. 588. D. Adverſantur conditioni hominum. 587. A. Habentur jure Gentium. Ibid. C.

Moralitatis regula eſt ratio practica. 537. E.

Mornay Calvinianus quoſcunque vult vera Eccleſiæ membra. 85. C. Vult Eccleſiam occultam. 214. E. Inſurgit adverſus Pontifices. 389. D. 390. C. Propugnator Laicocephaliæ. 644. C.

Mortonus vult Hæreticos eſſe Eccleſiæ membra. 85. D.

Morus Thomas Anglus Martyr. 766. A. Mirum contigit poſt ejus obitum. Ibid. B.

Motiva credibilitatis tot, ac talia ſunt, ut decepti eſſemus a Deo, ſi vera non eſſet fides noſtra. 338. A.

Moyſes non veniet cum Elia contra Antichriſtum. 460. E. Sacerdos extraordinarius. 606. E. Poterat ut Propheta divina tractare. 607. A. Ejus ſepulchrum cur occultum. 938. B.

Mulier non eſt nata per ſe ad gubernium. 692. A. 696. C. Etiam in ſtatu Innocentiæ ſubdita viro. 692. B. 515. D. Poſt peccatum ſubjecta in pœnam. Ibid. C. Non habet participium Divinæ poteſtatis. Ibid. E. Nequit exercere munus Mediatoris Deum inter, & homines. 693. A. Nequit docere. Ibid. B. Æqualis viro quoad fidem, ſecus quoad ſacra miniſtranda. 694. E.

Mundus quandoque ſumitur pro Eccleſia. 23. E. Quandoque in bonum, quandoque in malum ſenſum aſſumitur. 24. A. Cur a pluribus regulandus. 209. C. Mundi ætates in ſeptem Regibus prænunciatæ. 449. A.

Muratorius Ludovicus Antonius reprobat dicta quædam Patrum MARIAM Virginem laudantium. 865. E. Modo Lampridii, modo Valdeſii nomen adoptat. Ibid., & 866. C. Pluribus impugnatur. Ibid., & ſeqq. Male reprobat Miniſtrorum preces erga Principem. 868. D. Abs re negat MARIAM jure Matris Filio imperare. 873. A., & ſeqq. Vide *Natalis Alexander*.

N

Narratio Hiſtorica vitæ Hæreticorum quomodo licet. 740. D.

Natalis Alexander Patrum ſenſa adoptat contra Dallæum, quæ a Muratorio dura, nimiaque dicuntur, ſeu oratorio ſtylo enunciata. 869. E. MARIAM jure Matris imperare Redemptori propugnat. 873. A.

Natura dictat obediendum legitime præcipienti. 539. A. Vim habet inditam ad ſui conſervationem etiam in ordine ad gubernationem. 594. C. Non adverſatur ſubjectioni. 595. C. Sine gubernio deſtrueretur. Ibid. D. Naturæ lumine debetur Deo cultus in genere. 688. E. Supernaturalia non præcipiebat. 689. C.

Negatio conditionis ſtatus non eſt negatio fidei. 740. B. Negatio fidei ſolùm exteriùs

facta

Digitized by Google

facta non habet annexam cenſuram ; unde a quolibet Confeſſario abſolvi poteſt. 738. E. Punitur ab Inquiſitoribus. Quare? 739. B.

Nero falsò dicitur Antichriſtus . 498. E.

Neſtorius negavit Chriſtum adorandum Latriâ. 802. E.

Neutrales omnibus Sectis ſeſe accomodant . 189. C.

Nicænum Concilium remittit rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ in receptione Hæreticorum. 88. C. Dicit Eccleſiam infallibilem. 254. D.

Nomina quædam communia Deo, & hominibus . 842. E.

Nota ſignificat ſignum, quod in cognitionem rei deducit . 297. D. Notæ Eccleſiæ rudioribus deſervire debent . ibid. E. inſeparabiles ab Eccleſia . 298. A. Neceſſariæ. Ibid. Ex notis dignoſcitur Eccleſia viſibilis . 299. D. Plures ſine Scripturis probari poſſunt . 300. C. Catholici omnes in præcipuis Eccleſiæ notis conveniunt . 301. D. Non debent eſſe communes Eccleſiæ veræ, & falſæ . 303. B. Verbum Dei prædicatum, & acceptatum non eſt nota veræ Eccleſiæ . Ibidem , & ſeqq. Nota Eccleſiæ diſtinctivum ejuſdem . 306. D. Uſus Sacramentorum non eſt Eccleſiæ nota . 309. E. Nec oratio , invocatio , Pſalmodia , fidei confeſſio , aut obedientia Miniſtris. 310. C., & ſeqq. Veræ Eccleſiæ ſigna , ſeu notæ quindecim . 314. E. Unitas fidei , & Sacramentorum nota Eccleſiæ . 315. A. Sanctitas nota Eccleſiæ. 325. E. Quid veniat Sanctitatis nomine . Ibid. Miracula nota Eccleſiæ. 335. C. Eſſe Apoſtolicum, Ideſt, dicere legitimam Eccleſiæ ſucceſſionem eſt Eccleſiæ nota. 353. B. Potiſſimum ſucceſſio capitis . 361. C. Unitas eſt Eccleſiæ nota . 363. E. Soli Rom. Eccleſiæ convenit Sanctitatis nota . 397. B. Eidem apprime convenit nota Miraculorum. 402. B.

Novatores antiquos æmulantur errores . 160. E Admittunt ſucceſſionem Paſtorum . 357. C. A Donatiſtis argumenta adoptant adverſus Eccleſiam . 262. A. Jus Laicis tribuunt eligendi Paſtores . 264. A.

Novatiani magnos peccatores negabant eſſe in Eccleſia. 34 E. Negabant lapſis reconciliationem . 183. A. Seipſos dicebant de Eccleſia . 115. B.

Novitas doctrinæ de veritate ſuſpecta. 355. D.

Novitatis ſtudium maxime vitandum. 1029. E.

Numerus perfectus in Scripturis ſæpe ſignat indeterminatum tempus , ſecus numerus imperfectus . 469. E. 470. E. Ex contextu , & ex Patribus numerus dignoſcitur . Ibid. Numerus 666. quod Antichriſto accommodatur , varie interpretatur . 496. D.

O

OBedire , & præcipere ſunt correlativa . 545. E.

Ochinus Dei Providentiam negabat . 177. B.

Male ſenſit de Spiritu Sancto . 181. D.

Occiſio Maleſactorum licita in lege nova. 564. B. Bene ſtat cum charitate . 566. C. Debet eſſe a publica Poteſtate. 567. C. 568. E.

Œcolampadii Epitaphium . 424. B.

Omnipotentia ad falſitatem non extenditur . 338. A.

Opera bona negant neceſſaria ad ſalutem Hæretici . 399. E.

Oratio ſuffragio Sanctorum exaudibilis . 888. A. Non eſt ſignum veræ Eccleſiæ. 310. C.

Ordinationes Hæreticorum validæ . 111. B.

Ordo dat rebus pulchritudinem. 150. C. Importat ſubordinationis unius ad alium . 504. C. Ordo poteſtatis importat Prælationem , & ſubjectionem . 205. C. Supernaturalis proportionatur ordini naturali. 298. E. Perficit naturam . 506. B. Ordo ſpectat ad perfectionem Univerſi . 508. C.

Oves Eccleſiæ viſibiles poſcunt viſibiles Paſtores . 216. A. Symbolice intellectæ ſunt boni , & mali de Eccleſia . 25. E.

P

PActum Regium non favet Hæreticis, cum agitur de eorum converſione . 780. A.

Parabola eorum , qui ad nuptias fuerunt invitati , explicatur . 61. C. Parabolæ Evangelicæ innuunt Eccleſiam viſibilem. 245 A.

Pariſienſes Doctores docent leges Pontificias non indigere Populi acceptatione . 549. B. 550. B.

Pariſienſe Concilium , ſeu Epiſcoporum Conventus non adverſatur ſacris Imaginibus . 999. A.

Paſtores Eccleſiæ viſibiles innuunt ipſam fore viſibilem . 216. E. Sibi ſuccedentes conſervant Eccleſiam . 353. E. Dicuntur Eccleſiæ clavi . 354. B. Ut ſubditos efficaciter ad ſalutem dirigant , debent eſſe Sancti. 361. E. Sunt veritatis cuſtodes. 430. E.

Pater infidelis , juris diſpoſitione , amittit jus Patriæ poteſtatis in Filium, ſi hic ad fidem convertatur . 507. D.

Patrare miracula eſt donum gratis datum . 410. D.

Patres agnoſcunt in Eccleſia bonos , & malos . 37. E. Quandoque diverſa ſenſerunt . 172. E. Nuſquam circa fidem , ſed circa dogmata nondum eliquata . 173. A. Male impugnaſſent Hæreticos , ſi quilibet in propria ſecta poſſet ſalvari . 193. C. Horum auctoritas premit Hæreticos . 238. E. Ab his ut falſa rejicitur . 239. A. , & ſeq. Teſtantur Eccleſiam fore univerſalem. 283. A. Apoſtolicam . 289. E. Ex antiquitate probant eſſe veram . 356. E. Quovis ævo adverſantur Laicocephaliæ . 677. D. Non ubique eadem verſant . 863. E. Dialecticam artem commendant . 1024. E. In methodo diſputandi his præſtant Recentiores . 1025. E.

Paulus Apoſt. in dubiis Eccleſiam conſulit . 175. E. Reprehendit Petrum . Ibid. Ejuſdem diſſenſio cum Barnaba . 172. B. Quomodo cum Judæis factus eſt Judæus. 744. D.

Paulus V.

Paulus V. execratur Anglicanum juramentum. 701. B. Vetat adire templa, & audire conciones Hæreticorum. 713. E. Jacobum Angliæ Regem dixit Eccleſiæ perſecutorem. 760 E.

Peccator fidelis vivit vitâ fidei. 50. E. Eſt membrum Eccleſiæ Militantis. 64. B. 241. D. 55. E., & ſeqq. Chriſto unitur per fidem. 62. A. Non eſt de Eccleſia Triumphante. 63. D. Habere poteſt dominium. 573. C. In eo poteſt eſſe poteſtas ordinata. 577. C. Non ſemper peccat exercendo ſuam poteſtatem. 578. C. Peccatum non deſtruit Eccleſiam. 265. E. Non privat hominem dominio temporali. 573. C. Poteſt hic, & in altera vita puniri. 542. E.

Perfecti debent in via Sanctos exorare. 876. B. Ambulantes in fide indigent Sanctorum auxilio. 877. B. Vide *Anima*.

Perfectio gratiæ in via eſt charitas. 71. A.

Pelagiani negant ad Eccleſiam ſpectare juſtos levibus maculatos. 67. A.

Perſecutio tolerata non innuit veram Eccleſiam. 311. C. Anglicana inter Eccleſiæ perſecutiones numeratur. 761. A. Veras habet conditiones perſecutionis Eccleſiæ. Ibid. Perſecutionis tempore licita eſt fuga. 723. E. Vide *Fuga in perſecutione*.

Perſona creata nequit alienam terminare naturam. 451. D.

Petilianus ſentiebat cum Donatiſtis. 65. A.

Petrus caput Eccleſiæ perfecte conſummatæ. 134. E. Cur a Paulo reprehenſus. 172. A. Fidem negavit exterius. 259. C. Petrus, & Paulus licitè uſi ſunt Legalibus. 721. C. Ob humilitatem noluit venerari a Cornelio. 914. C. D.

S. Petrus Damiani ſcribit ad Pontificem pro extirpandis vitiis. 395. C. Cur opus ejuſdem ſuppreſſum. Ibid.

Philoſophi veteres a vera Religione alieni. 374. C. Superbi, atque Impudici. 332. A. Philoſophorum Sectæ impiæ. 397. D. Eorum leges iniquæ. ibid.

Phoca non contulit primatum Eccleſiæ. 652. E. Declaravit Rom. Eccleſiam aliarum caput. 653. A.

Pictura ars a Deo. 959. C.

Platonis iniquæ leges. 397. D.

Politici docent unumquemque in ſua Secta poſſe ſalvari. 189. B.

Polixenus imaginum hoſtis. 796. B.

Pontifex ſi delinquat, fraternaliter, non judicialiter corrigendus. 209. E. Succeſſio Pontificum per ſchiſma non abrumpitur. 265. A. Non eſt Antichriſtus. 266. D. 453. B. Antonomaſtice vocatur Apoſtolus ob plenitudinem poteſtatis. 288. E. Denominatur Caput Eccleſiæ Univerſalis a Juſtiniano, & Concilio Chalcedonenſi. 466. E. Maxime urget Dei cultum, ſecus Antichriſtus. 494. D. Non diſpenſat in his, quæ juris divini ſunt. 486. C. Solvit a peccatis miniſterialiter. 487. B. Imperiales leges abrogare poteſt. 666. B. Atque corrigere. 710. A. Poteſt Principes deponere, eoſque armis coercere. 702. D. Poteſt relaxare juramenta. 703. B., & ſeqq. Pontificibus plura crimina afficta fuere. 395. B. Plurimi Sancti, licèt pauci aliquo crimine notati. Ibid. Licèt mali optima ſanxerunt. ibid. In ſua electione ad Eccleſias mittebant fidei ſuæ profeſſionem. 366. D. Sunt Chriſti Vicarii. 369. B. In ſua electione cur promittebant ſervare Deceſſorum decreta. 563. A. Eorum electio alia eſt ab electione Regum. 600. B. Ut ab Imperatoribus confirmarentur cur dabant pecuniam. 654. D.

Pontificatus immediate a Deo, ſecus Imperium, & Regna. 598. E.

Populus Judæorum diviſum in regnum Iſrael, & Judæ. 359. A.

Populus non habet vim directivam in lege. 546. A. Tenetur legem acceptare. Ibid B. Tranſtulit in Principem poteſtatem condendi leges, atque obligandi. 547. B. Si ab ipſo dependeret vis legis, undique foret confuſio. 548. B. Ad ipſum non ſpectat decernere quid poſſit Princeps. 549. D. Aliàs periclitaretur bonum commune. Ibid. Alexander VII. proſcripſit ſententiam faventem acceptationi Populi. 450. A. Poteſt ſibi facultatem reſervare acceptationis. 551. D. Vim habet Principem conſtituendi. 593. A. Vere in ipſum transfert poteſtatem. 594. E. Vide *Reſpublica*. Populi in ſpiritualibus non ſubduntur Principibus. 690. B.

Portenta. Vide *Miracula*.

Poteſtas Inferorum nequit prævalere adverſus Eccleſiam. 245. D. 252. B., & ſeqq. Poteſtas in Eccleſia alia ſacramentalis, juriſdictionis alia. 110. A. Prima remanet in Hæretico. Ibid. C. Sicut & ſecunda. 111. B., & ſeqq. Poteſtas ſpiritualis Pontificum a Petro inchoata. 466. E. 521. C. Temporalis Sæculo VII. 467. A. Alia politica, ſpiritualis altera. 501. A. Hæreticorum convitia adverſus illam. Ibid. B. Poteſtas condendi leges in Eccleſiaſticis. 520. E. A Chriſto collata. 521. C. 522. E. Plurica exercita. 526. B. Fuit etiam in lege veteri. 528. D. Eccleſiaſtica immediate à Deo. 534. B. Vide *Legiſlator*. Publica jus habet reos occidendi. 569. A. Sæpe illos tolerare debet. 571. C. Dominativa in peccatore perſeverat. 573. C. Poteſtas dominandi non fundatur in gratia, ſed in natura intellectuali. 574. E. Eſt a Deo. 585. C. Poteſtas ſpiritualis alia Ordinis, alia Juriſdictionis. 599. E. Laicalis Spirituali ſubordinata. 651. A. Hæc prævalet temporali. 690. C. Non convenit feminis. 691. B. Coercitiva in Eccleſia. 776. B. Non adverſatur Evangelio. Ibid. D. Ordinatur ad bonum ſpirituale. Ibid.

Præcepta legis veteris moralia, judicialia, & ceremonialia. 602. C. In lege nova quædam ceſſavere. Ibid. E.

Præceptum dilectionis nuſquam ceſſat. 517. D. Præceptum datur invocandi Sanctos. 882. D. 883. C. Eſt naturale, ortum ex neceſſitate, rerumque ordine. 888. B. Ex præcepto orandi Deum colligitur præceptum orandi Sanctos. 884. D. Præceptum pro Litaniis. 893. C. Ex præcepto Sanctos colere debemus. 896. D. Vide *Sancti*. Reducitur ad quartum præceptum Decalogi. 898. E.

898. E. Dici poteſt præceptum tranſcendens. 903. C. Pertinet ad Duliam, vel ad Religionem de ſecundario. ibid. Eſt affirmativum, quandoque obligans. 904. A. Eccleſia urget fideles ad hujuſce præcepti obſervantiam. 905. D. Obligat per ſe abſolute. 906. D. Non dependet a Populi acceptatione. 540. C.

Præcipere, & obedire ſunt correlativa. 545. E.

Prædeſtinati plures antequam ſint de Eccleſia. 20. E., & ſeqq. Pro ſtatu peccati Deo odibiles. 34. C. Debent Chriſti vocem, & Eccleſiæ audire. 191. A. Sunt de viſibili Eccleſia. 222. B. Sunt ignoti. 305. E.

Prædeſtinatio non conſtituit membrum Eccleſiæ. 27. B.

Prædicatio Evangelii non eſt Eccleſiæ nota. 303. A. 305. B. Legitima prædicatio ab Eccleſia. 307. B. Veras Eccleſiæ notas declarat. 308. B. Apoſtolorum in omnem terram, & quomodo. 294. B. Supponit Eccleſiam. 304. A.

Prælatio menſuratur per diverſos gradus. 205. C.

Prælatorum vita in exemplum ſubditorum. 394. D.

Primatus Petro collatus innuit unitatem Eccleſiæ. 364. B. 366. A. Spiritualis non competit Regibus jure divino veteris Legis. 603. B. Spectat ad Sacerdotes. Ibid. A Chriſto inſtitutus. 652. D. Supremus in Spiritualibus non poteſt eſſe in pluribus. 687. B.

Principatus Politicus juſtus, & legitimus. 503. D. Laudatur in Scripturis ut bono publico utilis. Ibid. Dei nomine exercetur. Ibid. E. A Deo derivatur. Ibid. Deſervit ad pacem Reipublicæ. 504. B. Sine illo multa mala. Ibid. D. In lege veteri. 508. B. Compatitur cum Catholica fide. Ibid., & 509. D. 511. A. Fuiſſet etiam ſine peccato. 515. D. Sine juſtitia latrocinium eſt. 520. B. Exigit novas leges. 534. C. Vide *Lex. Legiſlator.* Licite exercet judicium ſanguinis. 564. B. Non amittitur per peccatum mortale. 573. C. Non fundatur in gratia, ſed in natura intellectuali. 574. E. Eſt a Deo. 585. C. Non immediate. 586. E. Eſt a jure Gentium. 588. A. Tripliciter dici poteſt a Deo. 590. B. Diſcriminatur a Principatu Spirituali. 598. E. Non habet connexam ſpiritualem Poteſtatem. 602. B. Sacra promovere poteſt. 610. B.

Princeps Secularis per hæreſim non amittit juriſdictionem. 102. B. Etiam infidelis eſt Dei miniſter. 505. E. 590. D. Catholicus nequit infideles ad dignitates aſſumere. 507. C. D. Dantur inter Chriſtianos veri Principes. 508. B. In lege veteri fuerunt veri Principes. 508. B. Ipſis obediendum. 511. D. Non ſemper. 512. E. Debetur tributum. 517. D. Princeps ſive Eccleſiaſticus, ſive Laicus poteſt leges condere. 520. E. 526. B. Obligantes in conſcientia. 535. A. A Chriſto habet poteſtatem. 521. C. Paucæ leges melius deſerviunt ad bonum Reipublicæ. 533. D. Vide *Leges.* Ipſi obediendum etſi malus. 536. E. 624. A. Principes Laici gladium habent ad puniendum. 571. A. Non amittunt dominium per peccatum mortale. 573. C. In ipſis eſſe poteſt poteſtas ordinata. 577. C. Licèt peccent, eſſe poſſunt boni Principes. Ibid. E. Non ſemper peccant, licèt in peccato ſubditus regant. 578. C. Sunt conſtituti a jure Gentium. 588. A. Vide *Monarchia. Principatus Politicus.* Facta electione nequit populus illam revocare. 592. E. Quomodo dicantur immediate a Deo. 596. B. Poſt tranſlationem dominii a Populo ſupremam habent poteſtatem. 597. B. Poſſunt aliquid de Imperio alienare. 599. C. Non habent jure naturæ Primatum in ſpiritualibus. 602. A. Habebant in veteri lege, quando erant etiam Sacerdotes, vel Prophetæ. 602. E. Ipſis non convenit judicialiter de divinis judicare. 603. B. Veritatem in ſpiritualibus a Sacerdotibus debent exquirere. 604. B. Non debent divina tractare. 605. E. Ea tamen debent promovere. 608. B. 610. B. Non poſſunt leges Divinas, aut Eccleſiaſticas condere. 616. A. In Scriptura iiſdem nominibus vocantur, ac ſubditi. 617. D. Jure novi Teſtamenti non habent poteſtatem in Spiritualibus. 621. B. Non ſunt Eccleſiæ fundamentum. Ibid. D. Ipſis non convenit miniſterium Eccleſiæ. 622. B. Non habent poteſtatem in corpus Chriſti reale. Ibid. C. Habent poteſtatem a Deo quoad temporalia. 624. A. Sunt adjutores Eccleſiæ. Ibid. D. 644. E. Ipſis non convenit jure humano judiciaria poteſtas fidei. 627. B. Nequeunt ſe ingerere in electione Epiſcoporum. Ibid. D. 630. C. 665. A. Subduntur Eccleſiæ. 627. E., & ſeqq. Agnoverunt in Prælatis Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem. 633. A. Enumerantur Principes qui ſic crediderunt, & profeſſi ſunt. Ibid. Quoad divina, & ſpiritualia nonniſi miniſtri ſunt. 648. D. 655. C. Laudantur a Conciliis. 651. C. Quidam uſurparunt jus confirmandi Pontifices. 654. B. In politicis exigere poſſunt juramentum fidelitatis. 699. E. Secus Eccleſiaſticæ Obedientiæ. 701. E. Quando a Papa deponi poſſunt. 702. D. Ad ipſos non ſpectat declarare propoſitionem eſſe hæreticam. 705. A. Poſſunt cogere Hæreticos ad Catholicam fidem. 770. A. Principes Hæretici non poſſunt cogere Catholicos ad Hæreſim. 783. E.

Probabilitas deſumpta a Doctoribus valde debilis. 563. D.

Probationes per ignem inter Catholicos prohibitæ. 412. A.

Proditores Patriæ manifeſtandi. 704. B.

Promiſſiones divinæ aliæ comminatoriæ, abſolutæ aliæ. 269. C.

Prophetæ ſalutem in Eccleſia prænunciarunt. 190. B. Hanc perpetuam prædixerunt. 240. A., & ſeq. 242. B., & ſeqq. Univerſalem. 279. E. Novam prænunciarunt Eccleſiam. 320. C. Eorum auctoritas urgeri poteſt contra Gentiles. 321. D. Prophetæ munus quomodo in Eccleſia perpetuum. 430. C.

Prophetia quandoque idem ac Interpretatio Scripturæ. 460. D.

Pro-

Propoſitio de fide alia quoad ſe tantum, alia quoad ſe, & quoad nos. 371. E. Indefinita in materia contingenti æquivalet particulari. 490. E. An ſit hæretica, ab Eccleſia, non a Principe declaratur. 705. A. Univerſalis de fide reddit omnes particulares de fide. 900. E.

Proſtratio non ſignificat ſolùm Latriæ cultum. 805. D.

Providentia Dei agit mediis cauſis ſecundis. 596. C. 598. B.

Prudentia inclinat in aliorum utilitatem. 593. A.

Pſalmodia non eſt ſignum veræ Eccleſiæ. 310. C.

Ptolomæus Judæorum, & Samaritanorum cauſam ex ſucceſſione judicavit. 354. E.

Q

Quietiſtæ negant Sanctos eſſe invocandos a Perfectis. 875. A. Mulierem noviſſime hunc adoptavit errorem, atque propugnavit. Ibid. D. Vide *Anima*.

R

Reccaredus erga Eccleſiam devotus. 647. C.

Reges Galliæ addicti Sedi Apoſtolicæ. 665. B., & ſeqq. Vide *Principes*. Olim liberam volebant beneficiorum proviſionem. 670. C. Reges. Vide *Principes Laici*.

Regina Angliæ Eliſabeth. Vide *Angliæ Rex Jacobus*.

Regium jus non eſt tyrannicum. 209. B.

Regna Mundi præcipua in ſtatua a Nabuchodonoſor viſa fuerunt deſcripta. 464. E.

Regnum Dei quandoque in Scripturis innuit diem judicii. 227. E. Quandoque conſcientiam. 228. A. Regnum Chriſti non de hoc mundo, licèt in mundo. 229. B. Regnum Cœli eſt Eccleſia, eaque perpetua. 244. C.

Regnum Judæ ex duabus, Iſraelis verò ex decem Tribubus conſtituebatur. 257. A. Neutrum ex toto defecit a cultu veri Dei. Ibid.

Regula fidei per Hæreticos non eſt divina auctoritas, ſed propriæ conſcientiæ judicium. 159. B.

Regula moralitatis eſt ratio practica. 537. E.

Reis ad mortem damnatis debetur tempus pro ſacramentali Confeſſione. 571. D. Non abſtinendum eſt a punitione ob eorum impœnitentiam. Ibid.

Religio non eſt cenſenda bona, quia a Parentibus tradita. 200. D. Laudabiliter mutatur de mala in bonam. Ibid. E. Non eſt bona, quæ contra Deum. Ibid. Non debet venari ex ingeniorum varietate. 201. B. Sive vera, ſive falſa habet quædam Sacramenta. 219. B. Vera Deum colit in fide, ſpe, & charitate. 248. A. Chriſtiana mire propagata. 319. A., & ſeqq. Prænunciata longe ante. 320. C., & ſeqq. Nil tradit, mandatve Deo indignum. 322. E. Conſiſtit in vero Dei cultu. 326. A. Habet ſanctitatem. Ibid. E. Pravas vincit cupiditates. 327. A. Religio, quæ facit Sanctos, ſancta eſt. 331. C. Per miracula firmatur, & propagatur. 337. E. Eſſet falſa, ſi careret antiquitate. 356. B. C.

Religio, ut eſt virtus moralis, actus virtutum moralium imperare poteſt. 791. B. Religionis præceptum affirmativum, & negativum. 197. A.

Reliquiæ Papatus nonniſi viſibilis Eccleſia. 251. E.

Reliquiæ Sanctorum quid ſint. 930. B. Sunt adorandæ. Ibid. C. A Deo honoratæ. Ibid. 941. D. Miracula per eas perpetrata. Ibid. E. Templa fuerunt Spiritus Sancti. 931. B. C. Retinent habitudinem habitæ ſanctificationis. Ibid. Solemniter translatæ. Ibid. E. Diligenter cuſtoditæ. 932. A. Ad earum præſentia Dæmones obmutuere. Ibid. C. Sub Aris condebantur. 933. B. Templa Eiſdem dicata. Ibid. C. Ad Martyrum monumenta peregrinationes inſtitutæ. Ibid. E. Luminibus Reliquiæ honoratæ. 934. B. Cultus earum evincitur Traditione. Ibid. C. Ex divina revelatione inventæ. 936. B. Plures incorruptionis dote inſignitæ. Ibid. D. Quid in ipſis honoratur. Ibid. E. Cultus earum non eſt novus. 937. A. Non eſt cultus Latriæ. 941. A. Honorantur non incongruè cereis. 941. B Quid remanet adorandum in Reliquiis Martyrum. 942. E. Deferendæ cum cultu. 946. D. Deferri poſſunt reverenter ad collum. Ibid. E. Iiſdem debetur abſoluta adoratio. 947. A. Dupliciter poſſunt adorari. Ibid. C. Eadem virtute Duliæ quâ adoratur Sanctus, adorantur Reliquiæ. 948. B.

Reprobi eſſe poſſunt de Eccleſia. 22. D. 29. A. Dicuntur non eſſe de Eccleſia finaliter. Ibid. 30. D.

Reſolutio corporum explicatur. 943. B., & ſeqq. 944. B. Quid ſenſerit Sanctus Thomas. 944. E.

Reſpublica conſervanda cum punitione delinquentium. 569. A. Applicat dignitatem perſonæ. 594. D. Vide *Populus*. Libere eligit hoc, vel illud dominii genus. 595. A. Non adverſatur naturaliter ſubjectioni. Ibid. C.

Reſurrectio mortuorum negatur a pluribus tum antiquis, tum modernis Hæreticis. 185. E. Quædam ficta arte Dæmonia. 344. A.

Roma quando in Apocalypſi deſcripta. 396. E. Idololatra vocata a Patribus Babylon. 449. C. Dicta etiam Meretrix. Ibid. D. Non erit Sedes Antichriſti. 478. D.

S

Sacerdotes in lege veteri erant Judices in rebus fidei. 603. E. 610. A. Poterant Reges exauctorare. 613. C. Sacerdotes ungunt Reges, non e contra. 618. C. Habent claves ligandi, & ſolvendi. 621. E. Nequeunt jus dicere apud Laicos. 628. E.

630. D. E. A Laicis petere poſſunt auxilium . 646. A. Sacerdotes Eduardo Regi reſtiterunt . 673. D.

Sacerdotium viſibile in Eccleſia : 241. E. Indefectibile perſeverat . 248. C. Juris eſt divini . 360. B. In lege veteri non erat in Poteſtate Regum , ſed jure divino pertinebat ad generationem Aaron . 609. A. De Sacris debet judicare . 610. A. Sacerdotium . & imperium mutuò dependent . 650. E.

Sacramenta ab Hæreticis collata ſunt valida . 65. C. Quædam ab Hæreticis negata . 182. D. Veteris, & novæ legis diſtinguunt Eccleſiam quoad ſtatum perfectionis . 213. A. Eccleſiam ſanctificant . 385. E. Non ſunt veræ imagines divinorum . 980. D. Eorum materia, & forma ſemper eadem . 295. A. Horum uſus non eſt Eccleſiæ nota . 309. E. Legitimus uſus etiam apud Hæreticos. 310. A. Eſt ſignum ſtabile Religionis non conveniens ſtatui Innocentiæ non duraturo . 136. B.

Sacramentarii negant Chriſtum adorandum in Euchariſtia . 808. E.

Sacrificia quotidiana pro expiatione culparum quotidianarum . 69. A. Sub initio mundi Deo oblata . 134. A. Eorum oblatio non ſemper a Sacerdotibus . 612. D. Veteris legis cur dicantur non bona . 794. C. Sacrificium ſoli Deo offertur . 1008. E. Non conſiſtit in actu præciſe interno . 1009. D. Offertur Chriſto ratione Divinitatis . 805. B.

Salomon ut executor Patris Templum ædificavit . 612. C. Ex hoc non colligitur Primatus in Divinis . Ibid. Perperam depoſuit a Sacerdotio Abiathar . 613. C.

Salus æterna non datur extra veram Eccleſiam . 190. B. Nonniſi prædeſtinati eam conſequuntur . 191. A. Ad ſalutem non ſufficit in Chriſtum credere . Ibid. E. Error quilibet in fide eam impedit . 192. B. Falſum eſt quemlibet in qualibet Secta poſſe ſalvari . Ibid. E. Salus non eſt , niſi in Eccleſia . 251. A. Non obtinetur , niſi obſerventur , quæ præcepta ſunt . Ibid.

Sanationes quædam Dæmonis arte . 344. C.

Sancti plures in lege veteri ad Eccleſiam ſpectantes . 135. C. Dum miracula faciunt , quærunt Dei gloriam . 344. D. Hæretici negant Sanctos eſſe a nobis orandos . 841. E. Sanctis quædam nomina tribuuntur, quæ Deo principaliùs conveniunt . 842. E. Invocandi , ut interceſſores apud Deum per Mediatorem Chriſtum . 843. E. 855. A.C. 857. C. 858. D. 861. B. E. 884. B. Orant in Cœlis pro nobis 844. A. Sicut Angeli . Ibid. Sancti veteris Teſtamenti orabant pro vivis. Ibid. D. Charitas ad hoc urget . 846. B. Patres ſive Græci , ſive Latini dicunt Sanctos eſſe exorandos . 847. A. 863. C. Vident in Verbo indigentias noſtras . 848. E. 849. C. 864. E. Orant juxta divinæ voluntatis beneplacitum . 451. D. Sanctus quilibet pro qualibet neceſſitate exorari poteſt. Ibid. E. Cur in aliquibus ſpeciale ſit patrocinium . 852. B. Sine ſuperſtitione invocantur . Ibid. E. Poſſunt , & volunt pro nobis intercedere . 853. A. Ipſis commiſſa eſt noſtra ſalus . 854. C. Mediatio Chriſti diſtincta ab illa Sanctorum . Ibid. Advocati noſtri ſunt ex vinculo charitatis . 860. D. Qualis eſſe debet ſpes relate ad Sanctos . 862. E. Bene ſentire de invocatione Sanctorum abſolute neceſſarium eſt , invocatio verò neceſſaria ex præcepto . 863. A. 896. D. Sunt advocati apud Deum . 868. C. D. 888. E. Vide *Invocatio* . Datur præceptum invocandi Sanctos . 882. D. Reducitur ad quartum Decalogi . 898. E. Sunt membra Univerſalis Eccleſiæ . 884. A. Per Sanctos nobis ſua dona largitur Deus . 885. A. Per ipſos ad eum accedimus . Ibid. B. Sunt miniſtri a Deo conſtituti , ut preces noſtras exaudiat . 888. C. Invocatione honorantur . 906. B. Omnes veneratur Eccleſia . 907. A. Quoad temporalia quidam ſpecialius honorantur , ſecus in ſpiritualibus . Ibid. B. Colendi , ſicut Angeli . 909. B. Sunt honorandi etiam poſt mortem . Ibid. D. E. Participant ſpecialiter excellentiam Dei . 910. A Cultus ſub primordiis Eccleſiæ . 910. E. Non eodem modo coli debent , quo Deus colitur . 912. C. 913. A. 917. A. Colendi licèt de illis Scriptura non faciat mentionem . 915. C. Apocrypha Sanctorum acta reprobat Eccleſia . 916. C. Colendi ſunt Duliâ . 917. A.

Sanctificatio in veritate fidei . 49. A.

Sanctitas multipliciter convenit Eccleſiæ . Explicatur . 270. C. Convenit Deo eſſentialiter , aliis participative . 274. E. Eccleſiæ etiam inter peccatores . 276. C. Componitur cum levibus maculis . Ibid. E. Eſt Eccleſiæ nota . 325. E. , & ſeqq. Quid per ſanctitatem intelligatur . Ibid. Ipſa demonſtrat Religionem eſſe divinam . 326. A. Eſt Dei proprietas . Ibid. B. Ipſius munia explicantur . ibid. Innititur veritati . ibid. D. Eſt a ſuperiori virtute . 327. A. Trahit in admirationem fideles . Ibid. E. Ex infideles . 328. A. In Scripturis commendatur . Ibid. Se ipsâ dignoſcitur . 330. E. Non eſt neceſſaria ad ſucceſſionem Paſtorum . 361. E. Bene quidem ut efficaciter populos moveat . Ibid. Vera ſanctitas datur in Eccleſia . 383. C. Omnem errorem execratur . Ibid. D. Habet leges ſanctas . 384. E. Sanctitas Eccleſiæ ſita eſt in legibus , conſiliis , & mediis ad ſalutem ordinatis . 393. E. Non violatur ex pravis quorundam moribus . 395. B. Soli Eccleſiæ convenit . 397. B. Sanctitas importat præceptorum obſervantiam . 398. E.

Sanctum idem quod mundum . 383. C. Aliæ ſignificationes . Ibid.

Saul non amiſit regiam poteſtatem peccando. 578. E. Reprobatus a Deo ne regnaret in ſua familia . 579. D. , & ſeqq. Ipſo vivente David erat Rex ſolo jure promiſſionis . 581. E. Quomodo dicatur regnaſſe duobus annis . 584. E. Punitus ob violatum fœdus cum Gabaonitis . 784. C.

Scholaſtica Methodus utilior in tradendis Fidei dogmatibus . 1021. E. Detegit fraudes Hæreticorum . 1022. E. Cur modo non ſit utendum ſoluta oratione , ſicut apud Patres legere eſt ? 1025. C. Elegantiam ſermonis non exigit . 1026. B. C.

Immo

immo ab ea abſtinendum . Ibid. E.

Scholaſtici quidam rem eandem de fide aſſerunt, alii negant ſine fidei læſione . 371. E. Contrariam ſententiam illative hæreticam dicunt . 372. B. Scholaſticorum diſſenſiones fidei ſummam non tangunt . 373. B.

Schiſma ſignificat ſciſſuram , & diviſionem . 114. D. 156. A. 265. B. Duplex , aliud ſimplex , compoſitum aliud . 114. D. Diſponit ad hæreſim . ibid. E. 119. D. Habetur quandoque ſine hæreſi . 116. E. Quam unitatem tollit . 117. C. Opponitur quandoque fidei, quandoque charitati. 118. D. 119. B. Hæreſum Mater. 123. A. Conſummatum per hæreſim ejicit ab Eccleſia . Ibid. B. Vide *Schiſmatici* . Schiſma Anglicanum ſimul cum hæreſi . 785. C. Non officit legitimæ Pontificum ſucceſſioni . 429. B. 265. A. Quando tempore ſchiſmatis ſedes vacare dicatur . ibid. C. Unde oritur . 690. D. Tollitur per ſubordinationem ad caput . 206. A. Schiſmatis tempore vera ſtat Eccleſia . 264. D. Quæ acta tempore Schiſmatis valida . 265. B.

Schiſmatici ſunt , qui a myſtico Eccleſiæ corpore dividuntur . 114. D. 119. E. Alii ſimplices , compoſiti alii. 114. D. 122. D. Illi ſunt de Eccleſia . 115. D. Hi ſervant fidem integram . ibid. Fatentur obediendum eſſe Papæ . ibid. E. Participant influxum a Chriſto capite . 116. A. Audiunt Paſtorem , ſed eidem obedire renuunt . Ibid. C. Poſſunt eſſe viri perfecti . ibid. E. Quomodo dicantur eſſe cum Chriſto . 117. D. Quam unitatem lædunt . ibid. C. 119. B. Diſponuntur ad hæreſim . 119. D. Palleis comparantur . 123. D. Vide *Schiſma* .

Scientia inclinat in aliorum utilitatem . 593. A.

Scotica confeſſio negat ſalutem in qualibet ſecta . 198. A.

Scotus num propugnaverit illicitum judicium ſanguinis , incertum . 571. E.

Scriptura male ab Hæreticis intellecta . 168. E. Non eſt judex Controverſiarum . 169. B. Cerea dicitur a Calvino , itaut pro libito poſſit inflecti . ibid. E. Idem Scripturæ textus diverſimode a PP. intellectus. 170. E. Tradit doctrinam fidei , docens audiendam eſſe Eccleſiam . 203. A. Eſt viſibilis norma vitæ . 250. E. De ea non eſt dubitandum . 253. E. Non poteſt æque fallere , ficut Eccleſia . 254. B. *Omnis* in Scriptura pro multis uſurpatur . 257. C. 262. A. In Scriptura plura traduntur, alia reticentur . 295. B. Quædam deperdita . Ibid. D. Quæ addi poſſunt . ibid. Explicari debet Scriptura . 304. B. Debet tradi ab Eccleſia . 306. E. Innuit veras Eccleſiæ notas . Ibid. , & 309. B. Ex ea deducuntur Concluſiones Theologicæ diverſæ inter ſe . 371. D. Quando canonice eſt explicata , facit fidei dogma . ibid. Scripturæ interpretatio dicitur quandoque Prophetia . 460. D. Quando facit ſenſum permiſſivum, quando poſitivum . 574. D. Principibus perinde , ac populis quædam tribuit . 617. D. Sæpe loquitur in aliena perſona . 743. C. Contextus rem declarat . Ibid. In ea nullum mendacium . 745. B.

Ex doctrina particulari univerſalem infert. 882. E. Mutuam ex præcepto commendat Orationem inter viventes. 883. D. E. Cur ſacra dicatur . 982. A.

Sculpendi ars a Deo . 959. C.

Secta quælibet non habet notam univerſalitatis . 416. B. 421. B. Nomen univerſalis ſibi uſurpat . 287. C.

Seminaria Clericorum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam . 649. A. Quatuor genera . ibid.

Sepulchra laudabiliter conſtruuntur . 939. B. Cur a Chriſto reprobata ? ibid. In honore apud Hebræos . Ibid. D.

Serpens æneus ſuperſtitioſe ab Hebræis colebatur . 616. C.

Servanus Miniſter Arauſicanus quemlibet ſalvari poſſe in qualibet Secta affirmat . 189. D.

Seſſio Chriſti ad Patris dexteram male ab Hæreticis intellecta . 180. C.

Sibyllæ plura de Chriſto prænunciarunt . 321. D. Quanto fuerint in honore . ibid. Quantæ auctoritatis apud Patres . 322. C. Num habuerint ſpiritum prophetiæ . ibid. Chriſti miracula prædixerunt . 342. C.

Sigebertus non favet fabellæ de Joanna Papiſſa. 426. D.

Signa viſibilia veræ Eccleſiæ . 215. C. Vide *Miracula* .

Simulatio fidei non licet . 737. A. Alia negativa , privativa alia . 721. A.

Societas hominum triplex . 124. A.

Spes quomodo in Sanctis reponi poteſt . 862. E.

Spiritus Sanctus non eſt niſi in vera Eccleſia . 191. D. Ipſum negaverunt tum antiqui , tum recentiores aliqui Hæretici . 181. D. E. Eccleſiæ aſſiſtit . 246. E. Eam inſtruit , & docet . Ibid. Et quidem quoad omnes fidei articulos . 247. A. Poſtulat pro nobis , ideſt facit nos poſtulare . 881. E.

Spiritus privatus radix diviſionis . 375. D. Non eſt judex Controverſiarum . 169. C. , & ſeqq.

Spiritualia per corporalia attinguntur . 408. B.

Sponſa Chriſti, dum eſt in via , debet ad Sanctos confugere . 877. C. Vide *Anima* . *Invocatio Sanctorum* .

Sponſus , *& Sponſa* ejuſdem debent eſſe naturæ . 7. E. 12. B. C.

Sponſiones conditionales nihil operantur . 749. A.

Status Innocentiæ non excludebat dominationem . 593. B. Non erant in eo Sacramenta . 136. B. Nec congruebant . 139. B.

Subditi non debent judicare de lege Principis. 555. E.

Succeſſio Pontificum nuſquam abrumpitur . 265. A. Ubi adinvenitur , ibi eſt vera Eccleſia. 354. B. 430. B. E. Sine ſucceſſione hæc deficit . 354. C. Succeſſio in Eccleſia dicit permanentem doctrinam . 355. A. 430. E. Potiſſimum quæ Pontificum eſt , nota eſt Eccleſiæ . 361. C. Datur cum pravis moribus Paſtorum . ibid. E. Semper valuit ad veram dignoſcendam Eccleſiam . 362. A. Quando argumentum ſucceſſionis dici poſſit non neceſſarium , ſed probabile . Ibid. B. Legitima ſoli Rom. Eccleſiæ competit. 422. E. Neceſſaria ad ejuſdem conſervationem .

tionem. 425. A. Unde legitima ſucceſſio. Ibid. D. Schiſmata non officiunt legitimæ ſucceſſioni. 429. B.
Suffragia Sanctorum nobis applicant Chriſti merita. 889. B.
Suſpicio in fide purganda apud Rom. Sedem. 364. E.
Symbolum fidei regula fundamentalis. 275. D. Sed ad ea, quæ cum ipſo connexa ſunt, attendendum. Ibid. Ab Eccleſia explicatum. Ibid.
Synagoga, vivente Chriſto, ſubſtantialiter eadem cum Eccleſia. 146. E. Dici poterat Eccleſia particularis. 255. E. Non valet argumentum a Synagoga ad Eccleſiam. Ibid. Nunquam defecit ex toto. 257. A., & ſeqq. Sub primordiis legis novæ perduravit. 258. C., & ſeqq. Nuſquam ſine ſanctitate. 275. B. Non erat univerſalis, ſicut noſtra Eccleſia. 283. E. Synagogæ veritas ex Sacerdotii ſucceſſione. 356. D.
Synodi Hæreticorum inter ſe diſcordes. 267. C. E.
Syxtus Senenenſis ſcholarum phraſes commendat. 1026. B.

T

T*Almud* improba docet. 398. B.
Templa antiquitus Virgini dicata. 921. B. Alia dicata Martyribus. 933. C. Quaſi Cœli regia. 971. C. In iis licitus eſt uſus Imaginum. Ibid. D. Quandoque in his cur non appoſitæ. 974. A. Hæreticorum adire illicitum. 714. A.
Tempus in Scripturis ſignat quandoque ſpatium unius anni. 469. B.
Tentare Deum ſine cauſa eſt grave peccatum. 409. A. Deum tentat, qui ſine cauſa ſignum petit. Ibid. C.
Tentatio quid ſit. 409. B. Alia eſt verbis, alia factis. Ibid.
Tertullianus non negat pingendas Imagines. 956 E. Quoad Serpentem æneum ſibi contrarius videtur. 957. E.
Theodoſius laudatur pro obſequio erga Sacerdotium. 656. B. Dicitur leges condidiſſe Eccleſiaſticas quoad exceptionem. Ibid. D. Deceptus a Neſtorianis. Ibid. E. 659. D. Reſipuit. 657. A. Digreſſus ad partes Eutychetis. Ibid. E. Ad fidem redit. 658. B.
Theologia methodo ſcholaſtica tradita mire deſervit adverſus Hæreſes. 1027. B., & ſeqq.
S. Thomas docet Peccatores fideles eſſe de Eccleſia. 55. E., & ſeqq.
Tigurini Montes olim ſub dominio Rom. Pontificis. 467. A.
Timor pœnæ diſponit ad bene agendum, malumque deſerendum. 777. E. 779. A.
Tituli in veteri lege erecti erant quædam ſimolacra. 961. D. Non erant prohibiti. Ibid.
Traditio vim habet rationis. 834. A. Traditiones ab Eccleſia traditæ veræ ſunt. 246. A.
Tranſcendens in moralibus duplex. 903. B.
Tranſilvani omnem negant politicam poteſtatem. 501. B.
Trinitarii Hæretici negant licere Deum externis actibus adorare. 790. E.
Tyrannus propria auctoritate nequit occidi. 705. C.

V

V*Arietas doctrinæ* cauſa Hæreſum. 378. B.
Veniale peccatum non deſtruit charitatem. 72. A.
Veracitas divina ratio formalis credendi. Eſt indiviſibilis. 87. E.
Verbum Dei prædicatum, & acceptatum non eſt Eccleſiæ nota. 303. A. Eſt commune veræ, & falſæ Eccleſiæ. Ibid. B. Verborum contentiones vitandæ. 1031. C.
Verbum Divinum dicitur exinanitum aſſumendo humanitatem. 806. B. Perficit humanitatem. Ibid. E.
Veritas prior falſitate. 355. B. Clarius per verba, quam per imagines explicatur. 445. E. Veritas fidei ab Eccleſia expetenda. 219. A. 301. A.
Veſpaſianus Imp. falsò miraculorum patrator. 347. E.
Ugonoti volunt Hæreticos de Eccleſia eſſe. 85. D.
Vicarius Chriſti non idem, ac Chriſtus. 486. A.
Vigilantius negabat cultum Sanctorum. 908. E. Hoſtia Reliquiarum. 929. D.
Vir natus ad gubernium, ſecus mulier. 692. B. Finis mulieris eſt vir. Ibid. E. Ipſi dominatur. 515. D.
Viſibile quomodo componitur cum fide. 230. E.
Viſiones imaginariæ quandoque ex imaginatione. 1012. A. Quandoque a Deo, Chriſto, Angelis, & Sanctis. Ibid. D. Veræ a falſis unde dignoſcantur. 1013. C. Seriò perpendendæ. 1014. D. Dæmon efformat ad decipiendum. 1013. C. 1015. A. Ipſis non multum fidendum. 1016 B. Probatio viſionum alia interior, exterior alia. Ibid. E.
Vita ſupernaturalis triplex. 50. C. Vitam dare pro Chriſto quandoque tenemur. 735. C. Et etiam pro ſalute animæ. Ibid.
Vitia Prælatorum ad malum impellunt. 394 D.
Unctio Regum non erat Sacramentum in lege veteri. 605. B.
Unio Hypoſtatica perfectior gratiâ ſanctificante. 928. A. Unio cum Chriſto alia ſubſtantialis, perfectionis alia. 49. B. Per ſocietatem non facit hominem de Eccleſia. 103. C.
Unitas Eccleſiæ multiplex. 116. E. 207. C. Eſt ipſius proprietas. Triplex. 147. B. In Fidei articulis eſſentialis Eccleſiæ. 154. D. 156. E. Unitas Fidei, Sacramentorum, atque ſubordinationis ad unum caput eſt nota Eccleſiæ. 315. A. 363. B. 374. A. Deum imitatur. Ibid. B. Defectus unitatis ſignum falſitatis. Ibid. D. Unitas a Deo. Ibid. E. Hæretici hanc non habent. 316. D. Ibi

eſt

eſt unitas membrorum, capitis, & doctrinæ, ubi omnes ad unum confugiunt. 364. C. 366. B. Ex litteris communicatoriis. 367. C. Importat unum Judicem Controverſiarium. Ibid. B. Unitatem hanc fatentur neceſſariam Hæretici. 368. B. Non tollitur per nominum diverſitatem. 370. B. Nec per diſcrepantiam Theologicarum quæſtionum. 371. B. Unitas doctrinæ, & veritas unum ſunt. 374. C. Unitas non eſt, ubi non eſt plurium ſubordinatio. 686. C.

Univerſale aliud logicum, phyſicum aliud. 231. B.

Univerſalitas Eccleſiæ explicatur. 278. C. 283. D. Eſt nota Eccleſiæ. 317. E.

W*andali*, & *Gothi* Romanam Eccleſiam ſunt venerati. 474. C.

W*aldenſes* aſſerunt peccatoribus non eſſe obediendum. 573. A. Negant Eccleſiaſticis, & Secularibus poteſtatem condendi leges. 520. D.

W*eſphalus* irridet Aſcenſum Chriſti ad Cœlum. 180. A.

W*icleſus* negat Eccleſiam univerſalem particulares continere. 147. E. Non vult Eccleſiam fore Apoſtolicam. 289. A. Negat Eccleſiaſticis facultatem condendi leges. 520. D. Aſſerit peccatorem nec Regem, nec Ducem eſſe. 573. A. Hoſtis imaginum. 796. C. Negabat cultum Sanctorum. 908. E. Hoſtis Reliquiarum. 929. E. Ejus deliramenta. 940. D. Inſurgit contra Scholaſticam Methodum. 1022. A.

W*irtembergenſis Dux* Eccleſiaſticum Primatum ſibi arrogavit. 601. A.

Z

Z*eno Imp.* ſuo Enotico plures hæreſes ditaminavit. 158. B. Reſipuit. 661. A.

Zizania quando colligenda ante triticum. 775. A.

Zuinglius docet non ſolùm Hæreticos, ſed etiam Gentiles ſalvari in propria Secta. 199. B.

FINIS.

२३

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google